ILLYRICI SACRI

TOMUS SEXTUS.

ECCLESIA RAGUSINA

CUM SUFFRAGANEIS,

ET ECCLESIA RHIZINIENSIS ET CATHARENSIS.

AUCTORE

DANIELE FARLATO

PRESBITERO SOCIETATIS JESU,

ET JACOBO COLETO OLIM EJUSDEM SOCIETATIS ALUMNO.

BIBLIOTHE
Los
M

VENETIIS, MDCCC.

APUD SEBASTIANUM COLETI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMIS AC EXCELLENTISSIMIS DOMINIS

RECTORI
ET CONSILIARIIS
REIPUBLICÆ RAGUSINÆ

JACOBUS COLETUS.

SI qua unquam cauſſa, ſi qua ratio quemquam movit, ut ſui ingenii, ſuæque doctrinæ, aut eruditionis operibus virorum principum nomen inſcriberet, eorumque quæreret patrocinium, nulla æquior eſſe potuit, nulla honorabilior, quam quæ jubet, librum hunc Veſtræ Amplitudini ac Dignitati dicari. Cum enim totus Eccleſiæ Raguſinæ locupletiſſimam complectatur hiſtoriam, in eaque ſibi ſuas partes vindicet Veſtræ Reipublicæ ſapientiſſima adminiſtratio, erat profecto officii mei, operi huic Patronos comparare eos ipſos ampliſſimi Ordinis Viros, qui Raguſini Imperii clavum tenent, & tractant gubernacula. Vos quippe cum mente intueor, atque ſuſpicio in ſuprema hac ſede locatos, quid aliud mihi præ oculis poteſt obverſari, quam ipſa totius Reipublicæ

Digitized by Google

facies, & recte ſapienterque conſtituti regiminis præclarus adſpectus? Revera annon præclariſſima ſemper iſtius Civitatis forma atque ditionis? quæ, Deo primum auctore & conſervatore, ab ipſis exordiis tantum incolarum multitudine, tantum opibus ac potentia aucta eſt, ut finitimos aut populos in ſui admirationem, & pene invidiam pertraheret, aut Reges in amicitiam alliceret, aut hoſtes quodam quaſi formidinis ac reverentiæ fræno coerceret; quæque, ut eſt humanarum rerum fortuna, variis licet temporum agitata vicibus turbiſque, civium ſuorum ſapienti conſilio firmiter ſtetit, nec ullum optimæ curationis detrimentum paſſa in ſuo ſtatu, ceu in tranquilla ſtatione, vigens florenſque conquieſcit. Cujus felicitatis, quæ Veſtræ obtigit Reipublicæ, duæ mihi cauſſæ fuiſſe videntur. Altera, quod non ſibi ſoli nata fuerit Civitas atque Reſpublica Raguſina, ſibi ſoli, ſuæque gloriæ incrementum afferre ſtuduerit; ſed aliorum ſaluti, ac ſecuritati proſpicere, afflictiſque vexatiſque rebus præſidium effugiumque præbere, ſuum ipſa bonum, ſuumque decus, imperii vim & robur eſſe intellexit; ubi nimirum juſtitia, ubi clementia, ubi pietas, ubi charitas quorumcumque vel maxime infenſorum devincit animos, (quod aptiſſimum eſt ad quiete feliciterque imperandum,) & ſibi mutuo illinc bonitatis, hinc debitæ gratiæ conſenſione obſtringit. Altera ad veras magnaſque regnorum, rerumque publicarum utilitates cauſſa potior Religio. Sane, cum prima ea tempora inſpicimus, quibus Veſtra hæc Urbs atque Reſpublica e ruinis vicinarum gentium cœpit aſſurgere, viſa certe Religio ipſa fundamenta locare, ipſa metiri ſpatia, ipſa totius ædificii molem ita diſponere ad ea, quæ gubernationis, quæ munitionis, quæ ornamenti, quæ commodi, quæ lucri quæſtuſque futura eſſent, ut partes omnes uno Religionis vinculo necterentur, una Religionis ſpecie pulchriores nobilioreſque apparerent. Quod ſi locus hic eſſet illuſtria in Religionem merita enumerandi, quibus Raguſina Natio ab die Urbis & Reipublicæ natali huc uſque præcelluit, ſi templorum magnificentiam & decora, ſi divini cultus ſervandi augendique fervens ſtudium, ſi fovendæ in moribus pietatis honeſtatiſque curam nunquam remiſſam vellem dicendo celebrare, profecto haud deficeret oratio. Unum tamen eſt, quod præ cæteris admirationem efficiat, nulla erroris vel leviter offuſam Civitatem Veſtram atque ditionem, nulla ſchiſmatis vel tenuiſſima labe inſperſam, ab Catholicæ Eccleſiæ dogmatibus ne minimum quidem deflexiſſe; cum proximi, qui Vos circumſtant, populi fœdis corrupti hæreſibus, aut continuis ſchiſmaticorum turbati diſſidiis, aut Mahumetica impietate turpiter adſtricti facillime potuiſſent puriſſimum Religionis Veſtræ nitorem tam propinqua frequentique cum iis conſuetudine commaculare; quin tot inter & adeo crebras gentium illarum viciſſitudines hæc Majorum Veſtrorum, hæc Veſtra laus eſt, ope, curis impendiiſque Veſtris ſuffultam, pluribus in locis Orthodoxam Fidem fuiſſe ſervatam, quæ ſuam in Vobis tutelam ſuumque nacta perfugium, tantum Vobis tribuit, quantum per Vos poſſidet firmitatis adverſus hoſtiles inſidias atque incurſus.

Sed & alia ratio me impulit adegitque, ut hoc officium Vobis perſolverem; gratioſa nimirum Raguſini Senatus munificentia, & impenſa in hoc opere evulgando liberalitas, quo citius, quam ipſe cogita-

Digitized by Google

gitaverim, e typis egrederetur. Quod igitur Daniel Farlatus insignis plane vir, Illyrici Sacri fere princeps auctor, & de Ragusina Ecclesia optime meritus, tamdiu concupierat, cum historiæ hujus maximam partem apte dispositam mihi perficiendam reliquit, quod Joannes Maria Matthejus civis Vester æque virtute ac doctrina pollens, qui selectissimam Ragusiensium monumentorum supellectilem nobis collegit, in votis maxime habuit, id mihi fauste contigit, ut nobilissimi Ecclesiæ Vestræ fasti non solum in omnium adspectum tandem prodirent, verum etiam Vestro Nomine inscripti clariori luce splenderent. Nam ipsa Vestrorum Antistitum series quantum per sese effulget! quidve non objicit legentium oculis vere sacrum, sanctumque & vere magnum? quid non ea Metropoli dignum, quæ parem cum aliis Illyrici Metropolibus & honorem & auctoritatem prætulit, quamque suorum Præsulum integra religione, ac mira sapientia præstitisse illorum gesta testantur? Unde Reipublicæ Vestræ major crescit laudis lætitiæque seges & materia, quæ in designandis Archiepiscopis Ragusinis unice religionis & ecclesiasticæ disciplinæ bonum, decusque semper intuita est; Clero autem toti eximia virtutum morumque norma proponitur, in quam conservandam atque tuendam alacriori incumbant animo; & Natio Vestra jure gaudeat, meritoque lætetur, se a sanctissimis maximisque viris & olim puris Fidei doctrinis ac præceptis fuisse excultam, & ad hæc usque tempora gubernari.

Si vero longior, quam æquum erat, mora interjecta videatur in edendo hoc opere, confido tamen, nullam mihi apud judicium Vestrum, Vestramque humanitatem neque excusationem necessariam fore, neque defensionem. Nostis ipsi, quæ publicæ ac privatæ clades cunctas Italiæ regiones postremis hisce annis late pervaserint, quam immutata omnia, conversa ac prorsus fœdata in Christiana æque ac civili republica, quibus incommodis, calamitatibus, angustiis jactata, obvoluta pressaque fuerint. Interea angebar animo, vehementerque dolebam, ne cunctando me vel fidei deesse, vel observantiæ meæ adversus Rempublicam Vestram quisquam putaret. At ubi respirare cœpimus, & e tot tantisque ærumnarum fluctibus caput attollere, nihil diligentiæ, curæque, nihil sollicitudinis prætermissum est, quo liber celerrime perfectus atque absolutus ad Vos, & ad præsentiam Vestram properaret. Itaque hunc Vobis demisse sisto, ipsamque humanitatem Vestram suppliciter oro, ut illum, qui jam Vester est, e meis manibus perbenigne excipiatis, meque Amplitudini Vestræ dudum addictissimum dignemini & gratia prosequi Dignitatis Vestræ, & patrocinio.

Digitized by Google

CONSPECTUS
HUJUS VOLUMINIS.

ECCLESIA RAGUSINA.

EPISCOPI EPIDAURI, & ARCHIEPISCOPI RAGUSINI. Pag. 1.

530. I. FAbricianus Epidauri Epiſcopus, 4.
532. II. Paullus, *ibid.*
591. III. Florentius, *ibid.*
630. IV. Joannes, 6.

EPISCOPI & ARCHIEPISCOPI RAGUSINI, 36.

650. I. Joannes idem, *ibid.*
700. II. Andreas, *ibid.*
940. III. Joannes II. Archiepiſcopus I. 40.
971. IV. Nicephorus. 41.
1022. V. Vitalis. 42.
1057. VI. Tribunius. 54.
1063. VII. Vitalis II. *ibid.*
1074. VIII. Petrus. 55.
1115. IX. Dominicus. 60.
1121. X. Geraldus. *ibid.*
1141. XI. Andreas II. 63.
1153. XII. Tribunius II. 78.
1189. XIII. Bernardus. 83.
1191. XIV. Salvius. *ibid.*
1194. XV. Gauſſonus. *ibid.*
1197. XVI. Bernardus II. 84.
1205. XVII. Leonardus. 91.
1220. XVIII. Arrengerius, *ibid.*
1237. XIX. Joannes III. 100.
1252. XX. Jacobus. 105.
1256. XXI. Joannes IV. 106.
1258. XXII. Aleardus. 107.
1269. XXIII. Andreas III. 111.
1272. XXIV. Lucas. 112.
1276. XXV. Salvius II. *ibid.*
1281. XXVI. Bonaventura. 115.
1293. XXVII. Chriſtophorus. 121.
1303. XXVIII. Bartholomæus. *ibid.*
1312. XXIX. Bartholomæus II. 122.
1317. XXX. Benedictus. 124.
1317. XXXI. Petrus II. *ibid.*
1322. XXXII. Laurentius. 125.
1324. XXXIII. Thomas. *ibid.*
1342. XXXIV. Elias. 126.
1362. XXXV. Hugo. 135.
1370. XXXVI. Petrus III. 138.
1380. XXXVII. Maphiolus. 140.
1388. XXXVIII. Andreas IV. *ibid.*
1393. XXXIX. Nicolaus. 146.
1402. XL. Nicolaus II. 148.
1408. XLI. B. Joannes V. 149.
1409. XLII. Antonius. 156.
1440. XLIII. Jacobus II. 160.
1460. XLIV. Franciſcus. 168.
1462. XLV. Franciſcus II. 173.
1465. XLVI. Antonius II. 177.
1467. XLVII. Timotheus. 178.
1470. XLVIII. Hieronymus. 183.
1470. XLIX. Bartholomæus III. *ibid.*
1470. L. Joannes VI. *ibid.*
1490. LI. Joannes VII. 191.
1505. LII. Julianus. 206.
1510. LIII. Raynaldus. 209.
1521. LIV. Philippus. 219.
1544. LV. Pamphilus. 225.
1545. LVI. Joannes Angelus, 228.
1555. LVII. Ludovicus. 230.
1565. LVIII. Chryſoſtomus, 242.
1575. LIX. Vincentius. 245.
1579. LX. Hieronymus II. 252.
1583. LXI. Raphael, 254.
1588. LXII. Paullus. 255.
1591. LXIII. Aurelius. 256.
1602. LXIV. Fabius. 257.
1616. LXV. Vincentius II. 259.
1628. LXVI. Thomas II. 261.
1634. LXVII. Antonius III. *ibid.*
1640. LXVIII. Bernardinus. 262.
1647. LXIX. Pompejus. *ibid.*
1650. LXX. Franciſcus III. *ibid.*
1665. LXXI. Petrus IV. 263.
1689. LXXII. Vincentius III. 266.
1693. LXXIII. Placidus. 267.
1701. LXXIV. Thomas Antonius, *ibid.*
1708. LXXV. Andreas V. 268.
1714. LXXVI. Joannes Baptiſta, 270.
1722. LXXVII. Raymundus. *ibid.*
1727. LXXVIII. Philippus II. 277.
1728. LXXIX. Angelus. *ibid.*
1752. LXXX. Hyacinthus. 280.
1757. LXXXI. Archangelus. *ibid.*
1767. LXXXII. Nicolaus III. 281.
1777. LXXXIII. Gregorius, *ibid.*
1792. LXXXIV. Aloyſius. 285.

EPISCOPI SUFFRAGANEI
Metropolis Raguſinæ.

EPISCOPI TRIBUNIENSES & MERCANENSES. 286.

870. I. Joannes Epiſcopus Tribunienſis. 289.
1143. II. Conſtantinus. 290.
1245. III. Salvius. 291.
1322. Nicolaus Epiſcopus Mercanenſis I. 293.
1344. IV. Bonifacius. 294.
1345. V. Joannes II. *ibid.*
1349. VI. Joannes III. *ibid.*
1355. VII. Matthias. 295.
1370. VIII. Franciſcus. *ibid.*
1378. Deſſa, ſive Ulias Epiſcopus Mercanenſis II. *ibid.*
1385. Ratkus Epiſcopus Mercanenſis III. 296.
1389. IX. Joannes IV. & Mercanenſis IV. *ibid.*
1391. X. Jacobus, & Mercan. V. *ibid.*
1417. XI. Joannes V. & Mercan. VI. *ibid.*
1425. XII. Dominicus, & Mercan. VII. 297.
1435. XIII. Joannes VI. & Mercan. VIII. *ibid.*
1436. XIV. Michael, & Mercan. IX. *ibid.*
1460. XV. Baſilius, & Mercan. X. 298.
1464. XVI. Blaſius, & Mercan. XI. *ibid.*
1481. XVII. Blaſius II. & Mercan. XII. 299.
1481. XVIII. Donatus, & Mercan. XIII. 300.

Digitized by Google

1493. XIX. Georgius, & Mercan. XIV. *ibid.*
1499. XX. Georgius II. & Mercan. XV. 301.
1513. XXI. Auguſtinus, & Mercan. XVI. 303.
1520. XXII. Franciſcus II. 304.
1527. XXIII. Franciſcus III. & Merc. XVII. *ibid.*
1532. XXIV. Thomas, & Mercan. XVIII. 305.
1563. XXV. Jacobus II. & Mercan. XIX. 306.
1575. XXVI. Simeon, & Mercan. XX. 307.
1606. XXVII. Thomas II. & Merc. XXI. 308.
1609. XXVIII. Ambroſius, & Mercan. XXII. 309.
1615. XXIX. Chryſoſtomus, & Mercan. XXIII. *ibid.*
1647. XXX. Savinus, & Mercan. XXIV. 315.
1663. XXXI. Scipio, & Mercan. XXV. *ibid.*
1669. XXXII. Antonius, & Mercan. XXVI. *ibid.*
1703. XXXIII. Antonius II. & Mercan. XXVII. 316.
1727. XXXIV. Franciſcus Hieronymus, & Mercan. XXVIII. *ibid.*
1733. XXXV. Sigiſmundus, & Mercan. XXIX. 317.
1760. XXXVI. Anſelmus, & Mercan. XXX. *ibid.*
1792. XXXVII. Nicolaus II. & Merc. XXXI. 318.

EPISCOPI ZACHLUMIENSES, ſive STAGNENSES. 318.

877. I. N. N. Epiſcopus Zachlumienſis ſive Stagnenſis. 324.
928. II. N. N. Epiſcopus Zachlumienſis ſive Stagnenſis. 325.
1023. III. N. N. Epiſcopus Zachlumienſis ſive Stagnenſis. 326.
1044. IV. Gabriel Epiſc. Zachlumienſis ſive Stagnenſis. *ibid.*
1121. V. N. N. Epiſc. Zachlumienſis ſive Stagnenſis. *ibid.*
1143. VI. Simeon Epiſc. Zachlumienſis ſive Stagnenſis. *ibid.*
1170. VII. Donatus Epiſcopus Zachlumienſis ſive Stagnenſis. *ibid.*
1285. VIII. Petrus Epiſcopus Stagnenſis. 328.
1291. IX. Joannes Epiſcopus Stagnenſis, & Corcyrenſis I. *ibid.*
1314. X. Joannes II. Epiſc. Stagnenſis, & Corcyrenſis II. 329.
1330. XI. Gadius Epiſcopus Stagnenſis, & Corcyrenſis III. 330.
1342. XII. Marinus Epiſc. Stagnenſis, & Corcyrenſis IV. *ibid.*
1350. XIII. Dominicus Epiſc. Stagnenſis, & Corcyrenſis V. 332.
1360. XIV. Joannes III. Epiſc. Stagnenſis, & Corcyrenſis VI. 333.
1368. XV. Joannes IV. Epiſc. Stagnenſis, & Corcyrenſis VII. *ibid.*
1388. XVI. Franciſcus Epiſc. Stagnenſis, & Corcyrenſis VIII. 336.
1392. XVII. Nicolaus Epiſc. Stagnenſis, & Corcyrenſis IX. *ibid.*
1406. XVIII. Andreas Epiſc. Stagnenſis, & Corcyrenſis X. *ibid.*
1416. XIX. Nicolaus II. Epiſcopus Stagnenſis, & Corcyrenſis XI. 337.
1426. XX. Andreas II. Epiſcopus Stagnenſis, & Corcyrenſis XII. 345.
1441. XXI. Joannes V. Epiſcopus Stagnenſis, & Corcyrenſis XIII. 346.
1447. XXII. Joannes VI. Epiſc. Stagnenſis, & Corcyrenſis XIV. *ibid.*
1450. XXIII. Andreas III. Epiſc. Stagnenſis, & Corcyrenſis XV. *ibid.*
1454. XXIV. Lucas Epiſcopus Stagnenſis, & Corcyrenſis XVI. *ibid.*
1463. XXV. Thomas Epiſcopus Stagnenſis, & Corcyrenſis XVII. 347.
1503. XXVI. Nicolaus III. Epiſcopus Stagnenſis, & Corcyrenſis XVIII. 349.
1541. XXVII. Thomas II. Epiſcopus Stagnenſis. 350.
1551. XXVIII. Petrus Epiſcopus Stagnenſis. 353.
1564. XXIX. Bonifacius. *ibid.*
1584. XXX. Baſilius. 354.
1585. XXXI. Chryſoſtomus. 355.
1606. XXXII. Joannes Baptiſta. 356.
1609. XXXIII. Michael. *ibid.*
1615. XXXIV. Ambroſius. *ibid.*
1632. XXXV. Ludovicus. 357.
1635. XXXVI. Paullus. *ibid.*
1653. XXXVII. Carolus. 358.
1664. XXXVIII. Petrus III. *ibid.*
1680. XXXIX. Hyacinthus. 359.
1681. XL. Auguſtinus. *ibid.*
1683. XLI. Joannes Baptiſta II. *ibid.*
1688. XLII. Carolus II. 360.
1693. XLIII. Hyacinthus II. *ibid.*
1694. XLIV. Alphonſus Baſilius. *ibid.*
1703. XLV. Vincentius. *ibid.*
1710. XLVI. Franciſcus II. 361.
1741. XLVII. Angelus. *ibid.*
1745. XLVIII. Hyacinthus III. *ibid.*
1752. XLIX. Petrus IV. 362.
1772. L. Franciſcus III. *ibid.*

EPISCOPI CORCYRENSES. 363.

1301. I. Joannes Epiſcopus Corcyrenſis, & Stagnenſis IX. 369.
1321. II. Joannes II. Epiſcopus Corcyrenſis, & Stagnenſis X. 370.
1330. III. Gaddus Epiſcopus Corcyrenſis, & Stagnenſis XI. 371.
1342. IV. Marinus Epiſcopus Corcyrenſis, & Stagnenſis XII. *ibid.*
1350. V. Dominicus Epiſcopus Corcyrenſis, & Stagnenſis XIII. *ibid.*
1360. VI. Joannes III. Epiſcopus Corcyrenſis, & Stagnenſis XIV. *ibid.*
1368. VII. Joannes IV. Epiſcopus Corcyrenſis, & Stagnenſis XV. *ibid.*
1388. VIII. Franciſcus Epiſcopus Corcyrenſis, & Stagnenſis XVI. 373.
1392. IX. Nicolaus Epiſcopus Corcyrenſis, & Stagnenſis XVII. *ibid.*
1406. X. Andreas Epiſcopus Corcyrenſis, & Stagnenſis XVIII. 375.
1416. XI. Nicolaus II. Epiſcopus Corcyrenſis, & Stagnenſis XIX. 376.
1426. XII. Andreas II. Epiſcopus Corcyrenſis, & Stagnenſis XX. 377.
1441. XIII. Joannes V. Epiſcopus Corcyrenſis, & Stagnenſis XXI. *ibid.*
1447. XIV. Joannes VI. Epiſcopus Corcyrenſis, & Stagnenſis XXII. 378.
1450. XV. Andreas III. Epiſcopus Corcyrenſis, & Stagnenſis XXIII. *ibid.*
1454. XVI. Lucas Epiſcopus Corcyrenſis, & Stagnenſis XXIV. 381.
1463. XVII. Thomas Epiſcopus Corcyrenſis, & Stagnenſis XXV. 386.
1503. XVIII. Nicolaus III. Epiſcopus Corcyrenſis, & Stagnenſis XXVI. 388.
1541. XVIIII. Marcus Epiſcopus Corcyrenſis. *ibid.*
1549. XX. Claudius. 389.
1556. XXI. Petrus. 390.
1564. XXII. Benedictus. 392.

1573.

Digitized by Google

1573. XXIII. Auguſtinus. 395.
1605. XXIV. Raphael. 398.
1611. XXV. Theodorus. *ibid.*
1626. XXVI. Jacobus. 400.
1643. XXVII. Franciſcus II. 402.
1665. XXVIII. Hieronymus. *ibid.*
1673. XXIX. Nicolaus IV. 403.
1708. XXX. Marinus II. 404.
1735. XXXI. Vincentius. 405.
1761. XXXII. Michael. *ibid.*
1771. XXXIII. Joannes VII. 406.
1774. XXXIV. Simon. 408.
1781. XXXV. Antonius. *ibid.*
1787. XXXVI. Joſeph. 409.

EPISCOPI RHIZINIENSES. 410.

591. I. Sebaſtianus. 411.
1271. II. Michael. 414.
1350. III. Nicolaus. *ibid.*
1350. IV. Duimus. *ibid.*
1398. V. Andreas. 415.
1400. VI. Henricus. *ibid.*
1423. VII. Conſtantinus. *ibid.*
1430. VIII. Georgius. *ibid.*
1432. IX. Joannes. 416.
1436. X. Dionyſius. *ibid.*
1440. XI. Ægidius. *ibid.*
1517. XII. Adrianus. *ibid.*
1519. XIII. Ambroſius. 417.
1520. XIV. Antonius. *ibid.*

EPISCOPI ASCRIVIENSES, ſive CATHARENSES. 421.

877. I. N. N. Epiſcopus Aſcrivienſis, ſive Catharenſis. 430.
1033. II. N. N. 432.
1090. III. Grimaldus. 433.
1110. IV. Uſacius. *ibid.*
1140. V. Nicephorus. *ibid.*
1154. VI. Malon, ſive Magion. *ibid.*
1170. VII. Nicephorus II. 434.
1179. VIII. Majus. *ibid.*
1181. IX. Bucchius. *ibid.*
1200. X. Micha, ſive Michael. *ibid.*
1205. XI. Sergius. *ibid.*
1220. XII. Blaſius. 436.
1247. XIII. Deodatus. 439.
1249. XIV. Centiberius. 441.
1260. XV. Marcus, ſive Marius. *ibid.*
1280. XVI. Domnius. 442.
1326. XVII. Meliciacca. 444.
1328. XVIII. Pomponius. *ibid.*
1328. XIX. Sergius II. ſive Bergius. *ibid.*
1331. XX. Raymundus. 445.
1334. XXI. Thomas. *ibid.*
1341. XXII. Sergius III. 446.
1348. XXIII. Bartholomæus. 448.
1349. XXIV. Adamus. *ibid.*
1352 XXV. Domnius II. ſive Duymus. *ibid.*
1369. XXVI. Stephanus. 452.
1374. XXVII. Bernardus. 453.
1375. XXVIII. Joannes. *ibid.*
1397. XXIX. Nicolaus. *ibid.*
1400. XXX. Bartholomæus II. 454.
1410. XXXI. Antonius. *ibid.*
1421. XXXII. Raymundus II. 455.
1425. XXXIII. Franciſcus. 458.
1425. XXXIV. Secundus. *ibid.*
1429. XXXV. Marinus. 460.
1453. XXXVI. Bernardus II. 466.
1457. XXXVII. Angelus. 468.
1459. XXXVIII. Marcus II. 469.
1474. XXXIX. Petrus. 472.
1493. XL. Joannes II. 474.
1513. XLI. Tryphon. 478.
1524. XLII. Lucas. 486.
1565. XLIII. Paullus. 494.
1578. XLIV. Franciſcus II. 496.
1581. XLV. Hieronymus. 497.
1604. XLVI. Angelus II. 498.
1611. XLVII. Hieronymus II. 501.
1620. XLVIII. Jacobus. 502.
1622. XLIX. Vincentius. *ibid.*
1656. L. Joannes Antonius. 505.
1688. LI. Marinus II. 508.
1709. LII. Franciſcus III. 513.
1716. LIII. Simon. *ibid.*
1718. LIV. Hyacinthus. *ibid.*
1743. LV. Vincentius II. 515.
1744. LVI. Joannes Antonius II. *ibid.*
1761. LVII. Stephanus II. 516.
1788. LVIII. Joannes Martinus. 518.
1793. LIX. Michael Matthæus. *ibid.*
1796. LX. Franciſcus Petrus. *ibid.*

CORRIGENDA ET ADDENDA. 519.

ARCHIEPISCOPATUS ET EPISCOPATUS

Qui in hoc Tomo continentur.

ARCHIEPISCOPATUS RAGUSINUS, olim EPISCOPATUS EPIDAURENSIS.
EPISCOPATUS TRIBUNIENSIS & MERCANENSIS.
EPISCOPATUS ZACHLUMIENSIS, ſive STAGNENSIS.
EPISCOPATUS CORCYRENSIS.
EPISCOPATUS RHIZINIENSIS.
EPISCOPATUS CATHARENSIS, olim ASCRIVIENSIS.

EC-

Digitized by Google

ECCLESIA RAGUSINA.

EPISCOPI EPIDAURI,

ET ARCHIEPISCOPI RAGUSINI.

Triplex Epidaurus.

PRiusquam de Civitate, & Ecclesia Ragusina scribere aggredior, de Civitate & Ecclesia Epidauria, ex qua illa initium duxit, vel certe incrementum accepit, pauca præfari necesse est. Tres urbes, quibus Epidauri nomen fuit, apud veteres Geographos & Scriptores commemoratas invenio, duas in Peloponneso, unam in Dalmatia, de qua nobis scribendum est. Utraque Epidaurus Peloponnesiaca mari adjacet, in littore illius Peninsulæ obverso in solem orientem; altera in Argia regione apud sinum Saronicum, Æsculapii delubro cultuque admodum celebris; altera apud sinum Argolicum in provincia Laconica, ἀπὸ τῦ λιμένος, ideſt a portu cognominata *Limerà*, quasi *Limenerà*, quod navigiis illuc appellentibus commodissimum æque portum, atque aditum præbet. *Monebasium* sive *Monembasiam* a Græcis posteriorum ætatum dictam ferunt: nunc *Malvasia* vulgo appellatur, optimi vini ferax, cui ex loco, unde gignitur, atque in varias regiones asportatur, itidem *Malvasiæ* cognomen est: utriusque, vel certe alterutrius Strabo, Ptolemæus, Plinius, Pomponius Mela, & alii plures meminere.

Epidauri Dalmaticæ notitia.

Epidaurus nostra Dalmatica inter Naronem fluvium, & sinum Rhizonicum interjacens sita erat in ora maritima, ab Ragusio urbe nobilissima Dalmatiæ, passuum millia circiter decem itinere terrestri, maritimo sex in ortum & meridiem distans, ubi nunc in tabulis topographicis Ragusium vetus collocari solet. Undique mari olim circumfusam fuisse Plinius tradit, cum Epidaurum inter illas insulas adnumerat, quas *rerum natura*, ut ipse ait, *mari abstulit terræque junxit: Epidaurus & Oricum insulæ esse desierunt*: lib. 2. cap. 89. Conradus Myconius, & David Ottomanus in suis de Geographia libris apud Maurum Orbinum in Commentariis de Regno Slavorum originem Epidauri inde usque a temporibus Mosaicis repetendam esse tradunt: quod neque negare, neque affirmare ausim: alii autem Epidaurum, eodem, quo Dyrrhachium, anno fere 430. post excidium Trojæ conditam fuisse ajunt. Epidaurum alii apud Parthinos, alii apud Encheleos Illyrici antiqui populos constituunt, alii utramque gentem longe ab Epidauro disjungunt, & vel in Liburniam, vel ultra Drilonem in Epirum novam, quæ postea dicta est Macedonia, conjiciunt. De Parthinis, & Encheleis scripsimus Tom. I. Illyr. Sac. par. 2. Prolegom. Pro-

pe ab Epidauro post ostia Arionis fluvii e mare eminent saxa Cadmea, ut in Periplo Scylacis Caryandensis: Ἀπὸ τῦ Νάρωνος ἐπὶ μὲν Ἀρίωνα ποταμὸν ἡμέρας ἐστὶ πλῦς. Ἀπὸ δὲ τῦ Ἀρίωνος ποταμῦ πλῦς ἡμέρας ἥμισυ· ἔ Κάδμε ἔ Ἁρμονίας ὁι λίθοι εἰσὶν ἐνταῦθα, κὴ ἱερὸν, ἄπωθεν τῦ Ἀρίωνος ποταμῦ. Ἀπὸ δὲ τῦ Ἀρίωνος ποταμῦ εἰς Βυθόλιν ὁ πλῦς, κὰι ὦ ἐμπόριον. *A Narone ad Arionem fluvium diei navigatio est. Ab Arione vero fluvio diei dimidiati navigatio est: ac Cadmi, & Harmoniæ ibi sunt lapides, & fanum procul Arione fluvio. Ab Arione autem fluvio navigatur Buthoen emporium.* Hunc Scylacis locum ita Vossius censet corrigendum in notis, ut pro Arione fluvio substitui debeat nomen fluvii Drilonis, propterea quod Geographorum, ceterorumque Historicorum nemo Arionis fluvii meminerit; sed ipsa Scylacis descriptio jubet Arionis nomen esse retinendum: a Narone etenim ad Drilonem usque duos vel minimum dies insumi navigio necesse est; præterea si a Drilone Butuam versus naviges, non ulterius progredi, sed retrorsum iter agere oportet contra atque maritimam hancce viam Scylax describit. Itaque Joannes Lucius lib. 1. cap. 4. de Regn. Dalm. meliori animadversione Scylacis verba illustravit: *Arion fluvius is esse dignoscitur, qui prope Ragusium in portum, ab antiquis Agravonitis Gravosa indigitatum, fluit, Ombla dictus, cum nullus alius fluvius Epidaurum usque inveniatur; & portus hic tutus, nautisque commodus diei navigatione a Naronis viciniis distet; a quo Gravosæ portu, nunc a S. Cruce dicto, Butoam navigantes Epidauritanos portus crebro appellere solent.* Nota tamen, Dujatium in notis subjectis lib. 45. c. 26. Historiarum Livii, ubi de Agravonitis sermo est, non immerito suspicari, mendum pro Ascrivionitis ab Ascrivio urbe dictis irrepsisse. Sunt tamen, qui Arionem Scylacis, non Omblam, sed Gliutam fluvium esse affirmant. Hunc aquæ ex valle Brenensi scaturientes, confluentesque in unum alveum efficiunt, qui propius ab Epidauro, quam Ombla, mari Adriatico infertur. Cadmum, de quo plura poeticis magis decora fabulis, quam certis rerum gestarum monumentis traduntur, Schymnus Chius in descriptione oræ maritimæ inscripta Nicomedi Bythiniæ regi, Encheleis, Apollodorus lib. 3. Illyriis imperasse scribunt. Alia extabant ibidem monumenta Cadmi, ejusque conjugis Harmoniæ, veluti *Fanum*, uti docet Scylax, *Bustum* & *Turrim*, quam ædificaverant Enchelei, ut est apud Apollonium Argonaut. lib. 4.

Οἱ δ' ἄρ' ἐν Ἰλλυριοῖῳ μελαμβαθέος ποταμοῖο,
Τύμβον ἔπ' Ἁρμονίης, Κάδμοιό τε, πύργον ἐδείμαν
Ἀνδράσιν Ἐγχελέεσσιν ἐφέσιοι.

Illi vero in Illyrico profundo nigro fluvio, ſepulcrum ubi Harmoniæ Cadmique, turrim condiderunt viris Encheleis accolæ. Flumen, de quo hic Apollonius, profundis nimium aquis nigreſcens, ex *Illyrici* cognomento diſtinctum, Arion, ſive Ombla eſſe nequit, cum ibi præterea monumenta viſerentur Cadmi, & Harmoniæ, quæ Scylax ab Arione procul conſtituit: quare Drilonem ab Apollonio innui valde ſuſpicor. Neque ab his diſſentit Dionyſius Afer, ſive Alexandrinus de Situ Orbis.

Cernitur hic tumulus, qui Cadmi dicitur eſſe
Harmoniæque ſimul, namque hic ſerpentibus illi
Corpora poſt tempus longum mutaſſe feruntur
Inſenio, poſtquam patriam Thebaſque relinquunt.

Cadmum Agenoris filium miſſum a patre ad perquirendam Europam, ab Jove raptam, in Bœotiam veniſſe, Thebas ab eo conditas, a Thebanis expulſum apud Illyricos regnaſſe tradunt: regionem circa Epidaurum ajunt feracem fuiſſe ſerpentum; id quod fortaſſe cauſſam præbuit fingendi Cadmum & Harmoniam in ſerpentes eſſe converſos.

Utri vero, noſtræ ne an Argivæ Epidauro adſcribendus ſit ſerpens Epidaurius ille Horatianus, ſtatuere non auſim. In Argia regione apud Epidaurum erat delubrum, ut diximus, cultuſque vigebat Æſculapii, cui figuram ſpeciemque ſerpentis affingere veteres ſolebant; & Anguem Æſculapium ad peſtem depellendam Epidauro Romam advectum Plinius docet.

Æſculapium inventorem, ſive amplificatorem medicinæ, quem plerique Epidauro Argivæ attribuunt, Raguſini ſibi, ſuæque Epidauro Dalmaticæ vindicant, ex qua ipſi oriundi & profecti ſunt; ejuſque memoriam marmori impreſſam ſervant. In Palatio Prætorio ſupra januam Ærarii publici effigies Æſculapii egregie ſculpta viſitur cum inſtrumentis, quibus medici utuntur, pulcherrime cælatis, & cum hac Inſcriptione.

Munera Diva Patris q. Sola Apollis Artes
Invenit Medicas P. Secl. qnq Septas
Et docuit Gramen qd. ad uſum qq valeret
Hic Eſculapius Celatus Gloria noſtra
Raguſii genitus voluit quem grata Relatum
Eſſe Deos inter veterum Sapia patrum
Humanas laudes ſuperet Rata q. omnes
Quo melius toti nemo quaſi profuit orbi.

Romana urbis monumenta.

Poſt Gentium poſtremum Illyriorum Regem devictum captumque, anno ante Chriſtum 168, & Scodram, ſedem, atque arcem totius Regni, ad deditionem compulſam, omnis illa regio, quæ Naroni, Drilonique fluminibus interjacet, ſimul cum Epidauro in jus ditionemque Romanorum conceſſit. In hanc urbem Coloniam Romanam deductam fuiſſe auctor eſt Plinius lib. 3. cap. 26. *A Narone amne C. M. P. abeſt Epidaurum Colonia;* ſed vereor, ne nota illa arithmetica mendo ſubſit, cum inter Naronem & Epidaurum duplo minor ſit diſtantia. Extat etiam apud Goltzium vetus inſcriptio:

COL. EPIDAVRVM. LEG. IX.

Hanc civitatem a Romanis habitatam, & cultam fuiſſe monumenta gentis & magnificentiæ Romanæ oſtendunt; veluti aquæductus millia paſſuum fere viginti excurrens in longitudinem, qui e montanis fontibus aquas ſaluberrimas, & copioſiſſimas in urbem devehebat, cujus adhuc extant veſtigia, itemque vetera numiſmata Romanis notis ſignata, quæ paſſim ex agro Epidaurienſi effodiuntur. Adde inſcriptiones Romanas; unam ex ruderibus urbis effoſſam, quæ eſt hujuſmodi in agro nobilis familiæ de Reſtis.

P. CORNELIO. DOLABELLAE. COS.
VIIVIRO. EPVLON. SODALI. TITIENSI.
LEG. PROPR. DIVI. AVGVSTI.
ET. TI. CAESARIS. AVGVSTI.
CIVITATIS. SVPERIORIS *
PROVINCIAE. HILLYRICI.

* *al.* Civitates Superiores.

Ajunt præterea ſepulcrum Dolabellæ, ſeu locum ſepulcri apud Epidaurum oſtendi. Duas vero ad portum Epidauri in rupe quadam inſculptas, nunc vero ſeu vetuſtate, ſeu fluctibus maris rupem verberantibus, ſive denique aeris ſalſugine exeſas hic profero inſcriptiones, quæ antequam litteris omnibus abraſis prorſus evaneſcerent, indidem exſcriptæ fuerunt, & in Codicem Statutorum Raguſienſium relatæ. Sunt autem hæ nuperrime editæ a Michaele de Sorgo in notationibus ſubjectis Commentariolo Ludovici Cervarii Tuberonis de origine & incremento urbis Rhacuſinæ, ab ſe typis Rhacuſinis evulgato an. 1790.

LARTIDII. RECEPTA.
CLARIDI. CRISPI.
COH. VIII. VOLVNT. ANN.
XXVII. PATRONVS. POSVIT.
H. S. E.

TERTIA.
ISMARNIENSIS.
ANN. XL.
H. S. E.

Has præterea adjicio, quas ex eodem Michaele Sorgo, & aliunde potui colligere.

In horto PP. S. Franciſci Epidauri vetus lapis in fulcrum menſæ adhibitus.

P. MARCIO
PETROM
MESSIANO
VARIVS FES
TVS HERES
EX TESTAM
POSVIT
M. D. D. D.

In pariete cujuſdam domus Epidauri.

NYMPHIO. CLEPI. HILARIO. CONS. POS.

In Sarcophago perantiquo, quod viſitur Epidauri in veſtibulo ædium Sebaſtiani de Georgiis patritii Raguſini.

EXVPERIVS FORTVNIVS VESTALIS VALERIA
PARENTES PIENTISSIMI EXVPE
RIE FORTVNIE FILIE CARISSI
ME MEMORIAM DEDERVNT
QVE VIXIT ANNIS XXVII. MENSES
TRES DIES XV. SI QVIS VOLVE
RIT SVPER HOC CORPVS PON
ERE INFERET
REIP P. XXXV

In

Digitized by Google

In vico urbis *Poſterla* dicto.

SABINAE. HERME
TIS. N. P. ET. NOVIAE. DO
NATAE. ET. NOVIAE. HERMAE
SABINVS. PER. SVIS. FECIT
DE. SABININO. MIL
COH. VIII. VOL. A. XXII

Alio in loco,

LVSIA MAXIM..,
OPTATE AVIE
PIENTISSIME POSVIT

In pago quodam ditionis Raguſinæ.

D. M.
AELEPIDIAE.
INFELICISSIMAE.
DEF. ANN. XXX.
PAELCASSIANVS
MARITVS
CONIVGI. PI
ENTISSIMAE. POS.

Huc etiam pertinet inſcriptio Aquilejenſis apud Gruterum, ſeu potius Romana, quæ tabulis æneis inciſa viſitur in Ædibus Barberinianis.

IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVG. PONT. MAX.
TR. POT. II. IMP. VI. P. P. COS. III. DESIG. IIII. VETERANIS.
QVI. MILITAVERVNT. IN. CLASSE. RAVENATE. SVB.
SEX. LVCILIO. BASSO. QVI. SENA. ET. VICENA. STIPENDIA.
AVT. PLVRA. MERVERVNT. ET. SVNT. DEDVCTI. IN. PANNO
NIAM. QVORVM. NOMINA. SVBSCRIPTA. SVNT. IPSIS. LIBE
RIS. POSTERISQVE. EORVM. CIVITATEM. DEDIT. ET.
CONVBIVM. CVM. VXORIBVS. QVAS. TVNC. HABVISSENT.
CVM. CIVITAS. EST. IS. DATA. AVT. SI. QVI. COELIBES. ESSENT.
CVM. IIS. QVAS. POSTEA. DVXISSENT. DVMTAXAT. SINGV
LIS. SINGVLAS. &c.

T. IVLI. RVFI SALONIT. EQ. R
P. VIBI. MIMI EPITAVR. EQ. R
T. FANI. CELERIS LADESTIN. DIC
C. MARCI. PROCVLI LADESTIN. DIC
P. CAETENNI. CLEM ENTIS. SALON
P. LVRI. MODERA TI. RISINITAM
Q. POBLICI. CRIS CENTIS. LADEST

Epidaurus ſeptimo ſæculo excisa.

Hæc Civitas, quamvis poſt declinationem Imperii Romani non ſemel a barbaris e Septemtrione in Pannoniam & Macedoniam aliaſque finitimas regiones effuſis, & late terrorem clademque circumferentibus, direpta & vaſtata fuerit, ſtetit tamen, & in priſtinum ſtatum reſtituta floruit ſub imperio Græcorum uſque ad ſæculum ſeptimum; tunc eodem, quo Salona fato, & eadem barbaricorum armorum incurſione impetuque everſa funditus corruit. Nobiliſſimæ urbis Græcis pariter Latiniſque litteris celebratæ nihil ſupereſt, præter rudera, & veſtigia quædam, quæ adhuc viſuntur, & decimo fere ab Raguſio lapide in ortum diſtant, ubi nunc vicus perexiguus, quem vetus Raguſium vocant.

Epidaurus civitas Epiſcopalis Provinciæ Salonitanæ.

Epidaurum fuiſſe Urbem Epiſcopalem certius eſt, quam ut in dubium revocari poſſit; eratque ſubjecta Metropolitæ Salonitano; cujus Archiepiſcopalis juriſdictio Eccleſias omnes Dalmatiæ antiquitus complexa, ab Arſia flumine uſque ad Drilonem, ſive Epirum novam, longe lateque protendebatur. Id docet Thomas Archidiac. cap. VIII. Hiſt. Salonit. *Erat autem Epidaurus Civitas Salonitanæ Eccleſiæ ſuffraganea.* Sed initia Epidaurii Epiſcopatus ignota ſunt. Auguſtinus de Albertis in *Idea generali Cathedralium Europæ* auctor eſt apud Sebaſtianum Dolci in Præfat. ad Seriem Chronol. Antiſt. Raguſ. Eccl. Sedem Epiſcopalem Epidauri conſtitutam fuiſſe anno 265. cui fidem nec adjungere, nec derogare velim. Nomina & Acta Epidaurenſium Antiſtitum, ſi paucos excipias, nimia vetuſtas abſorbuit, & perpetua oblivione obruit; neque ullus eſt ante ſæculum ſextum, cujus nomen proferre poſſim. Anno circiter 365. urbem & Eccleſiam Epidaurenſem nobilitavit, & populis in maximum periculum, atque extremum diſcrimen adductis, præſidio & ſaluti fuit adventus Divi Hilarionis. Hic ſiquidem Draconem portentoſæ cujuſdam magnitudinis, immanem & terrificum, qui hominum pecudumque ſtrages immenſas edebat, imperio ſuo obſequentem præſtitit, & in aridam lignorum ſtruem juſſum conſcendere ſacibus ſubjectis concremavit. Sunt tamen qui putant allegorico ſenſu id eſſe intelligendum de quadam immanis ſerpentis effigie, quam Epidaurii Æſculapio ſacram venerarentur. Per idem tempus ob maximum illum & horribilem terræmotum, quem Idacius ad annum hujus ſæculi octuageſimum quintum refert, mare exæſtuans, inundanſque ingenti undarum mole ad littus Epidaurium impelli devolvique cœperat; & prope jam erat, ut aquis ſuperfuſis tota Civitas obrueretur. Cum cives atque incolæ conterriti, ſupplices Hilarionem adiiſſent, ut opem & auxilium ferret, ille triplex Sacroſanctæ Crucis ſignum in arena deſcriptum procellis inſanientibus objecit, nec mare ultra progredi auſum eſt; & injectum ſibi veluti frenum indignans, tumentes fluctus urbi exitium minitantes compreſſit, eoſque in priſtinos, quos Deus illi & natura præſcripſit, limites revocavit; cunctis, qui aderant, admiratione ac ſtupore defixis. Utrumque miraculum feſtive eleganterque deſcripſit S. Hieronymus in Vita S. Hilarionis. Dubium non eſt, quin Epiſcopus Epidauri, quicumque eſſet per id temporis, Sanctiſſimum Virum ſummo honore exceperit, utriuſque prodigii ſpectator fuerit, pro utraque exitiali calamitate ab ſuo grege depulſa maximas gratias egerit; & eximiam illius ſanctitatem, vimque illam miraculorum effectricem admiratus,

Adventus S. Hilarionis ad urbem Epidauri.

Digitized by Google

cum retinere non poſſet, abeuntem piis lacrymis, magna veneratione, & omnibus officiis proſecutus eſt. Indigenæ Speluncam oſtendunt, quam *Scipum* appellant, altam, obſcuram, vaſtoque immanem hiatu, quæ aquas perennes & copioſas ad uſus incolarum ſuppeditat. Hinc exitialem illam & feram belluam juſſu, & imperio S. Hilarionis eductam, perductamque uſque ad eum pagum, quem *Moletrinas* vocant, quique itinere terreſtri ter mille, & quingentos paſſus, maritimo bis mille ab Epidauro diſtat, ibique exſtructa pyra combuſtam, ibidemque ad memoriam ſempiternam cæſi Draconis, tantæque peſtis & calamitatis divinitus depulſæ, Templum in honorem cultumque D. Hilarionis, quod adhuc extat, ædificatum fuiſſe ajunt. Huc Epidaurii ſingulis annis, ſtato die, pia ſupplicatione adire, & cum illis paganis, recordationem accepti beneficii, hymnis, & canticis, animiſque gratiſſimis proſequi, & recolere conſueverant; nec vero ante ſolis occaſum domum redibant; & cum alii ſeorſum ab aliis breviſſimum illum maris tractum, parvis navigiis devecti tranſmitterent, nocte ingruente, coorta interdum tempeſtate, ſæpe naufragia fiebant, aut certe periculum erat, ne vi impetuque ventorum naviculæ in ſaxa & ſyrtes impellerentur: quam ob cauſſam paucis ante annis pia illa conſuetudo intermiſſa fuit; neque Epidaurii illuc adeunt; ſed tam hi, quam illi, qui apud Moletrinas habitant, conjunctis quidem animis, ſed disjunctis corporibus, eumdem votivum diem anniverſariis ſupplicationibus, ſolemnique gratiarum actione concelebrant. Bommanus in Hiſtoria Dalmatiæ a ſe Itala lingua deſcriptæ autumat, draconem ab Hilarione cæſum fuiſſe ex illa anguium ſpecie, quos Slavi Kravoſijaz appellant; ſed abeſt a vero ejus opinio, cum tantæ magnitudinis non ſint, ut terrere queant hominum turbas, & vix integrum palumbem uno oris hiatu deglutiant.

Duo Epiſcopi ſæculi ſexti.

Primus Epidauri Epiſcopus, cujus nomen memoriæ proditum eſt, Fabricianus fuit, qui anno 530. ſub Honorio III. Salonarum Archiepiſcopo, Synodo Provinciali interfuit, ejuſque Acta & decreta ſua ſententia & ſubſcriptione approbavit; nomen ſuum inter Joannem Siſcianæ, & Conſtantinum Scardonitanæ Eccleſiæ Epiſcopos interpoſuit: *Fabricianus Epiſcopus Eccleſiæ Epitauritanæ ſubſcripſi, ut ſupra.*

Fabricianum e vivis ſublatum excepit Paullus, ut mihi videtur, cujus itidem nomen Concilio ſecundo Provinciali ſubſcriptum reperitur, quod idem Honorius anno 533. Salonam convocavit. Nomen quidem Eccleſiæ, cujus erat Epiſcopus, adſcriptum non eſt. Sed ſi in utroque Concilio idem ordo ſervatus eſt in collocandis Epiſcoporum ſubſcriptionibus, ut videtur ſervari debuiſſe, ſicut Fabricianus in primo, ſic Paulus in ſecundo Concilio Provinciali, poſt Jadertinum, Arbenſem, & Siſcianum Epiſcopos, ſuam approbationem nomenque ſubjecit; ex quo conjici poſſe videtur utrumque ejuſdem Eccleſiæ Epidauriæ Epiſcopum fuiſſe.

Tum Florentius Epiſcopus an. 591.

Anno 591. Eccleſiam Epidauri regebat Florentius, quem Natalis Metropolita Salonitanus, de criminibus neſcio quibus acculatum, neque convocato Epiſcoporum Provincialium Concilio, neque cauſſa rite cognita, e Sede Epiſcopali dejectum exilio mulctavit, contra quam Canones præcipiebant, qui vetant quemquam Epiſcopatu antea privari, quam de criminibus, quæ illi objecta eſſent, quæſtione habita, & gravium virorum teſtimonio convictus, & Concilii Provincialis judicio damnatus fuiſſet. Extat Canon 12. Concilii Carthaginienſis, quo ſancitum eſt, ut de cauſſis criminoſis Epiſcoporum Epiſcopi non minus duodecim judicarent: *A tribus vicinis Epiſcopis, ſi Diaconus eſt arguatur, Presbyter a ſex, Epiſcopus a duodecim Conſacerdotibus judicetur.* Cum igitur de Florentio Epiſcopo præter juris formulam præterque ſententiam Epiſcoporum Provincialium exauctorato Romam Gregorio Magno Summo Pontifici eſſet allatum; is Natalis judicium reſcidit, atque irritum fecit; ſcripſitque ad eum in hanc ſententiam: Florentium Epiſcopum Epidaurium, quem neque juxta Canonica præſcripta, neque rogatis Epiſcoporum ſententiis damnaverat, ab exilio revocandum, ejus cauſſam in Concilio Provinciali retractandam & cognoſcendam eſſe; Antonino Subdiacono, Sedis Apoſtolicæ Apocriſario, ab ſe per litteras mandatum eſſe, ut quæ Natali præcipiebat, omnino exſequenda curaret. Epiſtola Gregoriana cum ſcripta ſit Indictione XI. menſe Novembri, hæc nota chronologica congruit cum anno 592.

Gregorius Natali Epiſcopo Salonitano.

Epiſtola Gregorii Magni ad Natalem Arch. Salonitanum.

Cum cuncta negotia indagandæ ſollicitudine veritatis indigeant, tum quæ ad dejectionem Sacerdotalium graduum pertinent, diſtrictius ſunt trutinanda, in quibus non tam de humanis conſtitutis, quam de divinæ quodammodo benedictionis refragatione tractatur. Quæ res quoque nos in Florentii Epidauritanæ Civitatis Epiſcopi perſona ad exhortationem veſtræ fraternitatis admonuit. Nunciatum ſiquidem nobis eſt a quibuſdam, fuiſſe eum in cauſis criminalibus accuſatum, & nullis canonicis probationibus exquiſitis, nec Sacerdotalis Concilii præveniente judicio, cum ab honoris officio, non jure, ſed auctoritate depoſitum. Quia ergo non poteſt quemquam Epiſcopatus gradu, niſi juſtis ex cauſis concors Sacerdotum ſummovere ſententia, hortamur fraternitatem veſtram, ut præfatum virum ex eodem, in quo detruſus eſt, ejici faciatis exilio; cauſamque ejus Epiſcopali diſceptatione perquiri. Et ſi in his, in quibus accuſatur, canonica fuerit probatione convictus, canonica procul dubio eſt ultione plectendus. Quod ſi alias, quam de eo æſtimatum eſt, Synodali fuerit inquiſitione compertum, neceſſe eſt, ut & criminatores juſti diſtrictionem juris exhorreant, & in criminato innocentiæ ſuæ ſerventur illibata ſuffragia. Executionem vero antefati negotii Antonino Subdiacono noſtro ex noſtra præceptione mandavimus; quatenus ejus inſtantia, & quæ ſunt legibus canonibuſque placita decernantur, & decreta, juvante Domino, mancipentur effectui. Indictione XI. menſe Novembri.

Idem Pontifex Antoninum Apocriſiarium Sedis Apoſtolicæ jubet curare ut Florentio judicium reddatur.

Antoninus Subdiaconus Eccleſiæ Romanæ per eos annos in Dalmatia titulum gerebat, munuſque obibat *Apocriſarii* Sedis Apoſtolicæ, quem Latini *Reſponſalem* vocant. Utriuſque vocabuli Græci & Latini etymologia a reſpondendo ducitur; nam Apocriſarii ſive Reſponſales tum reſponſa Sedis Apoſtolicæ illis, ad quos miſſi fuerant, reddebant, tum quæ ab illis receperant, reſponſa ad Sedem Apoſtolicam referebant. Hos nunc appellamus Nuntios, vel Legatos Apoſtolicos; qui præterea in illis Provinciis, ad quas mittebantur, apud Reges, & quibus in locis hujuſmodi legatione fungebantur,

Digitized by Google

tur, Eccleſiæ Romanæ negotia curabant. Pontifex igitur ad Antoninum litteras dedit eodem anno ac menſe, quo ſuperiores ad Natalem ſcripſerat; eumque dare operam jubet, ut cauſa Florentii Epiſcopi Epidaurenſis ad Synodum Provincialem referatur; & ſi quidem crimina, de quibus accuſatus fuerat, legitime probentur, quam Natalis in eum tulerat, ſententiam exſequendam curet; ſi vero nullius flagitii reus compertus fuerit, ſua illi Sedes, reſque ſuæ reſtituantur.

Gregorius Antonino Subdiacono.

Epiſtola Pontificia ad Antoninum.

Pervenit ad nos Florentium Epidauritanæ civitatis Epiſcopum, præreptis prius rebus ejus, pro quibuſdam non approbatis criminibus, ſine Sacerdotali Concilio fuiſſe damnatum. Et quia non debet is pœnam ſuſtinere canonicam, in cujus damnatione non eſt canonica prolata ſententia, præcipimus experientiæ tuæ, ut Natali fratri & Coepiſcopo noſtro debeas imminere, quatenus ſupradictum virum de eodem ejici faciat, in quo nunc dicitur detruſus, exilio; convocatoque Epiſcoporum Concilio, ſi hæc, in quibus accuſatus eſt, canonice fuerint approbata, præfati Natalis fratris, & Coepiſcopi noſtri volumus in eum proprium robur retinere ſententiam: ſin autem generali fuerit judicio abſolutus, nec eum deinceps cujuslibet præjudicio ſubjacere permittas, & præfatæ res diſtricta tuæ ſollicitudinis reſtituantur inſtantia. Neceſſe eſt ergo, ut quantum graviora talium negotiorum perpendis pondera, tantum ea maturiori vigilantiorique ſtudeas executione complere.

Mors Natalis ſub initium anni 593. conſecuta Concilii Provincialis cogendi, & cauſſæ Florentii retractandæ facultatem ademit. Quinquennium effluxit, antequam Gregorius iterum juberet, de quibus arguebatur Florentius, inquiſitionem fieri, & quæ comperta fuerint ad ſe reſcribi; anno quippe 598. adhuc Florentius exſulabat, ut intelligi licet ex epiſtola Gregoriana XII. lib. VII. ad Sabinianum Epiſcopum Jadertinum, quæ ſcripta eſt menſe Februario Indictione prima. Utraque hæc nota chronologica congruit cum anno 598. Cum Epidaurios magnum deſiderium ſui Epiſcopi teneret, quem falſis criminationibus circumventum, contra jus faſque ſibi ereptum, indicta cauſſa damnatum, atque exſilio mulctatum dolebant, per ſupplices litteras & nuncios Gregorium ſummopere rogarunt, ut Epiſcopum nulli culpæ affinem, urbi & Eccleſiæ perutilem ac neceſſarium ſibi reſtitui juberet, neve Epidaurios Paſtoris ſui, & Parentis amantiſſimi abſentiam diutius ferre pateretur. Pontifex querelas illorum & preces haud negligendas eſſe putavit; ſed antequam eorum poſtulata faceret, nequid inconſulte ſtatueret, de vita & moribus Florentii diligenter doceri voluit, juſſitque Sabinianum Epiſcopum Jadrenſem ſibi reſcribere quid ſentiat de cauſſa Florentii Epiſcopi Epidauritani, quem in exilium a Natali Archiepiſcopo Salonitano per injuriam ejectum Epidaurii querebantur; ſi vero nihil cognitum habeat, in ejus dicta, factaque ſedulo inquirat, ac prout reipſa compererit, ita Pontificem de omni re certiorem faciat, ut ſecluſa neceſſitate cogendæ Synodi Provincialis, de Florentio, quod jus & æquitas poſtulabit, ex iis, quæ ad ſe Sabinianus retulerit, per ſe ipſe, & pro ſua auctoritate ſuprema judicare ac ſtatuere poſſit. Hæc epiſtola Tom. II. Illyr. Sacri inſerta eſt

Nova de cauſſa Florentii inquiſitio,

Actis Maximi Archiep. Salonitani per vim & pactionem intruſi & ſchiſmatici, a cujus conſortio Sabinianus ſe penitus ſegregaverat, & labem ex ejus conſociatione contractam ſalubri pœnitentia eluerat. In extrema epiſtola hæc Sabiniano Gregorius imperavit: *Præterea habitatores Epidaurenſis Civitatis Florentium, quem ſuum eſſe dicunt Epiſcopum, ſibi a nobis reſtituendum ſtudioſiſſime popoſcerunt, aſſerentes fruſtra eum ad ſolam tantummodo voluntatem Natalis quondam Epiſcopi detruſum in exilio. Et ideo quid de ejus cauſa Fraternitas veſtra cognovit, nobis ſuis ſubtiliter epiſtolis innoteſcat. Si autem necdum cognovit, requirat, nobiſque renunciet; ut quid de eo ſtatuendum ſit, certe deliberare, adjutore Domino, valeamus.* Quid vero Sabinianus reſcripſerit, quidve Gregorius de Florentio decreverit, neque ex litteris Gregorii, neque aliunde nobis compertum eſt. & exitus ignotus.

Sunt qui exiſtimant Florentio ſucceſſiſſe Joannem in ſedem Epidauritanam, idque ex litteris Gregorii M. lib. 12. Epiſt. Indict. VII. quarum ſecunda ad Alcyſonum Epiſcopum Corcyrenſem, tertia ad Bonifacium Diaconum agit de Joanne *Epidauriæ*, inquiunt, Antiſtite, qui exſul ab urbe propter ingruentem barbarorum metum, ſecumque D. Donati corpore avecto, cum Epidaurienſi Clero anno circiter 604. Caſſiopum Corcyræ oppidum aufugerat. Sed mendum in Codices irrepſit, tum qui *Epidauriam*, tum qui *Iſauriam*, iique plures, præferunt in Gregorianis Epiſtolis. Hinc Monachi Benedictini e S. Mauri ſodalitate, cum novis curis, & diligenti ſtudio, tum vetuſtiorum Codicum fide & auctoritate emendatiora protuliſſent opera D. Gregorii, in lib. 14. Epiſt. Indict. VII. epiſtolæ ſeptimæ ad Alcyſonum hanc animadverſionem ſubjecerunt: *In excuſis mendoſe* Iſauriæ. *In omnibus Mſs. Angl. Norm. & in Vatic. F. legitur* Euriæ. *In Colbert. Regio & Rem. necnon in tribus Vatic.* Euriſſæ civitatis, *quod idem eſt.* Hoc deprehenderat etiam Lucas Holſtenius in notis adjectis Geographiæ ſacræ Caroli a S. Paullo, & ad Epiſcopatus provinciæ Nicopolitanæ, inter quos Eurienſis, ſubdit; *Apud Gregorium Magnum lib. 12. ep. 2. & 3.* Iſauria *corrupte editum eſt, quod ex Mſ. Britannico corrigendum, ubi* Euria *ſemper legitur.* Euria nunc *oppidum S. Donati* dicitur in veteri Epiro: hujus urbis Epiſcopus fuit Donatus ſæculo IV., idem, qui pridie Kal. Majas, & IV. Kal. Novembris in Romano Martyrologio commemoratur, ejuſque corpus Caſſiopum a Joanne Antiſtite Eurienſi delatum, nunc Venetiis in inſula Muriano, & Mariana æde conditum eſt. Vide Flaminii Cornelii opus de monum. Eccl. Torcell. part. 2. Antuerpienſes vero Hagiologi ad diem triceſimam Aprilis, cum Donatum Epiſcopum Eurienſem a Donato diſtinguere videantur, cujus corporis meminit Gregorius in epiſtolis laudatis, profecto ab rei veritate dicendi ſunt aberraſſe: neque enim alius eſt Donatus, qui Eurienſi præfuit Eccleſiæ, & colitur pridie Kal. Majas, ac is, cujus ſacra lipſana Caſſiopum translata fuere, & feſta commemoratio inſcribitur IV. Kal. Novembr. Hinc Baronii quoque detegitur error tum in Martyrologio Romano ad dies hoſce, tum in Annalibus, ubi ad annum 604. Joannem hunc Epidauritanæ Eccleſiæ Epiſcopum attribuit. Igitur hoc Joanne e Catalogo Antiſtitum Epidaurienſium expuncto, poſt Florentium protrahi

Joannes Eurienſis, non Epidaurienſis Epiſc.

Digitized by Google

oportet Interregnum Episcopale ad annum circiter 630. Epidauri excidio insignem, quo alius hoc nomine Joannes, idem postremus Epidauri, ac primus Ragusii Episcopus fuit. In serie autem Epidaurienſium Episcoporum hos tantummodo licet recensere,

Anno 530. Fabricianus,
532. Paullus,
591. Florentius,
630. circ. Joannes, idemque postremus.

Epidauri excidium.

Annus 639. idem qui Salonæ urbi celeberrimæ, Epidauro etiam supremum exitium attulit; iidem barbari, ideſt Avares & Slavi ex regionibus trans Danubium in Dalmatiam infestis agminibus profecti, qui Salonam, Epidaurum quoque funditus everterunt. De Salonæ excidio satis superque dictum est Tom. II. Illyr. Sacri in Theodoro postremo Salonarum Episcopo cap. 2. & 3. Jacobus Luccarus in Annalibus Ragusii, Maurus Orbinus in Commentariis de regno Slavorum, & alii præterea eversionem Epidauri attribuunt Gothis, revocantque ad tertium æræ Christianæ sæculum, & cum ætate Valeriani vel Probi Imperatoris conjungunt. Verum sæculo sexto ad exitum vergente Epidaurum post alias fortasse clades a barbaris acceptas restitutum adhuc stetisse testantur epistolæ supra descriptæ D. Gregorii M., quas de Florentio Episcopo Epidauritano in suam sedem restituendo scripsit. Constantinus Porphyrogenitus cap. 29. de Admin. Imp. a barbaris, quos ipse Slavos vel Avares, & modo Slavos, modo Avares vocat, ut Salonam, sic Epidaurum subversam fuisse tradit; quibus itidem aliarum civitatum vastationem, atque interitum adscribit. *Atque hi ipsi Rausæi olim tenuerunt urbem Pitauram nuncupatam, & postea cum reliquæ urbes expugnatæ essent a Slavis* (inter quas Salonam adnumeravit) *hæc etiam urbs ab ipsis expugnata fuit, & civium alii interfecti sunt, alii in vinculis abducti.* Thomas Archidiaconus cladem Epidauritanam Romanis nescio quibus urbe pulsis attribuit: cui tamen, ut antiquitate antecedit, sic etiam auctoritate Constantinum præferendum censeo. Uterque tamen, sicut Salonitanam, sic Epidaurensem calamitatem iisdem fere temporibus innectit, neque alteram ab altera longo intervallo sejungit; Porphyrogenitus siquidem cum imperio Heraclii, Archidiaconus vero cum Pontificatu Joannis IV. conjunxit. Heraclius anno 610. post captum Phocam interfectumque rerum potitus est; & cum imperasset annos fere unum & triginta, e vita decessit v. Idus Martias anni 641. Joannes IV. natione Dalmata anno 639. regimen Ecclesiæ universalis suscepit, & anno proximo Martinum Abbatem in Dalmatiam atque Istriam misit, qui captivos ab Avaribus & Slavis regionis utriusque depopulatoribus redimeret, simulque sanctorum Martyrum corpora injuriis barbarorum prærepta Romam transferret. Biennium præfuit, & eodem, quo Heraclius, anno, sed post mensem ab obitu ejusdem Imperatoris septimum, morte sublatus fuit IV. Id. Octobris. Itaque Pontificatus Joannis cum extremis annis Imperii Heracliani congruit, in quos incidit clades extrema tum Salonitana, tum Epidaurensis.

Epidaurenſium fuga.

Quemadmodum Salonitani, sic etiam Epidaurii, eversa patria, partim ad proximas insulas, partim alio atque alio migrarunt. Joannem Episcopum Epidauri una cum Clero, & nonnullis civibus Burnum confugisse ajunt, quod mihi quidem non fit verisimile. Nam Ptolomæus, & Tabula Peutingeriana, & Procopius de bello Goth. Burnum inter civitates Liburniæ constituunt: Plinius vero, Burnistas cum aliis Liburniæ populis Conventui Scardonitano attribuit. Fortasse Burnum ea urbs erat, quam Strabo *Liburnam* vocavit lib. 7. ac ad Titium fluvium supra Scardonam in Septemtrionem appoſuit: ſed Casaubonus in notis Straboni subjectis, ubi legitur Σκάρδων, Λιβύρνη πόλις, ita censet, locum hunc corrigendum Λιβυρνικὴ πόλις, *Scardona Liburnica civitas*. Burnum nominat Plinius in lib. 3. cap. 22. De Burni Liburnici situ vide, quæ dicta sunt in Tomo I. pag. 154. Idem vero Burnum esse a Plinio commemoratum lib. 3. cap. 22. ac Burnum, a quo Burnistæ cap. 21. ejusdem libri, ex eo convincimus, quod illius positionem constituat *in hoc tractu*, qui Salonam *ab Jadera* CXII. *m. passuum* disjungit, ideoque inter *Liburniæ fines, & initium Dalmatiæ, quod Scardona*: equidem præter Titium amnem in occiduum solem haud inde plurimum absunt vetusta urbis rudera in Buchovizzæ planitie; ibique Burnum situm olim fuisse gravis est conjectura, quippe locus hic ultra Scardonam, & ad Titii dexteram cum positione in Tabula Peutingeri descripta, & cum Procopii testimonio optime convenit. Igitur idem Burnum est, quod Plinius cum Tribulio & Andetrio conjungit cap. 22. lib. 3. cum oppido Burnistarum, de quibus cap. 21. Ne vero putemus, Burni nomen veluti loco non suo insertum male in hoc caput 22. irrepsisse Codicum vitio, uti in Tomo I. pag. 154. & 156. suspicati sumus, omnino vetat Pliniana editio Harduini diligentissime perfecta, & pererudite illustrata; in eaque Burnum cum Tribulio, & Andetrio conjunctum legimus cap. 22., quin propterea necesse sit, aliud ejusdem nominis oppidum in ipsa Dalmatia comminisci, cujus positio prorsus ignota est. Atque ex hisce minime credibile fit, Joannem cum Epidauriis longinquam adeo fugam in Liburniam usque arripuisse. Ceterum ab Epidauro non ita procul visuntur quædam rudera, & vestigia partim demersa in mare, partim litori superstrata cujusdam Castelli, quod Burnum appellatum fuisse affirmant Ragusini situm in provincia Breni, atque illuc post patriam eversam plerosque Epidaurensium cum Joanne Episcopo se contulisse ajunt. Siquis vero aut conjecturæ, aut suspicioni locus, ego quidem veri simile censeo, castellum hoc fuisse Durnium, de quo Livius lib. 44. cap. 3., *Burnum* corrupto vocabulo postea dictum, & in Caviis situm: hæc autem mihi suspicandi ratio: Gentius quippe Illyriorum rex, ut ait Livius, copiis *ad Bassaniam urbem quinque millia ab Lisso* ultra Drilonem in Boream ductis, fratrem *in Caviorum gentem vi aut terrore subigendam* misit: & hic Gentium post obsidionem Bassaniæ, quam Doujatius in notis Livianis ad ostia Drilonis constituit, *Caravantium in Caviis Durnium oppidum advenientem benigne accepit*; hinc conjicimus, & Cavios & Durnium in eadem Illyrici ora collocandum, ubi Bassania, sed ultra Rhizonicum sinum, & ad fines Canaliticæ, quam modo appellant, regionis: fallitur enim Doujatius, qui Caravantim urbem aliam, a qua Gentius excluſus fuit, Istriæ, ac Pannoniæ conterminam fuisse autumat, quo longe nimis Gentium

tium progredi vetabant inſtantes a tergo Romanorum duces circa Apolloniam & Dyrrhachium caſtrametati, quibuſcum is tum bellum gerebat. Propterea uti Durnium, ita Caravantim & Caravantium Caviis adſcribimus, Cavios vero populis tertii Naronenſis Conventus, licet in Tomo I. pag. 165. incertam iiſdem ſedem attribuerimus. Hos cum Ceraunis Plinii lib. 3. cap. 22. ejuſdem Conventus populis Doujatius permiſcet. Atque hæc per conjecturam propoſita aliorum judicio relinquimus definienda. Seraphinus Razzius in Hiſtoria Ms. Archiepiſcoporum Raguſienſium ait, Joannem Epiſcopum longius a mari Tribulium ſe contuliſſe; reor, Tribunium, vulgo Trebignem, ab ipſo intelligi, nam de Tribulio Liburnico eadem eſt, ac de Burno, a rei veritate diſſimilitudo; ibi vero, ſubdit, Sedem Epiſcopalem Epidauriam collocatam, quæ deinde, ut ait, Diocleam, poſtea Mercanam, tandem Raguſium migravit. Sed præterquamquod cladem ſupremam, everſionemque Epidauri ad nonum 454. revocavit, multiplices ſedis Epidauriæ translationes confingens multa turbat ab hiſtoria & chronologia diſſentiens, ut paullo poſt declarandum erit. Idem Razzius in Hiſtoria Raguſina anno 1595. Lucæ vulgata, cum Epidaurum a Saracenis, & Gothis, ſive Slavinis terra marique obſeſſam, & expugnatam, dirutamque ſcripſiſſet, atque Epidaurios Burnum confugiſſe, ibique ſedem locaſſe, ædificationem Raguſii in annum 526. conjecit, & Polimiro, ſeu Paullimiro Regi Serblorum attribuit, qui annis amplius trecentis poſterior fuit; nec minus ſunt improbanda, quæ Luccarus in Annal. Raguſinis congeſſit hac ſuper re; quorum errores ex iis, quæ mox diſſeremus, facile poterunt deprehendi.

Raguſium ædificatur.

Salonitani, cremata patria, & domo profugi, ac navigiis alii alio devecti partim inſulas e regione proximas, veluti Olyntham, nunc Soltam, Bractiam, & Phariam, partim vero ab littore Salonitano longius disjunctas, veluti Corcyram Melænam, Melitam, & ſcopulos illos, qui oræ Epidaurienſi adjacent, tenuerant, & plerique ad eadem loca maritima devenerant, quo Epidaurii eadem, qua Salonitani, Avarica clade perculſi, & patria extorres ex fuga ſe receperant; ubi utrique tum victus parandi, tum rerum aliarum ſocietatem inter ſe coierunt. E Salonitanis, qui huc confugerant, principes erant, ut docet Porphyrogenitus, *Gregorius*, *Arſaphius*, *Victorinus*, *Vitalius*, *Valentinus Archidiaconus*, *Banentinus pater Protoſpatarii Stephani*. Hi exemplo popularium ſuorum, qui ex inſulis littori Salonitano objectis, ubi vitam inopem, & ærumnoſam degebant, in patriam reverſi, cum eam incenſam, & funditus everſam reperiſſent, nec ſatis ab Avaribus tutam, ſedes ac domicilia collocarunt in Palatio Diocletiani, ex quo nova civitas condita, & Spalatum appellata; auctores fuerunt tum Salonitanis fugæ ſociis, tum Epidauriis exſulibus, ut, relictis inſulis, quæ parce & maligne victum præbebant, ad Continentem redirent, & locum opportunum, ac tutum quærerent novæ urbi condendæ, quæ utriſque communis patria eſſet, & fortunæ miſeræ atque jactatæ portus ac perfugium. Horum auctoritas apud exſules valuit, & lembis in patrias oras revecti, convocatiſque civibus, quos fuga in loca mediterranea alio atque alio diſpulerat, ſenis maritimis fere millibus paſſuum ab Epidauro locum præcelſum & præruptum ceperunt, quo tutiores eſſent ab incurſionibus & injuriis barbarorum, ibique caſtrum inædificarunt, quod ex ipſo ſitu & natura loci præcipitis & ſaxoſi *Lauſium*, ſive *Rauſium*, deinde *Raguſium* appellatum eſt, ut perhibet Conſtantinus Porphyrogenitus, qui primordia Civitatis Raguſinæ Epidauriis ac Salonitanis attribuit. *Urbs Rauſium non appellatur Rauſium latina lingua, ſed quia in locis præruptis poſita eſt: præcipitium Græce vocatur* Λαὺ, *unde inhabitantes nuncupati ſunt Lauſæi*, ideſt *præcipitium inſidentes. Communis vero uſus, qui ſæpe litterarum commutatione nomina corrumpit, commutato nomine Rauſæos appellavit. Atque hi ipſi Rauſæi olim tenuerunt urbem Epidaurum nuncupatam; at poſtea cum reliquæ urbes expugnatæ eſſent a Sclavis, qui in hoc Themate ſunt, hæc etiam urbs ab ipſis capta fuit, & civium alii quidem interfecti fuere, alii vero in vinculis abducti. Qui autem fuga ſalutem invenire potuerunt, loca præcipita inhabitarunt, ubi nunc urbs eſt, primo exiguam illam ædificantes, & poſtea illam iterum majorem, mox rurſum, & quartum paullatim aucta multitudine pomœria protulerunt. Ex iis autem, qui aliunde demigrarunt Raguſium, hi ſunt Gregorius, Arſaphius, Victorinus, Vitalius, Valentinus Archidiaconus, Banentinus pater Protoſpatarii Stephani.*

Sunt qui docent locum illum præruptum, in quo locata ſunt fundamenta hujus nobiliſſimæ civitatis, undique mari circumfuſum, & ante adventum utriuſque gentis Epidauriæ & Salonitanæ habitatum fuiſſe: quod non eſt vero abſimile; deinde autem anguſtiſſimum illud fretum, quo ab continente disjungebatur, jactis in altum molibus, ac terra ſuper ingeſta oppletum fuiſſe, & inædificatis prolatiſque ædificiis ab hac parte urbem amplificatam. Poſt ſæculum XI. ferunt, novis circum mœnibus urbem ipſam cinctam, & duobus incluſis oppidis, quorum alteri *Cuſtaræ* nomen, alterum *Caſtrum S. Nicolai de Campo* dictum, magno terræ ſpatio auctam fuiſſe; idque memoriæ proditum vetuſtis hiſce carminibus, quæ leguntur in Hiſtoria Raguſina a Nicolao Ragnina deſcripta ſæculo XVI.

Diruta ſunt mœnia caſtrorum magno triumpho
Quæ minabantur magna vetuſtate ruinas
Caſtrorum, quorum nunc nomina ſcripta ſubaudis.
Lauſium unum eſt; Cuſtaræ altera tellus;
Tertium eſt Caſtrum S. Nicolai de Campo.
Hæc tunc nomina erant, nunc ſunt ſine nomine terræ.

Ex hujus nata auſpiciis iſta inclyta Ragus
Imperium terris Dalmæ æquavit Olympo,
Ternas quæ una ſibi muro circumdedit arces.

Romanos cum Epidauriis Raguſium ædificaſſe tradit Archidiaconus,

Thomas Archidiaconus cap. 8. a Romanis, ut Epidaurum captam & dirutam, ſic Raguſium conditum affirmat; qui cum indigenis ſocietate inita hanc urbem ædificarunt; & utrique legum, & rerum publicarum communione, in populi unius corpus coaluerunt: *Per idem tempus quidam advenæ, ut ferunt, Romana urbe depulſi, non longe ab Epitauro ratibus applicuerunt. Erat autem Epitaurus Epiſcopalis Civitas Salonitanæ Eccleſiæ ſuffraganea, quod ex Epiſtola B. Gregorii Papæ conjicimus, quam miſit Natali Archiepiſcopo Salonitano, arguens ipſum, quia abſque auctoritate Synodali quemdam*

dam Florentium Epitauritanæ Eccleſiæ Epiſcopum pro quibuſdam injectis criminibus, ſed non probatis depoſuerat . . . Prævocati ergo advenæ ſedem ſibi in illis partibus collocantes, Civitatem Epitaurum ſæpe impugnantes, nimium attriverunt, attritamque cæperunt, & captam in ſolitudinem redegerunt. Homines autem cum eis permixti ſunt, & facti ſunt populus unus. Ædificaverunt Raguſium, & habitaverunt in eo. Ex eo tempore conari cæperunt pallium ſuo Epiſcopo obtinere. Qui cum Epidauriis indigenis Raguſium extruxerunt, vel certe habitarunt, quamvis teſte Porphyrogenito Salonitani fuerint, eos tamen Romanos ab Archidiacono non inepte aut temere appellari potuiſſe facile conceſſerim; ſed ab his Epidaurum oppugnatam & captam eſſe ut pernegem, compellor auctoritate Porphyrogeniti, quæ mihi ſane potior eſſe debet. Huc pertinent quæ a nobis dicta ſunt Tomo II. Illyr. in Theodoro poſtremo Salonitarum Antiſtite cap. IV. §. v., atque inde hic rurſus exſcribenda cenſeo. Romanam urbem, qua depulſos fuiſſe ait advenas illos, qui ad littus Epidauro proximum rates applicuerunt, Salonam fuiſſe arbitror; quippe in antiquis monumentis, unde hæc deſcripſit Archidiaconus, advenas eoſdem Romanos denominatos eſſe invenerat; quo quidem vocabulo Dalmatas oræ maritimæ accolas appellari ſolitos fuiſſe tradit Porphyrogenitus, quod ab illis Romanis originem ducerent, quorum coloniis Diocletianus, cum reliquas urbes Dalmatiæ, tum potiſſimum Salonam oppleverat, quinimmo ante Diocletianum Plinius Salonam appellavit Coloniam Romanam. Veteris hujus appellationis, quæ jamdudum deſuetudine exſoleverat, ignarus cum eſſet Archidiaconus, ne ſuſpicari quidem potuit aliunde Romanos illos advenas, quam ex Italia, & urbe Roma in exilium pulſos, tranſvectoſque in Dalmatiam fuiſſe: niſi forte in vetuſtis codicibus repererit Salonam ipſam dictam eſſe urbem Romanam ab Romanorum familiis, quibus olim referta erat, & habitabatur frequentiſſime. Utcumque res ſe habeat, certe advenæ illi, qui cum Epidauriis ad Raguſium vel condendum vel amplificandum operam contulerunt, alii non erant, teſte Porphyrogenito, niſi Salonitani, quos ex antiquo & adventitio vocabulo Romanos rite appellaveris. Illi ſiquidem patria ab Avaribus incenſa depulſi & profugi ad inſulas ſe receperant. Sed poſtea inſularis illius & ærumnoſæ commorationis pertæſi, melioris fortunæ cupiditate ac ſpe impellente, cum Epidauriis ad littus navigiis devecti Raguſium condiderunt. Quod vero idem Archidiaconus ſcripſit Epidaurum ab illis advenis Roma expulſis, ideſt Salonitanis, oppugnatum & captum eſſe, id longe abeſt a veritate; nam neque veriſimile eſt exſulibus ac profugis tum inſtrumenta bellica, tum vires copiaſque tantas fuiſſe, ut munitiſſimam urbem expugnarent; & Porphyrogenitus aperte docet ab iisdem Slavis, qui cæteras Dalmatiæ urbes diripuerant, & vaſtaverant, Epidaurum captam, & civibus vel occiſis, vel conjectis in vincula, vel fuga dilapſis, dirutam fuiſſe. Slavorum autem vocabulo Abares etiam complexum eſſe Porphyrogenitum diximus, qui everſores illos Salonæ depopulatoreſque Dalmatiæ nunc Abares, nunc Slavos promiſcue & communiter appellat. Ac Porphyrogenitus quidem nullum locum nominatim deſignat, unde proxime venerint Salonitani illi conditores, vel amplificatores Raguſii; ſed cum Archidiaconus navibus eos advectos eſſe doceat, conſtat ex inſulis veniſſe, ad quas poſt patriæ excidium confugerant. Neque tamen ex Porphyrogenito ſatis liquet, utrum exſules illi Salonitani cum Epidauriis Raguſium condiderint, an vero poſt urbem conditam ſupervenerint, eamque frequentia incolarum auxerint, & domiciliorum acceſſione dilataverint. Sed Archidiaconus tradit advenas Romanos, ideſt Salonitanos, una cum Epidauriis Raguſium ædificaſſe, & utroſque communium legum & Magiſtratuum deſcriptione, in populi unius corpus coaluiſſe. Inter conditores, vel amplificatores Raguſii quoſdam e Salonitanis vel genere vel dignitate primarios nominatim percenſet Porphyrogenitus, videlicet *Gregorium*, *Arſaphium*, *Victorinum*, *Vitalium*, *Valentinum Archidiaconum* (ſcilicet Eccleſiæ Salonitanæ), *Banentinum* (*Balentinum*, ſive *Valentinum* legendum cenſet Bandurius) *patrem Protoſpatarii Stephani*. Hos quippe patria Salonitanos fuiſſe Anſelmus Bandurius collegit ex verbis proxime ſubjectis: *ex quo autem cives Salonitani Rauſium demigrarunt &c.* quibus hanc animadverſionem appoſuit: *Hinc manifeſto liquet recenſitos a Porphyrogenito paullo ſuperius viros, qui Raguſium demigrarunt, fuiſſe cives Salonitanos.* Cæterum vel ipſe Archidiaconus ſubobſcure indicat Salonitanos advenas, cum indigenis Epidauriis, conditores fuiſſe Raguſii, cum hæc ſubjecit: *Ex eo tempore conari cæperunt* (Raguſini) *pallium ſuo Epiſcopo obtinere.* Quo enim jure, quibuſve argumentis innixi Epidaurii habitatores novæ illius urbis petere audebant, aut poterant, ut Archiepiſcopus ſibi, ſuæque recenter conditæ civitati daretur? Non id exigebat Sedes Epiſcopalis Epidauria Raguſium translata, cui nihil ornamenti, ſplendoris, opulentiæ ex hujuſmodi translatione accreverat, quin potius multum decreverat; vel nobilitas & amplitudo Raguſinæ urbis, quæ tunc quidem, ut rerum omnium initia ſunt exigua, neque propter magnitudinem ambitus, neque propter numerum ædificiorum, aut frequentiam incolarum Archiepiſcopali titulo atque honore digna videbatur. Erant igitur principes illi e Salonitanis, qui cum Epidauriis Raguſium condiderunt, qui jus dignitatemque Metropoliticam everſæ Salonæ patriæ ſuæ ad ſe transferri, ſibique deberi volebant; eamque ob cauſſam de Archiepiſcopatu Salonitano cum popularibus ſuis Spalati conditoribus contendebant. Contra vero illi Salonitani, qui ex Palatio Diocletiani Spalatenſem urbem conſtruxerant, huic civitati Sedem Metropoliticam Eccleſiæ Salonitanæ, ſibique vindicabant; nam quæ civitas in locum Salonæ ſubſtituta, & in hujus territorio poſita erat, eamdem in jura, & decora omnia, omnemque dignitatem Salonitanæ urbis ſuccedere æquum eſſe, ac plane neceſſarium affirmabant. In hanc controverſiam arbiter cum ſumptus eſſet Joannes, cognomento Ravennas, Legatus Sedis Apoſtolicæ, hic ſecundum Spalatenſes ſententiam dixit, idemque primus fuit Archiepiſcopus Spalatenſis; *& ipſi*, ideſt Joanni, ut docet Archidiaconus, *conceſſum eſt a Sede Apoſtolica, ut totius dignitatis privilegium, quod Salona antiquitus habuit, obtineret Eccleſia Spalatenſis.* Huc revoca quæ dicta ſunt Tomo III. in

ſed Salonitanos fuiſſe docet Porphyrogenitus.

Salonitani ex Porphyrogenito vel conditores vel amplificatores Raguſii.

Contentio de Archiepiſcopatu Salonitano inter Spalatenſes, & Raguſinos.

Digitized by Google

in Joanne primo Archiep. Spalatenſium cap. 2. §. 3. Ceterum Salonitani & Epidaurii, qui, ne ſub eodem jure ſolum, ſed etiam nomine, omnes eſſent, ab nova urbe ſe Raguſinos appellari voluerunt, omnia conari ac tentare non antea deſierunt, quam Sedem Archiepiſcopalem ſibi quoque obtinerent. Civitas quippe a parvis orta initiis, alia atque alia loca appetendo, magis magiſque in dies amplificari cœpit, & magnitudine circuitus, operibus munitionibuſque militaribus, pulchritudine ædificiorum & frequentia, commercio, divitiis, numero civium & incolarum eo crevit, ut Metropolis Dalmatiæ ſuperioris haberi dicique potuerit, ac proinde digna videri, quæ titulo & poteſtate Archiepiſcopali decoraretur. Conſtantinus Porphyrogenitus hanc urbem ab ejus primordiis uſque ad ſuam ætatem, ideſt annum circiter 950., quadruplici acceſſione, & incremento auctam atque amplificatam fuiſſe tradit: *Qui autem fuga ſalutem invenire potuerunt, loca prærupta inhabitarunt, ubi nunc urbs eſt, primo exiguam illam ædificantes; & poſtea iterum majorem, tum rurſum, & quartum, paullatim aucta multitudine, pomœria protulerunt.* Joannes Lucius principatum Dalmatiæ ſuperioris Raguſio attribuit ex verbis quibuſdam Porphyrogeniti: *Rauſium in Orientali parte ſitum, a cæteris Dalmatis diviſum, jus quoque ſeparatum habuiſſe innuere videtur Porphyrogenitus; nam ait loco ſupra citato, Salonam tranſiiſſe Rauſium, ideſt loco Salonæ totius antiquæ Dalmatiæ Metropolis, Rauſium partis Orientalis Dalmatiæ maritimæ, quæ Græcis parebat, in Metropolim ſucceſſiſſe*; lib. 1. de Reg. cap. 14. Quod ſic intelligi velim, ut non quidem ſtatim ab ſuis primordiis, ſed tempore procedente, & numero ædificiorum & incolarum aucto, principatum Dalmatiæ Orientalis ſive ſuperioris obtinuerit.

Raguſium Metropolis Dalmatiæ Superioris.

Sunt qui Raguſii ædificationem ad annum 449. revocandam cenſent, ſuæque ſententiæ auctorem citant Conſtantinum Porphyrogenitum, qui cap. 49. de Admin. tradit ex quo Salonitani everſa patria profugi Raguſium migrarunt, quod poſt Epidaurum ab Avaribus & Slavis exciſam conditum fuit, annos ipſos quingentos ad ſuam ætatem numerari: ἀφ' ὃ δὲ ἀπὸ Σαλῶνα μετῳκίσαν εἰς Ραύσιον, εἰσὶν ἔτη φ' μέχρι τῆς σήμερον, ἤτις ἰνδικτιῶνος ἑβδόμης, ἔτους ϛυνζ'. *Ex quo autem ab Salona Raguſium demigrarunt, anni ſunt D., Indictione ſeptima anni 6457.* Annus ab orbe condito 6457. juxta computationem Græcorum, & Indictio ſeptima cohæret cum anno Chriſti 949., quo quidem anno Conſtantinus hæc ſcribebat. Si anno Chriſti 949. annos quingentos adimas, quos, poſtquam Salonitani Raguſium venerunt, & Avares Dalmatiam vaſtarunt, uſque ad ſua tempora effluxiſſe ait Conſtantinus, cladem Avaricam, Salonæ & Epidauri everſionem, Raguſii ædificationem retrahas oportet ad annum 449., Attilæque ætatem; id quod falſum eſſe cum Joanne Lucio aliiſque probatiſſimis Chronologis, & Scriptoribus Tomo II. in Theodoro III. cap. 3. §. 1. oſtendimus. Itaque notam illam Græcam chronologicam, item D. Latinam, vitiatas eſſe oportet; ex quibus annos fere ducentos detrahi neceſſe eſt. His vero detractis, ac tercentis relictis, qui ab irruptione, & clade Avarica ad imperium Conſtantini interceſſerunt; hos numerando retrorſum redibis ad ſæculum ſeptimum.

Mendum chronologicum, & arithmeticum quod in Commentarios Porphyrogeniti irrepſit.

Cum autem anno hujus ſæculi 39. Salona exciſa fuerit, ut loco ſupra laudato Tomi II. demonſtratum eſt, & paullo poſt Epidaurus diruta; Raguſii ædificatio, & Raguſina Salonitanorum migratio ab anno 645., vel proximo ſequenti, dimoveri nequit; utraque enim conſecuta eſt Salonitanam cladem, & Dalmaticam vaſtationem, quam ipſemet Conſtantinus cum imperio Heraclii conjunxit; conſtat autem ex Archidiacono referendam eſſe ad poſtremos annos Imperii Heracliani; ei ſiquidem proxime ſubjecit Pontificatum Joannis IV., qui Maximum Abbatem in Dalmatiam, atque Iſtriam miſit, ut captivos ab Avaribus & Slavis redimeret, ſimulque Sanctorum Martyrum corpora, injuriis barbarorum prærepta, in urbem transferret. Joannes IV. intra finem anni 639. ut cenſet Baronius, vel anno 640., ut exiſtimat Papebrochius, regimen univerſalis Eccleſiæ ſuſcepit, quod cum vita depoſuit, ex Baronio quidem, anno 641. ad exitum vergente, ex Papebrochio autem anno 642. XII. Kalendas Octobris. Heraclius autem anno 641., menſe Martio, imperare ac vivere deſiit. Itaque Pontificatus Joannis congruit cum annis extremis Imperii Heracliani; ex his autem, & ex illo deſumi debet Epocha excidii Salonitani, & Epidaurenſis; nec multis poſt annis Salonitani amiſſa patria profugi, fame & egeſtate ab inſulis depulſi, cum ſe ad continentem retuliſſent, alii Spalatum ædificarunt, alii cum Epidauriis Raguſium condiderunt, vel certe inhabitarunt. Bommanus hiſtoriæ Dalmaticæ nuperrimus ſcriptor Italo ſermone Raguſii ædificationem retulit in an. circ. 640. Si ergo Conſtantinus ab utriuſque urbis everſione, quam cum Imperio Heracliano copulavit, primordia Raguſii repetenda eſſe docet, e migratione Salonitanorum, & Raguſii ædificatione ad ſuam ætatem, atque annum Chriſti 949. non quingentos, ſed tercentos, & paucos præterea annos numerare debuerat, niſi vellet a ſe ipſo diſſentire. Idem ante nos animadvertit tum Joannes Lucius lib. 1. cap. IX. de Reg. Dal. & Croat. tum Anſelmus Bandurius in ſuis animadverſionibus ad lib. de Adm. Imperii. *Cum Porphyrogenitus dicat: ex quo autem Salona tranſiit Raguſium, anni ſunt D. in hunc uſque diem; ex hocque ſibi quodammodo contradicere videatur, & innuere, Salona deſtructa, Salonitanos Raguſium tranſiiſſe, niſi mendum annorum numeri in Codice Porphyrogeniti ponatur, ipſum male ſupputaſſe oportet, ne ad Attilæ tempora ſupra refutata Salonæ deſtructio referatur.* Bandurius vero: *Numerum autem hunc quingentorum annorum, quem ponit Porphyrogenitus ab anno Chriſti 949., quo hæc ſcribebat, ad illud tempus, quo Salonitani Cives Rauſium tranſierunt, corruptum eſſe a librario, vel perperam Conſtantinum ſupputaſſe putat Joannes Lucius; cum Salonæ everſio nullo modo ad Attilæ tempora referenda ſit, utpote quæ ſuperſtes fuit Juſtiniani tempore, maximaque commoda Juſtinian: Ducibus bello Gothico præbuit.* Itaque initia Raguſii in annum 645., vel in proximum conferenda ſunt. Nec vero audiendus eſt Presbyter Diocleates, qui Raguſium a Paullimiro Serblorum Rege conditum fuiſſe tradit, cum is e Romana civitate, ubi tum ejus avus Ratislavus regno expulſus, tum ejus parens Petrislavus extulaverant, in Dalmatiam veniens, regnum avitum recuperavit. Huc revoca quæ ſcripſi-

ab Joanne Lucio & Anſelmo Bandurio caſtigatum.

Opinio Presbyteri Diocleatis rejicitur.

pſimus Tomo III. in Georgio Archiep. Spalat. cap. 1. §. 3. Hujus Paullimiri adventus in Dalmatiam referendum eſſe exiſtimo ad annum circiter 875., cum Raguſium ante annos ducentos & fere triginta conditum, regnante Paullimiro, opibus & copiis, civium numero, nobilitate, imperio, & rerum civilium ac militarium gloria floreret. Ludovicus Tubero Abbas Melitenſis lib. IV. *Comment. de ſuis Temporibus* hæc ſcripſit de Raguſii ædificatione, quam Paullimiro Serblorum Regi falſo attribuit: *Verum natura munitior locus viſus, licet urbis amplificandæ haud ſatis eſſet commodus, ubi nunc Rhacuſa ſita eſt, quoniam præter quam quod editus eſſet, atque magna ex parte præruptus, a circumfuſo inſuper mari pene undique ea tempeſtate in peninſulæ modum alluebatur. Campum enim illud, qui nunc publicis frequens tabernis, rerum venalium forum eſt, poſt conditam urbem, deducto inde humore, conſtratum eſſe conſtat. Rex igitur* (Paullimirus), *priuſquam urbis jaceret fundamenta, arcem in prærultis rupibus, mari ſubjecto imminentibus, ubi nunc Divæ Virginis ædes eſt, ac Monaſterium, quod Sacræ Virgines incolunt, ædificavit, munimentum & adverſus hoſtes futurum, & urbanis facilius in officio continendis; locum Rhacuſani Divam Mariam Caſtellanam vocant ... Ductis deinde duabus muri utrinque brachiis, regionem Poſternam nunc appellatam, & quidquid inde recta ad occidentem Solem editioris loci erat, protenſis munitionibus ad rupes Zephyro objectas, mœnibus circumdat, planitie omni extra munitiones relicta: quam partim ſilva, partim paluſtre ſolum id temporis obtinebant: nam quidquid urbi inde adjectum eſt, id totum poſtea cives aucti fortunis adjunxere.* Urbe condita & habitari cœpta, illuc ſe contulit Joannes Epiſcopus cum Epidauriis, qui cum eo Burnum, vel alio profugerant; ibique Sedem Epiſcopalem Epidauro translatam conſtituit. Hæc ſunt initia Epiſcopatus Raguſini.

Joannes Epiſcopus Sedem Epidauriam Raguſii conſtituit.

In ea Dalmatiæ ſuperioris regione, quæ inter Naronem fluvium, & Sinum Rhizonicum interjacet, Raguſium, civitas æque nobiliſſima atque opulentiſſima, ſita eſt, & longe lateque dominatur. Ab infimis radicibus montis Vergatii partim molli facilique aſſenſu aſſurgit, partim planiſſimo in loco explicata mari aſſidet. Ejuſdem montis in Septemtrionem obverſi, ab tergo imminentis, oppoſitu violentos Aquilones arcet, frontem ſoli fere meridiano exporrigit, eique ſinum aperit ad ejus radios ſuapte natura vitales, objice nullo interpoſito, excipiendos. Nec vero ab ſole æſtivo nimium fervet; quippe vim caloris retundunt, ac refrigerant imbres tempeſtivi, & venti ſubfrigidi, quibus pervium eſt utrumque latus, alterum in ortum, alterum in occaſum ſpectans. Eminet Arx S. Laurentii loco præcelſo, præruptoque impoſita, tum ſitus natura, tum bellicis operibus egregie munita. Urbs ipſa mœnibus, validiſque propugnaculis ſepta eſt, & paſſuum millia fere duo circuitu comprehendit. Adjacet portus non ita magnus, ſed tutiſſimus, firmiſſimo aggere ac vallo clauſus ad fluctus arcendos, vimque procellarum infringendam, qui, oſtio in meridiem atque orientem obverſo, facilem aditum, commodamque ſtationem navigiis cujuſque generis, & magnitudinis præbet. Ab occaſu, in ipſo aditu atque ore portus inſidet Caſtellum, ſive Propugnaculum S. Joannis, cui alterum e regione objectum eſt; utrumque arte atque opere militari ſcienter exſtructum, & omni telorum genere armatum, ad præſidium ipſius portus, atque ad naves hoſtiles repellendas arcendaſque. In receſſu intimo Navale olim erat remis, velis, antemnis, rudentibus, clavis, & armamentis omnibus inſtructum, quæ ad naves ædificandas, reſarciendas, ſervandaſque pertinent. Urbem interſecant viæ plateæque, partim lateribus, partim quadratis lapidibus ſtratæ, quadrivia, & fora venalia pulcherrime deſcripta; quibus aſſident, vel circumjacent opificum tabernæ, & cujuſque generis officinæ, rerum omnium refertæ, quas victus, cultus, veſtitus, uſuſque communis requirit. Nullus eſt vicus, nullus angiportus, quin colatur, & habitetur frequentiſſime. Tota denique civitas vel pulchritudine, & numero tectorum, vel commercio, & divitiis, vel civium & incolarum frequentia, cum præcipuis Italiæ urbibus haud immerito conferri poteſt. Ædificia publica ſumptuoſa ſunt & magnifica, nec minus ornata & venuſta; ædes privatorum, præſertim nobilium, & civium opulentorum, e lapidibus ſectis & politis conſtructæ ad quartam fere contignationem aſſurgunt; interiores parietes aulæis, tabuliſque egregie pictis veſtiti, tecta laquearibus inauratis & verſicoloribus diſtincta, pavimenta marmoreis quadris ſtrata, ſpeciem pulcherrimam præbent. Res familiaris & domeſtica, pro cujuſque conditione, ſatis culta & copioſa; nec deeſt lauta & varia ſupellex, non pretioſa veſtis, non ſumptuoſi menſarum apparatus, non argentea vaſa, ſigna, & inſtrumenta, non famuli vel ad pompam, vel ad uſum, nihil denique eorum, quæ ad decus & ſplendorem nobilium familiarum pertinent, ut Italicam apud Raguſienſes lautitiam, elegantiam, magnificentiam non admodum requiras.

Raguſii poſitio & deſcriptio.

Civitas univerſa quatuor in claſſes diſtributa eſt. Prima conſtat e Patriciis, qui antiquiſſima & defecatiſſima generis nobilitate, haud dubiis teſtata monumentis, gloriantur. Claſſis altera cives ſecundi ordinis complectitur, qui quibuſdam publicis obeundis miniſteriis præſunt; tertia eos, qui honeſte rem quærunt mercaturis. Ad quartam pertinent opifices & navicularii, qui in artibus laborioſis, & ſervilibus miniſteriis faciendis verſantur, iiſque exercendis victum quotidianum ſibi comparant. Summa totius reipublicæ adminiſtratio in Patricios & Optimates incumbit, penes quos ſupremum jus eſt, & arbitrium jubendi, vetandi, & regendæ civitatis, omni ad Senatum, & primarios magiſtratus aditu tum plebejis, tum civibus ſecundi ordinis intercluſo. Eſt enim Reſpublica Raguſienſium perfecta Ariſtocratia; quam ipſi urbis conditores præclare fundatam, ſapientiſſimis legibus inſtructam, & cujuſque extraneæ dominationis immunem poſteris tradiderunt; hi vero tum copiis atque opibus domi foriſque auxerunt, tum in eadem, in qua nata fuerat, libertate perpetuo conſervarunt. Deſcriptio magiſtratuum majorum & minorum ea eſt, ut nihil aptius, nihil ſollertius, nihil ad normam optimi regiminis magis accommodatum excogitari poſſit. Triplex eſt publicum Civitatis Conſilium; ſummum & majus, conflatum ex omnibus Patriciis annum ætatis duodeviceſimum prætergreſſis, penes quos leges ferendi, & magiſtratus creandi poteſtas eſt. Conſilium

Ariſtocratia Raguſina.

Digitized by Google

silium minus & infimum constat ex Rectore urbis, & olim undecim, nunc septem Senioribus, delectis ex totidem familiis Patriciis, quorum est legationes Regum excipere, & audire, Legatos ad Reges mittere, advenis, naviculariis, mercatoribus judicium reddere, viduas, & orphanos ab injuriis prohibere; si qua inter viros nobiles oritur discordia, eos inter se conciliare, regendis moribus civitatis præesse, & in homines otiosos vitiisque deditos censoria severitate animadvertere. Utrique interjectum, & intermedium est Consilium Rogatorum, sive Senatus, qui de rebus publicis consuli, & sententiam rogari solent; penes illos belli ac pacis arbitria sunt, & jus summum de rebus gravioribus decernendi. Complectitur viros Patricios septem & quadraginta, cum Principe civitatis; jus illud adeundi, & sententiæ dicendæ habent septem Consiliarii minores, de quibus supra, tres Provisores, quatuor Judices criminibus plectendis, & quatuor controversiis civilibus dirimendis præpositi. Horum magna est auctoritas, ab eaque appellari non licet; contra vero ad eos appellandi jus est cuilibet a cujusvis magistratus & judicis sententia. Ex his deliguntur, qui Armamentario præsunt, qui rem militarem administrant, qui stipendia militibus solvunt, qui tributa imperant, exigunt, in ærarium publicum inferunt, luxus immoderati, pomparum, conviviorum licentiam coercent. Jus habet Consilium Rogatorum nominandi duos Episcopos ditionis Ragusinæ, Tribunienſem & Stagnenſem, Omnibus dignitate locique primatu antecedit, qui primariam civitatis ac totius Reipublicæ personam sustinet, primum *Comitis*, deinde *Rectoris* titulo præditus; & *Princeps*, sive *Dux* rite appellari potest. Ad eum pertinet convocatio Consilii Majoris, eique præsidet, & de quibus consulendum ac decernendum sit, ad Patres refert. Penes ipsum asservantur claves civitatis, & sigilla publica. Tabulæ vero, in quibus Slavonice, vel Latine, vel Italice descripta sunt bella antiquitus gesta, fœdera, pacta, conventa olim inita cum Regibus, & Dynastis Slavoniæ, Serbliæ, Bosnæ, Hungariæ, & cum Regibus Turcarum, itemque horum omnium Privilegia Ragusinis concessa, servantur in arcano Tabulario. Huic potestas olim erat amplissima; sed ne communi libertati officeret, neve in aliquam tyrannidis speciem desciscceret, valde diminuta fuit, & angustissimis finibus circumscripta, Inferiorum magistratuum numerus ingens est, nec facile iniri potest. Sunt enim qui urbis custodiæ, qui nocturnis excubiis, qui militiæ, qui armamentario, qui salinis, qui opificiis, qui aquæductibus, qui ærario sacro & profano, qui negotiationi maritimæ ac terrestri, qui foro rerum venalium, qui sanitati tuendæ, qui annonæ curandæ, qui controversiis civilibus dirimendis, qui maleficorum caussis cognoscendis, qui portoriis exigendis, qui ædificiis publicis reficiendis præsunt; nulla denique res est sive ad communem, sive ad privatam utilitatem pertinens, cui duo vel plures Præsides, seu Curatores, & plerique ex Ordine Patricio, constituti non sint. Hujusmodi autem Magistratus fere annui sunt, & suum cuique munus apte sciteque descriptum ac dispositum est. Hæc & alia ejusdem generis plura Jacobus Lucarus in suis Annalibus. Hujus publicæ administrationis, & descriptionis si qua deinde immutatio facta fuerit, mihi est ignota; hoc tamen affirmo vix aliam Rempublicam fuisse, aut sapientius institutam, aut exemplis ditiorem, aut priscæ ac veteris disciplinæ magis tenacem; in quam nondum, quæ propemodum ubique dominatur, cupiditas rei privatæ magis, quam publicæ augendæ, licentia opinandi & agendi, vivendi & peccandi immigravit. In ea omnium virtutum documenta in illustri monumento proposita intueri licet; unde tibi, familiæ, civitati tuæ, quod imitere capias; pro varietate temporum, quod ex usu futurum sit, petas; quod denique turpe & exitiosum est, discas & vites.

Rectoris seu Principis civitatis dignitas, & officia.

Fines Imperii Ragusini.

Imperium Ragusinum fere ab ostiis Naronis, unde initium ducit, usque ad sinum Rhizonicum protenditur; peninsulam Nesti, nunc Stagni, insulas Lagustam, sive Augustam & Melitam, Jupanam & Calamotam, & quæ his duabus interjacet, Insulam *mediam* complectitur. His adde tres exiguas insulas, Chromam, sive Lacromam, & Mercanam, & Bobaram, plures itidem scopulos vel nullis vel paucis focis habitatos. Ad singulas insulas regendas totidem Prætores, seu Præfecti, Comitum titulo insigniti, ex ordine Patricio eligi solent. In ora continenti Ragusienses possident hæc oppida, sive castella maritima vel mediterranea, Canalium, Ragusium vetus, sive Epidaurum, Breuum, Umblam, Portum S. Crucis, Malphum, Vallem nucis, Canosam, Parvam Silvam, Slanum, & alia multa cum villis, quæ circa sunt, vel adjacent. His oppidis custodiendis tuendisque Comites seu Præsides, suus cuique præpositus. Terrestribus, ac præsertim maritimis copiis valebant Ragusini vel plurimum; & multa bella cum finitimis populis, cum Regibus ac Dynastis Bosinæ, Serbliæ, Rasciæ, æquali marte gesserunt, quibuscum etiam fœdera & pactiones æquis conditionibus fecerunt. Sæculo decimo sexto Maurus Orbinus, qui intra finem ejusdem sæculi floruit, iis viribus atque opibus Ragusienses præditos fuisse tradit, ut si quod bellum ingrueret, centum justæ magnitudinis naves, præter alia minora navigia, instruere atque armare, militum vero quina, aut sena millia conscribere potuerint. Naves amplius tercentas partim proximo, partim superiori sæculo, vel Carolo V. Imperatori ad expeditionem Tunetanam, vel Regibus Hispaniæ ab Ragusinis auxilio missas fuisse ajunt: ex urbe Ragusio 55. ex insula Calamota 7. ex Insula media 38. ex insula Jupana 17. ex oppido Slani 32. ex oppido S. Crucis 3. ex veteri Ragusio, sive Epidauro 2. ex Peninsula Stagni multo plures, & alias ex aliis Ragusinæ ditionis oppidis, omnes omnino ad tercentas. Nunc vero his pacatis temporibus alunt militiam satis copiosam; alii sunt milites Prætoriani, quibus palatii publici, Principis, & Senatus custodia commissa est; alii sunt milites præsidiarii, qui ad excubias agendas, partim ad januas urbis, & super mœnia locati, partim divisi per castella, ac distributi, suam quisque stationem tuentur.

Copiæ Ragusienſium terrestres & maritimæ.

Multis Regibus & Dynastis duriore fortuna conflictatis, expulsis, omnique dominatu exutis hæc civitas sæpissime perfugio fuit; quos Ragusini suis copiis & auxiliis adjutos in pristinum, ex quo dejecti fuerant, rerum suarum florentissimum statum restituerunt. Alios praterea primariæ nobilitatis viros, capitalium cri-

Ragusium Regibus & Dynastis expulsis perfugium fuit.

Digitized by Google

criminum sive suspectos, sive reos, cum se in fidem ac clientelam Ragusiensium contulissent, ne ipsis quidem Regibus, reposcentibus ad quæstionem, vel supplicium, tradere voluerunt; neque antea dimittere, quam eorum saluti ac libertati cautum fuisset, vel fideli custodiæ commendassent, qua septi munitique in alias regiones ab omni periculo tutas se transferrent. Tanti fuit semper apud Ragusinos fides publica, & auctoritas Imperii; quam ut violarent, aut imminuerent, nec prece, nec gratia, nec metu potentissimorum Regum ac Dynastarum umquam adduci potuerunt. Sed in eo potissimum magnificentia Ragusiensium, amplitudo ac dignitas civitatis explenduit, quod multi Reges ac Principes viri, & præsertim Richardus Angliæ Rex, Hierosolymitana expeditione perfunctus, & Sigismundus Rex Hungariæ post calamitatem Nicopolitanam, cum Ragusium divertissent, regio apparatu accepti sunt; & laute, splendide, copioseque tractati cum fuissent, ac muneribus amplissimis donati, non sine admiratione urbis pulcherrimæ atque ornatissimæ, & cum illustri grati animi significatione discesserunt. Cum enim res ac tempus postulat, mirum est quam delectent Ragusinos magnifici apparatus, & speciosæ pompæ cum elegantia & copia; in his siquidem dignitatem, splendorem, ac decus Reipublicæ situm esse existimant.

Indoles & mores Ragusiensium.

Civitas optime morata est, omnique urbanitate perpolita; ut merito cum quibuslibet vel cultissimis Italiæ civitatibus comparari possit. Sunt enim Ragusienses suapte natura ad omnem honestatem & humanitatem facti; sunt inter se perofficiosi, & suum cuique honorem pro cujusque gradu & conditione tribuunt; comes vero ac benigni erga hospites & advenas, quos libenter excipiunt, & liberaliter tractant; etenim maxime decorum putant domos hominum illustrium illustribus hospitibus patere. Munditiam diligunt, elegantiam, at cum opus est, magnificentiam ac splendorem in victu atque vestitu, omniaque urbanitatis officia in congressibus, salutationibus, omnique vitæ civilis consuetudine diligentissime colunt. Cives inferiorum Ordinum otiosos ac desidiosos esse non patiuntur, sed navos, industrios, laboriosos esse volunt; id quod ad vitia, quæ plerumque ex otio & inertia nascuntur, arcenda plurimum valet. Itaque alii mercaturæ, alii opificiis cujusque generis, alii servilibus ministeriis, plerique vero negotiationi maritimæ dant operam; nam hæc in primis quæstuosa est, ex qua civitas amplissimis divitiis augetur, fortunisque maximis privatæ familiæ locupletantur. Habent enim Ragusienses navigia quamplurima optime instructa, quibus ad merces evehendas, permutandas, invehendasque utuntur, perque maria omnia Superum, & Inferum, Ionium, Ægæum, navigatione nunquam intermissa, discurrunt. Nec minores proventus capiunt e mercimonio terrestri: nam Serblia, Bosina, Bulgaria referta est negotiatorum Ragusiensium, qui emendi vel vendendi caussa ultro citroque commeant. Ferritorium Ragusiense, quamvis non admodum late patens, & insulæ ditionis Ragusinæ rerum fere omnium, quas natura desiderat, abundantiam, & copiam suppeditant. Vino, tritico, oleo, melle, pomis, oleribus, pascuis, armentis, ovibus abundant. E piscatu autem commodi, utilitatisque vel plurimum percipiunt; nam lacus, fluvii, & mare præsertim exquisitissimos cujusque generis pisces vili admodum pretio coemptos in mensas divitum, ac tenuiorum large copioseque sufficiunt. Ingentem præterea volucrum & ferarum vim ad aucupium & venatum montes, silvæ, saltusque contribuunt. Denique rebus omnibus cum affluant Ragusienses, nihil propemodum aliunde, non ad victum modo, cultumque, sed ne ad delicias quidem & voluptates requirunt. In insulis, suburbiis, locisque non longe ab urbe disjunctis hac illac dispersæ sunt, belleque ad secessus æstivos, & autumnales ædificatæ Patriciorum & civium villæ sane frequentes, opere eleganti, situque peramœno, præsertim apud Gravosam & propter ripam utramque Omblæ fluminis, item in utraque valle Juncheti, & Breni.

Eorum negotiatio maritima & terrestris, atque agri fertilitas;

Sunt Ragusienses ingenio excellenti, acerrimo, & perspicaci, ad omnes naturalium ac divinarum rerum disciplinas percipiendas inprimis idoneo; & cuicumque doctrinæ sese dederint, & mentem animumque aliquanto acrius velint intendere, in ea plerumque excellunt, & multis extraneis nationibus facile præstant. Nec desunt illis in patria magistri, & ludi litterarii ad juventutem ingenuis artibus excolendam, & simul bonis moribus imbuendam; sed plerique e familiis nobilibus & opulentis Neapolim, Romam, atque ad alias litteratissimas Italiæ civitates, tanquam ad mercaturam bonarum artium mittuntur, & cum in illis celeberrimis gymnasiis, tum fama sapientiæ inclytis, tum magistrorum excellentia, & discipulorum numero florentissimis aliquot annos optimarum artium studiis tribuerint, variarum disciplinarum merces, & eximiæ eruditionis opes in patriam conferunt. Itaque ex hac urbe sapientissimi viri prodierunt, alii alio doctrinarum genere præstantes; vixque alia civitas est, quæ tantam litteratorum hominum copiam effuderit. Antiquiores sæculo decimo quinto proferre nequeo; propterea quod eorum nomina & scripta nimia vetustas posteritati præripuit. Ingenium excellens.

Viri doctrina præstantes.

Unum tamen e sæculo duodecimo & decimotertio Miletium commemorare libet, qui exordio sumpto inde usque ab Epidauro, & Ragusio conditis res quasdam Ragusienses memoria dignas rudibus atque impolitis versibus illigavit. Carminum Miletii exemplum, qualecumque illud sit, nobis postulantibus ex Bibliotheca P. Seraphini Cervarii Ord. Præd. descripsit P. Joannes Maria Matthæus Presbyter nostræ Societatis, & Patavium transmisit. Unus totius dictionis sonus, idem stylus, eadem concinnandi carminis ratio rudis, absona, incondita, cum legibus metricis plerumque discrepans, & barbarie illorum temporum, in quæ illius ætas incidit, inquinata satis declarat unum esse eundemque hujus operis auctorem. Nec vero totum hoc esse atque integrum Miletii opus P. Matthæus existimat, neque illum illius exemplar perfectum expletumque omnibus suis versibus extare ait, sed solum quædam ejusdem fragmenta male consuta inveniri, & quæ ad nos misit, excerpta esse ex Annalibus Ragusinis Mss. Nicolai Ragninæ, qui versus Miletianos disjunxit, hac illac dispertivit, ac variis suorum Annalium locis intexuit pro eo, ac postulabat ratio rerum ac temporum, in quorum descriptione versabatur.

Qui

Digitized by Google

Qui hos versus ex eisdem Annalibus, vel aliunde descripsit, non eos ex ordine, rectèque collocavit, sed ut illos varie dispersos invenit, alios cum aliis temere permiscuit, & confudit, posteriores prioribus præposuit, & præposteris temporibus confusa ætatum serie, perturbatoque ordine centonem confecit. P. Sebastianus Dolci in *Epistola Anticritica de Antiquitate Ragusini Archiepiscopatus*, Miletium *malum* quidem *Poetam*, sed *bonum Chronographum* vocat; ex quo epocham aliquorum Archiepiscoporum tamquam certam, nullique dubitationi obnoxiam desumpsit. Ad Chronographiam quod pertinet, equidem Miletio plurimum tribuo, ejusque auctoritas ad stabiliendam epocham Archiepiscoporum quorumdam apud me quoque valebit; sed versus Miletianos, quos hic exhibeo, ut chronologica quædam continuatio narrationis, seriesque recte procedat, ex inordinatis in eum ordinem redigere oportet, quo ipse auctor, ut verisimile est, illos collocavit ac disposuit; nisi eum perturbatione rerum ac temporum peccasse existimemus. Miletius floruit sæculo duodecimo, vitamque usque ad initium sæculi proximi perduxit, ut ex ejus carminibus licet intelligi, quæ non progrediuntur ultra Leonardum sæculi decimi tertii ineuntis Archiepiscopum. Itaque versus Miletianos, qualescumque sunt, lectorum oculis exhibeo, quos notis appositis explicare, corrigere, & confusos propter insciticm, atque incogitantiam illius, qui eos collegit, & exscripsit, quemadmodum recte disponi, & quos quibus in locis collocari oporteat, ostendere conabor.

MILETII VERSUS

Ex Bibliotheca Ragusina P. Seraphini Cervarii Ord. Prædic.

Urbi Epidauro (1) *nomen donavit & esse*
Temporibus Moysis fugiens Epidaurus Ægypto,
Quam signis visis perituram noverat urbem ... (2)
Quidam Romani (3) *destructa sic Epidauro*
Bellum civile fugientes forte subintrant
Portum Dalmatiæ, qui Gravosius vocatur:
Hic pariter inopes fugientes ex Epidauro
In magnis ripis, ubi nunc est urbs Rhagusana,
Castellum statuunt monitis atque Joannis (4),
Qui jam prædictæ fuit Archiepiscopus urbis,
Atque arcem vivi tutam munimine saxi
Aspectu horrendo præcelso in vertice montis.
Hoc castrum vocitat Epidaurica lingua Labusa;
Namque ripa sonat hoc idiomate Labus;
A magnis ripis nomen traxere priores:
Nunc L in R, G pro B mutando moderni
Rhagusam *dicunt, quæ Sclavonice* Dubrovnik
Dicitur a Sylva (5), *quia Sylva fuit locus ille,*
In quo nunc urbs est, & Dubrava *sylva vocatur.*
Ad decus & laudem Stephani (6) *protomartyris extat*
Castellum, & templum fundant, & corpora condunt
Sanctorum, quorum sunt nomina scripta, subaudi
Nerei, Achillei, Domitillæ, Petronillæque,
Quæ secum furtim tulerant Roma fugientes.
Non multis post hæc facta labentibus annis
Quidam Nauclerius, qui Fruntius est vocitatus,
A castro, Stracolum quod dicitur, urbis Ægea
Urbem Rhagusam cum Zenobio Zenobiam (7)
Transtulit: hic Præsul, hæc Virgo, Martyr uterque:
Quos (8) *Nicephorus Pastor metropolis hujus,* 8
Vitalisque Comes, qui dictus est Veteranus,
Plebs simul ac populus in æde metropolitana
Cum prece, cum psalmis, cum laudis honore locarunt
Sanctæ Mariæ Domini Genitricis in æde
Anno milleno Domini simul ac duodeno.
Plurima tunc, & adhuc fiunt miracula multa
Ipsorum meritis sanatis pluribus ægris.
(Stephanus (9) *hinc Dux Bosnæ imperante* (10) 9 10
Bodino
Cominus Ecclesiæ Divi Nicolai de Campo
Castellum construxit, post patriamque reversus (11) 11
(Sub Constantino Græcorum Judice nono)
Post pacem (12) *factam quidam tradiditque Castellum* (13) 12 13
Rhagusii (14) *dominis, vel opprimentibus* (15) 14 15
eum.
Vastarunt illud postea, mœnibusque cinxere.
Instituit eos quidam certare Gradikna (16), 16
Qui in ejus custodia stabat, cognomine Vukus.
Accidit in die potitus (17) *Paschæ triumphus* 17
Anno milleno (18) *partum post Virginis almæ* 18
Centum bis octavo narravit pagina prisca.)
Post modicum (19) *tempus Vitale* (20) *Metropolitano,* 19 20
Judice Lampridio, residentibus urbe Rhagusa
Corpora Laurenti, sed non illius adusti,
Andreæ, Petri, non Christi discipulorum
Cœlitus ostensa, simul translata fuerunt;
Cum quibus & Blasi constat caput esse repertum,
Millenus vicenus sextus cum foret annus.
Hos versus edidit (21) *Miletius hinc inde testis.* 21
Vivant felices, quibus hic licet esse frequentes,
Tales reliquias videant, habeantque revera:
Lis fugiat, maneatque pax, dant bona cuncta petenti.
Tempore post multo (22), *quo præsidente* (23) 22 23
Tribuno
Judice Basilio Rhagusa quo regebatur,
Centum anno mille nostræ currente salutis
Quinquaginta novem etiam voluntate divina,
Septima tunc erat Jani. De cruce (24) *signatus* 24
Teutonicorum unus procerum ab Hierosolymis urbe
Attulit Simeonis (25) *Rhagusam honorabile* 25
corpus
Prophetæ, qui dixit: vos rogo, fratres, audite:
Nunc Deus dimitte servum tuum in pace.
Quod sancti Viti (26) *cum honore locarunt in* 26
æde.
Incognito sic nomine multo tempore stetit
Usque Leonardi (27) *tempus Archipræsulis: inde* 27
Nobili Damiano Zade narravit proprium nomen,
Quem & curavit cœcum, & a phantasmate mutum,
Sum Simeon, dicens, qui Christum in ulnas recepi,
Quem Virgo peperit, & post partum virgo permansit.
Post modicum tempus translatum in Virginis æde
Telluris arcano est sub Altare majori,
Temporibus nostris qui fecit miracula multa.
Postea (28) *requirunt tanto charitatis ardore* 28
Pro quadam causa suum revisere corpus.
Multorum obitu stetit sententia Patrum,
Qui procul dubio tunc subiverunt ad eum.
Exinde reliqui timentes ne morerentur,
Flectuntur non ire: sic diem usque præsentem
Venturam Christi gloriam, qui maxime spectans

Digitized by Google

Stat illic arcano media in Virginis æde,
Hæc superelate narrantia carmina nobis
Siquid turpe sonat, nam pagina scripta pro-
29 *batur.*
Gloria (29) sit Deo sæculi per sæcula Trino,
Qui nos indignos ditavit munere Tanto.

Notæ.

1 Miletius initium suæ scriptionis ab condita Epidauro ducit; cujus nomen refert, atque ædificationem ad quemdam Epidaurum temporibus Mosaicis æqualem, more pervulgato scriptorum, qui primordia urbium, ut antiquiora faciant, ab ætate vel Noetica, vel Mosaica repetere solent.

2 Punctula ad tertium carmen appositа indicio sunt deesse aliquot versus, quibus auctor excidium Epidauri describebat. Maurus Orbinus de Regno Slavorum pag. 180. & Jacobus Luccarus lib. 1. pag. 1. a Gothis anno 265. sub Valeriano Imperatore, Seraphinus Razzius lib. 1. cap. 1. a Saracenis & Slavis captam Epidaurum, & eversam fuisse tradunt. Sed restitutam fuisse constat ex litteris Gregorii M. de Florentio Episcopo Epidauri ad Antoninum subdiaconum, quas paullo superius attulimus; stetit autem urbs ad initia sæculi septimi, cum anno 639. ab iisdem barbaris Avaribus & Slavis, ut Salonam, sic Epidaurum nobilissimas civitates, exustas, & funditus dirutas fuisse ex Constantino Porphyrogenito supra diximus.

3 Hæc congruunt cum iis, quæ Presbyter Diocleates Miletio propemodum æqualis in suis Commentariis de regno Slavorum fusius tradit de Paullimiro, qui & Polimirus, & Bellus, & Bellimirus, ejusque in Dalmatiam adventu cum Romanis suis consanguineis; sed Miletius Paullimirum ducem expeditionis Dalmaticæ tacitus præterivit. Paullimirus filius erat Petrislavi, nepos Rodoslavi Regum Serbliæ. Rodoslavus ab Ciaslavo filio expulsus regno Romam exsulatum abierat. Post aliquot annos Paullimirus, relicta Urbe, cum suis consanguineis in Dalmatiam venit anno circiter 825. & summa omnium gratulatione acceptus regnum avitum recuperavit. De quo Diocleates: *Per idem tempus Romani parentes* (idest consanguinei) *Belli, qui & Paullimirus, quod non possent sustinere Magnatum Romanorum insidias atque inimicitias, eo quod nollent se humiliare ac pacem cum inimicis facere, exeuntes omnes de Civitate una cum Bello, uxoribus & filiis ac filiabus, & milites numero quingenti, acceptis parvulis & mulieribus venerunt Apuliam, inde intrantes naves transfretantes in partes Dalmatiæ venerunt ad portum, qui Gravosa dicitur, & Umbla: miserunt autem Slavi Bello, qui & Paullimirus, nuncios, ut veniret accipere Regnum patrum suorum, & hac de causa secuti sunt illum parentes ejus. Igitur descendentes de navibus construxerunt Castellum, & habitaverunt ibi. Audientes homines Epidauriæ civitatis, qui per silvas & montana manebant, quod Bellus cum Romanis venisset, & Castellum fecisset, congregantes se venerunt & una cum ipsis ædificaverunt civitatem supra mare, in ripis marinis, quas Epidaurii lingua sua Laus dicunt, unde ea civitas Lausium vocata est, quæ postea Ragusium appellata est.* Ad Ragusii ædificationem quod attinet, uterque fallitur; hæc quippe civitas plurimis ante adventum Paullimiri annis, & eorum, quos Romanos vocat Miletius, civium numero, divitiis, atque opibus florebat; & Constantinus Porphyrogenitus, ut antiquior, sic locupletior auctor, post Epidaurum, & Salonam urbes eversas, ab Epidauriis & Salonitanis amissa patria profugis sæculo septimo Ragusium conditum fuisse docet, vel certe ab his amplificatum, postquam illi prima fundamenta jecissent. Ludovicus Tubero, & Seraphinus Razzius Paullimiro itidem, seu Polimiro ædificationem Ragusii attribuunt; sed Maurus Orbinus de Regno Slavorum, Joannes Gundula in Synopsi Chronologica Ragusium a Paullimiro non exstructum, sed ædificiis, & propugnaculis auctum fuisse affirmant.

4 Suadente Joanne, non illo quidem, qui postremus Epidauri, primus Ragusii Episcopus fuit, sed altero ejusdem nominis, qui ætate posterior fuit, Episcopo Tribunensi, qui Paullimirum Romam venientem excepit, & Tribunium deduxit, ut Ludovicus Tubero, & Seraphinus Razzius tradunt: hic autem fuit cujus admonitu, hortatuque Romani, qui cum Paullimiro venerant, Castellum illud non quidem Ragusii, quod ante annos amplius ducentos Epidaurii cum Salonitanis ædificaverant; sed vel Tribuniæ, vel in alio loco Serblianæ ditionis condiderunt. Hic autem non Archiepiscopus, sed Episcopus fuit.

5 Hoc vocabulum paullo aliter interpretatur Diocleates: *Sclavi vero Dubrounich appellaverunt; ideſt Silvester, sive Silvestris, quoniam quando eum ædificaverunt, de Silva venerunt.*

6 Templum S. Stephani a Paullimiro, sive, ut Miletius, a Romanis, qui cum eo venerant, constructum fuisse scribit Joannes Gundula, ibique SS. Martyrum Nerei, Achillei ec. non corpora quidem, quæ adhuc Romæ asservantur, sed reliquias ex urbe devectas, depositas fuisse.

7 De translatione Ragusina SS. Martyrum Zenobii & Zenobiæ postea in Nicephoro Archiepiscopo.

8 Nicephorus ab anno 1010. usque ad annum 1203. huic Metropoli præfuit.

9 *Stephanus* ec. Duodecim versiculos, qui sequuntur, quosque in hanc parenthesim ( ) inclusimus, si cum septem proximis conferantur, loco non suo collocatos esse satis declarat ipsa ordinis chronologica ratio, quam hic perturbari videmus. Nam quæ sæculo duodecimo gesta sunt, antea narrantur, quam quæ sæculo undecimo contigerunt. Ita a rebus posteriorum temporum ad res superiorum ætatum regressio fit, contra quam continuatio seriesque rerum narrandarum postulat, quæ jubet, ea, quæ narrantur, sic apte distribui, atque ad sua tempora, temporumque partes accommodari, ut prius quæ antecedunt ætate, quam quæ subsequuntur, ex ordine describantur. Quocirca dispositio ac distributio rerum chronologica jubet septenos posteriores duodenis prioribus versibus anteponi, præsertim cum horum postremis duobus primus illorum adnecti nequeat; & ex ipsis versibus quam male inter se cohæreant, cognoscit potest:

Anno milleno partum post Virginis almæ
Centum bis octavo narravit pagina prisca
Post modicum tempus Vitale Metropolitano.

Immo non modico tempore post annum millesimum centesimum decimum sextum; nam annis nonaginta ante hunc annum Vitalis regebat Ecclesiam Ragusinam, & corpora SS. Martyrum Ca-

Digitized by Google

Catharenſium translata ſunt Raguſium, anno ſcilicet 1026. Quanto aptius hic verſiculus *Poſt modicum tempus &c.* cum verſiculis conjungitur, in quibus narratur de translatione SS. Zenobii & Zenobiæ, quæ facta fuit *anno milleno Domini ſimul & duodeno;* ſiquidem *poſt modicum tempus*, ideſt poſt annos duodecim corpora Martyrum Catharenſium advecta ſunt Raguſium. Perturbationem ordinis chronologici adſcribendam cenſeo inſcitiæ librarii, qui verſus Miletianos, non illos quidem eo, quo Auctor, cujus exemplum non habebat, collocavit ordine, ſed prout ſejunctos, ac diſperſos in Annalibus Nicolai Ragninæ, vel in aliis Scriptoribus invenit, non obſervatis, notatiſque temporibus deſcripſit. Hunc igitur verſiculum *poſt modicum tempus* &c. & ſex proximos retrahi oportet ad ſuperiores illos, in quibus de translatione SS. Zenobii, & Zenobiæ, cum eiſque conjungi.

10 Bodinus anno circiter 1080. dominatum in Serblis adeptus, vitam & regnum uſque ad ſuperiores annos ſæculi proximi decimi tertii obtinuit. Principatum Boſnenſem Stephano donavit, ut eſt apud Diocleatem: *Deinde*, inquit, *Bodinus cæpit Boſnam, poſuitque ibi Stephanum Kneſium*, ideſt *Comitem*, ut Joannes Lucius interpretatur. Hic Raguſinis cum infeſtus atque inimicus eſſet, Caſtellum conſtruxit non longe ab Raguſio, prope templum S. Nicolai, quod paucis ante annis Raguſini ædificaverant, diruta Turri, quam Bodinus excitarat, ut Raguſinos in metu atque officio contineret, ut Luccarus tradit.

11 Stephanus caſtellum egregie munitum, armis prælidiiſque inſtructum Uccho, ſive Ugoni cuſtodiendum tradidit, & pace cum Raguſinis redintegrata, in patriam reverſus eſt.

12 Cum Raguſini Caſtellum & propugnaculum, veluti quoddam frenum ſuæ libertati injectum, urbiſque ſecuritati oppoſitum, indigniſſime ferrent; Præfectum Caſtri muneribus & promiſſis adeo ſibi conciliarunt, ut, ſi non aperta, clandeſtina tamen proditione, ejus loci potiundi occaſionem facultatemque præberet. Rem omnem, quam Miletius breviter perſtrinxit, & tanta verborum obſcuritate involvit, vix ut intelligi poſſit, diſtinctius ac dilucidius expoſuit Seraphinus Razzius lib. 1. cap. 13. Hiſt. Italicæ Raguſ. Cum Raguſienſes omni ope, & opera ſibi enitendum eſſe cenſerent, ut Caſtellum illud diruerent, quod Stephanus Rex, ſive Comes Boſinæ, prope a mœnibus Civitatis exſtruxerat, Ugonem Gradienſem, Præfectum ejus Caſtelli, ut ſibi amicitia & familiaritate devincirent, muneribus colere, promiſſis ampliſſimis allicere, mutuis conviviis oblectare cœperunt. Ubi autem quidam de Patriciis ſe in ejus animum & familiaritatem penitus inſinuaſſent, hominem ſecreto, & remotis arbitris tentare aggreſſi ſunt, hortarique, ut relicto Stephano, ſe ad Raguſinos adjungeret; eum & civitate, & patritia nobilitate, & jure Comitiorum donatum iri; ad omnes honorum gradus aditum ei futurum, ſi Caſtellum, cui præſidebat, in poteſtatem Reipublicæ traderet. Nec vero ille abnuebat, modo id; ſine ulla violatæ fidei ſuſpicione, & ſua, ſaltem ad ſpeciem, ſalva exiſtimatione, confieri poſſet. Res ita convenit, ut die ipſo Paſchatis, militibus præſidiariis opiparum convium inſtrueret; cui tum epulas exquiſitiſſimas, tum vina meraciſſima cujuſque generis Raguſini ex urbe ſuppeditarunt. Sub meridiem, vigilibus, ac militibus, vino ſomnoque obrutis, hora conſtituta, ſigno dato, Raguſini ex urbe prodeunt, & agmine tacito incedentes, januas cuſtodibus ac defenſoribus vacuas reperiunt, ingreſſique ſine vi ac tumultu, Caſtello potiuntur; milites inermes, temulentos, gravi ſopore oppreſſos, ad unum omnes captivos abducunt, cum ipſo Ugone Præfecto, qui, ne quam oppidi proditi ſuſpicionem daret, ſemiſopitum ſe ſimulans, inter milites temere jacebat. Ac illos quidem exiguo pretio redemptos dimiſerunt. Sed Ugo retentus eſt; quem deinde in Collegium Nobilium cooptarunt; ex eoque nobiliſſima Gradiorum familia genus, ac nomen duxit. Caſtellum vero funditus diruerunt, materia omni, ſive lapidea, ſive lignea, in mare projecta demerſaque, ne quis ea in poſterum ad aliam ejuſmodi munitionem exſtruendam uteretur. In iiſdem autem veſtigiis, in quibus Caſtellum ſteterat, Templum D. Nicolao ædificarunt. Hæc Seraphinus Razzius. Verum ædem S. Nicolai ante aliquot annos Raguſini, poſt Bodinum ab urbis obſidione depulſum, ut Luccarus tradit, ex illa Turri conſtruxerant, quam Bodinus ſuis præſidiis munitam ibidem reliquerat, idque ſatis apparet ex ipſis verſiculis Miletii.

Stephanus hinc Dux Boſnæ, imperante Bodino, Cominus Eccleſiæ Divi Nicolai de Campo Caſtellum conſtruxit &c.

13 Poſt pacem, quam Stephanus cum Raguſinis fecerat, Ugo, ſive Wuckus, Caſtellum illud per proditionem tradidit *Raguſii Dominis.*

14 Ideſt, patritiis Raguſinis.

15 Quæ ſequuntur: *Vel opprimentibus eum, vaſtarunt illud poſtea, mœnibus cinxere, inſtituit eos quidam certare*, obſcuriora ſunt, quam ut explicari vel intelligi poſſint.

16 Gradikna ille idem eſt, quem Razzius nomine *Ugonem*, cognomine Gradienſem vocat, Miletius vero nomine *Gradiknam*, cognomine *Vukum* appellat, ut ex proximo verſiculo apparet: *Gradikna, qui in ejus cuſtodia ſtabat, cognomine Vukus.*

17 Triumphum, ſeu Victoriam Raguſinorum ex Caſtello per proditionem recepto ad diem Paſchalem, ut Razzius, ſic Miletius affixit.

18 *Annus milleno, & centeno, bis octavus*, ideſt 1116. Ea, quæ hoc anno acciderunt, non cohærent cum *Conſtantino Græcorum Judice nono*. Hic nullus alius eſſe potuit, niſi Conſtantinus cognomento Monomachus, qui ante Bodinum Regem Serbliæ, & Stephanum Ducem Boſinæ imperium Orientis tenuit, inter annos 1042. & 1054.

Poſt Conſtantinum Monomachum in ſeriem Imper. Conſtantinopolis, nullus extat Conſtantinus, niſi poſtremus e gente Palæologa, ſub quo civitas a Turcis capta fuit.

Ergo duodecim hos verſiculos intra parentheſim concluſos, rejicias oportet poſt ſeptenos illos, in quibus de SS. Martyribus Catharenſibus Raguſium advectis, & Capite S. Blaſii *reperto* narratur; id quod poſtulat ſucceſſio ſerieſque rerum ex ordine chronologico diſpoſita.

19 *Poſt modicum tempus &c. ab anno milleno Domini ſimul & duodeno*, cum Corpora SS. Zenobii & Zenobiæ Raguſium allata fuerunt, Raguſium quoque devecta ſunt Corpora Martyrum Catharenſium, cum Capite S. Blaſii,

Digitized by Google

ſti, *anno* ſcilicet *milleno*, *viceno ſexto*. Itaque ab illa ad hanc translationem *modicum tempus* interceſſit, anni ſcilicet duodecim, ab anno 1012. ad annum 1026. Quæ igitur disjuncta ſunt, ita conjungas velim *Anno milleno Domini, ſimul ac duodeno &c. Poſt modicum tempus Vitale &c.* duodecim carminibus intermediis in locum poſteriorem rejectis.

20 Vitalis primus hoc nomine Archiep. Rag. præfuit ab an. 1020. uſque ad 1057. ad quem extat Epiſtola Benedicti VIII. de qua ſuo loco; ubi etiam de Translatione SS. Martyrum Catharenſium, & de Capite S. Blaſii ex Armenia Raguſium allato, quod Mileſius *repertum* ait, & tum hanc inventionem, tum illam translationem cum *anno milleno, viceno ſexto* conjunxit.

21 Neque hic verſus cum ſeptem proximis ſuperioribus cohærere poteſt; quippe Miletius rebus geſtis *anni milleni viceni ſexti* teſtis intereſſe nequit; nam uſque ad finem ſæculi duodecimi, ultraque vitam perduxit; adhuc ſiquidem vivebat ſub Leonardo Archiepiſcopo, qui anno 1202. ad Raguſinam Eccleſiam regendam acceſſit, niſi forte exiſtimemus eum annos fere ducentos vixiſſe. Hunc itaque verſum, *Hos verſus edidit Miletius hinc inde teſtis*, hinc dimoveri, atque inter poſtremos rejici oportet. Hoc exempto, recte ſubduntur tres illi verſiculi.

Vivant felices, quibus hic licet eſſe frequentes,
Tales Reliquias videant, habeantque revera,
Lis fugiat, maneatque pax; dant bona cunctis
petenti.

His vero ſubjicias velim duodecim illos verſus parentheſi ( ) incluſos, & in hunc locum transferendos, quorum primus:

Stephanus hinc Dux Boſnæ imperante Bodino,

duo autem poſtremi:

Anno milleno partum poſt Virginis almæ
Centum bis octavo, narravit pagina priſca.

His aptiſſime ſubjunxeris:

22 *Tempore poſt multo*, ideſt annis tribus & quadraginta ab anno *milleno, centum, bis octavo*, 1116. elapſis, ſcilicet anno 1159. ut infra:

Centum anno mille noſtræ currente ſalutis
Quinquaginta novem &c.

Hactenus Miletius ſuperiorum ætatum, deinde ſuorum temporum res deſcribit, quarum non ſolum æqualis fuit, ſed etiam teſtis oculatus eſſe potuit.

23 Tribunius II. ab anno circiter 1153. uſque ad annum fere 1177. Metropolim Raguſinam gubernavit.

24 Sæculo undecimo exeunte expeditiones ſacræ inſtitui cœperunt. Primum indixit Urbanus II. in Concilio apud Clarum Montem, Arverniæ oppidum habito. Militiæ inſigne Crux purpurea dextero humero aſſuta; ex quo *Cruciatæ* nomen factum. Deinde aliæ ex aliis ſuſceptæ. In eam fortaſſis nomen dederat hic Teutonicus Dynaſtes Miletianus, quam Eugenius III. anno 1147. indixerat; & quamvis Exercitus Cruce inſignitus irrito incepto redierit, bonus tamen ille Germanus, religionis cauſſa, in illis Sacris locis ſibi manendum cenſuit. Inde vero poſt aliquot annos diſcedens, Corpus S. Simeonis, ſeu furtim ſublatum, ſeu pretio emptum ſecum aſportavit, & Raguſium attulit.

25 Vetus eſt apud Raguſinos opinio a majoribus accepta, Corpus S. Simeonis Prophetæ Raguſium olim e Palæſtina delatum, in Ædem Mariana perhonorifice depoſitum, & qua dignum erat, veneratione ſatis diu cultum fuiſſe. Quis ſacratiſſimum illud theſaurum, & quo anno in urbem advexerit, docet Miletius, bonus ſane auctor, æqualis illorum temporum, qui ſacras illas exuvias Raguſinos adeptos fuiſſe ſcribit anno 1159., ſub Tribunio II. Archiepiſcopo; ſed cujus eſſet corpus illud, annos fere quinquaginta Raguſinos latuit.

26 In eadem S. Viti Ædicula abhinc annos centum & quadraginta reconditus fuerat Sacer Panniculus, quo Chriſtus infans cum ad Templum deferretur, involutus fuiſſe traditur, de quo in Vitali I. Archiepiſcopo.

27 Leonardus Archiepiſcopatum ſuſcepit anno 1206. quo præſidente nomen S. Simeonis Prophetæ, cujus eſſe dicebatur illud Corpus ante annos circiter quinquaginta ab Equite Teutonico delatum, atque in Templo S. Viti reconditum, divinitus declaratum fuit; nec multo poſt in Ædem Marianam translatum eſt, & longe majori religione, quam antea cultum, plurimis miraculis claruit. Sed alius Simeonis corpus, ſeu ſacra lipſana ea ſint oportet, quæ Raguſii in Æde Mariana colunt, nam Simeonis Prophetæ reliquiæ ſæculo VI. Conſtantinopolim translatæ jam fuerant, ut in Additamentis noſtris ad Tom. V. hujuſce operis probatum eſt p. 609.

28 Quæ ſequuntur carmina, difficilem habent explicationem, & plurimis mendis inſerta ſunt; quæ corrigi nequeunt, niſi verba & verborum conſtructio, rerumque & ſententiarum contextus reformentur.

29 In hunc locum ante penultimum carmen aptiſſime quadrat verſiculus ille, e ſuperioribus locis rejectus: *Hos verſus edidit Miletius hinc inde teſtis*. Nam Scriptores ad calcem ſuorum operum ſuum nomen adjicere ſolent, & Miletius tum translationi Corporis S. Simeonis ad Templum Marianum ſub Leonardo Archiepiſcopo, tum miraculis per eum divinitus patratis, ſpectator adfuit ac teſtis, vixitque uſque ad priores annos ſæculi decimi tertii.

Extare plures poſt Miletium Raguſinos Scriptores non dubito, eoſque vetuſtiſſimos, ſed eorum & nomina & ſcripta adhuc incomperta. Multos autem ex ætatibus infra ſæculum decimum quartum habeo, quos ex Mauro Orbino & Catalogis Scriptorum Raguſienſium deſumpſi. Sunt autem hi:

Dominicus Galeotti Rolandii Raguſinus anno 1394. in collegium Medicorum & Philoſophorum Bononiæ cooptatus, ibi meridianis horis Aſtrologiam & Medicinam docuit uſque ad an. 1422. Jacet Bononiæ tumulatus in æde D. Franciſci: ex Alidoſio de Bononienſibus Theologiæ Doctoribus.

F. Georgius Salvato de Raguſio ex Ordine Franciſcano Archiepiſcopus Dyrrhachienſis ſcripſit *de Angelis*, *de Aſſumptione B. V. M.*, *de Dialectica*, & duos præterea libros, unum cui titulus, *Vexillum Chriſtianæ victoriæ*, alterum vero, *An libri Judæorum Thalmudici ſint ſupprimendi*: floruit ſæculo decimo quinto ineunte.

F. Jacobus de Raguſio Ord. Prædic. Epiſc. Tribunienſis, & Mercanenſis, de quo nihil Echardus, ſed in Catal. Raguſ. Scriptorum ejuſdem Ord. *Scripſit Expoſitionem in omnes Pſalmos David, quæ in Archivo Raguſino in Membrana ſervantur*. Obiit anno circiter 1400.

Joannes patria Raguſinus, cognomento Stoicus, Procurator generalis Ordinis Dominicani, multiplici, & fere omnium doctrinarum gene-

re

Digitized by Google

re instructus. Anno 1431. Basileæ ante adventum Juliani Cardinalis S. Angeli Legati Sedis Apostolicæ ex hujus delegatione simul cum Joanne Polmario Ædituo Pontificio, convocatis Episcopis qui jam Basileam convenerant, in Ædem Cathedralem, initium fecit Concilii Basileensis, & in eodem Concilio orationem habuit de non admittendis Laicis ad Communionem sub utraque specie, gravissimis argumentis sententiisque plenam, longissimam, & copiosam.

Præterea causlam Catholicam contra Hussitas octo continuos dies peroravit. Hanc Henricus Canisius primus in lucem edidit, & Tomo XVII. Collectionis Labbeanæ in Additionibus ad Acta Concilii Basileensis inserta est, Concilii nomine Constantinopolitana legatione perfunctus cum Henrico Menger Canonico Constantiensi, & Simone Freiron Canonico Aurelianensi anno 1435., duos annos ibidem de publicis Ecclesiæ rebus transegit. Rursum anno 1437. Concilii legatus Eugenium IV. Bononiæ convenit. Postea ad Felicem Antipapam defeciſse dicitur, a quo Cardinalis creatus fuit, dictusque Cardinalis de Ragusio. Dicitur etiam fuisse Argentinensis Antistes. Obiit Basileæ anno circiter 1450. Græcos suos Codices, Commentarios a se scriptos, totamque litterariam supellectilem Patribus Dominicanis Basileensibus testamento legavit. Vide Echardum Tom. I. Script. Ord. Præd. pag. 206. 797. Extant, *Promissiones factæ Imperatori Græco & Patriarchæ C. P. per ambassiatores Concilii Basileensis, quorum primus Joannes de Ragusio &c.*

Copia promissionis eorundem ambassiatorum.

Propositio ambassiatorum Concilii Basileensis facta Constantinopoli coram Serenissima Imperatore Græcorum, cujus prima pars est nostri Joannis, subdit Echardus.

Articuli Ambassiatorum Concilii Basileensis. Hæc in actis Concilii Basileensis Tom. XVII. Labbeanæ Concil. Collect.

Litteræ quatuor magistri Johannis de Ragusio, & Simonis Fretz ambassiatorum sacræ Synodi. Mss. in Bibl. Medic. Florent.

Ad Patres Concilii Basileensis de iis quæ C. P. in sua legatione peregerat Relatio. Ms. ex catalogo librorum Leonis Allatii; Romæ, 1668.

Concordantiæ vocum indeclinabilium sacrorum Bibliorum.

Oratio qua respondit per octo dies ec. de qua paullo superius.

Alia ejusdem Oratio ejusdem argumenti, & de communione puerorum, in qua respondet ad replicas M. Johannis de Rokizana, Ms. in Bibliotheca Cæsar. Vindobonensi.

Item alia in Vatic. Biblioth. Cod. 5609.

F. Joannis de Ragusio ordinis FF. Prædicatorum sermo in festo S. Benedicti, habitus apud sanctos Apostolos Romæ in præsentia Cardinalium A. D. MCCCCXXX. indict. VIII. Ms. in Bibliotheca Cassinensi. Echardus ejus obitum rejicit in annum 1443.

Benedictus Cotrullus libros de natura florum Italice composuit; florebat anno 1460. Hunc omittit Dolcius in Fastis; sed idem forte ac Benedictus Cotrugli, cujus libri v. de *Mercatura, & Mercatore perfecto* ab eo absoluti an. 1458. primo editi anno 1573. Venetiis, & maximo habiti in pretio.

F. Leonardus Ragusinus a patria & professione sic appellatus, e familia Tralaffa. Floruit anno 1480. Fertur scripsisse, *Scholia, seu Commentaria in S. Thomæ Theologiam universam, & alia ejus generis opuscula*, quæ in Veneta S. Dominici Bibliotheca servari ajunt, & in Ragusino sui Ordinis Cœnobio.

Georgius civis Ragusinus floruit an. 1480. & volumen Ms. poematum Illyricorum reliquit.

F. Seraphinus Bona Ord. Prædic. de quo in Catalogo Script. Domin. Ragus. *S. Theologiæ Magister Budam a Superioribus missus pluribus ibidem annis naturales & sacras litteras docuit. Matthiæ Hunniadi Corvino inter paucos charus fuit, regemque optimis consiliis in administrando imperio direxit. Doctrinæ suæ memoriam pluribus Commentariis reliquit, iis præsertim, quæ Scholasticam disciplinam spectant. Obiit Ragusii anno* 1489. Abest a Catalogo Echardi.

F. Blasius Constantinus ex Ord. S. Dominici Episcopus Mercanensis, de quo in laudato Catalogo, *posteris sui ingenii monumentum reliquit, Sermones de Tempore, & de Sanctis prælo commissi. Obiit anno circ.* 1480.

F. Matthæus Bona itidem ex Familia Dominicana, & Echardo ignotus, de quo idem Catalogus; *Sacræ Theologiæ Magister Romæ in Conventu S. Mariæ supra Minervam Regens fuit, ubi Oliverii Cardin. Caraffæ familiari consuetudine usus est, Missus fuit Venetias ad Capitulum Gen. an.* 1486. *Scripsit plura Theologiæ Commentaria. Mortalem vitam exuit Romæ an.* 1500.

Ælius Lampridius Cervarius poeta laureatus. Duos libros ineditos reliquit, alterum ligata, alterum soluta oratione, utrumque latine scriptum. Extant in Biblioth. Vaticana. Florebat sub initium sæculi decimi sexti; extant ejus epigrammata procusa an. 1499. ad librum Georgii Bencini de natura cœlestium spirituum, & poemation in Collect. Octavii Sommarez.

Ludovicus de Cerva Tuberonus, Ælio Lampridio æqualis, Abbas Melitensis. *Commentaria suorum temporum & librum de Origine, & rebus gestis Turcarum* latine scripsit, ac typis mandavit, tum *Commentariolum de origine & incremento urbis Rhacusinæ*, Ragusii tandem editum anno 1790.

Andreas Ciubranovichius civis Ragusinus ineunte sæculo decimo sexto. Poema Illyricum, cui titulus Jeghjupka, idest *il Zingano*, edidit in lucem, quod iterum ac sæpius recusum est.

F. Angelus Martinus Ord. Præd., de quo in Catalogo Script. Domin., *eximius eruditione, ac singulari pietate insignis, scripsit methodum grammaticalem instruendis juvenibus utilissimam; multa carmina in variis argumentis composuit; officium S. Hieronymi Illyrico idiomate donavit; plures epistolas spirituales eleganti stylo scripsit, & pleraque alia. Obiit, ut vixit, piissime an. circ.* 1520. Ad annum 1530. refertur ab Echardo, qui solius *Methodi*, & *Carminum* meminit.

Jacobus Bona Patricius in lucem emisit Poema latinum de Vita, & gestis Christi in libros sexdecim divisum an. circ. 1526. magni habitum a Clem. VII. qui jussit, illud in linguam Syriacam & Armenam converti.

F. Augustinus de Nale Ord. Prædic. Episcopus Mercan. & Tribun. Obiit an. 1527. Hæc ab eo scripta, ex Echardo Tom. 2.

Prima pars Summæ Theologicæ S. Thomæ de Aquino. Venetiis 1509.

Apologia adversus Synodum Pisanam II.

Tractatus de auctoritate summi Pontificis.

Marinus Darsa florebat anno 1550. cujus extat typis edita Comœdia versibus Illyricis com-

Digitized by Google

posita, cui nomen *Tirena*, itemque varia poemata Illyrica.

Maurus Vetranus Abbas Melitensis præter varia poemata Vitam patriarchæ Abrahami versibus Illyricis descripsit. Anno 1550. præerat Congregationi Benedictinæ Melitensi.

F. Cherubinus Sorgo Ord. Prædic. ab Echardo prætermissus, de quo laudatus Catalogus hæc: *Nobili genere, sed moribus nobilior, & per plures annos ferventi spiritu declamavit ad populum; & ut posteris etiam eruditionis suæ ac pietatis copiam faceret, scripsit uberi & eloquenti stylo sermones latinos a septuagesima usque ad tertiam feriam post Pascha, aliosque plures. Obiit anno* 1540.

F. Bernardinus Ghetaldus Ord. Præd. *nobilibus ortus parentibus Ragusii*, ut est in eodem Catalogo, *scripsit historiam virorum illustrium Congreg. Dominic. Ragus. quam utinam usque ad nostra tempora perduxisset. Obiit, non ut Altamura putat an.* 1513. & Echardus an. 1510. *sed* 1548.

F. Clemens Ragnina sive Araneus ex Ord. Dominic. typis tradidit *Quodlibet Concionatorium*, *Expositionem super Epistolas D. Paulli ad Rom.*, & Mss. reliquit perbreves animadversiones in Magistrum Sententiarum. Adde ex Echardo Tom. 2. *Summam casuum conscientiæ*, & *Sermones de laudibus B. Mariæ Virginis*. Vivebat an. 1540. eodemque tempore floruit Ambrosius Araneus ejusdem Ordinis alumnus, cujus extat epistola de illustribus sui ævi hominibus in Dominicana familia. Obiit an. 1550.

F. Georgius Natalis, ab Echardo Gregorius Noralius dictus, itidem Dominicanus, scripsit *Commentarios Philosophicos, itemque Astrologicos contra hæreticos, Explanationes in Decretales, Libros de Deo, de Angelis, de homine, Dialogos Medicos, Sermones de tempore, de Sanctis & Quadragesimales, de stigmatibus S. Catharinæ Senensis, tot denique in varia argumenta volumina*, uti perhibet idem Catal., *ut ad integram Bibliothecam instruendam satis essent*. Echardus in Tomo 2. ad an. 1535. præterea enumerat

Commentaria in Epistolas D. Paulli omnes Mss.
In Exodum, Parabolas Salomonis, Isaiam, Hieremiam, Matthæum, Marcum, & Joannis Evangelium, & in Apocalypsin.
Super Decretum.
Tractatus de creaturis & pœnitentia.
Tractatus adversus hæreticos.
Alter de imagine pueri Jesu. Obiit an. 1550.

F. Bonifacius de Stephanis Franciscanæ disciplinæ alumnus, & Episcopus Stagnensis, latinis litteris, ac typis evulgavit *Descriptionem Palæstinæ*, & *Solemnes ceremonias, Supplicationesque ad Christi Sepulcrum haberi solitas*, itemque *Opusculum de Ortu Clericorum an.* 1570.

F. Vitalis de Ragusio ex eadem familia D. Francisci concionator generalis, plurimas, ac eruditissimas partim Illyrico, partim Italico sermone compositas edidit *Conciones per ferias solemnis Jejunii, & Adventus Dominici habitas*, & alias præterea doctrina ac eruditione refertissimas.

Dominicus Ragnina Eques S. Stephani librum carminum Illyricorum typis consignavit an. 1580.

Nicolaus Sagri civis Ragusinus scripsit, emisitque in publicam lucem undecim dialogos *de vario fluxu, & refluxu Occani Occidentalis an.* 1574.

Nicolaus Nases an. 1576. scripsit & vulgavit *Dialogos de Sphæra*, & ingens volumen Poematum Illyricorum ms. reliquit.

Michael Bona floruit an 1570. cujus supersunt mss. Tragœdiæ Sophoclis e Græcis in carmina Italica conversæ.

F. Paullus Zuzzeri ex Ord. S. Dominici, exactis in Italia Philosophiæ & Theologiæ studiis, in patriam reversus, sacra eloquentia claruit. Florebat anno 1580. & patrio sermone scripsit, ex Echardo Tom. 2. *Sermones de Adventu, Quadragesimales, & de Sanctis, Libellum de Societate nominis Dei, & alterum de Societate Rosarii.*

Marinus Caboga an. 1580. typis tradidit *Consultationes de præcedentia Vicarii Episcopalis, & aliarum Dignitatum in Ecclesiis Cathedralibus.*

Eusebius Caboga Annales Ragusinos, & Vitas Ragusiensium Archiepiscoporum descripsit; utrumque opus eximium, & ms. inter terræmotus ruinas deperditum fuit. Erat Eusebius Congregationis Melitensis alumnus.

Dominicus Slatarich Eques Auratus in sermonem Illyricum convertit duo drammata, alterum Torquati Tassi, quod Amyntas, alterum Sophoclis, quod *Electra* inscribitur. Fuit Rector Gymnasii Patavini, eique honoris caussa in eodem Gymnasio hoc monumentum positum fuit: *Perillustrissimo viro Dominico Slatarich, Simeonis filio, Equiti Aurato, Rectori Splendidissimo, qui suo splendore ac vigilantia gradum Rectoratus pene dirutum pristino candori restituit. Universitas Philosophiæ & Medicorum in memoriam beneficii posuit an.* 1580.

Michael Monaldus an. 1580. in lucem protulit *Dialogos de pulcritudine, de metaphysica*, itemque omnia poemata Italico sermone composita.

Basilius Gradius Monachus Melitensis, & Stagni Episcopus, edidit præclarum opus *de Virginitate* tum patrio, tum Italico sermone, & *Castigationes in Paraphrasin Psalmorum Joannis Baptistæ Folengii* ab hæreticis vitiatam, vita functus an. 1585.

Sabinus Bobalus an. 1589. carmina Italica in lucem emisit.

Antonius Medus Philosophus, idemque Astrologus an. 1590. prælo subjecit *Animadversiones in Prædicabilia Porphyrii*, & *Explicationem Metaphysicæ Aristotelis*. Extant mss. *Meditationes Astrologicæ, & Animadversiones in lib. XII. Metaph. Aristot.*

Vincentius Pozza Astronomus, idem & Poeta, duas Comœdias carminibus Illyricis composuit, vulgavitque: altera *Giuliza*, altera *Sifronium* inscribitur.

Benedictus Babbichius e Dominicana familia graviorum disciplinarum, & Musices doctissimus: plurimas scripsit orationes *de Nativitate, Annuntiatione, Cœna Domini &c.*, quæ servantur in Bibliotheca Cœnobii Ragusini: obiit anno 1591.

Nicolaus Gozzius sæculo decimo septimo ineunte multa scripsit Italice & Latine, partim edita, partim adhuc mss. *Commentarios in Averroe de Substantia Orbis, Quæstiones de caussis, Opusculum de immortalitate intellectus, Dialogos de optimo statu Rerumpublicarum ex institutis Aristotelicis*, item *de Amore, de Pulcritudine, de Meteoris Aristotelis, de Oeconomia, de Anima, Dissertationes in Psalmos Pœnitentiales*, & alia plura. In Codice 351. Bibl. Urbinatis extant

ejus

Digitized by Google

ejus *Tractatus de Anima humana*, *de Dæmonibus*, *de Angelis*, *de Deo*, hoc titulo præpoſito: *Nicolai Viti Gozzii Patritii Reip. Raguſinæ Tractatus &c.* & notula adjecta, *Nunc Sacræ Theologiæ ac Philoſophiæ Doctor.* Tractatus de Anima inſcriptus eſt *Franciſco Mariæ Ser. Duci Urbinati &c. Raguſii* 19. *Cal. Febr.* 1604. quem Nicolaus ſe ſcripſiſſe teſtatur *in mea Arcadia prid. Cal. Julii* 1591. alter *de Dæmonibus* ſcriptus eſt *rure* 13. *Cal. Junii* 1592. tertius *rure* 3. *nonas Sextiles* 1592. quartus *nono Idus Octobris* 1593. hi tres nemini inſcripti.

In Codice 502. ejuſdem Bibliothecæ deſcripta eſt *Brevis Chronologia Piſaurenſis*, auctore Gaufio de Gozze, quem Raguſinum Scriptorem eſſe autumo, dicata *Franciſco Mariæ II. Duci VI. Urbini, & Piſauri Domino.*

Joannes Gundula cum multa poemata, tum quatuor opera drammatica Illyricis verſibus elucubravit; unum eſt *Oſmanes* haud vulgatum, tria in vulgus edita, *Filius Prodigus*, *Ariadna*, *Proſerpina*, quibus adde *Explanationes in ſeptem Pſalmos Pœnitentiales.* Vivebat an. 1600. Ejuſdem cognominis, ac gentis Franciſcus Annales patriæ ſuæ mſs. poſteris reliquit; commentaria legationum a ſe geſtarum; & diſſertationem de civilium magiſtratuum jure judicandi immobilia Religioſorum bona.

Maurus Orbinus Abbas Melitenſis *Hiſtoriam de regno Slavorum* in lucem protulit Piſauri anno 1601.

Jacobus Luccarus *Annales Raguſii* Italice contexuit, & Venetiis e typographia Antonii Leonardi emiſit an. 1605.

F. Ambroſius Gozzeus ex Ordine S. Dominici Epiſc. Mercanenſis & Tribunienſis, *Catalogum de Scriptoribus Dominicanis* & *Reformationem Calendarii perpetui juxta Calendarium Gregorianum* typis edidit; ſcripſit præterea *Tabulam Ordinationum omnium Capitul. Gener. Ord. ab an. Dom.* 1542. *uſque ad an.* 1601., *Librum ſimilitudinum & exemplorum mille & nonaginta pro Prædicatoribus*, *Correctionem in Commentarios Ludovici Vives ad libros S. Auguſtini de Civitate Dei*, & ex Echardo, *Alberum familiæ Gozzeæ, ſeu ſtemma & genealogica ſeries Gozzeæ gentis*, quæ mſ. ſervatur.

F. Archangelus Gozzeus Ambroſii patruus ex Dominicana familia, præclaris ingenii dotibus, pietate, eruditione, facundia, geſtiſque muneribus illuſtris. Scripſit Illyrica lingua *de Confraternitate Nominis Dei*, *& Roſario B. Mariæ*, item *Libellum alium de Roſario:* ex Echardo Tom. 2.

Simeon Slatarichius Poeta Illyricus primum librum Metamorphoſeon Ovidii ſermone, & carmine Illyrico donavit, anno 1620. adhuc vivus.

Georgius Raguſæus Philoſophus, Theologus & Orator inſignis; de quo hæc Philippus Thomaſinus in Elogiis virorum illuſtrium, & Nicolaus Papadopoli in Hiſt. Gymnaſii Patavini Tom. 1. lib. 3. ſect. 2. cap. 24. num. 114. "Ex ignobili, & illegitimo thoro Raguſii natus, Venetiis, quorum opibus, quibus auxiliis adoleverit ætate, ſcientiiſque, licet diſſimulare. Clericalibus initiatus ordinibus locupleti proventu donatus fuit a Joanne Baptiſta Milano Epiſcopo Bergomate. Præter Philoſophiæ & Theologiæ ſtudia Medicinæ, Matheſi, & Eloquentiæ totum ſe addixit; & Patavii anno 1601. Collegium Canonicorum S. Mariæ in Avancio Theologicis diſciplinis inſtituit; inde ad ſecundam Philoſophiæ Ordinariæ cathedram, quadringentis in ſtipendium aureis propoſitis, conſcendit, Cæſaris Cremonini Philoſophorum Principis æmulus. Miro & eleganti facundiæ nitore docuit. Multa ſcripſit, primumque a ſe editum volumen de Peripateticis Quæſtionibus Deiparæ Virgini dicavit, cujus exemplar thecis argenteis involutum in Olivetano templo eidem obtulit. Vir colore ſubnigro, gravi vultu, ingenii nobilitatem magna veſtium pompa, & affabili morum majeſtate egregie decoravit. Lento morbo correptus, quem neglexit, inopinate deceſſit Idibus Januariis an. 1622; „ut Thomaſſinus, anno poſt; ut Papadopolus affirmat, cum annum ætatis ageret tertium ſupra quadrageſimum. Celebris ejus bibliotheca, ædiſque peramplæ ornamenta Fiſco addicta, quippe nothus inteſtato obierat, & ſub haſta divendita fuerunt. Corpus humili elatum funere in D. Franciſci Eccleſia ſine honore tumuli jacet. Hæc ab eo ſcripta. *Diſputationum Peripateticarum volumen* 1. *cum Reſponſionibus ad Tractatum Cæſaris Cremonini de Formis elementorum. Epiſtolarum Mathematicarum, ſeu de Divinatione lib.* 2. *Pariſiis editi an.* 1623. quibus adjuncta eſt *Diſputatio de puero & puella qui e ruinis extracti revixiſſe putantur.* Extant mſs. præterea *Libri* 3. *epiſtolarum de Logica, de Rhetorica, de Scientiis; Comment. in artem Raymundi Lulli; In univerſam Ariſtotelis Philoſophiam Tom. X. & Comment. in libros Sententiarum.*

Antonius Bona ingenio & doctrina maxime floruit ſæc. XVI. utrum opus ullum ſive ſcripſerit, ſive ediderit, incompertum. Obiit Patavii an. 1558. in atrio Cœnobii Antoniani ſepultus & hac epigraphe in tumulo ornatus. *Antonius Bona nob. Raguſin. cum per aliquot annos in celeberrimis Italiæ Gymnaſiis Philoſophiæ maxima cum civium ſuorum ſpe operam dediſſet, fortunæ corporis & animi dotibus ornatiſſ. atque unicum matris ſolatium morte immatura ſublatus eſt, Pridie Idus Maii* 1558. *An. natus* 21. *Menſ. IX. Dies XIX. Paſqualis Mentius Avunculus mœrens P. C.* Hunc tamen Antonium eſſe cenſeo, ad quem extat epiſtola Julii Pogiani edita Tom I. Epiſtol. hujus litteratiſſimi viri; ejuſdemque Antonii fortaſſe eſt epiſtola ad Pogianum ibidem in adnotationibus ſubjecta pag. 257.

Joannes Bona florebat ſub initium ſæculi decimi ſeptimi; *Libros tres Carminum Illyricorum de vita & laudibus S. Mariæ Magdalenæ* compoſuit, ac typis tradidit.

Marinus Ghetaldus inſignis Mathematicus an. 1607. quinque libros Mathematicarum inſtitutionum edidit, & libros quoſdam deperditos Apollonii Pergæi, quos *Apollonius redivivus* inſcripſit.

Sabinus Gozzeus duo drammata Italica in Illyricum ſermonem convertit, videlicet *Amyntam* Torquati Taſſi, & *Adrianam* Ludovici Grottii, qui vulgo cognominatus eſt *Cæcus Adriæ*. Vivebat ſæculo decimo ſeptimo ineunte.

Paſqualis Pimas Sabino Gozzio æqualis Illyrice compoſuit, & typis vulgavit comœdiam, quæ *Euridice* inſcribitur, item carmen Illyricum de *Partu Virginis;* Cantica Eccleſiaſtica fere omnia, & aliquot Pſalmos Illyrico verſu donavit.

Joannes Gozzius ſuperiori ſæculo decimo ſexto florebat; duas comœdias Mſs. reliquit; alteram

Digitized by Google

teram ipſe Italico ſermone compoſuit, quæ *Io*, alteram e Latino in Illyricum convertit, quæ *Leo Philoſophus Imperator* inſcribitur.

Stephanus Gradius Cuſtos Bibliothecæ Vaticanæ plures orationes latinas typis commiſit an. 1610. itemque carmina latina, & librum Appiani de bello Illyrico latinum fecit. Extant præterea, *Diſputatio de opinione probabili cum Honorato Fabri*, Romæ edita an. 1678. *Oratio in funere Cæſaris Cardinalis Raſponii*, item Romæ vulgata an. 1676. *Epiſtolæ ad Menagium*; *Apologia pro Tragurienſi fragmento Petronii*, ſub nomine *Marini Statilii*: tum carmen *de laudibus Reip. Venetæ, & cladibus Patriæ ſuæ*, editum anno 1675. Anno autem 1790. typis Raguſinis in lucem prodiit ejuſdem *Diatriba Antiquitatum Rhacuſanarum*. Venetiis in Bibliotheca Nanniana extant Mſs. oratio Iſocratis ἀμάρτυρος, Gradio interprete, orationes duæ Italicæ, altera academica, altera de Græcis ad Italiam revocandis, tum ejus epiſtolæ ad Card. Deſtreum, & ad Jo. Baptiſtam Nannium Eq. ac D. Marci Procuratorem.

Nicolaus de Bona patritius Raguſinus, antiquitatis & jurisprudentiæ patriæ ſtudioſiſſimus vixit ſæculo proxime elapſo, & Praxim judiciariam concinnavit juxta ſtylum Curiæ Raguſinæ, tum Deſcriptionem Raguſinæ ditionis, illam an. 1784. hanc an. 1790. Raguſii editas.

Joannes Luccarus Presbyter Societatis Jeſu carmina plurima edidit ſacra & prophana, tum orationem in funere M. Antonii Card. Franciotti, Romæ an. 1666.

Bartholomæus Betterra plura carmina edidit, nimirum *de Terræmotu Raguſino*, *Oronta Cypria*, & *Senſa amoris in Deum ex ſeptem Pſalmis pœnitentiæ Davidicæ*: ſuperſunt Mſs. *Soliloquia D. Auguſtini* in Illyricum ſermonem converſa. Obiit an. 1712.

Benedictus Rogaccius e Societate Jeſu edidit Romæ anno 1690. Carmen didaſcalicum, cujus titulus eſt *Euthimia*, ſive *de tranquillitate animi*, *Explanationem illius ſententiæ Dominicæ*, Porro unum eſt neceſſarium, *Poema de Terræmotu Raguſino*, aliaque.

F. Michael Angelus a Raguſio ex Ordine Cappuc. ineunte ſæculo decimo octavo, de quo Bibliotheca Cappuc. *Michael Angelus a Raguſio in Piceni provincia profeſſus, & Ordini atque Orbi virtutis ſpectaculum. Nobili ſatus ſanguine*, e Boſdaria familia, *ſupremus univerſi Ordinis Moderator, Aſceticus, Theologus, Concionator, & Conſiliarius, Magnatibus ac Principibus carus & venerabilis*. Edidit *Brevem Methodum peragendi utiliter ſacras exercitationes, Mediolani, & Bononiæ an.* 1705.

Anſelmus Bandurius e Melitenſi D. Benedicti ſodalitate Theologicis & Canonicis diſciplinis, at Græcæ præſertim linguæ ſtudio, & ſacra eruditione floruit ineunte ſæculo decimo octavo. In Italia diutiſſime commoratus Mediceæ Bibliothecæ Præfecturam geſſit, ſummis illius ætatis hominibus apprime carus, & a doctiſſimis viris, e Maurina in primis Congregatione Gallicana, quorum diu conſuetudine ac doctrina Pariſiis uſus eſt, plurimi habitus. Hæc vero præcipua ſui ingenii ac eruditionis opera, quæ Pariſiis typis præſens ipſe vulgavit:

Series & argumenta Operum S. Nicephori Patriarchæ Cp. a Græco in latinum converſorum, & notis & diſſertationibus illuſtratorum.

Imperium Orientale, ſive Antiquitates Conſtantinop. duobus voluminibus comprehenſæ.

Imperatorum Romanorum a Trajano Decio ad Palæologos Auguſtos numiſmata.

Ignatius Georgius Abbas Benedictinus e Congregatione Raguſina Melitenſi, vir excellentis ingenii & exquiſitæ doctrinæ, præter varia utriuſque argumenti ſacri & prophani carmina latina & Illyrica, *Diſſertationem* eruditiſſimam de appulſu adventuque D. Paulli ad inſulam Melitam non Africanam, ſed Illyricam compoſuit, cui titulus: *D. Paullus Apoſtolus in mari, quod nunc Venetus Sinus dicitur, naufragus, & Melitæ Dalmatenſis inſulæ poſt naufragium hoſpes. Venetiis e Typographia Chriſtophori Zane an.* 1730. Opus longe operoſius moliebatur de veteri Illyrico, ſed morte præreptus conficere non potuit. Servantur plurima Mſs. inter hæc vita D. Benedicti Illyrico ſermone deſcripta.

F. Seraphinus Cervarius ex Ord. Præd. ſacris & prophanis diſciplinis eruditiſſime excultus. Quamplurima ab ipſo elucubrata ſunt, ſcilicet, *Lectiones Italicæ in S. Scripturam, & Illyricæ pro Quadrageſima conciones. Vita B. Joannæ Catharenſis latine deſcripta, & Paſchalion Moſcoviticum cum Kalendario latinis notis illuſtratum. Monumenta Hiſtorica ſuæ Congregationis, & Tomi IV. de viris illuſtribus Raguſinis*: demum *Hiſtoria Antiſtitum Raguſinorum in Tomos IV. diſtributa*; ſed omnia latent clauſa & manu tantum ſcripta in Raguſino ſui Ordinis Cœnobio. Obiit XII. Cal. Julii an. 1754.

F. Sebaſtianus Dolci Ordinis Minorum S. Franciſci celeberrimus, totique Italiæ notiſſimus concionator, qui, cum alios eruditionis & doctrinæ ſuæ fetus edidit præclaros, videlicet, *Monumenta hiſtorica Provinciæ Franciſcanæ Raguſinæ*, *Commentarium in res geſtas D. Hieronymi*, *Diſſertationem de Illyricæ linguæ vetuſtate & amplitudine*, *Catalogum virorum literis illuſtrium civitatis Raguſinæ*, præſertim *Seriem Chronologicam Antiſtitum Raguſienſium* erudite confecit, vulgavitque Anconæ anno 1761. typis Nicolai Bellelli.

Benedictus Stay in Romano Archigymnaſio publicus eloquentiæ profeſſor, doctiſſimus Philoſophus, idem & Poeta elegantiſſimus, Pii VI. P. M. a ſecretis Epiſtolis ad Principes viros, Newtonianam Philoſophiam univerſam Lucretianis carminibus doctis oppido, & laborioſis exornatam decem libris complexus eſt, quibus nihil politius, nihil eruditius, perfectiuſve eo in genere proferri poteſt; ex hiſce ſex tantummodo in vulgus prodiere duobus Tomis comprehenſi; antea vero & Carteſianam Philoſophiam iiſdem carminibus illuſtravit, reſque tum magna ſeptas obſcuritate, tum explicatu difficillimas mira perſpicuitate, & facilitate, copia & elegantia perſequutus eſt. Præfationes præpoſuit Chriſtophorus Stay Benedicti frater eruditione & ingenio haud minus, quam latinæ linguæ elegantia ac venuſtate excellens.

Rogerius Joſeph Boſcovichius in Romano ac Ticinenſi Gymnaſio Matheſeos Profeſſor, maximus Geometra, & Aſtronomus, in Pariſienſem, ac Londinenſem Academiam adlectus præclariſſimis ingenii ſui monumentis in lucem editis toti Europæ inclaruit. Celebriora, quæ vulgavit, opera ſunt hujuſmodi: *De Turbine Romano anni* 1749., *Elementa Matheſeos*, *De litteraria expeditione per Pontificiam ditionem* a ſe ſuſcepta *juſſu & auſpiciis Benedicti XIV. P. M.*

cum

Digitized by Google

cum P. Christophoro Maire Soc. Jesu; *De inæqualitatibus Saturni & Jovis; Philosophiæ naturalis Theoria*, præter plurima Mathematici, Philosophici, & Geometrici argumenti opuscula, quorum habes Catalogum ad calcem Operis *de Theoria Philosophiæ naturalis* prælo Remondiniano Venetiis impressi. Stayanam Philosophiam, & carmina *de Iride*, *& Aurora Boreali* a Carolo Noceto Soc. Jesu elucubrata eruditissimis notis, animadversionibus, & supplementis illustravit: idem Poeta elegans vario carmine lusit, & probatissimum opus de Solis ac Lunæ defectibus quinque libris complexus est, in quibus & poetica vis, & doctrinæ ingens copia mire elucet: hoc autem titulo inscripti sunt, *De Solis ac Lunæ defectibus libri V. P. Rogerii Josephi Boscovich Societatis Jesu ad Regiam Societatem Londinensem. Londini 1760.* Viro huic religione, scientia, politioribus literis, & multis in Ragusinam Rempublicam meritis illustri, & vita jam defuncto Mediolani anno 1787. hocce Cenotaphium in Æde Metropolitana Ragusina positum fuit ex S. C., quod hic subjicimus, dignissimum tanto Cive monumentum,

Rogerio Nicolai filio Boscovichio summi ingenii viro, Philosopho, & Mathematico præstantissimo, Scriptori operum egregiorum, Res Physicas, Geometricas, Astronomicas suis etiam inventis auctas continentium, celebriorum Europæ Academiarum Socio, qui in Soc. Jesu cum esset, ac Romæ matheſim profiteretur, multo labore, singulari industria, Benedicto XIV. mandante dimensus est gradum Terrestris Circuli Boream versus per Pontificiam ditionem transeuntis, ejusdemque ditionis in nova tabula situs omnes descripsit, stabilitati Vaticano tholo reddundæ, portubus inferi, ac supperi maris ad justam altitudinem replendis, restagnantibus per campos aquis emittendis commonstravit viam; Legatus a Lucensibus ad Franciscum I. Cæsarem magnum Etruriæ Ducem, ut amnes ab eorum agro averterentur obtinuit, merito ab iis inter patricios cooptatus; Mediolanum ad docendum mathematicas disciplinas evocatus Brerensem erexit, instruxitque servandis astris speculam; deletæ tum Societati suæ superstes Lutetiæ Parisiorum inter Galliæ indigenas relatus commissum sibi perficiundæ in usus maritimos opticæ munus adcuravit, ampla a Ludovico XV. Rege Christianissimo attributa pensione; inter hæc & poesim mira ubertate & facilitate excoluit, doctas non semel suscepit per Europam peregrinationes, multorum amicitiis, gratia virorum Principum ubique floruit; ubique animum Christianarum virtutum, veræque religionis studiosum præsetulit; cum ex Gallia Italiam reviseret, ac jam senex & novis operibus inchoandis, & veteribus absolvendis sese adcingeret, diuturno conflictatus morbo obiit Mediolani Id. Feb. an. MDCCLXXXVII. cum vixisset annos LXXV. menses IX. dies II. Huic optime merito de Republica civi, quod fidem, atque operam suam eidem sæpe probaverit in arduis apud exteras nationes hene, utiliterque expediendis negotiis, quodque sui nominis celebritate, novum suæ Patriæ decus attulerit, post funebrem honorem in hoc Templo cum Sacro, & laudatione publice delatum, ejusdem Templi Curatores Ex Senatus Consulto M. P. P.

Bartholomæus Boscovich e Societate Jesu Rogerii frater, idem ingenio, ac doctrina præstans, tum poetica laude clarus, plura carmina miræ venustatis & elegantiæ in lucem emisit.

Raymundus Cunich Græcis & Latinis litteris exculissimus selecta e Græca Anthologia epigrammata latino carmine donata typis vulgavit; grandius vero edidit opus in Homerum a doctis hominibus vehementer expetitum.

Bernardus Zamagna Philosophus, & Poeta, latina carmina *de Echo*, *& Navi aerea* concinnavit, ingenti plausu a litteratis hominibus excepta.

Joannes Maria Matthæi juris civilis scientia, & eruditione illustris. Opus scripsit *de Æris populorum*, *& urbium*, *Vitas D. Aloysii Gonzagæ*, *& B. Michaelinæ Pisaurensis* Illyrico sermone, tum *de frugifera sacrorum Mysteriorum frequentatione*, præter alia, quæ ab ipso sunt elucubrata.

Hos ego e celebrioribus ingenio ac doctrina viris, quos edidit civitas Ragusina, tantummodo enumeravi; nam singulos recensere nec instituti nostri est, & ingentis esset laboris.

Sua tamen laus Ragusinis feminis non est hoc in loco deneganda, quæ cum morum integritate litterarum scientiarumque studia haud raro conjunxerunt. Celebres ex iis fuere sæculo decimo sexto Julia Bona, quæ Illyricæ, ac Italicæ Poeseos laude claruit, & Floria Zuzzeri præcellens forma, at pudicitia, eruditione & poetica facultate multo præstantior, Scriptorum sui ævi testimoniis luculentissime ornata. Maria Beterra eruditione & prudentia illustris plura scripsit carmina Illyrica pietate & morum doctrina magni æstimata; tum Lucretia Bogasina, quæ Illyricis item carminibus historiam Tobiæ contexuit, Abrahami sacrificium descripsit, & eclogam de Nativitate Jesu Christi eleganter composuit: demum Anna Boscovichia Bartholomæi, & Rogerii soror, religione ac ingenio illustris Venetis typis *Illyricam Eclogam* edidit *in Natale D. N. J. C.* an. 1758. præter pia quædam carmina, quæ manu descripta feruntur in vulgus. Æque igitur ac sapientissimæ quæque civitates perillustribus ingenio, doctrina, & eruditione viris Ragusium hactenus floruit, summo graviorum disciplinarum, & artium bonarum commodo.

Sed illa præcipua laus est Ragusiensium, quod fidem orthodoxam ab omni labe intactam incorruptamque servarunt; seduloque invigilant, ne illa nimia quædam opinandi, loquendi, scribendi licentia, æque bonis moribus, ac sinceræ pietati adversa, & infesta, proserpat, quæ passim regiones multas pervasit, neque ullis jam viribus, atque opibus refrenari & coerceri potest. Nec solum ipsi Catholicæ Religionis tenacissimi sunt, sed ad eamdem tuendam in illis regionibus, ubi maximo in discrimine versatur, plurimum studii operæque conferunt. Quod enim in Bosina, in Serblia, in Bulgaria reliquiæ Catholicorum ritus latini (nam qui ritus Græcanicos in illis locis colunt, fere omnes Schismatici sunt) adhuc extent, vigeantque, id potissimum Ragusinis acceptum referri debet. Siquidem urbes & oppida illarum regionum referta sunt coloniis civium, ac præsertim mercatorum Ragusiensium, qui sedem rerum ac fortunarum suarum ibi collocarunt. Hi autem ubicumque domicilium sibi constituerunt, habent Templa, & rerum sacrarum Antistites; curatorefque Animarum, quibus omnia, quæ ad victum cultumque sunt necessaria, suppeditant. Horum autem opera æque ad Ragusinos, atque ad indigenas Catholici dogmatis, ritusque latini cultores, Christianis præceptis excolendos,

Ragusini Catholicæ fidei tenacissimi;

quantum debeat Ragusis Christiana religio in regionibus Turcicis Schismaticorum refertis.

dos, & divinis myſteriis imbuendos, impenditur; & plerique horum ad nationem Raguſinam ſeſe aggregarunt, ut iiſdem, quibus Raguſienſes, privilegiis atque immunitatibus in Turcarum ditione fruantur; omnes autem ſub patrocinio, & nomine etiam Raguſæorum tecti, ab omni periculo metuque liberi Chriſtianæ religionis officia exſequuntur. Raguſinis enim omnia, quæ ad cultum divinum pertinent, palam libereque exercendi ampliſſima ab Imperatore Turcarum facta eſt poteſtas. Huic ſiquidem pactam pecuniam penſitant, non ſolum ut ſe ſuamque Rempublicam ab omni barbarica vexatione ac portoriis redimant, & ſub ejus fide & clientela ſecuri conquieſcant; ſed etiam ut civibus & popularibus ſuis in illis, quas dixi, regionibus liber Chriſtianæ Religionis cultus permittatur, nulliſque moleſtiis & iniquis exactionibus ſubſint; qua libertate, ut dixi, & ſecuritate gaudent etiam indigenæ Catholici, quos Raguſini in ſuam tutelam, & rerum ſacrarum ſocietatem recipiunt, atque ab injuriis Turcarum, itemque vexationibus Antiſtitum Græcorum diligentiſſime tuentur; ac ſæpe accidit, ut aliqui ex ipſis Serblis, & Raſcianis, Photiano ſchiſmate ejurato, ad ſinum Eccleſiæ Catholicæ confugiant, ut in Sacrorum communionem ab Raguſinis admiſſi, horum præſidio tecti, inſectationibus Turcarum, & graviſſimis tributis, quæ a Sacrificulis Græcis exiguntur, ſeipſos eximant; propterea quibus eorum populares e conſociatione Raguſina gaudent, iiſdem ipſi quoque privilegiis, atque immunitatibus potiuntur. Hinc perſpici poteſt quam ſint Raguſini de fide & religione Catholica præclare meriti; quam cum ipſi conſtantiſſime retinent, & ſtudioſiſſime colunt, tum idem apud extraneas gentes retinendæ colendæque egregiam operam navant. Cum recta in Deum fidem eximium erga res divinas ſtudium propenſamque ad omnia religionis officia voluntatem conjungunt: id quod Templorum in urbe multitudo & ornatus, feſtorum dierum cultus & celebritas, religioſa adverſus Ordinem Clericalem & Sacerdotalem obſervantia, magna in Ædibus ſacris frequentia, ſummus inter eccleſiaſticas functiones ac ceremonias, Deo Diviſque adhibitus honos, & reverentia declarant. Franciſcus Serdonatus, vir graviſſimus, & eloquentiſſimus, cum Vincentium Forticum Archiepiſcopum, Ædem Cathedralem primo adeuntem, elegantiſſima oratione excepit, præclarum religionis ac pietatis teſtimonium Raguſinis tribuit, quod quamvis longiuſculum, huic tamen loco intexere libet.

Teſtimonium Franciſci Serdonati de religione ac pietate eximia Raguſienſium.

Illa omnia, quæ ad divinum cultum pertinent, hæc Civitas ſumma diligentia omni tempore comparavit, tractavit & ſervavit, in adverſis rebus ſemper ad Deum confugere, in ſecundis ei gratias agere, omnia bona ipſi uni accepta referre, & omnem ſpem ſalutis in ea collocare conſuevit. Deiparam Virginem, cujus hoc Templum eſt, ſummopere precari, venerarique ſolita eſt; eique omnes dicatos dies ſumma voluntate, & publico decreto celebrare, atque in ſummo honore habere, & illius opem & auxilium frequenter implorare; nec non omnibus Divis, & iis maxime, qui huic urbi, & ejus Templis præſident, quique omnium mentes eorum, qui ad rempublicam adeunt, maxime perſpiciunt, ſemper conata eſt ſatisfacere, ut ei in aula cæleſti bonorum datores, & periculorum deprecatores eſſent. Veri porro cultus; & Eccleſiæ cæremoniarum tam amans ſemper, retinens, & ſtudioſa fuit, ut nulla umquam aliæ diligentior fuerit in earum religionum, quæ ſibi per manus a majoribus traditæ ſunt, tutela; nulla majorem honorem Sacroſanctæ & orthodoxæ Romanæ Eccleſiæ umquam habuerit; nulla ſe magis obedientem Summo Pontifici præbuerit; & ut Religio apud ſe omni tempore ſuo loco conſiſteret, & ne qua labes in ea hæreret, & quæ illius nitorem aliqua ex parte contaminare poſſent, aut pietatis fundamenta ſubducere, ea omnia rejicerent, perfectum eſt hujus ſanctiſſimi Senatus opera & diligentia, qui cavit, ut qui ab iis abhorrent, & hæreſis nomine ſuſpecti eſſent, non ſolum domicilium, ſed ne hoſpitium quidem in hac urbe haberent, & ne commorandi quidem, nedum habitandi diverſorium nanciſcerentur. Atque hanc ejus pietatem declarant Templorum multitudo, & amplitudo, in urbe, & in univerſo Imperio, tum antiquitus, tum noſtra memoria extructorum; indicant Sacrarum Virginum Collegia divino cultui dicata; in quibus caſtiſſimæ atque innocentiſſimæ Virgines diurnis nocturniſque laudibus Deum celebrant, & pro hujus civitatis ſalute, & pro totius Eccleſiæ ſtatu exorant, & placatum efficiunt; atque ut hoc divinum plane munus continenter colere poſſint, neve tam ſanctum, tam ſolemne, tam neceſſarium officium umquam intermittere cogantur, ſanctiſſimus hic Senatus earum rationibus ita conſulit, ut ſemper ipſis ſuppeditent ea, quæ ad ſalubrem, & moderatum cultum victumque pertinent; oſtendunt item plures ſacræ virorum ſocietates in honorem Divorum Benedicti, Dominici, Franciſci inſtitutæ & conſecratæ, & omnibus rebus neceſſariis copioſe ornatæ, in quibus multi Sacerdotes dies ac noctes corpore & animo excubant; ut ſacrum Chriſti Evangelium interpretentur, & hymnis & laudibus Deum venerentur; ut eum ſacrificiis ſolemnibus propitium reddant: quibus omnibus hi religioſiſſimi Patres, & Senatores omnia honeſta concedunt, largiuntur, tribuunt: cum enim ſciant ornamentum religionis, firmamentum Reipublicæ Chriſtianæ Sacerdotum ordine contineri, eorumque omnes rationes non hominum tantum præſidio munitas, ſed etiam divino jure vallatas, nihil umquam quod ad eos ornandos attineret, prætermiſerunt; itaque Sacerdotibus, & ſacra colentibus hominibus nuſquam majores fructus, aut commoda, quam in hac civitate, & ejus ditione fuerunt; indicat vero præcipue ſacrarum Reliquiarum copia, quæ pie religioſeque in hac civitate cuſtodiuntur, & coluntur; ut hoc mihi vere affirmare poſſe videar, nullam eſſe in univerſo terrarum orbe Chriſtianorum urbem, ſi unam Romam excipias, in qua aut major Reliquiarum copia ſit, aut eæ diligentius & ſanctius aſſerventur, aut in capſulis, & receptaculis majori artificio, & ex pretioſiori materia fabrefactis retineantur. Verum horum Patrum pietas, & publici omnium Chriſtianorum boni ſtudium, cum antea variis temporibus facile ab omnibus perſpici potuit, tum proximi belli tempore, Turcis claſſes ſuas ad hæc littora appellentibus; cum enim optimi Patres viderent eorum triremes eſſe Chriſtianorum hominum omnium generum & ætatum plenas, qui tum in Ionio, & Ægæo mari, tum in Adriatico ſinu ex Inſulis Venetorum imperio ſubjectis, abrepti eſſent, cognoſcerentque quid damni Chriſtiana Reſpublica facitura eſſet, ſi tot bo-

Digitized by Google

homines in ſervitutem adducerentur, pueri præſertim, qui omnes ad Mahometanos ritus traducti, & Chriſtiani nominis hoſtes facti, Sathanæ inſervientes, ſe totos ei mancipaſſent, & ſempiternis tenebris deinceps, & cruciatibus; & omnium ſuppliciorum acerbitatibus animum & corpus mandarent; ut tanto malo remedium aliquod adhiberent, aut allevamentum ſaltem invenirent, non viris ſolum multis adjumento fuerunt, ut vel fuga vel pretio ſaluti conſulerent, ſeque a ſervitute liberarent; ſed certos etiam homines allegarunt, qui naves eorum conſcenderent, ac diligentiſſime omnia circumſpicientes, pueros, puellaſque, ea enim ætas multis de cauſis periculo propior erat, ſeligerent, quos omnes deinde ſua pecunia redemerunt, & interea diſtribuentes domi cum ſuis filiis alendos, educandoſque curarunt, & deinceps eos, qui a parentibus, aut a propinquis repetiti ſunt, reddiderunt; & multi adhuc remanent, qui hic religione erudiuntur, & optimis moribus imbuuntur. Quæ res tantam admirationem multis excitavit, ut Veneti ipſi, qui tunc mercaturis rem ſuam quærentes hic degebant, affirmarent nullo pacto potuiſſe majora in miſeros illos captivos pietatis exempla edi, ſi naves illæ ad ipſorum Venetorum, ad quos præcipue illa cura pertinebat, urbes perveniſſent. Sed incredibile eſt quantum boni quotidie ex hac illorum pietate in omnes proficiſcatur, & in dies latius manet, quidve utilitatis Chriſtiana reſpublica ex ea capiat; cum enim in finitimis locis hæretici, & Schiſmatici habitent, innumerabilibus hominibus in umbra mortis habitantibus lux vitæ hinc oritur: continenter enim ex illis locis, tamquam e turbulento, & formidoloſo aliquo mari, multi in hanc urbem, quaſi ad tranquilliſſimum, & tutiſſimum portum ſe referentes, & ab his religioſiſſimis Patribus benigne excepti, & non pauci etiam ſtipendio affecti, Eccleſiæ reconciliati, in vera & Catholica fide inſtituuntur, & verum Dei cultum amplexi, in veram viam ſalutis revertuntur; & quam debent obedientiam Eccleſiæ Romanæ præſtant, ejuſque bonorem aliquo pacto augent. Quæ quidem omnia magna incommoda, ingentes ſollicitudines, & maximos ſumptus huic Civitati afferunt; barbaræ namque gentes, & a pietate erga Deum alieniſſimæ, quibus hæc Civitas pene circumſcripta eſt, omnes fraudes & dolos adhibent, minas jactant, pericula intendunt, formidines opponunt, quibus aut hos religioſiſſimos Patres ab ejuſmodi operibus deterreant, aut per calumniam malitiamque in odium Imperatoris ſui retrahant. Verumtamen ipſi divino auxilio freti, eorum terrores ac minas non magni æſtimantes, in ejuſmodi piis actionibus ſibi a majoribus per manus traditis conſtantiſſime perſeverant, & acerrimas impiorum hominum avaritiæ miniſtras calumnias pretio coercent; ac nulli periculo, neque labori, neque ſumptui parcunt, ut bonorum Chriſtianorum officio fungantur, ut Catholicæ fidei palmam ferant, ut bonis omnibus emolumento ſint. Itaque hoc ſine ulla dubitatione confirmarem hos religioſiſſimos Patres veræ religionis & pietatis conſervandæ, quam libertatis & dignitatis retinendæ multo cupidiores fuiſſe. Quare pium eſt credere hanc Civitatem præ cæteris a Deo amari, charamque haberi, atque ab eo ſervari, & in perpetuum ſervatum iri.

Schiſmatici & hæretici ut ad rectam in Deum fidem & Eccleſiæ Romanæ obſequium revocentur,

nullis impenſis nullis periculis nullis ſumptibus parcunt.

De Civitate, & Republica Ragu-

De Urbe & Republica Raguſina quæ Palladius Fuſcus lib. 1. de ſitu Oræ Illyricæ ſcripſit, huic loco intexere libet: *A Naronis oſtiis ſtadiis octingentis occurrit Stagnum, Arx Raguſinorum; ab ea ſtadia ducenta eſt Raguſium Urbs ſacris profaniſque Ædibus ornatiſſima, & argenti aurique ditiſſima: quæ inter tria Imperia Venetorum, Paunonumque, & Turcarum conſtituta, privata ſorte degit, ut antiquitus in Aſia, inter Parthos Romanoſque, Palmyra; pendit tamen annuum Turcarum Regibus tributum;* (ideſt certam pecuniæ ſummam ex pacto debitam, pro privilegiis & immunitatibus ab omni vectigali ab Rege Turcarum conceſſis:) *verum hæc, ut reliqua Illyrici urbes, in patricios plebejoſque diviſa eſt, ita tamen, ut ſoli Patricii, ſummotis plebejis, Rempublicam adminiſtrent; & quidem non modo leges, ſed etiam magiſtratus Venetis perſimiles habent: cujus rei originem hanc fuiſſe comperi. Cum enim Raguſinorum Reipublicæ, quantulacumque eſt, fundatores eam poſteris undique munitam tradere vellent, & Venetam Rempublicam legibus & moribus potius divinis, quam humanis inſtitutam cernerent, illam ſibi in omnibus imitandam propoſuerunt: verum procedente tempore, id quoque cum cognitum foret, Venetos mercatura diteſcere, eos hac quoque in parte imitari voluerunt. Hinc eſt, quod nulla Europæ pars adeo abdita eſt, ita advenis infeſta, ut in ea Raguſinos non invenias negotiantes. Habebant annis ſuperioribus naves amplius trecentas, quas mercibus onuſtas in diverſas orbis partes ad quæſtum mittebant; ſed longum foret ſi omnia commemorare vellem; unum tamen non prætermittam, quo intelligatur quanta ſit Raguſinorum ſeveritas, & in liberis educandis diligentia; non enim ſinunt in ſua Urbe ludos eſſe, niſi literarios; ſi gladiatores, ſaltatoreſve acceſſerint, ſtatim ejiciuntur; ne juventus, quam literis dumtaxat, & mercaturæ vacare volunt, hujuſmodi fœditatibus corrumpantur; verum cum hæc proderem, ibi erat Ælius Cervinus poeta eminentiſſimus, cui ſi priſcis temporibus naſci contigiſſet, quando more hominum ita comparatum eſt, ut veteres Scriptores novis ſemper anteponantur, ipſe profecto cum antiquis Vatibus poſſim legeretur; tanta eſt ejus in rebus, quas decantat, eruditio, & ea carminis ſublimitas.*

gusina, Palladius Fuſcus.

His addas velim perbreve, ſed præclarum teſtimonium, quod Raguſinis tribuit Laonicus Chalcondyla Hiſt. de Orig. Turcarum: *Eam urbem incolunt Viri admodum illuſtres, qui eo convenere; & cum diſciplinæ ſanctitate animi ipſorum facile coaleſcerent, & diſcordia omnis ſubmota foret, eam emunierunt validiſſimis undique objectis muris. Et proficiſcentes in continentem & Jonium mercium gratia, brevi urbem opibus haud contemnendis auxere. Habet a quibus regitur leges optimas & ſaluberrimas, & in Ariſtocratiam verſa adminiſtratur. Cives magnificis ædificiis Urbem hanc exornarunt, quæ quidem celebris habetur, & Viros producit prudentia inſignes.*

item Laonicus Chalcondyla.

Initia Epiſcopatus & Archiepiſcopatus Raguſini anno circ. 650.

Nihilo recentiora ſunt Eccleſiæ, quam Civitatis Raguſinæ primordia. Nam Joannes poſtremus Epidauriorum Epiſcopus, qui poſt exciſam a Slavis & Avaribus everſamque Epidaurum, vel Burnum, vel alio confugerat, ut ſupra dictum eſt, Sedem Epiſcopalem Epidauritanam Raguſium tranſtulit, quæ civitas ab Epidauriis & Salonitanis, amiſſa patria profugis edificata fuerat, & habitari jam cœperat. Hic Epiſcopatus, & Eccleſiæ Raguſinæ fundamenta

ta jecit anno circiter 650. Sed de primordiis Archiepiſcopatus Raguſienſis magna eſt inter Scriptores controverſia. Sunt qui ejus initia referenda cenſent ad ſæculum octavum, alii vero in ſæculum decimum rejiciunt. Auctores primæ ſententiæ nituntur auctoritate Zachariæ Papæ, qui Pontificatum ſuſceptum anno 741. uſque ad 752. perduxit; ab hoc Pontifice Eccleſiam Raguſinam jure ac titulo Archiepiſcopali auctam, ſeu potius ex ejus teſtimonio jampridem donatam fuiſſe affirmant; ejuſque Pontificium Diploma in publico Urbis Tabulario extare ajunt. Nemo quidem adhuc fuit, qui hoc Diploma in lucem protulerit; ſed Calliſtus II. in ſuis litteris inſcriptis *Geraldo Raguſiæ Civitatis Antiſtiti*, Zachariam inſtitutæ, ſeu confirmatæ poteſtatis metropoliticæ Eccleſiæ Raguſinæ teſtem citat: *Ad exemplar*, inquit, *prædeceſſorum noſtrorum Jan. mem. Zachariæ, Benedicti & Paſchalis, Sanctam Raguſeorum Eccleſiam præſentis privilegii pagina communimus.... Pallii vero uſum ex Apoſtolicæ Sedis liberalitate tibi concedimus*. Verum ſi fides habenda eſt Presbytero Anonymo Diocleati, an. 877. Eccleſia Raguſina adhuc ſuberat Metropolitæ Spalatenſi, cui attributa, ſeu potius relicta fuit in Concilio Delmitano, quod eodem anno habitum fuiſſe diximus Tomo III. Illyr. Sac. in Georgio Archiepiſcopo Spalatenſi cap. 1. §. 4. Has ſiquidem Eccleſias *Metropoli Salonitanæ*, ideſt Spalatenſi ſubjectas percenſuit, *Spalatum, Tragurium, Scardonam, Stranſonam, quod nunc eſt Caſtellum Jadræ, Enonam, Arbum, Abſorum, Vegliam, & Epidaurum, quod nunc dicitur Raguſium*. Qui ergo fieri poteſt, ut Zacharias Eccleſiæ Raguſinæ dignitatem metropoliticam contulerit, vel confirmaverit, cum hæc uno amplius ſæculo poſt Zachariam adhuc eſſet ſub poteſtate Archiepiſcopi Spalatenſis? Nec vero ulla cauſſa excogitari poteſt, cur Synodus Diocletana huic Eccleſiæ jus titulumque metropoliticum ademerit, eamque in ordinem Eccleſiarum Epiſcopalium redegerit. Verendum itaque eſt, ne nomen Zachariæ in Diploma Calliſtianum per inconſiderantiam irrepſerit; vel fortaſſe Calliſtus alieno errore deceptus, dignitatem Metropoleos Eccleſiæ Raguſinæ collatam ſive confirmatam Zachariæ affinxit; non enim deſunt exempla, e quibus, cum de locis, de nominibus, de factis agitur, hujuſmodi errata interdum in ipſis litteris Pontificiis deprehendi queant. Sed omnem erroris ſuſpicionem a Calliſtiano Diplomate amovere poſſet Diploma ipſum Zachariæ, quod in Tabulario Civitatis aſſervari dicitur. Hoc ſi aliquando in publicum prodeat, initia Archiepiſcopatus Raguſienſis ſæculo octavo, vel etiam ſuperiori affixa in dubium revocare nemo poterit.

Aliqui Sedem Archiepiſcopalem Raguſii conſtitutam translatamque ex urbe Diolea tradunt.

Jacobus Luccarus, Anſelmus Bandurius, & alii plures Eccleſiam Raguſienſem ex Epiſcopali ad gradum Archiepiſcopalem evectam fuiſſe tradunt intra finem ſæculi decimi. Ajunt enim per ea tempora Diocleam urbem Archiepiſcopalem ab Samuele Bulgarorum Rege funditus everſam; Joannem vero civitatis Archiepiſcopum profugiſſe Raguſium, eique, cum ibi diverſaretur, a Raguſinis, poſt obitum ſui Epiſcopi, delatum fuiſſe illius Eccleſiæ Epiſcopatum, quem, titulo Archiepiſcopali retento, ad dignitatem Metropoliticam evexit. A Romano Pontifice hæc omnia Sedis Apoſtolicæ auctoritate confirmata fuiſſe ajunt; *& tum primum*, ait Luccarus, *Eccleſia Raguſii titulum Archiepiſcopalem adepta fuit, & nata eſt apud nos atque inſtituta Dignitas Metropolitica anno circiter 990*. Horum ſententiæ meam quoque libenter adjunxerim: ſed paullo altius, & inde uſque ab anno hujus ſæculi circiter triceſimo, initia Raguſienſis Archiepiſcopatus repetenda cenſeo. Neque enim Samueli, ſed Simeoni Bulgarorum Regi, qui ætate ſuperior fuit, everſio Diocleæ attribuenda eſt. Siquidem Conſtantinus Porphyrogenitus, qui anno circiter 950. Commentarios ſuos de Admin. Imper. ſcribebat, Diocleam ea tempeſtate jam vacuam, & deſertam ab incolis fuiſſe affirmat, annis amplius triginta antequam Samuel Regni Bulgarici potiretur, qui ſæculo decimo ad exitum vergente regnare cœpit: *Dioclea*, inquit cap. 35. *nuncupata eſt ea regio, ab urbe ibi condita a Diocletiano Imperatore* (imo longe antiquior ætate atque Imperio Diocletiani Civitas illa fuit), *quæ nunc habitatoribus vacua, in hodiernum diem Dioclea appellatur; ſuntque in ea regione urbes habitatæ magnæ Gradete, Nugrade, & Lanſodocha*. Nec vero dixeris Diocleam quidem *regionem* deſertam, ſive habitatoribus vacuam fuiſſe, cum Conſtantinus ſcribebat an. 950. non autem *civitatem* Diocleam, ſed hanc ſtetiſſe incolumem uſque ad regnum Samuelis, a quo demum funditus everſa fuit: nam ſi locum illum Conſtantini Græcis verbis expreſſum recte interpretari velis, & verbum pro verbo reddere, ex eo urbem ipſam, ſive Caſtrum deſertum temporibus Conſtantini fuiſſe ſatis perſpicue intelligitur. Locum ipſum, ut Græce ſcriptum eſt, e cap. 35. proferre lubet. Διόκλια δὲ ὀνομάζιτο ἀπὸ τῦ ἐν τῇ τοιαύτῃ χώρᾳ κάστρυ, ὅπερ ἔκτισεν ὁ Βασιλεὺς Διοκλητιανός. Νυνὶ δὲ ἔστιν ἐρημόκαστρον, μέχρι τῦ νῦν ὀνομαζόμενον Διόκλια. *Dioclea autem nuncupata eſt ab oppido illius regionis, quod condidit Imperator Diocletianus; nunc autem eſt* Deſertum Caſtrum, *& uſque ad hoc tempus appellatur Dioclea*. Ex eodem Porphyrogenito intelligi poteſt, quo anno, quove bello Dioclea exciſa, & deleta fuerit. Provincia Diocletana, quæ denominata fuit a Dioclea, urbe totius regionis primaria, una erat e quatuor illis Zupaniis ſive Dynaſtiis, quas Serbli obtinebant in Dalmatia ſuperiori, ut docet Porphyrogenitus. In hac parte Serbliæ maritimæ rerum potiebatur Tieximirus filius poſthumus Paullimiri, ut docet Anonymus Diocleates; in altera vero parte Serbliæ mediterraneæ, quæ ad Orientem vergit, & Mœſia ſuperior olim dicta fuit, regnum obtinebat ex Porphyrogenito Zacharias filius Pribeſthlavi; qui anno circiter 922. Paullo Borani filio, patrueli ſuo, expulſo, Regnum ademerat, ut tradit Porphyrogenitus. Huic autem, cum ad Græcos Bulgarorum hoſtes deficiſſet, Simeon Rex Bulgariæ bellum intulit anno 925. Ingenti clade repulſus cum eſſet, anno proximo validiorem exercitum conſcripſit, & Zachariam Bulgarici apparatus fama perterritum in Chrobatiam fugere coegit. *Simeone vero*, inquit Porphyrogenitus cap. 32. de Adm. *iterum novas copias mittente contra Zachariam principem ſub præfectis Cneno, Hemeneco, ac Etaboclio, & miſſo ſimul Izeeſtblabo, metuens tunc ſibi Zacharias in Chrobatiam profugit*; ex quo illud animadverti velim hoc bello Bulgarico Serblos omnes petitos fuiſſe, tum me-

Digitized by Google

mediterraneos, qui ſub imperio Zachariæ Moſiam ſuperiorem, tum maritimos, qui Dalmatiam ſuperiorem incolebant; erant ſiquidem vel alterutri alteris vectigales, vel utrique inter ſe, ut genere & ſanguine, ſic fœdere & amicitia juncti. Si enim hujus belli nullus timor impendiſſet Serbliæ Dalmaticæ, hæc ſane tutum receptum Zachariæ præbere potuerat; is autem maluiſſet opinor ſe recipere apud Serblos finitimos, amicos, & conſanguineos, quam fugam adeo longinquam ad Chrobatos uſque capeſſere. Poſt fugam Zachariæ Bulgari per ſpeciem conſtituendi in avito Regno Serbliano Izeſthlabi, qui Clonomiri filius erat e regia Serblorum ſtirpe, pronepos Blaſtimeri Regis Serbliæ, Zupanos ſeu Præfectos urbium & provinciarum unum in locum ad novum Regem excipiendum convocant; tunc vero nihil tale metuentes in vincula conjiciunt. Nemo illis cum obſiſteret, Serbliam univerſam impune pervaſtant, Serblos inermes imparatoſque partim cædunt, partim captivos una cum Izeſthlabo, & primoribus Regni in Bulgariam abducunt, reliquos hoſtili gladio & ſervituti fuga ſubduxit, qui ad Regem ſuum Zachariam in Chrobatiam ſe contulerunt: *Bulgari autem*, ut eſt apud Porphyrogenitum, *Zupanis ſignificarunt, ut ſe convenirent, & Principem Izeeſthlabum exciperent; juramentoque deceptos, atque ad unum pagum adductos protinus in vincula conjecerunt, Serbliam invaſerunt, populumque omnem a minimo ad maximum in Bulgariam abduxerunt; quidam vero profugi in Chrobatiam ſe receperunt; manſitque regio deſolata.* Hæc Serbliana clades & vaſtatio in annum incidit circiter ſextum, & viceſimum decimi ſæculi. Eadem vero Bulgarica tempeſtate Diocleam disjectam ac dirutam fuiſſe arbitror, quamquam Conſtantinus Porphyrogenitus, neque hujus, neque aliarum Serbliæ civitatum, quæ a Bulgaris direptæ & incenſæ vel exciſæ fuerunt, mentionem fecerit. Habes igitur quo tempore, quove infortunio Civitas & Metropolis Diocletana interierit; & quamvis poſt interitum Simeonis anno 932. extincti, utraque Serblia, ut docet Porphyrogenitus, & regio Diocletana iterum habitari & frequentari, urbeſque reſtitui cœpiſſent; Diocleа tamen anno 950., cum hæc ſcribebat Conſtantinus, inculta, vacua, deſerta jacebat, nomen tantum cum ruderibus & veſtigiis ædificiorum retinens; neque uſquam poſtea reædificatam fuiſſe conſtat. Quocirca clades Diocletana, & clariſſimæ urbis interitus non Samueli, ſed Simeoni Regi Bulgarorum adſcribi oportet. Inter incendia & ruinas captæ urbis Joannes Archiepiſcopus Diocletanus fuga elapſus Raguſium ſe recepit; & paucis poſt annis delatum ſibi a Raguſinis Epiſcopatum illius civitatis ſuſcepit; quem quidem, cum titulum Archiepiſcopalem retinuiſſet, dignitate ac poteſtate Metropolitica decoravit, Romano Pontifice annuente & approbante. Ita fit, ut initia Raguſini Archiepiſcopatus, quæ Luccarus & alii in annum 990. vel 980. rejiciunt, ad annum vel triceſimum vel quadrageſimum decimi ſæculi revocari debeant.

Joannes Archiepiſcopus Diocleæ Sedē Archiep. Diocletanam Ragulii conſtituit.

Errata Seraphini Razzii.

Seraphinus Razzius Florentinus ex Ordine S. Dominici in Hiſtoria Italica Mſ. Archiepiſcoporum Raguſienſium, ubi de primordiis egit Archiepiſcopatus Raguſienſis, multa peccavit, quæ breviſſime perſtringam. Epidauri ſupremam everſionem in annum quadrageſimum quinti ſæculi confert; hæc vero civitas adhuc ſtabat incolumis & florebat ſexto ſæculo exeunte, ut conſtat ex Epiſtolis S. Gregorii Magni, itemque ſæculo ſeptimo. Joannem Epidaurium Epiſcopum, vocat Archiepiſcopum Epidauri: verum ſatis conſtat Eccleſiam Epidauriam, quamdiu ſtetit, ſubjectam fuiſſe Metropolitæ Spalatenſi, Epidauro a Gothis devaſtata, & funditus everſa, Sedem illam, ut vocat, Archiepiſcopalem Tribunium ab eodem Joanne translatam fuiſſe; ſed numquam invenies vel Epidauriam, vel Tribunienſem Eccleſiam jure tituloque Archiepiſcopali præditam fuiſſe. Sæculo nono Sedem Metropoliticam Tribuniæ ademptam a Nicolao I. Pontifice & Dioclеæ collocatam fuiſſe ait; verum inſtitutionem Metropolis Eccleſiaſticæ Diocletanæ Presbyter Anonymus Diocleates Concilio Delmitano attribuit, quod morte Nicolai I. decem annis poſterius fuit. Poſt excidium Dioclеæ, quod idem Razzius anno 980. adſcripſit, Sedem illam Metropoliticam una cum Joanne Archiepiſcopo Diocleenſi ad Inſulam, ſive ad Scopulum Mercanæ demigraſſe aſſerit, ſed nullo teſte probat; inde vero poſt aliquot annos Raguſium translatam eſſe, & hujuſmodi translationem a Benedicto V. Pontifice Max. approbatam fuiſſe. Atqui Benedictus V. vivere deſiit anno 965. videlicet annis omnino quindecim ante calamitatem Diocletanam; & ſi hæc cum Razzio conjungenda eſt cum anno 989., Benedictus illius Sedis Metropolitanæ translationem Raguſinam anno quinto decimo, ſeu viceſimo, poſtquam obierat, confirmavit. Raguſinæ Metropoli has Eccleſias idem Razzius attribuit *Catharenſem*, *Antibarenſem*, *Dulcinenſem*. Hos Epiſcopos Synodus Delmitana in jus ditionemque Diocletanæ Metropolitæ tradiderat; anno 877. poſt Diocleam everſam in fidem poteſtatemque Archiepiſcopi Spalatenſis redierunt; ſiquidem anno circiter triceſimo ſæculi undecimi ad Concilium Provinciale Spalatenſe convocati ſunt, ut docet Archidiaconus. Qui ergo fieri potuit, ut, cum intra finem decimi ſæculi ad Raguſinam Metropolim adſcripti fuerint, ſi Razzium audimus; haud multis poſt annis in Provinciam Spalatenſem migraverint, ad quam certo pertinebant an. circiter 1030., cum eos Dabralis Archiepiſcopus Spalatenſis juſſit Spalatum venire ad Synodum Provincialem; ad quam itinere maritimo profecti cum eſſent, navigio in ſcopulos illiſo fractoque miſerandum in modum cum Epiſcopo Svacienſi perierunt. Ex horum naufragio ſumpta eſt occaſio inſtituendæ Metropolis Antibarenſis, eique Benedictus IX. vel Joannes XX. proximus ante Benedictum Romanus Pontifex, anno circiter 1032. Eccleſias omnes Dalmatiæ ſuperioris ultra Raguſium in ortum ac meridiem vergentes attribuit, diſſoluto vinculo fidei, atque obedientiæ, quo Metropolitæ Spalatenſi antea devinctæ fuerant, ut docet Archidiaconus, *Quamobrem Romanus Pontifex annuit petitioni eorum, omneſque Epiſcopos a Raguſio ſuperius abſolvit a vinculo, quo tenebantur antiquæ Metropolitanæ* (Spalatenſi), *ſtatuitque novam Metropolim in civitate Antibarenſi, & omnes Epiſcopatus prædictos eidem ſubjecit.* Huc cætera revoca, quæ dicta ſunt Tomo III. in Dabrali Archiep. Spalat. cap. 1. §. 1. & 2.

Quæ igitur de origine Metropolis Raguſinæ Razzius ſcripſit, rejicienda omnino, atque ab-

Archiepiscopatus Ragusiensis undecũque initium duxerit, fere usque ad seculum duodecimum contentiosus fuit.

judicanda censeo. Cum autem ejusdem initia alii ad octavum, alii ad decimum sæculum referant, neutris assentire, aut ab alterutris dissentire in animo est; non enim is ego sum, qui alterutris fidem & auctoritatem addere vel detrahere ausim. Illud affirmare posse mihi videor, Antistites Ragusinos neque ab initio, neque per multas deinde ætates jus ac titulum Metropoliticum, quamvis approbatum a Sede Apostolica, pacatum, ab omnique contentione immunem habuisse, obsistente inprimis & repugnante Archiepiscopo Spalatensi, qui Ecclesiam Ragusinam ab sua ditione avelli ægerrime ferebat; id quod ex aliis deinceps hujus historiæ locis perspici licebit. Ab urbe condita usque ad sæculum decimum duos tantum Episcopos habeo, quorum nomina proferre possum; reliquos omnes vetustas obruit, ac delevit oblivio. Hos ego, ne alterutram, quam exposui, Scriptorum sententiam de primordiis Ragusini Archiepiscopatus approbare, vel improbare videar, non *Episcopos*, non *Archiepiscopos*, sed Antistites appellabo; quod quidem vocabulum utrisque commune, æque in utrosque convenit.

Episcopi Metropolitæ & loca Diœcesanæ jurisdictioni Antistitis Ragusini subjecta.

Metropolita Ragusinus varios pro temporum varietate Episcopos sibi subjectos habuit, quos Suffraganeos vocant; nunc quatuor tantum in sua potestate retinet, Stagnensem, Curzolensem, Tribunensem, Mercanensem; sed e duobus posterioribus unus conflatus est Episcopatus, Ecclesiæ utriusque titulo atque administratione retenta. Diœcesis Ragusina tres illas Insulas, quas Plinius Elaphites vocat, Jupanam, Mediam Calamotam, itemque Melitam & Lagustam; in ora continenti Ragusium vetus, sive Epidaurum, Brenum, Slanum, Canalium Malphum, Omblam, & pagos ac villas non ignobiles complectitur.

De Capitulo Ragusino.

Nihilo certiora sunt Capituli, quam Archiepiscopatus Ragusiensis initia. Ne ipse quidem Episcopus Epidauri Collegio Presbyterorum, & Diaconorum, quod nunc Capitulum dicimus, carere potuit; cum eoque Ragusium migravit, & Ragusinam Ecclesiam constituit. Ecclesia enim nulla esse potest, cui sua desit Hierarchia, quæ ex Episcopo, Presbyteris, & clericis cujusque ordinis constat. Principio Capituli Ragusini si non perfectio, at quædam tamen adumbratio fuit; deinde cum civitas pariter & Ecclesia majoribus in dies augescerent incrementis, Collegium quoque Sacerdotum, & Clericorum crevit; secludsisque Clericis inferiorum ordinum, in unum veluti corpus coaluit e solis Presbyteris & Diaconis, vel etiam Subdiaconis conflatum. Hi Canonici appellati sunt, qui e præscripto sacrorum Canonum, peculiari quodam jure & nexu inter se consociati, rebus divinis in Æde Cathedrali & nocturnæ diurnæque psalmodiæ operam dant, adhibitis ad psallendum & sacras functiones peragendas administris ex ordine inferiori, tum Presbyteris, tum Clericis. Unum veluti Senatum, & Concilium constituunt sub Episcopo totius Ecclesiæ præside, qui hos potissimum in consilium adhibet, cum his curas laboresque ecclesiastici regiminis partitur. Ita Capitulum Ragusinum paullatim ad normam & disciplinam canonicam conformari cœpit; & æque proventibus ac privilegiis auctum, in eum denique statum pervenit, quem nunc retinet. Constat autem e Canonicis omnino duodecim; tres loco ac dignitate inter cæteros præstant, Archidiaconus, Archipresbyter, & Primicerius. His ad psallendum adjutores sunt sex Presbyteri secundi ordinis, quos Mansionarios vocant; quibusque ex mensa Capitulari stipendium dispertitur. Ex eadem mensa, seu massa communi portiunculam quamdam percipiunt quatuor alii Presbyteri, quos deligit alitque Venerabilis Sodalitas Sacerdotum a *S. Petro in Cathedra* cognominata, ut choro, & sacris functionibus inserviant.

Ædes Cathedralis S. Mariæ titulo insignita;

Ædes Cathedralis S. Mariæ titulo & patrocinio subest. Quænam esset ejus forma & descriptio sæculo decimo quinto, *Philippus de Quartigianis Lucensis Artium Doctor & Orator*, Ragusium adscitus anno 1434., ut adolescentes bonis litteris ac disciplinis imbueret, his verbis exposuit. *Ædificarunt Ragusini Ecclesiam Cathedralem sub honore B. Mariæ, cujus pulchritudinem, & ornatum brevibus verbis complectar, longitudinem, latitudinem, seu altitudinem omnino præteriens. Parietes lapidibus, non terreis, sed ut communi nomine utar, vivis diligenti cura mensuratis, & multo studio perpolitis ædificati sunt, exterius habentes columnulas circum, unde facilis est gressus, & ambulatio circa Templum. Transcendit autem locus iste in modum deambulatorii medium altitudinis murorum, cum multis diversorum animalium simulacris muris insertis. Coopertura ipsius plumbea. Tres habet januas, unam magnam & principalem, qua ut plurimum ingrediuntur, & exeunt matronæ, & præsertim juvenes, & sponsæ; alteram ab uno latere paullo minorem, qua solent ex majori parte ingredi viri cujusvis conditionis existant. Altera ab alio latere statuta est, secunda paullo minor, per quam intrant & exeunt plerumque Dominus Archiepiscopus, & quidam Canonici, ac antiquæ matronæ, quæ apud eam januam intro divina audiunt officia. Navem habet, & latera, quæ columnis magnis & grossis a navi Ecclesiæ dividuntur. In lateribus sedet sexus fæmineus. Navis autem divisa est in locum, qui antiquitus dicebatur Sancta Sanctorum, & nunc Chorus, & in locum populo & universitati sæcularium concessum, ut ibi stantes & orantes divinis vocibus intendant. Hic est sedes Domino Rectori urbis deputata, & quædam subsellia pro cæteris masculis. In Choro vero sunt loca Canonicis, & Sacerdotibus assignata, in quibus tamen interdum aliqui sæculares, præsertim nobiles, divina audiunt. In summitate est Altare majus coopertum pulchro ciborio super quatuor columnis, ornatumque est distincta pala, seu Anchona argentea. Juxta hoc extat Cathedra lapidea quædam, ubi Dominus Archiepiscopus vel Missam audit, vel solemni ritu celebrans, sedet & moratur. Ab alio Altaris latere est quædam bancha lignea, lapide circumdata, ubi sedet Sacerdos cum Diacono, & Subdiacono. Extra sive infra chorum, scilicet in loco populi, est quoddam pulpitum amplum super columnis miro artificio formatum; sub quo est quoddam Altare parvum lapideum quidem, ubi cantantur Epistolæ & Evangelia, ac populo festa nunciantur, & indicuntur jejunia. Estque Fons baptismalis; solum enim in ea datur baptisma, cum nulla sit alia Ragusii Ecclesia parochialis. Tota est soleata, seu paventata vivis lapidibus diversorum colorum. In parietibus utriusque alæ, Testamenti veteris historias, & novi figuras aspicimus. Ibidem quædam non tam pulchra, quam devota Capella, in qua multo-*

de cujus forma & structura, vergente sæculo decimo quinto Philippus de Quartigianis.

rum

rum SS. Reliquiæ argento ornatæ sub clavibus servantur; & præsertim pannus albissimus, in quo involutus fuit Dominus noster Jesus Christus infans, cum ipsum in ulnis recepit Simeon propheta dicens: Nunc dimittis &c. Hic pannus sanctissimus in quodam Tabernaculo crystallino tenetur &c. Habentur etiam ibi, & inter cæteras Reliquias diligentissimè custodiuntur brachia duo S. Blasii, in quorum uno clare vulnus recens pectinum ferri, miranda res, cernitur; diceres heri factum fuisse. Est Dom. Nostri Jesu Christi in hoc Templo pendentis in Cruce forma argentea, staturæ communis, in cujus lateribus est, scilicet in uno S. Joannis, in altero Matris Domini figura argentea inaurata, &c. Cætera desunt. Vetus Basilica Cathedralis anno 1667. terræmotu corruit, atque in ejus locum altera longe augustior, & magnificentior extructa fuit.

Idem de Archiep. Capitulo & Clero.

Idem de Archiepiscopo, Capitulo, & Clero Ædis Cathedralis sui temporis: *Archiepiscopus est, vel esse debet, ex Senatusconsulto, advena, & auctoritatem Metropolitanam gerit; hic palatium suum satis amplum habet juxta Ecclesiam S. Mariæ. Sui introitus communi opinione sunt Ducati mille .... Sunt deinde duodecim Canonici cives & nobiles, qui una cum Domino Archiepiscopo Capitulum constituunt, Archiepiscopi electionem habentes. Totidem sunt Capellani, qui a Canonicis provisionem recipientes in Templo S. Mariæ officia divina dictim canunt, & celebrant. Sub iis sunt alii Sacerdotes præsertim advenæ, & Subdiaconi, & Diaconi; omnes Sacerdotii dignitate fungentes baptizant, confessiones audiunt, & Corpus Dominicum sæcularibus impertiunt de consensu & licentia Reverendissimi Domini Archiepiscopi, & Canonicorum, qui curam animarum ei, & eis generalius impositam, cum istis partiuntur. Quidam eorum infimorum Sacerdotum Sacristæ dicuntur, qui vestes sacras, libros, calices & hujusmodi sacram supellectilem custodiunt, & campanas pulsant debitis temporibus, quo conveniant Sacerdotes, dicantque divina officia. Hi sunt Clerici huic Ecclesiastico muneri vacantes. Ex ordine Laicorum quidam Thesaurarii, quidam Procuratores nominantur. Thesaurarii, & Procuratores S. Mariæ claves Reliquiarum Sanctarum, quæ comptæ sunt auro & argento, diligenti cura conservant, dantes certis temporibus aliquas ex illarum numero Sacerdotibus, ut populo ostendantur, & ornetur Altare majus. At finitis divinis officiis ad loca conservantia reportantur. Procuratores autem Ecclesiarum quidam sunt S. Mariæ, habentes curam ornatus, & reparationis illius Templi, cum opus est. Hi servant mitram, baculum, seu ferulam argenteam Archiepiscopatus, & calices, & paramenta magni valoris; quibus omnibus utitur præsertim ipse Præsul, cum celebraturus est in festis Paschalibus, & aliis solemnitatibus magnis. Quidam extant Procuratores S. Blasii, quidam Lacromæ, videlicet Monasterii introituum; quidam S. Dominici, quidam S. Franciſci, quidam S. Clarę, quidam Hospitalis pietatis; & alii Ecclesiarum diversarum Procuratores Ragusii habentur; quibus omnibus seorsum commissum est, ut bona locorum eis commissorum curent, ne malo modo distribuantur, & ut illa tueantur, si quis ipsorum usurpationi vacaret.*

Idem de supplicationibus publicis.

Idem de publicis supplicationibus: *Antiqua & Catholica consuetudine, ad Dei & Sanctorum honorem plures fiunt annuatim processiones, quæ summo studio peraguntur a Domino Rectore, & Senatu Ragusino interdum Minori, interdum Rogato, interdum Majori, accensos cereos gerente, qui de bonis Communis emuntur. Earum prima est in ordine Processio, quæ fit tertio Nonas Kalendas Februarii, in reverentia S. Blasii urbis Protectoris, pro cujus quidem solemnitate plura commendabilia servantur. Primum accedunt custodiæ urbis vigilaturi, fere omnes agricolæ, & nautici ex Insulis, & aliis ruribus, cum haliſtis, arcubus, ensibus, clypeis, & spiculis; quique sub eorum Duce militantes bini, & bini, præcedentibus tibicinibus rusticalibus. Hi Domino Rectori se ostendunt, facturi ejus & Consilii mandatum; deinde omnes artifices civitatis, cujusvis existant conditionis, cereos & candelas ardentes in vigilia ordine binario in Ecclesia S. Mariæ, ubi principale festum celebratur, offerunt, videntibus Domino Rectore & ejus Consilio. Sed ad processionem, de qua est intentio, veniamus. Quo festum processionis venerabilius sit, Senatus Minoris decreto invitantur omnes Doctores salariati, & omnes advenæ honorabiles, sive mercatores, sive alterius conditionis. Sedet autem Dominus Rector sub Architectis Palatii in medio Medicorum, nisi ibi fuerint qui altioris gradus sint vel dignitatis; & utrinque alii forenses cum Nobilibus Minoris & Rogati Consilii, qui omnes adesse debent illi processioni; dum Religiones Mendicantium cum multis Reliquiis Sanctorum, & vestibus sacris ornatæ, hymnos cantantes, ad Ecclesiam Cathedralem perrexerint. Tunc vero Domino Rectori præsentatur cereus accensus depictus, cæteris præstantior, deinde cuilibet tam civi illius Consilii, quam salariato & advenæ invitato, similiter præbetur cereus accensus, sed non pictus. Hi omnes cerei de bonis Reipublicæ, sanciente Senatu, emuntur; & postea præcedentibus tubis Communitatis, lictoribusque regiminis dopleria magna manu ferentibus, itur a Domino Rectore, & cæteris ordine bino ad Templum S. Mariæ. Tuncque descendit ex loco, qui dicitur Sancta Sanctorum, Reverendiss. D. Archiepiscopus cum unis Reliquiis, quem sociat Dominus Rector, vel cum lumine præcedit. Post vero Dominum Præsulem, graditur quidam nobilis adolescens, cujus officium est cum quadam virgula illos percutere, qui indiscrete conarentur illas Reliquias tangere, vel indecore osculari. Deinde alii Sacerdotes, Abbates, Monachi, ac Religiosi mendicantes viritim descendunt, quorum quisque Reliquias gerit, & singulum præcedit unus vel advena, vel nobilis, cum cereo ardente, ut decorentur Sancti Reliquiæ; & post cujusque tergum sequitur adolescentulus nobilis ea conditione, qua primus sequitur Dominum Præsulem; tamen meo tempore non ferebatur virga, quia forsan plebs solito facta est moratior. Illi Reliquigeri tot numero existunt, quot ferunt cereos, qui interdum LX. numerum excedunt. Itur cum processione sic ordinata circum Ecclesiam; fit autem utrinque personarum cohors magna, habentes candelas benedictas, quibuscum illas Sanctorum Reliquias tangunt, & se ipsos signo Crucis, & earum tactu muniunt. Ornatur Altare majus illis Reliquiis coopertis auro & argento, quas Thesaurarii Sacerdotibus & Diaconibus consignant super altari ponendas, ubi quidam nobiles assistunt illarum custodiæ; quorum officium desinit finita Missa solemni; quoniam tunc omnes*

Digitized by Google

illæ Reliquiæ ad Capellam Reliquiarum cum lumine reportantur. Post prandium autem D. Rector vocat nobiles juvenes utriusque sexus, choreasque & tripudia, solatiaque delectabilia fieri jubet, cum tubis, & tibiis sonantibus; ut sicut animæ saluti vacatum est ante, ita post comestionem corporum gaudio, & delectationi tempus adhibeatur. Aliquoties item juventus masculą, posito circulo argenteo quatuor unciarum, in equis currit cum hastis; & qui annulum lancea ter sumpserit, illum recipit; & quo solatia ampliora sint, & spectaculum gratius, tres communiter habentur hujusmodi annuli, quorum uno ter accepto, per aliquem alter suspenditur, donec omnes traditi sint accipientibus, & currentibus cum hastis.

Sed octava die accedit Dominus Archiepiscopus, & secum Dominus Rector & Consilium minus ad Templum S. Claræ, ubi eo mane ad honorem S. Blasii Missa solemnis celebratur. Quinta vero decima die simili modo in Ecclesia S. Blasii apud Logiam, solemniter festum ipsius colitur. Hoc triplex festum efficitur interpolatis diebus, quoniam in tribus Ecclesiis Dominus Archiepiscopus, & D. Rector simul interesse non possunt. Sed non possum præterire aliud laudabilissimum, quod in reverentiam & honorem ipsius eorum Protectoris perpulcre, sancte, & pie servatur. Cum enim civitas ipsa sit tota, ut dictum est, mercaturæ dedita, nonnulli vel eorum infortunio, aut sua mercandi ignorantia, debitis gravati urbem coguntur deserere, alioquin carceribus recluderentur. Quo igitur cum creditoribus pacisci valeant illi gravati, & civitatem, ac familiam, & amicos visitare, triduo ante festum, die scilicet ultimo Januarii summo mane Arbor quædam altissima habens longitudinem, & circuitum unius mali navis maximæ, in medio plateæ, in quadam columna grossa quadra erigitur, & fortissime infigitur, quæ quidem columna, Carrus, & Orlandus dicitur, quoniam in illa est Orlandi forma sculpta ensem manu tenentis, in signum justitiæ, quæ ibi exercetur. Nam ad illum ligantur, & fustigantur aliquando scelesti homines, quibus etiam interdum barba comburitur. In ea item est signata mensura brachii communis, quo mensurantur telæ, rassiæ, & res aliæ, quæ circum illam ab advenis Moralachis, & aliquibus mulieribus venduntur. Illa autem cum tubis a nautis erecta, in cujus summitate ponitur vexillum S. Blasii, tuto adveniunt, & urbem intrant omnes debitores, mansuri libere VII. diebus continuis, in quibus multi pacta cum creditoribus contrahunt. Cum itaque octava die deponatur, illis septem diebus tacet omnis civilium, & criminalium causarum rumor, quoniam nemo cogitur cuiquam invito animo solvere; & si quis male meritus per id tempus foret passurus, protrahitur ejus pœna usque ad arboris depositionem, quæ stendardum dicitur. Hoc malum sive stendardum item pari conditione levatur die secundo Julii ad honorem translationis brachii S. Blasii superius nominati, cujus festum cum processione fit die V. ipsius mensis. Sed non est hæc processio ejus solemnitatis & præstantiæ, cujus prior, cui hanc addidi ob consuetudinem similem Arboris, qua bis in anno fides infidis conceditur, Alia processio, secunda scilicet ordine temporis, fit die VIIII. Martii ex instituto XL. annorum, vel circa, gratiæ ut reddantur Deo, & XL. Martyribus, qui sua pietate, & illorum intercessione, precibusque S. Blasii eo die liberavit urbem a turpi jugo servitutis, quod sibi conjuratum fuerat a quibusdam, qui, cognita conjuratione ab ipsis facta, morte multati fuere. Hanc tantum sociant Nobiles de Consilio Rogatorum cum cereis accensis, iturque ad Ecclesiam S. Blasii, ubi prædicatur, & gratia libertatis conservatæ a Domino Jesu ad memoriam illorum reducitur, ut Deo grati esse non desinant. In festo Præcursoris Domini D. Rector & Consilium Minus laudabilem instaurant Processionem, gratias redditurі pro sospitate urbis reddita ea die, cum viguisset pestis acerba anno MCCCXXXVII. Celebratur item festum quorumdam Martyrum, videlicet SS. Laurentii, Petri, & Andreæ, quorum corpora inventa sunt divina revelatione apud Catarum, & Ragusium relata, ad quorum etiam honorem die VII. Julii itur processionaliter ad illorum Ecclesiam, quoniam ea die cessavit, ut audivi, pestis quædam. Fiunt postremo, ut aliquando de processionibus concludam, duæ processiones; una in festo SS. Simeonis & Judæ, altera in festo S. Simeonis Prophetæ, in quarum neutra feruntur cerei accensi, nec invitantur aliqui, sicut nec in superiori. In utraque tamen accedit D. Rector, & cum eo multi Nobiles, & advenæ. Eunt quidem ad Ecclesiam S. Simeonis, ubi habitant moniales, ferturque illuc pannus ille pretiosus, in quo Simeon, non visurus mortem, donec videret Sanctum Domini, recepit Filium Dei præsentatum in Templo juxta ritum legis Judæorum; ponitur que super Altari, dum Missa solemnis per Præsulem celebratur, qua perfecta refertur ad locum Reliquiarum.

Idem de Templis & Ædiculis urbanis; sed descriptio Basilicæ S. Blasii deest. Idem de Templis & Ecclesiis urbanis;

Est præterea quædam altera Ecclesia pecuniis communibus ædificata ad honorem SS. Mm. Petri, Laurentii, & Andreæ, quorum Corpora, referentibus ipsis, divina revelatione apud Catarum per Ragusinos inventa & accepta, Ragusium summa cum devotione delata fuere, & eis id Templum fabricatum.

Habetur & aliud Templum S. Stephani protomartyris valde devotum, ubi servantur Sanctarum Petronillæ filiæ S. Petri, & Domitillæ corpora, & aliorum SS. copia grandis Reliquiarum, argento inaurato ornatarum. In Capella conservationis earum sæpius morbo caduco ægroti, & spiritibus malignis vexati, illorum Sanctorum, & Sanctarum meritis, atque intercessionibus liberantur; & aliis diversis languoribus laborantes interdum multi sanantur, ut mihi a fide dignis Nobilibus, & antiquis, ac doctis multoties dictum extitit.

Duo habentur Conventus Mendicantium, unus S. Dominici, alter S. Francisci. Multæ sunt Ragusii item Ecclesiæ, & Capellæ, ut Ecclesia S. Petri in Cruce ad morem antiquorum fidelium Græcorum ædificata; inferius, in medio, & super, altaria & Capellas devotas habens; binæ S. Nicolai Ecclesiolæ, S. Marci, & aliorum multorum Sanctorum, quas ne legentibus tædium afferant, tacitus dimitto. Cum autem in his omnibus Ecclesiis vivant Sacerdotes & viri religiosi, sunt præter hæc septem Dominarum Monialium loca seu Monasteria; quinque scilicet Ordinis S. Benedicti, unum Ordinis Patriarchæ S. Dominici, & unum aliorum omnium pulcherrimum, & amplissimum devotissimæ Virginis S. Claræ, discipula quæ fuit S. Francisci, ubi solum nobiles & de Monasteriis;

Ra-

Digitized by Google

Raguſinæ Virgines Deo dedicantur.

De Templis, Monaſteriis & Sacellis in ditione Raguſina.

Idem de Templis, Monaſteriis, Ædiculis in ditione Raguſienſi.

Cum Senatus Raguſ. a quibuſdam Dominis convicinis quamdam emiſſet regionem, quem Canaliam vocant, ut imperio ſuo auctо, augeretur & Fides Catholica, quoniam ea gens ſchiſmatica erat, eo loci ædificatum eſt quoddam Fratrum Minorum Monaſterium, quorum opera, ut fertur, gentes illæ fidem veram & Catholicam ſuſceperunt.

Eſt deinde quoddam Monaſterium Monachorum S. Benedicti, quod S. Jacobus dicitur, quo ſæpius itur per terram deambulandi cauſa; diſtat enim ab Urbe fere mille paſſibus; eſt autem Abbatia Eccleſia parva devota, & locus amœnus, ubi dictim oratur ab Abbate & Monachis.

Juxta locum hunc in quadam Inſula, quæ appellatur Lacroma, aliud extat Monaſterium, & Abbatia Monachorum nigrorum S. Benedicti, quæ quidem ampliſſimos habet introitus. Sunt ibi Templa Beatiſſimæ Virginis, & S. Benedicti, & habitatio Monachorum, qui plures ſunt, & quoddam hoſpitale pauperum, qui ex introitibus Abbatiæ nutricantur. Ea tota Inſula Monaſterio ſubeſt, in qua ſunt multæ vineæ boni vini, fertiles horti, & viridaria pulchra. Nemo eam colit, ſeu habitat, exceptis Abbate & Monachis, & illis pauperibus; nec eſt in ea aliqua domus alia a contentis cum Monaſterio. Illuc, cum tranquillum eſt mare, interdum eunt cives, & advenæ tum devotionis, tum recreationis cauſa.

Sunt & aliæ Eccleſiolæ, ut S. Urſulæ, S. Barbaræ, & aliorum SS. in Breno, & aliis locis, quæ orientalem plagam reſpiciunt. Alia Inſula eſt occidentalis, quæ Daxa dicitur, ubi ſanctæ devotionis, & ornatus mirandi eſt quidam Conventus Ordinis Minorum de Obſervantia, quod cum devotiſſimis locis, ſeu etiam Conventibus ornatis Italiæ æqua ratione poſſet comparari. Ad eum locum & Fratres, qui in eo morantur devotiſſimi, ſereno mari itur aliquando, ut cum illis ſervis Dei homines afflictionum & turbabinum ſuorum remedia divina conſequantur, & animorum triſtium medelam ſuſcipiant. Habitat autem nullus ibi, niſi ipſi Fratres pauperes, qui regulam Seraphici Franciſci ſervantes, victum & veſtitum mendicant.

Extat alia Inſula, cui S. Andreas de pelago nomen eſt, quoniam in ea eſt Eccleſia S. Andreæ devota, quam colunt Monachi nigri ſub Priore; ubi ſolitum erat viros honeſtiſſimæ vitæ reſidere. Hanc deſcribere aliter nequeo, quoniam illuc non perrexi. Poſſem & Conventum Fratrum Minorum, in Slano conſenſu Senatus Raguſini ædificatum pro ſalute animarum ejus regionis, quæ etiam ſchiſmaticæ erant, huic loco inſerere.

Eſt quædam Ora, quæ dicitur Umbla, per terram tribus milliaribus, per mare vero octo diſtans ab urbe. Hanc diſtinguit Canale amplum abundans piſcibus, & latum, ac Canale magnum Venetiarum. Ab utroque latere pulchræ ſunt vineæ & domus privatæ cum viridariis. Sunt & domunculæ ruſticorum, qui ibi morantur vineas colentes, & piſces capientes. Ibi eſt quidam pulcher & ornatus Conventus Fratrum Minorum Vicariatus Boſnæ, & Eccleſia devota, ubi degunt complures Fratres pauperis vitæ. Eſt etiam ibidem quædam Eccleſia S. Stephani, cujus curam gerit unus Sacerdos.

Eſt huic contratæ contigua regio quædam Gravoſia nomine, ubi tutiſſimus, & ampliſſimus portus cernitur adductus in modum arcus, multis vineis fertilibus, palatiis magnificis, & viridariis pulcherrimis circum ornatus. Ibi eſt quædam devotiſſima Eccleſia S. Blaſii, ad quam concurrunt fere omnes Raguſini vel iter ſuſcepturi, aut aliunde venientes, ubi devote Miſſam audiunt, ſe ſibi commendantes, vel gratias pro beneficiis agentes. Nam magna ſubſidia terra & mari ſuſcipiunt, ex devotione vel votis factis ei Capellæ ad honorem S. Blaſii. Sunt & Gravoſiæ S. Martini, S. Michaelis, S. Fuſcæ Eccleſiæ, & plurium aliorum Sanctorum. Fuit etiam eo loci ædificata quædam nova Eccleſia S. Crucis, & B. Nicolao dedicata meo tempore cum Conventu ſeu Monaſterio, in quo Deo ſervire ex ædificantium ſententia debebant Fratres Prædicatores, qui obſervantiam profitentur, & ſervant; ſed cum hæc ſcripſi, nondum colebatur, quoniam non erat perfectus.

Sunt & aliæ plures Eccleſiæ parvæ a Gravoſia, quæ ab urbe diſtat terra uno milliari & medio, aqua vero quatuor vel circa, quas omnes tacite prætereo.

Liturgia Eccleſiæ Raguſinæ.

Quod ad Liturgiam attinet, qua utitur Eccleſia Raguſienſis in ſacris myſteriis, ea quidem Romana eſt fere omnino, & in iis celebrandis lingua Latina ſervatur ab antiquiſſimis, ut ferunt, inde uſque temporibus: Raguſii vero in quibuſdam Eccleſiis, præſertim ſacrarum Virginum, pſalmodia ſolemnis pomeridiana Majoris Hebdomadæ Illyrico ſermone concinitur, eoque etiam deſcriptæ leguntur iis diebus Evangelicæ Hiſtoriæ Dominicæ Paſſionis; quam conſuetudinem retinent aliæ extra urbem principes Eccleſiæ, & Parœciæ Raguſino Archiepiſcopatui ſubjectæ, Parochi autem ſingulis diebus feſtis *Epiſtolas* & *Evangelia* in ſacrorum celebratione Latino primum, deinde Illyrico idiomate recitare publice conſueſcunt; & Slavonica lingua utuntur, cum Baptiſmatis, Extremæ Unctionis, & Euchariſtiæ ſacramenta conferunt, quo populi fides, & pietas ipſa verborum intelligentia magis augeatur. In deſcriptione diœceſis Raguſinæ a Joanne Baptiſta Conventato Archiepiſcopo Romam miſſa dicitur ritus Orientalis Slavi ſermonis adhibitus olim fuiſſe in Eccleſia S. Nicolai *de Priekio*; & Jacobus Luccarus lib. 1. Annal. Raguſ. memoriæ prodidit in Eccleſia S. Mariæ *ad Gilas* prope Gravoſam, quæ diruta poſtea fuit ſæc. XIV., eundem ritum Græco admixtum antiquitus tenuiſſe; quin plura loca ditionis Raguſinæ ab ſchiſmaticis & hæreticis olim habitata, Slavum ſermonem in eorum ſacris ante uſurpabant, quam in Reipublicæ poteſtatem, & Catholicæ religionis cultum tranſiiſſent; cujuſmodi ritus aliæ erant per eam ditionem Eccleſiæ; & ad Gravoſam viſuntur adhuc rudera perantiquæ Eccleſiæ SS. Coſmæ & Damiani eodem, ut ajunt, more quondam excultæ.

Templa & cœnobia utriuſque ſexus.

Præter duas primarias Baſilicas, videlicet Cathedralem, & S. Blaſii Patroni Civitatis, ad quarum cultum, ornatum, & ſarta tecta tuenda ſumptus omnes Civitas ex ærario publico ſuppeditat; Seraphinus Razzius in Hiſtoria Italica Raguſii, ſacras Ædes omnino ad quadraginta in urbe fuiſſe tradit; ſed pleraſque, ſi quatuor excipias, vel quinque, verius quam Templa, Ædiculas & exigua ſacella. Virgines Deo conſecratæ Ordinis Benedictini quinque

Digitized by Google

olim in civitate cœnobia obtinebant, ſcilicet *S. Mariæ de Caſtello*, *S. Simeonis*, *S. Marci*, *S. Andreæ*, *S. Thomæ*; nunc primum tantummodo retinent, reliquis extinctis, quorum proventus priori ſunt attributi. Duo erant Collegia Virginum Inſtituti Franciſcani, primum vetuſtiſſimum S. Claræ, etiamnum ſuperſtes, ad quod nullis aditus erat, niſi adoleſcentulis ex Ordine Patricio; alterum recentius S. Petri Novi conditum intra finem ſæculi decimi quinti. Poſt terræmotum anni 1667. utrumque in unum coaluit; & Virgines S. Petri Novi cum ſuis bonis mobilibus & immobilibus migrarunt ad S. Claræ. Unum antiquitus Virgines Dominicanæ cœnobium habebant & Templum S. Michaelis, quod ingenti ejuſdem anni terræmotu corruit; nec vero ante initium hujus ſæculi reſtitutum fuit ſub titulo & auſpiciis S. Catharinæ Senenſis, eodem in loco, ubi erat Monaſterium S. Petri Novi, quod Virgines Franciſcanæ poſſidebant. Nonnulla ſunt etiam in urbe ac diœceſi domicilia mulierum tertii Ordinis S. Dominici, itemque S. Franciſci. Cœnobitæ Dominicani, & Franciſcani ſub ipſa utriuſque Ordinis primordia in civitatem recepti ſunt; & ſuum utrique Monaſterium habent; utrumque tum ædificii perpulchra deſcriptione & amplitudine, tum Fratrum numero, tum denique doctrinarum præſertim ſacrarum ſtudiis, & ſevera diſciplinæ religioſæ cuſtodia, celebre in primis, atque illuſtre; ex utroque plurimi doctiſſimi, & ſanctiſſimi viri, ac multi etiam Epiſcopi prodierunt. Alterum Dominicanæ Congregationis, alterum Franciſcanæ Provinciæ Raguſinæ caput eſt, ac princeps; hæc e decem, illa e quinis vel ſenis Cœnobiis ac domiciliis conſtat, quæ ſunt in ditione Raguſina, vel ab ea propius abſunt. Ordo Monaſticus S. Benedicti apud Raguſienſes antiquitus floruit. Nullum equidem eſt in civitate Monaſterium Inſtituti Benedictini. Tria præcipua ſunt extra urbem, intra fines imperii Raguſini, quibus totidem præſunt Cœnobiarchæ; vetuſtiſſimum omnium S. Mariæ in Lacroma Inſula, alterum itidem S. Mariæ apud Inſulam Melitam, caput & parens Congregationis Benedictinæ Melitenſis; tertium S. Jacobi de Viſnizza non ita longe ab janua Civitatis, quæ in ſolem Orientem ſpectat; quibus adde quartum quem vocant *Prioratum* S. Andreæ, Scopulo ejuſdem nominis impoſitum, pertinetque ad Monaſterium S. Jacobi. Congregatio Benedictina Melitenſis e tribus conſtat Cœnobiis, videlicet Melitenſi S. Mariæ, & Viſnizzenſi S. Jacobi, cui annexus eſt Prioratus S. Andreæ, itemque tertio S. Michaelis in Peklina in inſula Jupana. Monaſterium Lacromenſe ſæculo decimo quinto ad Congregationem Patavinam S. Juſtinæ aggregatum fuit. Sunt etiam in urbe plures piorum virorum ſodalitates, & aliquot domus hoſpitales vel ægrotis curandis, vel peregrinis excipiendis, & pauperibus alendis exſtructæ.

Civitas Raguſina Reliquiis Divorum refertiſſima.

Civitas Raguſina Sacrarum Reliquiarum diti ſſima eſt. Ea fuit ſemper Raguſienſium eximia pietas & religio erga Cælites cum Chriſto regnantes, ut eorum exuviis, undecumque conquiſitis, patriam ſuam locupletare inſatiabili quadam cupiditate ſtuduerint. Cum ad omnes Orientis partes commercii cauſſa navigarent, numquam fere domum redibant, quin vel corpora Divorum integra, ſiqua nanciſci poſſent, vel ex eis aliquas particulas referrent; multo enim pluris, quam pretioſiſſimas quaſque merces, hujuſmodi ſacras opes faciebant; quibus hæc Civitas adeo referta eſt, ut Franciſcus Serdonatus, cum Vincentii Portici Archiepiſcopi adventum graviſſima & elegantiſſima oratione gratularetur, hoc ſibi vere affirmare poſſe viſus fuerit, *nullam eſſe in univerſo terrarum Orbe Chriſtianorum Urbem, ſi unam Romam excipias, in qua aut major Reliquiarum copia ſit, aut eæ diligentius & ſanctius aſſervantur, aut in capſulis, & receptaculis majori artificio, & ex pretioſiori materia fabrefactis contineantur.*

Sacræ Reliquiæ in Æde Cathedrali.

In Sacrario Ædis Cathedralis ſacra hæc Divorum pignora, & omnia quidem thecis & capſulis argenteis vel cryſtallinis præclaro opere artificioque elaboratis incluſa ducenarium numerum longe multumque excedunt, quæ die feſto S. Blaſii ad ejus Baſilicam frequentiſſima & ſolemni ſupplicatione deferri ſolent; cui quidem ſupplicationi Seraphinus Razzius cum intereſſet anno 1588. ſcriptum in ſua Hiſtoria Raguſina reliquit, centenas, & undenas Liplanothecas delatas fuiſſe, & alias præterea bene multas ſuperfuiſſe, cum qui eas deferrent, Sacerdotes defuerint. In his præcipuam & ſummam venerationem habet, tum inſigne quoddam e ligno Sanctiſſimæ Crucis fruſtum miræ magnitudinis, ac prorſus tantæ, ut majus aut par huic & æquale, præterquam in Baſilica Romana S. Crucis in Hieruſalem, nuſquam gentium inveneris, a Margarita Chrobatiæ Regina donatum ſæculo circ. undecimo; tum etiam Sacroſanctus ille Panniculus, quo puerum Jeſum involutum tradunt, cum eum Simeon in ſuas manus recepit.

Nonnullas autem Reliquias hic recenſere lubet, quæ peculiari aliqua nota præ cæteris diſtinguuntur: hujuſmodi eſt fruſtum *veſtis Chriſti in pyxide argentea* a Gregorio Patriarcha Conſtantinopolitano dono tradita Junio Gradio an. 1455., quam Patriarchæ ſigno obſignatam Michael Cerva, cui ex legato obtigerat, Senatui obtulit inter alias Cathedralis Eccleſiæ Reliquias aſſervandam. *Plures hoſtiæ particulæ ultra XX. in theca argentea*, vel ut in alio Reliquiarum catalogo, *tabernaculum argenteum cum chryſtallo*, *intus capſula hoſtiæ cum pedata*; utrum conſecratæ ſint, ignoratur; prodigio tamen ſimile eſt, illas tribus fere abhinc ſæculis ita inregras duraſſe, præſertim cum ſexdecim annorum ſpatio aeris aperti vicibus, & pulveris edacitati fuerint expoſitæ, ut recentiſſimæ eſſe videantur. Vetuſtate inſignia ſunt lipſana Divorum Martyrum Nerei, Achillei, Domitillæ, Stephani, Blaſii & Petronillæ, ſæculo decimo Raguſium Roma delata a Paullimiro Serblorum Rege: hæc in Eccleſia D. Stephani condita fuerant, in qua Razzius ſacrarum Reliquiarum fruſta ſeu particulas omnino ad quinquagenas ſua ætate enumeravit; ſed poſt terræmotum in Æde Cathedrali collocata ſunt. Plura quoque e corporibus Zenobii ac Zenobiæ fruſta Raguſium detulit an. 1012. Fruntinus quidam, ſeu Fruntius, Conſtantinopoli inventa; eaque argenteis thecis incluſa an. 1335. ibidem in lignea capſula inaurata ſervantur. Huc etiam poſt terræmotum translata ſunt corpora SS. Martyrum Catharenſium, de quibus in Eccleſia Catharenſi agemus, quorum partes aliquot in capſa

auro

auro depicta, aliquot vero in thecis argento elaboratis conſpiciuntur. Fruſtulum etiam e capite D. Andreæ Apoſtoli dono accepit Civitas Raguſina a Thoma Palæologo Dynaſta Peloponneſi, cum Raguſio tranſiens integrum beatiſſimi Apoſtoli caput ad Pium II. Pontificem inſigne munus deferret. *Auguſtini Ep. C. & D. prima colli vertebra, quam Atlantem vocant*, Raguſinis tradita an. 1359. quæ cum deſit integro hujus Divi corpori, quod Ticini viſitur, uti Benedictus XIII. ſuo diplomate teſtatur dato x. Kal. Octobr. an. 1728., inde conjicias, corpus illud, de quo tot lites, contentioneſque diu agitatæ ſunt, apud Ticinenſes revera conditum eſſe. *Joannis Baptiſtæ os brachii ſiniſtri in arcula argentea chryſtallis munita*, a Georgio Dragoſichio Boſnenſi & Franciſcanæ familiæ alumno Raguſium allatum an. 1482. de quo vide, quæ in Joanne VII. Archiep. Raguſino dicta ſunt. *Arca lignea auro obducta multa SS. lipſana continens, Altera ſimilis, in qua pariter Reliquiæ multæ diverſorum SS. continentur*, poſt terræmotum inter ruinas veteris Ædis Cathedralis inventæ. Adde his denique *Reliquias Spalatenſes*; quarum hiſtoriam hiſce narrat Nicolaus Ragnina in Hiſtoria Raguſienſi Mſ. *Anno Chriſti 1391. Spalatenſes oppignorati ſunt Raguſii menſe Januario thecam argenteam auro obductam, quæ quaſdam Divorum Relliquias continet, pro nummis argenteis tribus millibus; quæ hactenus Raguſii extat.* Singulas porro enumerare Reliquias, quæ pene innumeræ, ac pretioſiſſimæ in hoc templo pia Senatus magnificentia collocatæ ſunt, ſupervacaneum omnino eſſe, & nimis longum putamus.

In Baſilica S. Blaſii. In Baſilica S. Blaſii, tum hujus Martyris Reliquiæ, de quibus alibi, itemque SS. Petri, Andreæ, & Laurentii, tum Digitus S. Pancratii, tum plures aliorum Divorum exuviæ colebantur, quæ translatæ ſunt in Baſilicam Cathedralem.

In Templo S. Dominici. Extat Catalogus Reliquiarum, quæ in Templo S. Dominici aſſervantur, Monumentis Mſs. Congregationis Dominicanæ Raguſinæ inſertus, in quibus nominatim omnes percenſentur, videlicet

Lignum S. Crucis. Crux ex argento fuſa altitudinis cubito longe majoris, binis utrinque brachiis adinſtar Patriarchalium extenſa, & Ligni S. Crucis trinis tantum integris, ſed eximiæ molis fruſtis, arte ſimul in Crucem compactis refecta. Conventui noſtro Gravoſino certo traditur donata; verum in Sacello Conventus Raguſini ante annum 1618. repoſita ob tantum rei pretium cuſtoditur. Quo anno, & a quo Fratres noſtri hunc theſaurum acceperint incompertum eſt: cum tamen certum ſit, & ex Cruce ipſa moneamur anno 1548. reparatam a Fratribus fuiſſe, antiquior penes eos fuerit oportet. Forte capto Regno Boſnacum, ut ajunt Mſs. Mercatores attulerunt. Indubie autem conſtat ex ipſomet Cruci ſuperinciſo monumento, idiomate & characterе Illyrico, filium Magni Regis Uroſcii Stephanum Uroſcium de familia Nemagna, Raſciæ Regem, qui anno Domini 1321. defunctus eſt, eamdem Crucem efformari a Gregorio II. Raſciæ Epiſcopo, ditandæ SS. Apoſtolorum Petri & Pauli Eccleſiæ cauſſa, juſſiſſe. Hæc eſt Inſcriptio ex idiomate & characterе Illyricis in Latinum reddita: Chriſtus judex Victor. Hanc veram Crucem formavit Dominus Rex Stephanus Uroſcius & filius Magni Regis Uroſcii, Eccleſiæ SS. Petri & Pauli; hoc ſit ei in ſanitatem & in ſalutem, & in remiſſionem peccatorum; & Crucem formavit Epiſcopus Raſciæ Gregorius Secundus; ſicut & illa vidua duo minuta dedit; qui voluerit hanc Crucem capere e SS. Apoſtolis, ſive ab honorabili Ligno, ſit maledictus. Cruce protegor, Diabolo adverſor; non timeamus tentationes ejus & latratus, valde fortes confidamus protecti potentia in ligno extenſi Chriſti.

Ante annum 1511. in ſacello noſtro in vaſe cryſtallino unica Spina Coronæ Domini ſervabatur, mox duæ germanæ ejuſdem, F. Raphaelis induſtria, adjunctæ fuerunt; noviſſime quartam cæteris longiorem nobilis vir Jacobus Palmotta an. 1603. Eccleſiæ noſtræ donavit; ſimul omnes in pyxide ex argento inaurato, & cryſtallo formata aſſervantur. Miram in eis adverti ſoliditatem, ut ex chalybe, aut ære potius fuſas dixeris, quam cujuſquam germinis ramuſculum. Adhuc ſanguine rubere videntur. Ferunt quintam pariter fuiſſe, & locus ubi fuerit, in ipſa pyxide teſtatur, & furto ſublatam ante ſeniorum memoriam periiſſe.

In capſula argentea ad ſpeciem calvæ fuſa, argenteam ſuper patinam cranium S. Annæ in noſtro ſacello reconditur.

Hæc inciſa anno 1614. recenſetur. At ex ipſo opere longe antiquior videtur.

S. Lucæ Cranium argento clauſum habemus. Antiquum videtur opus; at in repertoriis ante annum 1614. minime commemoratur. Brachium item argento incluſum ejuſdem Sancti ex dono nobilis Viri Stephani Menze ante annum 1511. in eodem Sacrario extat.

S. Nicaſii Epiſcopi & M. Rotomagenſis neſcio, an Rhemenſis Cranium in capſula lignea, præter cryſtalli ornatum, anno 1614. recenſitum pariter aſſervatur.

S. Damiani M. fratris Coſmi cranium antiquo more argento incluſum, in Repertorio anni 1614. primo commemoratum extat.

S. Aureliani M. pars Capitis ab anno dicto in Capſula lignea in noſtro Sacrario aſſervatur.

S. Stephani Ungariæ Regis cranium fere integrum argento coopertum, licet antiquius videatur, ab anno 1618. in Catalogo commemoratum reperitur. Ejuſdem manus dextera, quæ reſoluto corpore, ob eleemoſynas ab Apoſtolico Rege large profuſas, incorrupta meruit cum carne & unguibus ſeptem ſæculis ſupereſſe, in articulos adhuc velut ſtipem porrigens inclinata, in Pyxide graphice fuſa, cum Cryſtallis aſſervatur. Primo ut reperi, anno 1614, in Catalogo recenſetur. Cæterum antiquior eſt; nam ex Capitulo Congregationis an. 1590. a F. Timotheo Paſquali theca argentea primo incluſa fuit.

Sed dextera D. Stephani manus hinc adempta juſſu Raguſini Senatus, & nuperrime ad Mariam Thereſiam Auguſtam dono miſſa nunc Budæ ſervatur, & honorifice colitur: qua ſuper re Georgius Grayus eruditum commentariolum ſcripſit.

Dextera Manus cum Brachio S. Thomæ donata Conventui noſtro a Domino Nicolao Cladurobovich mercatore, qui obiit anno 1569., unde primo in Repertorio an. 1614. adnotatur. Ea ſcilicet eſt, quam Andreas II. Ungariæ Rex an. D. 1221. ab Expeditione Terræ Sanctæ rediens, una cum aliis inſignibus Reliquiis in Europam detulit, ut Sigiſmundus Ferrarius narrat de reb. Ung. Prov. Prædic. p. 1. cap. 2. Et ca-

Digitized by Google

eadem forte erit, qua post Resurrectionem Magistri sui latus tetigit, ac palpavit, cujus argumenti loco esse videtur, quod præter Indicis extremum articulum ad os usque resolutum, manus ac brachium, præsertim digiti ex contactu impassibilis Redemptoris integri fere cum pelle, unguibusque perseverent; & ex digitis annularis deest. In capsula autem ex crystallis ligno-que deaurata ex ordinatione Capituli Congregationis an. 1567. asservantur. Ad ejusdem Sancti honorem in nostro Capitulo instituta est acu sutorum Confraternitas, cujus confratres quotannis ejus festo die sacrum pignus adoratum convenientes, sacris intersunt.

Brachium integrum ex argento fusum in Sacrario nostro extat; at nonnisi modicam D. Magdalenæ brachii particulam includit. De hoc in Repertorio ab anno 1511. fit mentio. Item digitus ejus Sanctæ argento inclusus ab an. 1614. commemoratur.

S. Cypriani Ep. Mart. brachium utrumque in duabus capsulis ad brachiorum formam ex argento fusis, quorum alterum ex anno 1511. extabat, mox a F. Benedicto Babich an. 1587. argento..., In Mss. de utroque fit mentio anno 1611.

In brachio argenteo egregie facto S. Leonis Ep. M. manus in Repert. ab an. 1511. recensita servatur,

Brachium S. Theodori M. ab insignibus familiæ argento, quo includitur, incisis, a quodam nobili viro de Georgiis donatum videtur ante annum 1511.

S. Julianæ V. M., cujus memoria Calendis Martii recolitur, Brachium in capsula lignea deaurata servatur, adnotatum in Repertorio an. 1618.

Pedes duo SS. Innocentium extant; alterutrum quidam M. Donatus ante annum 1511. Conventui dono dedit; alterum vero Pes ex eodem Repertorio fuit cujusdam Fratris Franchi, qui ex Ordine nostro assumptus Prior Monasterii S. Andreæ de Pelago Ord. S. Benedicti vivebat anno 1463. Ambo argenteis pedibus includuntur. Fuit & manus, & tertius pes; adhuc supersunt capsulæ argenteæ, in quibus servabantur, & reliquiæ perierunt.

S. P. Dominici Digitus in Sacrario nostro extat. Hujus originis nulla profecto præter antiquitatem supereſt memoria. Traditur autem, (si libet credere) post S. Patris dormitionem, antequam Sanctorum Albo accesseretur, Bononia in Hungariam iter facturus Frater quidam, cum remotis arbitris ad tumulum supplex accessisset, aperta silentio tumba testatæ sibi Sanctitatis pignus eruisse, secumque detulisse. Itaque cum ad Conventum Ragusinum nuper inchoatum ex itinere divertisset, in morbum incidit, quo & defunctus est. Sæpe, ut fertur, desperata valetudine morti proximum se advertens, Fratribus quid secum ferret enunciavit, totamque rei seriem edixit. Tum Fratres certiores a Bononiensibus facti de Digito, qui deerat, de mensura ejus, cæteriſque hujusmodi, eumdemmet, quem Frater protulerat, esse compererunt. Hoc Majores nostri a Senioribus, uti rei gestæ memoriam perpetua traditione acceptam tradunt. Cæterum quo velis modo ad nos delatus fuerit, in digito argenteo deaurato, vetustissimo opere fuso, in Repertorio ante annum 1511. recensitus magna populi veneratione colitur. Porro si miracula, quæ ad hujus contactum, tum mulieribus in partu periclitantibus, tum infirmis, ad quos sæpenumero defertur, contingunt, recensenda mihi forent, plura sane volumina conscriberentur, quandoquidem quotidiana fere sunt, ut eorum assiduitate & frequentia commoveri sane desineremus; præsertim vero suavissimi odoris, qui e Sacro Digito perenniter emanat, verso in oblectamentum stupore, perenne miraculum sit. Hujusmodi autem gratiarum præter frequentissimas eleemosynas sacro pignori a Fidelibus oblatas, quibus potissimum Ecclesia sustentatur, votivis circa eumdem Digitum ex auro gemmisque fere centum annulis, monumenta signantur. Ad augendam forte sacri Pignoris religionem Patres in Cap. gener. an. 1612. F. Seraphini Sicci Gener. Magistri Romæ habito, ad petitionem F. Gabrielis a Canali Vic. Gen. Rag., & Patris Dominici festum quinta Augusti die, eidem apud antiquos sacra, celebrandum, uti nunc solemus, decreverunt, quod an. 1613. denunciatum fuit.

S. Stephani Protom. Digitus extat argento deaurato incluſus, in Reper. ante an. 1511. commemoratus,

S. Sergii Mart. Digitus argento deaurato coopertus ex Catalogo ante an. 1511. a filiis Nob. Viri Franciſci Pozza donatus asſervatur.

S. Joannis Chryſoſtomi Ep. Conf. Pollex, mirum viſu, altero præter os reſoluto, ſuperior articulus, cum pelle, & carne in pyxide argenti deaurata, cum cryſtallis integer perſeverat.

Digitus S. Urſulæ V. M. argento deaurato conditus in Sacrario ante annum 1511. repoſitus fuit,

Digitus S. Agnetis V. M. in argento clauſus.

S. Irenæi M. pars oſſis inſignis.

S. Leonis Papæ Confeſ. pars oſſis inſignis.

S. Theclæ V. M. pars oſſis inſignis.

Duæ Capſæ Reliquiarum, additis ſingularum nominibus,

Coxa S. Onuphrii Anachoretæ, Tibia S. Leodegarii Epiſc., S. Otmari Ab., S. Valerii M., S. Demetrii M. & S. Pancratii M.

In Templo S. Franciſci hæ coluntur Divorum Reliquiæ capſulis variæ formæ & figuræ, partim argenteis, partim cryſtallinis, partim ligneis inauratis incluſæ, videlicet In Templo S. Franciſci.

S. Catharinæ V. & M., S. Margaritæ, S. Laurentii M. ſocii Sanctorum Petri, & Andreæ, S. Leonis Mart., S. Blaſii Ep. M., S. Vincentii M., S. Petri Ap., S. Jacobi, S. Beatricis M., S. Sabbæ M., S. Conſtantiæ M., S. Cujani M., S. Urſulæ V. M., S. Natalis M., S. Pancratii M., S. Fortunati M., S. Laurentii M., S. Candidi M., S. Germani M. Ex Spinis Chriſti Domini, ex Ligno Sanctiſſimæ Cruçis, ex Pallio S. Franciſci,

Nullum fere eſt Raguſii, atque in Diœceſi Raguſina Templum, quod hujuſmodi ſacris opibus ac theſauris careat. Nec deſunt effigies vel Deiparæ vel Divorum, miraculis, & beneficiis divinitus collatis inclytæ; quæ civium veneratione & frequentia celebrantur, & votivis tabellis appenſis, ſpem preceſque opem expoſcentium alliciunt.

De Raguſio & rebus Raguſinis, præter Geographos, & Lexicographos, multi ſcripſerunt, alii quidem copioſius ex inſtituto, & propoſito ſibi argumento, alii vero brevius, quaſique obiter ex occaſione illius materiæ, in qua verſabantur, De Raguſio & rebus Raguſinis qui ſcripſere.

Miletius Poeta ſæculi duodecimi, de quo ſupra in Scriptoribus Raguſinis.

Joan-

Digitized by Google

Joannes de Ravenna Hiſtoriam Raguſii ſcripſit ſæculo decimo quinto.

Bonfinius in Hiſtoria Rerum Hungaricarum pluribus in locis.

Bernardus Ghetaldus Hiſtoriam virorum illuſtrium patriæ ſuæ Raguſinæ confecit anno 1471.

Hieronymus Romanus ex Ordine Eremitarum S. Auguſtini in Libro, qui inſcribitur *De Rebuspublicis* 1515. Medinæ Campi editus.

Martinus Roſa ex Ord. Minorum in eo Libro, cui titulus, *Compendium totius Nationis Illyricæ*, huic ſubnectit deſcriptionem *Raguſinæ Reip. ſub umbra Aquilæ magnarum alarum*.

Joannes Bodinus *de Rep. Raguſina*.

Philippus Alegret Monachus Benedictinus *De Raguſina Nobilitate*.

Juſtus Lipſius in Epiſtola ad Franciſcum Sagrum inter ejus ad Italos Epiſtolas.

Ludovicus de Cerva Tubero Abbas Melitenſis in Commentariis ſuorum temporum.

Lucas Ciada in Deſcriptione Orbis.

Marcus Orbinus Abbas Melitenſis, *De Regno Slavorum*.

Abraham Ortelius in ſuo Theatro.

Franciſcus Sanſovinus de Raguſina Rep. in Opere Italico, *Governo delle Repubbliche*.

Palladius Fuſcus in Deſcript. Oræ Dalmaticæ.

Joannes Lucius in Lib. de Regno Dalm. & Croat.

Jacobus Horivius de Raguſio in Orbe politico, & in Orbe imperante.

Anſelmus Bandurius Abbas Benedict. in Commentariis & Notis in Lib. Conſtantini Porphyr. de Admin. Imper.

Vincentius Coronellus in Theatro Geographico p. prima, & in ſuo Inſulario: & alii plures, quorum Catalogum contexuit P. Philippus Riceputus, & ſuis Collectaneis Mſs. inſertum reliquit.

Præter hos, tres potiſſimum Scriptores rerum Raguſienſium mihi uſui maximo, & adjumento fuerunt ad Hiſtoriam Sacram Raguſinam conficiendam, Seraphinus Razzius, Jacobus Luccarus, Sebaſtianus Dolci.

Seraphinus Razzius.

Seraphinus Razzius Florentinus ex Ordine Prædicatorum Hiſtoriam Raguſii tribus libris ſermone Italico complexus eſt, atque ab urbe condita ad ſuam ætatem perduxit, & Lucæ ex typographia Vincentii Buſdraghi in publicum emiſit anno 1595. Idem omnes Antiſtites Raguſinos uſque ad Paullum Alberum collegit, & eorum Acta breviter ſummatimque deſcripſit. Hanc veluti Epitomam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Raguſinæ manu ſcriptam in Bibliotheca Cœnobii Dominicani Florentini reliquit, cujus exemplar ab illis religioſiſſimis atque humaniſſimis Patribus impetravit P. Philippus Riceputus. Plures annos P. Seraphinus Razzius Raguſii commoratus eſt; quippe titulo ac poteſtate Vicarii Congregationi Dominicanæ Raguſinæ præfuit; idemque poſt obitum Raphaelis Bonelli Archiepiſcopi, cum a Canonicis Vicarius Capitularis electus fuiſſet, Eccleſiam illam quinque ipſos menſes ſapientiſſime adminiſtravit. Per eos annos, dum Raguſii verſabatur, facultas illi expeditiſſima fuit loca illa iterum ac ſæpius perluſtrandi, & vetera monumenta inſpiciundi, viros antiquitatis peritos, quibus civitas abundat, interrogandi, & conſulendi, de moribus atque inſtitutis civitatis propius cognoſcendi, omnia denique inveſtigandi, & ſuis quæque ponderibus examinandi, ex quibus Hiſtoriam civitatis, & Synopſim Archiepiſcopalem, quanta maxima poſſet vel diligentia, vel fide, contexeret. Quocirca nemo opinor dubitabit, quin huic Scriptori auctoritas tribui debeat, præſertim in rebus illis, quas ipſe ſuiſmet oculis viderat, legerat, perceperat. Quæ vero e ſuperioribus ætatibus petenda erant, eorum pleraque ex idoneis auctoribus comperta habuiſſe credi par eſt. Haud tamen negaverim in antiquis rebus deſcribendis, ac præſertim temporibus digerendis ordinandiſque, ſæpius erraſſe.

Jacobus Luccarus.

Nihilo minorem fidem meretur Jacobus Luccarus Patricius Raguſinus, ſuæ civitatis & Reipublicæ ſcientiſſimus, cui arcana, & ſacratiora patriæ ſuæ tabularia patebant, unde ſumeret quæ opus erant ad Hiſtoriam rerum Raguſienſium conficiendam. Hic Annales Raguſii a principiis urbis exorſus quatuor libros colligavit; & politici Regiminis conſtantis e triplici Patriciorum Conſilio, omnium Magiſtratuum, & munerum publicorum deſcriptionem in extremum librum conjecit, eique ſubtexuit Catalogum Archiepiſcoporum Raguſienſium. Anno 1605. Venetiis e typographia Antonii Leonardi prodierunt.

Sebaſtianus Dolci.

P. Sebaſtianus Dolci Raguſinus *Ord. Min. S. Franciſci, Concion. Generalis, Sac. Theologiæ Lector Jubilatus*, Academicus Patavinus &c. Nomina & Acta Antiſtitum Raguſienſium collegit, & obſervatis notatiſque temporibus breviter, accurateque expoſuit ſub hoc titulo: *Eccleſiæ Raguſinæ Antiſtitum Series Chronologica perpetuis confirmata monumentis*; cui præpoſuit *Epiſtolam anticriticam*, oppido eruditam & idoneis ad probandum argumentis inſtructam, *De Antiquitate Archiepiſcopatus Raguſini*; ſubjecit vero duas Appendices, videlicet *Seriem Epiſcoporum Mercanenſium*, itemque *Seriem Epiſcoporum Stagnenſium*, alteram a ſæculo decimo quinto, alteram a ſæculo decimo ſexto exortus. Opus ſane præclarum, omnique laude dignum, quod anno 1761. Anconæ apud Nicolaum Bellellum typis conſignatum fuit. Ac mihi quidem plurimum profuit tum ad ſucceſſionem ſeriemque Antiſtitum Raguſienſium recte atque ordine explicandam, & quibus ille utitur, aliiſque monumentis confirmandam, atque illuſtrandam, tum vero ad vitandos anachroniſmos, in quos ignoratio veterum temporum ac tabularum ſæpenumero Seraphinum Razzium, & alios induxit.

Joannes Marinus Gundula.

Ad conſcribendam Hiſtoriam Eccleſiæ Raguſinæ ſubſidio etiam mihi fuit Epitoma quædam Chronologica Mſ. Joannis Marini Gundulæ Patricii Raguſini, qui tum res Raguſienſes ſummatim attigit, & ſuum cuique annum præfixit, tum Catalogum Archiepiſcoporum confecit, & ſuis quemque temporibus innexit.

Joſeph Garampus.

Hiſtoriam Eccleſiæ & Provinciæ Raguſinæ a capite uſque ad calcem perduxeram, cum Joſeph Garampus, Prælul domeſticus Sanctiſſimi Patris noſtri Clementis XIV., eique ab arcanis notis, vir æque humaniſſimus atque doctiſſimus, & antiquitatis eccleſiaſticæ diligentiſſimus inveſtigator, rogatu Franciſci Fantini, Præſulis itidem Domeſtici Clementis XIII. ex Archivis Apoſtolicis, videlicet ex Regeſtis Epiſtolarum & Diplomatum Papalium, ex Actis Conſiſtorialibus, ex Tomis Obl. Cam. & Obl. Sac. Coll., aliiſque Romanis Codicibus, certiſſi-

Digitized by Google

tissima documenta suppeditavit, tum ad Historiam Sacram Illyricam lectis & illustribus rebus ac monumentis augendam, tum ad seriem chronologicam Antistitum Metropolis & Provinciæ Ragusinæ, & Antibarensis, recte atque ordine digerendam, & anachronismos corrigendos, qui nobis vel ignaris, vel aliorum errore deceptis irrepserant. Quantum Præsuli eruditissimo debeam, verbis explicare vix possim. Neque enim grave sibi ac molestum esse duxit, a gravissimis studiis & occupationibus, quibus assidue distinetur, mentem & calamum abducere, ac bonas horas, illis ereptas, in evolvendis Curiæ Romanæ ac Tabularum Consistorialium Voluminibus consumere, ut nobis exscriberet quidquid in rem nostram esse, & nobis usui fore cognosceret. Amplissimus Præsul, litterarum, & litteratorum hominum fautor eximius, ardet incredibili cupiditate tum suis præclarissimis commentariis antiquitates ecclesiasticas illustrandi, tum iis, qui in eodem studio versantur, quacumque potest, auxilia & adjumenta subministrandi; ac nobis quidem non solum multa jam contulit, sed præterea quidquid ex Romanis Tabulariis opus esset ad Historiam Illyrici Sacri conficiendam, animo libenti prolixoque se collaturum pollicitus est. Pro hac singulari & egregia erga me voluntate, pro subsidiis litterariis jam acceptis, maximas ei gratias agere, majores etiam habere debeo. Sæpius mihi quidem Illustrissimus hic Præsul honoris & grati animi caussa nominandus erit; numquam vero committam, quin illi acceptum referam quidquid ex ejus foliis ad me transmissis protulero, sive ad stabiliendas epochas Episcopales, sive ad fidem rerum gestarum faciendam. Quod ipsum de Joanne Maria Matthæo gratissimo animi sensu hic testamur, cui plurimum debet historia Ragusinæ Ecclesiæ, quique ad eam illustrandam studium sollers, & plurium monumentorum opem nobis perhumaniter contulit.

& Joannes Maria Matthæus.

Agnosco equidem & fateor hanc a me scriptam historiam videri posse nimis exilem, jejunam, ac rerum inopem, si cum dignitate & amplitudine Ragusiensis Ecclesiæ conferatur. Ac mihi quidem voluntas non deerat ejus dilatandæ, ornandæ, augendæque pro eo, ac nobilitas argumenti postulabat, sed defuit uberior copia rerum illustriorum, ac præsertim monumentorum, quæ in arcanis Reipublicæ Tabulariis asservantur, tam vigili obsepta, diligentique custodia, ut nec facilis illuc, nec cuicumque aditus pateat. Verum illud mihi solatio est, quod exilitatem atque inopiam historiæ meæ supplebit abunde cumulateque Historia Ecclesiæ Ragusinæ, longe & rebus copiosior, & monumentis locupletior, quam P. Seraphinus de Cerva Ord. Prædic., vir summo ingenio, & summa doctrina præditus, ac diligentissimus investigator antiquitatis, accuratissime composuit, in eamque annos ferme triginta insumpsit, ut scriptum reliquit P. Sebastianus Dolci in Præfatione ejus Operis, quod paullo ante laudavi. Nec vero dubitari potest, quin huic, utpote qui ex nobilissima erat, & Patricia gente, omnia vel abditissima Reipublicæ tabularia patuerint, ex quibus tum suas opes litterarias aliunde collectas augere, tum uberrimam selectarum rerum segetem ac materiam ad suam historiam ditandam ornandamque congerere potuit. Erat ille præterea locorum omnium ditionis Ragusinæ apprime gnarus, itemque institutorum omnium, ac rerum gestarum Ecclesiæ & patriæ suæ, qualem eum esse oportuit, qui Ragusii clarissima stirpe ortus, in ea Civitate ac regione ætatem fere omnem transegerat; cuique facultas & spatium fuit omnia per otium lustrandi, investigandi, vera a falsis secernendi, & suis quæque rationum momentis ponderandi; ut vel nemo alius, vel hic unus, rerum civilium & ecclesiasticarum Ragusiensium historiam perfectam, expletamque omnibus suis numeris, & partibus, conficere posset. Sed accidit perincommode huic historiæ, ejusque Auctori, ut morte præreptus fuerit, antequam illam vel absolveret, vel in lucem proferret. Opus præclarissimum ad Patres Dominicanos Cœnobii Ragusini, hæredes legitimos, pervenit. Hos ego iterum ac sæpius rogandos curavi, ut Historiam P. Seraphini de Cerva cum Illyrico Sacro conjungi vellent, quæ cum cæteris Illyricis Ecclesiis in unum Historiæ Illyricæ Ecclesiasticæ corpus coalesceret. Ut quod cupiebam impetrarem, omnia Patribus illis, quæ optarent, ultro deferebam; hæc videlicet, ut Historia nomen Auctoris sui clarissimi præferret; illius cuicumque vellent Patrono dedicandæ, penes ipsos jus integrum foret; nullum in rem typographicam sumptum facerent; quotquot peterent exemplaria, separatim ab aliis Ecclesiis edita, illis attribuenda esse, quibus, si liberet, titulus præfigeretur diversus ab eo, quem alii Tomi Historiæ Illyricæ gerunt; denique optio illis facta est, ut quascumque voluissent, conditiones ferrent, ac præscriberent. Id mihi ut beneficii, gratiæque loco darent, iccirco postulabam, ut ex historia Patris Cervæ nobilitas & excellentia Ecclesiæ Ragusinæ magis innotescceret, atque elucescceret, simulque ut me onere levarent, atque labore hujus historiæ scribendæ, cujus ampliſſimo argumento pro dignitate satisfacere me posse diffidebam. Ac primum quidem Patres illi humanissimi spem mihi fecerunt, meis precibus ac votis obsequendi, quam postea revocarunt, & justis gravissimisque de caussis satius esse censuerunt Historiam illam separatim edere, quam cum Historia universali Illyrici sacri conjungere. Nec tamen ex historia P. Cervæ, quamvis sejuncta ab Illyrico sacro, cum in lucem prodierit, nullum fructum, utilitatemque historia nostra percipiet. Illa siquidem multa, quæ nobis propter ignorationem rerum, & locorum errata exciderint necesse est, emendabit, & corriget; plurima vero, quæ historiæ nostræ desunt, Ecclesiæ Ragusinæ perhonorifica, & litteris cognituque dignissima, proferet ac supplebit.

De Historia Ragusina P. Seraphini de Cerva nondum edita.

Nunc tota Series Archiepiscoporum Ragusiensium sub uno aspectu lectorum oculis subjicienda est,

Epi-

Digitized by Google

Episcopi & Archiepiscopi Ragusini.

I. JOannes anno 650. circiter.
II. Andreas 700. circit.
III. Joannes II. 940. circ. Archiepiscopus primus.
IV. Nicephorus 971. circ.
V. Vitalis 1027. circ.
VI. Tribunius 1057.
VII. Vitalis II. 1063.
VIII. Petrus 1074. vel 1077.
IX. Dominicus 1115.
X. Geraldus 1121.
XI. Andreas II. 1141.
XII. Tribunius II. 1153. circ.
XIII. Bernardus 1187.
XIV. Salvius 1191.
XV. Gaufonus 1194. circ.
XVI. Bernardus II. 1197. vel 1198.
XVII. Leonardus 1205.
XVIII. Arengerius 1220. circ.
XIX. Joannes III. 1232.
XX. Jacobus 1252.
XXI. Joannes IV. 1256. circ.
XXII. Aleardus 1258.
XXIII. Andreas III. electus 1269. circ.
XXIV. Lucas 1272.
XXV. Salvius II. 1276.
XXVI. Bonaventura 1281.
XXVII. Chriſtophorus 1293. circ.
XXVIII. Bartholomæus 1303.
XXIX. Bartholomæus II. 1312.
XXX. Benedictus 1317.
XXXI. Petrus II. 1318.
XXXII. Laurentius 1322.
XXXIII. Thomas 1324.
XXXIV. Elias 1342.
XXXV. Hugo 1362.
XXXVI. Petrus III. 1370.
XXXVII. Maphiolus 1380.
XXXVIII. Andreas IV. 1388.
XXXIX. Nicolaus 1393.
XL. Nicolaus II. 1402.
XLI. Joannes V. 1408.
XLII. Antonius 1409.
XLIII. Jacobus II. 1440.
XLIV. Franciſcus 1460.
XLV. Franciſcus II. 1462.
XLVI. Antonius II. 1465.
XLVII. Timotheus 1467.
XLVIII. Hieronymus 1470.
XLIX. Bartholomæus III. 1479.
L. Joannes VI. 1470.
LI. Joannes VII. 1490.
LII. Julianus 1505.
LIII. Raynaldus 1510.
LIV. Philippus 1521. vel 1527.
LV. Pamphilus 1544.
LVI. Joannes Angelus 1545.
LVII. Ludovicus 1555.
LVIII. Chryſoſtomus 1565.
LIX. Vincentius 1575.
LX. Hieronymus II. 1579.
LXI. Raphael 1583.
LXII. Paullus 1588.
LXIII. Aurelius 1591.
LXIV. Fabius 1602.
LXV. Vincentius II. 1616.
LXVI. Thomas II. 1628.
LXVII. Antonius III. 1634.
LXVIII. Bernardinus 1640.
LXIX. Pompejus 1647.
LXX. Franciſcus III. 1650.
LXXI. Petrus IV. 1665.
LXXII. Vincentius III. 1689.
LXXIII. Placidus 1695.
LXXIV. Thomas Antonius 1701.
LXXV. Andreas V. 1708.
LXXVI. Joannes Baptiſta 1714.
LXXVII. Raymundus 1722.
LXXVIII. Philippus II. 1727.
LXXIX. Angelus 1728.
LXXX. Hiacynthus 1752.
LXXXI. Archangelus 1757.
LXXXII. Nicolaus III. 1767.
LXXXIII. Gregorius 1777.
LXXXIV. Aloyſius 1792.

EPI-

Digitized by Google

EPISCOPI ET ARCHIEPISCOPI RAGUSINI.

JOANNES ANTISTES RAGUS. I.

Joannes postremus Epidauri Episcopus

HIc fuit postremus Epidauri, idemque primus Ragusii Episcopus. Post Epidaurum ab Avaribus, & Slavis anno 639. funditus eversam, urbe & Ecclesia amissa profugus, vel in proximas insulas secesserat, vel Burnum oppidum maritimum, quod nunc Brenum vocant, ut docent Scriptores Ragusini, vel alio se receperat. Plures annos exsulavit, antequam stabilem certamque finiendi exsilii sedem adipisceretur. Cum vero Epidaurii, & Salonitani, quos, cremata ab iisdem barbaris tum Salona, tum Epidauro, in easdem insulas fuga compulerat, in oram continentem reversi, urbem arduo colli præruptoque, atque in mare imminenti impositam ædificassent, quam ex ipsius loci natura *Lausium*, ideſt *præcipitium*, deinde *Rausium*, & *Ragusium* appellarunt; cumque nova Civitas domiciliis atque incolis habitari cœpisset; Joannes Episcopus illuc se contulit, atque ab urbis conditoribus Epidauriis & Salonitanis perbenigne acceptus, ibidem Sedem Episcopalem Epidauriam constituit, & Ragusini Episcopatui initia posuit. De Episcopatu Epidaurensi Ragusium translato idem omnes Ragusini Scriptores summo consensu tradunt, quibus adstipulatur Joannes Lucius lib. 2. cap. 11. de Regno Dalm. & Croat. *Sicut ab Epidauritanis Ragusium ædificatum constat, ita Episcopatum quoque ibidem translatum argui debet.* Joannis adventus, & Episcopatus Ragusini primordia ad annum septimi sæculi circiter quinquagesimum referri possunt. Tunc Ædes Cathedralis exstructa, quam a S. Petro Apostolo primum cognominatam ferunt, postea vero nomine ac religione Sanctissimæ Dei Genitricis consecratam; tunc Collegium Presbyterorum & Clericorum institutum, cui fortasse præpositus fuit idem ille Valentinus Archidiaconus Ecclesiæ Salonitanæ, qui, ut docet Porphyrogenitus, cum suis popularibus, & primoribus civium, in easdem insulas profugerat, ad quas Epidaurii devenerant, ac deinde cum utrisque ad novam urbem condendam incolendamque commigraverat; tunc denique Epidaurii, & Salonitani sub eodem nomine ac jure tum civili, tum ecclesiastico, sub eodem Rectore & Episcopo in unius Civitatis, & Ecclesiæ corpus coaluerunt. De rebus ab Joanne gestis nihil memoriæ proditum est; illud quoque incompertum est quamdiu Ecclesiæ Ragusinæ præfuerit, quove anno obierit; is tamen vitam & Pontificatum a quinquagesimo fere usque ad septuagesimum sæculi hujus septimi annum, ultraque perducere potuit. Ei qui successit, ignotus est; neque enim ante initia sæculi proximi ullum habeo, quem proferre possim Ragusinum Antistitem. Interea civitas mirum in modum aucta est, tum numero ædificiorum, tum frequentia incolarum; & mœnibus præterea ac propugnaculis egregie munita, commercio itidem tum maritimo, tum terrestri, & opibus copiisque plurimum crevit; jamque res Ragusina adeo valida erat, ut cuilibet finitimarum gentium bello par esset.

Sedem Episcopalem Ragusium transtulit an. circ. 650.

Anno circiter 700., ut est apud Luccarum, Civitas a Slavis, sive Serblis obsessa vehementerque oppugnata cum esset, hostium aggressiones atque impetus fortiter sustinuit ac repulit. Tunc rerum in Serbia potiebatur Uladislavus, qui minime lætus novæ origine urbis, & nimio plus, quam satis tutum sibi esset, rem Ragusiensem crescere ratus, eam inter ipsa initia opprimere ac funditus excindere conabatur. Per eadem tempora iisdem fere incrementis, quibus res publica, res quoque Christiana & Ecclesiastica augescebat.

Reipublicæ Ragusinæ & Ecclesiasticæ incrementa.

ANDREAS ANTISTES RAGUS. II.

Hunc Joanni proxime subjecit vir clarissimus & doctissimus F. Sebastianus Dolci ex Familia Franciscana in *Serie Chronologica Antistitum S. Ragusinæ Ecclesiæ*. Cum enim, ut Salonitanam & Epidauriam cladem, sic Pontificatum Joannis primi Ragusiensium Antistitis, in annos extremos septimi sæculi rejecerit; eumdem usque ad initium sæculi proximi, ultraque producere potuit, & Andream Joanni subnectere, nullo alio inter utrumque Episcopo intermedio. Episcopatus Andreæ octavo sæculo affixi testem citat S. Zachariam Papam, qui ab anno 741. usque ad an. 752. Pontificatum universalis Ecclesiæ gessit. Hujus Pontificis litteras extare ait in Tabulario Civitatis, ex testificatione Joannis Gundulæ, viri patricii, *olim Ragusinæ Reipublicæ apud Sedem Apostolicam Legati, & insignis Ragusinarum Legum Collectoris*, qui *in Analysi Ragusinorum Annalium, quos morte præventus anno 1635., absolvere non potuit, testatur ab se in publico Tabulario lectam fuisse Bullam Zachariæ, pallium Andreæ nostro Præsuli indulgentis.* Hujus Diplomatis auctoritate nituntur qui Metropoliticam dignitatem Ecclesiæ Ragusiensi collatam inde usque ab octavo sæculo repetendam censent, eamque ipsi Zachariæ acceptam ferunt. Nemo adhuc Diploma Zachariannm in lucem protulit, ex cujus textu, & contextu dignosci posset, quid & quantum fidei eidem tribui oporteat. Post Andream nullum nobis Episcopum nominatim, sive Metropolitam, ante sæculum decimum suppeditant monumenta Ragusiensia. Ita unius ac dimidii sæculi Episcopos vetustas intercepit, quorum ne nomina quidem, nedum acta, posteris reliquit.

Diploma S. Zachariæ Papæ ejusdem sæculi ad Andream Rag. Ep.

Post Andream nullus nobis suppeditatur Episcopus usque ad sæculum decimum.

Sæculo nono Ragusium in tantas opes creverat, ut diuturnæ, acerrimæque Saracenorum obsidioni sustinendæ par esse potuerit. Saraceni jamdudum Africa & Creta potiti, Siciliam fere omnem, præter Syracusas, Calabriam insuper & Apuliam occupaverant, maria omnia, Mediterraneum, Jonium, Superum, Inferumque, armatis cujusque generis navigiis, obsidere & infestare cœperant. Anno 867. sex & triginta navium classe instructa, ex Africa in Adriaticum transmittunt; & aliquot urbes maritimas de improviso adorti capiunt, diripiunt, incendunt, in quibus Butoam, Rosam, & Catharum inferius; deinde ultra progressi, Ragusium, Metropolim Dalmatiæ superioris, terra mari-

Saraceni Ragusium obsident.

Digitized by Google

marique obſident. Quindecim ipſos menſes obſidio tenuit; neque vehementius & pertinacius oppugnata, quam defenſa Civitas fuit. Id tradit Conſtantinus Porphyrogenitus Lib. de Admin. Imp. cap. XXIX. *Poſt aliquod vero temporis, præclaro illo ac ſemper memorando Baſilio frena Imperii moderante, venientes ab Africa Saraceni cum Soldano, Selba, Calphone navibus* XXXVI. *applicuerunt in Dalmatia, atque urbes Butobam, Roſam, & Decateron inferius expugnarunt; inde adverſus Raguſium profecti, eam urbem obſidione cinctam quindecim tenuere menſes.* Idem confirmat in Vita Baſilii avi ſui: *Arrepta Agareni Carthaginienſes occaſione, conjunctis viribus expeditionem ſuſcipiunt, creatiſque Ducibus Soldano, Selbano, & Calphuſo, qui militia, bellicæque rei experientia tribulibus reliquis longe præſtare æſtimabantur, ſex ſupra triginta naves in Dalmatiam miſerunt, a quibus Dalmatarum plures urbes captæ ſunt, Butoba, Roſa, & inferius Catarum. Sic cum ſecundis auris res boſtibus ſuccederent, ad ipſam venerunt totius gentis Metropolim, eamque ad longum tempus circumſederunt. Haud tamen facile expugnare potuerunt, iis, qui intra mœnia, magno animo concertantibus;* ſive ut ait Cedrenus, *fortiter urbem defendentibus, qui intus erant.*

Raguſini diu obſeſſi, auxilia petunt a Baſilio Macedone Imperatore.

Plures jam menſes Raguſini Saracenicam obſidionem haud fortius, quam conſtantius ſuſtinuerant. Sed cum urbem arctius in dies obſidere, vehementiuſque oppugnare pergerent, & commeatibus atque auxiliis terra marique aditum intercluderent; viſum non eſt expectare, dum aut neceſſitas urgeret deditionis faciendæ, aut civitas a periculo barbaricæ expugnationis propius abeſſet. Ventum itaque in conſilium eſt a Magiſtratibus, & primoribus civium de ſumma rei; cumque ſatis intelligerent, hoſtium copiis & viribus, ſi longius oppugnatio traheretur, ſe reſiſtendo non eſſe, ad externa & longinqua, cum proxima non ſuppeterent, auxilia ſibi confugiendum eſſe cenſuerunt. Ergo de communi ſententia viros primarios Civitatis Conſtantinopolim mittunt ad Imperatorem, oratum ſubſidia navalia, & terreſtria ad barbaros repellendos, & obſidionem ſolvendam. Tunc Baſilius, cui Macedoni cognomen fuit, rerum in Oriente potiebatur, qui Michaele interfecto Imperium invaſerat. Hic legatione Raguſienſium benigne audita, claſſem validam ornari juſſit, eique Nicetam cognomine Oripham præfecit, ut quanta maxima celeritate poſſet Raguſinis in extremum fere periculum adductis auxilium ferret, civitatem obſidione liberaret, Saracenos a littoribus Dalmatiæ averteret. Hæc Porphyrogenitus: *Tunc Raguſini cives in anguſtias deducti, Baſilio ſemper memorando Romanorum Imperatori ſignificarunt his verbis, Miſerere noſtri, neque nos permittas ab infidelibus peſſumdari; eaque re Imperator permotus Nicetam Patricium miſit, Drungarium rei navalis, Oripham cognominatum, cum Chelandris centum.* Eadem paullo diſtinctius, & accuratius in Vita Baſilii; itemque Georgius Cedrenus. *Saraceni cum e transfugis cognoviſſent legatos ab Raguſinis Conſtantinopolim miſſos auxilii petendi cauſa, & urbem ante adventum claſſis Græcorum capi poſſe diffiderent, veriti ne boſtilium navium multitudine obruerentur, ſoluta obſidione in adverſam Italiæ oram trajiciunt. At Saraceni*, ait Porphyrogenitus, *ubi adfuturum mox cum claſſe Patricium rei navalis Drungarium reſciverunt, ab obſidione Raguſinæ urbis diſceſſerunt; & in Longobardiam trajicientes, urbem Barienſem cinxerunt, & expugnarunt.* Raguſienſes beneficii accepti memores Baſilio auxiliares naves imperanti ad expeditionem Barienſem, haud promptius, quam libentius ſuppeditarunt, quarum acceſſione claſſis Græcorum aucta, eodem Niceta Oripha ductore, Barium mari obſedit, cum eodem tempore Ludovicus Rex Francorum, ſociali fœdere cum Baſilio conjunctus, urbem eamdem terra oppugnaret, quæ demum expugnata captaque fuit anno 871. Conſtantinus Porphyrogenitus inter illos Serbliæ & Dalmatiæ populos, qui Baſilio ad obſidionem & oppugnationem Barienſem ſubſidia navalia contulerunt, nominatim Raguſinos percenſuit.

Ædes S. Stephani condita Raguſii a Paullimiro Rege Serblorum.

Joannes Marinus Gundula Patricius Raguſienſis in ſua Synopſi Chronologica Ms. tradit Ædem S. Stephani per hæc tempora conditam a Paullimiro Rege Serblorum, & ibidem honorifice depoſitas fuiſſe Reliquias SS. Nerei, Achillei, Pancratii & Domitillæ, ex urbe allatas. Hic filius erat Primislavi, nepos Radislavi ejus, qui a Ciaslavo filio per ſummam impietatem regno expulſus Romam exſulatum abierat. Porro Paullimirus Romani domicilii pertæſus, & aviti regni recuperandi cupidus, relicta urbe, cum filiis & conſanguineis mare Superum tranſvectus ad portum, cui Gravoſæ nomen eſt, prope ab Raguſio appulit, quem Raguſini, quo dignus erat, honore & apparatu acceperunt; deinde a Banis, & Primoribus Serbliæ, populoque univerſo invitatus, ſumma omnium gratulatione, & lætitia Regnum majorum ſuorum recepit. Hæc Presbyter Diocleates, ſed in eo fallitur, quod Raguſium a Paullimiro cum Epidauriis ædificatum ſcripſit; auctum potius dixerim cum Marino Gundula, qui ſecundum urbis incrementum Paullimiro attribuit, cujus in Dalmatiam adventus conferri poteſt in annum 875. biennio ante Concilium Delmitanum, de quo mox dicturi ſumus. Hic vero Templum S. Stephani extruxit, eodem Gondula auctore, & Divorum illorum Martyrum Reliquiis nobilitavit.

Concilium Delmitanum an. 877.

Anno 877. habitum eſt Concilium Delmitanum longe auguſtiſſimum & frequentiſſimum, quod auctoritate & præſentia ſua cohoneſtarunt Legati Pontificis Romani, & Conſtantinopolitani Imperatoris, Epiſcopi, Reges, Duces, Optimates Dalmatiæ, Chrobatiæ, & Serbliæ. Hujus Concilii Acta decretaque Presbyter Diocleates litteris mandavit, in Hiſtoria Regni Slavorum. In hac Synodo Dioclea civitas nobiliſſima & antiquiſſima Dalmatiæ ſuperioris, ſive Serbliæ maritimæ, cum antea Epiſcopalis eſſet, ad dignitatem Archiepiſcopalem evecta eſt, eique attributi ſunt Epiſcopi ſuperioris extremæ Dalmatiæ, ideſt *Antibarenſis, Buduenſis, Catarenſis, Dulcinenſis, Svacienſis, Scodrenſis, Drivaſtenſis, Pulatenſis, Sorbienſis, Boſonienſis, Tribunienſis, Zaculmienſis.* Metropolis Spalatenſis ex decreto Concilii octo Epiſcopos retinuit, inter quos *Raguſinum*, olim *Epidaurium*, ut eſt apud Presbyterum Diocleatem. De hoc Concilio ſatis ſuperque dictum eſt Tomo III. in Georgio Archiepiſcopo Spalatenſi. Si autem anno 877. Antiſtes Raguſinus Metropolitæ Spalatenſi adhuc ſuberat, in dubium revocari neceſſe eſt antiquitatem Ragulini Archie-

Eo tempore Ecclesia Ragusina vel nondum adepta fuerat,

chiepiſcopatus inde uſque a Zacharia Pontifice repetitam, quem ante annos fere centum & triginta inſtitutum ferunt. Hic mihi aqua hæret, ut ajunt; & qua ratione hæc dubitatio dilui poſſit non reperio; niſi vel Synodo Delmitanæ fides & auctoritas derogetur, vel Eccleſia Raguſina e gradu Archiepiſcopalis dignitatis dejecta in priſtinum Eccleſiarum Epiſcopalium ordinem redierit: id quod Sebaſtianus Dolci vir clariſſimus arripuit ad hujuſmodi dubitationem convellendam, in *Epiſtola Anticritica de Raguſini Archiepiſcopatus antiquitate. Ex Diocleate Presbytero*, inquit, *nihil aliud eruitur, niſi fuiſſe nobis ad annum* 887. (877. juxta noſtros calculos chronologicos) *ſub Svetopulco, ſeu Svetopilo Dalmatiæ Rege ademptam Archiepiſcopalem dignitatem, eamque inter nos aliquando deſiiſſe.* Idem confirmat in Andrea Antiſtite Raguſino II. *in qua quidem Synodo* (Delmitana) *diviſa eſt Dalmatia in inferiorem, & ſuperiorem; & in Metropolim inferioris Spalatum, in ſuperioris vero Dioclea conſtituta, dato in Suffraganeum Spalatenſi Archiepiſcopo Antiſtite noſtro, videlicet Raguſino. Narrant id Presbyter Diocleates, Thomas Spalatenſis Archidiaconus, Joannes Lucius, Blondus aliique; & quamquam in eorum narrationibus nonnihil diſcriminis; nihilo tamen minus haud inficiamur Metropolim noſtram ad id tempus deſiiſſe.*

vel amiſerat dignitatem Metropoliticam.

Anno 925. Eccleſia Raguſina adhuc dignitate Metropolitica carebat.

Sub initium ſæculi decimi Eccleſia Raguſienſis adhuc parebat Archiepiſcopo Spalatenſi, vel certe priſtinam, ſi quam habuerat, Metropoliticam dignitatem nondum recuperaverat; ſiquidem in Concilio Nationali Spalatenſi ſub Joanne III. Archiepiſcopo, quod habitum fuit anno circiter viceſimo quinto ejuſdem Sæculi, Eccleſia Raguſina Provinciæ Spalatenſi adſcripta eſt. De hac autem & Catharenſi, quæ aliquando uni eidemque Epiſcopo paruiſſe dicitur, ſive unus idemque Epiſcopus fuiſſe, qui utramque adminiſtrabat, hoc decretum fuit Canone VIII., ut cum alterutrius Eccleſiæ Epiſcopus diem obiiſſet, alter jure ſuo Epiſcopi defuncti partes ſuſciperet, muneribuſque ad tempus fungeretur, quoad ſcilicet viduæ Eccleſiæ novus Epiſcopus daretur; idcirco autem adminiſtratio temporaria Raguſinæ, vel Catharenſis Eccleſiæ, ſi quando alterutra ob Paſtoris obitum vacaret, in alterutrum horum Antiſtitum ſuperſtitem devolvi jubetur, quod utraque olim una erat Parochia, & uni Epiſcopo ſubjecta, cum videlicet ante Concilium Delmitanum, & ante annum 877. ad juriſdictionem Metropolitæ Spalatenſis vel utraque, vel certe Catharenſis pertinebat. In hanc ſententiam interpretati ſumus Canonem illum VIII., qui eſt hujuſmodi: *De Epiſcopo Raguſitano, & Catharitano, quorum manifeſte una ſedes dignoſcitur, ipſam Diœceſim æqua lance inter ſe dividant; ita ut ſi unus dictæ Eccleſiæ Paſtor obierit, donec ordinetur Epiſcopus, reſidens* (ideſt ſuperſtes) *Epiſcopus ipſius Eccleſiæ Eccleſiaſticam curam gerat.* Itidem in Epiſtola Leonis VI. an. 928. *ad Epiſcopos Dalmatiæ* inferioris, ſive Provinciæ Spalatenſis, quos verbis graviſſimis monet, ut ſe obſequentes Archiepiſcopo ſuo præbeant, neve in alienas Parochias invadant, Eccleſia Raguſina inter Eccleſias Metropolitæ Spalatenſi ſubjectas annumeratur. *Forminum namque monemus, ita ſuam Parochiam retinere, quemadmodum in antiquis temporibus manſit, ſimiliter Abſarenſis Eccleſiæ Epiſcopum, & Arbitanum* (ideſt Arbenſem) *atque Raguſitanum. Spalatenſem etiam Archiepiſcopum &c.* Acta Concilii Nationalis Spalatenſis cum Epiſtola Leonis VI. itemque Epiſtolis Joannis X. deſcripta ſunt Tomo III. in Joanne III. Archiep. Spalatenſi. Ex his intelligi licet, Eccleſiam Raguſinam poſt Joannem primum Epiſcopum itemque Andream, ante Concilium Delmitanum ad tempus conjunctam fuiſſe cum Catharenſi, & unum utrique Antiſtitem præfici conſueviſſe; ſub initium vero ſæculi decimi pertinuiſſe ad Provinciam Spalatenſem.

itemque anno 928.

Uno alterove anno poſt Concilium Nationale Spalatenſe, Simeon Rex Bulgariæ cum bellum Serblis intuliſſet, ut docet Conſtantinus Porphyrogenitus, Diocletanam Provinciam, quæ una erat de quatuor Zupaniis Serblorum, ferro & igni vaſtavit; Diocleam vero ejus regionis urbem primariam funditus evertit. Hanc a Bulgaris exciſam fuiſſe Scriptores Raguſini omnes ad unum confirmant; ſed ejus excidium in extremos annos decimi ſæculi rejiciunt, cum Samuel regnum in Bulgaris obtinebat; verum enimvero ad Regnum Bulgaricum Simeonis & annum circiter 926. ejuſdem ſæculi revocari oportet, ſi fides habenda eſt Conſtantino Porphyrogenito, qui, dum anno 949. vel ſequenti ſuos Commentarios de Admin. Imper. ad Romanum filium ſcribebat, *Diocleam habitatoribus vacuam fuiſſe* affirmat. Hæc in Proœmio hujus Hiſtoriæ paullo fuſius & accuratius explicata ſunt. Si ergo a clade, & calamitate Diocletana repetenda ſunt initia, ut plerique cenſent, Archiepiſcopatus Raguſini, ea non ad Regnum Samuelis, qui ſæculo decimo exeunte, & proximo ineunte imperavit, ut Luccarus, Bandurius, & plures alii tradiderunt, ſed ad Regnum Simeonis, qui ab exitu noni uſque ad annum triceſimum ſecundum ſæculi decimi regnavit, referantur neceſſe eſt. Joannes Archiepiſcopus Diocleenſis, urbe diruta profugus, Raguſium ſe contulit, & poſt interitum ejuſdem Eccleſiæ & Metropolis Diocletanæ Epiſcopi Antibarenſis, Catharenſis, Svacienſis, Dulcinenſis ſub juriſdictionem Metropolitæ Spalatenſis redierunt. Dum Joannes Raguſii vitam privatam degebat, Epiſcopo Raguſienſi per eos annos vita functo, Epiſcopatum hujus Eccleſiæ ſibi a civibus delatum ſuſcepit, ſimulque titulum Archiepiſcopalem retinuit, atque ad ſuos ſucceſſores tranſmiſit, Romano Pontifice, ut ajunt, approbante. Ita dignitas metropolitica Eccleſiæ Raguſinæ vel tum primum inſtituta fuit, ut tradunt Scriptores paullo ante laudati, vel certe reſtituta, ſi quidem ejus primordia altius repetere libeat. Raguſini quidem inde uſque ab urbe condita id omni ſtudio moliri, & conari cæperunt, ut Eccleſiæ ſuæ jura Metropoleos, & Epiſcopo ſuo pallium acquirerent: *Ex eo tempore*, ait Archidiaconus, *conari cæperunt pallium Juo Epiſcopo obtinere.* Quod vehementiſſime optabant, ut aſſequerentur, nullo illis adjumento eſſe poterat, vel Sedes Epiſcopalis Epidauro Raguſium translata, vel nobilitas civitatis recenter conditæ, nulla tunc neque magnificentia ædificiorum, neque divitiarum copia, neque incolarum frequentia illuſtris. Itaque quæ domi non habebant, foris petebant, afferebantque argumenta, cur ſibi ſuæque civitati dignitas metropolitica deberetur. Primarii quidam cives Salonitani, ut ſupra

Anno 926. vel 927. Dioclea Metropolis a Simeone Rege Bulgarorum everſa.

Joannes Archiepiſcopus Diocleenſis Raguſium ſe contulit.

A principio urbis conditæ Raguſini jus primatumque Metropolis Salonitanæ ad ſe transferri volebant.

Digitized by Google

pra dictum eſt ex Porphyrogenito, Raguſium migraverant, vel cum Epidaurils, quod propius vero eſt, civitatem ædificaverant. His autem jus videbatur eſſe repoſcendæ, ad ſeque transferendæ Sedis Archiepiſcopalis, quam Salona illorum patria per barbaros everſa amiſerat; cæteri autem Epidaurii, qui cum Salonitanis, in ſocietatem urbis condendæ, vel inhabitandæ adſcitis, civitatis, & legum rerumque omnium communione in unius populi corpus coaluerant, jure ſociorum freti idem poſcebant, idem ſibi ac ſociis vindicabant. Utriſque obſiſtebant Salonitani, qui ex Palatio Diocletiani urbem Spalatenſem conſtruxerant, cui Sedem Metropoliticam Eccleſiæ Salonitanæ deberi affirmabant; nam quæ civitas in locum Salonæ ſubſtituta fuerat, & in hujus territorio poſita erat, eamdem in jura omnia & privilegia tum civilia, tum eccleſiaſtica Salonæ ſuccedere æquum eſſe planeque neceſſarium; Epidaurios vero, eorumque ſocios inique facere, qui jus alienum intervertere, ac ſibi arrogare, & antiquiſſimæ, nobiliſſimæque Metropolis juriſdictionem ad ſe pertrahere molirentur; Civitatem & Eccleſiam Raguſinam, veteris Epidauritanæ urbis & Eccleſiæ, cujus loco conſtructa, ab ipſa origine ſubjectæ Metropoli Salonitanæ, conditionem ſequi, & Sede Epiſcopali Epidauria contentam eſſe oportere. Joannes cognomento Ravennas, & Legatus Sedis Apoſtolicæ, idemque poſtea primus Archiepiſcopus Spalati, ad eam controverſiam dirimendam arbiter delectus, Sedem Archiepiſcopalem Salonitanam civitati & Eccleſiæ Spalatenſi adjudicavit, *ipſique* (ideſt Joanni) *conceſſum eſt*, ut docet Archidiaconus, *a Sede Apoſtolica, ut totius dignitatis privilegium, quod Salona antiquitus habuit, obtineret Eccleſia Spalatenſis*.

Joannes Legatus Apoſtolicus ſecundum Spalatenſes judicavit.

Raguſienſes Sedis Archiepiſcopalis Salonitanæ adipiſcendæ conatu ſpeque omni depulſi, nihilo ſegnius moliri, ac tentare omnia perſeverarunt, ut ſibi ſuæque Eccleſiæ primatum Metropoliticum obtinerent, quem a Zacharia Papa, vel ab aliquo alio ante Zachariam Pontifice impetraſſe ajunt. Certe adventus Joannis Metropolitæ Diocletani opportunus viſus eſt ad dignitatem Archiepiſcopalem Eccleſiæ Raguſinæ vel conſtituendam, vel recuperandam. Hic Epiſcopatum urbis, quem ſibi Raguſienſes ultro detulerunt, honore auxit ac titulo Archiepiſcopali, quem Dioclea ſecum avexerat, & quoad vixit, ipſe retinuit, & jure veluti hæreditario ad ſucceſſores tranſmiſit. Quinimo videtur voluiſſe Sedem Diocletanam Archiepiſcopalem, urbis illius celeberrimæ interitu everſam ejuſque ruinis ſepultam excitare, & Raguſii reſtituere; quam tamen ſæculo undecimo ex auctoritate Sedis Apoſtolicæ Antibarim translatam, & in hac civitate conſtitutam fuiſſe conſtat. Hinc repetunt primordia Metropolis Eccleſiaſticæ Raguſinæ, Jacobus Luccarus, Anſelmus Bandurius, & veteres fere omnes, indigenæ, & extranei Scriptores. Undecumque initium duxerit, Raguſini Archiepiſcopatus inſtituti nullum Sedis Apoſtolicæ diploma, nullum decretum Pontificium extat, quod ego ſciam. Decretum Zachariæ, quod in publico Tabulario aſſervari ajunt, cum videre non licuerit, ex eo dijudicare nequeo, utrum hic Pontifex jus Metropoliticum Eccleſiæ Raguſinæ tunc primum contulerit, an a deceſſoribus antea collatum confirmaverit. Ejuſdem vero Archiepiſcopatus confirmati plura poſteriorum Pontificum Diplomata proferunt, velut Benedicti VIII., Calliſti II., & aliorum, de quibus ſuo loco & tempore.

Nihilo tamen ſegnius Raguſini pugnarunt pro jure Metropolitico obtinendo.

Raguſinæ Metropoleos inſtitutioni, ſive reſtitutioni acriter diuque repugnarunt Archiepiſcopi Spalatenſes, qui Eccleſiam illam ab ſua provincia divelli ægre patiebantur, nec immerito quidem. Nam antiqui Canones ſicut vetabant Epiſcopis invitis partem aliquam ex eorum parochia detrahi, in qua novus conſtitueretur Epiſcopus, ſic etiam præcipiebant, ne ſine conſenſu metropolitæ Eccleſiam ullam intra illius provinciam ab ejus juriſdictione abduci, atque ad metropoliticam dignitatem evehere liceret: id quod Ludovicus Thomaſſinus Tom. 1. Parte 1. L. 1. c. 45. confirmat, duobus in hanc rem exemplis allatis: *Offa*, inquit, *Rex Merciorum in Anglia in Lambertum Cantuarienſem Epiſcopum exacerbatus, circumvento Hadriano Papa, civitatem Licheſindenſem Archiepiſcopali apice decorari fecit, ut ne amplius Regni ſui Epiſcopi Metropolitano parere cogerentur, qui eidem Regno ipſique Regi non pareret. Regnum Merciorum, ut ait Matthæus Vueſtmontius, Archiepiſcopatu cum inſignire affectaret*, Pontifex longe plurimos Archiepiſcopatus *Cantuarienſis ſuffraganeos huic novo ſubjecit Metropolitano, nequicquam reclamante Archiepiſcopo Cantuarienſi. Kenulphus Offæ ſucceſſit; monituſque ab omnibus Angliæ Epiſcopis, quantum detrimenti præceſſor ejus Offa Cantuarienſi Eccleſiæ intuliſſet, non æque aſſenſus eſt ipſe, facillimeque a Leone III. impetravit, ut quod ſurreptum Hadriano fuerat revocaretur. Hæc novæ Metropolis revocatio facta eſt interpellatione Regis, & Epiſcoporum omnium, qui ejus inſtitutioni aſſenſi non erant. Guillelmus Malmesburienſis excuſans graviſſimas Hadriani Papæ occupationes ait: Sicut occupatis animis multa illicita ſubtrahi, & ſurripi poſſunt. Ulterius progreſſus eſt Gregorius V. reſciſſa Metropoli, quam præceſſor ejus erexerat; quod eam evexiſſet, non modo Principe nullo ſollicitante, ſed etiam præter aſſenſum Ravennatis Archiepiſcopi, cujus Metropolis truncabatur & provincia, adeoque præter canones, & æqui leges; Placentinam Eccleſiam, inquit, injuſte tibi a meo Anteceſſore ablatam, & contra Canones &c. ex Epiſtola Gregorii ad Joannem Ravennatem Archiep.* Idem de creatione novorum Metropolitarum docet Thomaſſinus in Indice rerum præcipuarum ad Tomum III. addito, ſub verbum *Metropolis*: *Cum novæ a Romanis Pontificibus erigebantur Metropoles, interveniebat conſenſus tum Principum, tum ipſorum Præſulum, Metropolitarum ſcilicet, quibus inde aliquid damni impendebat; quamquam diſſenſus prioris Metropolitæ non ſemper ratio habebatur.*

Inſtitutioni Raguſinæ Metropolis diu repugnarunt Metropolitæ Spalatenſes.

Haud equidem negaverim Raguſienſes iterum ac ſæpius a Romanis Pontificibus poſtulaſſe, & ſummopere contendiſſe, ut jus nomenque metropoliticum Eccleſiæ Raguſinæ aut conferrent, aut confirmarent; do etiam atque concedo, quod petebant, impetraſſe, ne Zachariæ, vel ſuperiorum Pontificum, ſi qua extant, decreta ſecundum Raguſienſes facta, aut Benedicti VIII. ad Vitalem, aut Calliſti II. ad Gerardum Antiſtites Raguſinos Epiſtolas in dubium vocare videar. Sed hujuſmodi Pontificia diplomata Spalatenſes Archiepiſcopi vel fortaſſe ignorabant, vel quod ſe inſciis atque invitis data fuerant, & quaſi furtim ſubrepta, nullius auctoritatis eſſe cenſebant, præſertim

Digitized by Google

cum antiqui Canones, ut supra dixi, veterum novos Episcopos vel Metropolitas constitui, illis repugnantibus aut inconsultis, de quorum parochia, vel provincia partem aliquam diminui oporteret. Cæterum & Joannes, antea Diocletanus Metropolita, & qui post Joannem Ecclesiam Ragusinam administrarunt, invitis licet ac repugnantibus Metropolitis Spalatensibus, titulum Archiepiscopalem usurparunt; nec tamen ante sæculum undecimum possessionem ejusdem tituli pacatam, omnisque controversiæ & contradictionis expertem obtinuerunt. Hinc factum est, ut, ex quo Joannes regimen hujus Ecclesiæ sibi delatum suscepit, Antistites Ragusini neque Conciliis Provinciæ Spalatensis interfuisse, neque cum cæteris ejusdem Provinciæ Episcopis, Ducum, seu Regum Chrobatiæ Diplomata, Actaque publica subscripsisse inveniantur; exinde enim jus metropoliticum exercere, & imperium auctoritatemque Metropolitæ Spalatensis palam abnuere cœperunt. Neque enim Joannes honorario titulo Archiepiscopi, vacuoque ab omni jurisdictione archiepiscopali contentum fuisse arbitror; sed cum suam Sedem Diocletanam ab se Ragusium translatam vellet, illud quoque volebat, quod huic translationi consentaneum erat, videlicet Ecclesias Provinciæ Diocletanæ Metropolim sequi, quæ ad Ragusinos migraverat, & huic adhærere, eodemque, quo antea, vinculo obedientiæ conjunctas permanere. Itaque omnes illas Ecclesias subjicere studuit Metropoli Ragusinæ, quam in locum Diocletanæ ipse auctoritate sua suffectam esse volebat. Has autem urbes Episcopales Concilium Delmitanum anno 877. Metropoli Diocletanæ ab se institutæ attribuerat, *Antibarium*, *Buduam*, *Ecaterum*, *Dulcignum*, *Svacium*, *Scodram*, *Drivastum*, *Puletum*, *Bosonium*, *Tribunium*, *Zachulmium*. Verum harum numero eximi oportet *Antibarim*, *Catharum*, *Olchinium*, *Svacium*, quæ post Diocleam excisam in fidem ac potestatem Archiepiscopi Spalatensis redierunt; huic enim suberant sæculo undecimo, cum earum Episcopi profecti ad Concilium Provinciale Spalatense, quod Dabralis Archiepiscopus convocaverat, naufragio interierunt: ex quo sumpta est occasio, ut docet Archidiaconus, Metropolis Antibarensis instituendæ, cui tres Ecclesias Benedictus IX. attribuit, Catharensem, Olchinienſem, Svacienſem, divulsas a Provincia Spalatensi: nisi forte existimemus has quatuor Ecclesias, antequam antiquæ suæ Metropoli restituerentur, Archiepiscopo Ragusienſi aliquando paruisse; nam cum ab Joanne primum Diocletano, postea Ragusino Archiepiscopo, ad Sedem Metropoliticam Antibari constitutam anni fere centum intercesserint, hoc tam diuturno annorum intervallo status illarum Ecclesiarum immutari, & primum a Diocletana ad Ragusinam, deinde ab hac ad Spalatensem Provinciam earumdem transitus fieri potuit. Hæc fere habui de initiis, & institutione Archiepiscopatus Ragusini, quæ opinando magis, quam affirmando scriberem. Convenit inter omnes Joannem eum, qui post Diocleam a Bulgaris eversam, Ragusium profugit, verum ac legitimum haberi dicique posse Archiepiscopum hujus Ecclesiæ; primusne fuerit, an ab Episcopis superiorum ætatum repetenda sint primordia Metropolis Ragusinæ, id in controversia est. Ab hoc igitur mihi ordienda fuit series Archiepiscoporum Ragusienſium.

Joannes tamen antea Diocletanus Archiepiscopus titulum jusque Archiepiscopale retinuit, itemque illius successores.

Ecclesias omnes ante Diocletanæ Metropoli subjectas, sibi ac Metropoli Ragusinæ vindicavit.

JOANNES II. ARCHIEPISCOPUS RAG. I. TERTIUS EX EPISCOPIS.

Joannes I. Archiep. Rag. anno 9[illegible]

Hic primus est, de cujus jure ac potestate metropolitica dubitari posse non videtur. Qui excidium Dioclæ Samuelo Bulgariæ Regi attribuunt, Archiepiscopatum Joannis in annos postremos sæculi decimi rejiciunt; nos eumdem ad annum ejusdem sæculi fere quadragesimum revocare oportet, qui anno circiter 927. Diocleam ab Simeone Rege Bulgarorum excisam ac funditus deletam fuisse ostendimus; quippe anno ejusdem sæculi quinquagesimo jam ab incolis vacua ac deserta erat, Porphyrogenito teste, ut sæpius dictum est. Post urbis illius & Ecclesiæ interitum, Joannes Archiepiscopus Ragusium se contulit; & cum ibi aliquot annos commoratus fuisset, Ragusii Episcopo vita functo, regimen hujus Ecclesiæ ab Ragusinis sibi delatum suscepit anno circiter 940., illudque Archiepiscopali titulo, quem secum avexerat, ac dignitate auxit. *Per idem tempus*, ut est apud Luccarum lib. 1. Annalium, *Joannes Archiepiscopus Dioclea, abiens, & vulgari habitu sumpto, ut seipsum celaret, & sua saluti consuleret, Ragusium se recepit; & sibi latendum tantisper ibidem censuit, dum sedatis bellorum tumultibus, securior in patriam reditus pateret, quamvis hæc incensa, & redacta in cineres fuisset. Verum agnitus cum esset, Ragusienses viri dignitatem admirati, rogarunt, & obsecrarunt, manere apud ipsos ut vellet, in urbe ac diœcesi pacata, tutaque ab omni metu, & periculo; & post obitum Episcopi, Ecclesiæ Ragusinæ administrationem suscipere. Annuit eorum precibus Joannes, & Senatus collatum eidem Episcopatum a Summo Pontifice approbandum curavit; tum primum hæc Ecclesia titulum Archiepiscopalem obtinuit. Ædes Episcopales eidem assignatæ fuerunt ad Sanctos Apostolos, prope Castellum, ubi tunc erat Basilica Cathedralis. Ut vero personam Archiepiscopalem pro dignitate sustineret, ad victum cultumque attributi sunt canones quidam, sive census, quos domus urbanæ, & terræ frugiferæ agri Ragusienſis solvebant. Cum deinde Civitas & propagatione finium, & commercio terrestri, ac maritimo in multas opes crevisset, proventus Mensæ Archiepiscopalis aucti sunt, traditis eidem in Jupana Insula, itemque in territorio Burnensi plurimis prædiis, bene cultis, & fructuosis, amœnisque in primis. Atque ad hunc modum orta est apud nos dignitas Metropolitana, anno circiter 990. (seu potius 940. juxta meos calculos) de qua tamen multæ contentiones Romæ fuerunt, ac tandem Clero Ragusienſi jus nominandi duodecim Canonicos permissum fuit, quod anno 1360. revocatum est. Archiepiscopus Spalatensis, ad cujus provinciam antea pertinebat Episcopus Ragusinus, ne is ab sua ditione, & potestate divelleretur, & jus metropoliticum obtineret, obsistere ac repugnare volebat, Sedisque Apostolicæ auctoritatem appellare & interponere; verum postea legatione Ragusienſi delinitus obstare destitit.* Hactenus Jacobus Luccarus Annalium Rag. lib. 1. pag. 9. & 10. Cæterum controversia, & contentio de titulo ac dignitate Archiepiscopali, quæ Ragusino cum Spalatensi Archiepiscopo ab initio fuerat, sæculo undecimo vergente nondum deferbuerat, ut deinde suo loco ac tempore declarabimus. Hoc inter nos,

Episcopatum Civitatis sibi a Ragusinis delatum jure ac titulo Archiepiscopali auxit.

Digitized by Google

nos, & Luccarum intereſt, quod primordia Archiepiſcopatus Raguſienſis ille quidem ad annum ſæculi decimi nonageſimum affixit, nos vero ad annum ejuſdem ſæculi circiter quadrageſimum retraximus; niſi eadem inde uſque a ſæculo octavo & a Pontificatu S. Zachariæ repetere velis. Noſtram de clade Diocletana ſententiam ſequi ſi libeat, Epiſcopatum Raguſinum Joanni collatum, evectumque ad Metropoliticam dignitatem approbavit Stephanus IX. qui ab anno 939. uſque ad annum 943. Eccleſiæ univerſali præfuit. Joannes vitam, & Pontificatum perduxit uſque ad annum circiter ſeptuageſimum hujus decimi ſæculi, ſi fides habenda eſt Seraphino Razzio, qui ejuſdem regimini Archiepiſcopali annos ipſos triginta attribuit. Sepultus eſt, eodem Razzio teſte, in æde S. Stephani, quam in urbe media ſitam, & ſepulcro Sancti Pancratii illuſtrem ac celebrem fuiſſe teſtatur Conſtantinus Porphyrogenitus: *Cæterum in eadem urbe depoſitus fuit S. Pancratius in Æde S. Stephani, quæ eſt in media urbe.* Quemadmodum Luccarus in Raguſinis, ſic etiam Marcus Marulus in Annalibus Spalatenſibus, huic primum Archiepiſcopo agrarios reditus attributos fuiſſe docet.

a

Stephanus IX. Pontifex, ut veriſimile eſt, approbavit.

Joannis obitus an. circ. 970.

NICEPHORUS ARCHIEP. RAG. IV.

Civis Raguſinus, cujus Pontificatum Scriptores omnes cum anno 1010. conjungunt; ſed ejus initia ad ſæculum ſuperius, & annum ſecundum vel proximum poſt obitum Joannis referenda cenſeo; niſi ſi quis alius inter Joannem & Nicephorum interjectus fuerit, cujus nomen & Epiſcopatum oblivio abolevit. Nicephori vitam, & Archiepiſcopalem adminiſtrationem Jacobus Luccarus uſque ad annum 1016., alii vero uſque ad annum 1023. perducunt; quippe alii in hunc, alii in illum annum ſucceſſoris initia conferunt. Anno circiter 80. ſæculi ſuperioris Stephanus Dux ſive Banus Chrobatiæ & Boſinæ, quem Luccarus Regem Dalmatiæ vocat, cum Margarita conjuge Raguſium venit; quem Archiepiſcopus & Clerus, Senatus populuſque regio apparatu excepit, & nullis ſumptibus pepercit, ut talis ac tanti hoſpitis adventum conviviis, ludis, & ſpectaculis quam magnificentiſſime celebraret. Hic erat filius Creſimiri Ducis Chrobatiæ, qui Cidomiro avo materno in principatum ſucceſſerat, ad quem Boſinam bello captam adjunxit, ut tradit Presbyter Diocleates. Stephanus Raguſinis ut gratiam referret, Caſtrum Brenum, Omblam, Gravoſam, & Malfiam donavit, ut Jacobus Luccarus tradit lib. 1. p. 5. Hæc quidem loca non ad Chrobatiam, ſed ad Regnum Serbliæ maritimæ, ſive Dalmatiæ ſuperioris pertinebant; eaque Creſimirus ex paterna hæreditate ſibi retinuerat, & Stephano filio reliquerat; nam Creſimirus filius erat Tieximiri Regis Serbliæ, qui filiam Cidomiri Bani Chrobatiæ in matrimonium duxit, ex eaque Prædimirum & Creſimirum genuerat. Prædimiro natu majori Regnum Serbliæ obvenerat. Creſimirum autem, quem Cidomirus avus maternus principatus Chrobatici hæredem inſtituerat, omnis omnino paternæ hæreditatis exortem eſſe non oportebat. Itaque Tieximirus pater exiguam portiunculam e Regno Serbliæ detractam, ideſt loca illa ſupra nominata, & fortaſſe etiam alia, Creſimiro filio dedit; hic cum Crobatia & Boſina, particulam illam Serbliæ maritimæ, ſive Dalmatiæ ſuperioris, Stephano filio reliquit, quam ille Raguſienſibus de ſe benemeritis gratificandi ſtudio poſſidendam tradidit; eoque facilius ab ſe alienavit, quod longe disjuncta eſſet ab illis regionibus, in quibus ipſe dominabatur. Haud multis poſt annis Stephanus diem obiit ſupremum; cui Dircislavus ſuffectus cum eſſet, primus inter Duces Chrobatiæ titulum regium aſſumpſit. Margarita vidua Stephani Raguſium ſe recepit, memor quam officioſi tum erga ſe, tum erga maritum, & munifici Raguſienſes fuiſſent. Hæc civitas illi perfugio ac præſidio fuit adverſus Bogoslavum privignum, qui novercam peſſime oderat; atque ut in ſuam poteſtatem traderetur, Raguſinis conſtantiſſime abnuentibus, urbem nequidquam obſedit, oppugnavitque. Duo fragmenta ex Ligno Sanctiſſimæ Crucis, cum aliis Divorum reliquiis, quas ſecum attulerat, pretioſis lipſanothecis incluſa in Æde S. Stephani depoſuit. Sacellum D. Margaritæ Virgini opere eleganti exſtruxit, & ibidem ſepulchrum ſibi paravit. Tum rebus humanis nuncio remiſſo, detonſis capillis, reliquam vitam piis operibus tranſigere, & uni Deo vacare decrevit. Duas ſecum ancillulas duxerat Helenam, & Luciam, quæ, tam illuſtri exemplo ſibi ad imitandum propoſito, eamdem vitæ rationem ſuſceperunt, &, in omni virtutum genere dominam ſuam ipſius veſtigiis perſequentes, ad extremum uſque ſpiritum retinuerunt. Altera Divæ Helenæ, altera D. Luciæ Ædiculam excitarunt. Hactenus ex Diocleate, & Jacobo Luccaro lib. 1. pag. 5. Sacellum S. Margaritæ vetuſtate collabeſcens iterum ac ſæpius reſarciri oportuit; demum ſæculo decimo ſexto, flagrante bello Cyprio, cum Turcarum direptionibus opportunum eſſet, receptum eſt intra mœnia munitumque validiſſimo propugnaculo, cui nomen *Margaritæ*. A qua conditum fuerit, quo tempore, quorumve auctoritate atque opera contra Barbaros ea munitione obſeptum, declarat Inſcriptio ſupra januam in lapide albo quadrato inciſa.

Regina Boſnæ Margarita traditur
Dicaſſe Templum Margaritæ Virgini
Olim beata cum fuere ſæcula;
Id nunc ſacellum tranſtulere provide
Patres, fremente Marte circum mœnia,
Dum claſſe Cypro Rex Selymus imminet.

Altari ſuperpoſita eſt Tabula, in qua effigies S. Margaritæ, & SS. Joannis Evangeliſtæ & Hieronymi, antiquo penicillo expreſſæ viſuntur. Huic ab latere adjacebat Ædicula S. Luciæ, ſtructuræ recentioris, quam ut ad ſæculum decimum referri poſſit, cujus veſtigia adhuc viſuntur.

Intra finem ſæculi decimi Silveſter Rex Serbliæ, filius Boleslavi, nepos Prædimiri regis Serbliæ, dum regio univerſa bello inteſtino ardebat, cum matre Stiva Raguſium confugit. Poſt ſedatos tumultus a Serblis in regnum avitum revocatus tres inſulas, quas Plinius Elaphitas vocat, Raguſinis vendidit, aut donavit, ſcilicet Jupanam, Calamotam, & Mediam utrique interjectam, quæ ab occaſu Raguſinis littoribus objacet. Ex Anonymo Diocleate, & Jacobo Luccaro.

Ad Nicephorum ut regrediar, hic Petro Urſeolo II. Duci Venetorum poſt Chrobaticam, & Narentanam expeditionem ad S. Maximi ſco-

Stephanus Banus Chrobatiæ, filius Creſimiri Ducis Chrobat. cum Margarita uxore Raguſium venit, & tria loca Raguſinis donavit in Serbliæ maritima.

Margarita vidua Stephani Raguſium confugit, Templum S. Stephani ſacris Reliquiis ditavit, & Sacellum Divæ Margaritæ exſtruxit.

Silveſter rex Serbliæ tres inſulas vendidit Raguſinis.

Nicephori Archiep. in Petrum Urſeolum II.

Digitized by Google

Venetorum Ducem obsequia.

pulum, & insulam Corcyram Melænam venienti, cum honorifico comitatu obviam processit. Expeditionis hujusce causas, & receptæ in Venetorum potestatem, ac tutelam Dalmatiæ fuse, copioseque enarrat Andreas Dandulus. Ad Ragusium quod attinet, hæc ille breviter: *Hoc peracto victor Princeps S. Maximi Ecclesiam receptavit. Illuc Ragusiensis Episcopus cum suis conveniens, eidem Principi sacramenta omnes facientes, obsequia multa detulerunt.* Quæ verba Scriptores Ragusini sic interpretantur. Cum Veneta classis in ea contra Chrobatos & Narentanos suscepta expeditione navim unam Ragusæorum ex Apuliæ littoribus profectam mercibus & mercatoribus Narentanis onustam cepissent, jussu missuque Senatus Ragusini Archiepiscopus, & quidam primarii cives de navi repetenda ad Petrum Ducem venerunt, quam cum recepissent, jurejurando utrique dato & accepto, amicitiam inter se pepigerunt, vel confirmarunt. Neque enim Sabellicum audiendum putent, qui tradit ejus legationis caput fuisse, ut quemadmodum ceteri Dalmatæ, sic Ragusienses suam civitatem & rempublicam sub imperium Venetorum subjungerent. Cur autem Dandulus Antistitem Ragusii non Archiepiscopum, quo titulo Petrum Spalatensem paullo ante donaverat, sed Episcopum appellet, id causæ esse potuit, quod is nomen Archiepiscopale, repugnante & contradicente Metropolita Spalatensi, adhuc controversum & litigiosum gerebat.

Corpora SS. MM. Zenobii & Zenobiæ Ragusium delata.

Dum Nicephorus hanc Ecclesiam regebat, Ragusium delata sunt corpora SS. Martyrum Zenobii & Zenobiæ anno 1012. teste Miletio, qui sæculo duodecimo floruit, malo quidem Poeta, sed optimo Chronologo & Historico. Utriusque Martyris nomen in Martyrologio Romano adscriptum est ad diem tricesimam Octobris. *Ægeæ in Ciliciæ passio Sanctorum Zenobii & Zenobiæ sororis ejus sub Diocletiano Imperatore, & Lysia Præside. Agunt de his*, ut Baronius in notis, *Græci etiam hac die in Menologio, eorumque martyrium describunt: sed plenius Metaphrastes eorum acta refert: extant apud Lipomanum Tom. VI. & Surium Tom. V hac die.* Sacras exuvias a quodam naviculario, cui nomen erat Frontio, sive Frontinus, ex partibus Orientis allatas a Nicephoro Archiepiscopo, Vitali Vetrano urbis Comite, a Clero populoque summa veneratione acceptas fuisse ex Miletio tradit Marinus Gundula in suis Annalibus Mss. Hic versus ipsos Miletianos licet apponi.

Quidam Nauclerius, qui Fruntius est vocitatus,
A castro, Stracolum quod dicitur, urbis Ægeæ
Urbem Rhagusam cum Zenobio Zenobiam
Transtulit: hic Præsul, hæc Virgo, Martyr uterque.
Quos Nicephorus Pastor Metropolis hujus,
Vitalisque Comes, qui dictus est Veteranus,
Plebs simul ac populus in Æde Metropolitana
Cum prece, cum psalmis, cum laudis honore lotarunt
Sanctæ Mariæ Domini Genitricis in Æde,
Anno Milleno Domini simul ac duodeno.
Plurima tunc & adhuc fiunt miracula multa,
Ipsorum meritis sanatis pluribus ægris.

VITALIS ARCHIEP. RAGUS. V.

Vitalis Archiep. an. circ. 1022.

De hujus Archiepiscopatu Ragusino dubitari non sinunt vetera monimenta, atque in primis epistola Benedicti VIII. inscripta *Vitali Archiepiscopo S. Epidauritanæ Ecclesiæ e civitate Labusedi in regno Lachomii &c.* cui Pallium mittit insigne dignitatis Archiepiscopalis. Data est *in mense Septembri die vicesimo septimo, Indict. VI. anno Pontificatus ejus undecimo.* Hæ notæ chronologicæ cum inter se, tum etiam cum anno æræ vulgaris 1023. præclare congruunt. Hinc efficitur Vitalem vel hoc anno vel superiore ad hanc Ecclesiam regendam electum fuisse. Nam si ejus electionem conferre velis cum Luccaro in annum 1016. septem annos intercessisse oportet, antequam Pallium a Romano Pontifice vel peteret, vel impetraret, quod non est verisimile. Hanc Epistolam Seraphinus Razzius Benedicto V. adscripsit, contra quam docet subscriptio Gregorii Scribæ Pontificii, qui *Ypocancellarium Domini Benedicti Octavi* se ipse appellat, & *annum Pontificatus ejus undecimum* subjecit, cum Benedictus V. vix annuum Pontificatum gesserit. Nunc ipsa Epistola desumpta ex exemplari, quod asservatur in Tabulario sanctiori Reipublicæ Ragusinæ, describenda est, in qua quædam sunt nec ita pauca, quæ aliqua explicatione sive interpretatione indigent.

Epistola Benedicti VIII. ad Vitalem.

✠ *Benedictus Episcopus servus servorum Dei. Dilecto in Christo Filio* (1) *Vitali Archiepiscopo Sancte* (2) *Epitabritane Sedis e Civitate* (3) 1 2 3
Labusedi in regno (4) *Lachomii, & Sorbulii,* 4
& (5) *Tribunia, vel Civitate* (6) *Katarinensi,* 5 6
aut Antivarensi, seu Ulcini cum Ecclesiis & Parochiis eorum. Si pastores ovium sole geluque pro gregis sui custodia die ac nocte contenti sunt, ut nequa ex eis aut errando pereat, aut ferinis morsibus laniata rapiatur: quanto sudore quantaque cura semper d . . . . esse previgiles erga gregem Dominicum nos, qui Pastores animarum dicimur, ne in die . . . . examinis pre dessidia nostra ante Summum Pastorem negligentie reatus excruciet. Unde modo bonorum reverentia sublimiores inter ceteros judicamur. Pallium autem Fraternitati tue more Antecessorum tuorum ad Missarum solepmnia celebranda diebus vite tue tantum modo tibi concedimus. Consecrationem vero successorum tuorum nobis nostrisque successoribus in perpetuum reservantes. Quod Pallium non aliter utendum tibi concedimus nisi solummodo in die Sancte Resurrectionis (7) *&* 7
Ascensionis, & Pentecostes, seu in Natalitiis Sanctorum Apostolorum, & B. Joannis Baptiste, nec non & in Assumptione Beate Marie, verum etiam in ordinatione Suffraganeorum tuorum. Pallium vero sicuti a Predecessore nostro Domno Gregorio hujusce alme Sedis Presule sancitum est, in Secretario induere Fraternitas tua debet & ita ad Missarum solepmnia proficisci. Et nihil tibi amplius liceat ausu temerarie presumptionis arrogare, quam Decessores (8.) *Predecessoresque* 8
tuos usos esse incognitum non habes. Ne dum in exterorum habitu inordinate aliquid arripitur, ordinate etiam que licere poterant, amittantur. Hortamur itaque ut morum tuorum ornamenta huic conveniant. Quum hujus indumenti honor modesta actionum vivacitate servandus est, quatenus auctore Dom. recte utrobique possis esse conspicuus. Vita tua filiis tuis sit regula in ipsa

si qua

Digitized by Google

si qua fortitudo illis injecta est, dirigant in ea, quod imitentur, aspiciant in ipsa semper considerando proficiant, ut tuum videatur esse post Dominum, bene quod vixerint. Cor ergo ne perpropera, quæ temporaliter blandiuntur extollens, neque adversa dejiciant, nullum apud te ... locum nullum favor indiscretus inveniat. Misericordem te pro ut virtus patitur omnibus exhibeas, oppressis defensio tua juste subveniat, nullius faciem contra justitiam accipias, ut talis possis esse, qualem Scriptura dicit: Oportet Episcopum irreprehensibilem. Ecce Frater Karissime inter multa alia ista sunt Sacerdotii, ista sunt Pallii, que si studiose servaveris, quod foris acceptisse ostenderis, intus habebis. Sancta Trinitas Fraternitatem tuam gratia sue protectionis circumdet, ut post vite hujus amaritudinem ad eternam simul dulcedinem pervenire mereamur, Scriptum per manum Gregorii Ypocancellarii Domini Benedicti Octavi Pape in mense Septembri die vicesimo septimo Indictione VI. anno Pontificatus ejus undecimo.

9 *Bene valete.* (9)

NOTÆ.

1. Nemo ignorat, Romanorum Pontificum moris esse, ut Episcopos Fratres, non Filios appellent; quin immo Innocentius III. in suis ad Episcopum Attinacensem Rescriptis docet, adulterinas & falsas esse litteras Pontificias, in quibus Episcopi nomine filiorum afficiuntur: *In hoc*, inquit, *admirati sumus, quia tales litteras a nobis credideras emanasse, cum scire debeas Apostolicam Sedem consuetudinem hanc in suis litteris retinere, ut Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos Fratres, cæteros autem, Reges, Principes, & alios cujuscumque ordinis Filios in nostris litteris appellemus . . . in falsis autem litteris tibi præsentatis, in salutatione Dilecto in Christo Filio appellabaris, cum in litteris, quas aliquando tibi transmisimus, te videre poteris a nobis Fratrem Venerabilem appellatum.* Verum ante Innocentium non desunt exempla epistolarum Papalium ad singulares Episcopos, quæ inscriptæ sunt *Dilecto in Christo Filio*. Apud Ughellum Tom. I. Ital. Sacr. extant duæ Joannis XIX. epistolæ, altera inscripta *Dilecto nostro in Christo Spirituali Filio Benedicto Reverendissimo Episcopo Sanctæ Portuensis Ecclesiæ*, altera *Dilecto Filio Petro Domini gratia Episcopo Sylvæ Candidæ*. Joannes XIX. eodem sæculo undecimo ineunte regimen universalis Ecclesiæ suscepit, eique post intejectum Sergii IV. Pontificatum anno ejusdem sæculi duodecimo suffectus est Benedictus VIII. cujus epistolam refert idem Ughellus eodem Tomo cum hac inscriptione, *Reverendissimo in Christo Confratri Benedicto Episcopo S. Portuensis Ecclesiæ*; ex quo intelligi licet, eumdem Benedictum VIII. in suis ad Episcopos litteris eos promiscue & communiter alias fratres, veluti Benedictum Portuensem, alias filios, veluti Vitalem Archiepiscopum nostrum appellasse.

2 Idest *Epidauritana*; nam cum sedes Epidauria, ut dictum est, Ragusium translata fuerit, & in hac civitate constituta, iccirco Vitalis Epidauri, & Ragusii Antistes dici poterat, quemadmodum in litteris Pontificiis idem Salonitanus & Spalatensis, idem Diocleensis & Antibarensis Archiepiscopus vocari solebat, quod Spalatum Salonitana, Antibarim Diocletana sedes migrasset: hoc tamen interest, quod utraque hæc Sedes, antequam demigraret, Archiepiscopali jure ac titulo gaudebat, non item Epidauria, quæ Ragusii primo id honoris ac dignitatis adepta fuit. Nam Episcopum Epidauri Salonitanæ Metropoli subjectum fuisse constat ex epistolis D. Gregorii, & ex historia Thomæ Archidiaconi.

3 *Labusedi*, ex *Lausio*, quo primum vocabulo appellata est civitas Ragusina, teste Constantino Porphyrogenito, propterea quod loco prærupto, ac præcipiti incumbebat; *præcipisium* enim, ut idem docet, Græce vocatur Λαύσιον; inde oppidani dicti *Lausæi*, idest *præcipitium insidentes*. Pro *Lausio* autem pontificius amanuensis vitiosa litterarum additione *Labusedi* imperitissime scripsit, nisi legere velis in *civitate Labu sedenti in regno &c.* Hoc vocabulum alias atque alias mutationes subiit. Civitas eadem primum *Lausium*, deinde *Rausium*, postea *Ragusium*, demum *Ragusia*, & *Rhacusa* dicta est.

4 Hoc est regnum Serbliæ, præsertim Dalmatiæ & maritimæ, cujus pars ad ditionem metropoliticam Archiepiscopi Ragusini pertinebat. Tres provinciæ, seu regiones huic subjectæ, in eodem regno nominatim percensentur, prima est *Lachomii*, sive *Zachlumii*, vel *Zachulmia*, interprete Sigismundo Tudisio Episcopo Mercanensi; idque confirmat auctoritate epistolæ Callisti II. ad Geraldum Archiep. Ragusinum, in qua diserte scriptum est *Zachulmiæ*. Hæc erat una e quatuor Zupaniis, e quibus regnum Serbliæ maritimæ constabat. Hanc inter Orontium, sive Naronem, & Omblam fluvios Porphyrogenitus locavit, a monte *Chlumo*, ut ipse ait, nomen adepta. *Sorbulii* vocabulo quid regionis subjectum sit haud satis intelligo. Callistus in suis ad Geraldum litteris supra laudatis *Servuliam* vocat: *Sorbulium* & *Servulia* idem mihi videtur esse ac Serblia: quo quidem generali vocabulo Serblia universa tum maritima, tum mediterranea continetur. Hic fortassis nomen commune ad singularem regionem significandam adhibetur, videlicet alteram Serbliæ maritimæ Zupaniam, quam Porphyrogenitus ab urbe Diocleа Diocletanam, vocat a Catharo productam usque ad Drilonem fluvium, quo Dalmatia ab Epiro nova sejungitur; ad hanc siquidem pertinent tres illæ civitates, *Katarinensis*, *Antibarensis*, & *Ulcini*, quas paullo post nominat, & Ragusienſi Metropolitæ attribuit.

5 Tertia Serblorum Zupania, quam itidem jurisdictio Archiepiscopalis Antistitis Ragusini continebat, erat *Tribunia*, sive *Terbunia* cum Canali supra Ragusium, Zachlumiæ ab occasu, Diocletanæ Zupaniæ ab ortu finitima. Has itidem tres regiones, quas tria regna vocat, Callistus etiam in suis ad Geraldum litteris in provinciam Ragusinam includit.

6 Tres nominatim eorum locorum Episcopos Metropoli Ragusinæ subjecit; *Catharensem*, *Antibarensem*, *Olchinienſem*. Verum hi cum Suacienſi Episcopo per id temporis, si fides habenda est Thomæ Archidiacono, ut certe haberi debet, suberant Metropolitæ Spalatenſi, in cujus potestatem ac provinciam post Diocleam excisam redierant; & anno circiter 1031. post hanc Benedicti ad Vitalem epistolam octavo nova Metropolis Antibari constituta fuit, eique Catharensis, Olchinienſis, & Suacienſis Ecclesiæ attributæ. Sed Antistes Ragusinus ad

suam

Digitized by Google

ſuam provinciam ſpectare illas ajebat, quippe Sedi Diocletanæ Metropoliticæ olim ſubjectas, quam Raguſium translatam eſſe contendebat. Ni tamen Epiſcopi antiquo ſuo Spalatenſi Metropolitæ, quam Raguſino obſequi malebant.

7 Inter dies maxime ſolemnes, quibus pallii induendi facultas concedi ſolet Archiepiſcopis, adnumerari ſolet dies natalis Domini noſtri Jeſu Chriſti, quem per incuriam Gregorii Ypocancellarii prætermiſſum exiſtimo.

8 Hinc efficitur alios ante Vitalem Antiſtites pallio donatos & uſos fuiſſe, ac propterea dignitatem Archiepiſcopalem Eccleſiæ Raguſinæ ab antiquiſſimis temporibus repetendam eſſe.

9 Non deſunt exempla veterum epiſtolarum pontificalium, quibus hæc concluſio ſubjecta eſt: *Bene valete.*

Incendium Raguſinum.

Eodem anno 1023. XII. Kal. Aprilis, quæ dies D. Benedicti cultu conſecrata eſt, repentino & nocturno incendio magna pars civitatis conflagravit; & parum abfuit, quin tota, vehementi aquilone flammas agitante atque impellente, abſumeretur. Sed cum Senatus populuſque D. Benedicti opem imploraſſent, eique templum, & monaſterium voviſſent, ut eſt apud Luccarum lib. 1. Annal., ignis ſubito extinctus reliquis ædificiis pepercit. Nec diu voti ſolvendi opportunitas defuit. Vix enim Vitalis Pontificatum inierat, cum facultas oblata eſt, & jacta ſunt fundamenta cœnobii Benedictini Lacromenſis. Raguſio e regione objacet inſula quædam, ſeu ſcopulus ad ortum ac meridiem vergens; Lacromam vocitant; modico quidem eſt circuitu, ſed fertilitate eximia. Erat in una ex tribus illis inſulis ab littore Apuliæ haud ita late interjecto mari disjunctis, quas olim Diomedeas ab Diomede illuc poſt Trojam everſam appulſo, ibique mortuo denominatas ferunt, nunc *Tremitas* appellant, perilluſtre Monaſterium S. Benedicti, virorum ſanctitate inſignium admodum ferax, & famæ atque nominis celebritate ubique notum. Petrus quidam patria Raguſinus ſub finem decimi ſæculi rerum humanarum pertæſus, & ſibi Deoque vacandi percupidus illuc ſe contulerat, & monachali habitu ſumpto ad normam & præſcriptum S. P. Benedicti vitam ſanctiſſime inſtituerat. Cœnobiarcha ſive Abbas per id temporis erat quidam nomine Roccius, vir egregie pius doctuſque, in cujus diſciplinam ſe Petrus tradiderat, & maximos in omnium virtutum genere progreſſus fecerat. Cum multa & præclara de illius ſanctitate Raguſini fama & auditione accepiſſent, Vitalem Archiepiſcopum, & viros primarios civitatis cupiditas inceſſit ſanctiſſimi hujus Monachi in patriam revocandi, ut cives ac populares ſuos reviſeret, eoſque ſuis verbis & exemplis ad ſtudium virtutis & religionis excitaret. Ægre ille quidem, ſed tum auctoritate Archiepiſcopi permotus, tum Abbatis juſſu impulſus, monaſtica ſolitudine ad tempus relicta, illorum voluntati morem geſſit. Raguſii cum eſſet, ſummam apud omnes benevolentiam & venerationem ſibi conciliavit. Salutatis conſanguineis & amicis, diſcedere cum vellet, revertique ad ſuum Monaſterium, omnes eum orare, & obſecrari cœperunt, in patria ut maneret, & in inſula Lacromenſi locum idoneum aſſignarunt Monaſterio ædificando, ubi procul negotiis, & hominum commercio inſtitutam apud Monachos Tremitanos caſte pieque vivendi rationem coleret, ac retineret. Ne horum precibus obſequeretur, retrahebant illum Abbatis ſui caritas, fratrum ſuorum, quos reliquerat, memoria, data redeundi fides, & deſerendi nefas. Sed cum vehementius inſtarent, & quidam viri nobiles divino ſpiritu impulſi, inter quos Leo presbyter vir eximiæ virtutis & magnæ auctoritatis profiteretur, velle ſe in ejus diſciplinam tradere, & monaſticum inſtitutum amplecti, piæ illorum voluntati repugnare non potuit. Itaque Lacromam profectus ejus loci, quem Raguſini deſignaverant, poſſeſſionem adiit, ibique Monaſterium ædificare cœpit; quo abſoluto, & rebus neceſſariis inſtructo, parendi, quam imperandi, cupidior Leonem presbyterum, ut ſibi, & ſociis, qui in monaſticam ſodalitatem nomina dederant, præeſſe voluit, & primum ejus loci Abbatem inſtituit. Hæc ſunt initia Cœnobii Benedictini Lacromenſis ſub titulo & auſpiciis Sanctæ Mariæ conditi, ex quo præclariſſimi vel ſanctitate, vel doctrina viri prodierunt. Quæ omnia publicis tabulis conſignata ſunt in hæc verba.

Tabulæ de Monaſterii Lacromenſis ædificatione.

In nomine Dei æterni menſe Auguſti Indict. VI. temporibus Sanctorum Imperatorum Baſilii & Conſtantini. Breve recordationis factum a nobis Vitali Archiepiſcopo, & Lampredio Præſide Civitatis Raguſitanæ, una cum omnibus ejuſdem civitatis Nobilibus: ex eo quod Dei inſtinctu, & exardeſcente flamma charitatis publice donationem fecimus Deo omnipotenti & quibuſdam noſtris concivibus Leoni Presbytero, & Petro Monacho; campum ſcilicet illud, cujus nomen eſt Ville in Lacromenſi Inſula, cujus dandi occaſio hæc fuit. Hic itaque prædictus Petrus Monachus de Tremitana Inſula, in qua ſub Abbatis Roſcii regula degebat, viſendi cauſa ad nos uſque vectus eſt. Qui cum omnibus nobis ſalutatis ad ſuum vellet reverti Monaſterium, omnes eum rogare cepimus, ut in hac noſtra parte ſibi monaſterium publico in loco, & publico aminiculo conſtrui ſtatueret. Sed cum omne hoc refutaret, & ad ſuum vellet reverti locum, tandem Dei diſpenſatione quidam illuſtres coram eo reperti ſunt, qui ſe profitebantur & promittebant monaſticam normam, atque habitum ſub eo velle ſuſcipere. Hac de cauſſa quodammodo motus & coactus quadam ratione, videlicet ne ſibi coaptaretur illud Evangelium: Qui mecum non colligit, ſpargit; ſuperatus noſtris precibus aſſenſum præbuit; & adeo ipſo nobis conſentiente, placuit nobis omnibus dare ei, & jam dicto Leoni Presbytero, quem ſibi ille præpoſuit, campum illum, quem ſupranominavimus, cum omni quantitate ſuæ latitudinis vel longitudinis, tali autem ordine, ut ſub monaſtico habitu & ordine illum poſſideant ipſi & ſucceſſores eorum abſque omni impedimento noſtro vel ſucceſſorum noſtrorum, & quidquid ædificare vel agere voluerint in uſibus ſuis, ædificent, libereque agant, & juxta regularem conſuetudinem omnino ordinent, & diſpenſent ipſi, ut diximus, & ſucceſſores eorum abſque omni impedimento noſtro, vel ſucceſſorum noſtrorum, quouſque Cælica Virtus hunc monaſticum ordinem illo in loco haberi permiſerit. Siquis vero aut modo aut poſtea hoc noſtrum reprehendere decretum attentaverit, omnibus clare videntibus manifeſta (ſic) erit, illum non cauſſa amoris Dei, ſed diabolico inſtinctu velle deſtrui hoc, quod congruit ſaluti omnium noſtrum: & idcirco illum anathematis verbere feri-

Monaſterii Lacromenſis initia.

Digitized by Google

rimus, ut si corrigi noluerit, & iis de hac re contradicere præsumpserit, eisque vel successoribus eorum molestiam inferre tentaverit, ubique cum subsequatur maledictio Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & extraneus sit ab Ecclesia Dei, atque segregatus a consortio Regni celestis, & communione justorum. Hoc judiciale decretum promulgatum a nobis omnibus Judicibus, Nobilibusque supradictæ civitatis, scriptumque per manus Petri Diaconi, & Notarii. Anno, mense, & Indictione supranominata.

Hoc instrumentum quatuor notis chronologicis inscriptum est *Mensis Augusti, Basilii & Constantini Imperatorum, Indictionis VI., Vitalis Archiepiscopi*; ex quibus elici oportet annum, quo illud confectum fuit. Basilius & Constantinus fratres ab anno 975. usque ad annum 1025. simul imperarunt, annos omnino quinquaginta; in quos Indictio sexta quater incidit, eadem siquidem primum anno 978., deinde 993., tum 1008., postremo autem 1023. affixa est. Neque ad primum, neque ad secundum, neque ad tertium annum supra commemoratos *Indictio sexta* his tabulis adscripta referri potest; in his enim cum nominetur *Vitalis Archiepiscopus*, triplex illa sexta Indictio jam præterierat, cum Vitalis Archiepiscopatum suscepit vel anno 1016. ut Luccarus docet, vel post annum vicesimum ejusdem sæculi undecimi, ut verisimilius est. Restat igitur quarta illa Indictio VI., quacum annus 1023., itemque Pontificatus Vitalis congruit; ex quo fit, ut confectio illarum Tabularum, sive illius Instrumenti ab anno 1023. dimoveri nequeat.

Opinio Ignatii Georgii rejicitur.

Cum hæc scripsissem, ad meas manus pervenit perbreve Commentarium de Congregatione Melitensi, quod sermone Italico confecit D. Ignatius Georgius ejusdem Congregationis alumnus & Abbas. Vir doctissimus initia, progressus, vicissitudines Ordinis Monastici apud Dalmatas breviter quidem, sed observatis, notatisque temporibus diligentissime persecutus est. Negat autem Institutum Benedictinum ante sæculum duodecimum in Ragusinam ditionem invectum fuisse. Nam Petrus ille, qui ex insulis Tremitanis, sive Diomedeis sæculo undecimo ad consanguineos revisendos Ragusium venerat, Monachus quidem erat, non tamen ex illis, qui peculiarem S. Benedicti disciplinam colebant; siquidem Monachi Tremitenses, unde discesserat, nullis certis legibus, ut Georgius Abbas censet, sed ad instituta majorum, & præscripta suorum Præsidum vitam monasticam exigebant. Hanc autem cœnobiticam vivendi rationem, quæ antiquissimis Monachis communis fuit, & latius patebat, quam Benedictina, in Cœnobium Lacromense a Petro Monacho Tremitano invectam fuisse idem Georgius existimat. Urbis incendium, & votivam implorationem S. Benedicti, quam Luccarus anno 1023. affixit, referendam censet ad sæculum duodecimum; cujus quidem sæculi anno 1123. e monte Casino tres Monachos accersitos fuisse, qui Ordinem, atque Institutum S. Benedicti in ditionem Ragusinam invexerunt; quod postea per insulas Ragusinas propagatum fuit, & in quinis Monasteriis viguit, ac floruit. Hujusmodi Georgianum Commentarium integrum proferam, cum illuc ventum fuerit, ubi commemoranda erunt primordia Cœnobii Melitensis, quod caput deinde fuit & parens Congregationis Benedictinæ Melitensis.

Verum plura extant diplomata, ex quibus intelligitur jam inde a sæculo undecimo Institutum Benedictinum invectum fuisse in has regiones; & Petrus Monachus Tremitanus, ac Cœnobii Lacromensis fundator is est profecto, quem nominat Latovistus, seu Gliutovichius in subjecto diplomate. Hic filius erat Selimgradi Zachulmiensis Dynastæ, & initio sæculi undecimi icto cum Græcis fœdere adversus Serbianos dimicavit, aliqua illorum regionis parte sibi vindicans, unde Serviæ se quoque Ipaton, & Strategum, idest Rectorem, & Ducem appellat.

Diplomata, quæ Benedictini instituti fuisse Lacromense Monasterium testantur.

Sigillum Latovisti Protospatarii Epitocrusso Trico Ypati, & Stratigo Serviæ, & Zachulmiæ. Datum est tibi Petro Abbati Lacromone, & reliquis Fratribus mense Jul. die 7. Idem prædictus Venerabilis Petrus Abbas, & Fratres ejus postulaverunt nobis Ecclesiam S. Pancratii de Babina Palla, quæ est in Meleta cum omnibus terris, quatenus in potestate sua omni tempore possiderent. Hæc enim petitio valde placuit nobis dare locum istum iisdem fidelibus servis pro salute nostra, & remissione animarum nostrarum omnium defunctorum. Igitur concedimus & stabilitate damus eis præfatam Ecclesiam cum omnibus terris, & nullam vim, vel indetationem patiantur, neque a Raguseis, neque a Stagnensibus, neque ab aliis quibuscumque hominibus Latinis, vel Sclavis, sed semper sine calupnia, & sine impedimento omnis humanæ personæ locum præfatum possideant. Quicumque autem causa invidiæ eis impedimentum fecerit, Dei Omnipotentis, & Virginis Mariæ, & Principum Apostolorum Petri, & Pauli, atque omnium Sanctorum maledictionem habeant. Dat. mense Jul. Indict. præscripta.

Latovisti donationem factam Petro Abbati Lacromensi confirmat Gabriel Episcopus Zachulmiensis an. circiter 1044. cujus diploma est hujusmodi.

✠ In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ego Episcopus Gabriel Zachulmiæ una cum Judice Miroslavo & Bano Ratimiro, & Stralymir, & Procurator Craimir una cum omnibus Zachulmiæ Nobilibus. Venit ad nos Abbas Vitalis de Monasterio S. Benedicti Lacromone quærere locum Insula quæ vocatur Meleta, & dedimus ei locum totum Babinæ Pallæ, in quo est Ecclesia S. Pancratii tali nomine, ut si aliquis Zachulmiæ homo irritare hoc factum voluerit, vel contrarium fecerit, sit omnibus Zachulmiæ inimicus hominibus. Insuper maledictus sit a Deo, atque a duodecim Apostolis, nec non a Sancta Maria Matre Domini, & ab omnibus Sanctis. Et ego Præsbyter Milogaij S. Michaelis jussu eorum scripsi.

Et huic simile tertium est, quo Granchius quidam Banus Zachulmiæ possessionem Ecclesiæ S. Pancratii in insula Melita iisdem Monachis attribuit. Hunc inter Banos Zachulmienses adhumeramus, & ejus ætatem ad sæculum undecimum rejicimus, cum Melita Dynastis Zachulmiensibus suberat ante, quam Dessa Comes Chelmensis eam Monachis Benedictinis perpetuo possidendam traderet, supremo tamen dominio in Ragusienses collato.

Ego Granchi cum omnibus meis Juppanis, & Nobilibus Zachulmiæ do, & stabiliter affirmo Ecclesiam S. Pancratii de Babina Palla, quæ est in Meleta cum omnibus terris Monasterio S. Benedicti

dicti ſub his litteris præcepto meo inſcriptis, & ſignaculo meo ſigillatis, quas venerabili Abbati Grobis . . . ut præfatam Eccleſiam S. Pancratii abſque omni indetatione obtineant, & ad voluntatem ſuam in perpetuum poſſideant. Si quis autem diabolica audatia impedimentum eiſdem facere præſumpſerit, ultionem Dei, & iram ſuper ſe excitet, etiamque Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium maledictionem incurrat.

Præterquamquod ſententia noſtra firmatur alio diplomate Radoslavi Regis, qui an. 1074. apud Serblos regnabat. Is quippe anno 1058. cum Julia conjuge ſua in loco, cui nomen Baleni, apud Terbuniatas, ut videtur, Cœnobium Monachis Benedictinis conſtruxit, & donavit *Monachis S. Benedicti de Lacroma; Temporibus Vitalis Archiepiſcopi, Petri Abbatis, & Dominici Prioris &c. Ego Rodoslavus Rex &c. cum uxore mea Julia, & filio Branislavo, volo quod conſtruatur Monaſterium in Baleni, & detur Monachis S. Benedicti de Lacroma &c.* Igitur ante ſæculum duodecimum Petrus patria Raguſinus, Monachus Tremitanus, non ſolum Monaſticum, ſed etiam Benedictinum Inſtitutum in Lacromenſem inſulam invexerat.

Sebaſtiani Dolei error notatus, & Vitalis III. Arch. expunctus.

P. Sebaſtianus Dolci vir eruditiſſimus in *Epiſtola Anticritica, & in Serie chronologica Antiſtitum Raguſinæ Eccleſiæ*, ante hunc Vitalem, in cujus temporibus verſamur, alterum ejuſdem nominis Archiepiſcopum, quem Vitalem I. vocat, inter Andream collocavit, & Joannem, qui Dioclea everſa profugus adminiſtrationem Eccleſiæ Raguſinæ ſuſcepit: ita fit, ut tres Vitales Archiepiſcopos invexerit, cum duos tantum ceteri Scriptores commemorent. Suam opinionem ut confirmaret, e tabulis ſupra deſcriptis argumentum ſumpſit; nam Indictionem illam ſextam conjunctam cum imperio Baſilii & Conſtantini, & cum Pontificatu Vitalis aliam eſſe non poſſe ait, niſi quæ cum anno 978. cohæret; nam, inquit, reliquos annos 993. 1008. 1023. quibus itidem annexa eſt Indictio ſexta, vindicant ſibi partim Joannes antea Diocletanus, poſtea Raguſinus Archiepiſcopus, qui anno 990., partim Nicephorus, qui anno 1010. Sedem Raguſinam adepti ſunt. Sed tota hæc argumentandi ratio illorum opinioni innititur, qui putant Diocleam ab Samuele Bulgarorum rege ſæculo decimo ad exitum vergente dirutam fuiſſe; quod falſum eſſe oſtendimus; & Diocletanam cladem ad Simeonem itidem Bulgariæ regem, atque ad annum ejuſdem ſæculi circiter viceſimum ſeptimum revocandam eſſe diximus: ſiquidem anno 949. ideſt fere triceſimo, antequam Samuel regni Bulgarici potiretur, jam exciſam ac deſertam fuiſſe docet Conſtantinus Porphyrogenitus, qui cum ſuos de Adminiſt. Imper. commentarios ad Romanum filium ſcriberet an. 949. hæc ibidem inſeruit: *Dioclea autem nuncupata eſt illa regio ab urbe ibi condita a Diocletiano Imperatore, quæ nunc habitatoribus vacua in hodiernam diem Dioclea appellatur.* Itaque Archiepiſcopatum Joannis ab anno 990., cui Sebaſtianus Dolci eum affixit, retrahi oportet ad annum circiter quadrageſimum ſæculi decimi, quem annos triginta geſſit, ut Razzius tradit, tenuitque uſque ad annum 970. Nullus igitur fuit Vitalis ante Joannem, quocum conjungi poſſit Indictio ſexta anni 978. Joanni ſucceſſit Nicephorus, niſi quis alius, ut ſupra dixi, inter hunc & Joannem interjectus fuerit. Itaque Indictio ſexta, quæ ad annum 978. pertinet, vel illi, ſi quis fuit, proximo poſt Joannem ante Nicephorum Archiepiſcopo, vel ipſi Nicephoro adſcribenda eſt, ad quem itidem referri debet duplex illa Indictio ſexta, altera in annum 993. altera in annum 1008. incidens. Reſtat igitur, ut Indictio ſexta anni 1023. in hunc noſtrum Vitalem conveniat. Ita neceſſe non eſt, præter duos Vitales Raguſinos Archiepiſcopos, hunc videlicet, de quo agimus, & alterum paullo inferiorem ætate, alium ejuſdem nominis in Catalogum Archiepiſcopalem ante Joannem & Nicephorum intrudi, quocum copulari poſſit Indictio ſexta anni 978. præſertim cum hic ab omnibus Raguſinis Scriptoribus & Catalogis abſit. Id etiam argumenti attulit, cur tabulæ Lacromenſes neque in hunc noſtrum Vitalem, neque in annum 1023. Indictione illa ſexta inſignitum convenire poſſint; quod illæ quidem menſe Auguſto confectæ fuerint, Vitalis autem noſter, quem ille *ſecundum* vocat, non ante diem viceſimum ſeptimum menſis Septembris an. 1023. Archiepiſcopus dici potuerit, quo quidem die ad eum epiſtola Benedicti VIII. cum pallio miſſa fuit; niſi vero exiſtimemus, Vitalem, antequam eſſet, appellatum fuiſſe Archiepiſcopum; quare neceſſe eſt tabulas illas non ad hunc, ſed ad Vitalem alium ætate ſuperiorem, atque ad annum 978. ſexta Indictione itidem præditum referri. Huic argumento quod reſpondeam in promptu eſt. Ante epiſtolam Benedictinam, vel eodem anno, vel ſuperiori Vitalis jam electus & nominatus fuerat Archiepiſcopus; itaque Archiepiſcopali titulo donari potuit in illis tabulis Lacromenſibus, licet ante Septembrem confectis; quamvis huic titulo ante approbationem Pontificiam, & tranſmiſſionem Pallii nomen *Electi* apponi debuiſſet, quod per incuriam vel inſcitiam prætermiſſum fuit. Præterea idem Sebaſtianus ad ſuam ſententiam confirmandam ex veruſtiſſimo Ms. Chronico conſtare ait, Vitalem hunc, qui nobis primus, illi ſecundus eſt, in Eccleſia S. Stephani ſepultum eſſe; cum dubitari nequeat, quin Vitalis ille in tabulis Lacromenſibus nominatus apud Monachos Lacromenſes ſepultus fuerit, ut docet inſcriptio tabulæ marmoreæ inſculpta. Sed cum neque in eo Chronico, neque in Epigraphe Lacromenſi ulla nota arithmetica, ſeu numerus II. Vitali Archiepiſcopo appoſitus ſit, intelligi nequit, uter Vitalis primus ne, an ſecundus, in Æde S. Stephani tumulatus fuerit; nec video quid obeſſe poſſit, quominus hoc ſepulcrum in Æde S. Stephani Vitali II. attribui queat, ei videlicet, qui anno 1063. regimen Eccleſiæ Raguſinæ ſuſcepit, quem Sebaſtianus Dolci *tertium* vocat. Nihil igitur cauſſæ videtur eſſe, cur præter duos Vitales, hunc noſtrum, & alterum paullo juniorem, alium intrudamus utroque antiquiorem, ad quem tabulæ Lacromenſes, itemque ſepulcrum Lacromenſe pertineat. Ceterum ſi hunc quoque retinere libeat in Catalogo Archiepiſcoporum Raguſienſium, non magnopere repugnaverim, & huic locum inter Joannem & Nicephorum ſtatuerim, ad quem referas per me licet tum initia Cœnobii Benedictini, tum tabulas Lacromenſes, hiſque adſcribas Indictionem ſextam anni 978. Anno ſiquidem 970. Joannem obiiſſe diximus; Nicephori autem initia conjici poſſunt in annum circiter milleſimum, & annorum quod utrique interjectum

eſt,

Digitized by Google

eſt, Vitali I. quem Sebaſtianus in ſeriem Archiepiſcopalem invexit, cum ſepulcro & tabulis Lacromenſibus attribui. Nunc ad ea progrediamur, quæ in hunc Vitalem, de quo agimus, ſive primum ex communi, ſive ſecundum ex ſingulari Dolciana ſententia, ſine ulla dubitatione conveniunt.

Corpora SS. Matiyrum Aſcrivienſium,

Dum Vitalis huic Eccleſiæ præſidebat, quædam memoria ac litteris digna contigiſſe reperio: ac primum tres ſanctiſſimos Martyres Aſcrivienſes, ſive Catharenſes, Petrum, Laurentium, Andream, piæ cujuſdam mulieris admonitu ab Raguſienſibus apud Sinum Rhizonicum inventos delatoſque in urbem fuiſſe, quos Archiepiſcopus cum Clero, Senatus cum populo obviam prodeuntes, quibus digni erant, honoribus acceperunt, ac templum iiſdem ædificarunt, quod nunc a SS. Petro, Laurentio, Andrea cognominatur, mille ac ducentis argenteis ad ejus ædificationem ex publico ærario collatis. Eximia Raguſæorum erga hos beatiſſimos Martyres religio ac veneratio adhuc viget, floretque; & diem feſtum eiſdem dicatum Nonis Julii anniverſario cultu concelebrant: qua quidem die Rector, Senatus, ceterique urbani Magiſtratus inſigni pompa & comitatu procedunt, adeuntque ad templum SS. Martyrum, ibique ſolemni ſacrificio interſunt. Horum Raguſinam translationem Miletius pervetus poeta in annum ſæculi undecimi ſextum & viceſimum contulit:

Vitale Metropolitano,

Millenus vicenus ſextus cum foret annus ec.

De illorum martyrio, inventione, translatione plura in Hiſtoria Eccleſiæ Catharenſis. His pauca licet addere ex Oratione gratulatoria Franciſci Serdonati Florentini habita Raguſii primo adventu Vincentii Portici Lucenſis novi Archiepiſcopi: *Quid quod ipſimet Divi ſua voluntate, ac nutu in hanc urbem aliquando conceſſerunt; quod cognoſcebant in ea veram religionem, verumque Dei cultum maxime coli. Petrus enim, Laurentius, & Andreas viri ſanctiſſimi, & Religionis noſtræ Martyres præſtantiſſimi, qui pro Chriſti nomine non longe ab Aſcrivio ab impiis hominibus crudeliſſime interfecti ſunt, curarunt, ut optimæ aniculæ Spiritu Sancto afflatæ admonitu ſanctiſſimus hic Senatus ſua corpora in hanc urbem adduceret, ubi adhuc tanquam pretioſiſſimus theſaurus in templo ſibi dicato aſſervantur; & ſuæ ſanctitatis indicia non pauca dederunt, & multis factis oſtentis, &, ut ita dicam, miraculis claruerunt:* tum ex Annalibus Eccleſiaſticis mſs. Andreæ Zmajevichii, qui ad annum 1249. hæc narrat.

Anno 1249. *Hoc anno* (verius anno 1026. ut docet Meletius) *IV. Nonas Octobris inventa & translata fuerunt corpora SS. Martyrum Petri, Laurentii, & Andreæ fratrum de Luſtiza ex Xagnizo Villa Diœceſis Catharenſis oriundorum, qui cum ibi Catholicam Fidem profiterentur anno* 1169. *in perſecutione ſchiſmaticorum contra Catholicos ſuſcitata, ob conſtantiam ejuſdem orthodoxæ Fidei cæſi ſunt, ac ſepulti in loco Lepetanorum Villæ ejuſdem juriſdictionis nuncupato Plada prope antiquam Eccleſiam Sancti Laurentii adhuc exiſtentem. Illorum corpora projecta in quadam terræ fovea, laſtris, lapidumque acervo operta octuaginta annis quieverunt. Tandem ab iiſdem SS. Martyribus quadam pia Vetula per viſum admonita de loco, ubi laterent, quem Catharenſibus ediceret, ſemel atque iterum, ut eos inde tollerent, miſſa, cum illi cives ſomno deluſam ac fictam ſenio delirare dixiſſent, in tertiam apparitionem juſſerunt, ut Raguſium pergeret ibique revelationem manifeſtaret. Quod ut feciſſet, & a piis Senatoribus Raguſinis juſſio approbata fuiſſet, in triremi Archiepiſcopum cum Clero, & duodecim ex Nobilium ordine miſerunt. Qui noctu ad locum revelatum pergentes tribus facibus ſepulcra indicantibus ſepulcra Sanctorum ſub lapidum acervo invenerunt ſingula ſingulis ſuppoſita; quapropter Hymnis aliiſque precibus ob tale donum Deum glorificantes, dum inde ſacras Reliquias tuliſſent, ex illorum tumulo fluxerunt aquæ vivæ dulciſſimæ, uti & hac tempeſtate jugiter emanant copioſe in mare defluentes. Sanctis corporibus ad triremem delatis cum ipſa diſcedere vellet, nullo modo potuit, quouſque digitus unius Sanctorum Fratrum repertus non fuit beneficio lucis etiam ſuper ipſum viſæ. Quo invento ſtatim diſceſſit, & in aurora Raguſium appulit. Ibique ſacra pignora cum ingenti ſignificatione lætitiæ accepta depoſuit: cereis tali translatione deſervientibus ad medietatem conſumptis ejuſdem ponderis ac dum erant integri inventis. Dictam Vetulam omni beneficio proſecuti Raguſini, domo, & victu proviſam quouſque vixit ſuſtentarunt, mortuam honorifice ſepelierunt, cum inter ipſos ſanctiſſime, ac religioſiſſime vixiſſet, teſtibus pervetuſtis manuſcriptis Monaſterii S. Jacobi in Raguſii ſuburbio, qui & ſubjiciunt poſt translationem illarum Reliquiarum ſequenti anno mercatores Civitatis convenientes propriis expenſis magnificum templum memoriæ eorumdem Sanctorum ædificaſſe, in ipſoque tam pretioſa pignora collocata fuiſſe, Sacerdotibus officiaturæ præpoſitis beneficia honeſto victui eorum neceſſaria aſſignata. Tandem anno* 1667. *Eccleſia illa terræmotu proſtrata, ac ſolo æquata, denuo ejuſdem Civitatis fidelium pietate ædificio priore pulcriori a fundamentis erigitur. Interim SS. Martyrum Reliquiæ cum aliis ejuſdem Civitatis honorifice aſſervantur. Dies autem eorum natalitia VII. Idus Julii ſingulis annis glorioſa feſtivitate recolitur. Et eo quod horum Martyrum corpora dicto anno terræmotus ab eorum Eccleſia collapſa inventa fuerint in fortalitio Civitatis abſque ulla ruinarum læſione translata, nec (quacumque diligentia adhibita) innoteſcere potuit quis ea ibi transtuliſſet, pie creditur Divina protectione ſervata, ac manu Angelorum delata ibi fuiſſe: idcoque majori devotione venerantur.*

et caput S. Blaſii Raguſium delata.

Per eos annos Raguſium e Cappadocia ſive Armenia Caput S. Blaſii Epiſcopi & Martyris Sebaſteni allatum ferunt, quem Raguſini ſibi ſuæque Reipublicæ Patronum primarium adoptarunt, Templum ei opere cultuque magnifico extruxerunt, monetam Raguſienſem ejuſdem effigie in poſterum ſignandam eſſe decreverunt. Seraphinus Razzius in Epitome hiſtorica Mſ. Antiſtitum Raguſienſium, & Joannes Marinus Gundula in Synopſi Chronologica rerum Raguſienſium itidem Mſ. ſub Vitali Archiepiſcopo an. circ. 1026. ſacroſanctum hujus Martyris Caput ad Raguſinos devectum fuiſſe tradunt, de cujus cultu, inſignique veneratione apud Raguſienſes Joannes Bollandus Tomo I. Februarii die tertia hoc ſcriptum reliquit. *Raguſæ in Dalmatia, ut primarius ejus reipublicæ patronus, colitur, feſtivitate ad quatriduum prorogata; ejuſque effigies in omni Reipublicæ moneta imprimi dicitur.* Plures vero ait eſſe civitates,

quæ

Digitized by Google

quæ ſanctiſſimi hujus Martyris exuviis gloriantur: quod ad ſacroſanctum ejus Caput attinet, illud ſibi vindicant Monſpeſſulanus in Gallia Narbonenſi, & Orbetellum Etruriæ oppidum; ſummam autem ejuſdem Capitis partem in Cœnobio S. Dionyſii apud Montes Annoniæ, alteram vero ejus partem in Monaſterio S. Gregorii Armeni ſervari oſtendique ajunt. Sed cum plures fuerint Martyres, aut certe inſignis ſanctimoniæ viri Divorum faſtis adſcripti, quibus Blaſii nomen fuit, ſæpe uſuvenit, ut reliquiæ Divorum Blaſiano nomine inſcriptæ illi potiſſimum vulgo attribuantur, qui celebritate famæ & cultus univerſalis ceteris præſtat. Ita fit, ut, cum Caput ejuſdem S. Blaſii uno plus eſſe nequeat, tamen ubicumque colitur ſacrum aliquod Caput cum adſcripto nomine S. Blaſii, illud ad Epiſcopum & Martyrem Sebaſtenum longe inter omnes notiſſimum & celeberrimum referri ſoleat; quod etiam præclare animadvertit Bollandus in loco laudato; *Et ea cauſſa eſſe videtur, cur Sancti unius tam multiplices dicantur variis locis reliquiæ reperiri, ac nominatim Blaſii.*

Ragufinam veri Capitis Blaſiani translationem probant cultus celebritas,

Verum enimvero tanta eſt apud Raguſinos antiquitas, celebritas, magnificentia cultus erga S. Blaſium Epiſcopum & Martyrem Sebaſtenum, ut id ſatis magnum argumentum eſſe videatur, cur nuſquam alibi quam Raguſii veriſſimum ejus & ſanctiſſimum Caput aſſervari exiſtimemus. Hoc declarant publicæ ſupplicationes, honores ampliſſimi, & maximi, qui beatiſſimo Martyri haberi ſolent, Patrocinium civitatis ac Reipublicæ totius eidem commendatum, religio & frequentia civium atque accolarum ad ejus opem in rebus dubiis & afflictis implorandam affluentium, & ſupplicum votis præſens auxilium divinitus impenſum. De feſtis diebus ad colendum S. Blaſium inſtitutis, ac præſertim de primario, qui tertius eſt ante Nonas Februarii, & in octavum uſque diem producitur, ejuſque religioſiſſima, & magnificentiſſima celebratione alio in loco ſatis ſuperque dictum eſt, Quare neminem fore arbitror, quin Raguſio potius, quam aliis quibuſque civitatibus Caput S. Blaſii Sebaſteni adjudicandum putent: quæ vero civitates de ejuſdem poſſeſſione gloriantur, ſe illo carere tam æquo animo pati debent, quam de ſplendore ac dignitate cultus eidem adhibiti Raguſinis concedant neceſſe eſt, eaſque alterius S. Blaſii capite contentas eſſe oportet. Præterea cum Raguſini ab ipſa urbe, & Republica condita maritimo commercio dare operam cœpiſſent, quod ſæculo undecimo uſque eo creverat, ut plurima navigia negotiationis cauſſa ad longinquas Orientis regiones tranſmitterent, non defuit illis occaſio & opportunitas Blaſiani Capitis vel furtim ſurripiendi, vel a Sebaſtenis civibus ſeu prece, ſeu pretio impetrandi; nam illis temporibus tanta Sacrarum Reliquiarum cupido Chriſtianos inceſſerat, ut illas, dum obtinerent, nulla eſſet religio aut emere, aut furari. Ita mercatores Raguſini Caput S. Blaſii cum eſſent adepti, in patriam aſportarunt, longe ante, quam civitates illæ, quas dixi, illud acquirere & poſſidere potuerint. Multa quidem Divorum Corpora & lipſana e partibus Orientis in varias Occidentis regiones delata fuerunt; ſed fere nulla ante ſacras in Palæſtinam expeditiones, ſæculo undecimo ad exitum vergente inſtitui cœptas, vel ante Conſtantinopolim Græcis ereptam. Nam his ferme temporibus multæ Divorum Orientalium exuviæ in Galliam, Germaniam, Belgium, Italiam, aliaſque occidentales provincias deferri cœperunt; ut præclare animadvertit Joannes Bollandus Tomo ac die ſupra laudato. *Nam quo tempore*, inquit, *Paleſtinam Belgæ Francique tenuere, quidquid earum rerum, poſt vaſtatas a Saracinis toties, tot jam annis provincias illas, reliquum fuit, huc certatim deportatum eſt. Quæ vero ex toto Oriente Conſtantinopolim velut in Aſylum devecta erant, ubi illud Imperium occupavere Flandriæ Comites, & ipſi ad ſuæ ditionis ornandas urbes, huc tranſmiſere: nonnulla etiam fortaſſis Præſulibus data ad auxilia pecuniaria in bellum impetranda; multa alii vel detulerunt reduces in patriam, vel ſuis inde miſerunt.*

et facilis opportunitas ex partibus Orientis advehendi atque nanciſcendi.

Huic loco ſubtexere libet ſingulas beatiſſimi hujus Martyris reliquias, quæ magnifico pietatis cultu apud Raguſinos in Cathedrali æde ſervantur, illuc poſt terræmotum e collapſo D. Blaſii templo translatæ. Præcipua eſt ipſius Divi Caput aureæ patinæ ſuperpoſitum, & in aurea theca, quæ humani capitis formam exhibet, incluſum: *Guttur in pixide inaurata*, ſive *os*, ut ajunt, *linguale*, quod Græci *hypſiloiden* appellant, e Raſcia delatum Raguſium anno 1428. a quodam *Stephano Olchinienſi Marini filio: Brachium ſiniſtrum in theca aurea ad formam brachii;* vel ut in alio catalogo notatur, *Brachium ſiniſtrum incarnatum, S. Blaſii delatum Venetiis an. Dom. 1346. die 5. menſ. Julii;* quo die hujus traslationis feſtum celebrant Raguſini; idque mirum ſane videri debet, quod cum poſt excidium urbis & templi Blaſiani anno 1667. brachium illud furto ſublatum, neſcio quis Januam aſportaſſet, re a Senatu comperta, is & cariſſima illa pignora per Andream Reſtium presbyterum ſibi reddi a Januenſibus obtinuerit, ac ipſo die, quo antea translatum Venetiis fuerat, III. Non. Julii anno 1674. redditum acceperit. Unde tamen, & quanam ex Venetis eccleſiis brachium idem fuerit ademptum, haud facile comperies, fortaſſe ex alterutra e duabus, quæ D. Blaſio dicatæ viſuntur, altera in ea urbis parte, quæ *Caſtello* dicitur, altera in inſula Judaica, & utraque os brachii D. Blaſii ſe poſſidere teſtatur. Sunt vero Venetiis aliæ D. Blaſii reliquiæ, nimirum in principe D. Marci templo, ac inſigni ſacrario, *duo oſſa & portio maxillæ cum quatuor dentibus S. Blaſii Epiſc. & M.* & in eccleſia S. Mariæ Crucigerorum *dens S. Blaſii Epiſc. Mart. cum phiala ex jaſpide Orientali.* Sed ad Raguſienſes reliquias redeamus: *Brachium dexterum in theca argentea brachium referente*, quod Georgius Radovanovichius dono acceptum a Thoma Palæologo Dynaſta Peloponneſi an. 1459. dono obtulit Senatui Raguſino; *duo* præterea *digiti*, & *tibia* denique *auro incluſa*, vel ut alter catalogus an. 1335. præfert, *gamba cum pede S. Blaſii Epiſc.* quam una cum capite ſanctiſſimi Martyris Raguſium allatam ferunt an. 1026.

Inſignes D. Blaſii Reliquiæ apud Raguſinos.

Neque abs re noſtra erit, ſi ea hic referam, quæ de loco, ubi D. Blaſius & Epiſcopatum geſſit, & vitam pro Chriſtiana religione profudit, nuperrime comperi ex litteris Michaelis Crieſeſii Epiſcopi Alexienſis an. 1791. datis ad nobilem virum, & Eccleſiæ Macarenſis Canonicum atque Provicarium Joannem Joſephum Paulovichium Lucichium, cujus familia ante quadringentos annos & domicilio & civitate Raguſina plurimum claruit, quemque mihi ami-

Sebaſte etiam in Epiro, alia ab Armenia.

ci-

Digitized by Google

citia conjunctiſſimum, & de re literaria, atque eccleſiaſtica optime meritum honoris cauſa nomino. Scribit itaque Crieſeſius, in Albaniæ finibus antiquæ urbis rudera conſpici, cui *Sebaſte* nomen, & proxima Patrum Franciſcanorum domus *Sebaſtena* dicitur; ibi in ipſa urbis porta lapis extitit prægrandis, cui hæ literæ inſcriptæ *Agricolao Præſidi* . . ., cæteras vetuſtas exedit. Proxime mons adjacet *Arga* appellatum communi illius gentis vocabulo; & qui eo circum ventitant paſtores regionis, ſe patria lingua *mbe Giutet Agricoles* ideſt *ad urbem Agricolai* pergere ajunt. Argo monti ſpelunca ineſt a S. Blaſio antiquitus dicta, ubi altare viſitur hujuſce Divi memoriæ dicatum; & quotannis ingens fit undique populi concurſus, nobilium etiam hominum, ut vota ſolvant, & Beatiſſimi Martyris opem implorent, ejuſque tutelæ ſe ſuaque omnia commendent. Verum hæc cum Blaſianis actis apprime conveniunt, quæ III. Non. Februarii leguntur in eccleſiaſtica liturgia; nam & in Argeo monte latuiſſe dicitur S. Epiſcopus, & ab Agricolao Præſide morti addictus; præterea Sebaſtia urbs Armeniæ, quam Blaſius & Epiſcopatu & martyrio ferunt nobilitaſſe, in perampla planitie ſita longiſſime abeſt a montibus; quo minus veri videtur ſimile, Blaſium in remotiſſima montium juga aufugere potuiſſe, quin citius detineretur in via, aut Præſidis milites adeo diſſita ad venatum loca quæſiiſſe. Ager vero Sebaſtes Epiroticæ *Romania* vulgo vocatur; unde error fortaſſe, ut corrupto facilius vocabulo *Armeniæ urbs* dicta fuerit, quæ *Romaniæ* civitas fuit, ſeu verius Epiri, licet ob temporum viciſſitudines immutato aliqua ex cauſſa territorii nomine. Quid quod parum ab urbe lacus diſtat, in quem olim amnis influit aquis adhuc bitumineis ſcatens, iſque *quadraginta Martyrum* lacus antiquiſſimis jam inde temporibus appellatus, quos tamen in Armenia prope Sebaſtiam frigore & glacie in propinquo lacu confectos perhibent ipſorum acta VIII. Id. Martias? Hæc ex literis Crieſeſii, de quibus cum noſtra quæſtio non ſit, ea aliorum judicio atque eruditioni proponimus examinanda.

Hymni & Lectiones in honorem S. Blaſii.

Huic loco ſubtexere libet hymnos proprios, verſiculos, orationes, lectiones, quibus Clerus Raguſinus diem ſolemnem S. Blaſii III. non. Febr. lætiſſime, & ſanctiſſime concelebrant.

Hymni ad Veſperas.

Salutis aram Blaſius
Erexit; ægri accurrite
Languentiumque vindici
Votiva dona ponite.
Cuicumque triſtis obſidet
Angina fauces, gutturis
Cui ſemitam meabilem
Obex iniquus perſtruit,
Huc pharmacis mortalibus
Curiſque ſpretis, advolet,
Potentiore Martyris
Levandus arte & dextera.
Quam fortis ille & ſtrenuus
Suos dolores pertulit,
Tam mitis & clemens opem
Fert omnium doloribus.
Invicte Martyr ſervulos
Tuos ab hoſte protege,
Infer ſalutem corpori,
Refer quietem mentibus.
Sit ſumma laus & gloria
Tibi ſuperna Trinitas;
Dona precante Blaſio,
Beata nobis gaudia. Amen.

Ad Matutinum.

Stellata pande mœnia
Cœli coruſca civitas,
Et glorioſo Martyri
Plauſus & hymnos præpara.
Non illius victorias
Mortalis æquet laurea.
Vos alma frontis inclytæ
Ite in coronam ſydera.
Fruſtra inſecutor ſæviens
Virgas, cruentos pectines,
Omneſque promunt ultimæ
Crudelitatis machinas.
Bellator imperterritus
Minas, dolores, vulnera,
Mortem, Tyrannum, Dæmones
Agone vincit nobili.
Sit ſumma laus & gloria &c.

Ad Laudes.

Blaſi Sacerdos inclyte,
Et Martyrum fortiſſime,
Victor triumpho nobili,
Evectus es ad ſydera.
Lætentur omnes cœlites,
Quos recreas conſortio,
Terræque plaudant incolæ,
Quos ut Patronus reſpicis.
Abſint trementes inferi,
Quos reprimis præſentia.
Cuncta & creata ſentiant
In te Dei potentiam.
Sub montis antro conditus
Ut Chriſto adhærens ſervias,
Hic obſequentes excipis
Feras nocendi immemores.
Inde a Tyranno percitus,
Inter dolores fortior
Athleta, pœnas, judicem,
Ipſamque mortem deſpicis.
Sit ſumma laus &c.

Lectio IV.

Lectiones pſalmodiæ inſertæ,

Blaſius Cappadox nobili genere ortus Sebaſte in Cappadocia, ex medico Epiſcopus creatus eſt, ut corporum curationi, animarum cura ſuccederet. Huic muneri cum ſedulam ac piam operam navaret, dira tempeſtas adverſus Chriſtianos a Licinio Tyranno excitata fuit. Blaſius divino inſtinctu, Chriſti conſilio & exemplo in montem Argeum ſe recepit, ac ſeſe in ſpeluncam abdidit, in qua rerum divinarum contemplationi vacans, ab ipſis feris, naturæ feritatis oblitis, quotidianum victum accepit, & multis obſequiis cultus eſt.

Lectio V.

Ibi tamdiu latuit, dum ab Agricolai Præſidis militibus caſu deprehenſus, inde abſtractus, illius juſſu in vincula conjectus eſt. Sed vinctus ipſe multos, quos ejus ſanctitatis fama acciverat, a diverſorum morborum vinculis liberavit. In his puer fuit, qui deſperata a medicis ſalute, tranſverſa ſpina faucibus inhærente, animam agebat. Sane tum corporum, tum animorum medicus, non humana, ſed divina arte, non paratis a natura remediis, ſed Chriſti gratia com-

Digitized by Google

paratis, agros priſtinæ ſaluti reſtituit. Omni fere miraculorum genere conſpicuus; nam Chriſti ſuper aquas ambulantis, & Eliæ Saraptanæ Viduæ annonam multiplicantis, miracula renovavit.

Lectio VI.

Atrociſſimis tormentis crudeliſſimi Præſidis juſſu cruciatus fuit, duris verberibus cæſus, tortus in equuleo, pectinibuſque ferreis dilaniatus, candenti lorica indutus, aliiſque exquiſitiſſimis ſuppliciis affectus eſt. Sed ejus fides probari quidem potuit, non tamen vinci. Dilacerato corpore infractus animus reſtitit. Tandem victo Tyranno, capite plexus, illuſtre fidei teſtimonium Eccleſiæ reliquit, tertio nonas Februarii, anno Chriſti trecenteſimo decimo tertio.

Oratio.

Oratio, & quædam propria in Miſſa.

Deus, qui Beatum Blaſium Martyrem tuum atque Pontificem, in ſuis perferendis ſuppliciis, & in aliorum depellendis infirmitatibus admirabilem effeciſti; concede propitius, ut illius & in fide conſtantiam imitemur, & in periculis patrocinia ſentiamus. Per Dominum &c.

Huc adde quædam propria, quæ præter communia cuique Martyri recitari ſolent in ſolemni liturgia ſeu Miſſa S. Blaſii.

Introitus.

Gaudeamus omnes in Domino diem feſtum celebrantes ſub honore S. Blaſii Martyris atque Pontificis, de cujus paſſione gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei. Pſal. Magnus Dominus, & laudabilis nimis in Civitate Dei noſtri, & monte ſancto ejus. Gloria &c.

Oratio.

Deus qui Beatum Blaſium, ut ſupra.

Offertorium.

Transvexit illum Dominus per aquam nimiam, & ab altitudine inferorum deduxit illum.

Secreta.

Hoſtias tibi Domine B. Blaſii dicatas meritis &c. ut in Com. un. Mart.

Communio.

Semel juravi in Sancto meo, &c.

Poſtcommunio.

Percepta nobis Domine præbeant Sacramenta ſubſidium, & præſta ut B. Blaſii Martyris, atque Pontificis meritis, & interceſſione, nulla nobis noceat adverſitas, & nulla dominetur iniquitas. Per Dominum &c.

Hæc diligenter recognita approbavit Sacra Rituum Congregatio his verbis.

Rhaguſina.

Quæ omnia Sacra Rituum Congregatio approbavit.

Ad reiteratas preces Reipublicæ Rhaguſinæ Sacræ Rituum Congregationi porrectas pro approbatione Miſſæ propriæ S. Blaſii Epiſcopi & Martyris, ejuſdem Reip. Protectoris, humillime ſupplicantis, Sacra eadem Rituum Congregatio, audito tam in ſcriptis, quam in voce R. P. D. Proſpero de Lambertinis Fidei Promotore, ſupraſcriptam Miſſam propriam S. Blaſii, ab Eminentiſſimo ac Reverendiſſimo Domino Cardinali Barberino reviſam diligenter, correctam, atque relatam, prout jacet, approbavit, ac in die feſto ipſius Sancti ab univerſo Clero ſupradictæ Reip. ſæculari & regulari recitari benigne indulſit, ac imprimi poſſe conceſſit, ſi Sanctiſs. Domino noſtro placuerit. Die XI. Julii 1716. factaque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctiſs. Domino noſtro relatione, Sanctitas ſua benigne annuit, die prima Auguſti ejuſdem anni 1716.

F. Cardinalis de Abdua Præfectus.
N. M. Tedeſchi Epiſcopus Liparitanus
Sac. Rituum Congregationis Secretarius.

Formulæ precationum ad morbos depellendos.

Sunt quædam precationum formulæ, quibus pie creditur vis quædam ſaluberrima pani, vino, fructibus, ſeminibus, aquæ, interpoſita S. Blaſii imploratione, indita eſſe ad morbos propulſandos, ac præſertim anginas. *Harum benedictionum formulas* (ait Joannes Bollandus) *ex vetuſtiſſimo Benedictionario in membrana exarato in Eccleſia S. Stephani Neapoli aſſervatas recitat Camillus Tutinus*, quas ab eo deſcribemus, ut iis, ſi careant, etiam Raguſienſes, pro eo ac res poſtulat, & neceſſitas, uti poſſint.

Benedictio Panis: Sit nomen Domini benedictum &c. Adjutorium noſtrum &c. Domine exaudi &c. Dominus vobiſcum &c. Salvator mundi Deus Domine Jeſu Chriſte, qui hodiernam diem beatiſſimi Blaſii Martyrio conſecraſti, & diverſas creaturas ad ſalutem hominum creaſti, qui ex quinque panibus, & duobus piſcibus quinque millia hominum ſatiaſti, ac populum Judaicum in deſerto miraculoſe paviſti; ineffabilem miſericordiam tuam ſuppliciter exoramus, & petimus, ut hos panes, quos plebs fidelis tibi devote hodie ad ſanctificandum attulit, tua pietate † benedicere, & † ſanctificare digneris; ut qui ex eis comederint, vel guſtaverint, ab omni gutturis plaga, & totius corporis infirmitate, meritis, & interceſſione B. Blaſii Martyris tui, plenam recipiant ſanitatem, & nos ſervos tuos ab omni corporis, & animæ ægritudine ſanos ſerves &c. Qui vivis &c.

Benedictio Vini: Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui vinum, quod lætificat cor hominis, in Sacrificio offerri præcipis, & in Cana Galilææ ex aqua vinum feciſti; tu qui es vitis vera, per interceſſionem B. Blaſii Martyris tui, multiplica ſuper nos ſervos tuos pietatis tuæ miſericordiam, quemadmodum feciſti cum patribus noſtris, in tua ineffabili miſericordia ſperantibus, pietatem; bene † dicere, & ſancti † ficare tua pietate digneris hanc creaturam vini, quam ad ſervorum tuorum ſubſidium tribuiſti, quatenus ubicumque fuerit fuſum, vel a quibuslibet potatum, divinæ benedictionis tuæ munere repleantur, & cum gratiarum actione in eorum viſceribus ſanctificetur. Per te Salvator mundi, qui vivis &c.

Benedictio Fructuum. Domine Jeſu Chriſte, qui famulum tuum Blaſium hodierna die martyrio conſecraſti, bene † dicere, & ſancti † ficare digneris hos fructus arborum, quos indigni detulimus, per invocationem nominis tui, & interceſſionem glorioſæ Virginis Mariæ, & glorioſiſſimi Martyris tui atque Pontificis Blaſii bene † dicere, atque ad profectum præſentis familiæ, atque omnium fidelium abſentium provenire concede; ut in quemcumque locum deportati fuerint, ſalvi efficiantur, & omnis iniquitas, ſive illuſio ab eorum habitaculis abſcedat, & quicumque ex eis tenuerint, vel guſtaverint, tua gratia & benedictione repleantur. Qui vivis & regnas in ſæcula &c.

Benedictio Seminum. Creator omnium Deus, qui ſemi-

Digitized by Google

ſemina ſubtus terram poſita fructificare, & multiplicare facis, & in uſus noſtros miſericorditer concedis; intercedente B. Blaſio Martyre tuo, ſupplicationes noſtras placatus intende, ut hæc ſeminum genera bene†dicere, & ſanctifi†ficare tua benignitate digneris, ut jumenta, quæ ex eis comederint, vel guſtaverint, a quacumque detineantur infirmitate plenam recipiant curationem. Per Dominum noſtrum &c.

Benedictio Aquæ cum particula ex Reliquiis S. Blaſii intinctæ. Da quæſumus Domine per adtactum Reliquiarum Sancti ac glorioſi Martyris ac Pontificis Blaſii, virtutem hujus aquæ, ut quiſquis ea digne utitur, in memoriam & honorem Sancti ac glorioſi Martyris Blaſii, cuncta ſe impetraſſe lætetur. Per Chriſtum &c.

Sacroſancti Panniculi e Palæſtina Raguſium delati Inventio.

Pontificatum Vitalis Archiepiſcopi maxime illuſtravit Inventio Sacroſancti Panniculi, quo puerum Jeſum involutum fuiſſe tradunt, cum in Templo Hieroſolymitano a Deipara Virgine oblatum, S. Simeon Propheta in manus recepit, ſuiſque ulnis complexus eſt. Fama & traditione a majoribus acceptum, & poſteris tradendum eſſe ajunt, navim Venetam anno 843. e Palæſtina redeuntem ad portum Raguſii appuliſſe, qua Presbyter quidam, nomine Joannes, natione Albanenſis, ſive Epirota vehebatur. Is cum ſacra Palæſtinæ loca, religionis & voti cauſſa luſtraret, pieque inviſeret, Panniculum illum neſcio unde, aut quomodo nactus eſt; quem plumbea capſula incluſum, & obſignatum ſecum retulit. Raguſium cum veniſſet, eique Venetias, aut alio, iter eſſet neceſſarium; Sergio Presbytero, Curatori Ædis & parœciæ S. Viti, populari ſuo, quem ſalutandi cauſſa convenerat, capſam illam commendavit, quid in ea rei contineretur, celatum eſſe voluit. Depoſitum illud ut diligentiſſime cuſtodiret, etiam atque etiam admonuit; ejuſque fidem obtinuit, quod acceperat, redditurum ſtatim atque ille reverſus repoſceret. Joanne abeunte, Sergius capſam ſibi creditam, ut quam tutiſſime ſervaret, uno de laterculis amoto, quibus conſtratum erat pavimentum Eccleſiæ S. Viti, & ſcrobe effoſſa, ibi occuluit, ſublatum laterculum repoſuit, & circumcirca cum aliis laterculis, tam diligenti aptaque junctura connexuit, nihil ut rimæ appareret, quod rei ſubter latentis indicium eſſet. Ille autem bonus Presbyter poſtea numquam rediit, nuſquam apparuit. Quare Sergius morti jam proximus, locum, & capſam ſub eo defoſſam indicavit ſucceſſori in præfecturam ejuſdem Eccleſiæ deſignato; eumque admonuit, ut Joanni Presbytero Albanenſi, ſi forte rediiſſet ac repeteret, depoſitum illud redderet, ſignis quibuſdam ac notis expreſſis, unde hominem agnoſceret. Hujuſmodi loci & capſulæ notitia per plures deinceps ætates, quaſi per manus tradita ex aliis ad alios ejuſdem Ædis Curatores & Parochos pervenit. Poſt annos fere ducentos Antiſtes erat Templo S. Viti præpoſitus, vir bonus ac pius, cujus nomen litteris non eſt proditum. Hic permiſſu Vitalis Archiepiſcopi, Hieroſolymitanam peregrinationem ſuſcepit. Duos annos abfuit. Interea Raguſini novum Palatium Archiepiſcopale ædificarunt in area circa Templum S. Viti, quod intactum relinqui & Pontificiis Ædibus includi placuit. Ille vero in patriam regreſſus, cum ſibi ejuſdem Templi procurationem, liberamque illuc adeundi facultatem ademptam videret; ne illius loci & depoſiti memoria interciderent, rem omnem Archiepiſcopo patefecit; qui omnibus aliis ſecluſis, & uno illo totius rei conſcio, atque indice adhibito, nocte intempeſta, Templum adiit, laterculum evulſit, capſam effodit. Hanc ſignis refractis cum aperuiſſet, Panniculum invenit, quo puerum Jeſum obvolutum fuiſſe docebat appoſita inſcriptio. Admiratione ſimul percitus, ſimulque intima religione perfuſus, ſumma cum reverentia extraxit. De hoc pretioſo ac diviniſſimo theſauro ne quid ulli mortalium innueret, Presbytero illi, cujus indicio repertus fuerat, anathematis pœna propoſita, ſeveriſſime interdixit. Illud ergo, quoad vixit, in ſuo conclavi abditum retinuit, & privata veneratione coluit. Haud multis poſt annis, in extremum vitæ diſcrimen adductus, Antiſtitam Cœnobii S. Simeonis, ſororem ſuam, accerſiri juſſit; nihil ſibi eſſe ait, quo ſuum erga illam fraternum amorem magis teſtatum relinqueret, niſi donum quoddam inæſtimabilis pretii, planeque divinum; quid iſtuc rei tandem eſſet, curioſiſſime quærenti, & quod promiſerat, avidiſſime expectanti, Sacroſanctum Panniculum oſtendit; cujus olim fuerit, ad quem pertinuerit, certiorem fecit; unde, & per quem delatus fuerit, quam multos annos ignotus latuerit, qua demum ratione ad ſuas manus pervenerit, accurate & ſingillatim expoſuit. Illud apud ſe retineret, ſummo, quo dignus erat, honore veneraretur, in omnibus ſive corporis, ſive animi periculis atque anguſtiis, ad eum ſupplex confugeret, præſidio ac ſaluti ſine dubio futurum. Tali ac tanto munere lætiſſima domum rediit, & monitis optimi fratris obſecuta, nullum intermiſit diem, quin illi debitos cultus, & honores adhiberet, ſuaſque coram illo preces ad Deum emitteret. Et ſane vim illi divinitus inditam, in rebus adverſis ac difficillimis temporibus, propitiam ſibi ac præſentiſſimam ſenſit. Moriens divinum illud donum Virginibus ſororibus ſuis reliquit, admonitis, ut in Templo illud collocarent, publicæque venerationi exponerent. Ut primum fama de tam inſigni theſauro in vulgus ad eam diem ignoto, & per annos amplius ducentos recondito, ac penitus abdito emanavit, civium animos rei novitate attonitos, non admiratio tantum, ſed etiam religio inceſſit. Undique viſendi, & colendi ſtudio, concurritur; præteriti longiſſimi temporis ignorationem & incuriam certatim omnes, & pro ſe quiſque, quantis maximis poſſunt, officiis & honoribus compenſare geſtiunt. Nec defuere divina beneficia, vel ægrotis, vel duriore fortuna conflictatis hominibus collata, ad fidem ac pietatem Raguſienſium augendam; defuit qui ea ſigillatim rite conſignata litteris proderet. Viguit deinde, magiſque crevit in dies religio cultuſque Sacri Panniculi, qui nulla umquam temporum diuturnitate exolevit, & vel maxime etiamnum apud Raguſinos effloreſcit.

Quem Vitalis Archiepiſcopus clam apud ſe retinuit, & moriturus ſorori ſuæ Antiſtitæ S. Simeonis tradidit.

Sed Virginibus illis S. Simeonis ſanctiſſimum illud depoſitum apud ſe perpetuo retinere non licuit. Antiſtita Cœnobii quibuſcumque religionis & præſidii cauſſa poſtulantibus, ac præſertim mulieribus difficultate partus laborantibus particulam ex illo Panniculo quamvis admodum exiguam liberalius tamen, quam prudentius impertiri ſolebat. Cæterum & fama tenuit, & ipſiſmet ſacrarum illarum Virginum oculis compertum fuit, nullam propterea ejuſ-

Digitized by Google

dem Panniculi diminutionem fieri, ſed quantulumcumque detractum eſſet, tantundem eidem divinitus accreſcere. Forte evenit, ut femina quædam princeps e ſtirpe Regum Serbiæ progenita Raguſium veniret, & cum templum, & cœnobium S. Simeonis adiiſſet, ab ejus loci Antiſtita fruſtulum e ſacro panniculo petiit, impetravitque. Id minime gratum Deo fuiſſe declaravit eventus; quippe mulier illa Serbiani ſchiſmatis & dogmatis labe cum infecta eſſet, tali ac tanto dono prorſus erat indigna; vetamur enim, *Sanctum dare canibus, & projicere margaritas ante porcos*. Itaque neque tunc fruſtuli quod reſciſſum fuerat, reſarciri viſum eſt, neque unquam poſtea contigit, ut ejus, quod inde avelleretur, redintegratio fieret. Cæterum Virgines illæ nihilo parciores, quam antea, in decerpendis, dilargiendiſque hujuſmodi particulis ſe præbebant; ex quo fieri neceſſe erat, ut Panniculus magis in dies magiſque decreſceret: quod cum Raguſienſes animadverterent, palam fremere, atque indignari, & paſſim querebantur, ſi alias ex aliis particulis ex illo ſacro monumento divellere pergerent, ut omnium poſtulatis ac votis ſatisfieret, brevi nihil ex eo reliquum fore, & civitatem tam ſingulari, & inſigni theſauro carituram, quem inter omnes Divorum reliquias, quorum poſſeſſione gloriabantur, longe pretioſiſſimum atque ſanctiſſimum eſſe non immerito exiſtimabant. Res ad Senatum delata cum eſſet, Patres illi ſapientiſſimi, ac prudentiſſimi Sacroſanctum Panniculum Virginibus S. Simeonis adimendum, atque ad Ædem Cathedralem transferendum eſſe decreverunt, ubi diligentiori cura cuſtodiri poſſet, & ſartum tectum ab omni diminutione conſervari. Porro ut Virgines illæ tam inſignem jacturam minus acerbe ferrent, tantique boni ſuo templo ac cœnobio erepti deſiderium quoquo modo lenirent, Rector, & Senatus promiſit, in ſeque recepit, diviniſſimum illum Panniculum ſemel ſingulis annis ſtato die ſolemni ſupplicatione ad S. Simeonis allatum iri, illis ut poteſtas eſſet ejus reviſendi, venerandi, oſculandi, piæque erga illum cupiditatis explendæ, atque etiam retinendi, niſi Rector idem, ac Senatus decem yperperis Monaſterio perſolutis eumdem veluti redimerent, ac recuperarent. Translatio ſacri Panniculi ad Ædem Cathedralem incidit, ut litteris proditum eſt, in annum 1379. ſupplicatio vero anniverſaria olim fieri ſolebat VIII. Id. Octobris, quæ dies S. Simeonis Prophetæ nomine ac religione conſecrata eſt, ut docet Philippus de Quartigianis in *Deſcriptione Ms. ſitus, ædificiorum &c. inclytæ Civitatis Raguſii &c. In feſto S. Simeonis Prophetæ, Dominus Rector, & cum eo multi nobiles & advenæ eunt ad Eccleſiam S. Simeonis, ubi habitant Moniales, ferturque illuc Pannus ille pretioſus, in quo Simeon non viſurus mortem, donec videret Sanctum Domini, recepit Filium Dei præſentatum in Templo juxta ritum Legis Judæorum; poniturque ſuper Altari, dum Miſſa ſolemnis per Præſulem urbis celebratur; qua perfecta, refertur ad locum reliquiarum*. Poſtea vero eadem ſupplicatio translata eſt, & affixa ad diem Dominicum proximum poſt ſacroſanctam Chriſti Domini Epiphaniam; nunc autem ad illam Dominicam diem, quæ proxima eſt alteri Dominicæ diei, cui cognomen in Albis; nec vero ad Cœnobium S. Simeonis, quod jamdudum diſſolutum fuit, ſed ad Collegium Virginum Ordinis Benedictini, quo Virgines S. Simeonis demigrarunt, atque ad Templum eidem annexum S. Mariæ de Caſtello progredi ſolet, inſtituique ac peragi magnificentiſſimo quidem apparatu, non majori tamen pompa, quam pietate ac religione. Piæ ſodalitates cum ſuis vexillis atque inſignibus argento auroque fulgentibus, Cœtus religioſi, Clerus, Presbyteri, Canonici longo & compoſito agmine præcedunt. Subſequitur Archiepiſcopus Pontificali veſtitu atque ornatu, Rectore ac Senatu cum cohorte omnique nobilitate, & civitate univerſa comitante. Inter hos & Archiepiſcopum medium quatuor Sacerdotum humeris impoſitum Feretrum defertur ſane magnificum & pretioſa veſte conſtratum, cui ſuperpoſita eſt arcula argentea antiquo opere, & ſummo artificio facta, laminis chryſtallinis circumclauſa, quarum interjectu perlucido Sacer Panniculus ibidem reconditus, oculis intuentium pervius, & conſpicuus patet. Ubi ad templum S. Mariæ ventum eſt, ea ſuper Altare in loco ſublimi & ornato collocata, Archiepiſcopus pontificali ritu, ſolemnique ſacrificium facit; quo peracto, ſupplicatio eodem, quo proceſſerat, ordine inter hymnos & pſalmos ad Baſilicam Cathedralem regreditur, & poſt Rectorem, Senatum, populumque cum ſacra & ſolemni precatione dimiſſum ſacroſanctus Panniculus in ſacrario reconditur. Ita Pontificatum Vitalis ſanctiſſimus ille Panniculus inventus, Caput S. Blaſii receptum, corpora SS. MM. Catharenſium Raguſium delata maxime inſignem fecerunt, & ſempiterna apud poſteros memoria dignum.

Ædem Cathedralem. Defertur in

Anno 1044. Vitalis Eccleſiam Raguſienſem adhuc regebat, ut docent tabulæ Cœnobii Lacromenſis. Erat quidam monachus nomine Dominicus, cui parentes donaverant prædium de viro quodam, cui nomen erat Balſamo, emptum cum ædibus eidem annexis. Quod quidem prædium cum Dominicus, ſalva religioſa, cui ſe voto obſtrinxerat, paupertate, ſibi retinere non poſſet ex præſcripto illo canonico, & monaſtico, *quidquid acquirit Monachus, acquirit Monaſterium*, in poteſtatem Cœnobii Lacromenſis tranſierat. Cum autem eſſet contiguum fundis & agris SS. Coſmæ & Damiani ad idem Cœnobium pertinentibus, his adjunctum fuit, veluti quædam appendix, & hæreditas SS. Coſmæ & Damiani appellata eſt: quippe Dominicus bonis omnibus, ſuſcepta monachali profeſſione, ſe abdicaverat, ac proinde prædium illi traditum, cujus poſſidendi jure carebat, quaſi quædam caduca hæreditas ad Monaſterium Lacromenſe pervenerat, quam Abbas & Monachi terris ac poſſeſſionibus SS. Coſmæ & Damiani annexam eſſe voluerunt. Hoc prædium una cum ædibus adjunctis viri quidam nobiles ac præpotentes, & fortaſſe ex illis, qui rebus publicis præſidebant, per poteſtatem ac vim Monachis ereptum abſtulerant, neque ut redderent, ullo modo adduci vel cogi poterant. Poſtquam hi aut obiiſſent, aut illis, quos gerebant, magiſtratibus perfuncti eſſent, Petrus Abbas, & Præſes Cœnobii juſſit Dominicum tum Abbatis, tum Monachorum nomine, communem cauſſam agere, & bona ſibi a parentibus donata repetere, ac perſequi lite atque judicio. Erat tum Prior, ſive Rector Civitatis Petrus Slaba vir ſummæ prudentiæ & æquitatis, apud quem Dominicus cauſſam Monaſte-

De prædio Lacromenſi Cœnobio erepto

rii

rii ſic probavit, ut, malitia & violentia iniquorum raptorum manifeſto deprehenſa, ſtatim, quæ ablata fuerant, reſtitui juberet; impium & ſacrilegum eſſe ait, quæ ſunt Deo tradita & conſecrata, atque ad domum Dei, ideſt ad domicilium ſervorum Dei pertinent, interverti, prophanari, & violari; ſimulque declaravit plenum ac liberum eſſe jus Dominico, ſeu potius Monaſterio, in eo loco, quem recuperaverant, quidquid vellent ædificandi; & ne quis in poſterum eumdem locum eripere auderet, dirarum omnium denunciatione abſterruit. Fortaſſis verba illa *hæreditas SS. Coſmæ, & Damiani*, aliter atque nos interpretati ſumus, accipi oportet, ſic prorſus, ut nihil aliud per ea ſignificari videatur, niſi ipſamet Ædicula SS. Coſmæ & Damiani cum agris ac domibus eidem annexis, quas Dominicus a ſuis parentibus vel conſanguineis dono acceperat. Quam Petrus Rector Civitatis ſecundum Monachos ſententiam tulit, omnium Ordinum approbatione confirmatam, & plurimorum teſtium chirographo ſubſcriptam, & ſigno obſignatam litteris publicis ad perpetuam memoriam mandari juſſit: ejuſque exemplar hic ſubjicio ex Tomo IV. Antiq. Ital. Ludovici Muratorii, diſſert. LII., quod is ſe accepiſſe teſtatur *ex P. D. Bernardo Cretonio Monacho & Priori Benedictino*; deſcriptum vero eſt ex membrana Lacromenſis Cœnobii, ſed lacunis interruptum, latini ſermonis barbarie fœde vitiatum, & pluribus in locis tanta verborum obſcuritate involutum, ut vix aut ne vix quidem intelligi poſſit.

Sententia Petri Rectoris.

In nomine ſancte & unice Trinitatis. (1) *Undecimo Calendas Martii Luna II. Indictione XII.* (2) *Con. IIII. Temporibus piiſſimi Auguſti* (3) *Conſtantino ſcilicet Monomacho una cum Domina Theodora piiſſima Auguſta: apud nos vero* 1 2 3 *degente* (4) *Vitalis Epiſcopus.* (5) *Prior quoque Petrus cognominatus Slaba. Ego denique Petrus prefatus Prior cum omnes pariter Nobiles atque ignobiles mei tam ſenes juvenes adoleſcentuli, quam etiam pueri ſecuritatem quidem firmam, atque inclitam facimus huic Monachus Presbiter Dominicus, tam ei quam & omnes parentes ejus, quo ad huc ſit & erit uſque in finem ſeculi. Ex eo igitur qualiter Anteceſſores noſtri tulerunt ei per vim hereditatem Sancti Coſme & Damiani cum domibus, que ſunt circa eam, que quondam emerant parentes ejus ex quodam vir nomine Balſamus, in centum & decem ſolidis; & miſerunt eum per pecuniam* 4 5 *Grecorum in puplico* (6) *ut fieret Pretorium; plus miſeri obſervantes eorum mandata, quam Domini precepta, qui dicit: Domus mea domus orationis vocabitur. Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Et iterum: Vacate, & videte, quoniamego ſum Deus. Et illud: In Eccleſia Dei aut orate ſeu pſallite, verba otioſa nolite dicere. Unde notandum eſt nobis, fratres cariſſimi, ut ſi verba otioſa Dominus in Eccleſia ſua probibet dicere, quod leve eſt: quanto magis nos probibet in domo ſua lupanar facere, quod nimis gravum eſt? Et ſi ego tantillus homo nibil volo in domo mea cernere ſordidum, ſed omnia pulchra ac nitida: quanto magis Deus, qui eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium, vult babere omnia pulchriſſima, ac nitidiſſima in domo ſua? Quapropter timore perterriti, optanteſque nos ex antiqui hoſtis laqueo eripere, rogavimus prædictus Monachus unanimiter, ut in loco fabrice conſtituto alterum Pretorium . . . . . & prefatam hereditatem fiat ſecundum Domini preceptum amodo & uſque in ſempiternum liberam, ut decet domum Dei. Et boc factum eſt, ſicuti prefati ſumus, ex conſenſu omni populo, & Domini Petri Venerabilis Abbatis, quantis morabatur temporibus in Inſula, que vocatur Lacrumno, ſub cujus regula degebat etiam & ipſe monachus. Unde non audeat ei an nullus cujuslibet homo contradicere, nec ſucceſſor ſcilicet noſter, nec Nobilis noſter. Quod ſiquis noſter ſive ſucceſſor, vel Nobilis noſter temerare preſumpſerit, ſolvereque attemptaverit firmiſſimo pactui noſtro, habeat ille mancip. . . . . io videatur iram Dei Omnipotentis Patris, Filii, & Spiritus Sancti incurrat & Sanctorum omnium, & a maledictionis vinculo tercentorum & octo Patrum* (7) *inſolubiliter denodetur, & in noviſſimo* (8) *maranatha cum Diabolo, & ejus tetros miniſtros, ac Juda Scariothea in gehene baratrum mueretur, & ſtatuta privilegii redintegrare dupliciter pretio judiciali ſententia perdonetur atque convinciatur.* 7 8

Actum eſt hoc palam teſtibus corroboratum tempore Juprascripto menſe Februarii. Et noſmetipſi ſcilicet privilegia qui diſpoſuimus facere, elegimus tantos ac tales teſtes.

Primitus omnium ego prenominatus Prior teſtis ſum, & hoc eſt † ſignum meum.
Signum † manu Stephani Presbiteri, filii, ...
Signum † manu Domini Lampridii Presbiteri frater Joannis.
Signum † manu Lampridii Presbiteri filius Joannis Presbiteri.
Signum † manu Urſacii Diaconi.
Signum † manu Triphonii Diaconi.
Signum † manu Petraca Diaconi.
Signum † manu Nicerphori Diaconi.
Signum † manu Dabri Diaconi.
Signum † manu Petri Diaconi frater Georgii.
Signum † manu Andree Diaconi.
Signum † manu Cani-albi.
Signum † manu Petri frater Urſani Presbiteri cum filio ſuo Dobro.
Signum † manu Andree filius Norati Presbiteri.
Signum † manu Mitro-capud.
Signum † manu Joannis filius Serſi.
Signum † manu Aiabale.
Signum † manu Peruani .... Puſei.
Signum † manu Benslemini.
Signum † manu Arebarbi.
Signum † manu Proculi fratris Urſaci Diaconi.
Signum † manu Petri filius .....
Signum † manu Andree filii Marnaci.
Signum † manu Lampridii filius Michatii Monachi.
Signum † manu Zamati.
Signum † manu Urſaci filii Jacobi.
Signum † manu Andree filius Sclepi.
Signum † manu Ingatii cum fratre ſuo Urſati filius Siſinii.
Signum † manu Lampridii filius Bubanni.
Signum † manu Vitalis indigni meritis, peccatorque, atque infimi Subdiaconi, qui bane ſcripſit paginulam.

Notæ.

1 Chronologicæ notæ Archiepiſcopatus Vitalis, & Indictionis XII. recte congruunt cum

anno 1044. *cujus menſe Februario*, ſubdit Muratorius, *decurrebat Luna II.*

2 *Litteras illas* Con. IIII. *ex conjectura, dum meliora doceant alii, interpretor*, Conſulatu quarto. Murat. *Ita enim*, addit, *& Genuenſes Primum, Secundum &c. Conſulatum numerabant: vide Caffari Genuenſes Annales Tomo VI. Rerum Italic.*

3 Aliquid hic obſcuritatis ineſſe, recte Muratorius animadvertit, ejuſque opinionem ſequi juvat. *Quid eſt enim*, inquit, *quod Charta exarata dicitur* Temporibus piiſſimi Auguſti, Conſtantino ſcilicet Monomacho una cum Domina Theodora piiſſima Auguſta? *Utique ſublato e vivis Michaele Calaphata Græcorum Imperatore, Theodoram Zoes ſororem populus Auguſtam renuntiavit. Id actum anno MXLII. Cedreno teſte, uti animadvertit etiam Pagius in Critic. Baroniana. Rurſus eodem anno ac menſe Junio* Conſtantinus Monomachus *nuptiis cum Zoe celebratis, Imperator electus*, poſt tres menſes, *teſte Pſello*, Theodoram *e gradu dejecit. Qui ergo Februario menſe anni MXLIV. adhuc Raguſii imperaſſe dicitur* Conſtantinus Monomachus cum Theodora Auguſta? *Duplex reſponſum habeto. Aut Conſtantinus Monomachus ſerius quam traditur Theodoram exturbavit: aut non ita oppreſſit, ut eam ab omni honore excluſerit. Et ſane idem Cedrenus, & Joannes Curopalates ſcribunt, quod anno MXLIV. Indictione XII. ſuborta ſeditione contra Monomachum αἱ Βασιλίδες φροιμίψασαι ἄνωθεν κατεσόρεσαν τὸ πλῆθος*. Reginæ, *ſive* Auguſtæ (*hoc eſt*, Theodora & Zoe) de ſublimi proſpicientes multitudinem placaverunt. Quæ ratio multo eſt nobis, quam prima, veri ſimilior.

4 Hinc arguit Muratorius, *in Raguſinæ Reipublicæ regimine ſuas partes fuiſſe* Vitali *urbis illius* Epiſcopo: *nobilibus vero æque ac ignobilibus ſuffragium relictum in publicis conſiliis.* Sane hic mos ea ætate obtinebat in aliis Dalmatiæ civitatibus.

5 Petrus Prior *ibi commemoratus, primus fuiſſe videtur Conſulum, qui totius Reipublicæ verbis contractum iſtum celebrat. Idem ferme in Italicis urbibus primo factum.* Murat. Sed hæc regiminis forma diu multo uſitatior fuit in Dalmatia. Vide, quæ de Prioribus Jadrenſibus dicta ſunt in hiſtoria Jadrenſis Eccleſiæ ex Commentario Valerii a Ponte. Proconſulum vice, ac munere fungebantur; labente vero Græcorum imperio, hic Magiſtratus populi ſuffragiis creabatur; Raguſii idem ferme erat auctoritate, & officio, ac qui poſtea *Rector* appellatus.

6 Intelligendum forte id a principibus quibuſdam viris pecunia effectum, ut *hereditas illa* Prætorio exſtruendo, ſcilicet publico cuidam ædificio deſtinaretur.

7 Cum tercenti decem & octo numerentur Concilii Nicæni Patres, hic vox illa *decem* deeſſe videtur.

8 *Maranatha*, vocabulum ex duobus vocibus Syriacis *maran-atha* compoſitum, quæ *Dominus venit* ſignificant. *Imprecationis* autem *genus eſt quod in chartarum infractores intentari ſolitum erat*, inquit du-Freſnius in Gloſſario; ſcilicet, ut in noviſſima vitæ hora, cum *Dominus venit* cujuſque acta & mores judicaturus, æternis damnetur ſuppliciis qui hujuſmodi publicas ſententias, ſive decreta, aut ſupremas hominum morituorum voluntates contemſerit, atque violaverit.

Si Vitalis Archiepiſcopi initia cum Luccario & aliis ad annum 1016. referas, annos quadraginta, ſi vero eadem cum Sebaſtiano Dolci & aliis rejicias in annum 1023. annos fere quatuor & triginta Eccleſiam Raguſinam gubernavit, uſque ad annum 1047. Hunc ex antiquiſſima & nobiliſſima familia ortum ferunt, cui olim *Pecoralis*, ſeu *Pecorariæ*, nunc *Gozze* cognomen eſt; eximia ſanctitate floruiſſe ajunt, eique titulum *Beati* in antiquis monumentis attribui. Arbori genealogicæ Gozzeæ gentis inſcriptus eſt *Vitalis Pecorarius Archiepiſcopus*; ſed cum ei ſit affixus annus 1063. hanc notam chronologicam vitiatam eſſe ait Sebaſtianus Dolci; non enim congruit cum Pontificatu Vitalis, quem nos primum, ille ſecundum appellat. Sepultus eſt apud Monachos Lacromenſes, ad quorum cœnobium condendum ipſemet Vitalis operam ſuam, & auctoritatem Archiepiſcopalem contulerat; eique appoſita fuit hæc inſcriptio tabulæ marmoreæ inciſa. Vitalis Archiep. obitus, ſepulcrum, inſcriptio.

Hic Requeſcit Vi
talis Archiep̄s Do
n̄i Theodori Filius
P. cui. am̄a humilit. R.

Si cum Sebaſtiano Dolci alium Vitalem ætate ſuperiorem, ante Joannem & Nicephorum, ſeu potius utrique interjectum inter Archiepiſcopos Raguſienſes annumerare libeat; huic attribuas per me licet, tum ſepulchrum, tum inſcriptionem Lacromenſem. Noſtro autem Vitali, quem laudatus Auctor ſecundum vocat, ſepulturam datam eſſe ait in æde S. Stephani, inde vero translatum putat in eum ſarcophagum Gentis Gozzeæ, qui extat in clauſtro Cœnobii Franciſcani.

TRIBUNIUS ARCHIEP. RAG. VI.

Patria Raguſinus, ſex annos huic Eccleſiæ præfuit, ab anno ſiquidem 1057. Pontificatum & vitam uſque ad annum 1063. perduxit, ut Scriptores omnes tradunt, præter Seraphinum Razzium, qui ejus regimini annos quadragenos, & quaternos attribuit, Vitali II. ejus ſucceſſori, quem ille ſilentio præterivit, magna ex parte præreptos. Ædem ſive hæreditatem SS. Coſmæ & Damiani, ſub Vitali Archiepiſcopo Monachis Lacromenſibus adjudicatam confirmavit anno 1058. Indict. XI. Extat ejus Diploma in Tabulario Cœnobii Lacromenſis. Seraphinus Razzius tradit ſub Tribunio Archiepiſcopo corpus S. Simeonis Prophetæ primum Raguſium e Palæſtina devectum, deinde Jaderam translatum fuiſſe. Verum Jadrenſem ſanctiſſimi illius Corporis translationem ad ſæculum decimum tertium referendam eſſe oſtendimus in Hiſtoria Eccleſiæ Jadertinæ. Idem Razzius ſcripſit Tribunium ſepultum eſſe in æde S. Stephani Protomartyris.

VITALIS II. ARCHIEP. RAG. VII.

Civis Raguſinus, anno 1063., vel ſequenti adminiſtrationem hujus Eccleſiæ ſuſcepit, ut tradunt Scriptores Raguſienſes. Bonis initiis ortus, triſtes habuiſſe dicitur exitus Pontificatus. Rem eccleſiaſticam annos haud ita multos bene ac prudenter geſſerat; cum propter nonnullas eaſque graviſſimas interpoſitas offenſiones Vitali II. Archiep. crimina objecta.

Digitized by Google

siones in odium indignationemque omnium incurrit. Ajunt a seipso, ac pristina virtute degeneasse; & cogitatione curaque omni gregis sibi concrediti abjecta, in eam licentiam libertatemque vivendi prolapsum, quæ ab ejus loci, quem tenebat, sanctitate longe abhorrebat: id præterea crimini datum illi fuisse, quod usu Pallii abuteretur, illudque tum extra sacrarium, tum quibus non licebat diebus, induere ac gestare soleret; ad depravatos ejus mores corrigendos nomine & gradu episcopali prorsus indignos, necesse fuisse Synodum cogi, quæ frustra & suam auctoritatem, & salubérrimam admonitionem adhibuit, ut eum ad veterem sanctimoniam, & sobrietatem revocaret. Hæc Ragusienses Scriptores. Sed quæcumque illa causa fuerit, quæ Vitalem in summam apud omnes invidiam adduxit; satis constat eum a Ragusiensibus captum, atque in carcerem detrusum fuisse. Eo sede episcopali depulso, alium sibi Episcopum elegerunt. Quæ res, utpote erat insigni infamia, Romam perlata cum esset, Pontificis animum vehementer commovit. Erat is Gregorius VII. anno 1073. in Sedem Pontificiam Alexandro II. sublectus, vir spectatæ prudentiæ, constantiæ, & sanctitatis, qui facinus tam atrox, atque inauditum minime dissimulandum, & sine accurata inquisitione prætermittendum censuit. Legationem Dalmaticam decreverat Gerardo Archiepiscopo Sipontino, de qua dictum est Tomo III. in Laurentio Archiepiscopo Spalatensi. Hoc etiam a Pontifice mandatum habuit, ut Ragusium adiret, caussamque cognosceret Vitalis Archiepiscopi, & litteras dedit ad Ragusæos in hanc sententiam. Quæ fama & auditione acceperat breviter exposuit; illos humani divinique juris violati arguit, quod sacrilegas manus in Vitalem eorum Episcopum injecerint, eoque in custodiam tradito, alterum in Sedem Episcopalem intruserint. Jubet Vitalem e vinculis eximi, sistique coram Gerardo Legato Sedis Apostolicæ, ut eo audiente & judicante, ipsi quidem, quæ Vitali objiciebant, palam ac legitime probarent, Vitali autem objecta crimina diluendi, seque ipsum purgandi potestas esset. Quod si hujusmodi controversia per Gerardum dirimi & componi nequeat, jubet Vitalem cum Electo Episcopo Romam adduci; sibi curæ futurum, ut judicium utrique reddat, caussam utriusque rite cognoscat, feratque pro veritate sententiam; mandato pontificio nisi Ragusienses paruerint, denunciat illis ecclesiastica communione interdictum iri. Hæc Epistola data est XIII. Kalendas Aprilis, Indictione XII., anno primo Pontificatus Gregoriani, idest Æræ vulgaris 1074.

Ragusienses vehementer reprehensi a Gregorio VII.

Epistola Gregorii ad Ragusienses.

Pervenit ad aures nostras vos Vitalem Episcopum vestrum cœpisse, & eo in custodia & vinculis posito, alium vobis in Episcopum elegisse. Quæ quidem res quam sit inordinata, quam iniquæ, quam criminosa, quam divinis, & humanis legibus contraria, nulli fidelium in dubio esse credimus. Proinde misimus ad vos dilectum fratrem nostrum Giraldum Sipontinum Archiepiscopum, ut hac in re nostra legatione fungens, justitiam inde decernere debeat. Admonemus itaque, & Apostolica vobis auctoritate præcipimus, ut relaxato Episcopo, quem in captione tenetis, in præsentiam præfati Archiepiscopi conveniatis, & ad faciendum super hac re canonicam justitiam, & in aliis etiam ecclesiasticis causis, quæ inter vos corrigenda sunt, eandem, quam præsentiæ nostræ deberetis, obedientiam & favorem exhibeatis. Quod si peccatis impedientibus, causa apud vos examinari & definiri non possit, volumus ut utrumque, videlicet Episcopum captivum, & eum, quem irregulariter elegistis, in nostram præsentiam conducatis; quatenus adjuvante Deo, quod justum fuerit, inde judicare, & auctorabiliter statuere valeamus: alioquin si nostra, imo apostolica monita & præcepta contempseritis; a liminibus Ecclesiæ, & omni Christiana communione vos apostolica auctoritate pellendos, & sequestrandos esse sciatis. Data Romæ decimotertio Kalendas Aprilis Indictione duodecima: idest an. 1074.

Haud equidem dubito, quin Gerardus jussa pontificia, quantum erat in ipso, exsecutus fuerit. Controversiam diremerit ne, an injudicatam reliquerit, eamque, cum propter discrepantiam testium, qui utrinque producti sunt, unde jus, unde injuria staret, non liqueret, ad Sedem Apostolicam deferri oportuerit, mihi non est compertum; desunt quippe vetera monumenta, ex quibus id cognosci queat; neque ullas tabulas antiquas proferre possum, quæ ejusdem controversiæ exitum declarent, doceantque, utrum Gerardus vel Gregorius, secundum Vitalem, an secundum Ragusienses judicaverint. Si Jacobum Luccarum audiendum putamus, existimari potest Vitalem sententia Legati Apostolici, vel Gregorii Papæ, absolutum, atque in Sedem Episcopalem restitutum fuisse; is quippe inter Vitalem II., & Dominicum Venetum Archiepiscopos neminem interposuit; & cum hujus initia archiepiscopalia ad annum secundum sæculi proximi affixerit, ad hunc usque annum illius Pontificatum perducere videtur. Sed alii Scriptores Ragusini docent, quos sequi malim, Vitalem manifestis criminibus convictum, Apostolica sententia damnatum, privatumque Sacerdotio fuisse; in ejus vero locum, quem Ragusienses elegerant, Petrum nomine, suffectum esse. De Archiepiscopatu Petri inter Vitalem II. & Dominicum interjecto, quod Luccarus, & Razzius silentio prætereunt, vetera monumenta dubitare non sinunt; sed ignotus est annus, quo Petrus huic Ecclesiæ præsidere cœpit. Vitalis etiamsi absolutus fuerit, Pontificatum Ragusinum ultra annum 1075. vel sequentem retinere non potuit; nam an. 1076. Petrus jam regebat Ecclesiam Ragusinam. Idem Vitalis II. potest esse ille, quem Sebastianus Dolci in æde S. Stephani sepultum fuisse docet.

Desunt monumenta ex quibus ejus caussæ exitus cognosci possit.

PETRUS ARCHIEP. RAG. VIII.

Hunc a Luccaro & Razzio prætermissum, Sebastianus Dolci ab Antibarensi ad Ragusinam Metropolim translatum fuisse scripsit, propterea quod Gregorius in suis ad Michaelem Regem Slavorum litteris, *Petrum Antibarensem Episcopum atque Ragusanum, sive alios idoneos viros ad se mitti jubeat*; non enim his verbis duos, sed unum tantummodo Episcopum significari putat; qui primum Antibarensis, deinde Ragusinus fuit, Petri vocabulo appellatus. Verum si Petrus, Antibarensi relicta, ad Ragusinam Ecclesiam transierat, huic transitioni consentaneum non erat Episcopatus, quem dimiserat, titulum eidem attribui; nisi forte velis Petrum Ragusinam cum Antibarensi Ecclesia retinuisse; quod credere vetant Canones & disciplina ecclesiastica, præsertim temporum illo-

Petrus Arch. Ragusinus alius ab Antibarensi.

Digitized by Google

illorum: nihil enim gravius, nihil accuratius, nihil severius cautum & sancitum erat, quam ne unus idemque Episcopus duabus Ecclesiis præsertim Metropolitanis præsideret. Mihi longe verisimilius videtur Petrum Ragusinum alium esse, ac distingui oportere a Petro Antibarensi Episcopo, ad quem extat Epistola Alexandri II. an. 1062. scripta, & Annalibus Baronianis, itemque Collectioni Conciliorum inserta. Ragusinum Petri Archiepiscopatum confirmant tum Diploma Bodini Regis Serbliæ anno 1100. Indictione VIII. confectum, tum tabulæ duæ Ragusienses apud Sebastianum Dolci, altera an. 1114. Indictione VII. altera anno sequenti Indictione VIII. obsignatæ. In his, atque in illo nomen Petri Archiepiscopi littera P, unde initium ducit, designatur.

De jure metropolitico Ecclesiæ Ragusinæ controversia.

Petrus vel anno 1074., si quidem Vitali sede Episcopali dejecto statim successit, vel anno 1075., aut sequenti in Cathedram Archiepiscopalem conscendit, si Vitalis de objectis criminibus absolutus ad hunc usque annum Pontificatum perduxit. Ad Petrum siquidem pertinet contentio de Pallio impetrando, quæ hoc ipso anno 1076. rursum Antistitem Ragusinum angere ac sollicitum habere cœpit, cum ea referri non possit ad Vitalem, qui jam Pallium obtinuerat, ejusque usu abutebatur, quemadmodum supra dictum fuit. Sub hoc igitur controversia illa referbuit, quam de jure metropolitico Ragusiensis Ecclesiæ abhinc plurimis annis inter duos Archiepiscopos Spalatensem & Ragusinum exortam fuisse diximus. Metropoli Spalatensi tum præsidebat Laurentius, qui nihilo segnius, quam veteres ejus decessores, pugnavit pro revocanda ad suam potestatem Metropoliticam Ecclesia Ragusiensi. Ex quo enim Antistites Ragusini inde usque ab urbe condita conari cœperunt se subducere imperio, ac ditioni Metropolis Spalatensis, eorum conatibus repugnabant, & adversabantur Archiepiscopi Spalatenses, qui sui muneris atque officii esse existimabant, omni ope operaque eniti, ut jus metropoliticum, quod a majoribus acceperant, sartum tectum ab omni detrimento servarent; nec vero salva fide & conscientia, ut ipsi putabant, pati poterant illud ulla ex parte diminui, & finibus arctioribus circumscribi. Nec tamen efficere potuerunt, quominus plerique Antistitum Ragusiensium & Pallium obtinerent, & jus nomenque metropoliticum usurparent, ipsis Archiepiscopis Spalatensibus vel invitis, vel insciis, vel aliquando conniventibus. Laurentius igitur majorum auctoritate & exemplo omni ope operaque sibi enitendum censuit, ne Sedes Apostolica Pallium Petro novo Ragusiensium Antistiti concederet, quando sub initium sui Archiepiscopatus obsistere nequiverat, quominus Vitalis proximus ante Petrum eo potiretur. Sed Petrus quidquid Laurentius facere & moliri vellet, præoccupandum ratus Pontificio Diplomate se communivit. Extat epistola Gregorii VII. ad Petrum Archiepiscopum Ragusinum data XII. Kal. Junias anno IV. Pontificatus, id est anno 1076. Ei Pontifex cum titulo archiepiscopali Pallium concessit, & easdem fere omnes Ecclesias attribuit, quas anno 1023. Benedictus VIII. Vitali Ragusino, & Alexander II. Petro Antibarensi Archiepiscopo subjecit. Eadem vero de usu, & significatione Pallii præscribit, quæ antea Alexander II. Antibarensi præscripserat. Pontificiæ epistolæ hoc initium.

Gregorius Episcopus Servus servorum Dei, Dilecto in Christo Filio Petro Sanctæ .... Sedis ex Civitate Labusidi in Regno Zachulmi, & Sorbuli, & Tribuniæ, vel Civitatis Careræ, & Antivari, seu Ulcinii, & Drivasti, Polati, atque Scodri, cum Ecclesiis, & Parochiis earum. Si Pastores &c.

Scriptum per manum Joannis Scripturarii nostri Palatii. Benevalete.

Datum XII. Cal. Junii per manum Petri Diaconi Bibliothecarii, & Cancellarii S. Apostolicæ Sedis Anno Domini Gregorii VII. Papæ IV. Indictione quartadecima.

Hujus Privilegii explanatio acta est ab Archiepiscopo Bernardo studio, & procuratione Notarii Diaconi Marini Camassii domi filii Ragusinæ Matris Ecclesiæ Canonici percurrente Anno Domini MCLXXXXVII. Mens. Sept. die septimo.

Hanc vero epistolam Laurentius, se inscio, Pontifici rerum ignaro per dolum & fraudem subreptam esse conquestus est; & Gregorium de antiquo Metropolis Spalatensis in Ecclesiam Ragusinam jure docendum curavit. Itaque res in controversiam est adducta: & sapientissimus Pontifex, ut sua illum æquitas admonebat, Ragusinum Antistitem a Pallio, tituloque Archiepiscopali tamdiu abstinere jussit, quoad ipse causam illam rite cognosceret, ac sententiam ferret. His temporibus Michael apud Serblos, sive Slavos regnabat, qui patrocinium Antistitis Ragusini, & causam suscepit. Erat is filius Dobroslavi, quem Michagliam Dalmatæ, Micheleam Scylitzes vocat. Post mortem parentis anno circiter 1050. regnum Serblianum jure hæreditario adeptus perpetuam cum Ragusinis amicitiam coluit. Hic ergo ut amicis suis gratificaretur, Gregorium VII. per suos Internuncios rogavit, ut Pallium ad Ragusinum Antistitem mitteret, sive jam missum & concessum confirmaret. Insuper alterum postulatum adjecit, quod ad Regem ipsum pertinebat, & permagni ejus intererat, ut impetraret. Duo igitur Michael a Gregorio petebat, sibi quidem vexillum, Pallium autem Episcopo Ragusiensi. Insignia regni, videlicet vexillum, ensis, sceptrum, corona, ad Suinimirum Regem Chrobatiæ & Dalmatiæ ab eodem Gregorio per duos Legatos Apostolicos Gebizonem Abbatem SS. Alexii & Bonifacii, & Fulcoinum Episcopum Fori Sempronii ante biennium deferri jussa, Michaeli itidem & vexilli & ceterorum insignium ab Gregorio impetrandi cupiditatem injecerant, eumque honorem sibi a Pontifice Maximo haberi magnopere optabat. Utrumque postulatum Gregorius perbenigne accepit, sed quamvis Regi præstantissimo gratificari admodum cupiebat, tamen ne temere concederet, quod postea negatum vellet, antea investigandum, & quærendum censuit, num expediret, atque adeo æquum esset Michaelem a se impetrare, quod postulabat. Suspicio erat, eum Græci schismatis contagione infectum esse, ac proinde indignum, qui a Pontifice Romano insignibus regiis donaretur. Sed longe difficilior erat deliberatio, utrum concedi oporteret Pallium Antistiti Ragusino propter litem, quæ, ut ipse Gregorius ait, inter *Spalatanum* Archiepiscopum, & *Ragusanum* erat, quippe cum ob contradictionem Metropolitæ Spalatensis jus metropoliticum Ragusini dubium esse videretur & contentiosum; nec vero hujusmodi

Michael Rex Serblorum duo petit a Gregorio VII. P.

Digitized by Google

di controversia ante cognitam utriusque causſam dirimi poterat, quia periculum esset, ne alterutri injuria fieret. Legatum igitur in Dalmatiam mittendum putavit, qui Regis animum exploraret, videretque, num ejus fides cum Catholica veritate congrueret, & num ille Primatum Ecclesiæ Romanæ agnosceret, ac revereretur; deinde inspiceret, atque expenderet monumenta, siqua Ragusienses haberent, quorum fide & auctoritate jus metropoliticum illius Ecclesiæ niteretur. Post diligentem inquisitionem adhibitam quæ certo comperisset, ad se referri Pontifex jussit. Pontificius Legatus nomine Petrus ille idem fuit, qui in tabulis Spalatensibus nominatur *Petrus Presbyter Cardinalis & Romanæ Ecclesiæ Legatus;* siquidem ex mandato Gregorii partes Chrobatiæ & Dalmatiæ inferioris peragravit, ut Ecclesias illas inviseret, & videret, quo in statu esset res Christiana, & disciplina ecclesiastica; num quo præsidio aut remedio alterutra indigeret. Id intelligi potest tum ex tabulis testamentariis Stephani olim Ducis Chrobatorum, tum ex tabulis cujusdam donationis, quæ facta fuit Cœnobio S. Stephani de Pinnis Spalati confectis; utrisque condendis interfuit, & inscriptus legitur Petrus Presbyter Cardinalis, Romanæ Ecclesiæ Legatus: habes utrasque in Tomo III. & Actis Laurentii Archiepiscopi pag. 151.

Antequam Petrus ea legatione perfunctus Romam rediret, epistolas binas Gregorius accepit, alteram ab ipso Petro, alteram a Michaele, utramque de illis rebus, de quibus certior fieri volebat, ut deliberaret, an petitioni ac voluntati Michaelis obsequendum esset. Sed cum istæ litteræ inter se discreparent, utraque, quod dubium erat & controversum, reliquit incertum, & Gregorium a decernendo, quod sibi non liquebat, sententiaque ferenda cohibuit. Itaque iterum scripsit ad Michaelem, jussitque Petrum Antibarensem, itemque Petrum Episcopum Ragusinum ad se mittere; ab altero siquidem doceri volebat de fide orthodoxa ipsius Michaelis, cujus sensus perspecti esse debebant Antibarensi, cum hujus Ecclesiæ ad Regnum Serbliæ pertinerent, eique Regi subessent; ex altero autem cognoscere oportebat, quid auctoritatis & argumenti afferret, cur jus metropoliticum Ecclesiæ Ragusinæ, & Pallium ejus Episcopo attribui deberet: nam ad causſam Ecclesiæ Spalatensis quod attinet, neque hujus dignitas metropolitica in dubium revocari poterat, & satis constabat ei subjectam fuisse antiquitus Ecclesiam Ragusiensem, de cujus possessione sine contrariis & evidentissimis rationibus depelli jura omnia vetabant. Et fortasse jam Romæ aderant internuncii & procuratores ab Laurentio Archiepiscopo missi, qui causſam Metropolis Spalatensis defenderent; nisi forte ipsimet Archiepiscopo Antibarensi ex mandato Pontificis Romam ituro Laurentius id negotii dederat, ut contra Ragusinum jus Metropolis Spalatensis tueretur. Si vero neutri Episcopo neque Antibarensi, neque Ragusino commodum esset Romam proficisci, jubet Pontifex nuntios idoneos, seu procuratores mitti, per quos de iis doceretur, quæ cognitu necessaria erant, ut tum ea, quæ Rex postulabat, concederet, tum de quo Ragusinus & Spalatensis Antistites inter se disceptabant, salva justitia & æquitate, sententiam ferret. Epistola Gregorii ad Michaelem hæc est, data sub initium anni 1078.

Gregorius Episcopus Servus servorum Dei Michaeli Sclavorum Regi salutem & apostolicam benedictionem. Cognoscat debita tua devotionis circa Sedem Apostolicam reverentia, Petrum apud vos dilectum nostrum legatum adhuc ad nostram non advenisse præsentiam, suas tamen misisse litteras, quæ ita vestris dissonantes existunt, quod vestram causam seu Ragusanæ Ecclesiæ penitus finire nequivimus. Quapropter Petrum Antibarensem Episcopum, atque Ragusanum, sive alios idoneos nuncios ad nos mittere oportet, per quos de lite, quæ inter Spalatanum Archiepiscopum & Ragusanum, justitia possit inquiri, ac canonice definiri, tuique Regni honor a nobis recognosci. Tum vero re cognita, tuæ petitioni juste satisfacere, secundum quod cupimus, valebimus; ac in dono vexilli, & concessione Pallii, quasi charissimum B. Petri filium, dictante rectitudine, audiemus. Datum Romæ V. Idus Januarii, Indictione prima.

Jubet igitur Gregorius duos illos Episcopos Antibarinum & Ragusiensem, non unum, ut censet Sebastianus Dolci, ab Antibarensi ad Sedem Ragusinam evocatum, Romam venire, nisi suos internuncios & procuratores mittere maluissent, ut ex illis cognoscere posset, Ragusino esset ne, an non esset jus petendi & obtinendi Pallium, simulque ex illis quæreret, utrum æqua videretur atque honesta postulatio Michaelis, qui a Romano Pontifice donum vexilli expetebat. Id vero causſæ fuit, cur Antibarensem cum Ragusino Romam adire jusserat. Cum anno circiter tricesimo quarto hujus sæculi ex auctoritate Sedis Apostolicæ condita esset Metropolis Antibarensis, atque substituta in locum Diocletanæ, superiori sæculo a Bulgaris eversæ, ut sæpius dictum est; mirum quam molestæ id ferebant Ragusini Antistites, qui jus ac titulum metropoliticum Ecclesiæ Diocletanæ simul cum Ecclesiis ei subjectis ad se devolutum esse, sibique deberi existimabant; propterea quod Joannes postremus Diocleensis Archiepiscopus, cum post Diocleam a Bulgaris excisam, Ragusium perfugisset, defuncto hujus urbis Episcopo suffectus esset, Sedem Archiepiscopalem Diocletanam Ragusium transtulisse videbatur; quamvis postea Alexander II. in suis ad Petrum litteris, illum utroque titulo *Antibarensis & Dioclensis* Archiepiscopi impertierit, eique plures Ecclesias Diocletanæ provinciæ attribuerit. Itaque Ragusino duplex erat controversia, altera cum Spalatensi Metropolita, cujus jurisdictioni se exemptum esse volebat, altera cum Antibarensi, cui titulum ac dignitatem Ecclesiæ Diocletanæ eripere, ad seque transferre conabatur; fortassis etiam de aliquibus suffraganeis Ecclesiis cum Antibarensi contendebat; cum illas uterque suas esse diceret, ac sibi vindicaret. Hanc etiam ob causſam Gregorius jussit Antibarensem Romam venire, ut is contra Ragusinum, non solum Archiepiscopi Spalatensis, sed suam quoque causſam ageret, ac jura Metropolis utriusque tueretur. Cur autem Gregorius in suis ad Michaelem litteris, illius controversiæ, quæ Ragusino erat cum Antibarensi nullam mentionem fecerit, hanc causſam fuisse arbitror, quod Michael Rex Serblorum patrocinium Ragusini Episcopi ita susceperat, ut nollet huic favere & patrocinari contra Antibarensem, cujus fere tota Provincia e Serblianis Ecclesiis constabat.

Petrus Ragusinus Archiepiscop. & Petrus Antibarensis Archiepiscopus uterque titulum Archiepiscopalem Metropolis Diocletanæ exciſæ sibi vindicant.

Ad

Quid Gregorius decreverit, incompertum eſt.

Ad litteras Gregorii quid reſcripſerit Michael, an duo illi Epiſcopi, quemadmodum juſſi fuerant, Romam ierint vel ſuos procuratores delegaverint, an denique Gregorius lites illas diremerit, & Pallium Raguſino Antiſtiti tradiderit, vel jam traditum confirmaverit, vexillum vero ad Regem Serblorum miſerit, inter cætera vetuſtate incomperta, hoc quoque in incerto poſitum eſt; nulla enim illorum temporum monumenta ſuppetunt, e quibus id cognoſci poſſit. Sed quem exitum hæc diuturna inter Antiſtites Spalatenſem & Raguſinum contentio habuerit, res ipſa, eventuſque declarant. Cum ad hæc uſque tempora Raguſini Præſules titulum geſſerint, juſque metropoliticum uſurparint, repugnantibus licet, vel invitis Archiepiſcopis Spalatenſibus; hi demum illis adverſari ac repugnare deſierunt. Nullam enim poſthac moleſtiam illis exhibitam, nullam litem eiſdem intentam reperio. Ita Raguſinus Antiſtes, quam inde uſque a decimo vel octavo ſæculo adeptus eſt juriſdictionem archiepiſcopalem, Pontificiis etiam decretis confirmatam, ſublata omni contradictione, quietam demum, pacatamque in perpetuum retinuit. Nec vero Antibarenſis titulum deſumptum e Metropoli Diocletana umquam dimiſit; idemque Dioclenſis ſimul & Antibarenſis Archiepiſcopus appellari ſolet; quamvis inter hunc & Raguſinum de ſuffraganeis Eccleſiis ac de ipſo titulo metropolitico non defuerint controverſiæ. Cæterum ſi non Gregorius VII., certe Paſchalis II., quartus ab Gregorio Pontifex, decrevit ſecundum Raguſinam Eccleſiam; & ſecluſa omni judiciali ſententia, ipſo facto dignitatem metropoliticam ejuſdem Eccleſiæ approbavit; quippe vel exeunte ſeculo undecimo, vel proximo ineunte Petro Pallium miſit, ut Calliſtus II. in ſuis ad Geraldum Archiepiſcopum Raguſinum litteris affirmat.

Bodinus Rex Serbliæ Raguſium obſidet.

Poſt obitum Michaelis Regis Serblorum, anno circiter 1080. extincti, Radoslavus frater Michaelis apud Serblos principatum obtinuit, cui Bodinus Michaelis filius, patruo per ſeditionem in eum conflatam expulſo, regnum eripuit, & filiis Radoslavi ut Zentam regionem adimeret, bellum intulit. Verum auctoritate interpoſita Petri Archiepiſcopi, quem alii Raguſinum, alii Antibarenſem vocant, depoſitis armis, patrueles ſuos in gratiam & amicitiam recepit, & illis quæ abſtulerat reſtituit. Jacquintam Archivizi, ſeu potius Argyri Dynaſtæ Barienſis filiam in matrimonium duxerat, fœminam imperioſam, ſuperbam, crudelem, qua inſtigante, Brandislavum cum ejus filio Predicna, & Grandislavum Radoslavi filios, qui Scodram officii & honoris cauſſa Regem ſalutatum venerant, immemor pacis, quam cum illis paullo ante fecerat & jurejurando confirmaverat, per ſummam perfidiam, nihil tale metuentes in carcerem conjecit; de quorum captivitate cum triſtes nuncii ad fratres illorum veniſſent, hi perterriti, ſuiſque præſidiis diffiſi, Raguſium confugerunt. Eos ut ſibi traderent, Bodino petenti Raguſienſes præciſe negarunt; quod nefas eſſe ducerent hoſtibus prodere, quos in ſuam fidem ac tutelam receperant. Quo reſponſo irritatus, exercitu collecto urbem obſedit, quæ nihilo vehementius oppugnata fuit, quam defenſa; iiſdem Radoslavi filiis, & captivorum fratribus, pro ſua & eorum, a quibus recepti fuerant, ſalute ac libertate fortiter dimicantibus. Forte evenit, ut Raguſienſes nocturna eruptione facta Coſſarum ſomno ſopitum interfecerint. Hic cum eſſet vel frater Jacquintæ, vel, ut alii volunt, admodum familiaris atque intimus, cujus amore illam deperiiſſe ajunt, fœmina doloris iræque impatiens ob ejus necem, non antea inſtare atque urgere deſtitit, quam Bodinum conjugem vel invitum impulerit, ut duos illos fratres, quos vinctos tenebat, in ipſo conſpectu fratrum, totiuſque civitatis e mœnibus inſpectantis, jugulari juſſerit. Quocirca fratres Brandislavi & Grandislavi, veriti ne, urbe capta, in Bodini poteſtatem venirent, cum ſuis filiis & familiis, clam hoſtes elapſi, & fida Raguſienſium cuſtodia ſepti Conſtantinopolim abierunt. Alii civitatem a Bodino captam ajunt, alii vero negant; & cum eam vel expugnari, vel ad deditionem perpelli poſſe diffideret, ſuis copiis & machinis bellicis deductis, obſidionem ſolvit; ut vero Raguſienſes in metu & officio contineret, duobus ab urbe jugeribus turrim conſtruxit, ſuiſque præſidiis communivit. Hanc turrim poſtea Raguſini, cum emiſſent pretio non exiguo, funditus diruerunt; ex ejus ruderibus & ſaxis Templum Divo Nicolao ædificarunt; & per idem tempus, ſilva quadam exciſa, quæ ab Septemtrione proxima erat, urbem ab ea parte amplificarunt, & ſoli quod arbores occupabant, mœnibus circumdederunt, atque ædificiis frequentarunt.

Bodinus Monachis Lacromenſibus villam S. Martini in Zoncheto donavit.

Pace cum Raguſienſibus redintegrata, Bodinus præclarum ſuæ religionis erga Beatum Benedictum, ſuæ liberalitatis erga Monachos Lacromenſes monumentum poſteris relinquere decrevit. Apud S. Martinum de Zoncheto, qui locus erat poſſeſſionis regiæ, quoddam, ut ipſe vocat, Teſtamentum fecit, quod irrevocabile ſuæ voluntatis teſtimonium eſſe voluit; eum ſcilicet locum S. Martini cum omnibus agris, vineis, pratis eidem annexis, Cœnobio Benedictino Lacromenſi poſſidendum in perpetuum, & fruendum tradidit; hancque donationem publicis litteris rite conſignari juſſit ab A. Cœnobiarcha Monaſterii SS. Sergii & Bacchi in Diœceſi Scodrenſi, coram Petro Archiepiſcopo Raguſino, & pluribus aliis primoribus viris.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti; anno ab ejus Incarnatione milleſimo centeſimo, Indictione octava. Teſtamentum hoc firmum ſtabileque factum a me Dei gratia Bodino Rege, ex loco, qui vocatur Sanctum Martinum de Zoncheto; ſcilicet notum ſit omnibus nos dediſſe illum, & cum omni poſſeſſione, tam de terris, quam de vineis, quæ pertinent ad eumdem locum in Monaſterio S. Benedicti; ita quidem, ut licitum habeant Monachi perfruere illum, & poſſidere perpetualiter, abſque contrarietate omnium noſtrorum præſentium, & futurorum. Et ſi quis contumax hæc noſtra ſtatuta depravare nituerit, & aliquam moleſtiam inferre Monachis temptaverit, iram omnipotentis Dei, & maledictionem omnium Sanctorum incurrat.

Ego A. Abbas ex Cœnobio SS. Martyrum Sergii & Bacchi, per juſſionem Domini Regis ſcripſi in præſentia Domini P. Archiepiſcopi, & aliorum nobilium.

Villam S. Martini Lacromenſi Cœnobio ereptam Boleslavus judex reſtituit.

Sed Monachis Lacromenſibus, poſt obitum Bodini Regis, quietis ejus loci ac diuturnis poſſeſſoribus eſſe non licuit. Bodinus vitam ac regnum amiſit anno circiter 1102. Hic poſſeſſionem, ſive hæreditatem S. Martini, antequam

quam Monachis traderet, cuidam, cui nomen erat Labizoni, occulto impiorum dogmatum ſectatori, villam eamdem annua penſione impoſita locaverat, cui poſtea ereptam Monachis donavit. Labizo poſt mortem Bodini, fundos illos & agros, quaſi non locationis nomine ſibi ad tempus traditos, ſed proprii verique dominii jure acquiſitos tenuiſſet, per vim atque fallaciam Monachis ademit, & morti cum proximus eſſet, horum bonorum hæredem Boleslavum reliquit, quem ſibi filium adoptaverat. Sed vix Boleslavus poſſeſſionem adierat, cum quidam ſcelerati homines, eadem, qua Labizo, opinionum hæreticarum inſania laborantes, ædem & villam S. Martini, ſuam eſſe, ab ſe conditam, & olim poſſeſſam impudentiſſime mentientes, Boleslavo depulſo, invaſerunt. Haud multis poſt annis Boleslavus, cum Judex cauſſis cognoſcendis dirimendiſque conſtitutus eſſet, iniquos poſſeſſores, lata in eos ſententia, ejecit; ne vero videretur aut illatam ſibi injuriam ulciſci, aut ſui, ſuæque utilitatis cauſſa, pro ſe contra illos judicaſſe, ſi quid juris ex teſtamento, ſive donatione ſui patris legalis acquiſierat, ultro dimiſit, Eccleſiam & villam cum omnibus vineis, prædiis, ſervis, ancillis, gregibus & armentis, Cœnobio Lacromenſi tradidit, ſeu potius reſtituit; ignorans eam fuiſſe juris regii, & per errorem exiſtimans ad Majores hæreticos Labizonis pertinuiſſe, ab hiſque ad ſe per legitimam hæreditatem perveniſſe, quæ omnia ex monumentis paullo poſt deſcribendis plenius intelligi poterunt. Hæc autem eſt Sententia Boleslavi promulgata menſe Julio, & Indictione V., quæ cum anno 1112. congruit.

In Nomine Domini Dei æterni, Menſe Julio, Indictione quinta. Ego Boleslaus Judex Eccleſiam S. Martini, quæ in Sumeto (Zuncheto) eſſe videtur, olim ab hæreticis fundatam atque poſſeſſam, Dei auxilio fretus, cum ea noſtrorum anteceſſorum eſſet hæreditas, neceſſarium duxi recipere eam ab eis, & tradere Catholicis, & orthodoxis viris; quatenus non ſolum mihi, verum etiam omnibus noſtris propinquis Deus propitius eſſet. Unde continuo vocatis ad me Monachis S. Benedictini Cœnobii, prædictam Eccleſiam S. Martini, cum omnibus, quæ ei pertinere videbantur, ſponte condonavi; terras videlicet atque vineas, domos & prædia, mobilia, & immobilia conceſſi. Inſuper & ducentas oves, & novem ſervos, tria juga bovum, & viginti quatuor vaccas. Itaque teſtamentum firmiſſimum eis facio; & nullus ſit, qui contradicere audeat, vel aliquid tollere præſumat; ſed magis ampliato munere pro noſtris animabus, & ſua ſalute fideliter tribuat. Sin aliter egerit, & jam dictam Eccleſiam a Monaſterio S. Benedicti ſeparare temptaverit, iratum habeat Trinum & unum Deum, & a Sanctis Angelis, Prophetis, & Apoſtolis, & trecentis & octo Sanctis Patribus perpetuam in ſe maledictionem recipiat, in noviſſimo Dei judicio cum Diabolo, ſuiſque Miniſtris æterna pœna, & inextinguibili flamma crucietur.

Et ego A. Abbas pro juſſione Domini Regis (Michaelis filii Bodini) *ſcripſi.*

De Villa & Eccleſia S. Martini Marcus de Pari, litem Monachis intendit.

Vix unus aut alter annus ab hac ſententia interceſſerat, cum ecce tibi Marcus de Pari de Villa & Eccleſia eadem Monachis Lacromenſibus litem intendit; utramque ſuam eſſe, ſibique tamquam legitimo hæredi a Majoribus traditam, eamque repetenti per Boleslavum Judicem injuſte ereptam, & Monachis Lacromenſibus donatam audaciſſimo mendacio aſſerebat. Tunc juri dicundo præerat Gerdo, ad quem controverſia delata eſt. Hic Lacromam profectus, locupletes & idoneos ejus loci teſtes ad ſuum tribunal citari juſſit, ut ex illorum teſtificationibus rei veritatem eliceret. Poſt diligentem inquiſitionem adhibitam ſecundum Monachos judicavit, & Eccleſiam & Villam S. Martini ad jus regium pertinuiſſe declaravit, anno primo Georgii Regis Serblorum. Is filius erat Bodini, qui poſt tres breviſſimos Reges interjectos Michaelem II. fratrem Georgii, Rodoslavum II., & Vladimirum itidem II., expulſos vel necatos, anno demum 1114., paternum regnum adeptus eſt. Exemplar hujus ſententiæ, multis mendis ac vitiis propter inſcitiam latini ſermonis inquinatum, eſt hujuſmodi.

Sententia Gerdonis Judicis.

Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo, centeſimo, decimo quarto, Indict. 7., Menſe Novembri, Regis Georgii filii Regis Bodini, primo anno, regnante prædicto Rege. Surrexit Marco de Pari, qui dicebat, quod Eccleſia S. Martini cum omni hæreditate ſua, quam Boleslavo Judex dedit ad Monaſterium S. Benedicti, qui vocatur Locromono, eſt propria noſtra, & donavit eam injuſte, vim nobis faciendo. Ait eis Judex Gerdo, Verum non dicitis, quoniam ab initio regale fuit ipſa & Eccleſia, & ſint adhuc homines ſenes, qui ſciunt bene iſtam rem, videlicet Lampredi Monaci cognomento, Pelmonebo, & Bella uxor Proculi de Cazariza, filia Tidiaslavæ, quæ fuit ſoror Domini Regis Dobroslavo. Placuit autem ex utraque parte credere iſtorum teſtium, & ivimus ad Locromono interrogare. Ego Gerdo cum meis conſanguineis, & Nobiles Raguſii, & de Tribune; in primis Mariza, vel Marcus filii Regis Bodini, & Judex Grubeſsa filio Branislavæ, & Drago Priori filio Slabæ, & Luccharo Priore filio Nicolitæ .... Goislavo filio Croſii, Zanello Caſnezio Savatino, Zabrathocho Zupano de Comene, Thechmiro Surcito de Canale, Greogira Zupano de Tribigna, & David Carniz de eadem Zupania. Ante iſtorum præſentiam interrogavimus prædictos teſtes; & dixerunt, quia nos audivimus pro certo, quoniam ipſa Eccleſia cum ſua hæreditate, ſemper Regalia fuit; & Lubezo hæreticus per juſſionem Regibus eam tenebat, & in vita ſua tradidit omnia in manu Judicis Bolislavi, & fecit eum ſibi filium; ab illo quarto die omnia cauſſa ipſius in poteſtate prædicti Judicis fuit, & tunc ille dedit ipſam hæreditatem ad Sanctum Benedictum. Quapropter Ego Judex Gerdo, & cum meis ſupraſcriptis conſanguineis ſimiliter eam affirmavimus per remedium noſtrorum conſanguineorum defunctorum, & noſtro. Hoc factum eſt & definitum ante præſentiam de ſupraſcriptis teſtibus.

Et ego A. Abbas ſcripſi per juſſionem Domini Regis ſupra dicti.

Georgius Rex Serbliæ poſſeſſionē S. Martini Lacromenſibus Monachis traditam, diplomate communivit.

Ne quis vero in poſterum de Villa S. Martini Monachis Lacromenſibus litem intendere, aut moleſtiam exhibere auderet, Georgius Rex donationem parentis ſui Bodini, Regii diplomatis præſidio communivit. Hic anno 1115. Raguſina trireme devectus Raguſium venit; & regio apparatu acceptus, lauteque & magnifice tractatus cum fuiſſet, poſtquam omnia avidis oculis, intentoque animo luſtraſſet, & pulchritu-

Digitized by Google

tudine urbis, Senatus amplitudine & majestate, legum & magistratuum descriptione, totiusque Reipublicæ administratione plena æquitatis ac prudentiæ mirifice delectatus esset, donationem Villæ S. Martini, quod Cœnobio Lacromensi Bodinus fecerat, cum matre Jaquinta, quæ Ragusium cum Rege venerat, sua quoque auctoritate confirmavit; inde vero ad Melitam insulam trajecit, ut effigiem Deiparæ Virginis antiqua religione admodum celebrem, & miraculorum fama inclytam, caste pieque viseret, in ejusque tutelam se ac regnum suum committeret. Hæc Jacobus Luccarus in An. Rag. lib. 1. Hoc autem est ejus regale Diploma, cujus extat exemplar in Lacromensi tabulario.

Georgius gratia Dei Rex, una cum matre mea Domina Regina, & Girde consobrino meo; de quadam Ecclesia S. Martini, quam olim datam habuerunt Patres nostri & Domini, cum omni sua pertinentia ad Monasterium S. Benedicti cognominatum Lacromono, modo nos affirmamus eam similiter, ut secure possideant prædictam hæreditatem, quam supra scripti nostri priores dederunt; ut nullus de nostris parentibus præsumat contrariari; nam si quis temptare probaverit, veniat supra illum ira Dei, & ex omnibus electis ejus.

Et Ego A. Abbas ex Cœnobio SS. Martyrum Sergii & Bacchi per jussionem Domini Regis scripsi; in præsentia Domini P. Archiepiscopi, & aliorum Nobilium Ragusii mense Augusto, Indict. octava; quæ congruit cum anno Æræ vulgaris 1115., qui quidem annus videtur fuisse postremus Petri Archiepiscopi; cum nulla deinde reperiantur monumenta, in quibus inscriptum sit ejus nomen, littera *P* expressum.

DOMINICUS ARCHIEP. RAG. IX.

Dominicus Archiep. Rag. vel ejus decessor a Paschali II. pallio donatus.

Venetiis oriundus; cujus initia pontificalia Jacobus Luccarus, & Joannes Gundula, & alii fere omnes conferunt in annum secundum sæculi duodecimi; sed Pontificatus Petri ex antiquis Tabulis productus usque ad annum 1115., eadem hac anno, vel proximo adscribere cogit. Paschalis II., qui Sedem Romanam ab anno 1099. usque ad annum 1118. tenuit, nisi Petrum, ut supra diximus, certe Dominicum Archiepiscopali Pallio donavit; cum enim utrique æqualis fuerit, id honoris atque ornamenti alteutri tribuere potuit. Hoc quippe metropoliticæ dignitatis insigne Antistiti Ragusino a Paschali Pontifice collatum fuisse docet Callistus II. in suis litteris ad Geraldum Archiepiscopum. Epistolam Paschalis, si forte extat in Tabulario publico Ragusinæ Reipublicæ, videre non licuit, e cujus notis chronologicis dignosci posset Petrone, an Dominico Pallium miserit. Quid rerum litteris, ac memoria dignum Dominicus gesserit, mihi non est compertum. Sex annos huic Ecclesiæ præfuit.

GERALDUS ARCHIEP. RAG. X.

Geraldus Archiep. an. 1121. a Callisto II. consecratione & Pallio Pontificali impertitus.

Quem natione Langobardum fuisse ajunt. Hujus Ecclesiæ regimen suscepit anno 1121. quem eodem anno, & episcopali consecratione, & Pallio Pontificali Callistus II. impertiit, ut ipse Pontifex testatur in suis ad eum litteris, quibus declarat se auctoritate, & exemplo decessorum suorum *Zachariæ, Benedicti, Paschalis*, iisdem, quibus illi, privilegiis *Ecclesiam Sanctam Ragusæorum* communire atque ornare. Ecclesias percenset subjectas Metropoli Ragusinæ, de quibus in notis huic Epistolæ suppositis.

Diploma Callisti II.

Callixtus Episcopus Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Geraldo Ragusiæ Civitatis Antistiti, nostris per Dei gratiam manibus consecrato, ejusque successoribus Canonice substituendis in perpetuum.

De Domini sapientia scriptum est, quod pertingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit suaviter. Hujus dispositione B. Petro, ejusque Romanæ Ecclesiæ concessus est totius Ecclesiæ principatus, ut per hujus constantiam infirmitas fratrum confirmetur; & per ejusdem tutelam, & protectionem diffusæ per orbem Ecclesiæ muniantur. Ea propter Frater in Christo charissime Geralde, quem nostris, tamquam B. Petri, manibus in Ragusiæ Civitatis Archiepiscopum per Dei gratiam consecravimus; Nos, qui licet indigni B. Petri locum obtinere conspicimur, petitioni tuæ clementer annuimus; & ad exemplar prædecessorum nostrorum san. memoriæ Zachariæ, Benedicti & Paschalis, sanctam Ragusæorum Ecclesiam præsentis privilegii pagina communimus. Statuimus enim ut Parochiæ omnes, quas Ecclesia eadem præteritis temporibus possedisse dignoscitur, tibi tuisque successoribus junctæ in futurum, & integræ conserventur, videlicet Zachulmiæ (1) regnum, & regnum (2) 1 2
Servuliæ, Tribuniæque (3) regnum, civitas 3
quoque (4) Catharinensis, seu (5) Rosæ, (6) 4 5 6
Butuanensis, (7) Avvarorum, (8) Ulcinaten- 7 8
sis, (9) Schodrinensis, (10) Drivastensis, (11) 9 10 11
Polatensis, cum Abbatiis, Ecclesiis, & Parochiis earum. Pallii vero usum ex Apostolicæ Sedis liberalitate tibi concedimus intra Ecclesiam tantum, illis diebus, qui perantiquis Ecclesiæ nostræ privilegiis distinguuntur; consecrationem tamen successorum tuorum nobis, nostrisque successoribus reservantes in perpetuum. Porro decimæ, possessiones, prædia, seu cætera bona, quæ in præsenti ad eandem Ecclesiam pertinent, in ecclesiis, in villis, in colonis, seu colonabus, in agris vel aquis vel aliis rebus diœcesanæ, seu proprietariæ dispositionis; & omnia, quæ in futurum liberalitate Principum, vel oblatione fidelium juste poteris adipisci, firma vobis semper, & illibata permaneant. Decernimus ergo ut nulli hominum liceat eandem Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integre conserventur, tam tuis, quam Clericorum & pauperum usibus profutura. Tua igitur interest, Frater charissime, in prosperis te humilem exhibere, & in adversis, si quando evenerint, cum justitia erectum, amicum bonis, perversis contrarium; nullius unquam faciem contra veritatem suscipias; nullius unquam faciem pro veritate loquentem premas. Misericordiæ operibus juxta virtutem substantiæ insistas; & tamen insistere etiam suora virtutem cupias; infirmis compatiens, benevalentibus congaudens, aliena damna propria deputans, de alienis gaudiis tanquam de propriis exultans, in corrigendis vitiis pie fervens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens, in ira judicium sine ira tenens, in tranquillitate autem severitatem justæ censuræ non deserens. Hæc est enim accepti ministerii dignitas, quam si sollicite servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis.

San-

Digitized by Google

Sancta Trinitas Fraternitatem tuam dexteræ ſuæ protectione cuſtodiat, ut miniſterium tuum fideliter impleas, & cum populo tibi commiſſo, duce Domino, ad finem qui non finitur, perveniat.

Loco † ſigilli.

Ego Callixtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Dat. Beneventi per manum Chryſogoni S. Rom. Eccleſiæ Diaconi Cardinalis, ac Bibliothecarii 4. Kal. Octobris. Indict. XIV. Incarnationis Dominicæ MCXXI. Pontificatus autem D. Callixti Secundi Papæ anno ſecundo.

Notæ.

1 Tria regna, ſeu potius principatus commemorat, in quorum Eccleſiis Archiepiſcopi Raguſienſes jure Metropolitico dominabantur. Zachulmia una erat e quatuor illis provinciis, quos Serbli obtinebant in Dalmatia ſuperiori. Zachlumorum regionem hiſce deſcribit Porphyrogenitus: *A Rauſio Zachlumorum principatus initium ducit, & protenditur ad Orontium flumen uſque*. Ad Zachulmiam pertinebat peninſula Stagni, in qua civitas, & ſedes Epiſcopalis Stagnenſis ſub Metropolita Raguſino.

2 Serbulia, particula regni Serblorum, quod Dalmatiam Superiorem, itemque Mœſiam Superiorem complectebatur. Sita erat in Dalmatia Superiori, cujus urbem primariam alii Sorbium, alii Serviam vocant. Erat etiam civitas Servia in Macedonia, de qua Cantacuzenus lib. 4. cap. 19. *Servia urbs non parva ad confinia Bœotiæ, & Theſſaliæ jacet; ædificata eſt ſupra montis ardua prominentia &c.* Carolus vero Dufreſnius ex Conſtantino Porphyrogenito docet hanc urbem a quodam Regulo Serblorum ædificatam, qui ab Heraclio Imperatore agrum in ea regione, condendæque urbi locum ſibi & popularibus ſuis impetraverat. *Cum duobus fratribus obtigiſſet Serviorum Principatus, alter, ſumpta populi parte dimidia, Heraclium Imperatorem adiit, a quo benigne exceptus tractum, quem cum gente ſua incoleret, in Theſſalonicenſi themate, ſeu provincia obtinuit, in qua Serviam urbem condidit.* Sed Sorbium, ſive Serbiam in regno, ſeu principatu *Serbuliæ*, de quo in Calliſti diplomate, a Servia Macedonica, ſeu Theſſalonicenſi aliam longeque disjunctam fuiſſe oportet, & eamdem prorſus urbem Epiſcopalem, quam Alexander II. in ſuis ad Petrum Antibarenſem Archiepiſcopum litteris *Sorbienſem* vocat. Hæc autem ſita erat in Dalmatia Superiori, ſed nulla extant veſtigia, unde ejus poſitio dignoſci poſſit.

3 Tribunia item, ſive Terbunia & Canalis erant duæ regiones exiguæ, ex quibus altera in Dalmatia Superiori Serblorum Zupania, ſive Dynaſtia conſtabat. Ejus gentis & regionis caput, ac primaria civitas erat Tribunia, ſive Terbunia, nunc Trebigne, Raguſio aliquot millia paſſuum in Septemtrionem ad montem diſtans. Hic Sedes Epiſcopalis perantiqua fuit, primum Diocletano, deinde Raguſino Metropolitæ ſubjecta, & nunc eidem paret conjuncta cum Mercanenſi.

4 Eccleſia Catharenſis alias Spalatenſi, alias Diocletanæ, alias Antibarenſi, alias Raguſienſi provinciæ adſcripta fuit; nunc Metropolitæ Barienſi ſubeſt.

5 Prope ab oſtio ſinus Rhizonici, vel Catharenſis, oſtium ſubeuntibus ad dexteram, ſive ad Orientem erat olim oppidum Roſan, quod a Saracenis nono ſæculo captum, & incenſum tradit Cedrenus, imperante Baſilio Macedone, nunc eſt pagus exiguus, cui *a S. Maria de Roſis* nomen eſt. Sed Calliſtus, cum Metropoli Raguſinæ *Civitatem Catharinenſem, ſive Roſæ* attribuit, cenſendus non eſt reſpexiſſe ad hunc pagum tunc prorſus ignobilem, nec ſane dignum Sede Epiſcopali, ſed potius ad Rhizinium, quod antiquis etiam temporibus *Rizinum*, & *Roſonum* appellari ſolebat, ut alibi declaratum eſt. Rhizinium autem erat civitas Epiſcopalis, & ſæpe ſub uno eodemque Epiſcopo cum civitate Catharenſi conjugi ſolebat, qui Catharenſis idem & *Rhizinienſis*, ſeu *Roſenſis*, ſeu *Roſinenſis*, atque hinc etiam *Epiſcopus Roſæ* cognominabatur. Cum vero ſæculo duodecimo utraque civitas & Eccleſia uni ſubeſſet Epiſcopo, iccirco Calliſtus particulam disjunctivam adhibuit; *Civitas Catharinenſis, ſeu Roſæ;* quamquam in duabus quinque Patriarchatuum notitiis, de quibus in Tribunio Archiepiſcopo dicam, Epiſcopatus Roſenſis a Catharenſi diſtinguatur.

6 Budua, quam Buthoam vocat Scylax; idemque oppidum civium Romanorum, Plinio teſte. Ut antiquitus, ſic nunc etiam eſt civitas Epiſcopalis.

7 Huic vocabulo quid gentis vel regionis vel oppidi ſubſit, plane ignoro; niſi forte oppidum aliquod fuerit ab Avaribus populatoribus Dalmatiæ olim conditum, quod adhuc ejus gentis reliquias, & nomen illis temporibus retinebat; vel Budua ipſa ab Avaribus cognomen accepit, quod Avares eam aliquot annos incoluerint, antequam a Serblis tota Dalmatia expellerentur, dictumque eſt oppidum Avarorum, & fortaſſe unus idemque *Buduæ & Avarorum* Epiſcopatus erat; deleta itaque conjunctione *&*, non abſurde dici poterat *Civitas Avarorum*.

8 Colchinium, nunc Dulcignum, oppidum ſane perantiquum, quod a Colchis extructum ferunt, a quibus etiam nomen accepit; poſtremum oppidorum oræ Dalmaticæ, nunc ſtatio piratarum.

9 Scodra civitas erat primaria Illyrici, eademque ſedes Regum Illyriorum, nunc *Scutari* dicitur; ſitaque eſt prope ab oſtio Labeatidis paludis; millia paſſuum circiter viginti ab ora maritima recedit.

10 Drivaſtus civitas neque infrequens, neque ignobilis, milliaribus fere ſeptem ab Scodra in Septemtrionem diſtans.

11 Pulatum, urbs montana exigui nominis & circuitus, ex qua Pulati populi cognominati; ab Drivaſto millia paſſuum fere triginta disjungitur.

Si omnes Eccleſiæ modo nominatæ anno 1121. ad Provinciam Raguſinam ex diplomate Calliſti pertinebant, ex his pleraſque adimas oportet Metropoli Antibarenſi, quas eidem Alexander II. anno 1062. in ſuis litteris *Petro Ven. Archiep. Dioclienſis, atque Antibarenſis Eccleſiæ* inſcriptis attribuerat, videlicet *Catharenſem, Scodrienſem, Drivaſtenſem, Polatenſem, Sorbienſem, Tribunienſem*. Cum duo illi Archiepiſcopi Raguſinus & Antibarenſis inter ſe finitimi eſſent, de provincialibus Eccleſiis multæ & magnæ inter eos contentiones fuerunt, & de quibus erat controverſia, eas uterque ſuas eſſe dicebat, ſibique vindicabat; hinc factum eſt, ut eædem Eccleſiæ modo uni, mo-

Digitized by Google

do alteri adſcriptæ in antiquis monumentis reperiantur. Cum autem Archiepiſcopi utriuſque metropolis recenter electi Pallium ab Romano Pontifice petebant, eidem declarabant, ac nominatim percenſebant Eccleſias, Diplomati Pontificio inſerendas, quas ad ſuam quiſque provinciam pertinere exiſtimabat. Eorum dictis cum fides haberetur, nemine contradicente aut repugnante, juxta illorum petitionem & voluntatem decretum fieri, & litteræ pontificiæ confici ſolebant. Itaque eaſdem fere Eccleſias Alexander anno 1062. Antibarenſi, Calliſtus vero II. an. 1121. & Cæleſtinus II. an. 1143. aliique Pontifices Raguſino Metropolitæ attribuerunt. Extat altera epiſtola ejuſdem Calliſti II. ad omnes Epiſcopos ſuperioris Dalmatiæ eodem die locoque ſcripta. Quas ſuperiori epiſtola Eccleſias Geraldo attribuerat, eas iterum nominatim percenſet, ſubjicitque: tum monet Epiſcopos, ut Metropolitæ ſuo ſe obedientes præbeant, neve illius privilegia & jura diminuant.

Litteræ ejuſdem ad Epiſcopos Dalmatiæ.

Callixtus Epiſcopus Servus ſervorum Dei. Omnibus Epiſcopis Superioris Dalmatiæ, ſeu Dioclææ, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Omnis admonitio ſalutaris, quam Domino credimus aſpirante contingere, in mercedem proficit Monitoris & Moniti. Et ideo nos hoc libenter arripimus, quoniam placere Deo noſtro non ſolum noſtris, ſed & omnium Fratrum, Conſacerdotumque noſtrorum actibus feſtinamus. In noſtram nempe recurrit gratiam, ſi Eccleſiæ ſic regantur, ut nullus querimoniis aditus reſeretur. Sit igitur dilectioni veſtræ, Fratres cariſſimi, dulcis, & jucunda præceptio, quam Sedis Apoſtolicæ auctoritate ſervata, caritatis gratia manere noſcatis. Nec vobis aliquid juris credatis imminui, ſi tam præſentibus, quam futuris rebus videatis, ne illicitis præſumptionibus reſeretur aditus, præcaveri. Exigente hoc a nobis Domino, qui Apoſtolicæ dignitatis Beatiſſimo Apoſtolo Petro Primatum pro fidei ſuæ remuneratione commiſit, univerſalem Eccleſiam in fundamenti ipſius ſoliditate conſtituens, neceſſitatem ſollicitudinis, quam habemus cum bis, qui Nobis Collegii caritate junkti ſunt, ſociamus. Annuentes igitur petitionibus cariſſimi filii, & Fratris noſtri Gerardi, quem noſtris tanquam Beati Petri manibus Raguſiæ Civitati Archiepiſcopum per Dei gratiam conſecravimus, & ad exemplar Prædeceſſorum noſtrorum eandem Eccleſiam privilegii noſtri pagina communivimus, ſtatuentes, ut omnes Parochias, quas præteritis temporibus poſſediſſe cognoſcitur, eidem Archiepiſcopo quiete in futurum, & integre conſerventur. Inſuper ad confirmationem privilegiorum vicem noſtram ei commiſimus in eiſdem tantum Epiſcopatibus, qui in privilegiis ſuis leguntur. Videlicet in Regno Zacolmi, & Regno Serviliæ, Tribuniæque Regno, Civitate quoque Catharinenſi, ſeu Roſæ, Bnduanenſi, Avarorum, Ulcinatenſi, Liciniatenſi, Scodrinenſi, Drivaſtenſi, & Pollatenſi cum Abbatiis, Eccleſiis, & Parochiis earum, cui in his, quæ ad eccleſiaſticam pertinent diſciplinam, ut dilectio veſtra pareat, admonemus. Non enim tam illi obtemperabitis, quam nobis, qui hoc illi pro noſtra ſollicitudine per illam provinciam cognoſcimus commiſiſſe. Ad Synodum quicumque evocatus fuerit, occurrat, nec Congregationi ſe deneget, in qua ad Deum pertinentes cauſas noverit eſſe tractandas. Quidquid cauſarum, ut aſſolet, in ea Conſacerdotes evenerit ejus, cui vicem noſtram commiſimus, examini reſervetur, ut illo ſub timore Dei Præſule omnis ambiguitas finiatur. Nihil in ejus, aut noſtram, contra hæc, quæ conſtituimus, præſumatur injuriam, ejus nobis relatione, ſiquid referendum fuerit, innoteſcat. Ita enim vos ad illius jus pertinere volumus, ut ad vos veſtrarum Eccleſiarum pertinent Sacerdotes. Qui ergo jure ſibi debito uti cupiunt, Apoſtolicæ Sedis auctoritate conceſſa per ſuam contumaciam imminuere non nitantur. Ut vero veſtræ dilectioni Eccleſiæ ordinatio ſuæ permittitur Sacerdotum, ita Fratrem, & Coepiſcopum noſtrum Gerardum de ordinando Antiſtite volumus conſulatis, cui Epiſcoporum conſecrationem ſtatuimus reſervari, ut eo Inquiſitore, atque Cuſtode, cum certus licentiæ modus imponitur, eccleſiaſticæ diſciplinæ in omnibus ordo ſervetur. Benevalete.

Ego Callixtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Data Beneventi per manum Chryſogoni S. Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis, ac Bibliothecarii, IV. Kalend. Octobris. Indictione XIV. Incarnationis Dominicæ Anno MCXXI. Pontificatus autem Callixti II. Papæ anno II.

Per ea tempora Sabinus, incertum an e nobiliſſima familia *de Gundula* (licet ita cognominari affirment in tabulis Cœnobii Lacromenſis), æque pius atque opulentus pro ſua erga D. Benedictum ſingulari religione duos ſcyphos argenteos librarum novem haud minus opere, quam pondere egregios, dono miſit ad Montem Caſinum, & cultui divino conſecravit. Litteras inſuper ad Cœnobiarcham dedit rogans, obteſtanſque, ut e ſuo Cœnobio Manachos aliquot, rei & diſciplinæ monaſticæ peritos deligeret, qui ad partes Dalmatiæ profecti alterum Ordinis Benedictini Monaſterium in ditione Raguſina fundarent, atque ad normam regulamque S. Benedicti inſtituerent; ad cultum divinum, & monachale inſtitutum augendum nuſquam operam eorum collocari fructuoſius poſſe. Abbas clariſſimi viri poſtulatis haud libentius, quam promptius morem geſſit, treſque Monachos tam præclaro, ſanctoque operi deſtinavit, quos ſacris codicibus, ſupellectili apparatuque eccleſiaſtico, & ſuis ſapientiſſimis monitis inſtructos in Dalmatiam dimiſit. Hos Sabinus peramanter excepit, & Calliſto Pontifice Maximo approbante, Geraldo Archiepiſcopo aſſentiente, illis templum domumque S. Mariæ *de Rabiata* in territorio Umblenſi (utrumque ad jus gentis Gundulæ ſpectabat) cum omnibus fundis, vectigalibus, & proventibus utrique annexis attribuit, ubi monaſticæ vitæ initia, & fundamenta jacerent. Hæc ex Annalibus Monaſterii Caſinenſis, quæ primum Leo Oſtienſis litteris mandavit, deinde Petrus Diaconus perſecutus fuit, ſuis vero animadverſionibus illuſtravit Angelus de Nuce Monachus Caſinenſis. *His quoque diebus Savinus vir nobiliſſimus, Dalmatico genere ortus, direxit in hoc Monaſterium duos ſcyphos argenteos librarum circiter novem, rogans & multa prece deposcens, ut de noſtris Fratribus eidem Abbas ad Monaſticum Ordinem demonſtrandum in Dalmatiam mitteret, pollicens non minimum proficuum per hos loco ſui venturum. Abbas autem nihil moratus tres de hoc Monaſterio ibidem direxit, divinarum Scripturarum codices, & eccleſiaſticum apparatum illis abundantiſſime tribuens: ſuſceptis namque Savinus eiſdem Fratribus, permit-*

Sabini Gundulæ pia munificentia.

mittente ſupradicto Papa Calixto, ac concedente Ragusæorum Archiepiſcopo, obtulit Beato Benedicto Eccleſiam S. Mariæ in loco, qui dicitur Rabiata prope Civitatem Raguſam cum portu & piſcatione ſua, cum ſervis, & ancillis, & cum omnibus pertinentiis & finibus ſuis. Ac Sabinus quidem domicilium, ac templum S. Mariæ *de Rabiata*, quod alias *de Razate*, alias *de Roſato*, ſive *de Roſeto* appellatum invenio, ad Congregationem Monachorum Caſinenſium aggregare decreverat. Neſcio quid impedimenti interceſſit, quominus cum Monaſterio Caſinenſi conjungi poſſet. Itaque utrumque ad tempus traditum fuit Monachis Lacromenſibus, ad quos interim omnia ejus jura & bona tranſierunt, ut docent tabulæ Lacromenſes, in quibus Slaba nepos Sabini de agris quibuſdam eidem Cœnobio, ac templo per vim ademptis, & venditis reus agitur. Hæ confectæ ſunt anno 1194. cum jampridem, ſublato omni impedimento, & Cœnobium & Templum Marianum Umblenſe, uti Sabinus conſtituerat, in jus ditionemque migraſſet Monachorum Caſinenſium, ut poſtea dicetur. Seraphinus Razzius Geraldo decem Pontificatus annos attribuit, eumque ab Innocentio II. Sede Archiepiſcopali depulſum, & Sacerdotio privatum fuiſſe tradit; *quod non intraverit*, ut ipſe ait, *per oſtium ad ovile ovium, ſed aliunde aſcenderit*. Verum Jacobus Luccarus & alii Scriptores Raguſini neque ulla hujuſmodi tam inſigni labe atque ignominia Geraldum afficiunt, a qua vel ipſum Calixti diploma eum pleniſſime vindicat, neque ante annum 1141. ſucceſſorem eidem ſubjiciunt.

Nota Geraldo falſo inuſta.

ANDREAS II. ARCHIEP. RAG. XI.

Patria Lucenſis, ex Italia adſcitus ad Eccleſiam Raguſienſem regendam ann. circit. 1141. Præter duos treſve ſuperiorum ætatum, & præter paucos poſteriorum ac recentiorum temporum Antiſtites, vix unum aut alterum his interjectum reperies ortu Raguſinum; ceteri omnes ſunt alienigenæ; quippe Senatuſconſulto ſancitum erat, ut nemini ſive civi ſive indigenæ aditus ad Sedem Archiepiſcopalem, & aſcenſus pateret. Raguſinis extraneos iccirco præferendos eſſe exiſtimabant, quod advenæ, cum nullos in civitate haberent neque conſanguineos, neque affines, omni diſcrimine & delectu remoto, eadem cives omnes & ſingulos benevolentia ſic amplexuri videbantur, ut nulli magis, quam alteri faverent, æquabilem erga omnes juſtitiæ rationem tenerent, & ſi qua inter cives orta eſſet diſcordia, neutrius partis eſſent; quin tamquam boni, & communes parentes ab omni partium ſtudio alieni medios ſe, atque interpretes ad pacem conciliandam interponerent.

Andreas electus Archiepiſcopus, & a Nicephoro Antiſtite Catharenſi, aliorum Epiſcoporum opera ſolemni conſecratione donatus, Romam ſe contulit, & ab Innocentio II. perhumaniter acceptus Pallium, eodem Pontifice tradente, ſuſcepit. Eundem Pontifex abeuntem proſecutus eſt ſuis litteris commendatitiis Clero, Rectori, Populoque Raguſino inſcriptis, in quibus ait preces Rogerii a Petro Leonis pſeudo-Papa ſacris ordinibus initiati ab ſe admitti non potuiſſe, contra atque vetuerat Concilium Lateranenſe II. Can. XXX. & poſtremo. *Ad hæc*, inquit, *Ordinationes factas a Petro Leonis, & aliis ſchiſmaticis & hæreticis evacuamus, & irritas eſſe cenſemus*; eodemque anno & die Pontifex privilegia metropolitica Eccleſiæ Raguſinæ confirmavit.

Andreas Arch. Romam pergit.

Innocentius Epiſcopus Servus ſervorum Dei Venerabili Fratri Andreæ Raguſii Civitatis Antiſtiti, ejuſque ſucceſſoribus canonice promovendis in perpetuum.

Litteræ Innocentii II. P.

Ex commiſſo nobis Apoſtolatus officio fratribus noſtris tam vicinis, quam longe poſitis paterna nos convenit proviſione conſulere &c. Itaque poſtulationibus tuis, debita benignitate gratum impertientes aſſenſum &c. quaſcumque Parochias . . . tibi tuiſque ſucceſſoribus integras permanere ſancimus, ſcilicet Zachulmiæ regnum, & regnum Serviliæ, Tribuniæque regnum, civitatem quoque Catharinenſem ſeu Roſæ, Budoaenſem Avarorum, Ulcinatenſem, atque Scodrenſem, necnon Drivaſtenſem, & Polatenſem cum Abbatiis, Eccleſiis, & Parochiis earum &c. Si qua igitur in futurum Eccleſia, ſæculariſve perſona &c. Cunctis autem eidem jura ſervantibus ſit pax D. N. J. C. &c. Amen.

Ego Innocentius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus SS.

Ego Albitius &c.

Datum in monte Tiburtino per manum Gerardi S. Rom. Eccl. Presbyteri Cardin. ac Bibliothecarii III. Id. Junii Indictione V. Incarnationis Dominicæ anno MCXLII. Pontificatus vero Domini Innocentii II. Papæ anno XIII.

Lites inter Andream & Epiſcopos provinciæ Raguſinæ.

Jacobus Luccarus lib. 1. Annal. tradit diſſidium ac diſſenſionem inter Epiſcopos Provinciæ Raguſinæ fuiſſe, cum imperium Archiepiſcopi Raguſienſis alii reciperent, alii abnuerent. Eos in priſtinam concordiam ut reduceret, Cœleſtinus II. omnes eidem Metropolitæ Raguſino ſubeſſe juſſit, & Diploma Pontificium aſſervari ait in Tabulario publico; ſed annus 1141., quem Diplomati adſcribit, non cohæret cum Pontificatu Cœleſtini, qui non ante annum 1143. Innocentio II. ſubrogatus fuit. Epiſcopos etiam percenſet, quos idem Pontifex eidem Metropolitæ attribuit, videlicet Catharenſem, Drivaſtenſem, Pulatenſem, Dulchinienſem, Buduenſem, Suacienſem, Serblienſem, Scodrenſem, Dyrrhachienſem, Zachlumienſem, Tribunienſem, Boſnenſem, quorum nomina hæc ſunt apud Maurum Orbinum de Regno Slavorum; *Silveſter Buduæ, Nicephorus Cathari, Joannes Dulchinii, Baſilius Suaciæ, Georgius Scodræ, Gregorius Dyrrhachii, Petrus Drivaſti, Theodorus Poleti, Cyrillus Serbliæ, Uladislavus Boſnæ, Conſtantinus Tribuniæ, Simeon Zachlumiæ Epiſcopi.* Eccleſiam Dyrrhachienſem neque in aliis Pontificiis Diplomatibus, neque in ullis Catalogis Eccleſiarum, neque apud alios Scriptores Metropoli Raguſinæ ſubjectam invenies; cum ipſa Metropolis Epiri novæ fuerit, & quidem longe antiquior quam Raguſienſis. Vix dubium eſt, quin illuc per errorem irrepſerit, niſi forte ad tempus Metropolim illam commendatam Archiepiſcopo Raguſino fuiſſe exiſtimemus. Mirum, quod abſit Antibarenſis, cum huic Metropoli nulla relicta ſit Eccleſia, quia omnes Metropolitæ Raguſienſi adſcribantur. Sed cum poſt Petrum Antibarenſium Archiepiſcopum, ad quem extat epiſtola Alexandri II. cujuſque meminit Gregorius in ſuis ad Michaelem Slavorum Regem

litteris; usque ad Gregorium Antibarensem Antistitem, cujus extat itidem epistola ad Raynerium Metropolitam Spalatensem anno circiter 1177., nullus reperiatur in monumentis illorum temporum, qui Provinciæ Antibarensi præfuerit, non est vero absimile, Antibarensem per annos fere octoginta cum Metropoli Ragusina ita conjunctam fuisse, ut omnes Episcopi illius Provinciæ in jus ditionemque Archiepiscopi Ragusiensis migraverint. Hujus conjunctionis & diuturni Antibarensis Archiepiscopalis interregni causa conferri potest in illa turbulentissima tempora, Regibus & Dynastis Serbliæ tum inter se, tum vero cum Græcis acerrime depugnantibus, ut Presbyter Diocleates, & Scriptores Ragusini tradunt. Quare Antibaris civitas Serbliæ nobilissima, cum in iisdem, quorum omnia plena erant, timoribus, periculis, angustiis versaretur, malesidam Archiepiscopis nationem, & rei Christianæ bene gerendæ inopportunam atque incommodam præbebat. Satius igitur visum est, Sedem Archiepiscopalem Ragusium in urbem tutissimam, ab omnique extraneo dominatu liberam, tanquam in locum quietis & tranquillitatis plenissimum transferri, conjungique cum Sede Archiepiscopali Ragusina, ut unus idemque Archiepiscopus utrique Provinciæ præsideret, & dum seditiones & bella deferverescerent, res utriusque Christianas & Ecclesiasticas curaret. Creationem Archiepiscoporum Antibarensium per plures annos intermissam fuisse illud argumento esse potest, quod Gregorius anno circiter 1176. ad hanc Ecclesiam Antibarensem regendam electus nihil prius sibi faciendum censuit, quam ut eidem pristinum decus, honoremque metropoliticum restitueret. Quamobrem Raynerium Archiepiscopum Spalatensem per litteras etiam atque etiam rogavit, ut sibi ab Sede Apostolica Pallium impetraret; quo per illum obtento, Ecclesia Antibarensis jus antiquum, titulumque metropoliticum recuperavit. Hinc ratio reddi potest satis probabilis, cur Callistus II. & Cœlestinus II. Ecclesias Metropolis Antibarensis Metropolitæ Ragusino attribuerint. Nec vero si per eos annos Ecclesia & Provincia Antibarensis Archiepiscopo caruit, iccirco suum illi Præsulem defuisse putes, expertem illum quidem potestatis metropoliticæ, sed Episcopali charactere insignitum, qui, quamvis propter eos, quos dixi, Serblianos tumultus, rerumque publicarum perturbationem ab urbe abesse plerumque cogeretur, tamen vel absens Ecclesiæ suæ, & Christiani gregis sibi commissi rationibus, quibuscumque rebus poterat, prospicere & consulere non desistebat. Nam si Razzium audimus, Andreas solemni ritu & cærimonia consecratus fuit ab Episcopis Antibarensi, Catharensi, & Dulchinensi, & aliis, quos ejus Suffraganeos vocat; pallium vero ab Innocentio II. accepit, teste eodem Razzio.

Antibarensis cum Ragusina Metropoli conjunctio.

Andreas concessu Eugenii III. hujusque mandato mitram, lituum, sandalia dedit, ceteriscque ornamentis atque insignibus pontificalibus utendi potestatem fecit Cœnobiarchæ Lacromensi, idque constat ex testimonio tum Clericorum, tum laicorum probitatis eximiæ, qui coram Legatis Innocentii III. anno 1200. hujusmodi pontificiæ donationis fidem fecerunt. Primum Phariæ, & Bractiæ Antistitem ab Andrea Archiepiscopo Ragusino consecratum fuisse tradit Archidiaconus Thomas: cujus facti narrationem fuse persecuti sumus in Episcopis Phariensibus; cum etenim Martinus a neutro Metropolita sive Spalatensi, sive Jadertino consecrationem recipere impune & sine alterutrius offensione potuisse videretur, satis illi justa causa fuit, cur sibi licere putaverit ab extraneo, & alienæ Provinciæ Metropolita munus illud consecrationis expetere: & sane nullam ob jus alterutrius Metropolitæ violatum notam Andreæ, censuramve inustam invenio: qui cum more majorum tempore præstituto Romam ad sacra limina visenda propter incommodam valetudinem adire non posset, S. Presbyterum misit cum suis ad Eugenium III. litteris, qui legitimam, quominus ipse adesset, excusationem afferret, suo nomine sacra limina viseret, de statu Ecclesiæ Ragusinæ Pontificem doceret. Eugenius Internuncium, & excusationem perbenigne accepit, suasque litteras plenas caritatis & officii Andreæ reddidit.

Episcopalia insignia tradita Abbati Lacromensi.

Eugenius Episcopus Serv. serv. Dei Ven. Fr. A. Ragusienſi Archiepiscopo sal. & Apostolicam Benedict. Cognito Fraternitatis tuæ statu per latorem præsentium S. presbiterum tuum, qui ad nos Domino ductore pervenit, infirmitati corporis tui debita cordis infirmitate compatimur, sed gaudemus, quia in hujus ignis camino conditor omnium Dominus rubiginem dilectorum suorum expurgans, te in filiorum suorum numero collocare dignetur. Tu vero inter hæc ... a ... ad patviam erigens exilii præsentis angustias ... oculis cordis excogita, & Plebem Dominicam regimini tuo commissam ... & exemplo gubernare & fovere non desinas. In lucrandis animabus invigila .... r. ... rectitudinem esto sollicitus, utilitatem ecclesiæ injuste perire, vel deteriorari nulla negligentia vel surreptione permittas, & in certis bonis operibus sacerdotali sollicitudine ita Domino largiente invigila, ut ante tribunal æterni Judicis constitutus fructum bonæ operationis, qui ad mercedem tuam pertineat, eidem Redemptori nostro, in quo lætari possit, exhibeas. Illud vero, unde a nobis sollicite indulgentiam postulas, scil. quod ex debito juramenti Apostolorum limina visitare astringeris, & gravi ægritudine præpeditus id per te ipsum hactenus non potuisti efficere, tuæ Fraternitati ex Apostolicæ Sedis benignitate remittimus. Sed cum opportunitatem tibi Clementia Divina permiserit, si per te ipsum non poteris, per tuum Nuntium Matrem tuam Sanctam Romanam Ecclesiam devotione debita studeas visitare, quatenus nos de tuæ habitudinis statu, & tu de his, quæ circa nos aguntur, possis præstante Domino informari, de ... pro visitatione tua Fraternitati tuæ gratias agimus. Datum ... X. Kal. Octobris ...

Eugenii III. litteræ ad Andream.

In schedis Bibliothecæ Alerianæ apud Sebastianum Dolci scriptum reperio, *Andream Archiepiscopum Synodum celebraviſſe ſub Eugenio III., qui Præſidem miſerat; ſed interim hoc Pontifice defuncto, ab Anaſtaſio IV. ejus ſucceſſore decreta Synodi fuiſſe adprobata.* Hanc Synodum Provincialem fuisse tradit Seraphinus Razzius, & Legatum ab Eugenio missum, qui Synodo præsideret, Gratianum appellat; fortasse idem fuit, quem postea Cardinalis titulo decoratum Alexander III. in Angliam misit. Idem Razzius huic Synodo diem duodecimum Maji affixit. Illud vero a recta chronologia discrepat, quod scripsit ab eodem Gratiano in altera Synodo Provinciali habita mense Septembri

Synodus Provincialis Ragusina.

Gau-

Digitized by Google

Gaudium Spalatenſem Archiepiſcopum, quem Glauculum vocat, ob Epiſcopum Tragurienſem non rite conſecratum pontificali officio & juriſdictione privatum fuiſſe; ſiquidem Gaudius anno 1158. Eccleſiam Spalatenſem adhuc regebat, ut declarat duplex Privilegium Geyſæ Regis Hungariæ, qui villas quaſdam cum Eccleſia S. Bartholomæi, & alia præterea donavit hoc eodem anno 1158. Gaudio Archiepiſcopo. Habes utrumque Diploma Tomo 3. Actis Gaudii cap. 3. inſertum. Ceterum ſi legationem Dalmaticam anno 1152, vel ſequenti Gratiano injunctam ab Eugenio III. prorogatam fuiſſe putes uſque ad annum 1159. & ab Adriano IV. vel ab Alexandro III. confirmatam fuiſſe, huic recte adſcribi poteſt ſententia in Gaudium lata, qua ab omni Eccleſiæ regimine amotus fuit, & ab omni tum ordinis tum juriſdictionis functione abſtinere juſſus. Joannes Gundula in Catalogo Archiepiſcoporum Raguſienſium, vel eumdem, de quo Razzius, vel alterum Legatum, ab Anaſtaſio IV. qui proxime Eugenio III. ſucceſſit, Roma miſſum fuiſſe tradit, ut convocato Concilio Provinciali res eccleſiaſticas Dalmatiæ Superioris variis incommodis affectas, & multiplici perturbatione agitatas reſtitueret, & componeret; ſimulque ut viros Principes, ſive quoſdam Dynaſtas illarum partium hæreticos & ſchiſmaticos ad rectam in Deum fidem, & cum Eccleſia Romana in gratiam deduceret; ab eo Epiſcopum & Comitem ſeu Prætorem Cathari anathemate perculſos, quod Epiſcopum illius civitatis ſubjectum ſe Andreæ Archiepiſcopo Raguſino, atque obedientem præbere haud invitum vetuiſſet; duos itidem Epiſcopos Drivaſtenſem & Dulchinienſem in ordinem coactos eſſe, propterea quod Synodo Provinciali Raguſino intereſſe noluerint; Acta & Decreta Concilii ab Anaſtaſio Pontifice confirmata eſſe, & Raguſienſibus pro eo, ac meruerant, gratias actas, quod Legatum Pontificium ſummo honore ſummaque benevolentia & venientem exceperint, & abeuntem proſecuti fuerint. Hæc Joannes Gundula multo verius & rectius: nam quæ alii Scriptores Raguſini non ſatis inter ſe cohærentes confuſius tradunt, quam rerum veritas & ordo poſtulat, ea plane & dilucide cognoſci poſſunt ex Epiſtola Anaſtaſii IV., in qua Legato Pontificio Henrici nomen tribuitur: hic etenim ſua legatione perfunctus Romam rediit cum Internunciis Raguſinis, quos Anaſtaſius omni caritate & benevolentia complexus eſt; & regredientibus litteras dedit ad Archiepiſcopum & Comitem ſive Rectorem Raguſii, ad Clerum & populum univerſum: eaſque hic contractiores ſubjicimus.

Altera Synodus Provincialis.

Anaſtaſii IV. P. litteræ ad Raguſinos.

Anaſtaſius Epiſcopus Servus ſervorum Dei Venerabili Fratri A. Archiepiſcopo, & dilectis Filiis P. Comiti, & univerſo Clero, & Populo Raguſeorum Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Eos hic commendat propter exhibitum Henrico S. R. E. Subdiacono, & Legato Pontificio honorem, atque præſtitam ejus mandatis, præceptiſque Pontificis nomine delatis obedientiam: tum ſubdit.

Et quoniam longum eſt, omnia, quæ vobis dicenda ſunt, præſenti abbreviationi committere, depoſitionis & interdicti ſententiam ab eo in quoſdam Fratrum noſtrorum Epiſcoporum, pro eo quod vocati ad Concilium ejus accedere contemſerunt, auctoritate noſtra prolatam, a nobis noveritis ratam haberi; depoſitionis in Triſtinen. (Drivaſtenſem) *& Dulchinenſ. Interdicti, vero in Catharinenſem; excommunicationis quoque ſententiam, quam in Catharinenſem Comitem promulgavit, ratam habemus, & donec Epiſcopum ſuum Eccleſiæ veſtræ, ſicut debet, obedire permittat, ab univerſitate veſtra præcipimus obſervari. Ad hæc devotionis &c.*

Dat. Laterani VIII. Kal. Januarii.

Initia Cœnobii, & Congregationis Benedictinæ Melitenſis

Dum Andreas huic Eccleſiæ præerat, jacta eſſe ajunt fundamenta Congregationis Benedictinæ Melitenſis. Melita inſula eſt ditionis Raguſinæ; ex dimenſione Seraphini Razzii millia paſſuum fere triginta Raguſio diſtat, totidem in longitudinem protenditur, circuitu autem circiter ſeptuaginta milliaribus patet. Sex vicis, quæ mapalia vocant, habitatur, in quorum primario, cui *Babinopoglie* nomen, ſedem habet Comes ſeu Prætor ab Rectore & Conſilio majori miſſus, juri dicundo, totique inſulæ regendæ præpoſitus; de qua inſula latis multa dicta ſunt Tomo I. part. 2. prolegom. cap. 7. §. 3. conferenda tamen cum iis, quæ ſubjiciam inferius, & ubi opus ſit, corrigenda. Hanc poſſidebat Deſſa, ſive Deſes Chelmenſis Dynaſta, is, qui a Radoslavo III. cum aliis Serbliæ proceribus defecit, & poſt Primislavum, & Beluſem, ſeu Belam fratres, regnum Serblianum obtinuit. Ab hoc autem anno circiter milleſimo centeſimo quinquageſimo Inſulam Melitenſem tribus Monachis Benedictinis Marino, Simeoni, & Joanni, ut eſt apud Orbinum, donatam ferunt, in cujus extrema ab Occidente particula inſigne Cœnobium ædificatum eſt, quod ſæculo decimo ſexto conſtitutum fuit caput & princeps Congregationis Melitenſis. Exigua quidem illa eſt, ſed nulli alteri ejuſdem Ordinis Benedictini Congregationi obnoxia; ſuum ſibi Præſidem ſupremum creat, ſuo jure, ſuiſque legibus, atque inſtitutis utitur. A meridie leniter ſtagnantes ex alto aquæ, & oſtio perangusto ſubeuntes lacum efficiunt duobus milliaribus in longitudinem, vix uno in latitudinem porrectum, piſcium optimorum pleniſſimum, & conchyliorum in primis feracem, quem ſilveſtres circum pinus, proceræ quercus, & riparum veſtitus viridiſſimi ambiunt. E medio lacu ingens eminet ſcopulus, cujus ſuperficiem inſidet, totamque ſuo circuitu occupat Monaſterium, auguſta mole, & opere magnifico exſtructum, eique duæ turres ad præſidium & ornamentum utrinque adjunctæ ſunt. Quamvis jus & ſupremum dominium inſulæ Reſpublica teneat, tamen quidquid eſt fructiferi, prata, ſilvæ, agri, vineæ, armenta, greges ad Monachos pertinent, quos tanquam Dominos inſulares illi fere omnes agnoſcunt, & colunt, ipſiſque ad colendos agros, paſcendos greges, & alia quæcumque opera ruſticana, & ſervilia laborant. Hoc eſt celebre illud Monaſterium S. Benedicti, caput, ut dixi, & parens Congregationis Melitenſis, quæ inde nomen atque initium duxit, conſtatque ex quatuor domiciliis Benedictinis ditionis Raguſinæ, & viris plurimis doctrina pariter, & ſanctitate illuſtribus perpetuo floruit. Pontificatus Andreæ in annum deſinit circiter tertium & quinquageſimum ſæculi duodecimi. Sed ab ſerie, & hiſtoria Archiepiſcopali liceat parumper digredi, & quæ de Monaſtico Ordine Raguſino

Andreæ Archiep. obitus.

paulo superius attigimus, fusiori persequi narratione, de quibus, seu potius de initiis & progressibus Ordinis Monastici & Benedictini, in Dalmatiam Superiorem invecti propagatique, ac de quinque Monasteriis in ditione Ragusina fundatis, Ignatius Georgius Abbas Melitensis perbreve Commentarium scripsit; quod cum hæc scriberem, mihi perhumaniter traditum, ex Italico in Latinum sermonem conversum huic loco inserendum censui.

De Congregatione Melitensi Benedictina Breve Commentarium, Auctore D. Ignatio Georgio, ejusdem Congregationis Alumno & Abbate.

De Congregatione Melitensi Commentarium Ignatii Georgii.

I. *Ordinem Monasticum antiquissimis temporibus viguisse in Insulis Dalmatiæ auctor est D. Hieronymus, tum in Epistola 34. ad Julianum:* "Extruis Monasteria, & multus a te per Insulas Dalmatiæ numerus Sanctorum sustentatur; sed melius faceres, si & ipse inter Sanctos viveres; „ *tum in Epitaphio Nepotiani:*" Cumque arderet quotidie aut ad Ægypti Monasteria pergere, aut Mesopotamiæ invisere choros, vel certe Insularum Dalmatiæ solitudines occupare, avunculum Pontificem deserere non audebat. „

II. *Ex verbis S. Hieronymi colligitur multas quidem Insulas Dalmatiæ, sed præcipue majores, veluti Melitam, a Monachis cultas, & habitatas fuisse.*

III. *Propter incursiones barbaricas, atque adventum in Dalmatiam, ac dominatum gentis Gothicæ Arianæ, deinde Slavonicæ Idololatræ, Monachi ex Insulis alio emigrarunt, ubi ab omni metu & periculo tuti quietique, sibi ac Deo vacarent; quæ deseruerant Monasteria, Barbari diruerunt. Nec vero si plerique Slavorum, susceptio baptismo, ad Ecclesiam aggregati sunt, idcirco Insulæ Dalmatiæ Orientalis Monasteriis & Monachis rursus frequentari cœperunt. Has siquidem obtinebant Narentani superstitionis idololatricæ tenacissimi; qui non ante sæculum nonum Religioni Christianæ nomen dederunt, ut docet Constantinus Porphyrogenitus de Adm. Imp. c. 36., & in Vita avi sui Basilii; itemque Dandulus in Annalibus Venetis, & Joannes Lucius Hist. Regni Dalm. & Croat.*

IV. *Narentanos Insulis, navigationi, oræ maritimæ infestos Ursеolus Dux Venetorum anno circiter 1000. debellavit. Tranquillitate, & securitate incolis reddita, Ordo Monasticus revocari cœpit, atque in Insulis Dalmatiæ Superioris reflorescere.*

V. *Ragusini auctores fuerunt cœtus monachalis restituendi. Ex Insulis Diomedeis, sive Tremitanis, quæ littori Apuliæ adjacent, ubi vetus ac perillustre Monasterium erat, eique præsidebat Cœnobiarcha, Roccius nomine; Monachus quidam natione Dalmata, patria Ragusinus, cui Petro nomen, Ragusium ad consanguineos revisendos venerat; hunc primores urbis, ut in patria maneret, rogarunt, & Monachale Institutum apud suos populares restitueret; & cum vehementius instarent, communibus tandem precibus victus, eorum voluntati morem gessit. Ei Lacromam Insulam dederunt, ubi Monasterium construeret; quo absoluto, perfectoque, multi cœnobiticæ ac religiosæ vitæ cupidi in ejus disciplinam se tradiderunt. Hæc fuerunt initia Ordinis Monastici in Dalmatia restituti anno circiter 1025., dum rerum in Oriente potiebantur Basilius & Constantinus.*

VI. *A Monasterio Lacromensi condito annus fere centesimus intercesserat, cum Sabinus quidam, homo potens, & opulentus, a Cœnobiarcha Monasterii Casinensis, duos tresve Monachos postulavit, qui ad normam disciplinæ S. Benedicti Monasterium in ditione Ragusina fundarent; Ædem S. Mariæ eique proximum domicilium, cum copiosis proventibus dedit in loco satis amœno, non valde ab urbe disjuncto, qui* Ratiata, *sive* Rabiata, *nunc* Rosata *dicitur, apud fontes Omblæ fluvii, quem Arionem Scyllax in suo Periplo vocat; idque docent Tabulæ Monasterii Lacromensis, idemque confirmat Leo Ostiensis in Chronico Montis Casini lib. 3. cap. 69.*" His quoque diebus (*ideſt an. circiter* 1123.) Savinus vir nobilissimus Dalmatino genere ortus, direxit in hoc (*Casinense*) Monasterium duos Scyphos argenteos librarum circiter novem, rogans, & multa prece deposcens, ut de nostris Fratribus idem Abbas ad Monasticum Ordinem demonstrandum in Dalmatiam mitteret, pollicens non minimum proficuum ex hoc isti loco venturum. Abbas autem nihil moratus, tres de hoc monasterio ibidem Fratres direxit, divinarum Scripturarum codices, & ecclesiasticum apparatum illis abundantissime tribuens. Susceptis itaque Savinus iisdem Fratribus, permittente supra dicto Papa Callisto, ac concedente eorum (*Ragusеorum*) Archiepiscopo, obtulit D. Benedicto Ecclesiam S. Mariæ, in loco, qui dicitur Rabiata, (*Raziata*) prope civitatem Ragusam, cum portu & piscatione sua, cum servis & ancillis, & cum omnibus omnino pertinentiis, & finibus suis. „

VII. *Hæc fuit quædam veluti Colonia exigua, e Monte Casino in Dalmatiam deducta; ex qua deinde Ordo Benedictinus in varias Insulas & loca Reipublicæ Ragusinæ propagatus est. Monasterium Lacromense priorum videtur fuisse, quod regulam & præscriptionem vitæ religiosæ a S. Benedicto traditam accepit. Antea siquidem Monachi Lacromenses nullis scriptis legibus utebantur; sed communi tantum officio & pietate ducti, ad consuetudines majorum, non litteris traditas, sed memoriæ atque animis impressas, itemque ad præscriptum nutumque suorum Præsidum religiosam vivendi rationem accommodabant; nam & Monachi Tremitenses, unde monasticæ vitæ normam Petrus didicerat, & in Lacromense Cœnobium intulerat, non e disciplina S. Benedicti, sed e Seniorum institutis, vivaque voce & præscriptione Roccii Abbatis vitam suam agebant.* (Verum ex Diplomate Rodoslavi Regis Serbliæ constat, ante adventum Monachorum Casinensium, in ditione Ragusina & Cœnobio Lacromensi floruisse Institutum Monachale Benedictinum an. circ. 1074., ut supra diximus in Vitali I. Archiep.) *Huic sententiæ adversatur Jacobus Luccarus lib. 1. Annal. Ragus. pag. 13., ait siquidem anno* 1023. *XII. Kalendas Aprilis, qui dies Divi Benedicti nomine consecratus est, nocturnum immane incendium, quo civitas magna ex parte conflagravit, implorata D. Benedicti ope, & voto Templi ac Cœnobii in ejus honorem cultumque ædificandi concepto, extinctum fuisse. Itaque Petrum & Leonem cives quidem Ragusеos, sed Monachos Benedictinos ex Insulis Diomedeis, sive Tremitanis evocarunt;* (*id quod non satis cohæret cum Tabulis Lacromensibus*) *eisque Templum & Monasterium in Insula Lacroma ex voto constructum attribuerunt. Hæc Luccarus.*

VIII. *Verum longe verisimilius videtur incendium illud, voto & imploratione D. Benedicti*

cti extinctum, referendum esse ad saeculum duodecimum, post annum 1123., *cum Ordo Benedictinus per tres illos Monachos Casinenses invectus in Dalmatiam fuisset.*

IX. *Nam primum in Tabulis conditi Coenobii Lacromensis supra laudatis, nihil de incendio, nihil de imploratione S. Benedicti, nihil de voto publico nuncupato, ne verbum quidem reperitur, de quibus sane mentionem fieri oportebat.*

X. *Deinde in iisdem Tabulis neque Petrus, neque Leo ex Insulis Tremitanis accersiti fuisse dicuntur ad fundandum Monasterium Lacromense; sed Petrus* Monachus de Tremitana Insula, in qua sub Abbatis Roccii disciplina degebat, *cum sponte sua Ragusium venisset,* & omnibus suis salutatis ad suum vellet reverti Monasterium . . . superatus nostris precibus assensum praebuit; & ipso consentiente, placuit nobis omnibus dare ei, & jam dicto Leoni Presbytero (*Ragusino*) campum illum (*in Lacroma Insula*) quem supra nominavimus.

XI. *Praeterea neque dicitur Petrus Monachus fuisse Ordinis Benedictini; sed apud Insulas Tremitanas,* sub Abbatis Roccii disciplina degebat, *idest sine Regula scripta, ex Instituto Monastico illic recepto atque a Majoribus veluti per manus tradito, ad nutum & praescriptionem illius Coenobiarchae; id siquidem antiquis temporibus Monachorum moris fuisse docet Thomassinus Vet. & Nov. Eccl. Discipl. P. 1. lib. 3. cap. 24. n. 4. atque in Tabulis Lacromensibus diserte additum est, ut Petrus, & qui ad eum se adjungerent, nullis Benedictinis legibus obstricti,* libere agant, & juxta regularem consuetudinem omnia ordinent, ac disponant.

XII. *Idem confirmat Historicus Casinensis, Petrus Ostiensis, qui tradit Sabinum a Coenobiarcha Montis Casini postulasse Monachos, qui Ragusium se conferrent,* ad Monasticum Ordinem demonstrandum, *idest peculiarem illam disciplinam, quod ex praescripto S. Benedicti Casinenses Monachi colebant,* non vero Ordinem illum Monasticum, *qui latius patebat, & cujus cultores nullis certis legibus astricti erant; hunc siquidem ante annos centum Petrus in Lacromensem Insulam invexerat, ad eumque plures jam se aggregaverant:* Quidam illustres viri, *ut est in Tabulis Lacromensibus,* coram eo Petro recepti sunt, qui se profitebantur, & promittebant Monasticum nomen atque habitum sub eo velle recipere. *Non igitur quodcumque Monachale Institutum, sed speciatim Benedictinum in ditionem Ragusinam invehere Sabinus cupiebat.*

XIII. *Ex his satis apparet disciplinam & regulam S. Benedicti e Monasterio Tremitano illatam non fuisse anno* 1023. *in Coenobium Lacromense; ut ex eodem Luccaro scripsit Junius Resti in sua Historia Mss. Reipublicae Ragus., qui tamen neque de incendio neque de voto mentionem fecit: utrumque accidere, & fieri potuit, postquam Monachi Lacromenses Institutum S. Benedicti susceperunt, a tribus illis Casinensibus Monachis, de quibus Leo Ostiensis, Ragusium antea illatum. Tunc siquidem Ragusinos, ut civitatem ab incendio liberarent, vovisse arbitror novum Templum ac Coenobium sub titulum S. Benedicti in illa Insula, quod multo esset, quam vetus, & laxius, & commodius, & magnificentius. Illi autem incendio ac voto cum nullum annum adscriptum Luccarus inveniisset, utrumque nescio qua conjectura ductus, ad an.* 1023. *affixit; neque a posteriori priorem Lacromensis Coenobii ac Templi aedificationem distinxit.*

XIV. *Tres illi Monachi Casinenses, quos e Monasterio Montis Casini accitos Sabinus excepit, haud sane diu commorati sunt in eo loco* Razate, *quem illis attribuerat, vel ibidem ne habitarunt quidem; sed ad Melitam Insulam transvecti, in quodam Pago, cui nomen* Babinopoglie, *apud Aediculam S. Michaelis sedem sibi ac domicilium collocarunt. Extremo ad Occasum Insulae angulo adjacet scopulus, e quo eminebat parvum Coenobium, quod Reges Serbliae Monachis ritus Graeci aedificaverant, & Templum sub titulo, & auspiciis Deiparae Virginis. Huc Monachi Casinenses, post brevem commorationem ad S. Michaelis, cum se transtulissent, ab antiquis illis, si qui supererant, Monachis Graecis in contubernium ac societatem recepti, Regulam S. Benedicti, & ritum latinum intulerunt.*

XV. *Ad effigiem illam Marianam thaumaturgicam Melitensem quae etiamnum ibi colitur, tum e tota ditione Ragusina, tum e Dalmatia & Serblia, ingentes fieri solebant hominum concursus, Deo ac Deiparae gratias agentium ob beneficia divinitus accepta, & divinam opem in rebus afflictis & angustis implorantium. Quinimo ipsi Reges Serbliae, licet schismatici, ad sacram illam Iconem visendam, venerandam, implorandamque, voti ac religionis caussa itare solebant; ut docet Luccarus ad an.* 1114. *lib.* 1. *Annal. pag.* 17. *Saeculo decimo quinto Catharina, conjux Thomae Christichii postremi Bosinae Regis, Virginem Melitensem caste pieque invisit cum filio suo; qui cum ibi mortuus esset, ei sepulturam intra Templum ut Monachi darent, impetravit; idque declarat Inscriptio sepulchralis:* Hic jacet filius Thomasci Regis Bosnae. *Haec est illa Catharina, quae post captam a Turcis Bosinam, se contulit Romam; & a Sixto III. Templum & hospitium S. Hieronymi nationi Slavonicae donandum curavit, ut narrat Papebrochius in Propyl., & Orbinus pag.* 370. *Romae supremum diem obiit an.* 1474.

XVI. *Religio ac celebritas illius loci, & Monachorum ibidem degentium sanctitas Ragusinos impulit, ut pecuniam & subsidia ad novum Templum & Coenobium opere non solum eleganti, sed etiam magnifico aedificandum, large effuseque conferrent. Desa Comes Chelmensis, cujus in ditione erat, Melitam Insulam totam cum omnibus fundis & proventibus anno* 1151. *Monachis donavit, ut tradit Orbinus pag.* 245.

XVII. *Post Institutum Benedictinum a tribus illis Casinensibus Monachis in ditionem Ragusinam invectum, quod primi omnium Monachi Lacromenses susceperunt, alia deinceps ex aliis Coenobia ad normam disciplinae a S. Benedicto traditam, vel nova constructa sunt, vel antiqua reaedificata, primum sub titulo S. Michaelis in Insula Jupana, quam Tauridem Hirtius de Bello Alexandrino, quam de Insulis Elaphitis Plinius vocat; alterum in exigua Insula S. Andreae; tertium & postremum an.* 1222. *in eo loco, cui Visnizzae nomen, SS. Philippi & Jacobi titulo consecratum. Hujus auctor & conditor fuit Joannes Gundula Patritius Ragusinus, qui liberis cum careret, omnia bona sua Monachis reliquit.*

XVIII. *Igitur saeculo decimo tertio quinque erant apud Ragusinos Monasteria S. Benedicti, Lacromense, Melitense, S. Michaelis, S. Andreae, & SS. Apostolorum Philippi & Jacobi;*

sed

Digitized by Google

sed nullo societatis vinculo inter se conjuncta; verum alia seorsum ab aliis, vitam religiosam e præscripto S. Benedicti, sub suo unumquodque Abbate, agebant. Ex hac disjunctione res & disciplina monastica longo post tempore quotidie deterior fieri, & majora in dies detrimenta capere cæpit; præsertim cum sæpe accideret, ut Monasteria illa Abbatibus extraneis & absentibus commendarentur; ac nihil propius factum est, quam ut Ordo Monasticus in illis locis penitus interiret. His malis ut remedium afferret Senatus Ragusinus sæculo decimo sexto, quatuor Monasteria Benedictina, Melitense S. Mariæ, S. Jacobi, S. Michaelis, S. Andreæ, inter se conjungenda curavit, ut sub uno Præside in unius Congregationis corpus coalescerent; nam Lacromense superiori sæculo ad Congregationem Tatavinam S. Justinæ aggregatum fuerat.

XIX. *Quatuor illa Monasteria sub uno capite conjungendi auctor & consiliarius fuit D. Hieronymus Benessa Abbas Melitensis, vir eximiæ virtutis & doctrinæ; Senatus vero a Clemente VII. impetravit, ut vellet ac juberet e quatuor hisce Monasteriis unam fieri atque institui Congregationem, cujus Præses supremus esset Abbas Melitensis; de qua Institutione D. Paullus de Turo, Benedictinus Lusitanus, in eo Libro, cui titulus:* Privilegia Congregationis Portugalliæ: " Casinatem quoque vivendi rationem imitatus Hieronymus Benessanus Patritius Ragusinus, Ordinis D. Benedicti Professor eximius, ac omni virtutum genere clarus, aliam in Dalmatia sub temporalium Prælatorum regimine, Clemente VII. Pontifice auctore, Congregationem, quæ hodie Melitensis nuncupatur, erexit. „

XX. *Sed cum hæc quatuor Monasteria vel non desierint, vel paullo post iterum cæperint commendari Abbatibus extraneis, ex horum absentia, & mala administratione, eo devenerant, deteriori statu ut esse non possent. Vix duo, vel tres Monachi in singulis degebant; hinc & studia litterarum exsulabant, & disciplina monastica prorsus exsoleverat. In hac nova Congregatione ut Ordo Monachalis reflorescceret, necesse fuit Abbatem accersiri e Congregatione Casinensi, ex qua ad Melitensem concessu Pontificis transiret, eamque reformaret, & in antiquum, ex quo Monasteria illa decidcrant, statum restitueret. Is fuit D. Chrysostomus Calvinus, Monachus Æmiliani in Calabria, idemque Abbas, vir æque doctus ac pius, qui cum Abbate D. Isidoro Clario, jussu missuque suæ Congregationis, ad Concilium Tridentinum se contulerat; ad eamque rem perficiendam in primis idoneus visus est Ludovico Becatello Archiepiscopo Ragusino, qui ejusdem Concilii caussa Tridenti versabatur. De hujus viri singulari pietate & doctrina certior factus cum esset Rector & Senatus Ragusii, suis ad Pontificem, ad Chrysostomum, ad Congregationem Casinensem litteris, quod summopere optabat & petebat, facile impetravit; quamvis Monachi Casinenses ægre ferrent talem ac tantum virum ab se divelli. Harum rerum auctores, ac testes habeo locupletissimos, Franciscum Serdonatum in oratione funebri de laudibus ejusdem Calvini, Maurum Orbinum pag. 200., & Seraphinum Razzium in Hist. Archiep. Ragus.*

XXI. *Itaque Congregatio Melitensis, Paullo III. Pontifice Max., restituta fuit, atque ad normam Instituti Benedictini reformata, auctore ac magistro Chrysostomo Calvino, disciplinæ monasticæ scientissimo, & ejusdem religiosissimo cultore; qui haud lenius, quam efficacius, rem feliciter confecit; ob eamque caussam dignus fuit, qui e Præfectura Melitensi, postulante Senatu, ad supremum Sacerdotium Ecclesiæ Ragusinæ eveheretur. In summa illa dignitate, dilectissimæ suæ Congregationis Melitensis, cujus velut alter Parens fuerat, oblivisci numquam potuit; quam & sanctissimis præceptis magis magisque perficere, & quibuscumque posset, ornamentis ac beneficiis cumulare non omisit.*

XXII. *Dum huic Congregationi præsidebat, multos libros eximia pietate & doctrina refertos composuit, & multos Scriptores Græcos in latinum convertit, veluti Sermones S. Dorotbei, & alia opera Græcorum auctorum. Egregios suæ disciplinæ alumnos reliquit, Basilium Gradium Episcopum Stagni, Eusebium Gabogam, qui Annales Ragusii, & vitas Archiepiscoporum latinis litteris mandavit; sed utrumque opus Ms. immortalitate dignum terræmotus ruinis obrutum periit. His adde Joannem Baptistam Georgium, & Chrysostomum Ragninam e Congregatione Melitensi ad Cathedras Episcopales evectos.*

XXIII. *Arnoldus Wion Ligni vitæ part. 2. cap. 2. Ascanius Tamburinus Tom. 2. de Jure Abbatum pag. 421. Seraphinus Razzius in Hist. Ragusina pag. 76. Calvinum vocant Auctorem, ac Parentem Congregationis Melitensis, quam tamen neque fundavit, neque condidit, restituit tamen, auxit, reformavit.*

XXIV. *Intra finem sæculi XVI. & sæculo sequenti Congregatio Melitensis obnoxia fuit censuris & visitationibus Apostolicis ex mandato Sixti V. anno 1586., Clementis VIII. anno 1604., Gregorii XV. anno 1622., Urbani VIII. anno 1635. & 1641. propterea sæpius apud Sedem Apostolicam in suspicionem depravatæ disciplinæ vocata est per calumnias quorundam, qui eo spectabant, ut Congregatio Melitensis dissolveretur, & Monachis adempta, Abbatibus extraneis commendaretur.*

XXV. *Anno 1667. cum civitas horribili terræmotu concussa maxima ex parte corruisset, Templum Lacromense, & pars Monasterii, itemque Monasterium S. Andreæ concidit, reliquis tribus Cœnobiis intactis.*

XXVI. *Cœnobiarchæ, & Præsidi Congregationis Melitensis id juris ac privilegii concessum est, ut in publica supplicatione, cum Reliquiæ Divorum aureis & argenteis lipsanothecis inclusæ per vias urbis frequentiores, ac celebriores circumferuntur, Pontificali habitu indutus cum Mitra, & pedo pastorali incedat; itemque ut die festo S. Blasii, cum Archiepiscopus solemni ritu, ac cærimonia sacrificium facit, & vespertinum officium peragit, subsellium teneat e regione throni Archiepiscopalis. Itidem eodem pontificali ornatu interest exsequiis, quæ persolvi solent tum Archiepiscopis, tum Rectoribus vita functis: si vero nullus adsit Episcopus, qui mortuo Archiepiscopo funebre officium præstet, id muneris atque honoris deferri solet ad Præsidem ejusdem Congregationis. Cum inter hunc & Canonicos Ædis Metropolitanæ de loci & honoris primatu controversia esset, Sacra Rituum Congregatio secundum Præsidem Melitensem judicavit, etiamsi Sedes Metropolitana vacaret, & jurisdictio atque administratio Archiepiscopalis e Sacrorum Canonum præscripto ad Capitulum esset devoluta.*

XXVII.

Digitized by Google

XXVII. *E Congregatione Melitensi, tanquam e palæstra omnium virtutum, sanctitate & doctrina viri plurimi religiosissimi, prudentissimi, sapientissimi prodierunt, Episcopi scilicet, Consultores Reipublicæ, Theologi, Historici, Mathematici, Poetæ, in eo, quo quisque functus est munere, & in ea, quam quisque professus est, arte, vel scientia excellentissimi.*

Notæ.

VII. *Monasterium Lacromense primum fuisse videtur.* Sed ante adventum Monachorum Casinensium, quos Sabinus evocavit anno circiter 1123., vigebat in Cœnobio Lacromensi disciplina monachalis S. Benedicti, ut constat ex Diplomate tum Bodini, tum ejus filii Georgii Regum Serbliæ; alterum datum est anno 1110., alterum an. 1114. In utroque commemoratur Monasterium Lacromense *S. Benedicti*. Habes utrumque in Petro I. Ragusino Archiepiscopo; quinimmo longe ante sæculum undecimum regulam ac disciplinam S. Benedicti a Monachis Lacromensibus cultam fuisse declarat diplomata allata in Vitale I. Archiep. Ragusino, illud in primis Regis Radoslavi datum *anno* 1058., qui Monasterium in *Beleni* construendum, jubet dari *Monachis S. Benedicti de Lacroma*. Hinc apparet Georgium Abbatem frustra conari, & varias conjecturas congerere, ut ostendat Institutum Benedictinum in Cœnobium Lacromense a Monachis Casinensibus anno circiter 1123., non vero a Tremitanis anno 1023. invectum fuisse. Nihil igitur caussæ fuit, cur incendium illud nocturnum Ragusinum, quod Luccarus an. 1023. affixit, in annum 23. sæculi proximi rejiceret.

XII. *Ad Monasticum Ordinem demonstrandum*, id est magis declarandum ex præscripto S. Benedicti, cujus disciplinam Monachi Lacromenses ab initio quidem acceperant; sed cum nullum cum Monachis Casinensibus esset commercium, propter longinquitatem locorum ac temporum, paullatim exsolescere cœperat.

XIV. *Tres illi Monachi &c.* Hanc e domicilio & Templo Mariano, quod illis apud Razatum Sabinus tradiderat, migrationem ad Melitam Insulam, unde Abbas Georgius acceperit, plane ignoro; nec video quænam caussa eos impulerit, ut paratam sibi a viro illo præstantissimo, & optimam stationem relinquerent. Nihil illis ad victum cultumque deesse poterat; nam, ut ait Leo Ostiensis, susceptis Sabinus iisdem Fratribus, *permittente supradicto Papa Callisto, ac concedente Archiepiscopo, obtulit D. Benedicto Ecclesiam S. Mariæ in loco, qui dicitur Rabiata* (sive Ratiata & Razatum), *prope Civitatem Ragusam, cum portu & piscatione sua, cum servis, & ancillis, & cum omnibus omnino pertinentiis, & finibus suis.* Idcirco autem *obtulisse* dicitur *D. Benedicto*, quia Ædem illam Marianam, & Cœnobium ibidem ædificandum, ad Congregationem Casinensem D. Benedicti aggregari voluit. Sed nescio quid impedimenti tunc intercessit, quo minus statim cum Monasterio Casinensi conjungi posset; atque ad tempus utrumque commendatum fuit Monachis Lacromensibus, ad quos interea omnia utriusque jura & bona transierunt. Nec multis post annis e præscripto conditoris Templum & Monasterium Marianum Razatense in jus potestatemque Abbatis, & Congregationis Casinensis concessit; siquidem anno 1159. Alexander III. cum Monasterium & Monachos Montis Casini in fidem & clientelam Sedis Apostolicæ recepit, cum omnibus bonis ac possessionibus eidem Congregationi annexis, in his Templum & Cœnobium Rabiatense, sive Razatense enumerat. Extat Diploma Pontificium in Bullario Casinensi. Cœnobiarcha Casinensis tum Præfecturam Templi ac Monasterii Razatensis, tum bonorum administrationem Monachis Lacromensibus commendavit; in quos etiam onus incubuit possessionem illam & jura Casinensium tuendi ab iniquis petitoribus & aggressoribus. Post obitum Sabini, Slaba ejus nepos an. 1190. de rebus ac bonis ejusdem Templi ac Monasterii multa intervertit, & alienavit; quam ob caussam graviter severeque reprehensus ab ejus fratre Marino cum esset, nullo modo, nec Dei quidem ac cælestis iræ metu tactus, adduci potuit, ut quæ abstulerat, restitueret: *Marinus Grabe*, ut est in Tabulis Lacromensibus, *sic eum* (Slabam) *allocutus est dicens: Ecce frater de Ecclesia nostra S. Mariæ plura in thesauro, terris, ac rebus vendidisti, quæ ad detrimentum animæ tuæ pertinent; tu scis quia avus noster statuit, ut si Monasterium Casini ea habere non posset, ad Monasterium Lacromense devenirent, ut in ea Monasterium faceret. Qui Slaba sic respondit: Verum est quod Martinus loquitur, sed unam malam volo finire mortem, quam &c. Scio quod contra Deum, & animam meam facio &c. In An. Dom. Incarnat. Mil. cent. XC.*

Anno 1197. Joannes Præfectus Sacello Pontificio, idemque Legatus Sedis Apostolicæ a Cælestino III. de rebus ecclesiasticis ordinandis missus in Dalmatiam, Ædem S. Mariæ de *Razata*, sive Rabiata, Cœnobiarchæ & Monachis Lacromensibus adjudicavit, possidendam scilicet nomine Congregationis Casinensis, ac retinendam, anathemate interposito, siquis ex Monachis auferret, aut ejus bona diriperet. Joannis sententiam Marinus Diaconus scriptis mandavit, variis lacunis interciſam, & mendis plurimis atque erratis refertam. *In anno Dominice Incar. mil. cent. nonagesi. sept. mensi. Julii die Sancti Apostolorum P. P. quod Ragusio actum est, coram presentia Dom. Comitis Lucari, & omnium Ragusæorum in Ecclesia S. Marie . . . declaratum dum Abbas Stantius Lacromensis Monasterii, in ipsa . . . . Missam celebrabat, & facto silentio, antequam Evangelium pronunciaret, querente ad Comitem & omnem populum de Ecclesia S. Marie de Razata, quomodo . . . memorie Comes Savbo . . . sumptibus suis fecerit . . . . foret, & quod Monasterium Lacromense scilicet, cum omnibus suis pertinentiis fuerit habenda . . . & qualiter Fr. Joannes Dom. pp. Capellanus, Apostolice Sedis Legatus, videns instrumentum Savigne, scriptum fecerit excommunicationis contra omnes, quod sui contradicentes, quod etiam scriptum est . . . legentes . . . it spontanea voluntate, bono & firmo animo . . . de ipsa Ecclesia pertinentia . . . Lucari, Marinus Grabe, Bogdanus Petri Rose cum filio suo, Johannes . . . Stephanus Savigne, Petrus Gruanus . . . Calesci, Radde gener Volcetne, Lucari, & quatuor Calesci nepotes, & Nicolaus Bele donantis ipsius nepos pro hic . . . veterum testantes idem . . . R. Abbas loquebatur . . . . D. Abbatis in manibus renunciantes Ecclesiam sepedictam . . . . Monasterio*

S. Be-

Digitized by Google

S. Benedicti de Lacromona habendam, & possidendam perpetualiter dederunt; ut ibi Monasterium haberent . . . D. Comes Savigna sic statuit . . . & Gausonus Ragusinæ Ecclesiæ Arch. . . . cum universo Capitulo ipsius Ecclesiæ Canonicorum interfuit, & Comes Lucarus cum omnibus Nobilibus & populo . . . quidem omnium eorum Judicib. & ego Marinus Diaconus, & Communis Notarius, quia interfui his, scripsi & complevi. Huc pertinent quæ paullo aliter ex Tabulis Lacromensibus scripsimus in Gaussono Archiepiscopo, & sicubi discrepant, aliqua interpretatione adhibita inter se conciliari oportet.

Anno 1237. quidam nomine Vitalis temere ac violenter in possessionem Templi ac Cœnobii Razatensis invaserat. Cœnobiarcha Lacromensis, qui nomine Casinensium, ut præfecturam utriusque ex auctoritate publici Magistratus legitime susceperat, sic suarum partium esse duxit causam Casinensium tueri; ablata repetere, & persequi lite atque judicio decrevit. Res delata fuit ad Comitem seu Prætorem, & Judices civitatis; apud quos Andreas de Ballislava advocatus Cœnobii Lacromensis, tabulis ac monumentis prolatis, causam Monachorum sic defendit, ut eam obtinuerit; idque constat ex Codice Tabularii Lacromensis, in quem tum Acta, tum sententia secundum Monachos dicta, jussa sunt referri; sed lacunis variis interrupta, & latini sermonis barbarie admodum inquinata: *An. Incarn. Domini millesimo ducentesimo trigesimo septimo, mens. Octob. secunda die exeunte. Nos quidem Johannes Teupli filius Dom. Jacobi Teupli Illustriss. Ducis Venetiarum, Comes Ragusii, cum juratis Judicibus Ragusinis, Paulo Ranane, Michaele Proculi, Bocino Bobalii, Clemente Serfii. Hoc, quod per sententiam adjudicavimus, testamur; nostra enim coram præsentia Andreas de Ballislava advocatus Monasterii Lacromensis ex parte ejusdem Monasterii . . . Fratrum, contra Vitalem Theodori Grubesse dicens: Malignanter, & per fortiam tenes Ratiatum, unde volo ut exeas inde. Qui Vitalis . . . respondens dixit: Tu Andreas queris per Monasterium, quod Monasterium est Ecclesia: & ego Vitalis . . . . ante Archiepiscopum, & ante Ecclesiam respondeo: & Curia mundana nihil habet ad dicendum. Et Andreas dixit: Non potes tenere Ecclesiam, quia laicus es, & per fortiam tenes Razatum. Et Andreas ostendit cartas, qualiter Curia, secundum in eis continetur, Abbatem Monasterii Lacromensis misit in Razatum. Unde nos visis cartis Monasterii exhibitis nobis, quod dictus Vitalis per fortiam tenebat Razatum: ideo per sententiam affirmamus dictas cartas Lacromensis Monasterii, sicut in ipsis continetur, & diximus ut Vitalis exeat inde; & sicut in prædictis cartis continetur, dictum Monasterium Lacromense misimus in tenutam in Razatum: salva ratione omnium personarum. De hac autem sententia sunt duæ cartæ similes, hæc & alia. Quod judicium præd. D. Comitis, & juratorum Judicum, Ego Presbyter Paschalis & Notarius juratus audiens scripsi.*

Monachi Casinenses ne quis in posterum possessionem illius Templi ac Monasterii in controversiam vocaret, eam sibi a Gregorio IX. confirmandam curarunt. Habes Diploma Pontificium in Joanne Veneto Archiepiscopo Ragusino, *datum Laterani* VI. Id. April., Pontificatus anno tertio decimo; idest 1240.

Itaque Monasterium apud S. Mariam de Razato, ære sumptuque ipsius conditoris Sabini, vel ab ipso, vel certe ab ejus hæredibus ædificatum fuit, & Congregationi Casinensi annexum. Qui præerat Monachis ibi vitam ad normam Instituti Benedictini degentibus, is non *Abbas*, sed Prior vocabatur, suberatque juri supremo Cœnobiarchæ Casinensis. Anno 1256. Joannes Presbyter, & Monachus S. Mariæ de Razato, Prioris titulum gerebat, & munere fungebatur; de quo vide quæ uberius differemus in Aleardo Archiep. Ragusino XXII.

Sub initium Sæculi proximi, Monachi sive sponte abeuntes, sive alieno coactu expulsi Monasterium Razatense vacuum reliquerunt, atque in possessionem bonorum monachalium Mensa Capitularis Ragusina successit. Anno autem 1321. 16. Maji, ut constat ex Tabulis Ragusinis, in Æde Mariana Razatensi instituta fuit quædam piorum hominum Sodalitas, qui Omblam fluvium accolunt, quique in Valle proxima Juncheti habitant. His Monachi Razatenses, antequam abirent, officio Parochorum præstabant. In albo priscorum sodalium, quem vocant *Matriculam*, nulla sive Monasterii, sive Monachorum Razatensium mentio reperitur, perinde ac si numquam ibi fuissent. Post discessum Monachorum, cum mores incolarum quotidie in pejus ruerent, & schismatica labe, ex finitimis regionibus illata, infici cæpissent, Senatus Ragusinus Fratres Franciscanos Bosnenses evocavit, qui gentes illas Christiana catechesi tradenda excolerent, & evulsis ex animis illarum pravis opinionibus ad rectam in Deum fidem, piamque vivendi rationem traducerent. *Idem ipsis* (Bosnensibus Minoritis) *an.* 1393. *Umblæ Conventus sub invocatione Visitationis Beatissimæ semper Virginis Mariæ* IV. *ab Urbe Rbacusana lapide* (non longe a loco Razatensi) *est tributus;* ut scripsit Sebastianus Dolci p. 22. n. IX. *Monum. Prov. Rbacus. Ord. Min.* Sub idem fere tempus Canonici Ædis Cathedralis Templo S. Mariæ Razatensis Parochum præfecerunt, qui ad Christianam illorum incolarum institutionem incumberent; eique quod ad victum cultumque satis esset, ex proventibus monasticis ad Mensam Capitularem adjunctis assignarunt, sibi vero jus eligendi nominandique Parochi retinuerunt. Sæculo superiori XVII. Senatus Ragusinus, ut Ædis Marianæ Razatensis religio ac celebritas, quæ jamdudum exsolescere cœperat, in pristinum statum atque honorem restitueret, per litteras supplices postulavit, ut Ragusium e Cœnobio Casinensi mitterentur exempla veterum Diplomatum, quibus Romani Pontifices Ecclesiam illam S. Mariæ Razatensis ampliſſimis indulgentiis cumulaverant: id quod præcise negatum fuit; propterea quod Casinenses querebantur se insciis, non præmonitis, non requisitis, Templum illud & Monasterium a sua Congregatione distractum & alienatum fuisse.

XVI. *Desa Comes Chelmensis &c.* Tertium Monasterium Instituti Benedictini fundatum in ditione Ragusina, fuit Melitense, cum Desa Comes Chelmi, & Dux Dalmatiæ superioris Insulam Melitam, ut docet Orbinus pag. 245. de Reg. Slavor. anno 1151. donavit tribus Monachis ex Ordine S. Benedicti, videlicet Marino, Simeoni, & Joanni, qui in extrema ejusdem Insulæ regione ad occasum, Cœnobium

ac

Digitized by Google

ac Templum ſub titulo & auſpiciis Deiparæ Virginis condiderunt; quod deinde Caput fuit & princeps Monaſteriorum S. Benedicti ſub imperio Reipublicæ Raguſinæ, ex quibus conſtat Congregatio Benedictina Melitenſis, de qua poſtea.

XVII. *Sub titulo S. Michaelis &c.* Monaſterium S. Michaelis de Peklina conditum fuit ante ſæculum decimum tertium, aut ſub hujus initia in inſula Jupana, cujus deſcriptionem habes in Tomo I. part. 2. proleg. cap. 17. §. 3. Una eſt ex Elaphitis Plinianis, eaque major, ſed alia ab inſula Tauride, ut ibidem probatum eſt; veriſimilior autem eſt conjectura Joannis Mariæ Matthæi, qui in ſuis ad nos litteris autumat, nomen hujus inſulæ *Ceroſſon* olim fuiſſe, eamdemque ipſam eſſe, quam innuit Apollonius Rhodius lib. IV. Argonaut. verſ. 573. poſtquam Iſſam, & Diſceladon, quæ nunc *Buſium* eſt, Pityiam, forte *Meliſellum*, & Corcyram Melænam nominavit.

Τῇ δ' ἐπὶ καὶ Μελίτῃ λιαρῷ περιγηθέες ἦρι
Αἴσυλίῃ τε Κεράσσον &c.
Poſt hanc etiam Melitam ſuavi & ſecundo vento lætiſſimi
Celſamque Ceroſſum præterevunt &c.

Melita autem prope abeſt a Jupana, quæ *Ceroſſos* recte dici potuit a Græcis ἀπὸ τῦ κέρας; quippe cornutam exhibet faciem in aliquot promontoria procurrens, quæ duos portus efficiunt, alterum ab occaſu, alterum ab ortu ſolis objectu inſulæ Chilianæ, quæ hodie *Jakgliana* vocatur, multo pulcriorem tutioremque. Recentiori vocabulo e Slavonica lingua deprompto inditum eſt inſulæ nomen *Jupanæ*, quod *dominium* ſignificat; cum certus ibi Elaphitarum Præſes conſtitueretur, quem Slavi *Jupanum* ideſt *Dominum* appellant, & Dynaſtis Zachulmiæ ſubjectus ante, quam Silveſter Rex Serblorum anno circit. 1080. hiſce inſulis donaret Commune Raguſienſium, qui Prætorem eo mittere primum ſolebant *Comitem inſularum* dictum; nunc ſuum Jupanæ, duabus reliquis alium præficiunt. Tota inſula millia paſſuum decem & octo circuitu complectitur; in ea mons eminet ab orientali latere, cujus ſummo in vertice ampla planities protenditur ſoli ubertate præcellens, ſed undique ipſis montis apicibus ita obſepta, ut, occluſo ventis e Borea flantibus aditu, ardentiores impendentis & reflexi ſolis æſtus ferat æſtatis & autumni tempore, unde illi Slavonicum cognomen *Peklina*, ideſt *fornax*, quæ ſubeſt huic nomini ſignificatio; corrupto autem vocabulo *Paklina*, *Pakgliena*, *Pakglieno* dicitur; & hinc titulus Eccleſiæ atque Monaſterio S. Michaelis in *Peklina* appellatis, & in ipſa planitie ad ſolem orientem extructis. Utrumque maximam præfert vetuſtatem; incerta tamen utriuſque initia; interior Eccleſiæ forma Græcæ ſtructuræ ſimilis eſt, ſed facies aliquantum differt & ingenio architecti, & tempore, quo videtur poſtea perfecta; nec inanis eſt conjectura, Monachos Slavos Græci inſtituti locum ante coluiſſe, quam in poteſtatem cederet Ordinis Benedictini: monaſterium ſane exiguum eſt & vix excipiendis octo aut decem Monachis aptum, cui præ foribus anguſti atrioli, quod illi & Eccleſiæ intermedium eſt, impoſita viſuntur inſignia familiæ Tudiſiæ titulo juriſpatronatus ſibi ab ipſa attributo; de quo paullo inferius dicemus. Primum hujus Monaſterii monumentum, quod compertum hactenus fuerit, legitur in teſtamento Philippi de Picinego condito 14. *Novemb.* 1272. & penes Lacromenſes ſervato; is enim legat *S. Andreæ de pelago pp duo ... ppum unum, S. Petro de dimidio mari ppum unum, Peclinæ ppum unum, Meletæ ppum unum;* & in libris Teſtam. Notar. Publ. deſcribi cœptis an. 1282. ſæpiſſime Monaſterium Peklinenſe commemoratur, ut in tabulis teſtamenti Eliæ Theodori de Reſtis 20. *Auguſti* 1284. *Monaſterio de Peklina groſſ. 4.* Sæculo inſequenti Raguſienſium decreto tres Procuratores curandis tuendiſque Monaſterii bonis præfecti fuerunt: *Die 2. Februar. 1305. &c. In Minori Conſ. &c. quod per D. Comitem & ſuum Conſilium quolibet anno eligantur tres Procuratores Monaſterii Peclinæ, & Monaſterii Melitæ, qui debeant videre & procurare omnia facta prædictorum Monaſteriorum.*

Martolus Theodoyſii.
Priaſmus de Ranena.
Johannes de Zelipa.

Cum vero an. 1323. Monachi de ædificanda in extremo montis cacumine eccleſia S. Nicolai conſilium cepiſſent, alio minoris Conſilii decreto juſſi ſunt inſulani orientalis partis accolæ ſuis ſumptibus calcem ad illud opus deferre; *Die 2. Novembr. 1323. &c. In Min. Conſ. &c. quod tota calcina, que eſt ad ripam maris in Jupana, omnes homines medietatis yſole, videlicet illi ex parte levantis teneantur cum ſuis expenſis portare ſuper monte ubi hedificatur eccleſia Monaſterii de Peclina, pena ad voluntatem Domini Comitis:* & anno poſt eadem opera legitur præſtituta, ut primus arcis exſtruendæ ambitus muro validiſſimo cingeretur ad arcendos piratas Almiſſanos, & Slavorum quorundam incurſiones repellendas, qui proximæ Stagni peninſulæ dominabantur, & orientales inſulæ colonos, ipſumque Monaſterium crebris latrociniis ac rapinis vexabant: *Die 5. Martii 1324. In Min. Conſ. &c. quod precipiatur hominibus yſule Jupane omnibus a medio yſule verſus levantem, quod deferant a ripa maris uſque ſummitatem montis, qui vocatur Caſtellum, tria miliaria de calcina eorum expenſis &c. dummodo de calcina primo muretur circuitum muri caſtri, quod debet fieri ſuper dicto monte, & de faciendo primo dictum murum detur bona plazaria de 50. yperperis per Monaſterium de Peclina.*

Martolus de Teduiſio ſe plazavit pro dicto Monaſterio de Peclina.

Suberant autem orientales inſulani eccleſiaſticæ Monachorum curæ, quorum unus Parochi munera obibat; nam ii, qui oppoſitam in occaſum inſulæ partem habitant, uni ſemper Paroeciæ S. Stephani Protomartyris ſubjecti fuere. Sæculo circiter decimo quarto conſtituta fuit in Eccleſia Monaſterii Sodalitas piorum quorundam hominum ſub titulo primum S. Michaelis, qui, cum ædiculam Deiparæ *a Gratiis* nuncupatæ poſtea ædificaſſent, Presbyterum eidem præfici voluerunt, ſacerdotio & domo penes ipſam ædiculam ipſi attributis, cujus opera in rebus ſacris, & animarum regimine ac adjumento uterentur. Verum auctis Sodalitii reditibus, anno circiter 1500. amplior eaque nobilior Eccleſia erigi cœpit, quæ anno 1560. perfecta fuit; & anno 1569. ſodales nummos centum contulerunt ad exſtruendam arcem, quam adverſus piratas Turcas conſtrui juſſerant Ragu-

Digitized by Google

gusini in occidentali Monasterii parte ; cum vero Aurelius Novarinus Archiepiscopus Ragusiensis jus Presbyteri huic Ecclesiæ præficiendi sodalibus denegasse videretur, decreto Camilli Borghesii Cameræ Apostolicæ Auditoris edito VI. Kal. Septemb. an. 1594. confirmata iisdem fuit potestas nominandi Presbyteri, qui hodie Parochi dignitatem gerit, & munus exercet in orientalem insulæ partem.

Tres tantum habeo vetustiores hujus Monasterii Præsides, sive Abbates, quos nominem,

Marcus Abbas Peklinensis ex testam. Petri Benvenutæ 13. April. 1348.

Dominicus Abbas Peklinensis ex tabulis Lacromensibus an. 1355.

Joannes Abbas Peklinensis in Albo Sodalitatis Presbyterorum S. Petri in Cathedra an. 1414.

Hoc sæculo decimo quinto Monasterium commendatario jure jam regebatur; & primus, qui possessionem loci tenuerit hoc *Commendæ* titulo, nescio quis fuit filius Pascojes Radichievichii, civis fortasse Ragusini, ab Eugenio IV. electus an. 1437., cui successit F. Blasius Constantinus Ordinis Dominicani assecla an. 1453., post hunc an. 1480. Joannes Venerius Archiepiscopus Ragusinus, & huic Franciscus Tudisius Nicolai filius, & Stephanus Francisci frater. Sed in potestatem Monachorum iterum transiit jus eligendi e suis quem vellent Abbatem sæculo decimo sexto ; & Monasterium in Congregationem Melitensem fuit adscriptum, cui Hieronymum de Ragusio Abbatem præfectum comperio in Melitensi conventu : hanc præfecturam postea gessit Chrysostomus Calvinus, aliique deinceps e Monachorum cœtu usque ad an. 1741. quamvis Monachi aliquot ante annos alio sæpe abeuntes stabilem in Monasterio commorationem negligere cœperant ; sed illicitæ ablentiæ culpam quidam veriti, & ædium vetustate ac terræ motibus fatiscentium ruinam, eodem an. 1741. a Romano Pontifice impetrarunt, ut Abbas & Monachi in domicilium Monasterii Viscgnizensis prope Ragusium commigrarent.

Ad familiam Tudisiam quod attinet, hæc inter Ragusienses nobilissima jus patronatus sibi ab antiquo adscivit in Peklinense Monasterium, & cum anno 1437. Eugenius IV. filio Radichievichii commendatariam loci possessionem contulit, hanc habuit curam Radichievichius, ut Marino Contareno Episcopo Catharensi Pontificii diplomatis exsequendi potestas tribueretur, veritus impedimenta, quibus Senatus Ragusinus, & Tudisii in primis obstitissent Eugenii decreto, si cui e Ragusiensi ditione delata fuisset. Obstitere tamen utrique, nec ante diem Decembris decimum nonum ejusdem anni decreverunt Patres, ut Episcopus Pontificis litteris obtemperaret, hac conditione adjecta, ut Monasterii proventus, iis demptis, quæ Radichievichii victui & cultui satis essent, depositi lege servarentur, dum lis, quam instituere cogitabant, Romæ dirimeretur: diu tamen sub judice fuit, cum Tudisii aut palam aut clam repugnaverint, quotiescumque ad Peklinense sacerdotium quisquam eligebatur usque in annum 1489. quo Franciscum Tudisium Nicolai filium Monasterii Præsidem ipsi nominaverunt, eique quadriennio post defuncto Stephanus Francisci frater ab iisdem suffectus fuit, quem Hieronymus Faventinus Vicarius Generalis Archiepiscopi Ragusini ita excepit, ut ne jus Archiepiscopale, siquod esset in Cœnobium Peklinense, læderetur, & ab loci possessione prohibuit, *quousque fuisset legitime declaratum*, electionem illam ad Tudisios pertinere, quos *patronos & a vexis patronis & fundatoribus ortos* appellat. Sed anno 1505. cum Julianus Maphæus Archiepiscopus Ragusiensis sacerdotium hoc sibi expeteret, ita inter hunc & Stephanum convenit, ut reditus Monasterii cederent Juliano, Stephanus Monachis præesset: idque per supplices litteras a Julio II. Pontifice impetratum est, in quibus dicitur Monasterium Pecklinense esse *de jure patronatus laicorum nobilium ex privilegio Apostolico, cui hactenus in aliquo derogatum non est*. Pontifex autem idibus Novembris an. 1505. potestatem dedit Cœnobiarchæ Melitensi subjiciendi Stephano Monachos Pecklinenses, ejusdemque, cum is vellet, admittendi in Ordinem Benedictinum; quod alterum utrum præstitum fuerit, incertum ; Juliano quidem mortuo, Stephanus & Monachis præfuit, & bonorum Pecklinensium possessionem adivit. Interea agebatur de Benedictina Melitensi Sodalitate instituenda, & Monachi Pecklinense quoque Cœnobium in idem corpus conjungi volebant, ubi Stephanus decessisset; cum vero Clementis VII. auctoritate in id opus incumberent an. 1528., Tudisii omnes, & ipse præsertim Stephanus aeri contentione repugnare cœperunt, & diu utrinque decertatum est magno partium studio. Stephanus autem Romæ, quo ob eam causam profectus fuerat, vita functus est an. 1552., nec Tudisii quidquam propterea Monachorum voluntati cessere; donec insequenti anno 1553. idibus Novembris, ne animi potius pervicacia, quam honesti, sin minus æqui ratione abduci in hujusmodi dissidium, pertrahique viderentur, in conjunctionem Pecklinensis Monasterii eum Melitensi Sodalitate ita consenserunt, ut quisque intelligeret a se permissum fuisse Monachis Pecklinensibus, ut societatem illam inirent, Hieronymum de Ragusio illius Cœnobii Præsidem antea electum in Melitensi conventu ab se veluti nominatum, & Monachorum regimini præpositum, nec suis ipsos juribus unquam in posterum cessuros. Hæc publicis tabulis consignata hic exhibeo ex lib. Diverf. Notar. Ragus. de 1553. fol. 10.

In C. nomine, Amen. Cunctis pateat evidenter, & notum sit, quod anno Nativit. ejusdem 1553. Indict. XI. die vero 13. Mens. Novemb. Pontificatus SS. D. in Christo P. D. Julii Div. Provid. Papæ III. anno 4. Constituti in præsentia mei Notarii & testium infrascriptor. Nobiles viri S. Franciscus Joannis de Tudisio, S. Blasius Joannis de Tudisio, & S. Natalis Jacobi de Tudisio, tanquam illi, qui habent, vel habere prætendunt jus patronatus Abbatiæ S. Michaelis de Paklina de Giuppana districtus Ragusii, præsentaverunt in manibus mei Notarii præsentationem infrascriptam rogantes, ut illam in publici documenti formam redigerem pro illius majori robore, & firmitate, cujus præsentationis tenor talis est, ut sequitur: SS. in C. Patri & D. N. D. Julio Papa III. post debitam Sanctorum Pedum deosculationem, humiles & devoti Filii & Oratores Franciscus Joannis de Tudisio, Blasius Joannis de Tudisio, & Natalis Jacobi de Tudisio felicitatem & tranquillitatem. Cum jam a die ultimo Martii an. 1552. nuper decursi Monasterium & Abbatia Ecclesiæ S. Michaelis de Pa-

Digitized by Google

ebtenta Insulæ Giuppanæ Ord. S. Benedicti per mortem R. D. Stephani de Tudisio ultimi ejus possessoris vacaverit, in qua de antiqua & approbata consuetudine ad nos præsentatio idoneæ personæ, quoties vacaret, pertinet, ac ejus unionem, annexionem, & incorporationem alias per fel. rec. Clement. PP. VII. de anno 1528. XII. Kal. Decembr. Pontif. sui anno V. cum aliis monasteriis, & abbatiis dicti Ordinis in Territorio Raguf. existentibus eam discrete rationabiliter & idonee factam perspeximus; nos attendentes, consentientes nobis & consequenter dictæ unioni, annexioni, & incorporationi, dicto nostro præsentandi jure, quod habemus, R. D. Hieronymum de Ragusio Abbatem d. Ecclesiæ S. Michaelis & Monachos pro præsentatis investitis & institutis haberi volumus, & per præsentes declaramus, & si, & quoties opus fuerit, denuo præsentamus: supplicantes propterea SS. D. N. prædicto, quod si & quoties nova unione, annexione, & institutione opus sit, ipsos ceu a nobis præsentatos, habiles & idoneos compertos, gratiose admittere & recipere dignetur. Acta sunt hæc Ragusii in Notaria publica Civitatis ejusdem sub die, mense, anno, Indict., & Millesimo quibus supra, præsentibus ad hæc D. Laurentio de Gigantibus, & D. Blasio de Vodopia juratis Cancellariæ Civitatis ejusdem testibus ad præmissa vocatis, habitis specialiter, atque rogatis.

Nihil præterea in hac controversia actum comperio.

Alterum in exigua &c. Monasterium S. Andreæ in Pelago, ab Insula media, quæ olim *Delafodia*, tria circiter passuum millia in Austrum distat, viri nobiles familiæ Zrievæ, nunc Cervæ, fundarunt. Huic qui præerat, primum fortasse Abbatis, deinde Prioris titulum sumpsit. In Tabulis supremis Philippi de Picenego paullo ante laudati an. 1272. *S. Andreæ de Pelago ppi duo*, Damiani de Volcasio 1295. *Monasterio S. Andreæ de Pelago ppi* 12. relicti leguntur; item in illis, quas anno 1343. confecit Vitus Marini filius, *Volo*, ait, *quod dentur Monasterio S. Andreæ de Pelago ppi* 21. In quodam Codice Lacromensi *Prior* S. Andreæ de Pelago, tacito nomine, commemoratur. Pius II. Præfecturam, sive Prioratum S. Andreæ de Pelago contulit F. Marino de Restis alumno disciplinæ Franciscanæ; *Erat is*, ut tradit P. Dolci in suis monumentis, *plurimum charus Pio II., utpote qui in Hungaria, una cum ipso, ad tempora S. Joannis Capistrani extiterat . . . & ab ipso in suum Sacellanum electus, & quodam Beneficio regulari in Rbacusino Statu, hoc est S. Andreæ de Pelago, donatus fuit.* Huic in eam Præfecturam successit anno 1468. F. Franciscus Fortis ex Ordine Prædicatorum nominatus atque electus tum a Patronis ejus Monasterii e gente Cervia, tum a tribus Monachis *D. Paullo de Laguſta*, *D. Antonio de Ragusio*, *D. Michaele de Catharo*, ex quibus tunc religiosa familia ejusdem Cœnobii constabat. Hanc electionem rejecit quidem Timotheus Maphæus Archiepiscopus Ragusinus; sed a Sede Apostolica confirmandam curarunt. Francisco alii deinde ex aliis subrogati sunt usque ad annum 1667., cum Templum & Monasterium terræmotu corruit; neque umquam postea restitutum fuit; titulus tamen *Prioratus* retentus, qui uni de Monachis Congregationis Melitensis, cum administratione bonorum, conferri solet.

Patritius Ragusinus &c. Anno circiter 1234. Joannes Gundula ædificavit & opulentis proventibus dotavit Monasterium SS. Philippi & Jacobi apud Visgnizam, non longe ab Ragusio; quod adhuc incolume stat, & tum numero Monachorum, tum disciplinæ monasticæ observantia floret, de quo postea in Arrengerio Archiepiscopo Ragusino.

His alia duo Monasteria Benedictina ditionis Ragusinæ addenda essent, alterum *S. Petri in medio mari*, alterum Mercanense S. Mariæ, quæ Abbas Georgius prætermisit: sed de his in Episcopis Tribunensibus, veluti suo loco, agendum.

XIX. *Quatuor illa Monasteria &c.* Sæculo decimo sexto quinque omnino erant in Ragusina ditione Monasteria S. Benedicti; Lacromense, Melitense, S. Andreæ de Pelago, S. Michaelis in Insula Jupana, SS. Philippi & Jacobi de Visniza; nam Razatense Monachis abeuntibus desertum fuerat, illud vero S. Petri in medio maris, & Mercanense S. Mariæ in jus potestatemque Episcoporum Tribunensium transierant. Cum autem Lacromense, omnium antiquissimum, sæculo decimo quinto ad Congregationem Patavinam S. Justinæ aggregatum fuisset, de quo plura in Francisco de Capitibus Archiepiscopo Ragusino, quatuor supererant, Melitense, S. Andreæ, S. Michaelis, SS. Philippi & Jacobi, quæ nullo religiosæ societatis nexu inter se devincta cum essent, singula seorsum ab aliis, sine aliorum consensu vel respectu, res suas agebant, nullius, præterquam sui Abbatis, nullius inquam supremi omnium Præsidis potestati suberant; ex quo fiebat, ut res monastica quotidie in deteriorem statum laberetur. Hieronymus Benessa Abbas Melitensis, vir eximiæ virtutis, doctrinæ & prudentiæ, auctor fuit quatuor illa Monasteria sub uno capite, tamquam membra, colligandi, & Congregationis instituendæ, quæ a Cœnobio Melitensi, omnium secundum Lacromense antiquissimo, Melitensis appellaretur; nam pro sua sapientia satis intelligebat, nihil validius esse ad cœtus religiosos conservandos, atque ad disciplinam monasticam tuendam, quam conjunctionem animorum, & societatem multorum inter se, rerumque omnium communitatem. Quid sui consilii esset, Senatui Ragusino aperuit, qui rem omnem de communi sententia approbavit; & Clementi VII. supplicandum censuit, ut ad normam Congregationis Casinensis Monachos ditionis Ragusinæ inter se sub uno Præside conjungeret, & præscriptam in supplicibus ad eum litteris, magistratuum, legum, totius regiminis monastici descriptionem, auctoritate Apostolica confirmaret, simulque privilegia omnia, quibus gaudet Casinensis, Melitensi Congregationi impertiret atque communicaret; liceret præterea octo Monachos nationis Ragusinæ, ex Italia, vel aliunde venientes, in hanc Congregationem recipere, ad paucitatem Monachorum supplendam. Cæterum antea Nicolaus V. ann. 1451. Monasteria Benedictina, quæ sub imperio erant Reipublicæ Ragusiensis, communione legum ac juris inter se conjunxerat. Nicolai litteræ perierunt, in quibus, ut ex aliis monumentis didicimus, id præterea a Pontifice jussum, ut Matthæus Abbas Monasterii Visgnizensis S. Jacobi totius Melitensis Sodalitatis Præses eligeretur. Incompertum tamen est, quid ab eo sit præstitum in regendis ceteris Monasteriis, licet ad annum 1469. vitam

Digitized by Google

produxerit ; cui in Præfectura Viſgnizenſi ſucceſſit Paullus Ratkovichius, antea Eccleſiæ S. Blaſii Parochus, ac inde, parœcia abdicata VII. Kal. Octob. ejuſdem anni, Monachus Benedictinus. Sed cum Paullus II. Monachos Lacromenſes ad Monaſterium S. Juſtinæ aggregavit, illa conjunctio disjuncta fuerat. Itaque Clementem VII. rogatum eſſe voluerunt, ut quod olim Nicolaus decreverat, ipſe confirmaret, & conjunctionem illam redintegraret, atque perficeret. Hic ſubjicio litteras ſupplices Senatus Raguſini, ex libro Excel. Rogatorum Conſilii ann. 1528.

Beatiſſime Pater. Alias felic. recordationis Nicolaus Papa quintus S. V. Prædeceſſor ad ſupplicationem . . . humiliter ſupplicant S. V., quatenus quo ad Monaſterium S. Mariæ Melitenſis, & S. Jacobi de Viſgniza, ac S. Michaelis de Jupana, & S. Andreæ in Pelago, per Priorem ſoliti gubernari, litteras piæ recordat. Nicolai V. prædeceſſoris V., atque in eis contenta quæcumque, etiamſi revocata . . . numquam ſortita effectum fuerint, approbare, renovare, ac denuo facere . . . & quod modernus Abbas S. Michaelis de Jupana quandocumque, & quomodolibet cedens, vel decedens, dimittens, vel amittens, dictum ſuum Monaſterium, ſtatim & immediate intelligatur unitum, incorporatum atque colligatum Monaſterio Melitenſi, ac Monaſterio S. Jacobi, & S. Andreæ in Pelago ; & ita quatuor iſta Monaſteria, unita, colligata, atque incorporata regantur ſecundum ordinem & regularia inſtituta Caſinenſis Congregationis, & ſecundum litteras Nicolai V. prædeceſſoris V. perpetuo regi debeant, & gubernari, niſi in his, quæ hic aliter alio modo expreſſa fuerint ; & quod ad ſummum octo Monachi nationis & gentis noſtræ ejuſdem Congregationis, ex Italia, vel aliunde poſſint venire libere, & abſque licentia ſui Superioris, cum licentia tamen Capituli prædictorum Monaſteriorum unitorum in Raguſina Diœceſi, vel cum licentia Generalis ejuſdem Congregationis Melitenſis pro tempore exiſtentis cum ejus deputatis Viſitatoribus ; & quod licite & libere permanere valeant in prædicta Congregatione, abſque alicujus licentia deſuper requiſita, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis ipſorum Monachorum, qui venire voluerint . . . omnes ſuo nomine hic expreſſi fuiſſent. Qui Monachi ad ſummum octo . . . venire in prædicta Congregatione Melitenſi infra . . . . a die factæ unionis, & incorporationis, atque colligationis illorum Monaſteriorum. Quodque ſingulis annis fiat Capitulum generale . . . ex prædictis Monaſteriis, in quo eligantur Abbates, & Priores annuales. Ipſi vero Abbates, & Priores, ſic electi, alios officiales in dictis Monaſteriis deputare poſſint, & abſque alia confirmatione curam, regimen, & aliud ipſorum Monaſteriorum, nec non alia quæcumque Abbates & Priores dictorum Monaſteriorum, qui fuerint pro tempore, facere potuerint, aut conſueverint, exercere, facere libere . . . licite valeant. Et prædictorum Abbatum, Priorum & aliorum . . . hujuſmodi officia per annum dumtaxat durent ; & illo finito, ſupradictum Capitulum alios Abbates ſimul & Priores eligat. Ipſi vero ſic electi alios officiales deputare poſſint & debeant. Si autem dictum Capitulum viderit hoc eſſe plurimum opportunum, poſſit Abbates & Priores hujuſmodi, finito anno, ad alium annum reeligere ; & ita in uno, & eodem Monaſterio reeligi poſſit, uſque ad triennium inclusive ; in aliis vero Monaſteriis poſſint transferri Abbates & Priores ſingulis annis, ſecundum ordinationem, & inſtitutionem Caſinenſis Congregationis, atque in prædicto generali Capitulo tres Definitores ad minus creentur ſingulis annis propter paucitatem Monachorum, donec Deo favente numerus augeatur Monachorum. Quorum Definitorum poteſtas ſit eadem ipſa, quæ eſt novem Definitorum in Caſinenſi Congregatione. Poſtremo in prædicto generali Capitulo ſingulis annis eligatur unus Præſidens, ſive Generalis, cujus officium ſimul & Definitorum duret per annum ; niſi quod ex legitima cauſa Præſidens ipſe, ſive Generalis poſſit reeligi in alterum annum, & poſtea vacet per biennium, ſecundum Ordinationes Caſinen. Congregationis. Et quod in Monaſterio Melitæ non poſſit eligi & eſſe Præſidens, ſive Abbas, niſi Monachus ex ſubditis noſtris. Et quod Privilegia omnia, immunitates, & conceſſiones, & exemptiones, quibus Monaſteria Caſinenſis Congregationis utuntur, fruuntur & gaudent, uti, frui, & gaudere Monaſteria unionis Melitenſis poſſint & valeant ; quodque Congregatio iſta Melitenſis ſit exempta ab omnibus Legatis, Epiſcopis, & quibuſcumque aliis juriſdictionem habentibus ordinariam, ſive extraordinariam, delegatam ſive ſubdelegatam ; quod nullus cujuſcumque dignitatis exiſtat, poſſit accipere Commendam, ſive adminiſtrationem dictorum Monaſteriorum, vel ſub eorum fructibus aliquam penſionem, vel jus acquirere. Poſtremo quod omnia & ſingula privilegia Congregationis Caſinenſis, atque S. Juſtinæ, indulta, indulgentiæ a Summis Pontificibus conceſſa, vel in futurum concedenda, ſint, & intelligantur eſſe prædictæ Congregationis & unionis Melitenſis ; quodque Congregatio ipſa Melitenſis omnibus & ſingulis illis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus uti, frui, & gaudere poſſit & valeat, ac ſi de verbo ad verbum omnia illa privilegia in ſpecie & particulari hic expreſſa fuiſſent, quæ in Privilegiis Caſinenſis Congregationis latius continentur ; quorum tenorem hic volumus haberi pro expreſſis.

Hoc ut obtinerent Raguſini, Maurum Vetranum Abbatem Melitenſem ad Pontificem legatum elegerunt ; quo abnuente, ei ſuffectus Damianus Allegrettus Eccleſiæ Raguſienſis D. Blaſii Plebanus. Poſtulatis vero Raguſienſium annuit Pontifex litteris eodem anno 1528. datis XII. Kal. Decemb., ut conſtat ex tabulis anni 1553. in lib. Diverſ. Notariæ Raguſ. quas ſuperius protulimus ; & aliis præterea ad Præſidem & Abbates Congregationis Melitenſis litteris tum eadem fere, quas Senatus poſtulaverat, explicatione, & correctione aliqua adhibita, tum alia inſuper decrevit, ipſiſque petentibus conceſſit idem Pontifex an. 1530.

Clemens &c. Dilectis filiis Præſidenti, & Prælatis Congregationis Melitenſis Ordinis S. Benedicti, regularis obſervantiæ, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Regularis obſervantia, qua gratum Altiſſimo ſub ſuavi Religionis jugo impenditis famulatum, promeretur ut honeſtis veſtris petitionibus annuamus. Hinc eſt, quod nos veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis concedimus, quod Abbates, & Monachi Congregationis veſtræ Melitenſis, nunc & pro tempore exiſtentes, tres Definitores, quorum duo de numero Prælatorum, tertius vero Conventualis, eſſe debeant, eligere, alios vero, quos ad id, de communi conſenſu, magis idoneos judica-

verint, ſi neceſſe fuerit, admittere libere & licite valeant: cum autem de Monaſteriis Congregationis hujuſmodi numerus Monachorum ita remotus fuerit, quod inter laudabiles ritus, ſtatutum & conſuetudines Congregationis Monachorum Montis Caſinenſis Ordinis veſtri S. Benedicti, ad Capitulum Generale Conventualem deſtinare poſſint, tunc quilibet probatus Congregationis veſtræ Melitenſis, ſingulis annis, ſecundum modernas & antiquas Ordinationes Congregationis Montis Caſinenſis hujuſmodi, aliquem Monachorum ad arbitrium Definitorum eligere poſſint in proprium & legitimum Conventualem, qui ſic electus in Capitulo generali vicem gerens totius Conventus, a quo electus & miſſus fuerit, circa electionem Definitorum hujuſmodi, vocem activam & paſſivam habere poſſit; ita tamen, quod inter dictos tres Definitores, unus tantummodo Conventualis eſſe & eligi poſſit. Et ut unitas & pax in dicta veſtra Congregatione Melitenſi ſemper vigeat, in illius Prælatum ac Præſidentem quilibet cujuſcumque nationis, vel patriæ exiſtat, eligi poſſit. Et ſi Præſidens ſic electus infra annum ab humanis deceſſerit, primus tunc Viſitator, uſque ad proximum futurum Capitulum generale, vices Præſidentis gerere, & juxta ejus beneplacitum Dietam, in qua tres ad minus de ordine Prælatorum, ſi commode haberi poterunt, ac alios, ſi qui reperti fuerint, qui in ipſa Congregatione Melitenſi dignitatem, vel ordinem habeant, convocare, & in ipſa Dieta ſic convocati, Abbates creare, & alia jura & juriſdictiones exercere poſſint. Et ſi contigerit ipſum primum Viſitatorem decedere, exiſtentium ille, qui primum locum, ſeu dignitatem, vel ordinem habere repertus fuerit, ad minus ſex Monachos ex antiquioribus, ac Deum timentibus, ex quolibet Monaſterio Congregationis Melitenſis hujuſmodi, ſi ipſa Congregatio id permiſerit, convocare; alioquin tota in Congregatione ipſa Melitenſi, communi conſenſu, & voluntate, Præſidentem & Abbates creare poſſint, ipſique Præſidens, & Abbates ſic creati, electioni de eis factæ hujuſmodi conſenſum præſtare teneantur; ac jura, & juriſdictiones exercere poſſint. Et quia frequens Prælatorum mutatio non mediocre Monaſteriis gravamen afferre conſuevit ipſius Congregationis Melitenſis juxta diſpoſitionem & voluntatem Definitorum, in unoquoque Monaſterio Congregationis Melitenſis hujuſmodi, per quinquennium reeligi valeant. Præſideus vero Congregationis Melitenſis hujuſmodi pro tempore exiſtens, omnes Monachos S. Benedicti ac Congregationis Montis Caſinenſis hujuſmodi etiam litteris & perſuaſionibus ad ſe vocare, vocatoſque, de ſuorum Prælatorum licentia recipere, & apud ſe in eadem Congregatione Melitenſi retinere, eoſque in ea incorporare, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, & indulgemus.

Et nihilominus Venerabilibus Fratribus noſtris Caſertanenſi (f. Corzolenſi) & Marcanenſi Epiſcopis, ac dilecto filio Archidiacono Eccleſiæ Raguſinæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios, vobis efficacis defenſionis auxilio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra vos præſentibus litteris, ac conceſſione, & indulto in eis contentis pacifice frui, & gaudere: non permittentes vos per quoſcumque deſuper indebite moleſtari, inquietari, aut conturbari, contradictores, per cenſuram eccleſiaſticam, & alia juris opportuna remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus &c. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarn. Dominicæ milleſimo, quingenteſimo trigeſimo, VI. Id. Junii, Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

P. Martianus. *P. Attavanis.*
B. Gentilis. *Coll. B. Caſaregia.*

XX. *Deteriori ſtatu ut eſſe non poſſent.* Ardor ille animorum & alacritas, quæ bonos illos Monachos in unam Congregationem coeundi, & diſciplinæ monachalis reſtituendæ, ac ſtudioſius colendæ cupiditate incenderat, brevi deferbuit; neque auctus eſt numerus Monachorum, ſed potius diminutus; & quæ ad creationem Magiſtratuum, regimenque monaſticum, ex formula tum a Senatu, tum a Pontifice præſcripta, paſſim neglecta ſunt. Itaque neceſſe fuit Chryſoſtomum Calvinum, virum eximiæ ſanctitatis & doctrinæ, atque Inſtituti monaſtici ſcientiſſimum e Congregatione Caſinenſi evocari; qui, ut ait Franciſcus Serdonatus in oratione elegantiſſima, Raguſii habita in funere Chryſoſtomi Calvini Archiepiſcopi, *fere labentem Melitenſem Societatem D. Benedicto dicatam, cæteraſque, quæ ab illa pendent, ſuſtinuit, & conſtituit . . . tantum enim diligentia & induſtria profecit, ut cito illa Societas & numero hominum, & eorumdem divina eruditione aucta ſit; itaque neminem operis, quod ibi factum eſt, pœnitere potuit.*

XXVI. *Secundum Præſidem Melitenſem judicavit.* Verum anno 1672. aliter decreverat Sacra Rituum Congregatio: *Cum alias Sac. Rituum Congregatio de anno 1661. ad preces Reip. Raguſinæ indulſerit tolerandum eſſe, ut Abbates Ordinis S. Benedicti, qui in Statu Raguſino reperiuntur, in quibuſdam illius Civitatis ſolemnitatibus, ornamentis pontificalibus utantur; deinde decrevit Canonicis capitulariter incedentibus deberi præcedentiam ſupra dictos Abbates. Hodie vero denuo pro parte Capituli Raguſini ſupplicatum fuit declarari, an tale decretum habeat locum ſi Abbates Pontificalibus induti ſint. Et eadem Sac. Congregatio, referente D. Cardinali Raſpono, affirmative reſpondens, declaravit præcedentiam deberi Capitulo, hac die 14. Maji 1672.* Abbates Cœnobii Melitenſis jure rituque epiſcopali pagos & parœcias Inſulæ luſtrare ſolent; & quæ ad decorem, ornatumque ſacrarum ædium, ad cultum divinum, ad rectam Chriſtianæ plebis inſtitutionem, & diſciplinam eccleſiaſticam pertinent, Parochis & paganis præſcribere ſolent. Si qui tamen ſacro Chriſmate inungendi ſunt, Archiepiſcopum, vel alium quempiam Antiſtitem accerſunt; ſi qui ad clericalem cœtum adſcribi velint, eos, itemque Monachos ſacris Ordinibus initiandos, cum ſuis litteris commendatitiis ad Archiepiſcopum Raguſinum dimittunt.

Haud multis ante annis Benedictus XIV. Congregationem Melitenſem privilegiis omnibus, atque immunitatibus Congregationi Caſinenſi conceſſis, rurſus impertivit, & cumulavit.

Benedictus PP. XIV. ad futuram rei memoriam. Militantis Eccleſiæ regimini per ineffabilem Divinæ Bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum noſtrorum ſuffragio, præſidentes, Religioſorum virorum Altiſſimi obſequiis ſub ſuavi monaſticæ vitæ jugo mancipatorum, ubereſque in Eccleſia Dei fructus, adſpirante ſuperni favoris auxilio, proferre jugiter ſatagentium commodis,

Digitized by Google

& felicibus in via mandatorum Domini progreſſibus, libenter conſulimus, ſicut ad Omnipotentis Dei gloriam, religionis incrementum, & animarum ſalutem in Domino expedire arbitramur. Exponi ſiquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Præſidens Generalis, Abbates, ac cæteri Monachi Congregationis Melitenſis, in Civitate, & Dominio, ac ditione Reipublicæ Raguſinæ exiſtentis, Ordinis S. Benedicti, vulgariter nuncupatæ de' Monaci neri, Benedettini, quod Congregatio præfata uſque a primæva illius erectione ſub Regula, & Inſtituto Congregationis Caſinenſis ejuſdem Ordinis S. Benedicti auctoritate Apoſtolica inſtituta fuit, hujuſque Congregationis Melitenſis Monachi Regulam ejuſdem Sancti Benedicti ſemper, & hucuſque de præſenti profeſſi fuerunt, & profiteri pergunt; & quatuor ejus Monaſteria, nempe SS. Philippi, & Jacobi in ſuburbiis Civitatis Raguſinæ poſitum, S. Mariæ de Meleda parum ab eadem civitate diſſitum, S. Michaelis de Juppana, & S. Andreæ in Pelago reſpective nuncupata, licet in ultimis dictis duobus Monaſteriis de præſenti Monachi non reperiuntur, attento quod unum ex illis a terræmotu, qui anno MDCLXVII. accidit, totum everſum remanſit, alterum vero propter malum fabricæ ſtatum clauſum reperitur, exiſtentibus tamen Superioribus titularibus, reguntur ac gubernantur, ipſi exponentes, ut in piis, & ſalutaribus operibus ferventiores & alacriores ad divini nominis laudem & gloriam, ad hæreſum extirpationem, & Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltationem de cætero perſiſtant; plurimum cupiunt, pro majori ipſius Congregationis ſplendore, & decore privilegia Congregationis Caſinenſis, alias S. Juſtinæ de Padua, & aliarum Congregationum dicti Ordinis, eiſdem Monaſteriis, ex hujus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ indulgentia, ſibi communicari. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus Monaſteriis prædictis, & aliis dictæ Congregationis Melitenſis in futurum congregandis, illorumque Præſidentibus, Viſitatoribus, Abbatibus, Monachis & perſonis præſentibus, & futuris, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, & indultis temporalibus, & ſpiritualibus prædictæ Congregationi Caſinenſi alias S. Juſtinæ de Padua, & aliis Congregationibus ejuſdem Ordinis, & illarum Præſidentibus, Viſitatoribus, Abbatibus, Superioribus, & Monachis, ac perſonis quibuſcumque, illarumque Eccleſiis & Monaſteriis etiam per viam communicationis, vel extenſionis, aut alias quomodolibet per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac etiam per nos forſan conceſſis & in futurum concedendis, ac quibus earum Congregationum Abbates, Superiores, & Monachi, nec non Eccleſiæ, & Monaſteria hujuſmodi de jure, uſu, & conſuetudine, privilegio aut conceſſione Apoſtolica, in genere, vel in ſpecie, ac tam conjunctim, quam diviſim, ſeu alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere poſſunt, ac poterunt, dummodo tamen ſint in uſu, nec revocata, aut ſub ullis revocationibus comprehenſa exiſtant, neque Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, aut Conſtitutionibus Apoſtolicis repugnent, pari modo uti, frui, potiri, & gaudere valeant perpetuo, concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſos exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant, ad effectum præſentium tantum conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, præfatæ Congregationi Melitenſi, ejuſque Præſidenti, Abbatibus, & Monachis, cæteriſque perſonis dictæ Congregationis, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, & gratiis temporalibus, ac ſpiritualibus, quibus potiuntur, & gaudent Congregatio Caſinenſis, & aliæ dicti Ordinis S. Benedicti, potiri, ac gaudere poſſint auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere; ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime ſuffragari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari & definiri debere, ac irritum & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberentur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIII. *Septembris MDCCXLIII. Pontificatus Noſtri anno quarto.*

D. Card. Paſſioneus.

Hic vero haud injucundum lectoribus fore arbitror, deſcriptionem ſubjicere Inſulæ Melitenſis, quam idem D. Ignatius inſeruit Procœmio præfixo *Diſſertationi* doctiſſimæ, atque eruditiſſimæ, quæ inſcribitur; *D. Paulus Apoſtolus in mari, quod nunc Venetus Sinus dicitur, naufragus, & Melitæ Dalmatenſis Inſulæ poſt naufragium hoſpes.*

Melitæ Illyricianæ
Notitia.

Inſulæ Melitenſis deſcriptio.

I. *Melita Inſula, nunc* Meleda, *ſurgit in mari Adriatico, quod recentiori vocabulo Sinum Venetum nuncupamus. Supremum ejus dominium habet Reſpublica Raguſina; utile prope totum Monachorum nigrorum S. Benedicti Hierocratia, ſeu Congregatio, quæ ab eadem Inſula etiam nomen accepit. Corcyræ Melænæ ad Occidentem, & ad Orientem Jupanæ Inſulæ (quam Elaphitem Plinius, Tauridem Hircius vocat, quod taurinam, vel potius cervinam frontem referat) interjacet; a prima duodeviginti, ab altera ſex millibus paſſuum diſſita, rectaque in adverſo Italiæ littore proſpiciens Garganum montem Apuliæ, plus minus centum ac viginti milliarium intervallo. Tribus circiter paſſuum millibus a continente Illyrici, ſexagenis ab Epidauro abeſt; pluſquam ſexaginta millia ambitu complectitur, aperitque præter minores multos, quinque tutiſſimos, atque eximios portus, ingentium claſſium capaces. Habet prærupta montes, arva feracia, paſcua, ſil-*

ſilvaſque denſiſſimas, quæ viperis, vel Ammoditibus adeo præſentaneo veneno præditis ſcatent; ut qui ab illis percuſſi ſunt, poſt paulo in tumorem verſi, liventeſque, ea morte exanimentur, quam Meliteuſes ominabantur Apoſtolo Paulo, dum putabant ἄνδρα μίαν τίμωρασθαι, ἣ κατατίτακεν ἄφνω πεσὼν, fore, ut intumeſceret, vel caderet repente mortuus. Maximam partem, qua mari imminet, aſperis cautibus ſcopuliſque, veluti propugnaculis ita cingitur, ut tamen haud deſint & leniores appulſus, & acclivia littora, non uno ditbalaſſo, dorſoque ſub mari exſurgente, magnis navibus inſidioſa.

II. *Incolæ ſimplices ac rudes ut plurimum ſunt, ſed perquam hoſpitales atque humani; nam dummodo liberaliter hoſpes, lauteque pro eorum opibus accipiatur, per plures exinde dies eſurire non dubitant. Hujuſmodi mos ac ferme religio hoſpitalitatis apud eos ab origine inolevit: & forte non temere putavero illos inter Illyricas gentes potiſſime deſignari in Periegeſi Scymni Chii, ubi hæc verba leguntur.*

Ἡδ' Ἰλλυρὶς μετὰ ταῦτα παρατέτακται χθ
Ἔθνη περιέχει πολλά ....
.... Θεοσεβεῖς δ' αὐτοὺς ἄγαν
Καὶ σφόδρα δικαίους φασὶ, καὶ φιλοξένους.

Extenſa poſt hæc Illyris quamplurimas
Gentes tenet complexa .....
..... Hos homines admodum pios ferunt,
Multumque juſtos, atque amantes hoſpitum.

Moris antiqui tenaciſſimi ſunt: neque conſuetos ſibi, atque a majoribus ſuis jam inde ab ultima vetuſtate deductos ritus ullatenus patiuntur immutari: hac paræmia, veluti quodam Sibyllæ folio, eorum animis inhærente: Sve na staru: *hoc eſt;* More majorum vivitor: a patribus tradita ne immutantor.

III. *Viget apud ipſos fama antiquiſſima Apoſtolum Paulum in eorum inſulam fracto enataſſe navigio, ac perhumaniter ſuſceptum multa mirabilia patraſſe. Viget, inquam; ſed eo plane modo, quo apud Chriſtianos Macedonas de ejuſdem Apoſtoli Philippenſi, Beræenſi, ac Theſſalonicenſi commoratione memoria, nullo ſcilicet ſuperſtite ſplendido monumento. Cauſſa hujuſmodi defectus in Macedonia Turcarum tyrannis; nec diſpar in Melita Dalmatenſi, videlicet Barbarorum quondam incurſiones, & diuturna poſt hæc Ethnicorum dominatio, atque inde conſecuta impotens ad magna efficienda paupertas, & infrequentia habitatorum. Verum hujuſce rei rationes in poſtrema inſpectione tractabimus.*

IV. *Quod ad hujus inſulæ antiquitates: conſtat eam ſub Octaviani Cæſaris Principatu florentem armis, opibuſque, ac finitimis Corcyræ nigræ incolis, Istidem pollentibus, & aliis fortaſſe vicinioribus Dalmatis fœderatam nedum Adriaticum, ſed ulteriora quoque maria claſſibus infeſtaſſe; agreque tandem & ingenti bello ab ipſomet Octaviano fuiſſe perdomitam.* Auguſtus, *inquit Appianus in Illyricis*, deficientes Melitinos, & Corcyræos, qui inſulas incolunt, ingenti belli mole ſuperavit, quoniam maria claſſe prædabantur. *Tradunt incolæ, a proavis tranſmiſſa notitia, cui & inſulæ inſularisumque natura conciliat fidem, eos tolerandæ inediæ, ac exercendæ piraticæ laborioſiſſimo uſu, necnon fundarum certitudine, quibus tractandis Balearicos æquabant, perinde ac pugnatorum numero, locorum aſperitate, nemorumque vaſtis atque indeprehenſis anfractibus illam Romanorum aggreſſionem diu ac ferociſſime ſuſtinuiſſe, ita ut, quod Suetonius prodit in quodam bello Dalmatico Auguſtum lapide vulneratum fuiſſe, nunquam negare auſim, id memorabile vulnus deberi potius, quam aliis, peritiæ Melitenſium funditorum.*

V. Halieuticon *liber in hac Inſula cenſetur ab Oppiano Anazarbæo conſcriptus: quem perpetuum comitem genitoris Ageſilai (inter Aſianos principis viri, atque in Illyricam Melitam jubente Septimio Severo deportati), uſque ad Antonini Caracallæ imperium, hic ætatem egiſſe, teſtatur vetus Oppianæa vitæ ſcriptor, ejus Halieuticis, ac Cynegeticis præfixus. Etiamnum magnificarum Ædium (Palatium hodie vocant) rudera Græcanicæ ſubſtructionis viſuntur in interiori receſſu portus, qui propterea Palatinus dicitur; perhibeturque tam nobile ædificium Oppiano quondam Patris ſui συνεκδήμῳ præbuiſſe & domicilium, & Muſæum.*

VI. *Præcelſi cujuſdam montis apex in notabilem, nec inconcinne, altitudinem debiſcit. Antrum Nympharum nominant. Narrant quidam ſuperſtitioſi, vix ullum, qui ea ſecreta ſubierit, ceu verendi adyti violatorem, non cita morte periiſſe. Intus aquæ dulces, nec impolita aquarum receptacula, plurimaque argumenta antiquiſſimi, ſed incerti inquilini. Hæc domus eſt, ſi fabulari libeat, Nymphæ Calypſus, cujus inſulam Apollonius Rhodius ad Illyricum locat; ſeu potius Corcyrenſis Nymphæ Melitæ, quæ ex Hercule Hyllum concepit, finitimæ Illyridis, eodem Apollonio teſte, dominatorem. Si liceret hic ex fabulis conjectare, forte non incongrue putaverim, principem aliquam fœminam, nomine Melitam, e Corcyra Epirotica huc advectam, aliquot Illyrici Inſulas ditione tenuiſſe, atque Inſulæ, quam inhabitaverit, ſuum nomen, adjacenti vero Corcyræ Melænæ, patriæ ſuæ cognomentum impoſuiſſe, Hylli filii exemplo uſam, qui regnatos populos (Scylace, aut Scymno narrantibus) Hyllos a proprio vocabulo, Heraclæamque Illyricam, urbem olim ſui regni præcipuam, ab Herculis genitoris appellatione cognominaverat. Piget profecto ſeria tractantem, in fabuloſis antiquitatibus immorari: at ſi vellem, non deeſſent documenta, quibus ab Africanis Melitenſibus, quicquid fabularum ad eorum vetuſtiſſimam nobilitatem confirmandam, Philippus Cluverius, Jo. Franc. Abela, Burchardus Niderſtedius &c. operoſe congeſſere, in noſtra monumenta avertere facile poſſem. Nam & Calypſo, & Melitam, & Hyllum habemus. Appianus præterea Cyclopas, Polyphemumque Regem cum conjuge Galathea, certe perantiquis uſus Auctoribus, noſtræ regioni annuit: quorum & oſſa gigantæa ad Hadriani Imperatoris uſque ætatem ſuperfuiſſe docet his verbis Phlegon.* Ἐν Δελμασίᾳ τε τῇ τῆς Ἀρσιμιδοτ κατωρυγείῳ σπηλαίῳ εἶσιν ἰδεῖν πολλὰ σώματα, ὧν τὰ μὲν πλευρὰς ὀκτὰ ὑπερβάλλει ἑκκαίδεκα πήχεις. In Dalmatia quoque in ſpelunca, quæ Dianæ appellatur, videre eſt plurima corpora, quorum oſſa coſtæ unius ſexdecim ulnas excedant.

VII. *Urbem in hac Melita Dalmatienſi olim fuiſſe ſatis conſtat; quo tamen tempore vel condita fuerit, vel ſubverſa, ob remotiſſimam antiquitatem incertum eſt. Adhuc permanet nomen civitatis in quodam jugo Inſulæ: attamen vel ipſa veſtigia deperierunt. Porphyrogennetæ quidem Conſtantini teſtimonio Civitas eidem tribuitur, dum aliquas Dalmatenſium Inſularum, (in quibus Melitam nominat) urbes memorat, veluti ævo ſuo habitantibus deſtitutas. Apud Polybium occurrit civitas Illyrici Melituſſa, quam ap-*

Digitized by Google

appellationem toti Insulæ affingit Volaterranus. Pagis hodie quinis tantummodo, tractus ejus cultui obedientiores frequentantur: quos inter Coritensis, & urbanitate incolarum, & numero commodisque patrum nostrorum memoria adeo florebat, ut Clariss. Baudrando parvi oppidi speciem aliquando præbuerit.

VIII. *Sinus maritimus irrumpit Occidentalem extremitatem Insulæ; angustis primo faucibus, mox in craterem dilatatur, humilibus jugis, ac sylvis pineis circumseptum. Hæ de collium supercilio alicubi ad mare usque descendunt, ut si cymba secundum crepidinem deducaris, per sylvam naviges. Radices arborum, flexique in testudinem rami, non uno in loco aquis immerguntur, ad quos varia ostrea ita adhæresce re videas, ut possint nullo negotio, ceu poma arborum, carpi. Pellucet æquor in speculi morem, nam undique clausum, raro ventis agitur; lususque varios piscium, & omnigenam conchiliorum speciem exhibet, toto fundo disseminatam. Capiuntur hic Mulli trilibres, hic immodicæ Locustæ (quas & Astacos vocant) Auratæque, & plurima piscium genera, quibus antiqua cœnarum luxuries nomen & pretium fecit. Locus arti nil debet, quicquid est commodi, totum ei contulit arte melior nativa amœnitas, & suis opibus satis compta natura.*

IX. *In eodem sinu jacet parva Insula, jucunda quidem, & quasi circino circumscripta: in qua Congregationis nostræ Asceterium eminet, mole ac munitionibus satis magnum ac tutum; opportunitate autem religiosi secessus, & lucubrandi commoditate, supra quam dici possit, egregium. Olim in hæc loca sequenti Epigrammate lusi.*

Hos tolles piceis, & amœno horrore virentes,
Hoc speciem geminans ad vada salsa nemus:
Et per quas dominus parva rate navigat umbras,
Et circumseptam pisce natante domum:
Ostreaque immersis sylvarum hærentia ramis,
Et mullos Siculis mole, jubaque pares:
Hæc bona non arti quicquam debentia, nobis
Insula in Adriaco dat Melitæa mari.
Hinc sine fraude locus, nativaque indole præstans,
Crede mihi, tetrica pene plus urbe sapit.
Hic mihi spem superat, frustratur at illa vicissim:
Namque dat hic plusquam debeat, illa minus.

In Cœnobii templo colitur picta Deiparæ effigies, admirandis beneficiis cognita, nec solum a Dalmatis, sed ab universa Servia, Rassiaque (dum Christianis regibus obtemperabant) concursu ac pietate insigniter celebrata. Quam dum cum cæteris invisit Thomæ Regis Bosnensis filius, finem vitæ ibi nactus, in Sacello Virgineo sepulchrum invenit.

X. *Ab Australi insulæ latere, refert Maurus Orbinus, in hiulco quodam scopulo mirum spectaculum cerni, ossa videlicet mutata in lapidem, rupique concreta, antiqui cujusdam incolæ; quem a læsa matre diris atrocissimis devotum, nullus post obitum tumulus admiserit. Adjicitque, quomodo undique rejectum, tandemque abjectum in mare, indignabundum pelagus exposit in cautem, & ut* Ajacem *quondam* Oileum, turbine corripuit, scopuloque infixit acuto. *Utcunque ea credulitas optimo exemplo sit, non facile tamen ei fidem habuerim. Siquidem etsi verum sit ea lapidea ossa inibi reperiri, nihilominus & alibi circa eandem insulam videre contingit, hujusmodi in litus ejecta, & post diutinum tempus in saxum durata naufragorum cadavera: quæ arcana illa (cujus notabilia effecta passim in Eruditorum cimeliarchiis conspiciuntur) saxifici fluoris virtute tandem fuerint fatiscentium scopulorum hiatibus citra naturæ vires, ac sine ullo prodigio adglutinata.*

XI. *De hac nostra Melita ex antiquioribus quamplurimi meminere: quos inter Apollonius Rhodius, Scylax, Mela, Ptolemæus, Stephanus, sive ejus Epitomator, Ethicus, Anonymus Ravennas, Magnus Etymologus, Antonini itinerarium, Tabulæ Peutingerianæ. Plinio a catullorum nobilium generatione laudatur, ubi inquit:* Issa, Corcyra Melæna . . . . inter quas & Illyricum Melita, unde catulos Melitæos appellari, Callimachus auctor est. *Agathemero Orthonis a nobilitate inter Illyricas insulas. Εἰσὶ δὲ τῷ Ἀδρίᾳ νῆσοι παρὰ τὴν Ἰλλυρίδα, ἐν ἐπισημοτέραις Ἴσσα, καὶ ἡ μέλαινα Κορκύρα, καὶ Φάρος, καὶ Μελίτη.* Sunt in Adriatico mari Insulæ Illyrico proxime, quarum insigniores Issa, & Corcyra nigra, & Pharus, & Melita. *Constantino Porphyrogenito a pulchritudine ac fertilitate: qui ait.* Habent quoque Pagani (*Narentani, quorum tunc sub jure Melita*) in propinquo Insulas quatuor, nimirum Meletam &c. omnes pulcherrimas, fertilissimasque. *Ita vertit eruditus vir, mihique Patria & Religiosa Congregatione conjunctus,* P. Anselmus Bandurius.

XII. *Ex innumeris autem Recentioribus, qui de ea mentionem fecere, tres tantum in specimen deligo, Phil. Ferrarium, ita scribentem.* Melita maris Adriatici Dalmatiæ adjacens, inter oram illius & Corcyram Melænam, duodecim millibus passuum patet latitudine, longa triginta. Canibus Melitæis nobilis. Ab Epidauro urbe septuaginta millibus passuum, *Phil. Cluverium, qui hæc habet.* Melita apud Illyricum, portubus prædita undique quamplurimis, iisque tutissimis, tum solo etiam feracissimo, quo Cœnobium Religiosorum hominum inibi conditum nunc fruitur &c. *Et Palladium Fuscum, qui sic scriptum reliquit.* Ab ea (*Corcyra Nigra*) decem & octo millibus passuum distat Melita, canibus olim celebrata &c. circuitu colligens octingenta stadia, vini & pecoris abundantissima est. *Perperam igitur* ignotam, obscuramque *nonnulli cum Polo Synopte dixere: pejus adhuc* admodum obscuram *vocavit Theodorus Beza: nec miror, nam verum est vetus illud:* Πάντ' ἀλκοῖς ἀφανῆ, omnia opaca cæcutientibus.

XIII. Melitam *plurimi appellant: Ptolemæus & Stephanus* Melitenem, *seu* Melitinem: *Divus Hieronymus, & Porphyrogenitus* Meletam: Meletam *Antoninus. Frustra sunt qui in Ptolemæo pro* Μελιτηνὴ, Melitene, *legunt* Μελιγηνὴ, Meligene: *quippe viri eruditissimi, usi emendatioribus Ptolemæi exemplaribus priorem adamant lectionem, alteramque innuunt a librariis intrusam, parum dissimili in τ, & γ characterum ductu specieque allucinatis. Sed & in eodem vocabulo* Melitenes, *vel* Militenes *occurrit metathesis literarum apud quosdam, qui nostram hanc Insulam etiam nuncupant* Mitylenem, *ut commodius in prima Inspectione videbitur.*

Post longam digressionem non illam quidem necessariam, sed non prorsus inutilem, neque ut spero, Lectoribus ingratam, tandem ad Historiam redeundum est.

TRIBUNIUS II. ARCHIEP. RAG. XII.

Hunc gens Michaelia Patritia Veneta Ragusinis Archiepiscopum dedit anno circiter 1153. Mi-

Miletius Poeta ſæpe laudatus res geſtas ſub Tribunio, cui fuit æqualis, commemorans hanc epocham illi attribuit: *Centum anno mille noſtræ currente ſalutis, Quinquaginta novem etiam &c.* Sebaſtianus. Dolci ait adnotatum ſe reperiſſe a Jonone Aletio in ſchedis, ab ſe viſas fuiſſe litteras Tribunii Archiepiſcopi exequutorias in Suffraganeos, datas 4. Julii 1163. quæ litteræ in ſacratiori Reipublicæ tabulario ſervantur: Archiepiſcopatum certe anno 1153. ſuſceptum adhuc gerebat anno 1159. His temporibus ferunt Metropolim Raguſinam ab veteri ſuo Primate Archiepiſcopo Spalatenſi avulſam Gradenſis Patriarchæ juriſdictioni ſubjectam fuiſſe; quod abſolute affirmat Dominicus Manſius in ſuis animadverſionibus ad Tomum III. Ludovici Thomaſſini de Veter. & Nov. Eccl. Diſcipl. *Acceſſit anno ſecundo Adriani IV. nempe anno* 1155., *alterum Gradenſi Præſuli decus, ultro ſe ſubdente Michaele* (ideſt Tribunio Michaele) *Raguſino Archiepiſcopo;* ſed hujus affirmatio inniti minime poteſt auctoritati Ferdinandi Ughellii, quam Manſius innuit: ſiquidem Ughellius in Tomo V. Ital. Sac. pag. 1126. Venet. edit. hæc ſcribit: *Poſt Jadrenſis Archiepiſcopi ſubjectionem, ſequenti anno* (*teſte Dandulo*) *Tiberius* (Tribunius) *Michael Raguſinorum Archiepiſcopus, conſentiente Clero, & populo, ſe ſubmiſit Henrico Patriarchæ Gradenſi, ejuſque ſucceſſoribus, hac tamen addita conditione, ſi hoc ſummo Romanoque Pontifici viſum fuiſſet. An vero id a Pontifice aſſecuti fuerint, non conſtat.* Et recte quidem ad Danduli teſtimonium; ſcribit enim; *Archiepiſcopus contentus fuit, conſentientibus Clero & populo, ſuam Eccleſiam ſubjicere Gradenſi Patriarchæ, ſi hoc a Papa poterit obtineri.* At id certe Veneti non obtinuerant uſque ad an. 1232. Nam in tabulis *concordiæ, pacti, & reconciliationis inter Civitatem Raguſii, & Dominum Ducem & Commune Venetiæ*, quæ editæ fuerunt an. 1752. in quodam opuſculo *de duobus Imperatorum Raſſiæ nummis*, hæc expreſſis verbis leguntur: *Et ſi Dominus Dux a Domino Papa poterit obtinere, quod Archiepiſcopatus Raguſii Gradenſi Eccleſiæ ſubponatur, ejus electionem præſentabunt Domino Patriarchæ Gradenſi, confirmationem electionis poſtulantes, & confirmatione facta, veniet Electus ad Sedem Patriarchalem, & conſecrationem de manu ſua accipiet, facietque ei fidelitatem, reverentiam, & obedientiam debitam ei exhibere promittens.* An vero poſt hunc annum Pontifex Venetorum poſtulatis aſſenſus ſit, veri ſimile profecto mihi non eſt; tum quia Archiepiſcopus Spalatenſis totis viribus obſiſtere debuit, ne, Jaderenſi Metropoli ſibi adempta, Raguſinæ quoque Eccleſiæ Gradenſi Patriarchæ ſubjectione Primatus ſui dignitas, & jura nimium immiuuerentur; tum etiam, quod nullæ extent Pontificiæ litteræ, quarum auctoritate Raguſina Metropolis Gradenſi Patriarchatui ſubjiciatur; cum eæ adhuc ſuperſint, quibus aliæ Eccleſiæ in illius poteſtatem translatæ antiquitus fuerunt.

An Eccleſia Reguſina ſubjecta fuerit Patriarchæ Gradenſi?

Eodem ferme tempore Micovanus erat Epiſcopus Boſinenſium, quem Luccarus appellat Epiſcopum Kreſevazii, quæ civitas eſt Boſinæ. Hic Tribunii Metropolitæ Raguſienſis detrectabat imperium, quod fortaſſis ſe ſuamque Eccleſiam in jus ditionemque antiqui Metropolitæ Spalatenſis referre cupiebat. Ne vero Tribunio, quæ is exigebat, obedientiæ officia præſtare vel invitus cogeretur, patrocinium opemque Borichii Bani Boſinæ imploravit, eumque impulit, ut bellum Raguſinis inferret. Ergo Borichius collecto exercitu omnem circa urbem regionem, ac præſertim Brenenſe territorium igni ac ferro devaſtavit. Jam prope erat ut Raguſium obſideret, cum Michael Bobalius imperator Raguſini exercitus, ad quem Catharum, Dulcinium, Peraſtum civitates fœderatæ auxiliares copias miſerant, hoſtem juſto prælio aggreſſus, magna clade illata, cæſum victumque in fugam conjecit. Ille haud majori damno, quam ignominia repulſus, Epiſcopum Tribunienſem de pace redintegranda oratorem Raguſium miſit. Pax in eas conditiones convenit, quæ Raguſienſibus æque honorificæ, ac perutiles fuerunt; harum caput illa erat, ut Epiſcopus Boſnenſis Metropolitam Raguſinum agnoſceret coleretque. Hæc Jacobus Luccarus, & Maurus Orbinus, qui Borichii bellum in Raguſinos attribuit anno 1154., additque provinciam Zachulmiæ in ejus jura poteſtatemque ceſſiſſe; quod confirmat ejuſdem Borichii diploma, quo veluti ſupremus Melitæ Dominus, cujus dominium triennio ante Raguſinis conlatum fuerat a Deſſa Zachulmiæ Dynaſta, tuetur Monachis Lacromenſibus ſartam tectam Eccleſiam S. Pancratii in ea inſula iiſdem dono traditam ſæculo undecimo, ut ſuo loco narravimus.

Epiſcopus Boſinenſium detrectat imperium Metropolitæ Raguſini.

Eccleſia S. Pancratii Monachis Lacromenſibus confirmata.

Quodam tempore facta eſt accuſatio ſuper Monachos S. Benedicti Lacromenſis Inſulæ, quod injuſte poſſiderent Eccleſiam S. Pancratii de Meleta coram me Bano Boritio. Ego autem aures meas eorum fallacibus verbis non totaliter accommodavi uſque dum veniret aliquis ex fratribus Monaſterii. Interea ſiquidem veniens D. Vincentius Abbas prædicti Monaſterii cum quibuſdam de fratribus oſtendit nobis litteras ab aliis antiquis noſtris deceſſoribus terræ Principibus, in quibus litteris data eſt dicta Eccleſia S. Pancratii prafato Monaſterio S. Benedicti eorum ſigillo perpetuo affirmata. Unde Ego Banus Boritius cum filiis meis, atque propinquis, quorum univerſo populo terræ meæ cum magno gaudio affirmo eamdem Eccleſiam de Babina Palla, quæ eſt in Meleta, cum omnibus terris, & planitie Monaſterio S. Benedicti his in litteris D. Vincentio ejuſdem Monaſterii Abbati datis, & ſigillo meo ſignatis, ut ſine omni impedimento poſſideant, & ſecuri obtineant.

Ego, & filii mei defenſores, protectores, atque adjutores exiſtimus illorum omni tempore. Quicumque autem eiſdem contrarium fecerit, maledictionem, & iram Dei ſuper ſe concitet, ejuſque ultione, & judicio cum improbis damnetur. Dat. Menſe Auguſto die 7.

Ceterum paullo poſt firmatam cum Raguſienſibus pacem videtur is Zachulmiam antiquis illius Dynaſtis, & Deſſæ filiis reddidiſſe; ut in hiſtoria Stagnenſis Eccleſiæ declaratur.

Tum Tribunius ad retinendos vel ſervandos in ſuam poteſtatem Epiſcopos, qui deſciverant, litteras Apoſtolicas Cardinalium chirographo ſubſcriptas impetravit ab Adriano IV., qui poſſeſſionem Eccleſiarum Dalmatiæ Superioris eidem auctoritate Apoſtolica confirmavit.

Littera Adriani IV. pro Metropoli Raguſina.

Adrianus Epiſcopus Servus ſervorum Dei Venerabili fratri Tribuno Raguſino Archiepiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum.

In Apoſtolicæ Sedis ſpecula, Domino diſponen-

nente, constituti Fratres nostros Episcopos fraterna debemus charitate diligere, & eorum quieti, ac tranquillitati salubriter auxiliante Domino providere. Ea propter, Venerabilis in Christo Frater Tribune Ragusine Archiepiscope, tuis justis postulationibus gratum impertientes assensum, & prædecessorum nostrorum fel. mem. PP. Innocentii, atque Anastasii vestigiis inhærentes, præfatam Ecclesiam, cui Deo auctore præesse dignosceris, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Confirmamus tibi, tuisque successoribus, & illibatas vobis omni tempore permanere decernimus omnes Parochias ad jus commissæ, tibi Ecclesiæ pertinentes, scilicet Regnum Zachulmiæ, Regnum Serviliæ, ac Regnum Tribuniæ, Civitatem quoque Catharinensem, seu Rosæ, Buduanensem, Avarorum, Ulcinatensem, sive Olchinien sem, Liciniatensem, Scodrinensem, Drivastinensem, & Polatensem cum Abbatiis, Ecclesiis, & Parochiis suis. Præterea &c.

Siqua igitur in futurum Ecclesia, sæculariſve persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se Divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat &c.

Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus &c.

Ego Adrianus Catholicæ Ecclesiæ Episcop. SS.
Ego Hubaldus &c.

Datum Sutrii per manus Rolandi S. Rom. Eccl. Presbyt. Card. & Cancellarii IIII. Nonas Julii Indictione VII. Anno MCLVIII. Pontificatus vero Domini Adriani Papæ IIII. anno IIII.

Neemanis Serbliæ regis turbæ adversus eamdem.

Nihilo obsequentior erat Tribunio Nicephorus Catharensis, quam Micovanus Bosnensis Episcopus; atque ut hic Borichii Bani, sic ille Neemanis Regis, sive Megajupani Serbliæ gratia & præsidio fretus imperium Metropolitæ Ragusieosis pertinacior abnuebat. Quare Tribunius, postquam Nicephorum anathemate perculisset, ad Alexandrum III. se contulit, illumque defectionis & contumaciæ accusavit. Nicephorus vero ad Neemanem confugit, ut sibi contra Tribunium præsidio esset. Hic erat filius Desæ, de quo supra mentionem fecimus, & provincia Chelmensi duobus suis fratribus Constantino, & Miroslavo tradita, ipse regnum Serbliæ a Desa parente Radoslavo ereptum obtinuit, eique Rasciam adjunxit, ex qua Uladimirum fratrem Radoslavi prælio victum expulerat. Tunc Magni Jupani, sive Archijupani titulum sumpsit, & Pristrinæ, quæ civitas est Rasciæ frequens ac nobilis, sedem constituit. Ab hoc genus & nomen traxit gens & familia Neemania, victoriis rebusque gestis clarissima, ex qua deinceps orti sunt omnes Reges Dynastæque Serbliæ & Rasciæ, quorum ab Neemane undecimus Stephanus cognomento Duscianus regio non contentus titulum Imperatoris sibi arrogavit. Neemani veteres erant inimicitiæ cum Ragusinis, propterea quod Radoslavum, & Joannem ejus fratrem, qui amisso Principatu Ragusium confugerant, sibi utrumque deposcenti tradere noluissent; & Ragusinis quæcumque poterat damna inferebat. Quapropter Nicephorum ad se confugientem benigne accepit; & hinc occasionem nactus sui contra Ragusinos odii expromendi, in eorum Archiepiscopum Tribunium acerbitatis suæ virus evomuit, atque ab ejus jurisdictione metropolitica Episcopos Ragusinæ Provinciæ, qua promissis illectos, qua minis perterritos, præsertim cum plerique in ditione essent ac regno Serbliæ & Rasciæ, fere omnes abstraxit; ut Orbinus tradit in suis Commentariis de Regno Slavorum, qui Ecclesias nominatim percenset, quarum Episcopos Neemanes a Metropoli Ragusina divulsit, videlicet *Buduensem, Catharensem, Dulchinien sem, Suacien sem, Scodrensem, Dyrrhachien sem, Drivastensem, Sarbien sem, Bosnensem, Tribunien sem, Zachulmien sem.* Harum Ecclesiarum numero eximendam esse, delendamque Dyrrhachiensem supra in Andrea Archiepiscopo animadversum est. Ex illis Episcopis novam Ecclesiasticam provinciam constituere volebat, cujus Metropolis esset Oppidum Rascianum S. Petri in territorio Novisazarii, quæ civitas olim dicta fuit *Arribantium*, ut docet Luccarus lib. 1. Annal. Ragus. Ne, quæ decreverat, perficeret, bella obstitere, quæ tum ipse tum Miroslavus frater cum Ragusinis & Radoslavo infeliciter gessit, itemque metus Imperatoris Emmanuelis, qui Ragusiensium & Radoslavi patrocinium susceperat. Tradit Cinnamus apud Carolum Dufresnium *de familiis Dalmatiæ, & Serviæ Regum §. 111. Neemanem tanto perculsum fuisse pavore, ut cum missis ad Imperatorem legatis veniam obtinuisset, ipse ad ejus tribunal venerit, capite aperto, nudatis usque ad cubitum manibus, fune a cervice pendente, gladium manibus tenenti Principi ita se dederit, ut quod vellet de se statueret: iisque Manuelis animum commotum veniam indulsisse.* Luccarus vero prodit, ut est apud Dufresnium, *in Ragusinorum gratiam, quibuscum Neemani simultas erat, Emmanuelem hanc suscepisse expeditionem.* His itaque bellis curisque implicito Neemani otium & facultas instituendæ Rascianæ Provinciæ & Metropolis defuit.

At Tribunius de Provincialibus Episcopis, quos Neemanes a Metropoli Ragusina distraxerat, quique contumaciter imperium legitimi Metropolitæ detrectabant, Alexandrum III. interea admonuit, ejusque opem, & auctoritatem ad illorum pertinaciam infringendam imploravit. Pontifex Tribunii precibus benigne annuit, & Legatum anno 1167. Apostolicum misit, qui Episcopos illos anathematis pœna proposita sub potestatem Metropolitæ Ragusini redire cogeret. Tres vero epistolas scripsit eodem anno 1167., die, locoque datas, quarum una ad ipsum Tribunium, cui jus metropoliticum, & usum Pallii confirmat, atque subjectas esse declarat Ecclesias, quas eidem superiores Pontifices attribuerant.

Litteræ Alexandri III. ad Tribunium.

Alexander Episcopus Servus servorum Dei Venerabili Fratri Tribuno Ragusino Archiepiscopo, ejusque successoribus &c. In eminenti Apostolicæ Sedis specula constituti &c. tuis justis postulationibus clementer annuimus, & Ecclesiam Ragusinam, cui, auctore Domino, præesse dignosceris, ad exemplar Prædecessorum nostrorum felic. mem. Innocentii, Anastasii, Adriani Romanorum Pontificum sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsente scripti privilegio communimus &c. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Omnes Parochias ad jus commissæ tibi Ecclesiæ pertinentes, scilicet Zachulmiæ Regnum, Regnum Serviliæ, ac Regnum Tribuniæ, Civitatem quoque Catharinensem,

Digitized by Google

ſem, ſeu Roſæ, Guduanenſem, Avarorum, Liciniatenſem, Scodrinenſem, Drivaſtinenſem, & Polatenſem cum Abbatiis, Eccleſiis, & Parochiis ſuis &c. Siqua igitur in futurum Eccleſia, ſæculariſve perſona &c. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax &c.

Ego Alexander Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus SS.
Ego Bernardus &c.

Datum Beneventi per manum Girardi S. R. E. Notarii IV. Kal. Jan. Indictione prima Incarnationis Dominicæ Anno MCLXVII. Pontificatus vero Domini Alexandri PP. III. anno nono.

Aliæ ad Dulchinen. & Antibaren. Clericos;

Altera Pontificis epiſtola ad Clericos diœceſis Dulchinienſis, & Antibarenſis miſſa eſt, quos vetuit ſuis Epiſcopis obedientiam præſtare, niſi ipſi quoque imperium ſui Metropolitæ acciperent, ab eoque ſupplíciter peterent, ut ſibi anathematum vincula, quibus ab eodem illigati fuerant, diſſolverentur.

Alexander Epiſcopus Servus ſervorum Dei. Dilectis filiis univerſis Clericis per Dulchinenſem, & Antibarenſem Epiſcopatus conſtitutis ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Sicut ex inſinuatione Venerabilis Fratris noſtri T. Raguſini Archiepiſcopi nuper nobis innotuit Dulchinenſis, & Antibarenſis Epiſcopi ... contra eum, & Eccleſiam ſuam cornua elationis, & ſuperbiæ calcaneum erexerunt, per inobedientiæ vitium adeo graviter deliquerunt, quod auctoritate Rom. Eccleſiæ, & ſua ipſos excommunicationi ſubjecit. Sed ipſi in ſua obſtinatione indurati delicti ſui reatum recognoſcere noluerunt, nec ad ſatisfactionem redire curarunt. Unde merito de ipſis poteſt dici: Computruerunt jumenta in ſtercore ſuo: jam enim videntur infixi in limo profundi, & puteus abyſſi os ſuum ſuper eos clauſiſſe videtur. Sane ſcire debent, quod obedientiæ virtus omne ſacrificiorum genus incomparabiliter antecedit, & per ipſam primum hominem, qui corruerat miſerabiliter per ſuperbiam, omnipotens Deus mirabiliter cœleſti gloriæ reparavit; unde nos per Apoſtolica eis ſcripta mandavimus, & in virtute obedientiæ præcepimus, quatenus a prædicto Archiepiſcopo abſolvi, cum omni humilitate, & patientia poſtulent, & ſibi, & Eccleſiæ ſuæ jure metropolitico ſuppliciter, & devote obedientiam debitam, & reverentiam impendant. Quod ſi ... ſuperbiæ, & inobedientiæ dati in reprobum ſenſum deponere noluerint, Nos, Legato, quem Deo favente ad partes illas dirigimus, firmiter mandavimus, ut ſententiam Archiepiſcopi inconcuſſe faciat, & inviolabiliter obſervari, & alio modo, ſi nec ſic reſipuerint, in ipſos ſtudeat vindicare. Vobis autem nihilominus præcipiendo mandamus, ut prædictis Epiſcopis, donec in excommunicatione perſtiterint, filialem devotionem, aut ſubjectionem aliquam nullo modo exhibeatis, nec eos revereamini, quouſque Archiepiſcopo tanquam Metropolitano ſuo ſtudeant in his, quæ Dei ſunt, humiliter obedire.

Datum Beneventi IV. Kal. Januar.

ad Epiſcopos Polit. Suac. & Drivaſt.

Tertia denique ad tres nominatim Epiſcopos Dalmatiæ Superioris, quorum contumaciam graviſſimis verbis redarguit, & niſi Legato Sedis Apoſtolicæ ipſos ad debitam ſuo Metropolitæ obedientiam revocanti paruerint, verendum illis eſſe monet, ne honore & munere Epiſcopali priventur.

Alexander Epiſcopus Servus ſervorum Dei. Venerabilibus Fratribus Politanen. Suacienſ. & Drivaſtenſ., & dilectis filiis univerſis Clericis Suacienſ. Scutarinenſ., & Polinenſ. Eccleſiarum, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Si quanta ſit virtus obedientiæ, humili mente, & ſincera devotione conſiderare velletis, & quantum bonum de illius obſervantia procedat, ad cor reduceretis, Prælatis veſtris in omni deberetis humilitate ſubſterni, & eorum ſalubribus monitis, atque præceptis toto cordis affectu curaretis parere. Obedientia enim ſola virtus eſt, quæ tranſcendit meritum; unde dicitur, melius eſt obedire, quam ſacrificare; quoniam quaſi peccatum .... eſt repugnare, & quaſi ſcelus idolatriæ nolle acquieſcere. Per inobedientiam enim primus homo corruit, propter obedientiam Filius Dei nomen, quod eſt ſuper omne nomen, meruit obtinere. Hæc ideo dilecti in Domino filii vobis propoſuimus, quoniam, ſicut accepimus, bon. mem. Adrianus PP. Anteceſſor noſter vobis per ſua ſcripta mandavit, ut Ven. Fratri noſtro Tribuno Raguſino Archiepiſcopo, tanquam Patri, & Rectori animarum veſtrarum debitam obedientiam, & reverentiam impenderetis. Vos autem, prout nobis ſuggeſtum eſt, ad hoc efficiendum, unde magis miramur, atque gravamur, cum filii obedientiæ eſſe deberetis, aures veſtras obturaſtis, nec bon. mem. Anaſtaſii, & Adriani Rom. PP., qui ſuper hoc ſatis paterne vos inſtruxerunt, mandatum, atque admonitionem attendere voluiſtis, unde quoniam de inobedientia non ſolum ... ſimplex Clericus gravi eſſet animadverſione plectendus, & ad periculum animarum veſtrarum niſi citius cor ... dubio pertinere per Apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandamus, & in virtute obedientiæ, ſicut Anteceſſores veſtri Anteceſſoribus ejus feciſſe noſcuntur, plenam ſtudeatis obedientiam, ... Metropolitano veſtro ſicut boni, & devoti filii humiliter perſiſtatis: quod ſi forte neglexeritis ... Legatus noſter, quem ad partes illas dirigimus, propter hoc in vos Canonice promu .... permanere. Quod ſi nec ſic reſipueritis, timendum vobis erit, ne depoſitionis ſententiam .... diſceſſum Legati memoratus Archiepiſcopus propter inobedientiam, & rebellionem veſtram ... curabimus firmam habere.

Datum Beneventi quarto Kal. Januarias.

& ad Clerum Dyrrhachienſem.

An Epiſcopi illi, ad quos directa eſt hæc Alexandri epiſtola, Pontificiis mandatis obedierint, dubitari poteſt; certe tamen conſtat, Antibarenſem, & Dulchinienſem in ſua pertinacia perſtitiſſe, ut docet Epiſtola ejuſdem Pontificis ad Abbates, & Clericos Dyrrhachienſes, quos monet, ac jubet, ut Tribunium Archiepiſcopum Raguſinum honorifice ac benevole accipiant, ejuſque mandatis, ac præceptis obtemperent, quem ad eos viſendos, & evellenda, quæ officiunt, & inſerenda, quæ tum Chriſtianæ, tum Eccleſiaſticæ diſciplinæ ac pietati proſunt, veniſſe intelligent: caveant vero, ne ullius rei commercium habeant cum Epiſcopis Dulchinienſi, & Antibarenſi, dum propter ſuam contumaciam anathemati ſubſunt, quod illis Tribunius inflixit.

Alexander Epiſcopus Servus ſervorum Dei. Dilectis filiis Abbatibus & cæteris Latinis tam Clericis quam Laicis apud Duracbium commorantibus Sal. & Apoſt. Ben.

Ne cura Dominicæ ovis his, qui in diverſis mundi partibus ſunt conſtituti, poſſet deeſſe, Romanus Pontifex alios in partem commiſſæ ſibi adminiſtrationis vocavit, ut ſollicitudinem & curam quam præſens non poteſt omnibus ſimul impen-

Digitized by Google

pendere, per ipsos studeat diligentius ministrare. Unde quia vos non possumus corporali præsentia visitare, nec Fratres nostri Cardinales, qui ad illustrem Constantinopolitanum Imperatorem per . . . . destinantur, ibi possunt apud vos diuturniorem moram habere, per Ven. Fratrem nostrum T. Ragusinum Archiepiscopum, virum honestum providum pariter, & discretum vos tanquam dilectos filios duximus visitandos, ut vice nostra, ea, quæ invenerit inter vos evellenda, evellat, & plantet, quæ noverit complantanda. Ideoque universitatis vestræ prudentiam per Apostolica scripta monemus, atque mandamus, quatinus prædictum Archiepiscopum ad vos venientem benigne recipiatis, & monitis, & mandatis ipsius in his, quæ ad animarum vestrarum spectant salutem, humiliter annuere & obedire curetis, nec excommunicatis suis, præsertim Antivar. & Dulcbinen. Episcopis, donec in excommunicatione perstiterint, communicare præsumatis, ita quod nos devotionem vestram commendare possimus, & ipse in vobis bonam valeat sementem plantare. Dat. Beneventi tertio Non. Januarii.

Catharensis Ecclesia ab Metropolita Ragusino disjungitur.

Interea Alexander ab Tribunio de contumacia Nicephori iterum ac sæpius admonitus, cum tantam esse inter hunc & illum contentionem acri dissidio incensam intelligeret, ut neutrum alteri conciliari posse confideret, utriusque disjunctionem faciendam censuit, & omnem dissensionem, & turbarum occasionem præcidere voluit. Itaque Nicephorum & Ecclesiam Catharensem ab Ragusiensi avulsam cum Barensi Provincia & Metropoli conjunxit. Argumento est, quod biennio post obitum Tribunii an. 1179. in Concilio Lateranensi Episcopus Cathari inter Episcopos Provinciæ Bariensis adnumeratur. Idem Alexander cum videret Metropolitæ Ragusino cum Episcopis Serbliæ multas & magnas & fere perpetuas esse dissensiones, de quibus supra, hos fere omnes ab illo disjungi, & pristinæ Metropoli Antibarensi restitui oportere existimavit: itaque fecit, cum Pallium tradidit Gregorio electo Antibarensi, qui Raynerium Archiepiscopum Spalatensem, ut illud sibi ab Sede Apostolica impetraret, litteris supplicibus rogavit, ut in Andrea Archiepiscopo Ragusiensi monuimus: Gregorii epistolam historiæ Antibarensi integram reservamus. Sed vix Alexander obierat, cum Tribunius Ecclesias ereptas sibi restituendas ab Urbano III. curavit, quarum restitutionem Clemens III. amplissimo diplomate, quod hic contractum exhibeo, confirmavit an. 1188. XI. Kal. Julii.

Litteræ Clementis III.

Clemens Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Tribuno Ragusino Archiepiscopo &c.

In eminenti Apostolicæ Sedis &c. Statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona &c. firma tibi, tuisque Successoribus illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis &c. scilicet Regnum Zaculmiæ, Regnum
1 *Serviliæ* (1) *quod est Bosna, ac Regnum Tri-*
2 *buniæ, Civitatem quoque* (2) *Catharinensem,*
3 *seu Rosæ, Guduan., Antivaren.,* (3) *Lucianen., Suacen., Scodrinen., Divasterinen., & Pollaten. cum Abbatiis, Ecclesiis, & Parochiis suis &c. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, sæcularisque persona &c. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax &c. Amen.*

Notæ.

1 Vide, quæ animadvertimus in litteris Benedicti VIII. & Calisti II.; cum vero Pontifex subdit, Serbliense regnum idem ac Bosnense esse, ita intellige, quod forte propter summam, qua iis temporibus Serbliæ, Bosinæ, Rasciæque fines miscebantur, perturbationem, Serbliæ regnum a Bosnensi provincia vulgo haud satis discerneretur. Fortasse etiam Bosnensem Episcopatum intelligit paullo ante a Metropoli Ragusina divulsum, atque iterum eidem restitutum cum Bosnensi Provincia ope Culini Bani Bosnæ, ut inferius dicendum; sed nulla erat Bosnensibus Banis conjunctio cum Serbliæ Regibus, iique Bosnam fiduciario jure ab Hungaricis Regibus obtinebant.

2 Catharensem Ecclesiam nominat, licet a Metropolita Ragusino sejunctam, quod, illa sibi ut restitueretur cum ceteris Ecclesiis, Tribunius vehementer expetiverat.

3 Lege *Olchinienſem*, sive *Dulcianensem*, ut in aliis hac de re Pontificum litteris.

In Notitiis quinque Patriarchatuum adjectis Geographiæ Sacræ Caroli a S. Paullo tribuuntur Metropolitæ Ragusino Ecclesiæ *Bossenensis*, *Rosensis*, & *Catharensis*, quæ subjecta postea dicitur Archiepiscopo Barensi; utraque scripta videtur post an. 1145. cum in iis locum obtineat inter Metropolitanas Ecclesias etiam Jadrensis, quæ eo circiter anno & dignitate & jurisdictione Archiepiscopali donata fuit, sed ante annum 1190., quo Bosnensis Ecclesia, quæ ibidem Ecclesiæ Ragusinæ subditur, in potestatem Archiepiscopi Spalatensis concessit. In prima e codice Regiæ Parisiensis Bibl. descripta legitur: *Archiepiscopus Ragusiæ hos habet Suffr. Stanensem. Tribuniensem. Biduanum. Bossonensem. Rosæ. Catarinensem, qui est Suffraganeus Barensis*: in altera Thuanæ Biblioth. *Archiepiscopus Ragusiensis hos habet Suffr. Stagnensem. Bossenensem. Tribuniensem. Catarinensem; hic est Suffraganeus Barelis. Rosc. Biduanensem. Barensem. Barensis* huc per errorem irrepsit, quippe Archiepiscopatus Barensis jam ante suo loco describatur; neque alia esse potest Ecclesia, inter subjectas Ragusino Antistiti, quæ, corrupto licet nomine culpa librarii, ullam habeat cum Barensi cognominis similitudinem.

Bosnensis Ecclesia Metropolitæ Spalatensi subjicitur.

Postea idem Clemens III. anno 1190. vel Cælestinus III. Ecclesiam Bosnensem Ragusino iterum ademptam Metropolitæ Spalatensi attribuit, sive restituit, ut constat ex diplomate Pontificio, quod Tomo III. & Actis Petri VIII. Archiepiscopi Spalatensis inseruimus. Certe anno 1172. ad provinciam Ragusinam spectabat, siquidem Radagastum electum Bosnensem, ut est apud Orbinum, Culinus Banus Bosnæ, qui Borichio in ejus dominatum regionis successit, jussit Ragusium adire, & consecrationem a Metropolita Ragusino suscipere, eique se obedientem præbere. Culinus enim dignitati & commodis gloriæque Ragusiensium in primis favebat; idemque cum apud Bosnenses imperare cœpit, cultorem se præbuit eximium Sedis Apostolicæ, & fidei Catholicæ defensorem acerrimum, quamvis postea Patarenorum fallaciis & præstigiis illusus insanæ & spurcissimæ illius sectæ patrocinium suscepit. Quocirca multa & pre-

Digitized by Google

pretiosa munera, ut decet Orbinus, Radagasto Ragusium proficiscenti dedit, quæ per Archiepiscopum Ragusinum ad Summum Pontificem delatri voluit. Sed cum Orbinus prædictionem Ragusinensem Radagasti cum anno 1171. & cum Archiepiscopatu Bernardi conjunxit, ab recta Chronologia longe multumque aberravit; neque enim ante annum 1188. Bernardus Sedem Ragusinam adeptus est. Nos quoque in eumdem errorem induxit Orbinus, qui in historia Ecclesiæ Bosnensis in eumdem annum 1171. conjecimus & consecrationem Radagasti, & Archiepiscopatum Bernardi. Hæc autem disjungi oportet. Epocham tamen consecrationis Radagastianæ anno 1171. vel sequenti affixam retinere si velis, ad Tribunium Archiepiscopum referas necesse est; nam Bernardi Pontificatus ab anno 1189. dimoveri nequit, ut paullo post constabit. Quemquam si tum Joanne Marino Gundula hanc Radagasti consecrationem referas in annum 1197. ut in Cosma Absorensi Episcopo XI. animadvertimus, tum Bernardo II. Ragusino Archiepiscopo tribuenda erit. Sub Archiepiscopatu Tribunii Ragusitæses eximiæ suæ religionis, pieque liberalitatis monumentum in Æde Cathedrali statuerunt, atque ad memoriam sempiternam posteris reliquerunt. Simulacrum Jesu Christi Servatoris crucifixi e solido argento ingentis ponderis mirabili arte fusum sculptumque, & duas itidem argenteas effigies, alteram Deiparæ Virginis ad dexteram, alteram B. Joannis Evangelistæ ad finistram collocarunt supra januam, qua ingressus ad Sanctuarium, aditusque ad altare maximum patet. Opus sane pulcherrimum & magnificum, quod senis millibus nummum argenteorum æstimatum ferunt. Tribunius vitam & Pontificatum perduxit usque ad annum undenonagesimum sæculi duodecimi. Sepultus fuit in Æde Mariana Cathedrali, eique titulus his versiculis inscriptus, ut apud Seraphinum Razzium:

Tribunii obitus.

Præsul Tribunius cœlestibus associatus
Deguit in mundo multa virtute præclarus.
Astra petit cœlumque subit ibique locatur:
Nam requies & amœna dies sibi nunc famulatur.

BERNARDUS ARCHIEP. RAG. XIII.

Hic abest ab omnibus Catalogis & Scriptoribus Ragusinis; sed de illius Archiepiscopatu dubitare non sinit epistola Clementis III. Comiti & Populo Ragusino inscripta an. 1189. VII. Kal. Decembris, & ab altero Bernardo distingui debet, qui non ante annum 1197. Ragusinum Pontificatum suscepit: & duo Archiepiscopi inter utrumque Bernardum interjecti alterum cum altero confundi vetant. Clemens Pontifex Bernardum consecratione Episcopali impertiit, Pallio donavit, & Ragusium misit cum hujusmodi litteris commendatitiis.

Litteræ Clementis III. P. P.

Clemens Episcopus Servus servor. Dei dilectis filiis Nobili viro Ger. Comiti & universo Populo Ragusin. salutem & Apostolicam bened. Cum ven. Frater noster Ber. Ragusinus Archiepiscopus ad Sedem Apostolicam accessisset, ipsum suæ probitatis, honestatis, & litteraturæ meritu benigne recepimus; ejus Pallium scil. Pontificalis officii plenitudinem clementer curavimus impertiri. Ipsum igitur, quem suæ discretionis & probitatis consideratione sincera caritate diligimus, ad vos cum gratia Sedis Apostolicæ remittentes, universitatem vestram monemus, & per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus eum benigne curetis, & devote recipere, & ei obedientiam & reverentiam debitam exhibentes ipsius salubria monita & mandata reverenter, & sine refractione servetis, & in iis, quæ ad Deum sunt, ei tanquam Patri, & animarum vestrarum Pastori cum omni mansuetudine, ac devotione assistere studeatis, & favorem vestrum fideliter impertiri, ut ipse in suscepto ministerio vobis, & commissæ sibi Ecclesiæ utiliter proficere valeat, & vos de obedientiæ & fidelitatis observantia præmium a Domino possitis indeficiens expectare. Datum Laterani VII. Kal. Decembris Pontificatus nostri anno secundo.

Bernardi Episcopatum admodum brevem fuisse oportet, ut locus fit duobus Archiepiscopis intra finem hujus sæculi duodecimi. Narrat Orbinus Bernardum Archiepiscopum Ragusiensem anno 1194. consecrasse in Zachulmia Ecclesiam SS. Cosmæ, & Damiani, tum in Bosnam profectum, & a Culino Bano regia magnificentia exceptum duas itidem Ecclesias eodem consecrationis honore dedicasse. Sed epocha harum consecrationum neque cum hujus, neque cum alterius Bernardi Pontificatu componi potest; quare vel immutanda est, ut alterutri conveniat, vel Zachulmiensis saltem Ecclesiæ dedicatio ad Salvium debet referri, qui proximus post Bernardum hunc anno circiter 1191. Ragusinam Ecclesiam obtinuit, vel ad Gaussonum Salvii successorem.

SALVIUS ARCHIEP. RAGUS. XIV.

Civis Romanus, quem Jacobus Luccarus, & Joannes Gundula Tribunio proxime subjiciunt anno 1177. Sebastianus Dolci in annum septuagesimum sextum sæculi decimi tertii rejecit; cujus quidem sæculi anno octogesimo alterum ejusdem nominis Archiepiscopum Gundula innexuit. Tempus Salvio Romano a Luccaro, & Gundula adscriptum retineri non potest. Nam anno 1188. Tribunius Ecclesiam Ragusinam regebat, & anno insequenti ei Bernardus suffectus est; ut paullo superius declarabimus. Restat igitur, ut Salvius anno nonagesimo primo vel secundo sæculi duodecimi Archiepiscopatum inierit. Quid rerum gesserit, quove anno diem supremum obierit, compertum non habeo.

GAUSSONUS ARCHIEP. RAG. XV.

Cujus nomen & natale solum ignotum. Sebastianus Dolci & nomen & patriam eidem per conjecturam affinxit; utrumque mutuatur ex Luca Urbinate, cujus Episcopatum Luccarus & Gundula in annum 1277. rejiciunt; negat vero huic locum esse posse inter Archiepiscopos Ragusinos, nisi proxime post Bernardum statuatur; nam annum illum 1277. Salvius Romanus, ut ipse censet, sibi vindicat. Itaque cognomento quidem Gaussonus fuit, sed nomen illi Lucas, patria vero Urbinum civitas Umbriæ primaria. Hæc ille acute arguteque conjectando. *Fortasse*, inquit, *Lucas Gaussonus Urbinas, ideſt Lucas de nomine, Gaussonus a cognomine, & a patria Urbinas. In hanc me conjecturam trahit Luccarius; ad hujus enim annum signat Salvium Romanum turpissimo integri sæculi*

Digitized by Google

culi anachronismo, & ubi is collocandus, Lucam Urbinatem collocat, cui alibi, nisi hic, locum non video. Verum si de Lucæ nomine, & patria simplex est conjectura, de Archiepiscopatu Gaussoni fidem faciunt Tabulæ Lacromenses confectæ *anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo nonagesimo septimo, mense Julio, die SS. Apostolorum Petri & Paulli, ab Johanne D. Papæ Capellano, & Apostolicæ Sedis Legato:* his interfuisse dicitur *Gaussonus Ragusinæ Ecclesiæ Archiepiscopus cum universo Capitulo ejusdem Ecclesiæ Canonicorum. Dies SS. Apostolorum Petri & Paulli*, quorum martyrium tertio Calendas Julii solemni ritu, cultuque celebratur, ad ipsum mensem Julium refertur, propterea quod Idibus Julii, ut in antiquis Martyrologiis, & Hagiographis traditum est, anniversaria festaque commemoratione recoli solebat *Divisio Apostolorum*, inter quos Petrus & Paullus, ut Principes erant Collegii Apostolici, ita & primas illius diei cultusque partes tenebant; & illorum potissimum nomine dies illa consecrata vulgo dicebatur, *Johannes D. Papæ Capellanus* a Cælestino III. qui ab anno 1191. usque ad initium anni 1198. Ecclesiæ universali præfuit, in Dalmatiam de rebus ecclesiasticis ordinandis missus fuerat. Hic Ragusii cum esset anno 1197. mense Julio, ut est in tabulis Lacromensibus, Ædem S. Mariæ, quam alias *de Razate*, alias *de Rescat*, alias *de Rabiata* cognominatam invenio, a Sabino Gundula viro nobilissimo, ut diximus, constructam in territorio Omblensi, & cum domicilio ibidem ædificato Monachis Lacromensibus ad tempus traditam (quando cum Monasterio Casinensi, ut Sabinus constituerat, conjungi non posse videbatur) iisdem Monachis Lacromensibus jure perpetuo possidendam dedit, anathema denuncians, atque infligens cuicumque tanta temeritas & audacia esset, ut eam Monachis adimere, atque ad se transferre conaretur. Quam Pontificii Legati exsecrationem inustamque iniquis raptoribus censuram Stantius Abbas ejusdem Cœnobii in æde cathedrali S. Mariæ coram Archiepiscopo, Capitulo, Rectore Civitatis, Senatu, populoque inter solemne sacrificium pronunciavit. Anno proximo cum Slaba nepos Sabini de agris quibusdam eidem templo & domicilio Mariano per vim ante aliquot annos ademptis, & venditis reus ageretur, ut eos restitueret, nulla dirarum denunciatione, neque cœlestis ultionis metu adduci potuit. Hæc e tabulis Lacromensibus. Nec vero eventus quamvis serus voluntatem Sabini frustravit: nam sæculo proximo decimo tertio Ædes Mariana *de Rabiata* in jus ditionemque Abbatis & Monachorum Casinensium migravit. Joannem Legatum Cælestini III. eumdem esse arbitror, qui biennio post cum Simone Subdiacono alteram legationem Dalmaticam sibi ab Innocentio III. injunctam obivit, de qua infra. Gaussonus intra finem ejusdem anni 1197. e vita decessit.

Joannis Legati Pontificii sententia secundum Monachos Lacromenses.

BERNARDUS II. ARCH. RAG. XVI.

Neque hujus patria, neque cognomen litteris proditum est. Ragusinum vocat Luccarus, cui satis tuto credi non posse existimat Sebastianus Dolci; *det ei fidem qui vult*. Nemo est, qui Bernardum inter Archiepiscopos Ragusinos haud adnumeret; sed ejus initia pontificalia Maurus Orbinus in annum 1171. contulit, Jacobus Luccarus anno 1188. Razzius & Gundula anno 1189. attribuunt, a quibus non valde dissentit Bogascinius in suis Annalibus apud Sebastianum Dolci, qui eum Ragusinis Archiepiscopum datum affirmat a Clemente III. vita defuncto anno 1191. Hos manifesti anachronismi coarguunt Tabulæ Lacromenses anni 1197. in quibus Gaussonus Archiepiscopus nominatur; is, itemque Bernardus I., cum incogniti essent, illis errandi causam præbuere. Hunc ego esse existimo, qui Radagastum Episcopum Bosnensem consecrationis munere impertiit, ut paullo superius dictum est, anno 1197. circiter exeunte, ut Gundula perhibet in Annalibus, vel proximo ineunte. Culinus Banus Bosnæ, dum adhuc in fide, & officio maneret, Bernardum Archiepiscopum anno 1198. simul cum Archidiacono Ecclesiæ Ragusinæ legatum ad Innocentium III. misit eodem anno Pontificem creatum VI. Id. Januarii, cujus quidem legationis mentionem fecit Innocentius in suis litteris: *Nuper*, inquit, *præfatus Culinus Vener. Fratrem nostrum Archiepiscopum & dil. filium Archidiaconum Ragusii, & cum eis quosdam ex præfatis hominibus ad præsentiam nostram destinavit petens, ut aliquem de latere nostro in terram suam mittere dignaremur.* Litteræ datæ sunt *XI. Kal. Decembris anno V. Pontificatus*, ut est in Regest. anno V. epist. 117. idest anno Christi 1202. Hanc Bernardi legationem in annum circiter 1194. rejecimus, & apud Cælestinum III. gestam esse diximus in Radagasto Episcopo Bosnensi III. quæ corrigenda omnino sunt: cum vero Culinus a Fide Catholica jam defecisset anno 1199. ut constat ex litteris Vulcani fratris Stephani Regis Serbliæ ad Innocentium III. in Tomo IV. jam editis pag. 45. & ejusdem Innocentii ad Emericum Regem Hungariæ datis anno 1200. *Accepimus, quod vir nobilis Culinus Banus Bosinæ iniquitati eorum* (Patarenorum) *non solum latibulum, sed etiam præsidium contulit manifestum:* hinc est, quod Bernardi profectio Romana huic anno 1198. certe illigetur. Bernardum Roma reversum Culinus perhumaniter accepit, & rogavit, ut duo templa in Bosna ipsius ære sumptuque exstructa consecraret, & multis muneribus donatum ad suam Ecclesiam remisit. Sed paullo post reditum suum Bernardus iterum Ragusio discessit, neque unquam deinde reversus est. Extant tamen litteræ Innocentii III. scriptæ anno 1199. ad Archiepiscopum, Episcopos, Abbates, & Clericos Provinciæ Ragusinæ, queis illos docet de ingenti discrimine, in quo versantur loca sacra Palæstinæ; tum hortatur, ac jubet, ut de suis quisque proventibus ecclesiasticis *quadragesimam* ad defensionem ac subsidium Terræ sanctæ conferant, ejus colligendæ ac custodiendæ rationem præscribant, ad succurrendum eidem etiam homines laicos admoneant, excitentque: atque inde colligimus Bernardum ante hunc annum ab Ecclesia sua minime discessisse.

Innocentii III. P. Litteræ ad Archiepiscopum, Episcopos, & Cleros Provinciæ Ragusinæ.

Innocentius Episcopus Servus servorum Dei Venerabilibus Fratribus . . . Ragusino Archiepiscopo & Suffraganeis ejus, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, & universis Clericis tam subditis, quam Prælatis in Ragusina Provincia constitutis salutem & Apostolicam Benedict. Graves Orientalis Terræ miseriæ, & necessitates urgentes jam potius, pec-

ca-

datis exigentibus, deflere togimur, quam referte, cum ad eum statum, si tamen status dicendus est casus, quod dolentes dicimus, eadem Terra devenerit, ut nisi citius ipsius fuerit necessitati succursum, & occursum conatibus Paganorum, pauci Christiani, qui se defensioni hæreditatis Domini, & Crucifixi obsequiis devoverunt, hostiles sagittas sui sanguinis effusione inebriaturi credantur, & Paganorum gladios suis jugulis placaturi. Reliquiis desolationis illius Terræ sine spe humani subsidii perdendis totaliter, & ab hostibus occupandis nemo est, qui subveniat, cum de partibus illis pene omnes jam redierint Peregrini. Id autem hactenus Dominus Jesus Christus, ut probaret adhuc fortius fidem nostram, & intelligeret plenius, qui sunt ejus, misericorditer impedivit manus eorum in ipsos convertere, & eos inter se multiformiter discordantes permittens ad invicem desævire, ut Christianis interim ad ipsius Terræ subsidium excitatis, facilior daretur facultas recuperandi perdita, & de hostibus triumphandi. Recepimus enim Litteras Venerabilium Fratrum nostrorum . . . Antiochen. & . . . Jerosolimitani Patriarcharum, Archiepiscoporum etiam & Episcoporum utriusque Provinciæ, similiter & Carissimorum in Christo filiorum nostrorum A. Jerosolimitanorum, & L. Armeniorum Regum illustrium, & dilectorum filiorum . . . . & . . . Magistrorum Jerosolimitanorum Hospitalis & militiæ Templi, aliorumque multorum ipsius Terræ miserias & necessitates plenius exponentes, & postulantes subsidium diutius expectatum, cum plus ibi sperent dante Domino paucos hoc tempore propter Saracenorum discordiam profuturos, quam hactenus copiosus exercitus profuisset. Adjectum est etiam, quod cum jam inter Saracenos de pace tractetur, si priusquam subveniatur Jerosolimitanæ Provinciæ, inter eòs fuerit concordia reformata, nisi Deus solus resistat, cum sit viris & viribus pene penitus destituta, non erit, qui eorum possit violentiam cohibere. Nos ergo cum Fratribus nostris, ascitis etiam Episcopis, & aliis viris Religiosis apud Sedem Apostolicam existentibus, de ipsius Terræ subventione tractantes, ne videremur onera gravia humeris imponere subditorum, quæ digito etiam movere nolumus, dicentes tantum, & aut nihil, aut modicum facientes, ut a nobis ad vos, & a vobis ad Laicos benefaciendi derivetur exemplum, ejus exemplo, qui cœpit facere & docere; decimam partem omnium reddituum, & proventuum nostrorum curavimus subventioni Orientalis Provinciæ deputare, subtrahentes non modicum necessitatibus nostris, quibus cum graviores sint solito, & ob hoc exigant graviores expensas, nostræ non sufficiant facultates, ut ei, etsi nihil largiremur de proprio, modicum saltem retribueremus de suo, qui nobis sua miseratione tribuit universa, & ut non solum in rebus, verum etiam in personis necessarium Terræ subsidium destinemus, dilectos filios nostros S. Tit. S. Praxedis Presbyterum, & P. Sanctæ Mariæ in Via Lata Diaconum Cardinales Apostolicæ Sedis Legatos, quibus jampridem imposuimus signum Crucis, illuc proposuimus destinare, qui exercitum Domini vices nostras exequendo præcedant, & ad eos tanquam ad unum caput universi recurrant.

Verum quia id quasi modicum, imo vere modicum ad tot necessitates ipsius Provinciæ sufficere nullatenus reputamus, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, & ex parte Dei Omnipotentis in virtute Spiritus Sancti sub interminatione divini judicii districte præcipimus, quatenus singuli vestrum saltem quadragesimam partem omnium ecclesiasticorum reddituum, & proventuum suorum, prius tamen deductis usuris, quarum solutio vitari non possit, in subsidium Terræ Sanctæ convertant; omnibus Clericis tam subditis, quam Prælatis, qui quadragesimam ipsam sponte & fideliter solverint, de Dei Omnipotentis misericordia, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi, quartam partem injunctæ sibi pœnitentiæ relaxantes, dummodo nulla fraus interveniat, & pia devotio suffragetur. Sciat autem se culpabiliter durum, & dure culpabilem, qui tantillum subsidium in tanta necessitate Creatori, & Redemptori suo negaverit exhibere, a quo corpus & animam & universa bona, quæ habet, accepit, & nos qui licet indigni vices ejus exercemus in terris, hujus culpæ duritiam nullatenus dissimulare possumus; nec aliquomodo credatis, quod per hoc in dispendium vestrum legem vobis imponere intendamus, ut a vobis imposterum quadragesima quasi debita, vel consuetudinaria exigatur, imo vobis nullum ex hoc præjudicium volumus generari, qui tantæ necessitatis articulum nobis, & vobis superveniſſe dolemus, & quod similis de cætero non contingat optamus. Volumus etiam, & nihilominus vobis præcipiendo mandamus, quatenus vos Fratres Archiepiscope, & Episcopi, in Metropolitana Ecclesia, vel si hoc ibi propter hostilitatem, vel aliud evidens impedimentum fieri non poterit, in duobus vel tribus locis Ragusien. Provinciæ sine dilatione convenire curetis, & inter vos juxta formam mandati Apostolici de ipsius Terræ subventione tractare, & post reversionem suam quilibet vestrum in sua Dioceſi Concilium convocet sine mora, auctoritate nostra præcipiens Abbatibus & Prioribus tam exemptis, quam aliis, Archidiaconis & Decanis, & universis omnino Clericis in ejus Dioceſi constitutis, justa æstimatione proventus & redditus suos taxent, & infra tres menses post factam eis denunciationem, quadragesimam partem valoris eorum sub ipsius Episcopi testimonio, & aliquot virorum religiosorum, adhibitis nihilominus ad cautelam aliquibus Laicis fidelibus & discretis, in locum idoneum ejusdem Dioceſis non differant consignare, quod & nos vobis, Fratres Archiepiscope & Episcopi, sub eadem districtione mandamus. Ab hac autem generalitate Monachos Cistercienses, Præmostratenses Canonicos, Eremitas Grandimonten. & Cartusien. excipimus, quibus super hoc mandatum injungimus speciale. Nolumus autem, ut ii, qui redditus suos & proventus diligenter æstimare curaverint, præmissæ transgressionem districtionis incurrant, siquidem non ex certa scientia, sed ignoranter potius quadragesimæ forte aliquid subtraxerint, dum tamen, postquam recognoverint defectum suum, quod minus solverint, plenarie recompensent. Si quis autem, quod absit, quadragesimæ persolvendæ aliquid ex certa scientia subtraxerit, cum digne satisfecerit, ab hujus transgressionis debito penitus sit immunis. Nec miretur quisquam, aut etiam moveatur, quod hoc sub tanta districtione præcipimus, cum summa necessitas id exposcat; nam etsi voluntarium esse debeat divinæ servitutis obsequium, legimus tamen in Evangelio de invitatis ad nuptias Dominum præcepisse, ut compellerentur intrare. Manda-

Digitized by Google

mus præterea, ut vos, Fratres Archiepiſcope & Epiſcopi, quadrageſimam ipſam per veſtras Dioceſes inſtanter exactam & collectam fideliter faciatis juxta prædictam formam in tuto loco deponi, ſummam omnem per veſtras litteras & ſpeciales Nuncios nobis, quam citius fieri poterit, expreſſuri. Ad hæc in ſingulis Eccleſiis truncum concavum poni præcipimus, tribus clavibus conſignatum, prima penes Epiſcopum, ſecunda penes Eccleſiæ Sacerdotem, tertia per aliquem religioſum laicum conſervandis, & in eo fidelis quilibet, juxta quod eorum mentibus Dominus inſpiraverit, ſuas elecmoſynas deponere in remiſſionem ſuorum peccatorum moneantur, & in omnibus Eccleſiis ſemel in hebdomada pro remiſſione peccatorum, & præſertim offerentium, Miſſa publice decantetur. Concedimus autem vobis, Fratres Archiepiſcope & Epiſcopi, ut circa eos, qui de bonis ſuis Terræ Sanctæ voluerint ſubvenire, de diſcretorum virorum conſilio, qualitate perſonarum, & rerum qualitate penſatis, & conſiderato nihilominus devotionis affectu, opus injunctæ pœnitentiæ commutare poſſitis in opus eleemoſynæ faciendæ. Volumus inſuper, ut adhibitis vobis, ubi poterunt inveniri, duobus Fratribus, uno Jeroſolimitan. Hoſpitalis, & alio Militiæ Templi, aliiſque religioſis Laicis & diſcretis militibus vel aliis bellatoribus, qui ſignum Dominicæ Crucis aſſumpſerunt, ſi in ſuis non poterunt ſumptibus transfretare, congrua de eadem ſumma ſtipendia miniſtretis, ſufficienti ab eis cautione recepta, quod in defenſione Terræ Orientalis per annum vel amplius juxta quantitatem ſubſidii commorentur, & ſi, quod abſit, in via deceſſerint, ſuſceptum ſubſidium non in alios uſus convertant, ſed reddant potius in ſtipendia bellatorum, qui etiam cum redierint non prius abſolvantur a præſtita cautione, quam litteras Regis vel Patriarchæ, aut Jeroſolimitan. Hoſpital. vel Militiæ Templi Magiſtri, aut etiam Legati noſtri vobis exhibuerint de mora ipſorum teſtimonium perhibentes. Quia vero ſumma neceſſitas exigit, & communis requirit utilitas, ut populus Chriſtianus non ſolum in rebus ſed etiam in perſonis contra Paganos in ſuccurſum Terræ Sanctæ ſine dilatione ſuccurrat, fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus ad exhortandos & inducendos fideles per vos ipſos & alios viros idoneos prudenter & diligenter inſtetis, ut qui ſufficientes fuerint ad bellum Domini præliandum in nomine Domini Sabaoth, ſignum Crucis aſſumant; alii vero juxta ſuarum ſufficientiam facultatum pias eleemoſynas largiantur. Nos enim de Dei miſericordia & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate confiſi ex illa, quam Deus nobis licet indignis ligandi & ſolvendi contulit, poteſtate omnibus, qui labores hujus itineris in perſonis propriis ſubierint & expenſis, plenariam peccatorum ſuorum, de quibus cordis & oris egerint pœnitentiam, veniam indulgemus, & in retributione juſtorum ſalutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem, qui non in perſonis propriis illuc acceſſerint, ſed in ſuis tantum expenſis juxta facultatem, & qualitatem ſuam, viros idoneos deſtinarint illuc per annum moraturos ad minus, & illis ſimiliter, qui licet in alienis expenſis, in propriis tamen perſonis aſſumptæ peregrinationis laborem impleverint, plenam ſuorum concedimus veniam peccatorum. Hujus quoque remiſſionis volumus eſſe participes juxta quantitatem ſubſidii & devotionis affectum omnes, qui ad ſubventionem ipſius Terræ de bonis ſuis congrue miniſtrabunt. Perſonas inſuper ipſorum, & bona eorum, ex quo Crucem ſuſceperint, ſub Beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, nec non ſub Archiepiſcoporum & omnium Prælatorum Eccleſiæ Dei defenſione conſiſtant, ſtatuentes, ut, donec de ipſorum obitu vel redditu certiſſime cognoſcatur, integra maneant, & quieta conſiſtant. Quod ſi quiſquam contra præſumpſerit, per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcatur. Si qui vero proficiſcentium illuc ad præſtandas uſuras juramento tenentur adſtricti, vos Fratres Archiepiſcope & Epiſcopi per veſtras Dioceſes creditores eorum, ſublato appellationis obſtaculo, eadem diſtrictione cogatis, ut eos a Sacramento penitus abſolventes ab uſurarum ulterius exactione deſiſtant. Quod ſi quiſquam creditorum eos ad ſolutionem coegerit uſurarum, eum ad reſtitutionem earum, ſublato appellationis obſtaculo, diſtrictione ſimili compellatis. Judæos vero ad remittendas ipſis uſuras per ſæcularem compelli præcipimus poteſtatem, & donec eas remiſerint, ab univerſis Chriſtifidel bus tam in mercimoniis, quam aliis per excommunicationis ſententiam eis jubemus communionem omnimodam denegari. Horum autem vos, Fratres Archiepiſcope & Epiſcopi, ſingulos in ſuis Dioceſibus executores eſſe volumus & mandamus, quæ tam diligenter & fideliter exequamini, ut in diſtricto noviſſimæ diſcuſſionis examine cum adſtabitis ante Tribunal Chriſti, dignam debeatis reddere rationem.

Datum Laterani V. Kal. Januarii, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Idem Pontifex anno 1200. ad omnes Chriſtianos Raguſienſis itidem Provinciæ in eamdem ſententiam ſcripſit, hortatuſque eſt, ut vel per ſe ipſi Crucem & arma ferrent, vel pecuniam & ſumptus contribuerent ad expeditionem Hieroſolymitanam.

Litteræ ejuſdem ad omnes Provinciæ Raguſinæ Chriſtianos.

Innocentius Epiſcopus Servus ſerv. Dei univerſis Chriſtifidelibus in Raguſienſi Provincia conſtitutis ſalut. & Apoſtolicam bened. Niſi nobis dictum a Deo per Prophetam, & in Prophetæ ſciremus; Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam: niſi ad paſtorale crederemus officium pertinere, quod inquit Apoſtolus: Inſta opportune, importune, argue, obſecra, increpa: niſi gregis Dominici nobis eſſet cura commiſſa, poſſemus nunc tandem a clamore deſiſtere, cum eſi tuba exhortationis noſtræ ſæpe ſonum dederit non incertum, exhortando populum Chriſtianum ad Terræ Sanctæ ſuccurſum, paucos tamen adhuc ad bellandum bellum Domini excitavit. Quia vero magis inſtat neceſſitas, quam unquam inſtiterit, ut ipſi Terræ celeriter ſuccurratur, clamamus ad vos & pro illo clamamus, qui voce magna clamando ſpiritum pro nobis emiſit in Cruce factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis, ut nos ab æternæ mortis eriperet cruciatu. Qui clamat . . . . per ſeipſum, & dicit: Qui vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam, & ſequatur me. Recepimus enim litteras Ven. Fratrum noſtrorum Antioch. & Jeroſolimitan. Patriarch. Archiepiſcoporum & Epiſcoporum utriuſque Provinciæ, & cariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum A. Jeroſolymorum & L. Armenorum Regum illuſtrium, ſimiliter & Magiſtrorum Jeroſolymitan. Hoſpitalis, & Militiæ Templi, quibus nobis expoſuerunt neceſſitates & miſerias Terræ Sanctæ, aſſerentes in-

Digitized by Google

inter alia, quod cum hactenus Dominus per discordiam Saracenorum, qui se ipsos impugnant, Orientali Provinciæ peperciſſet, & jam nunc inter eos de pace tractetur, ſi priuſquam redeant ad concordiam, congruum ſubſidium mitteretur, ſperent pro certo, quod facile poſſet hoc tempore Orientalis Provincia liberari. Si autem prius redierint ad concordiam, quam ſubſidium deſtinetur, timetur ab omnibus, quod reſiduum Terræ Seraceni de facili valeant obtinere, cum peregrinis ad propria jam reverſis Terra remanſerit & viris & viribus deſtituta. Monemus igitur univerſitatem veſtram, & exhortamur in Domino, & in remiſſionem vobis injungimus peccatorum, quatenus ante oculos cordis habentes vexillum Crucis, qui potentes ſint prælium Domini præliari, & Crucem & arma conferant, qui non ſint habiles ad pugnandum in expenſis ſuis ſecundum proprias facultates aliquos dirigant bellatores, nec ſit qui ſe ab hujus obſequio ſubventionis excuſet, quin aliquid ſaltem modicum propter hoc devote ac libenter impendat, niſi qui æternæ voluerint eſſe remunerationis immunes. Quicumque enim eum erubuerit coram hominibus, & ipſe illum coram Angelis erubeſcet. Poteſtis enim, & debetis conſiderare vobiſcum, quod ſi Rex aliquis temporalis in captivitatem forſitan deveniret, niſi vaſſalli ejus pro liberatione regia non ſolum res exponerent, ſed perſonas, nonne cum reſtitueretur priſtinæ libertati & acciperet tempus juſtitiam judicandi proditores eos regios, & quaſi perfidos & infideles damnabiles judicaret, & excogitaret mortis hactenus inexcogitata tormenta, quibus malos male perderet, & in bona eorum fideles aliquos ſubrogaret. Nonne ſimiliter Dominus Jeſus Chriſtus Rex Regum & Dominus Dominantium, qui corpus & animam nobis contulit, qui nos ſanguine pretioſo redemit, de ingratitudinis vitio, & velut infidelitatis crimine vos damnabit, ſi ei ejecto de terra, quam pretio ſui ſanguinis comparavit, & quaſi captivo in ſalutiferæ Crucis ligno detento neglexeritis ſubvenire. Sane cum nihil poſſit Omnipotenti reſiſtere, quia tamen fideles ſuos temporaliter probare diſponit in opere, quos æternaliter in prædeſtinatione cognovit præter arcanum divini judicii, quod nulli mortalium datum eſt poſſe ſcrutari, forte miſericors Deus, cum jam ſuperabundaſſet iniquitas refrigeſcente charitate multorum, voluit fidelibus ſuis occaſionem parare ſalutis, imo ſalvationis cauſam præbere, ut qui . . . dimitterent, ipſum omnia in omnibus invenirent. Cum enim Jeruſalem civitas illa terreſtris ſecundum interpretationem vocabuli, pacis viſio nuncupetur, & ipſa vix jucundam modico tempore pacem potuerit obtinere, promiſſio pacis . . . profecto tranſmittit, quæ ſurſum eſt, mater eſt noſtra, in qua pax Dei, quæ exſuperat omnem ſenſum, . . . at ad hanc utique novi ſub novo tempore Machabæi, qui pro paternis legibus & ſanctæ Civitate ſanctas . . . cum victi putantur victores aſcendunt ineffabili gloria coronandi, quam militibus ſuis Rex gloriæ præparavit. Cæterum ne videremur onera gravia imponere humeris ſubditorum, quæ digito noſtro in opere . . . de ipſius Terræ . . . tractantes decimam partem proventuum, & reddituum noſtrorum ad ejus ſubſidium duximus deputandam, Legatos noſtros illuc dante Deo in proximo tranſmiſſuri, qui exercitum . . . humilitate præcedant, & ad eos tanquam ad unum caput univerſi recurrant, Ven. Fratribus noſtris Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Decanis & aliis Eccleſiarum Prælatis, imo etiam Clericis univerſis in virtute S. Spiritus, & ſub divini judicii obteſtatione mandantes, ut ſaltem quadrageſimam partem eccleſiaſticorum reddituum, & proventuum ſuorum æſtimatione habita diligenti in ſubventionem Orientalis Provinciæ non differant erogare. Ad hæc in ſingulis Eccleſiis truncum concavum poni præcipimus tribus clavibus conſignatum, una penes Epiſcopum, ſecunda penes Presbyterum Eccleſiæ, tertia per aliquem religioſum laicum conſervandis, in quibus fidelis quilibet deponere ſuas eleemoſynas in remiſſionem ſuorum criminum moneantur, & in ſingulis Eccleſiis ſemel in hebdomada pro remiſſione peccatorum præſertim offerentium Miſſa publice decantetur. Concedimus etiam Archiepiſcopis & Epiſcopis, ut circa eos, qui de bonis ſuis Terræ Sanctæ voluerint ſubvenire, de diſcretorum virorum conſilio pro qualitate perſonarum & rerum facultate penſatis, & conſiderato nihilominus devotionis affectu opus injunctæ pœnitentiæ convertere poſſint in opus eleemoſynæ faciendæ. Ne autem Clerici vel Laici in hoc fruſtra ſe doleant aggravari, ſed jam nunc de ſua ſint quodammodo mercede ſecuri, de Dei Omnipotentis miſericordia, & BB. Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate confiſi ex illa, quam nobis Deus licet indignis ligandi & ſolvendi contulit, poteſtate, omnibus, qui laborem hujus itineris in perſonis propriis & expenſis ſubierint, plenam ſuorum peccatorum, de quibus oris & cordis egerint pœnitentiam, veniam indulgemus, & in retributione juſtorum ſalutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem, qui non in perſonis propriis illuc acceſſerint, ſed in ſuis tantum expenſis juxta facultatem & qualitatem ſuam viros idoneos deſtinarint illic per annum moraturos ad minus, de illis ſimiliter, qui licet in alienis expenſis, in propriis tamen perſonis aſſumptæ peregrinationis laborem impleverint, plenam ſuorum concedimus veniam peccatorum. Hujus . . . eſſe participes juxta quantitatem ſubſidii, & devotionis affectum omnes qui ad ſubventionem ipſius Terræ de bonis ſuis miniſtrabunt, perſonaſque eorum & bona, ex quo Crucem ſuſceperint . . . ſub noſtra protectione ſuſcipimus, nec non & ſub Archiepiſcoporum & omnium Prælatorum Eccleſiæ Dei defenſione conſiſtunt ſtatuentes, ut donec de ipſorum obitu, vel redditu certiſſime cognoſcatur, integra maneant & . . . . contra præſumpſerit per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcatur. Si qui vero proficiſcentium illuc ad præſtandas uſuras juramento tenentur adſtricti creditores eorum per Eccleſiarum Prælatos remittant eis præſtitum juramentum, & ab uſurarum exactione deſiſtant, eadem præcipimus diſtrictione compelli. Quod ſi quiſquam creditorum eos ad ſolutionem coegerit uſurarum, eum ad reſtitutionem earum ſimili cogi animadverſione mandamus. Judæos vero ad remittendas ipſis uſuras per ſæcularem compelli præcipimus poteſtatem, & donec eas remiſerint, ab univerſis Chriſtifidelibus tam in mercimoniis quam aliis per excommunicationis ſententiam jubemus communionem omnimodam denegari. Datum Laterani II. Nonas Jan. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Interea ferme biennio ante Joannes Sacello Pon-

Ecclesia Antibarensis cum aliis Suffraganeis a Metropolita Ragusino disjungitur.

Pontificio Præpositus, & Simon Subdiaconus, Legati ad Vulcanum Regem Dalmatiæ & Diocliæ, itemque ad Stephanum ejus fratrem Megajupanum Serbliæ, ad res ecclesiasticas componendas, & populorum mores corrigendos missi fuerant. Verum, cum ab urbe jam discessissent, eos Innocentius per litteras admonuerat, ut caverent, nequem Episcopum cuicumque Metropolitæ subjectum jure Archiepiscopali, & pallio donarent: caput litterarum & argumentum hoc est: *Ne alterius Archiepiscopi suffraganeis Archiepiscopalis auctoritas, vel pallium concedatur*. Post eorum discessum se reperisse ait in antiquis scriptis, nimirum fortasse in litteris Zachariæ, Benedicti, & Paschalis aliorumque Summorum Pontificum, *Ecclesiam Antibarensem inter suffraganeas Ragusani Metrop. numerari*. Vetat igitur Episcopo Antibarensi pallium concedi, nisi ex vetustis & certissimis monumentis constet ejus decessores hujusmodi titulo atque ornatu insignitos fuisse: *quia vero non est nostræ intentionis statum Ecclesiarum evertere, discretioni vestræ auctoritate præsentium districtim inhibemus, ne Antibarensi electo Pallium aliquatenus concedatis, nisi vobis constiterit, ejus prædecessores fuisse palliis decoratos, & dignitatem metropoliticam habuisse*. Valuit apud Legatos admonitio Pontificia; neque antea Joannem electum Antibarensem vel titulo metropolitico, vel pallio donarunt, quam post diligentem inquisitionem ex antiquis tabulis & idoneis testibus comperissent, Antistites Antibarenses superiorum ætatum, ac temporum utroque honore præditos fuisse. Synodo equidem Diocletanæ, quam Legati Pontificii convocaverant, subscriptus legitur: *Ego Joannes Dioclien. & Antibaren. Archiepiscopus subscripsi*. Huic Synodo Bernardum Ragusiensem Archiepiscopum adfuisse existimat Sebastianus Dolci; sed ejus nomen abest a subscriptionibus Episcopalibus. Hi autem sunt, qui post Legatos Sedis Apostolicæ, & Archiepiscopum Antibarensem Acta Synodi confirmarunt. *Ego Petrus Sucarinen.* (idest Scodrensis) *Episcopus subscripsi. Ego Joannes Pulatinensis Episcopus subscripsi. Ego Petrus Arvastensis* (idest Drivastensis) *Episcopus subscripsi. Ego Dominicus Socanensis* (idest Suaciensis) *Episcopus subscripsi. Ego Natalis Dulcinensis Episcopus subscripsi. Ego Theodorus Sarcanensis* (idest Sardanensis) *Episcopus subscripsi*. Pleroque horum Antistitum Benedictus VIII. & Callistus II. Metropoli & Provinciæ Ragusinæ attribuerant; quod autem iidem cum suo Metropolita Antibarensi huic Synodo subscripserint, id argumento est, eos ante annos circiter quadraginta ab Alexandro II., ut diximus, Metropoli Antibarensi restitutos fuisse. Nec vero auctoritas Clementis III. qui suis ad Tribunium litteris anno 1188. Metropoli Ragusinæ Ecclesias Dalmatiæ Superioris attribuerat, tantum valuit, ut illos ad obedientiam Ragusino præstandam revocaret. Absunt tum Catharensis Episcopus, qui ex mandato ejusdem Alexandri in jus ditionemque concesserat Metropolitæ Barensis, tum Bosnensis, qui, uti diximus in Tribunio II. Archiepiscopo, sub imperium Archiepiscopi Spalatensis redierat. Post hæc Joannes, & Simon Serbliana legatione perfuncti, Ragusium venerunt anno 1200. ineunte, & præter alia, quæ ad rem Christianam, & Ecclesiasticam recte constituendam decrevisse verisimile est, jus potestatemque utendi Pontificalibus insignibus ab Andrea Archiepiscopo ex concessu Eugenii III. Cœnobiarchæ Lacromensi collatum ipsi quoque confirmarunt, ut scriptum est in quodam Codice Archivi publici Ragusiensis.

Insignia Pontificalia Abbati Lacromensi confirmantur.

Johannes Capellanus, & Symon Subdiaconus Domini PP. Familiares Apostolicæ Sedis Legati dilectis in Christo Abbati & Capitulo de Acrumina æternam in Domino salutem. Sacrosancta Romana Ecclesia devotos & humiles filios consuevit brachiis sinceræ dilectionis amplecti, & pro statu & qualitate diversarum personarum suam cuique dignitatem conservare, & ad gradum etiam promovere majorem. Inde est quod nos considerata, & intellecta diligentius fama & honestate Monasterii vestri, & personæ vestræ, & fratrum vestrorum, probata quoque devotione Cleri & populi Ragusien. audito testimonio bonorum tam Clericorum, quam Laicorum quod bonæ memoriæ Archiepiscopus Andreas de concessione Domini Papæ Eugenii Abbati prephatæ Ecclesiæ mitram, baculum, & sandalia concesserit, tibi Domine Abbas Constantie, & tuis successoribus ad honorem Dei, & Domini Papæ Innocentii salva tamen in omnibus auctoritate Apostolica ad instantiam Cleri & populi Ragusien. prephata insignia concedimus & confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat banc paginam . . . concessionis infringere, vel ausu temerario contraire. Quicumque autem contra banc temere venire tentaverit, indignationem omnipotentis Dei, & SS. Apostolorum Petri & Pauli se noverit incursurum. Anno Dominicæ Incarnationis Mil. CC. Domini vero PP. Innocentii tertii II. Indictione tertia.

Bernardus Archiepiscoparum dimittit.

Multas & acerrimas contentiones Bernardo Archiepiscopo cum Episcopis Provincialibus fuisse tradit P. Sebastianus Dolci; sed unde & quam ob caussam exortæ fuerint, tacitus præterivit. Fortasse animo inimico intuebatur Episcopos illos, qui sub potestatem Metropolitæ Antibarensis transierant, & a sua Provincia ac jurisdictione divulsos ægerrime ferebat, eosque, ut ad obsequium revocaret, pœnis ac censuris ecclesiasticis confixerat. Nec vero absimile est inter ipsum & Canonicos Ecclesiæ Ragusinæ, ut sæpe fit, de jure Episcopali vel Capitulari nonnullas, nec sine acerbitate, dissensiones fuisse, & multas ultro citroque illatas & acceptas molestias: sed Canonici quidem civium suorum, Episcopi vero Regum Serbliæ patrocinio freti, quidquid contra Archiepiscopus moliebatur, securi eludebant ac despiciebant. Verum quæcumque fuerint dissidia, contentiones, inimicitiæ, animos illorum, quibuscum contendebat, adeo exacerbatos videbat esse, eorumque patronos adeo potentes ac feroces, ut vel a Ragusinis, vel a Regibus Serbliæ sibi suæque vitæ periculum metueret. Quocirca Ragusio sibi abeundum, & Ecclesiam suam deserendam putavit. Post ejus discessum, seu potius fugam, Canonici de illius absentia Innocentium III. admonendum esse censuerunt, & caussam culpamque ejus absentiæ in ipsum Archiepiscopum contulere. Extat rescriptum Pontificis ad Capitulum Ragusinum *lib. 3. tit. 4. de Clericis non resident. cap. Qualiter*: *Qualiter Archiepiscopus vester temeritate propria recessit ab Ecclesia Ragusiensi, nec jam ultra quadriennium expectatus redierit, per litteras etiam vestras revocatus &c. Discretioni vestræ mandamus,*

Digitized by Google

mus, quatenus, nisi forsitan jam redierit, vos post mensem a receptione præsentium personam vobis idoneam in Archiepiscopum eligatis. Anno VI. ideſt 1203. Anno eodem Bernardus Romam profectus rationem ſuæ profectionis & abſentiæ reddidit, probavitque Innocentio, ſibi nimirum Raguſii tuto eſſe non licuiſſe, propterea quod inimici infeſtique homines inſidias ſibi ac necem moliren-tur; & Raguſinum Pontificatum voluntaria ceſſione depoſuit. Pontifex igitur anno 1203. vinculum, quo adſtrictus erat, Eccleſiæ Raguſinæ diſſolvit; & de illius abdicatione Canonicos admonuit, atque ut novum ſibi Archiepiſcopum eligerent, per litteras imperavit. Ut vero haberet Bernardus unde viveret, & perſonam Epiſcopalem pro dignitate ſuſtineret, Eccleſiam Karleolenſem, & Sacerdotium Melebunenſe in Anglia, & Provincia Eboracenſi, modo Joannes Rex Angliæ, & Golfridus Archiepiſcopus Eboracenſis aſſenſum præberet, ita eidem decrevit, ut Pallii Archiepiſcopalis uſu abſtineret, Epiſtolam Innocentii Eccleſiam illam Bernardo conferentis citat Cardinalis eruditiſſimus Joſeph Garampius (Reg. an. VI. ep. 50. & lib. 1. tit. 8. c. 9. Decretal. Gregorii XI.) Datam eſſe ait pridie Idus Maii an. 1203. poteſtatem facit Bernardo deferendi Sacerdotii Raguſini *propter mortis periculum imminens, ſi ad ſuam Eccleſiam rediret; atque ut poſſit abſque uſu Pallii Epiſcopale officium in Carleolenſi Eccleſia* exercere. Illum itaque Innocentius Joanni Regi Angliæ, Joannes Rex Golfrido Archiepiſcopo per litteras commendavit. Extant regiæ litteræ, quibus inſerta eſt epiſtola Pontificis ad Regem, *Tom. I. de publicis Actis Regum Angliæ* editis a Thoma Rymero ex regiis Archivis, Hagæ Comitis apud Neaulme 1739.

& ſit Epiſcopus Karleolenſis.

Litteræ Innocentii III. P. & Joannis Regis Angliæ.

Rex &c, Venerabili Patri in Chriſto Kariſſimo Golfrido Dei gratia Eborum Archiepiſcopo, Johannes eadem gratia Rex Angliæ, Dominus Hyberniæ, Dux Normanniæ & Aquitaniæ, & Comes Andegaviæ, ſalutem. Litteras Domini Papæ ſuſcepimus in hæc verba.

Innocentius Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilecto filio Johanni illuſtri Regi Angliæ ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Ad ſupplicationem inſtantem Venerabilis Fratris noſtri Archiepiſcopi Raguſini, eum ab cura, & ſollicitudine, qua tenebatur Eccleſiæ Raguſii, duximus abſolvendum, quod ibi non poterat ſecure morari; & ſi regreſſum habet ad illam, mortis ſibi periculum imminebat. Ne vero idem Archiepiſcopus in vituperium miniſterii noſtri, defectum in temporalibus patiatur, Epiſcopatum Karleolenſem, & Eccleſiam de Melebum, cum omnibus pertinentiis eorum, de beneficentia, & liberalitate tua, & conceſſione Ven. Fratris Gulfredi Eborum Archiepiſcopi, benigne collatis, de Sedis Apoſtolicæ benignitate concedimus, ad ipſius indulgentiam ſublevandam; Serenitatem regiam monentes attentius, & hortantes, quatenus eundem Archiepiſcopum, noſtrarum precum obtentu, & officialis pontificalis intuitu, recommendatum vobis habere; ejus neceſſitati compatientis, & ipſius ſubvenietis paupertati; & dona præſentia per illuſtrem munificentiam reddatis ampliora; & per hæc Regi Regum, qui Sacerdos eſt in æternum, videaris obſequium exhibere, cum illud, quod miniſtris ejus impenditur, ſibi proteſtatur impendi.

Dat. Ferenti Idibus Maii Pontificatus noſtri anno ſexto: ideſt 1203.

Nos autem juxta petitionem Domini Papæ præſcriptam, ipſi Archiepiſcopo Raguſino prædictum Epiſcopatum Karleol. de munificentia, & liberalitate regia ei conceſſimus, mandantes vobis, quatenus ei tanquam Paſtori & Epiſcopo veſtro in omnibus intendatis; ideſt tanquam Paſtori, & Coepiſcopo veſtro in omnibus favorem præbeatis.

Teſte Domino Cantuar. Archiepiſcopo apud Merleb, decimo die Januarii; anno autem 1204.

Fallitur ergo Richardſon in Godwin de Præſulibus Angliæ pag. 763. cum Epiſcopatum Karleolenſem anonymo cuidam Epiſcopo Sclavoniæ, qui alius eſſe non poteſt, niſi noſter Bernardus, collatum fuiſſe ſcribit anno 1201. neque enim Bernardus hanc Eccleſiam obtinuit ante annum 1204., ut conſtat ex epiſtola Joannis Regis Angliæ ad Archiepiſcopum Eboracenſem data menſe Januario an. 1204. Epiſcopatus Karleolenſis Bernardo traditi teſtis eſt Honorius III. qui confirmavit donationem Eccleſiæ Bridekinkenſis diœceſeos Karleolenſis, traditæ Monaſterio Giſerburnenſi diœceſis Eboracenſis, *factam a b. m. B. . . . quondam Raguſino Archiepiſcopo, tunc Karleolen. Epiſcopo.* Hanc particulam epiſtolæ Honorianæ, quæ data fuit 27. April. an. 1218., acceptam refero Cardinali doctiſſimo Joſepho Garampio, qui citat Regeſt. Honorii III. an. 11. Epiſt. 1054.

Deſperato reditu Bernardi Archiepiſcopi, eoque ad Sedem Karleolenſem translato, Canonici Raguſini e præſcripto Innocentii ad comitia convenerunt, & cunctis vel pleriſque ſuffragiis electus eſt Leonardus Venetus.

Richardus Rex Angl. ad inſulam Lacromam appulit,

Priuſquam ultra progrediar, de adventu Regis Angliæ pauca ſubnectam. Intra finem ſuperioris ſæculi duodecimi, Baſilica Cathedralis Raguſina ære ſumptuque Regis Anglicani, ſub antiquo titulo S. Mariæ Virginis, reædificata fuit opere magnifico & eleganti. Rem paullo altius repeti oportet. Henricus II. Rex Angliæ, poſtquam de ſacrilega nece, Thomæ ſanctiſſimo Cantuarienſi Archiepiſcopo illata, coram Theodino & Alberto S. R. E. Cardinalibus, & Legatis Alexandri III. jurejurando ſe purgaſſet, & qualemcumque nefariæ cædis culpam, vel ſuſpicionem piis & piacularibus operibus ſibi præſcriptis diluiſſet, voto ſe obligaſſe dicitur expeditionis Hieroſolymitanæ contra Saracenos ſuſcipiendæ. Sed in ipſo apparatu & meditatione ſacri belli extinctus cum eſſet, Richardus I. Henrici filius paternum votum ſibi ſolvendum ac piæ patris voluntati obſequendum eſſe cenſuit; præſertim cum ipſe quoque pro ſuis delictis expiandis Deo & Eccleſiæ ſatisfacere neceſſe habuerit. Anno igitur 1190. cum ingenti exercitu profectus eſt in Palæſtinam. Anno proximo poſt Aconem captam, & multa Saracenorum millia cæſa, cum rediret, fœda in Jonio mari coorta tempeſtate, navis, qua vehebatur, validis verberata fluctibus, hinc atque illinc jactata, vique ventorum in Adriaticum impulſa, prope jam aberat a naufragio. Richardus, humana deſperata, divinam Beatæ Mariæ opem invocavit; eique, ſi ex illo extremo vitæ periculo evaderet, Templum vovit in eo loco, ad quem incolumis appelleret, regali ſumptu, & magnificentia exſtruendum. Inſulam tenuit ditionis Raguſinæ, cui nomen Lacromæ, ubi pervetus eſt, & illuſtre Monaſterium S. Benedicti. In terram egreſſus, ni-

et Basilicam Marianam in Urbe ædificavit.

hil potius habuit, quam ut votum dissolveret, ibique Monachis Benedictinis Basilicam Marianam ædificari juberet; in quam centum millia nummum argenteorum impendere decrevit. Verum Rector & Primores Reip. Ragusinæ, qui Regem ad urbem visendam, suaque præsentia cohonestandam invitarunt, & conviviis, ludis magnificentissimis, omnique officiorum & honorum genere tractarunt, magnopere illi suasores auctoresque fuerunt, ut, quam voverat Basilicam, impetrata loci commutandi a Summo Pontifice potestate, eam Ragusii, in celeberrimo & frequentissimo urbis loco ædificare vellet, in qua Sedes Metropolitana collocaretur, & princeps esset ac mater omnium Ecclesiarum tum Civitatis, tum Provinciæ Ragusinæ; tunc enim Ædes Cathedralis angustior, & minus elegans atque ornata esse videbatur, quam nobilitas Civitatis, & dignitas Ecclesiæ Archiepiscopalis postulabat. Richardus Ragusiensium voluntati morem gessit, sub ea tamen conditione, ut singulis annis IV. Nonas Februarii, qui dies sacer est Purificationi Deiparæ Virginis, jus esset Cœnobiarchæ in Cathedrali Basilica Ragusina, ære ipsius Regis sumptuque extructa, sacrificium solemni ritu ac cerecui privilegio Rector & Senatus Rag. fidem & auctoritatem adjungunt.

Qua in Basilica solemnis Sacri IV. Non. Febr. faciendi jus esse voluit Cœnobiarchæ Lacromensis.

monia faciendi, cum suis Monachis rei divinæ administris. Hæc Jacobus Luccarus lib. 1. Annal. pag. 28., & alii Scriptores Ragusini. Verum Henricus Imperator, cum Philippum Regem Gallorum de Richardo per Leopoldum Ducem Austriæ capto per suas litteras certiorem faceret, ait Richardum in mari Adriatico non longe ab Istria naufragium fecisse: *Nobilitati tuæ*, inquit, *præsentium tenore declarare duximus, quod inimicus Imperii nostri, & turbator Regni tui, Richardus Rex Angliæ, cum esset, in transeundo mari, ad partes suas reversurus, accidit, ut ventus rupta navi, in qua ipse erat, duceret eum versus partes Istriæ ad locum, qui est inter Aquilejam, & Venetias, ubi ipse Rex Dei permissione passus naufragium cum paucis evasit.* De naufragio Richardi, & loco naufragii prope Istriam, Henrico hinc longe terrarum absenti, rumores vagi, incerti, confusi perlati fuerant; & cum post suum Ragusio discessum, Dalmatiam Istriamque prætervectus, inter Aquilejam & Venetias navim ad terram applicuerit, unde in Germaniam profectus in insidias incidit, quas illi paraverat Leopoldus, quod circa Lacromam acciderat, id circa Istriam eveniffe fama, vera falsis intermiscens, vulgavit. De Richardo, vi tempestatis, non sine periculo naufragii, in Adriaticum delato, ejusque ad Insulam Lacromam appulsu dubitari non sinunt Ragusini Historici & Chronologi, quos testes citant *Rector & Consiliarii Reip. Ragusinæ* in sua quadam testificatione. Sæculo decimo sexto exeunte, cum Archiepiscopi jampridem obstare cœpissent, ne Abbates Lacromenses in Æde Cathedrali, eo die, quo diximus, pontificali ritu solemne sacrificium facerent; Rector & Senatus ex antiquis historiis & monumentis testificati sunt id juris ac privilegii Cœnobiarchas & Monachos Lacromenses inde usque a duodecimo sæculo usurpasse, nullis superiorum ætatum Archiepiscopis repugnantibus: quam testificationem publicis Tabulis rite consignari, atque in Tabulario Civitatis ad memoriam sempiternam posterorum asservari voluerunt.

Ex lib. Div. Cancellariæ n. 98.

Testimonium Rectoris & Senatus.

Rector & Consiliarii Reip. Ragusinæ &c. Quoniam justum & rationi consonum est veritatis testimonium perhibere, universis, & singulis, ad quos spectat, & quomodolibet spectare poterit in futurum, fide testamur indubia, & notum facimus, qualiter, postquam Henricus II. Anglorum Rex, sub Alexandro III. felic. record. Pontifice Max. coram Illustriss. D. D. Cardinalibus legatis ad id deputatis, suspicionem in se, de nece B. Thomæ Cantuarien. Archiepiscopi male conceptam, juramento purgasset, & contra Saracenos Hierosolymam ire, cum communi Christianorum hoste bellum facere proposuisset, nec illud morte præventus fecisset; Richardus I. Henrici memorati filius, & successor in Regno, postea pœnitentiam pro patre facturus, bellum gessit hujusmodi & subsequenter in navigatione sui itineris Angliam versus arrepti, adversa maris tempestate jactatus, tandem non sine magno vitæ discrimine in Dalmaticum sinum delatus est; quare ad Deum confugiens, in loco, quem prius adiret, si evaderet, impensa ducatorum centum mille, novam condere sub voto solemni Ecclesiam destinavit; & cum denique ad Scopulum Lacromensem districtus jurisdictionis nostræ, prope Ragusium existentem, ubi Monasterium PP. Monachorum Ordinis S. Benedicti reperitur, applicuisset incolumis, ibique votum pro gratia consecuta solvere properasset; ad preces Reip. nostræ, Indulto Apostolico præcedente, Ragusii illam, quæ nunc Cathedralis, sub titulo B. Mariæ Virginis nuncupatur, fundavit Ecclesiam; sub hac expressa conditione per Regem fundatorem apposita, ut Patres Lacromenses quotannis ibidem, tamquam in propria Ecclesia, singulis festivitatibus Purificationis B. Mariæ Virginis, primas Vesperas, & Missam pontificaliter celebrare deberent, prout cum Innocentii III. favore Abbates eorum baculum, mitramque gestantes celebraverunt; & sine contradictione, immo in præsentia Ordinariorum, huic ministerio benigniter acquiescientium, celebrare consueverunt, ab illis usque ad hæc tempora recentia, in quibus per Archiepiscopos modernos, non sine scandalo Cleri & populi Ragusini, turbari, & inquietari videntur. Et quia de his omnibus præmissis, & singulis, tum ex majorum traditionibus, tum ex veridicis historiarum documentis, tum ex certo nostrarum Chronicarum Mss. testimonio, nobis sufficienter constitit; ideo, ne cui super hoc dubitari contingat, has nostras testimoniales patentes litteras, in judiciis, & extra fidem facturas, fieri ad instantiam Patrum Lacromensium, & per Cancellarium Reip. nostræ infrascriptum subscribi, ac sigilli nostri Protectoris S. Blasii, quo in similibus utimur, impressione roborari, & communiri jussimus. Datum Ragusii, a salutifera Nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo quingentesimo, & nonagesimo octavo, Indictione undecima, die vero vigesima Februarii.

Hoc jus & privilegium, quod Richardus Rex Angliæ conditor illius Basilicæ, Abbati & Monachis Cœnobii Lacromensis proprium esse voluit & perpetuum, post annum 1667., quo quidem anno Ædes Cathedralis horribili terræmotu corruit, desuetudine exsolevit.

LEO-

LEONARDUS ARCH. RAG. XVII.

Venetiis ortus fuiſſe traditur, ſed familiæ, unde ortus eſt, cognomen latet. Hujus epiſcopalia initia Jacobus Luccarus, Seraphinus Razzius & alii conferunt in annum nonageſimum ſeptimum ſuperioris ſæculi duodecimi; quo quidem anno adhuc huic Eccleſiæ præſidèbat Gauſſonus ab illis prætermiſſus, cujus Epiſcopatus fidem faciunt Tabulæ Lacromenſes ſupra laudatæ, & eodem anno 1197. confectæ. Gauſſonum excepit Bernardus, quem omnes ante Leonardum proxime conſtituunt. Nec vero Bernardus ante annum 1204. ad Epiſcopatum Karleolenſem Provinciæ Eboracenſis translatus fuit, ut docet epiſtola Innocentii III. ad Joannem Regem Angliæ paullo ante deſcripta. Itaque Leonardus anno 1205. vel ſequenti Sedem Raguſinam obtinuit. Atque ut ex uno errore in alium facilis eſt, ac prope neceſſaria prolapſio, cum Pontificatum Leonardi ab anno 1197. ad annum 1217. perduxerint, huic neceſſe fuit, affingerent ea, quæ ad Bernardum pertinent, videlicet deceſſionem de urbe & Eccleſia Raguſienſi, itemque migrationem ad Epiſcopatum Anglicanum. Seraphinus Razzius hanc diſceſſus Raguſini cauſſam fuiſſe tradit, quod cum ejus de urbe Venetis tradenda clandeſtina conſilia deprehenſa eſſent, voluntarium exſilium ſibi conſciverit. Id ſi verum eſt, non in Leonardum, ſed in ejus deceſſorem conveniat oportet; nam Leonardus Sedem Raguſinam uſque ad obitum perpetuo retinuit, ut ejus ſepulcrum & epitaphium in Æde Cathedrali Raguſina declarat; niſi vero cum eodem Razzio comminiſci velis, eum rogatu Venetorum ab Anglia revocatum, & in Sedem Archiepiſcopalem reſtitutum fuiſſe.

Leonardi Archiep. geſta.

Acta Epiſcopalia Leonardi litteris tradita ſunt apud Scriptores Raguſinos: hæc videlicet. Anno 1206. Provinciam luſtravit, & nominatim Tribunienſem & Boſnenſem Eccleſias. De Tribunienſi nulla poteſt eſſe dubitatio; ſed Eccleſiam Boſnenſem Clemens III. anno 1191., ut dictum eſt in Tribunio, Metropoli Spalatenſi reſtituerat; idque conſtat ex ejuſdem litteris ad Petrum VIII. Spalatenſem Archiepiſcopum Tomo III. Illyr. Sacr. inſertis pag. 223. De quibuſdam Eccleſiis ſive Dalmatiæ Superioris, ſive finitimarum regionum, præſertim de Boſnenſi ſæpe inter Raguſinum, & Antibarenſem Metropolitas multæ & magnæ contentiones fuerunt, propterea quod in antiquis monumentis, & litteris Pontificiis alias huic, alias illi attributas eſſe reperirent. Has itaque uterque ſibi vindicabat. Quamvis igitur Clemens III. haud multis ante annis Eccleſiam Boſnenſem ad jus & obſequium Metropolis Spalatinæ revocaſſet, Leonardus tamen hujus Pontificis auctoritate minime deterritus eſt, quominus illius Eccleſiæ luſtrandæ jus ſibi uſurparet; quippe Benedictus VIII. & alii Pontifices Romani eamdem Metropoli Ragutienſi ſubjecerant.

Nec vero dignitas metropolitica nuper a Sedis Apoſtolicæ Legatis, ut diximus, Eccleſiæ Antibarenſi reſtituta, & confirmata Leonardum abſterruit, quominus luſtrationis Archiepiſcopalis cauſſa ad urbem illam accederet; nam vel ipſemet Innocentius in ſuis ad Joannem & Simonem Legatos Apoſtolicos litteris ajebat ſe in antiquis ſcriptis reperiſſe, Eccleſiam Antibarenſem inter Suffraganeas Raguſan. Metrop. numerari. Sed idem Pontifex poſtea edoctus de jure metropolitico eidem Eccleſiæ per Alexandrum II. collato Joanni Antibarenſi electo Pallium conceſſit. Hujus autem pontificiæ nuperrimæ conceſſionis nulla ratione habita, Leonardus veterum ſcriptorum, quæ laudat Innocentius, auctoritate nixus Antibarenſis Eccleſiæ ritu archiepiſcopali luſtrandæ jus ſibi eſſe cenſuit. Sed advenientem Antibarenſes non ſolum aditu intercluſo, ſed etiam jactu lapidum, ut tradunt Scriptores Raguſini, manuque armata repulerunt.

Anno 1215. Concilio Lateranenſi interfuit, ut eſt in Annalibus Raguſinis, & apud Innocentium graviter queſtum fuiſſe ajunt de aliquibus Eccleſiis, & præſertim de Antibarenſi ab ſua Provincia per injuriam avulſis. Pontifex ejus querimonias perbenigne excepit, ſed ejuſmodi rerum cognitionem in aliud tempus deferendam eſſe cenſuit, quod tunc majoribus univerſalis Eccleſiæ negotiis diſtentus eſſet, quam ut vacaret ad controverſias peculiarium Eccleſiarum dirimendas cogitationem curamque avertere. Epiſcopo & Archidiacono Tragurienſi hanc cauſſam Raguſinæ Metropolis demandatam fuiſſe ajunt, quam vel uterque vel alteruter cognoſceret ac judicaret. Illi vero quid ſententiæ tulerint, mihi non eſt compertum. Certe Joannes Antiſtes Antibarenſis jus ac titulum metropoliticum retinuit, & nunquam deinde intermiſſum ad omnes ſuos ſucceſſores tranſmiſit. Eccleſiam vero Catharenſem ab Leonardo aditam, & jure ac poteſtate Archiepiſcopali luſtratam ferunt, nemine repugnante, neque invitis, ſed libentiſſimis Catharenſibus, qui Archiepiſcopum ſummo cum honore acceperunt, & abeuntem non ſine gratiarum actione proſecuti ſunt. Hæc Scriptores Raguſini. Sed cum Alexander III. ſæculo ſuperiori Eccleſiam Catharenſem Metropoli Raguſinæ ademptam, ut dictum eſt, ad Provinciam Barienſem tranſtulerit, vereor ne a veritate abhorreant, quæ de luſtratione illa Catharenſi ſcriptis tradiderunt. Sunt qui poſt obitum Leonardi ſtatuerunt Interregnum Archiepiſcopale novem annorum; id quod eſſe non poteſt; nam neque Leonardus ante annum 1217. vel ſuperiorem e vita migravit, neque ejus ſucceſſoris initia ultra viceſimum & ſecundum, vel tertium hujus ſæculi annum differri poſſunt. Qui titulum ejus ſepulcro in Æde Cathedrali inſcripſit, e nomine Leonardi ſumpſit, unde illi elogium inſulſius, quam lepidius confecit.

& obitus.

Te Leo, te doceat, ſed dicat poſtea Nardus,
Quam vita ſanctus fuit Antiſtes Leonardus
Prævigilans Paſtor, ne raperet de grege raptor:
Si Leo habet mores, profudit Nardus odores.
Pars manet hac tumba, in Cœli pars altera turba,
Cum qua non ſurda nos audit voce diurna.

ARRENGERIUS ARCH. RAG. XVIII.

Arrengerii Archiep. geſta.

Quem ortu Romanum fuiſſe tradunt Jacobus Luccarus, Joannes Gundula, & alii; ejus vero ad gubernacula Eccleſiæ Raguſienſis acceſſum conferunt in annum 1217. Novem annorum interregnum inter hunc & Leonardum Gundula interjecit, neque eum Epiſcopum per eos annos, ſed Adminiſtratorem fuiſſe docet, anno vero 1227. & Epiſcopali conſecratione initiatum eſſe, & verum ac legitimum Archiepiſco-

Digitized by Google

ſcopum dici haberique cœpiſſe affirmat. Verum Sebaſtianus Dolci, qui Acta omnia, & monumenta Tabularii Lacromenſis ab anno decimo ſeptimo uſque ad viceſimum hujus decimi ſæculi confecta diligenter inſpexit, nullum ſe reperiſſe ait, cui nomen Archiepiſcopi intra illud triennium inſcriptum eſſet, ſed ſolum obſignata fuiſſe ſigno, & ſubſcripta nomine *Actii Domini Papæ Subdiaconi, & Sedis Apoſtolicæ Legati, in Aula Raguſinæ Sedis reſidentis;* poſt annum vero 1220. paſſim reperiri nomen *Arrengerii Archiepiſcopi* ſubſcriptum; ex quo conjici poteſt Leonardum quidem obiiſſe anno 1217. & annos aliquot Eccleſiam Raguſinam Paſtore caruiſſe, cujus locum tenebat, & officio fungebatur *Actius* Legatus Sedis Apoſtolicæ. *Actius* idem eſt fortaſſe atque *Acontius* itidem Subdiaconus Pontificius, & Legatus Sedis Apoſtolicæ, quem anno 1221. Honorius III. vel iterum in Dalmatiam miſit, vel ei Legationem Raguſinam ante quadriennium traditam prorogavit, extenditque in univerſam Dalmatiam, Boſinam, & Hungariam. *Actius* autem pro Acontio per notam compendiariam ſcriptus eſt, duabus litteris intermediis exemptis. Sed non aliunde certius dignoſci poteſt tempus ſuſcepti ab Arrengerio Archiepiſcopatus, quam ex epiſtola Honorii III. ad Archidiaconum & Capitulum Raguſinum anno 1222. obſignata. Cum Eccleſia Raguſina jam inde ab anno 1217. Paſtore deſtituta propter iniquitatem temporum circumquaque frementibus lupis, ideſt Almiſſanis piratis & hæreticis Boſnenſibus, magno in diſcrimine eſſet, Pontifex Canonicis Raguſinis imperavit, ut, nulla mora interpoſita, Archiepiſcopum ſibi rite & canonice eligerent, qui Chriſtianum gregem orbum ſpiritali cuſtode, multis undique obſeſſum periculis tueretur, atque defenderet; & præterea eos magnopere hortatur, ut Acontio Legato Apoſtolico ad prædones maritimos coercendos, & hæreticos Boſnenſes convertendos vel abigendos quidquid poſſent præſidii atque auxilii præberent.

Litteræ Honorii III. ad Capitulum Raguſinum.

Honorius Epiſcopus Servus ſerv. Dei. Dilectis filiis . . . . & Capitulo Raguſino ſal. & Apoſtolicam Benedict. Super gregem Dominicum vigilantes, quia nobis ſunt oves Chriſti ex officio paſtorali commiſſæ, lupos ab eiſdem arcemus, ne, quod abſit, mercenario comparemur. Curſus inter operarios vineæ Domini Sabaoth licet circa horam undecimam a Patrefamilias Evangelico conſtituti ad vulpeculas capiendas demolientes eandem, ſummopere laboramus, ut, quod avertat Dominus, cum malis agricolis non perdamur, ſuper eo etiam, quod inhabitatores Caſtra Almiſien. eam in Chriſtianos immanitatem exercent, ut non Eccleſiis, aut perſonis earum, viduis, pupillis, & ſenibus, nec cuilibet parcant ſexui, & ætati, ſed Paganorum more univerſa vaſtantes, tanquam eorum ſint delicia operari perverſe, in perditione rerum & hominum gloriantur; quodam compaſſionis igne perſtringimur contra peſtem utramque, ſicut poſſumus, occurrere cupientes. Cum itaque, ſicut audivimus, vicini ſatis caſtro prædicto, & partibus de Boſſina, ubi Hæretici quidem dogmatizando palam ſuæ pravitatis errores, Chriſti gregem & vineam, ideſt ſacroſanctam orthodoxam Eccleſiam exterminant, & diſperdunt, & Eccleſia veſtra vacet Paſtore, cujus, & veſtrum ad hoc, cognoſcimus auxilium opportunum, Univerſitatem veſtram monemus per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus ad electionem Archiepiſcopi canonicam & concordem ſublato cujuslibet difficultatis obſtaculo procedatis; contra Hæreticos, & Almiſien. eoſdem dilecto filio Magiſtro A. Subdiacono & Capellano noſtro Apoſtolicæ Sedis Legato pro veſtris libenter viribus aſſiſtentes, hujuſmodi etiam ex animo ſic acturi, quod Pater, qui videt in abſcondito, reddet vobis, & nos veſtræ devotionis integritatem Apoſtolicis Benedictionibus proſequamur. Dat. Anagniæ IV. Id. Martii, Pontif. noſtri anno VI.

Itaque eodem anno 1222. Canonici Raguſini Arrengerium cunctis ſuffragiis Archiepiſcopum crearunt, vel certe initio inſequentis.

Honorius Acontio Subdiacono Legationem Dalmaticam & Boſnenſem ſimul cum Hungarica demandavit. Caput autem Legationis Dalmaticæ & Boſnenſis duplex fuit; primum ut Dalmatis copias maritimas, & terreſtres imperaret, quibus Almiſſanos, alioſque piratas infeſtos Chriſtianis Cruce ſignatis in Palæſtinam auxilii ferendi cauſſa mari ſupero tranſmittentibus terra marique perſequerentur, & navigationem Adriaticam ab eorum inſidiis & latrociniis tutam præſtarent; alterum vero, ut in Boſnam profectus ad convertendos hæreticos Patarenos, illamque regionem ab omni hæreſeon labe purgandam omni cura ſtudioque incumberet. De hac Legatione plura in Tomo III. in Actis Guncelli Archiepiſcopi Spalatenſis. Maritimis prædonibus ſubactis, & lembis piraticis incenſis, antequam in Boſnam diſcederet, Raguſium venit, vel rediit anno 1222., qua in urbe, ut auctor eſt Luccarus, Epiſcopos ejus regionis ad Synodum in Ædem Cathedralem convocavit, ut inter ſe conſulerent, qua potiſſimum ratione oporteret hæreticos Boſnenſes ad Catholicam rectamque in Deum fidem revocari, & peſtem illam, qua jam infici Dalmatia cœperat, avertere atque arcere; ejuſque opera factum, ait Luccarus, ut Patarenſes ex urbe Delmitana, quæ nunc Dumnus dicitur, totaque Dalmatia expellerentur. Raguſii dum adhuc Acontius eſſet, Joannes Gundula vir æque pius, atque opulentus novum Cœnobium ab S. Jacobo *de Viſnizza* cognominatum in eo loco, cui *Breno* nomen, non ita longe ab urbe disjuncto, ære ſuo Monachis Benedictinis fundaverat, & copioſis redditibus inſtruxerat una cum Dobroslava uxore, lectiſſima femina; quod in clientelam & poteſtatem Romani Pontificis, ſalva tamen debita erga Raguſinum Archiepiſcopum reverentia, contulit ac tradidit coram Acontio Legato Sedis Apoſtolicæ, Blaſio Epiſcopo Catharenſi, Joanne Dandulo urbis Comite ſeu Rectore, Jordano Cœnobiarcha Lacromenſi; teſtes etiam adfuerunt Judices Civitatis, & alii viri primarii. De ſuis bonis tum quæ jam dederat, tum quæ poſt mortem ſuam eidem Cœnobio obventura erant, omnia & ſingula nominatim percenſet, & nequis ea ſurriperet, fratres ſuos Damianum, & Grubeſciam, eorumque filios & nepotes vindices ac defenſores conſtituit. Abbatis eligendi poteſtatem penes ipſos Monachos eſſe jubet. Nec dubitari poteſt, quin Acontius Legatus Pontificius hæc omnia confirmaverit, & nomine Sedis Apoſtolicæ Cœnobium Pontifici oblatum, ac traditum receperit. Hæc teſtata eſſe voluit publicis litteris, quæ Presbyter Garibaldus in hæc verba compoſuit.

Synodus Provincialis Raguſina.

An-

Digitized by Google

Tabulæ donationis a Joanne Gundula factæ Cœnobio Visnisiano.

Anno Domini 1223. menſe Octobris die 2. aſtante, cum Dominus Acontius Domini Papæ Subdiaconus, & Capellanus, Apoſtolicæ Sedis Legatus Rbaguſium deveniſſet, & in Archiepiſcopali aula reſideret, ipſo præſente, & præſentibus Blaſio Catharienſi Epiſcopo, Joanne Dandulo Raguſino Comite, Jordano Locrumenſi Abbate, Domino Alexio Vali, Domino Matthæo Baliſlavæ, Domino Luccari Narmeri Judicibus juratis, Balli Zervati, Nicolao Mauri, Matthæo Bodaazzo, Bundaniæ Petri, & teſtibus ibidem aſſignatis, Marino Petragne, Joanne Bogdani Petracichæ, Petro Roſini, & aliis. Tunc Joannes Gundula in medio aſtans mera, ac propria voluntate, & conſenſu ſuæ conjugis Dobroslavæ filiæ Mauri Manane, quæ interrogata aſſenſum in hoc plenum præbuit, Monaſterium S. Jacobi Apoſtoli, quod propriis ſuis conſtruxerat nummis in loco qui Brelus vocatur, ſub protectione Domini Papæ Romanæ Eccleſiæ ſtatuerunt, ut in illius ſit poteſtate, atque ditione; ita tamen ut ſemper Monaſterium ſub B. Benedicti regula conſiſtat, & Abbatis cuſtodia, & Fratrum ibi degentium, & ut nemo ſuorum tam Clericorum, quam etiam Laicorum aliquam habere poſſit proprietatem, aut poteſtatem, ſalva tamen reverentia Domini Rbaguſini Archiepiſcopi; quod quidem Monaſterium præfatus Joannes Gundula una cum conjuge ſua Dobroslava, per juramentum Evangelii ſtatuentes firmaverunt, ut hæc quæ ſcribuntur inviolabiliter perpetuo perſeverent, dotantes illud ſuis donis, & poſſeſſionibus, videlicet tribuentes ei ſuas vineas omnes, & terras quæ ſunt in Brelo, & earum pertinentias, & vineas, & terras ſuas, quæ ſunt in Vergatto, quas de Communi Rbaguſino emerant, & vineas, & terras omnes, quæ in circuitu ejus ſunt, quæ de paterna fuerunt hæreditate dicti Joannis, & Domum, quæ eſt ad Puſterulam, quæ fuit Patris ipſius Joannis, & molendinum cum ſuis pertinentiis, & centum quinquaginta pecora, & triginta vaccas, & duos ſervos, & quatuor paria bovum; & Dobroslava per fidei juramentum ſpopondit dare eidem Monaſterio poſt mortem ſuam Domum, quæ olim fuit ſui Patris. Statuerunt atque voluerunt, & ut firmum haberetur in perpetuum decreverunt, ut ſi Abbas, qui nunc eſt, deceſſerit, nullum alium in Abbatem eligant, niſi quem Congregatio ipſius Cœnobii, ut decet communi, & concordi voluntate, ſi eligere voluerint, ſecundum regulam Monachorum eligant.

Hæc autem omnia, quæ predicta ſunt, ſecundum Benedicti Abbatis regulam diſpoſita firmiter obſerventur. Si forte aliquis hoc temere perturbare præſumpſerit, decreverunt atque ſtatuerunt, ut defenſores exiſtant, Damianus, & Grubeſcia, Gundulæ, fratres ipſius Joannis, & eorum hæredes perpetualiter. Ita tamen ut non hæreditarii ſint, nec vocentur hæreditarii, ſed ſolummodo defenſores ſint ipſius Cœnobii. Dictus vero Joannes Gundula, & ejus conjux Dobroslava ſtatuerunt firmiter, promittentes, poſt obitum ipſius Joannis, & conjugis ejus Dobroslavæ, ut eidem Cœnobio deveniant omnes vineæ, & terræ, quæ ſunt in Gionchetto cum pertinentiis earum, & domus, quæ eſt juxta domum Grubiſcæ fratris ipſius Joannis; ſimiliter, ut dictum eſt, ſtatuerunt ut eidem Cœnobio deveniat domus cum omnibus pertinentiis etiam in qua ipſi nunc habitant; decreverunt etiam & hoc, ut ſi quis hanc illorum diſpoſitionem, ac delibrationem aliquo modo diſſipare, vel infringere voluerit, maledictionem Omnipotentis Dei, & B. M. ſemper Virginis, & B. Jacobi Apoſtoli, & duodecim Apoſtolorum, omniumque Martyrum, Confeſſorum, Virginum, atque omnium Sanctorum incurrat.

Ego Presbyter Gãbaldus communis Notarius juratus, qui etiam his omnibus præſens fui, ſcripſi, & teſtis permaneo.

Idem Joannes Gundula poſt annos fere duodecim, cum in extremo vitæ periculo verſaretur, Teſtamentum fecit, nec ſolum quæ Monaſterio S. Jacobi jam donaverat, & in tabulis ſupra deſcriptis conſtituerat, confirmavit, ſed alia inſuper multa de bonis avitis & paternis poſt ſuum & conjugis obitum eidem Monaſterio in perpetuum poſſidenda tradi juſſit, præter plura, quæ juſte, pieque vel conſanguineis, vel piis locis & perſonis pro expiatione ſuorum delictorum legavit. Teſtamentum in hanc formulam conſcriptum fuit.

Teſtamentum Joannis de Gundula.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Amen. Anno Incarnationis ejuſdem Domini 1234. menſe Februarii die 4. exeunte. Quoniam præſens mortalium vita decurrentis aquæ more quotidie labitur, & unicuique propriæ mortis incertus eſt dies, ac ignorat utrum memoria, an ſine memoria obiturus ſit. Idcirco ego Joannes filius Michaelis Gundulæ in infirmitate corporis poſitus, tamen ſana & bona mente mea, una cum uxore mea Dobroslava filia Mauri Manane, dato, firmato inter nos conſenſu per fidei Sacramentum, de omnibus rebus noſtris mobilibus, & immobilibus coram nobis ſubſcriptis teſtibus hoc Teſtamentum noſtrum primum & ultimum facimus ratum, & inviolabile in perpetuum, ut permaneat, ſine quæſtione, & querimonia, quiete. Quod committimus Epitropis noſtris, ſcilicet Presbytero Sabe, Patri noſtro ſpirituali diebus ſuis, & Valio nepoti meo, & hæredibus fratris mei, & eorum hæredibus in perpetuum, & Grubeſſæ fratri meo, & hæredibus ſuis, & eorum hæredibus in perpetuum, & Presbytero Eliæ Joannis Viviani diebus ſuis, ut in loco de propriis noſtris perſonis habeant plenam virtutem, & poteſtatem faciendi, dandi & ordinandi illud, ſicut ſublegitur, pro remedio & ſalute animarum noſtrarum, & mortuorum noſtrorum. Volumus autem ut pro primitia dent perperum unum, & ſecundum quantitatem noſtrarum cauſſarum mobilium, dent juſtam decimam; firmiter autem, & inviolabile volumus, ut Monaſterium quod cum noſtris denariis in loco, qui vocatur Brelas, conſtruximus ad honorem S. Jacobi Apoſtoli, perpetualiter ſit ſub protectione Domini Papæ Romanæ Eccleſiæ, & in illius ſit poteſtate atque ditione, ſicut continetur in privilegio facto a Domino Honorio digniſſimo Papa Romanæ Eccleſiæ; & ſicut continetur in carta Domini Aconcii Domini Papæ Subdiaconi, & Capellani, Sedis Apoſtolicæ Legati; & ſicut continetur in carta quam Presbyter Gataldus Notarius in Archiepiſcopali Palatio ſcripſit coram eodem Domino Aconcio Apoſtolicæ Sedis Legato, & coram cæteris, qui ibi fuerunt; & ſicut continetur in hac quarta carta & in alia carta, quæ eſt ſimilis & æqualis huic cartæ. Ita tamen volumus, ut Deo dante in æternum illud Monaſterium S. Jacobi ſub B. Benedicti regula conſiſtat, & Abbatis cuſtodia, & Fratrum ibi degentium; & ut nemo noſtrorum tam Clericorum, quam etiam Laicorum, aliquam habere

poſſit

poſſit proprietatem, aut poteſtatem ſuper illud Monaſterium, ſalva tamen reverentia Domini Rhaguſini Archiepiſcopi. Quod Monaſterium per fidei Sacramentum in perpetuum ſtabilimus, & confirmamus, & etiam de bonis noſtris eidem Monaſterio S. Jacobi in perpetuum donamus vineas, & terras, quæ ſunt in Brelo, & earum pertinentias, & vineas, quæ ſunt in Vergatto cum ſuis pertinentiis, & omnes terras, quæ incipiunt a ſpelunca Mauritii, & vadunt uſque ad iſtud Monaſterium, & totum illud quod eſt in circuitu ejus, & domum, quæ eſt ad puſterula cum molendino, & cum omnibus pertinentiis ejus, quæ eſt juxta domum Grubiſcæ fratris mei, ac poſt mortem noſtram domus, quæ fuit Patris Dobroslavæ cum omnibus pertinentiis ejuſdem domus, in qua modo manemus, quæ eſt ad latus domus Dabrane Procbuli, & eſt ſuper viam, quæ deſcendit ad magnum mercatum, damus eam in perpetuum eidem Monaſterio S. Jacobi, & poſt mortem noſtram damus eidem Monaſterio domum, quam per aliam cartam emi a Marino Zriene cum pertinentiis ejuſdem domus, quæ domus fuit de Capalii, & de Jachna, & iſta domus eſt ex latere pelagi, confinat domui Catenæ Debigi, & ex latere montis confinat domui, quæ fuit Michaelis Patris mei, & iſtam domum cum ſuis pertinentiis, quæ fuit Patris mei, dedimus Grubeſcæ fratri meo, & hæredi ſuo in perpetuum, & ſic in carta ſua continetur: Sit firmum. Et hæc domus, quam dedimus eidem Grubeſcæ ex latere pelagi, confinat prædictæ domui; quæ fuit Capalii, & Jachnæ, & ex latere montis confinat aliæ domui Patris noſtri Michaelis Gundulæ, in qua nunc manet idem Grubeſca, & poſt mortem noſtram videlicet, vaccas, & pecora noſtra, quæ ſunt in terra nova, damus eidem Cœnobio. Et poſt mortem noſtram dentur eidem Monaſterio S. Jacobi, vineæ de Gionchetto cum omnibus ſuis pertinentiis, & buttæ, & caratelli, & buticelli, & barilli, & ſcamna, & banzi, & reliquum argatium & lignamen quod eſt in domo, in qua manemus, cum eadem domo detur eidem Monaſterio, & illud argatium maneat in eadem domo. Et omnia paramenta, & libri dentur S. Jacobo; & a modo in antea detur eidem Monaſterio quarta pars navis, quæ vocatur Striga, & alia tertia pars iſtius navis, & novem cartæ navis, in qua eſt Nauclerius Luccarius Chiſanæ, ſit in poteſtate Dobroslavæ, & poſt mortem ipſius iſta tertia pars navis, & novem navis vendantur, & pretium earum detur pro anima ſua, & mea. Et poſt mortem meam detur S. Jacobo navicula, & capſella, & arſcanum, & retia. Et poſt mortem Dobroslavæ Barcoſus vendatur, & pretium ejuſdem detur pro animabus noſtris. Si autem Abbas S. Jacobi deceſſerit, nullum alium Abbatem eligant, niſi quem Congregatio Cœnobii ipſius, ut decet, communi, & concordi voluntate eligere voluerint; ſecundum regulam B. Benedicti Monachorum eligant. Hæc autem omnia, quæ prædicta ſunt, ſecundum regulam B. Benedicti Abbatis in æternum obſerventur firmiter. Si forte aliquis hoc temere perturbare præſumpſerit, ſtabilimus, & firmiter volumus, ut nominati Pitropi noſtri, Pater Saba ſpiritualis Pater noſter in vita ſua, & Vallius nepos meus in vita ſua, cum hæredibus fratris mei Damiani, & cum ſuis hæredibus in perpetuum, & Grubeſca frater meus cum ſuis hæredibus, & eorum hæredibus in perpetuum, Presbyter Elias Joannis Viviani in vita ſua, ſint conſiliatores, & defenſores ejuſdem Monaſterii S. Jacobi; ita tamen ut non hæreditarii ſint, nec vocentur hæreditarii, ſed ſolummodo conſiliatores & defenſores ſint iſtius Monaſterii. Et Pes S. Jacobi laboretur de una libra argenti, & detur Monaſterio; & Filacta detur eidem Monaſterio, & Dobroslava uxor mea, ſicut ſcriptum eſt, poſſideat cauſſas noſtras diebus ſuis. Verumtamen non poſſit illas minuere, neque dare alicui ſuo, neque meo, neque extraneo præter quæ ſcripta ſunt; ſed pro animabus noſtris faciat eleemoſynas, & pro animabus noſtrorum mortuorum. Et poſt mortem ipſius adimpleatur ſecundum quod ordinavimus. Et poſt mortem noſtram illum terrenum extra portam Leonis, qui mihi pertinet, excepto illo, quem dedi Vitello, & uxori ſuæ Radizæ; nepotes mei filii Damiani fratris mei, videlicet Valleus & Jacobus accipiant illam in ſuam poteſtatem, & quantum valet ille meus terrenus detur pro animabus noſtris. Et cartæ quæ continent ſuper Joannem Deſizæ, & omnes aliæ cartæ, quæ ſunt ſcriptæ in nomine meo, quas habuit Damianus frater meus in compagniam ſuam & meam, ſint in poteſtate filiorum ſuorum Vallii & Jacobi, & poſt mortem meam, & Dobroslavæ, iidem nepotes mei Vallius, & Jacobus pro animabus noſtris dent perperos 50. & in æternum habeant, & poſſideant ad ſuam voluntatem, & poteſtatem vineam cum ſuis pertinentiis, quæ eſt in Campo Giupanenſi juxta Seiſonum, & juxta vineam fratris mei Grubeſcæ, & juxta vineam S. Andreæ. Et poſt mortem noſtram Grubeſca ſcilicet . . . cum ſuo hærede ſicut continetur in alia carta, quam ſibi fecimus, in æternum habeat ad ſuam voluntatem, & poteſtatem, illos quinque ſolidos de vinea cum pertinentiis eorum, qui ſunt juxta vineam ſuam in Giupana, & alios tres ſolidos de vinea juxta vineam Calendæ de Moſca in Giupana, & ſic continetur in ſua carta: ita ſit firmum. Et poſt mortem noſtram Petinagus de Scaputo det perperos 50. ubi Dobroslava præceperit dare illos, & ſic in ſua alia carta continetur, quam ſibi fecimus, in æternum cum ſuo hærede, & ad ſuam voluntatem, & poteſtatem habeat illam vineam, quæ eſt in Jupana, quæ fuit Petiicoli, quam quondam emi perperis octoginta, & ſic continetur in illa carta Petinagii: ita ſit firmum. Clericis autem S. Mariæ Majoris Eccleſiæ dentur perperi duo, & ad opera S. Mariæ perperi tres, & Locrumenſi perperi tres, & Mercano perperi uno, & S. Petro de medio mari perperi uno, & S. Andreæ de Pelago perperi quatuor, & Meledæ perperi unum, & S. Petri de Monachabus perperi unum, & S. Simeoni perperi unum, & S. Andreæ perperi unum, & S. Thomæ perperi unum, S. Nicolao perperi duo, & S. Mariæ de Caſtello perperi duo, & S. Bartholomæo perperi duo, & recluſis ad dimidium perperi uno, & ad opera Fratrum Minorum perperi tres, & Magiſtro Bratis Calafati pro Nicolao dentur perperi quinque, & Teſalo perperi uno, & poſt mortem meam omnes ſervi noſtri, & omnes ancillæ noſtræ in æternum ſint liberi, & ſcapuli vadant per quatuor partes mundi. Si autem aliqua carta, vel aliquæ cartæ factæ ſunt antea, vel factæ fuerunt poſtea prænominatum privilegium Domini Papæ Honorii, vel contra prædictam cartam Domini Aconcii Apoſtolicæ Sedis Legati, ſive contra prædictam cartam, quam ſcripſit Presbyter Gataldus

No-

Notarius coram eodem Domino Legato, vel contra duas cartas, videlicet contra hanc, & contra aliam, quæ eſt ſimilis, & æqualis huic, in æternum ſint ruptæ, irritæ, vanæ, & falſæ, & ſine vigore. Et prænominatum privilegium Domini Papæ Honorii, & prænominata carta Domini Aconcii Legati Sedis Apoſtolicæ, et prænominata carta quam ſcripſit Presbyter Gataldus Notarius coram ipſo, & duæ cartæ, quæ ſunt ad hoc ſimiles, videlicet hæc & alia de quibus unam tenet Valleus, & aliam tenet Grubeſca, in æternum permaneant firmæ, plenæ, ſicut in ipſis continetur, & ſicut prælegitur, prænominati Pitropi noſtri, videlicet Presbyter Saba pater meus ſpiritualis in vita ſua, & Valleus nepos meus cum hæredibus patris ſui fratris mei Damiani, & cum ſuis hæredibus in æternum, & Presbyter Elias Joannis Viviani in vita ſua permaneant firmi in loco de propriis noſtris perſonis. Quia nos bona noſtra, bona voluntate per fidei ſacramentum ordinavimus, & ſtabilivimus, hæc omnia in æternum ſint firma, inviolabilia, & rata.

Quicumque autem homo hæc rumpere tentaverit, vel aliter præſumpſerit facere, anathematis ultioni ſubjaceat, & habeat maledictionem Dei Patris Omnipotentis, & Filii, & Spiritus Sancti, & B. M. ſemper Virginis, & B. Apoſtolorum Petri, & Paulli, & Jacobi, & B. Blaſii Epiſcopi, & glorioſi Martyris, & omium Sanctorum, & habeat partem cum Diabolo, & Juda traditore Domini, & cum Datan, & Abiron, quos terra abſorbuit, & in Inferno inferiori. Amen.

Hæc autem carta nullo homine, & teſtimonio rumpi poſſit. Hi ſunt Teſtes: Matthæus Badatiæ juratus Judex, & Vitalis filius Joannis Coledæ.

Ego Presbyter Paſchalis Capalu & Communis Notarius juratus ſcriptor ſum, & teſtis.

Dum Acontius legatione univerſali Dalmatica & Boſnenſi fungebatur, alterum Sedis Apoſtolicæ Legatum, ſpeciatim fortaſſe ad Raguſienſes, miſſum invenio in tabulis Cœnobii Lacromenſis, nomine Decentium, itemque Subdiaconum & Præfectum Sacelli Pontificii. Hic ſiquidem anno eodem 1222. menſe Octobri, cum Acontius aut nondum, aut vix Raguſio diſceſſerat, duas vineas, quæ in diſceptationem & controverſiam vocabantur, Jordano Cœnobiarchæ Lacromenſi adjudicavit, ut eſt in iiſdem tabulis, præſente & ſententiam approbante Legati Joanne Dandulo Rectore civitatis. Vereor tamen, ne hic Legatus Sedis Apoſtolicæ, quem Decentium nominant, idem fuerit atque Acontius, qui eodem anno & menſe eidem Jordano Abbati vineas quaſdam in inſula Jupana adjudicavit, ut docet ejus ſententia his verbis expreſſa.

Sententia Acontii legati ſecundum Abbatem Lacromenſem.

Anno Domini milleſ. ducenteſ. vigeſimo ſecundo Menſ. Octobris. Cum Acontius Domini Papæ Subdiaconus & Capellanus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, in aula reſidens Raguſinæ ſedis, & coram ſubſcriptis adſtantibus, dixit: Hunc Jordanem Lacromonenſem Abbatem, & vineas Juppanæ, & earum pertinentias, quæ olim Savini Pincioli fuerunt, meo judicio, meaque ſententia .... miſi, & ſtatui, ut eas Abbas cum Fratribus jam dicti Monaſterii in perpetuum habeant, & obtineant ad ſui utilitatem, ut nunquam a ſe alienare queant. Si autem aliquis hoc meum ſtatutum aliquo modo perturbare præſumpſerit, & dictum Monaſterium de dicta vinea & ejus pertinentiis aliquam moleſtiam intulerit, Omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus S., & B. Mariæ ſemper Virginis, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, omniumque Sanctorum maledictionem, & noſtram incurrat. Omnibus hoc bono animo ſervantibus pax, & benedictio Dei Omnipotentis, omniumque Sanctorum perpetua ſit. Amen.

Hæc autem carta nullo teſtimonio rumpi poſſit. Hi ſunt teſtes, qui præſentes fuerunt D.... Dandulus Com. R. D. Matthæus Ballislavæ, D. Lucarius Naimeri, Matthæus Bodatiæ Judex juratus. Cum quibus, & Ego Presbyter Gataldus & Communis Notarius jur. ſcriptor ſum & teſtis.

Patres Dominicani Raguſium recepti,

Arrengerio Raguſienſi Antiſtite, jacta ſunt fundamenta Congregationis Dominicanæ Raguſinæ, quæ tunc quidem ad Provinciam Dalmaticam & Hungaricam adjuncta fuit, ſed eam poſtea ſejungi placuit, & cum aliis ejuſdem Ordinis Cœnobiis Dalmatiæ in unius provinciæ corpus coaluit. Anno igitur 1225. B. Jordanus, qui univerſæ Prædicatorum ſodalitati proximus a S. Dominico præfuit, tum Evangelii, tum Ordinis ſui propagandi cauſſa, viros ſelectos inſigni doctrina & ſanctitate præditos in varias orbis partes quaquaverſum dimiſit. Ex illis, quos ad Orientem, & Palæſtinam deſtinaverat, cum plerique Raguſium appuliſſent, Arrengerius Archiepiſcopus, & Nicolaus de Sorrento tunc Rector Civitatis, eos perhumaniter, atque honorifice receperant; & ſecum ipſi reputantes quantum emolumenti ad recte pieque vivendum ex illorum concionibus & ſanctiſſimis exemplis Civitas perceptura eſſet, tales viros apud ſe retinendi cupiditate incenſi Senatui Populoque auctores fuerunt, ut ab urbe diſcedere ne paterentur. Summis igitur omnium ſtudiis & precibus exorati cum fuiſſent, vix impetrari potuit, ut, aliis ex mandato Supremi Præſidis iter in Palæſtinam proſequentibus, alii manerent Raguſii ad hanc vineam Dominicam excolendam. His primum aſſignatum fuit templum S. Jacobi ad mœnia civitatis cum exiguo ibidem hoſpitio: ſed cum utrumque anguſtius eſſet, quam pro numero Fratrum magis magiſque in dies excreſcente, triennio poſt nobilis quidam civis ad ſacellum & domicilium S. Jacobi templum Deiparæ Virginis in Cœlum aſſumptæ, & domum ei proximam cum horto adjunxit. Nec vero illorum induſtria, & eximia in Deum pietas, & erga proximos caritas expectationem fruſtrata eſt Civitatis; nunquam enim illi religioſiſſimi Patres ad divinum cultum augendum, atque ad Chriſtianam plebem ſuis concionibus erudiendam, excitandamque, ac divinis myſteriis imbuendam tum Arrengerio, tum reliquis deinceps Archiepiſcopis aſſiduam ac perutilem operam navare deſtiterunt. Hæc e Codice Mſ., cujus inſcriptio eſt, *Monumenta Congregationis S. Dominici de Raguſio*, ubi hæc leguntur: *Anno 1225., cum dilatandi Evangelii, ac propagandæ religionis ſtudio ex decreto B. Jordani ſecundi Ordinis Generalis Magiſtri noſtri Prædicatores in univerſas orbis regiones perrexiſſent, ex iis, qui ad Terram Sanctam deſtinati fuerant, Raguſium quidam appulerunt, inſtitutam inde navigationem perfecturi. At Arrengerius Romanus Archiepiſcopus, & Nicolaus de Sorrento nobilis civis, penes quem ſumma dignitas & auctoritas erat, utpote Rector, ſeu Comes, ut vocabatur ea tempeſtate,*

Ra-

Digitized by Google

Raguſii jacturam ſe paſſuros arbitrati, niſi Apoſtolicos viros ad ſe divertere ſtuderent, ne Civitatem deſerant, ſummis precibus rogarunt, & obtinuerunt, Quare Clero, magiſtratu, univerſoque plaudente pòpulo exceptis, Sacellum quoddam ad mœnia Civitatis, D. Jacobo Apoſtolo nuncupatum, quod adhuc extat in editiori Civitatis ſitu, qua in Orientem Sol vergit, pro Oratorio, domoſque, quæ circum erant, pro Conventu deſtinaverunt. Multiplicatis verò Fratribus (brevi enim viri fere quadraginta) locus primo donatus, pro Fratrum numero anguſtus viſus eſt. Unde nob. quidam civis de Palmata anno Domini 1228. Eccleſiam Virgini in cœlos Aſſumptæ ſacram, domum & hortum tunc extra muros, & juxta præfatum S. Jacobi Sacellum, perpetua donatione publicis tabulis exarata Fratribus conceſſit.

itemque Fratres Minores Franciſcani.

Sub idem tempus Civitas Raguſina Fratres Franciſcani Ordinis, paucos ante annos inſtituti, excepit, illiſque domicilium ſtabile præbuit. Anno 1219. B. Franciſcus Aſſiſienſis, Parens & conditor Ordinis Fratrum Minorum, Evangelii propagandi cauſſa, & martyrii cupidus in Syriam cogitans, Raguſium venerat, ut docet Luccarus, qui ejus Raguſinum adventum anno 1223. per errorem adſcribit; qua in urbe tam illuſtria ſanctitatis ſuæ, & incredibilis ſtudii, quo ardebat, humanæ ſalutis procurandæ documenta dederat, ut magnum ſui, & familiæ a ſe conditæ deſiderium reliquerit. Itaque haud multis annis poſt ejus e Syria regreſſum, Raguſinis expetentibus, miſſa eſt ex Italia exigua Fratrum Minorum colonia, quam ſumma lætitia & gratulatione acceptam in ſuburbio locarunt, extructo illis Cœnobio & Templo ſub nomine & auſpiciis S. Thomæ Apoſtoli, quod, cum numero Fratrum magis magiſque augeretur, D. Bonaventura Miniſter Generalis in Comitiis Generalibus Narbonæ habitis anno 1260. caput eſſe voluit Cuſtodiæ Franciſcanæ Dalmaticæ, ut eſt in tabulis ejuſdem Cœnobii Raguſini.

Inter hæc Arrengerius, Metropoliticam Eccleſiæ ſuæ dignitatem ut validioribus præſidiis fulciret, a Gregorio IX. Pontifice litteras impetravit, queis Pontifex omnia privilegia, itemque poſſeſſionem omnium Eccleſiarum Dalmatiæ ſuperioris a Benedicto VIII. & aliis Pontificibus Metropoli Raguſinæ attributas ſua quoque auctoritate confirmat anno 1227.

Litteræ Gregorii IX. pro Metropoli Raguſina.

Gregorius Epiſcopus Servus ſervorum Dei. Vener. Fratri Aringerio Archiepiſcopo Raguſino &c.

In eminenti Apoſtolicæ Sedis &c. ad exemplar Prædeceſſorum noſtrorum felicis memoriæ Innocentii, Anaſtaſii, Adriani, Alexandri, & Urbani &c. quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona &c. firma tibi, tuiſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant &c. ſcilicet Regnum Zachulmiæ, Regnum Serviliæ, quod eſt Boſna, ac Regnum Tribuniæ, Civitatem quoque Catharinen., ſeu Roſæ, Guduanenſem, Antivaren. Olciniaten. Scodrien. Drivaſtineu. & Polaten. cum Abbatiis, Eccleſiis, & Parochiis ſuis &c. Siqua igitur in futurum eccleſiaſtica, ſæculariſque perſona &c. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax &c. Amen.

Ego Gregorius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus SS.
Ego Pelagius &c.

Datum Anagniæ per manum Magiſtri Sinibaldi S. R. E. Vice-cancellarii VIIII. Kal. Auguſti Indictione XV. Incarnationis Dominicæ anno MCCXXVII. Pontificatus vero Domini Gregorii PP. VIIII. anno primo.

Anno 1235. Arrengerius, convocato Capitulo, Clero, Cœnobiarchis, aliiſque religioſis viris, decretum fecit, quo luxum & pompam nuptialem, nimioſque ſumptus in ſtolas muliebres, choreas, & convivia effuſos coercuit, iiſque modum & rationem præſcripſit, anathematis pœna illis inflicta, qui hanc ſaluberrimam, & ſanctiſſimam legem violarent. Quod quidem decretum extat in tabulario Conſilii Majoris, & Minoris, chirographo Arrengerii Archiepiſcopi ſubſcriptum, præſentibus DD. Canonicis, necnon Beſſanio Abbate Lacromenſi, Joanne Abbate Melitenſi, Georgio Abbate D. Jacobi, & F. Xyſto a Brixia, Miniſtro Provinciali Dalmatiæ, cum nonnullis aliis Fratribus Minoribus. Decretum Archiepiſcopale in Conſilio Parvo & Magno confirmatum fuit; & inſuper reſcriptum, quantum quæque mulier ſive dotis, ſive ornamentorum muliebrium ad ſponſum afferre debeat; ſimulque nominatim quædam vetantur, quæ vel ſuperſtitioſe, vel inepte in ſolemniis nuptiarum fieri ſolebant.

Decretum Archiepiſcopi in Raguſino Conſilio confirmatur adverſus civium luxum.

Anno Incarnationis Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo quinto, Menſis Aprilis tertio decimo die intrante.

In Conſilio parvo, & magno more ſolito per campanam coadunato, & ordinata Curia cum ſonitu campanæ in publico foro a Petro de Bellislava Vicecomite Raguſii, & a Judicibus, & Conſiliariis de parvo, & magno Conſilio, & a Populo Raguſii ſtatutum, & laudatum eſt multis vicibus, ut a modo in antea nullus dare debeat alicui mulieri pluſquam ducentos perperos nomine Parchivii, & non debet dare niſi tantùm decem penſas auri pro ornamento capitis, aurium & manuum, & hoc in auro, vel argento, vel perlis ſecundum voluntatem ſuam, non computatis fazeolis, & zepeis. Alia autem ornamenta de auro, argento, & perlis, tam a deſpònſatis deponatur. Sponſa verò poſſit indui more Nobilis Dominæ ſecundum conſuetudinem Civitatis Raguſii, quæ talis eſt conſuetudo. Clamis de ſciarlato, pellis de fuinis cooperta de viridi, vel de bruno, dipleis, vel zuppa de zendato, vel de oramito, clamis de ſaja, pellicia de leporinis & ancilla. Quæ conſuetudo nullatenus debeat multiplicari, ſed minorari poſſit, qui voluerit. Zepeque quæ factæ ſunt maneant, & poſſint eis uti, qui habeant, ſed amodo antea aliquis, vel aliqua non faciat vel fieri faciat, vel apportari aliunde faciat zepequa, quæ ſit deaurata, vel quæ habeat telam de ſeta. Eo die quo nupta vadit ad domum viri, celebrentur nuptiæ tantum, & non pluribus diebus, ſive vadat die Dominico, ſive alio die.

Item panis melatus, qui fiebat, amplius fieri non debeat. Et bocha non debeat portari poſt ſponſam, & oxerium gallinarum, vel ovariorum, vel annatrorum; donaria, quæ loco mandilorum faciebant, qui non habebant mandilia, ceſſari hactenus debeant; & donaria, quæ faciebant ſponſus, & ſponſa diſcalciantibus, non debeant amplius fieri; & torta, quæ fiebat, fieri non debeat, & ſponſus eo die quo nuptiæ fiunt de eo, quod mittebatur, ſicuti de caſtratto, nihil debeat mittere ſponſæ, vel ſponſa ſponſo, & eo die, quo ſponſa vadit ad domum viri coronetur, & ornetur ſecundum voluntatem ſuam, & ſic poſſit manere per octo dies, & non plus.

Item

Item consueverat sponsus tenere duos socios per totam hebdomadam, & sponsa eodem modo duas socias, quod non faciant, nisi per tres dies, vel ad plus quatuor.

Item consuevit ire sponsa ad sanctam Ecclesiam & facere ibi expensas, quod amplius non fiat.

Item in annulo sponsæ non ponatur pasta levata, nec ruta, nec cum vadit ad domum viri detur ei enez ad manducandum, & in pectore viri non ponatur pasta, vel ruta amplius.

Item galleta plena aqua, & cathedra ferrea, & pellis montanea hactenus fieri non debeant.

Et orphanæ, vel orphana, quæ non habet fratres, cum omni possessione sua nubat, sicuti voluerit, & mulier vidua cum omni dote sua, & cum omni eo, quod dedit ei vir defunctus, nubat, & si habeat patrem, vel matrem, vel fratres, nihil amplius detur ei, quam prius habeat, & quicumque vult accipere vel dare uxorem extra Civitatem vel alio modo matrimonium contrahere, non teneatur ad prædicta, sed faciat ad melius quod posset. Omnis autem persona teneatur observare, & nihil frangere de his, quæ inventa sunt de facto matrimonii per sacramentum quod fecit. Et quicunque contra prædicta fecerit sit perjurus, & incidat in excommunicationem, quæ facta est per Dominum Arengerium Archiepiscopum, & Abbates Dessam de Lacromono, & Joannem de Meleta, & Georgium de S. Jacobo de Viscgniza, & per quosdam Monachos eorumdem Abbatuum, & per Canonicos S. Mariæ, videlicet per Presbyterum Petronam filium Teodori, & Diaconum Matthæum filium Theophilæ, & per Clericos Marinum filium Sabatini, & Stantium filium Simeonis, & per Presbyterum Paschalem filium Petri, & præsentibus Fratribus Minoribus Fratre Xisto tunc temporis in Dalmatia Fratruum Minorum Ministro, & Fratre Andrea Diacono, qui sunt de Venetiis, & F. Joanne, qui fuit de Episcopatu Brixiæ, scilicet de Minizno, & in conspectu virorum, & mulierum in majori Ecclesia S. Mariæ; & insuper nulla veritas in eo credatur temporaliter, & nullam sententiam dare possit in aliquo loco, nec de suis negotiis aliquam rationem habere possit in curia Civitatis Ragusii, vel alterius Civitatis, nec alicui cartæ, quam habet pro aliquo facto, credatur, sed sit inanis, & cassa, & si aliquod ab eo petatur, credatur petenti, & non ei, qui contra hoc faceret.

Et quicumque daret alicui mulieri plusquam superius dictum est nomine Parchivii, post obitum viri nec ipsa, nec parentes, nec propinqui, nec amici ejus petere possint plus quam dictum est, scilicet ducentum perperos, & decem pensas auri.

Similiter incidat in excommunicationem, & præfatam pœnam tam qui accipit, quam qui dat, & missitæ, qui contra hoc ierint, teneatur hac sententia tam vir, quam mulier. Hæc autem excommunicatio, & temporalis sententia, & cætera supradicta durent, & valeant usque ad viginti novem annos, & non possint mutari Consilio parvo, vel magno, nec per Judices, nec per sonitum campanæ, nec per publicam curiam, vel alio quocunque modo usque ad prædictum tempus, sive terminum, scilicet viginti novem annorum.

Deo Archiepiscopi Ragus. anonymi.

Joseph Garampus, Cardinalis amplissimus, & antiquitatis ecclesiasticæ diligentissimus investigator, duos nobis ex Archivis Apostolicis suppeditavit Archiepiscopos Ragusinos anonymos, quorum ne vestigium quidem in Catalogis & Historicis Ragusinis reperitur. Primus ille fuit, qui consecravit Episcopum quemdam Bosnensem hæreticum; quam ob causam Jacobus Cardinalis Pecorarius, Episcopus Præneſtinus, qui anno 1233. Legatione Apostolica in Regno Hungariæ fungebatur, illum diminutione Provinciæ multavit, ejusque jurisdictioni Metropoliticæ Ecclesiam Bosnensem ademit. His temporibus, ut est apud Raynaldum ad an. 1233., in Ecclesiam Bosnensem Episcopus nescio quis invaserat, non modo Patarena impietate, quæ tum in Bosna dominabatur, infestus ipse, verum etiam mire cupidus ejusdem longe lateque vulgandæ. Scripsit Gregorius IX. ad eumdem Jacobum Apostolicum in Hungaria Legatum; eique imperavit, ut Episcopum illum omnino expellendum, ejusque in locum Antistitem æque doctum ac pium substituendum curaret. Hunc heterodoxum Episcopum ab Ragusino Archiepiscopo consecratum fuisse apud nostrates Scriptores non invenio. Sed si quis fuit ex nostris Archiepiscopis, qui Bosnensem illum hæreticum Episcopali consecratione impertivit, is alius esse non potuit, nisi Arrengerius, qui anno 1233. Ecclesiam Ragusinam gubernabat. Fortasse Bosnensi heterodoxo manus imposuit, ignarus impietatis, ac perfidiæ, quam ille animo inclusam simulatione Catholicæ professionis tegebat. Et sane ignorationis excusatione usum fuisse arbitror, quæ illi profuit, ne gravissimis pœnis ac censuris plecteretur, quas certe promeritus fuisset, si hominem alienum a fide & Ecclesia Catholica, & pravarum opinionum impietate pollutum, castissimis ceremoniis, & sacrosanctis mysteriis Episcopum sciens prudensque inaugurasset; illum vero Legatus Apostolicus nec majoris anathematis gladio confixit, nec Sacerdotio, omnive sacerdotalis officii usu privavit, nec denique ingressu Ecclesiæ prohibuit; quinimmo nullam ei pœnam irrogavit, quæ personam illius specialiter & solum attingeret. Quod in ejus hominis, qui a se consecrationem petebat, fidem, doctrinam moresque non diligenter, ac studiose inquisierit; & quod *nimis cito*, contra quam Apostolus præcepit, ac temere manus eidem imposuerit, idcirco ab ejus Provincia, & jurisdictione Bosnensem Ecclesiam disjunxit, quam administrandam, seu potius depravandam Episcopo indigno, atque hæretico, ignarus quidem, sed imprudens tradiderat: quæ quidem diminutio, & detractio potestatis metropoliticæ plus detrimenti ac dedecoris Metropoli Ragusinæ, quam ipsius Metropolitæ afferebat. Verum in Epistola Innocentii IV., cujus exemplum, ex Regesto Epistolarum ejusdem Pontificis, Cardin. Garampus ad nos transmisit, Archiepiscopus Ragusinus gravioris notæ ac temeritatis arguitur, quam ut ignorationis obtentu excusari possit; at tantum ei non aperte nota hæreseos inuritur; & quod gravius est, Ecclesia ipsa Ragusina *in eandem labem*, (qua scilicet infecta erat Bosnensis) *lapsa esse* dicitur. Qui Epistolam ex Autographo descripsit, retulitque in Regestum Epistolarum Innocentii IV., nonnulla per imprudentiam omisit; multa vero per insciitiam, & inconsiderantiam, latinæ locutionis vitio depravavit. Inscripta est *Cœnobiarchæ S. Martini de sacro Monte Pannoniæ, & Decano ac Thesaurario*

quorum primus, qui Episcopum hæreticum Ecclesiæ Bosnensi præfecit, ac diminutione Provinciæ multatus fuit.

Eccleſiæ Veſprimienſis, & Jaurienſis Diœceſis; data vero Lugduni XIV. Kalendas Auguſti, Pontificatus anno quarto, ideſt 1246. Caput autem Epiſtolæ: ſibi ſupplicatum fuiſſe, ut Eccleſiam Boſnenſem, quam Jacobus Epiſcopus Prænestinus, Legatus Apoſtolicus, a Metropoli & Provincia Raguſina disjunxerat, cum Metropoli Colocenſi remunerationis cauſſa conjungeret, propter labores & ſumptus a duobus Archiepiſcopis Colocenſibus impenſos, ut hæreticos, & hæreticam perfidiam eliminarent. Jubet itaque illos, ad quos ſcribit, diligenter inquirere, utrum ea, quæ ad ſe delata ſunt, veritate nitantur, atque ad ſe reſcribere quidquid poſt accuratam inveſtigationem, compertum habuerint; ut pro eo, atque utilitas, & æquitas poſtulat, ſtatuere poſſit. Tum Antiſtitem & Eccleſiam Raguſinam ab omni hæreticæ pravitatis ſuſpicione vindicare, tum ipſam Epiſtolam Pontificiam, a mendis & erroribus, quorum referta eſt, purgare conabimur, noſtris in eamdem Epiſtolam notis ſubjectis.

Litteræ Innocentii IV.

Innocentius Servus ſervorum Dei dilectis filiis Abbati S. Martini de ſacro Monte Pannoniæ... Decano Theſaurario Eccleſiæ Veſprimienſis, & Jaurien. Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

1 *Ex parte Ven. Fratris noſtri ... Epiſcopi Boſnenſ.* (1) *fuit propoſitum coram nobis, quod cum dudum*

2 *Eccleſia Boſnen.* (2) *vacante etiam jam lapſæ erat, peccatis exigentibus, in hæreticam pravi-*

3 4 *tatem* (3) .. *Raguſien. Archiepiſcopus* (4) *eo tem-*

5 *pore ipſius Eccleſiæ Metropolitanus* (5), *quemdam hæreticum in Epiſcopum præfeciſſet ibidem,*

6 7 *in eodem crimine* (6), *cum ad eum* (7) *pervenerit, quod tam ipſe, quam ejus ſubditi hujuſmodi erant labe reſperſi, quodque in Eccleſiis*

8 *Civitatis & Diœceſis Boſnen. Officia non* (8)

9 *celebrabantur divina, ſcienter toleraſſet* (9),

10 *eumdem bonæ memoriæ* (10) *F. Prænestin. Epiſcopus, tum in illis partibus Apoſtolicæ Sedis Legatus, cognito legitime de tantæ ipſius Ar-*

11 *chiepiſcopi temeritatis* (11) *exceſſu, præfatam Boſnen. Eccleſiam Raguſien. Eccleſiæ cujus erat Suffraganea, exigente juſtitia, ſubtrahens, ipſum ab ejus ſubjectione ac juriſdictione prorſus exe-*

12 *mit* (12); *poſtmodum vero bonæ memoriæ prædicto Venerabili Fratri noſtro ... Archiepiſcopo Colocen. primo; ac demum idem Archiepiſcopus hujuſmodi negotium aſſumentes, cum Colocen. Eccleſia in Civitate ac Diœceſi Boſnen. juriſdictionem habeat temporalem, ad extirpandam exinde pravitatem prædictam cum multis, diverſis temporibus, exercitibus, conſtruendo, & reficiendo in locis idoneis caſtra, pro defenſione ipſius Boſnen. Eccleſiæ, tuitione Fidei, & hæreticorum extirpatione, non ſine magno expenſarum onere, ac perſonarum periculo laborarunt: Unde cum eadem Terra purgari pravitate prædicta nequeat ſine magno auxilio Eccleſiæ Colocen., & Raguſien. Eccleſia in hujuſmodi labem*

13 *lapſa* (13) *dicatur, præfatus Epiſcopus, & etiam cariſſimus in Chriſto filius noſter Rex Ungariæ illuſtris, nobis cum inſtantia ſupplicarunt, ut prædictam Boſnen. Eccleſiam eidem Colocenſi Eccleſiæ ſubjicere paterna ſolicitudine curaremus. Quia vero in tanto negotio abſque magna deliberatione, ac maturitate procedere nolumus, nec debemus; mandamus, quatenus inquiratis ſuper his diligentius veritatem; & quod inveneritis, nobis fideliter reſcribatis, ut exinde per vos inſtructi, quod expedire viderimus, diſponamus. Quod ſi non omnes bis exequendis intereſſe poteritis, unus tamen veſtrum, & nihilominus exequatur. Datum Lugduni, XIV. Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri anno quarto*, ideſt 1246.

Notæ.

1 Tunc Eccleſiæ Boſnenſi Aimus præſidebat, quem B. Joannes Teutonicus an. 1240. abdicatione voluntaria dimiſit, Vide Tomum IV. in Epiſcopis Boſnenſibus.

2 Hunc locum ita reſtituendum puto: *quod cum Eccleſia Boſnenſis vacaret, & jam lapſa erat, peccatis exigentibus, in hæreticam pravitatem.*

3 Puncta hic, & paullo ante interjecta, aliquid deeſſe ſignificant.

4 Archiepiſcopus alius eſſe non poterat, ut diximus, niſi Arrengerius, qui ab anno circiter 1223. uſque ad annum fere ſextum & trigeſimum hujus ſæculi Metropoli Raguſinæ præfuit.

5 Eccleſia Boſnenſis alias Spalatenſi, alias Diocletano ſive Antibatenſi, alias Raguſino Metropolitæ paruit. Anno 1191. Clemens III., vel Cæleſtinus III. eam Spalatenſi Metropolitæ reſtituerat; ſed haud multis poſt annis Leonardus Archiepiſcopus Raguſinus eamdem ſibi vindicavit; & ſive injuſſu, ſive permiſſu Sedis Apoſtolicæ, jus luſtrandæ Diœceſis Boſnenſis uſurpavit. Arrengerius exemplo & auctoritate ſui proximi deceſſoris Leonardi idem jus metropoliticum in Eccleſiam Boſnenſem retinuit, & propterea dictus habituſque fuit eo tempore *Metropolitanus* illius Eccleſiæ.

6 Hæc vitio depravatæ locutionis obſcura ſunt, & ambigua; ut nequeat ſatis intelligi, utrum eodem hæreſeos crimine non ſolum Epiſcopus, ſed etiam Archiepiſcopus arguatur.

7 Id eſt, fama perlatum fuerit, *quod tam ipſe*, ideſt Epiſcopus Boſnenſis, *quam ejus ſubditi hujuſmodi erant labe reſperſi.*

8 Hæc referenda ſunt ad ipſum Archiepiſcopum, qui per incuriam ſinebat publica religionis officia, quæ ad divinum cultum pertinent, prætermitti, negligique in Eccleſia Boſnenſi, quæ pars erat ejus provinciæ.

9 Scilicet eumdem Archiepiſcopum Raguſinum.

10 Jacobus Cardinalis Pecorarius, Epiſcopus Prænestinus, qui anno 1233., ut eſt apud Raynaldum, Legatione Apoſtolica in Hungaria fungebatur.

11 Quod Raguſinus Archiepiſcopus hominem hæreticum Eccleſiæ Boſnenſi præfecerit, quod neglectum cultum divinum in eadem Eccleſia & Diœceſi toleraverit, peccavit ille quidem, ſed ignoratione magis & incuria, quam malitia & prava voluntate illum peccaſſe arbitror; quippe antequam ei manus imponeret, in eum ejuſque fidem inquirere, ut debuerat, per imprudentiam omiſit; nec diligentiam adhibuit, ut in Eccleſia ac Diœceſi ſuæ Provinciæ divinus cultus vigeret ac floreſceret. Adduci ſane non poſſum, ut credam, Arrengerium, qui per id temporis Metropoli, & Provinciæ Raguſinæ præfidebat, voluiſſe, ſuſcipere ſe tantum ſceleris, atque impietatis, ut hominem hæreſeos impuriſſimæ compertum, ſibique cognitum,

ad

Digitized by Google

ad Ordinem Episcopalem proveheret. Nihil tale de illo, vel simile quid nostrorum Scriptorum litteris traditum invenio: quin immo Episcopum bonum fuisse, vigilem, intentumque ad ea corrigenda, quæ Christianæ moderationi ac disciplinæ repugnarent, vel illud decretum prudentissimum declarat, quod fecit de luxu nimio nuptiarum compescendo. Ipse vero Legatus Apostolicus, quidquid Archiepiscopus peccaverat, non malitiæ, sed ignorantiæ atque imprudentiæ tribuisse videtur, quam satis, pro eo ac meruerat, puniendam censuit, si eum diminutione provinciæ multaret. Nam si reus fuisset hæreticæ impietatis, qua ille imbutus erat, quem Episcopum inauguravit, longe gravioribus pœnis in eum animadverti oportuisset. Verum Episcopus Bosnensis in suis ad Innocentium litteris culpam Archiepiscopi verbis odiosis exaggeravit, sive delationibus parum sinceris deceptus, sive ut Innocentius sententiam Jacobi Legati Apostolici confirmaret, & Bosnensem Ecclesiam Ragusinæ ademptam cum Metropoli, & Provincia Colocensi conjungeret.

12 Hic locus, tum ex omissione aliquarum rerum, tum ex vitiosa locutione depravatus est; qui sic restitui posse mihi videtur: *postmodum vero bonæ memoriæ prædictus* (quem videlicet supra nominaverat, id quod ab Amanuensi prætermissum est) *Venerabilis Frater noster Archiepiscopus Colocensis primo ac demum ejusdem Ecclesiæ alter Archiepiscopus hujusmodi negotium assumentes &c.* Duos Archiepiscopos Colocenses hic nominari necesse est; nam *assumentes*, & paullo post *laborarunt*, ad duos referri oportet; alter fuit Ugolinus, quem anno 1242., post rem cum Tartaris infeliciter gestam e prælio fugientem cum Primate Strigoniensi obvia palus absorbuit; alter erat Benedictus, qui post Ugolinum Ecclesiam & Provinciam Colocensem gubernavit, & an. 1254. ob eximia in rem Christianorum, & publicam merita Primatum Strigoniensem obtinuit. Uterque pro expellendis hæreticis e Principatu Bosnensi, & fide Catholica restituenda valde laboravit, nullisque sumptibus, incommodis, & periculis pepercit, ut Episcopus Bosnensis in suis ad Innocentium litteris exposuit.

13 Scilicet ex incertis rumoribus, sine ullo auctore satis idoneo, *Ragusiensis Ecclesia in hujusmodi labem lapsa dicebatur*; & quidem falso; nusquam enim in antiquis monumentis reperiri potest hanc Ecclesiam vel leviſſima pravæ doctrinæ macula respersam fuisse, quæ Catholicam fidem initio susceptam ab omni labe intactam perpetuo servavit. Haud equidem negaverim fieri potuisse, ut vagis illis & incertis rumoribus occasionem causamque præberent quidam sive cives, sive negotiatores Ragusini, qui fortassis ex assidua familiaritate, & commercio cum hæreticis Bosnensibus virulentas illorum opiniones imbiberint; quas licet metus pœnarum animo inclusas teneret, celari tamen omnino non poterant, quin ex eorum sermonibus aliquis pestilentium dogmatum halitus efflaretur. Hinc fortassis accidit, ut, quæ paucorum labes erat, eam fama, quæ ex aliis ad alias aures perlata res omnes magis magisque amplificat, toti Ecclesiæ Ragusinæ inureret. Cum vero Archiepiscopus Colocensis, & Bela IV. Rex Hungariæ Ecclesiam Bosnensem ad Metropolim Colocensem adjungi vellent, Episcopus Bosnensis utriquæ gratificari cupiens, utriusque voluntatem & postulatum Innocentio IV. exposuit; & ne Pontifex Ecclesiam illam Archiepiscopo & Metropoli Ragusinæ restitueret, ex iis, quæ licet dubia & incerta essent, fama & auditione acceperat, alterum quidem in suspicionem hæreseos adduxit, quod homini hæretico consecrationem Episcopalem impertierit, alteram vero hæretica pravitate infectam esse denunciavit. Quamvis autem Archiepiscopus ille ante aliquot annos obiisset, & huic Metropoli tunc præesset Joannes III., in quem nulla vel hæreseos, vel ullius cum hæreticis commercii suspicio cadere poterat, tamen culpa decessoris in ejus successoribus punienda esse videbatur. Ut vero Internuntius Ecclesiam Bosnensem Ragusino ereptam Metropolitæ Colocensi subjiceret, id caussæ afferebat, quod nulli, quam huic, major esset commoditas & facultas Paterenæ impietatis funditus extirpandæ; *Cum eadem Terra*, inquit, *purgari pravitate prædicta nequeat, sine magno auxilio Ecclesiæ Colocensis, & cum Colocensis Ecclesia in Civitate & Diœcesi Bosnensi jurisdictionem habeat temporalem*, traditam illi fortasse a Colomano fratre Regis Belæ, qui Bosinam subjugaverat. Pro tantis vero impensis, laboribus, periculis, quæ Ugolinus, & Benedictus Archiepiscopus susceperant, ut hæresim atque hæreticos e Bosina expellerent, Episcopus Bosnensis, tum Regis, tum Archiepiscopi nomine ab Innocentio postulabat, ut vellet juberetque Bosnensem Ecclesiam ad Provinciam Colocensem adjungi. Pontifex, ne quid temere, & inconsulte statueret, Cœnobiarchæ S. Martini, & Decano Ecclesiæ Vesprimiensis negotium dedit, ut rebus omnibus diligenter circumspectis, viderent ac perpenderent, utrum æqua esset postulatio Bosnensis Episcopi, & an ea conduceret, nec ne, ad Ecclesiæ Bosnensis utilitatem, & faciliorem hæreseos Paterenæ extirpationem. Illi vero quid rescripserint Innocentio, mihi non est compertum. Ab litteris Innocentii ad Cœnobiarcham S. Martini, & Decanum Vesprimiensem datis anno 1246. XIV. Kalendas Augusti; ne unus quidem mensis intercesserat, cum idem Innocentius eodem anno tertio Idus Augusti scripsit ad Benedictum Archiepiscopum Colocensem; eique petenti potestatem fecit conscribendi milites, & sacram contra hæreticos Bosnenses expeditionem edicendi, amplissimis Indulgentiarum præmiis propositis, quæ impertiri solebant suscipientibus Crucem & arma pro fide Christiana, & Catholica defendenda. De Bosnensi Ecclesia quid decreverit Pontifex non invenio; sed numquam postea Ecclesia hæc sub potestatem Metropolitæ Ragusini redivit; ex eo tempore Metropolitæ Colocenses, Pontificibus Romanis vel permittentibus vel non repugnantibus, in Ecclesiam Bosnensem, nunc Diacovensem, jus metropoliticum, quod etiamnum retinent, usurpare cœperunt; quamvis numquam adduci potuerint Spalatenses Metropolitæ, ut ex antiqua possessione illius Ecclesiæ decederent, eamque adhuc in Catalogo suarum Ecclesiarum Provincialium nominatim recensent.

Ergo anonymus ille Episcopus, de quo in Epistola Innocentii supra descripta, idem est atque Arrengerius; nec vero alius esse potest. Archiep. Anonymus, de quo in epistola Innocentii

Digitized by Google

nocentii, idem est atque Arrengerius,

Nam Arrengerius Ecclesiæ Raguſinæ præſidebat anno 1233., cum Jacobus Cardinalis Pecorarius, Epiſcopus Prænestinus, & Apoſtolicus in Hungaria Legatus, *Eccleſiam Boſnenſem Raguſien. Eccleſiæ, cujus erat Suffraganea, exigente juſtitia, ſubtrahens, ipſam ab ejus ſubjectione ac juriſdictione prorſus exemit*; propterea, *quod Raguſien. Archiepiſcopus eo tempore ipſius* (Eccleſiæ Boſnenſis) *Metropolita quemdam hæreticum Epiſcopum præfecit eidem*, ut eſt in Epiſtola Innocentiana.

ut alter anonymus Archiep.

Nec vero ab eodem Arrengerio diſtinguendum eſſe cenſeo alterum Archiepiſcopum anonymum, quem idem Cardinalis Garampus commemorat ex duabus Epiſtolis Gregorii IX., quarum altera anno 1236., dum idem Arrengerius nomen dignitatemque Archiepiſcopi Raguſini adhuc retinebat, altera data eſt an. 1237. poſt ejus interitum; de quo in Epiſtola Gregoriana. Ut quæ in utraque Epiſtola de anonymo illo Archiepiſcopo narrantur, Arrengerio accommodari, aptarique poſſint, ita ſe rem habuiſſe arbitror.

Arrengerii Raguſio in Galliam diſceſſus.

Arrengerius apud Clerum & populum, propter juriſdictionem Archiepiſcopalem, deſtructione Eccleſiæ Boſnenſis, diminutam, cujus rei culpam ipſe ſuſtinebat, non leviter offenderat; nec deerant fortaſſe, qui eidem, ſi minus plane & aperte, tacita tamen averſi animi ſignificatione ejuſmodi diminutionem, & amiſſionem Boſnenſis Diœceſis exprobrarent. Cum igitur Clericorum ac civium ſenſus & voluntates ab ſe alienatas videret, ut ſe ab illorum oculis, atque obtrectationibus ſubtraheret, anno 1235., poſt decretum illud de compeſcendo nimio nuptiarum luxu promulgatum, Raguſio diſceſſit; ac tamdiu abeſſe ſtatuit, dum, quæ in eum exarſerat, invidia deferveſceret. Poſt alias ex aliis regiones peragratas, ob cauſſam neſcio quam, in Galliam venit.

ubi electus Abbas Cœnobii Divionenſis interficitur.

Forte Divioni erat, cum in magna ſtudiorum & voluntatum varietate ac diſſenſione electus eſt P. in Abbatem Monaſterii Divionenſis. Canonici quidam, cum ejuſmodi electionem plenam diſſidii & tumultus, neque legitimam, neque canonicam eſſe exiſtimarent; peregrinum atque advenam Archiepiſcopum rogarunt, *ut ibi loco Abbatis remaneret*: ita ſiquidem legitur in Epiſtola Gregorii IX. Verum nocte proxima idem Archiepiſcopus, cum aliquibus de ſua familia, per quoſdam ſicarios, ſolitudinem, & tenebras nactos, dejectus in lacum, & ſubmerſus miſerandum in modum interiit. Sacrilegæ & immaniſſimæ cædis auctorem fuiſſe ipſum P. Abbatem electum vehemens ſuſpicio fuit; ejuſque nomen de nefario impioque homicidio delatum eſt ad Gregorium IX., qui ſuis litteris datis anno 1236. v. Idus Jun. de facinore tam atroci & execrando diligentiſſimam ac ſeveriſſimam inquiſitionem fieri juſſit. Sed cum nulli teſtes nocturnæ cædis citari, nullæ probationes afferri poſſent, ſatis idoneæ ad illum Abbatem perpetrati flagitii convincendum, idem Pontifex alteris litteris an. 1237. XVII. Kalendas Julii mandavit, ut P. Abbas, cum duobus aliis Cœnobiarchis, & quatuor Presbyteris, purgatione canonica, injectam ſibi ſuſpicionem diluerat. An ille Abbas imperatam purgationem ſubierit, ex eaque innocenſne illius facti, an reus declaratus fuerit, litteris traditum non invenio. Divionenſes corpus Archiepiſcopi, eductum e lacu, honorifice ſepelierunt; & ſepulchro ſacellum ſuperpoſitum eſt: *& tunc dixerunt homines regionis illius, quod ibi jacet Archiepiſcopus Raguſinus*; ut eſt in Epiſtola Gregoriana. Venerat mihi quidem in mentem dubitare, Raguſinæ, an alterius civitatis eſſet Archiepiſcopus ille, de quo hæc modo expoſita narrantur in litteris Gregorianis; ſed omnem mihi dubitationem exemit teſtificatio indigenarum aſſerentium, *quod ibi jacet Archiepiſcopus Raguſinus*, tum vero binæ Gregorii IX. Epiſtolæ ſupra laudatæ; in utraque enim ſemel, iterum, ac tertio nominatur alias *Raguſen.*, alias *Raguſin.*, alias *Raguſinen.* Archiepiſcopus; neque ulla eſt in Gallia, vel alibi civitas Archiepiſcopalis, cujus vocabulum Raguſino affine ſit, aut conſimile.

Itaque duo illi anonymi Archiepiſcopi Raguſini (niſi omnia me fallunt) unus eſt idemque Arrengerius, cujus Archiepiſcopatus in annos utriuſque incidit; & quæ de utroque narrantur in Epiſtolis Gregorii IX., & Innocentii IV., ad Arrengerium referri poſſunt, in eumque optime quadrant. Seraphinus Razzius Arrengerio annos Pontificatus unum & viginti attribuit, videlicet ab anno 1217. uſque ad annum 1238. Sed primum ſex priores annos detrahi oportet, atque interregno Archiepiſcopali adſcribi; neque enim ante annum 1222. vel 1223. Sedem Archiepiſcopalem obtinuit; deinde ſi Arrengerius idem fuit, ut fuiſſe admodum veriſimile eſt, atque Anonymus apud Divionem in lacu ſubmerſus, duos poſteriores annos eidem adimi neceſſe eſt: anno ſiquidem 1236., ut docet Epiſtola Gregoriana, in lacum dejectus interiit; ſepultus vero fuit Divioni, non Raguſii in Æde Cathedrali, ut Seraphinus Razzius tradit. Poſt hujus interitum, duos vel tres annos Sedes Raguſina Archiepiſcopo caruit, ſiquidem illius, qui proxime Arrengerio ſucceſſit, initium archiepiſcopale Razzius & Luccarus in annum 1238. conferunt, Sebaſtianus Dolci in annum inſequentem rejecit.

JOANNES III. ARCH. RAG. XIX.

Huic civitas Venetiarum patria fuit. Anno 1232. inter Venetos & Raguſinos ita convenerat, ut hi non aliunde quam a Venetis ſibi Archiepiſcopum & Rectorem Civitatis adſciſcerent, ut Joannes Gundula, & alii Scriptores Raguſini tradunt; voluerunt autem Rectoris dignitatem biennio, certis atque admodum anguſtis limitibus definitam eſſe. Hæc Joannes Marinus Gundula in ſua Synopſi MS. Chronologica: antea ſiquidem & ſapius Raguſini experti erant rem civilem & eccleſiaſticam a Venetis quam optime adminiſtrari. Seraphinus Razzius lib. 1. Hiſt. Raguſ. cap. 16. auctor eſt ab anno 22. uſque ad annum 52. ſuperioris ſæculi duodecimi per annos triginta, Raguſinis petentibus, tertio quoque anno unum de Patriciis Venetis miſſum fuiſſe, qui Prætorio regimine civitati præeſſet. Itaque Archiepiſcopus datus fuit illis Joannes, Rector vero Joannes Dandulus, qui ſuperioribus itidem annis hanc eamdem urbanam Præturam geſſerat, ut apparet ex tabulis Raguſinis anno 1221. & ſequenti confectis, quarum mentio facta eſt ſupra in Arrengerio Archiepiſcopo. Sed ad Archiepiſcopatum quod attinet, pacta illa & conventa vel abrogatione exciſſa ſunt, vel certe deſuetudine exoleverunt; nam poſt Joannem nullum alium Archiepiſcopum Ve-

Venetiis arceſſitum invenio. Ergo Joannes anno 1238. vel ſuperiori rite conſecratus Eccleſiæ ſuæ adminiſtrationem ſuſcepit, retinuitque uſque ad annum ſecundum & quinquageſimum ſæculi decimi tertii. Inito Pontificatu, nihil prius ſibi faciendum cenſuit, quam ut a Gregorio IX. idem ſibi poſtularet, quod Arrengerius deceſſor petierat atque impetraverat; idem uſum Pallii, juriſdictionem metropoliticam in omnes Eccleſias Dalmatiæ ſuperioris, ceteraque privilegia ſibi confirmaret: cujus poſtulatis annuit Pontifex litteris datis *Laterani per manum Magiſtri Guillelmi S. R. E. Vicecancellarii, Domini Papæ Notarii, VII. Calend. Aprilis Indict. XI. Incarnationis Dominicæ anno MCCXXXVIII. Pontificatus vero Domini Gregorii Papæ VIIII. anno XII.*

Monaſterium S. Mariæ de Rabiata

Diximus in Gauſſono Archiepiſcopo domicilium & templum S. Mariæ *de Rabiata* Monachis Lacromenſibus adjudicatum fuiſſe ſententia Joannis Legati Pontificii; iidemque anno 1237. utriuſque poſſeſſionem tenebant, ut in ſententia quadam Joannis Teupoli Comitis Raguſii, anno eodem ſecundum Lacromenſes prolata, quam vide in notis ſubjectis ſuperius opuſculo de Congregatione Benedictina Melitenſi.

At cum Monachi Caſſinenſes ægre ferrent domicilium illud & templum contra atque Sabinus patronus, & conditor conſtituerat olim ac voluerat, ſibi ademptum fuiſſe, ut ſibi firmis ac quietis ibidem degere liceret, eos Pontificem appellaſſe conſtat, quo ſtabilis & certa loci poſſeſſio ejus auctoritate ſibi traderetur. Extat in eorum ſententiam Diploma Pontificium Gregorii IX. datum anno 1239. in quo nomen Archiepiſcopi littera R. deſignatur; ſed præter Raynaldum Gratianum Archiepiſcopum ſæculi decimi ſexti, nullus eſt in Catalogo Archiepiſcopali, cujus nomen ab littera R. initium ducat. Itaque monogramma illud inſcite deſcriptum fuiſſe exiſtimandum eſt.

Caſſinenſibus Monachis traditur per litteras Gregorii IX.

Gregorius Epiſcopus Servus ſervorum Dei Dilectis filiis Abbati, & Conventui Monaſterii Caſinenſis Sal. & Ap. Ben. Cum a vobis petitur quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Quapropter dilecti in Domino filii, veſtris poſtulationibus grato concurrentes affectu Eccleſiam S. Mariæ de Raxata Raguſin. Diœc. cum pertinentiis ſuis, quam ex conceſſione bonæ memoriæ R. Archiepiſcopi Raguſini, Capituli ſui, & quidem Sabini patroni Eccleſiæ ejuſdem accedente conſenſu proponitur vos adeptos, ſicut eam juſte & pacifice poſſidetis, vobis & per vos Monaſterio veſtro auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentaverit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat. Laterani ſexto Idus Aprilis Pontific. noſtri anno tertio decimo.

Diu tamen eo in loco ſtabiles non perſtitiſſe Monachos Caſſinenſes inferius conſtabit: ea vero lex Monachis impoſita, ut illius loci Præſes ab Raguſino Archiepiſcopo jura acciperet, ejuſque ſubeſſet auctoritati; quod ex litteris patet Alcardi Antiſtitis Raguſienſis ſuo loco deſcribendis.

Anno 1245. Joannes Concilio I. Lugdunenſi interfuit, quo cum proficiſceretur, Venetias abiit, in eaque urbe Salvium Cœnobitam Monaſterii Lacromenſis, electum Epiſcopum Tribunienſem, ſolemni conſecratione initiavit, ut eſt in monumentis Eccleſiæ Tribunienſis. Innocentius IV. cum poſt dimiſſum Concilium Lugduni moraretur, O. Diaconum Cardinalem Legatum miſit ad partes Dalmatiæ cum ſuis litteris ad Spalatenſem, Jadrenſem, & Raguſinum Metropolitas, atque ad Provinciales illorum Epiſcopos, quos hortatur, ut eum reverenter excipiant, ejuſque monitis ac præceptionibus obtemperent: quinam vero is eſſet, & qua de cauſſa, qualve in Dalmatiæ partes Legatus, incompertum, Innocentii litteræ ſunt hujuſmodi.

Litteræ Innocentii IV. ad Joannem Archiepiſcopum, & ceteros Dalmatiæ Metropolitas.

Innocentius Epiſcopus Servus ſerv. Dei Ven. Fratribus . . . , Spalaten. Jadren. & Raguſin. Archiepiſcopis, ac eorum Suffraganeis ſal. & Apoſtolicam bened. Quia corporali præſentia non poſſumus locis ſingulis imminere de bis, quos in executione plenæ poteſtatis aſſumimus, nonnunquam in partem ſollicitudinis deſtinamus, exemplo ejus inſtructi, qui pro ſalute humani generis de ſupremis cœlorum ad ima mundi deſcendens, diſcipulos quos elegit, in univerſum Orbem tranſmiſit omni creaturæ Evangelium prædicari. De veſtra igitur ſalute paterna diligentia cogitantes dilectum filium noſtrum O. Sanctæ Mariæ in Via lata Diaconum Cardinalem virum ſcientia præditum, & morum honeſtate decorum, ac in conſiliis circumſpectum ad partes illas commiſſo ſibi plenæ Legationis officio, ut evellat, & diſſipet, ædificet, & plantet, ſicut viderit expedire, duximus deſtinandum. Quia vero ipſum inter alios Fratres noſtros ſpecialis dilectionis brachiis amplexamur, univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, atque præcipimus, quatenus eum, imo potius nos in ipſo benigne recipientes, & honorifice pertractantes eidem tanquam Apoſtolicæ Sedis Legato intendatis humiliter & devote ipſius monita & præcepta, & quæ vobis ex parte noſtra mandaverit, efficaciter adimplendo. Alioquin ſententiam, quam idem tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus adjutore Domino inviolabiliter obſervari.

Datum Lugduni XV. Kal. Maii, Pontificatus noſtri anno quarto.

Joannis Archiepiſcopi diſſidia cum Metropolita Antibarenſi.

Interea multas Joannes, & graves contentiones habuit cum Joanne II. Metropolita Antibarenſi, & cum Epiſcopis Dalmatiæ Superioris, quarum Eccleſias ſibi, ſuæque Metropoli Raguſinæ vindicabat. At illi poteſtatem omnem, imperiumque Raguſini Metropolitæ abnuebant, freti potentia & patrocinio Regum Serbliæ, in quorum erant ditione, quique nolebant Epiſcopos Superioris Dalmatiæ, ideſt Serbliæ maritimæ, ullum alium Metropolitam præter Antibarenſem agnoſcere, & colere. Ex hac contentione inter duos Metropolitas orta eſt diſcordia inter Raguſinos, & Antibarenſes, & mutuis odiis ac jurgiis eo accenſa crevit, ut nihil propius eſſe videretur, quam ut in apertum bellum erumperet; & jam Raguſini injurias & damna Antibarenſibus inferre cœperant. Quod cum Innocentio IV. nunciatum fuiſſet, Pontifex ſuarum partium eſſe duxit ſuis ad Comitem, Patritios, & Populum Raguſii litteris monere illos & hortari, ut a maleficiis abſtinerent, & priſtinam cum Antibarenſibus pacem atque concordiam redintegrarent.

Litteræ Innocentii IV.

Innocentius Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilectis filiis Comiti, & aliis Nobilibus, &

Digitized by Google

Populo Araguſien. ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Procurante paci contrario inter vos ex parte una, & cives Antivaren. ex altera, gravis diſcordia, ut accepimus, eſt exorta. Cum igitur tam iis, qui longe, quam iis, qui prope ſunt, pacem omnimode affectemus, Univerſitatem veſtram rogandam in Domino duximus attentius, & monendam, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus pro noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reverentia a prædictorum civium moleſtia, & injuria deſiſtentes, pacem cum eis, & veram concordiam habeatis, ut unum inter vos de cætero charitatis ſit vinculum, quos ſejunxit hactenus diſcordiæ ſeminator. Datum Lugduni V. Kal. Septemb. Pontificatus noſtri anno ſexto.

At Joannes, ut jus quod ab ſe ſtare putabat, obtineret, auctoritate pontificia ſe muniendum exiſtimavit. Itaque anno 1250. Lugdunum ſe contulit. Sed Pontifex ante cauſſam cognitam, & iis inauditis, de quorum contumacia & violatione juris metropolitici querebatur, a ſententia ferenda abſtinuit; & nihil aliud Raguſinus impetrare potuit, niſi litteras & mandatum ad Salvium Epiſcopum Tribunienſem, quem juſſit Epiſcopos illos, quorum nomina per Joannem delata fuerant, in Curiam Lugdunenſem per præconem ad Pontificem citare, quo ſe intra menſes octo ad cauſſam dicendam conferrent.

Epiſcopi Dalmatiæ Superioris ad Pontificem citantur.

Paruit Salvius mandato pontificio; & anno 1251., VI. Kal. Maii Dulcinenſem Epiſcopum per Deſſignam Presbyterum teſtibus adhibitis ad Curiam Pontificiam citari juſſit.

Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ducenteſimo quinquageſimo primo XVIII. die menſis Aprilis Indictione VIII. in eorum præſentia, quorum nomina inferius conſcribentur; Presbyter Deſſigna nuncius Domini Salvii Epiſcopi Tribun. præſentavit litteras ex parte ejuſdem Epiſcopi Dulcenenſi Epiſcopo hunc tenorem habentes.

Vener. in Chriſto Patri Dei gratia Dulcin. Epiſcopo Salvius eadem gratia Tribun. Epiſc. ſal. in Domino. Noverit Paternitas veſtra nos a Summo Pontifice tales litteras recepiſſe.

Innocentius Epiſcopus Servus ſervorum Dei. Vener. Fratri Epiſcopo Tribun. ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Vener. Frater noſter Archiep. Raguſ. in noſtra propoſuit præſentia conſtitutus, quod vacante olim Antibar. Eccleſia ſibi metropolitico jure ſubjecta, ipſius Capitulum Fratrem Joannem de Ordine Prædicatorum ſibi in Pontificem eligentes, ac contemnentes ipſum ſibi confirmandum ab ipſo, prout ad eum pertinet præſemptare, ad noſtram præſentiam acceſſere, cujus per nos electione ceſſata, juſtitia exigente, ſuggeſto nobis ex parte ipſius Capituli, quod Metropolitana Sedes dicta Antibaren. Eccleſia exiſtebat, obtinuere eidem Eccleſiæ de Fratre Joanne de Ordine Minorum, cui conſecrationis munus impendimus, per Sedem Apoſtolicam provideri. Qui non ſolum eidem Archiepiſcopo obedire renuit, verum etiam cæteros Eccleſiæ Raguſinæ Suffraganeos, Regis Serviæ ritus, ut dicitur, Græcorum tenentis favore ſuffultus ſuæ ditioni ſubjecit. Cui dicti Suffraganei ſuæ non memores, & obliti ſalutis ab obedientia Raguſ. Eccleſiæ temere decedentes, obediunt, & intendunt in animarum ſuarum periculum, ſcandalum plurimorum, & ipſius, & Eccleſiæ Raguſ. non modicum præjudicium, & gravamen. Propter quod perſonaliter ad Apoſtolicam Sedem laborans poſtulavit inſtanter, ut ſibi ſuper iis exiberemus juſtitiæ complementum. Nolentes igitur ejuſdem Archiepiſcopi, & Eccleſiæ ſuæ gravamen indebitum ſuſtinere, ſicut etiam nec debemus, Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis dicto Antibaren. & Boſnen. Guduanen. Dulcinien. Suacen. Scodrinen. Drivaſten. & Polaten. Epiſcopis, præfigas eiſdem, & jam dicto Archiepiſcopo Raguſ. a die citationis terminum octo menſium, quo per ſe, vel per Procuratores idoneos, cum Actis, privilegiis, & munimentis, juribus, & rationibus omnibus cauſam ipſam contingentibus noſtro conſpectui repræſentent facturi, ac recepturi, quod ordo dictaverit rationis. Data Lugduni X. Calend. Junii, Pontificatus noſtri anno VII.

Cum igitur mandatum Apoſtolicum præterire non poſſumus, nec debemus, auctoritate nobis injuncta vobis præcipiendo mandamus, quatenus infra octo menſium ſpatium juxta mandatum Apoſtolicum a die vobis citationis factæ vobis terminum duximus præfigendum, ut perſonaliter per vos, vel per ſufficientem Procuratorem cum notis, privilegiis, & munimentis, juribus, & rationibus omnibus Summi Pontificis conſpectui præſentatis memorato Archiep. Raguſ. & ejus Procuratori legitime reſponſuri. Actum eſt hoc in Eccleſia S. Mariæ Majoris de Dulcinio, præſentibus Presbytero Philippo, Presbytero Salomone, Diacone Grobe, & Diacone Zuppano, & Subdiacone Grobe, & ejuſdem Eccleſiæ Capitulo univerſo. Et ego Bonaccurſus Notarius ſupradictis omnibus interfui, atque ſcripſi, complevi, & roboravi, anno, die, menſe, & indictione prætitulatis.

Eodem anno & iiſdem verbis per eumdem Presbyterum eadem denunciatio facta eſt Epiſcopis Drivaſtenſi, Pulatenſi, Scodrenſi, ſingulatim unicuique. An vero hi Epiſcopi Lugdunum intra tempus præſtitutum adierint, litteris proditum non invenio. Interea dum hæc controverſia adhuc ſub judice pendebat, Innocentius in ſuis ad Joannem Metropolitam Antibarenſem litteris, quas hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Antibarenſi reſervamus, titulum Archiepiſcopi non putavit ei denegandum eſſe; quippe de antiqua hujus tituli poſſeſſione illum dejicere æquum non eſſe exiſtimabat, antequam de jure ac titulo cognoſceret, ſtatueret, judicaret. Sed cum in aliis ejuſdem Pontificis litteris ad Epiſcopos Drivaſtenſem & Suacienſem, itemque ad Catharenſem quædam exprimi viderentur, unde aliquod cauſſæ Raguſini Archiepiſcopi præjudicium fieri poſſe apparebat, Leonardus Clericus de Tarviſio ejuſdem Archiepiſcopi Procurator in Curia Pontificia tum Lugduni, tum poſtea Perufii, his litteris, antequam mitterentur, interceſſit, neque eas valere atque admittendas voluit, ac declaravit, ſuamque interceſſionem ſcripto conſignatam reliquit, ſubjectamque tum litteris Pontificiis Lugduni anno 1250. tum alteris Perufii anno 1252. datis; ac prioribus quidem in hæc verba: *Ab eiſdem litteris Leonardus de Tarviſio Procurator Ven. Pris Archiep. Raguſini pro ipſo in audientia publica addixit* (contradixit). *Quas tandem ea conditione abſolvit, quod nullum honori Rag. Eccleſiæ, nec ſuper quæſtione, quæ committitur a Sede Apoſtolica inter Raguſ. & Antibar. ſuper Antibar. & quibuſdam aliis Eccleſiis Cathedralibus, quas idem Rag. dicit ſibi jure*

Procurator Joannis Arch. Raguſini litteris Pontificis interçedit.

re metropolitico esse subjectas; nec super eo quod Antibar. vocatur Archiep. per dictas litteras præjudicium generetur: quod pars altera promisit firmiter coram nobis. In cujus rei testimonium præsentes litteras fieri fecimus, & nostro sigillo muniri. Dat. Lugd. Cal. Maii Pontificatus Domini Innocentii Papæ IV. anno 7. Secundis vero Perusinis litteris iterum interceſſit in hunc modum: *Eisdem litteris Leonardus de Tarvisio Proc. Ven. Archiep. Ragus. pro ipso in audientia publica addixit, (* contradixit *); quas tandem ea conditione absolvit, quod litibus motis inter Antibar. ex parte una, & Archiep. Ragus. ex parte altera nullum eidem Archiep. Ragus. præjudicium generetur; quod pars altera promisit firmiter coram nobis. In cujus rei testimonium præsentes litteras fieri fecimus, & nostro sigillo muniri. Dat. Perusii Kal. Maii Pontificatus Domini Innocentii Papæ IIII. anno 9.*

Archiep. Antibaren. in carcerem truditur.

Inter hæc diſſidia ſceleratí quidam homines, neſcio cujus impulſu, juſſuve, violentas manus in Joannem Archiepiſcopum Antibarenſem injecerant, & captum in cuſtodiam tradiderant: qua ille paullo poſt exemptus ac liber dimiſſus cum fuiſſet, ſacrilegi & exſecrandi facinoris culpam omnem in Clerum & cives Raguſinos conjecit.

Anno 1252. nondum hæc controverſia dijudicata fuerat, ut intelligi poteſt ex epiſtola Joannis Archiepiſcopi Raguſini data Perusii eodem anno VI. Cal. Martii, & inſcripta Legatis ſive Internunciis Civitatis Raguſii, quos de ſtatu ſuæ cauſſæ ac rerum ſuarum docet; pecunia ſe indigere ait ad litem perſequendam; quæ contra Clerum & cives Raguſinos temere atque injurioſe, & pro ſe & ſua cauſſa tuenda falſo dixerit Antiſtes Antibarenſis non ſine indignatione commemorat. Si nondum Epiſcopus Boſnenſis ex juris formula citatus fuerit, quamprimum citari jubet, & ipſam *citationem* ſcribæ publici chirographo ſignoque obſignatam ad ſe tranſmitti. Hæc epiſtola brevibus lacunis identidem intermiſſa eſt, & aliquibus in locis obſcurius ſcripta, quam ut plane intelligi poſſit.

Epiſtola Joannis Raguſini Archiep.

Joannes miſeratione Divina Archiepiſcopus Raguſinus dilectis in Chriſto filiis nobilibus viris Dabravo de Zelengo, Cernede Vitagna, Theodoro Bodacie, Gayslavo Groſſi Ambaſciatoribus, & Nunciis Civitatis Raguſinæ, ſalutem, & benedictionem in Domino Jeſu Chriſto. Literas veſtras bilari ſuſcepimus animo, ac benigno, in quibus intelleximus per Dominum Ducem, & alios nobiles vos eſſe benigne ſuſceptos, unde gratias referimus Creatori. Noveritis vos per gratiam Salvatoris ſanos, & bilares Perusii in curia Summi Pontificis cum Presbytero P. Sabino, & Balneo, & tota familia noſtra permanere, & ea, quæ pertinent ad . . . exaltationem Civitatis, & Eccleſiæ Raguſinæ viriliter, & utiliter promovere, in quod cum Dei adjutorio credimus, & ſperamus ad finem laudа . . . . Significavimus multoties per literas noſtras Clero, & Populo Raguſ. & vobis duximus ſignificandum, qualiter nobiles viri Domini Angelus . . . amore, & dilectione maxima ſine augmento aliquo 25. libras denar. groſſ. uſque ad feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli nobis . . . ſuper hæc vigilanter, & ſollicite intendere debeatis, & alias in congreganda & inveniенda pecunia laborare . . . quoniam . . . . Nos multa expendere, & tam maxima, & ardua negotia abſque magnis expenſis promoveri non valent, & in Curia Domini Papæ in præſenti . . . Ab hiſce noveritis, quod Junius de Cerva nomine Sclave traxit nos in cauſam coram Summo Pontifice ſuper venire, & ipſe multum . . . propter hoc ter vocatus eſt in judicio tanquam excommunicatus, & poſt ejectionem ipſius Prælatus Antibaren. oſtendit procurationem Sclave Pbi . . . moleſtamus ſuper negotiis civitatis, & Eccleſiæ promovendis, & dictus Junius de Cerva colligatus, & confœderatus eſt cum Prælato . . . . pro poſſe operando omnem iniquitatem, & malitiam contra honorem, & depreſſionem civitatis, & Eccleſiæ Rag. ita quod Prælatus Antib. . . . diffamationis ad Clerum, & Populum Rag. ſuper captione ſua proponendo quædam turpia, & inhoneſta, quæ de canibus & Saracenis . . . . proferenda, petendo a nobis duo millia . . . pro abſolutione excommunicationis ſuper ipſius captione vos abſolvendo exceptis damnis . . . vobis ablatis, ſicut videre poteritis in libello nobis in judicio porrecto, quem de verbo ad verbum duximus tranſmittendum ſuper negotio Prælati . . . . & conteſtati ſumus litem, & juravimus dicendi veritatem ſuper hoc, & inter alias poſitiones quas fecimus per juramentum ultra centum diximus . . . Rag. ſunt poſita tria regna videlicet Regnum Zachulmiæ, Regnum Serviliæ, quod eſt Boſgna, & Regnum Tribuniæ, & Regnum Zachulmiæ . . . . uſque ad provinciam Spalatron. Regnum Serviliæ extenditur uſque ad provintiam Collocen. Regnum Tribuniæ extenditur uſque ad provinciam Dirachinam. Et Prælatus Antib. inter multa & inaudita dixit per ſuum juramentum, quod in tota Dalmatia ab antiquo non fuerunt niſi duo Archiepiſcopatus, videlicet Salona, & Dioclea, & in loco Salonæ eſt Spaletum, & in loco Diocleæ eſt Antibarium, & Epiſcopus Raguſinus ſubjacet Archiepiſcopo Spalatrino, & Civitas Raguſina nihil plus habet facere, & non extenditur juriſdictio, niſi uſque ad montem qui ſitus eſt ante civitatem Raguſinam, & alia multa, & inaudita. Si citatio Boſgnen. Epiſcopi facta eſt, ſine mora mittatis nobis ſcriptam, & roboratam per manum publicam, & ſi nondum facta eſt, fiat abſque mora aliqua. Si vos deliberatis mittere Presbyterum Paſchalem, & Magiſtrum Bonaccurſum, aut alium aliquem Notarium, citationem conſcriptam, & roboratam per manum publicam nobis omni mora poſtpoſita tranſmittatis. Super ordinatione Antonii, quod nos rogaſtis, bene erit, nam credimus pro neceſſitate, & utilitate Civitatis, & Eccleſiæ Rag. in proximo venire Venetias. Datum Perusii in feſto S. Matthiæ.

Sabinenſis, & Anconitanus Epiſcopi cauſſæ Raguſinæ & Antibarenſi præfecti.

Innocentius controverſiæ Raguſinæ & Antibarenſi ut aliquando finem imponeret, utrique Archiepiſcopo Auditorem ſive Diſceptatorem dedit anno 1252. X. Cal. Maii Epiſcopum Sabinenſem, coram quo litem conteſtarentur, ac teſtes pro ſua quiſque cauſſa tuenda producerent ac nominarent; ipſe vero nomina teſtium, & ea ſingillatim, de quibus teſtes utrinque producti interpretandi eſſent, ſcriptis tradita, ſuo chirographo ſubſcripta ſignoque obſignata ad Epiſcopum Anconæ tranſmitteret. Huic vero per litteras imperavit, ut ſcripta illa reciperet, teſtes in iis nominatos ad ſuum tribunal citari juberet; de quibus percunctandi eſſent, rite interrogaret; ad ſingula quæ reſpondiſſent, juratique affirmaſſent, in tabulas referret, quas ſua manu, ſuoque annulo ſignatas

ad

Digitized by Google

ad Pontificem deferendas curaret. Hac quæstione, quam intra sex menses absolvi jusserat, peracta, tum Archiepiscopo Ragusino, tum Antibarensi, & aliis, qui ab eo stabant, Episcopis denunciaret, ut vel per se ipsi, vel per suos Procuratores intra secundum ab ea denunciatione menſem Perusium se conferrent, ut quam ipse Pontifex pro veritate ac justitia sententiam pronunciasset, humili obsequentique animo exciperent.

Litteræ Innocentii IV.

Innocentius Episcopus Servus servorum Dei Ven. Fratri Episcopo Anconitano sal. & Apost. Bened. Cum in causa, quæ inter Vener. Fratres nostros . . . Ragusin. Archiep. ex parte una, & . . . Antibaren. Episcopum, ac . . . . Guduanen. . . . Dulcinen. . . . Drivarieſten. . . . Scodien. . . . Suanen. . . . & . . . Polaten. Episcopos ex altera, super eo, quod dictus Ragusin. Archiep. asserit, eundem Antibaren. non esse Archiepiscopum, sed Episcopum, & eum, ac prædictos Episcopos sore sibi, & Ecclesiæ Ragusinæ metropolitico jure subjectos, vertitur, Vener. Fratrem nostrum . . . Sabinen. Episcopum dederimus partibus auditorem, quia lite coram eo legitime constituta utraque pars ad probandam intentionem suam intendit producere quosdam testes, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus per te, vel per alium, aut alios, testes, quos partes ipsæ super articulis, quos idem Sabinen. Episcopus cum interrogatoriis earundem partium sub sigillo suo tibi transmittit inclusos, producere voluerint, usque ad sex menses post receptionem præsentium, prudenter recipere, ac secundum eadem interrogatoria diligenter examinare procures, depositiones eorum fideliter in scriptis redactas sub sigillo tuo ad nostram præsentiam transmissurus, præfixo partibus prædictis termino peremptorio duorum mensium, post prædictos sex menses quo per se, vel per Procuratores idoneos nostro se conspectui præsentent, justam, dante Domino, sententiam recepturæ. Non obstante, si est aliquibus ab Apostolica Sede indultum, ne de causis, quæ per litteras Sedis ipsius committuntur eisdem, cognoscere teneantur, quæ de indulto hujusmodi mentionem non faciant. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, vel odio, vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere.

Datum Perusii X. Calend. Maii. Pontificatus nostri anno nono.

Alias præterea litteras eodem anno & die XII. ante Calendas Majas dedit Innocentius ad Centiberium Episcopum Catharensem, ut Antistitem Albanensem, qui in Ragusini Metropolitæ imperium atque jurisdictionem sese contulerat, ad officium suum revocaret, adigeretque sub potestatem Archiepiscopi Antibarensis; sin vero obtemperare nollet, ut diem illi indiceret, quo Perusii causam suam adversus Antibarensem Metropolitam tueretur coram Pontifice.

Acta per Episcopum Anconitanum.

Itaque Anconitanus Episcopus litteris Pontificis acceptis Ragusium misit Cosmam Scribam suum, & suo domestico sacello præpositum, quem ad cognoscendam causam sibi a Pontifice delegatam actorem sibi substituerat. Hic cum Ragusium venisset, testibus adhibitis Archiepiscopum Ragusinum Antibarim citavit ad audiendos testes juratos, iisque respondendum, quos Archiepiscopus Antibarensis pro se & Episcopis, qui eum communis causæ Procuratorem constituerant, in judicium produceret. Aderat illi Stanecha Procurator ejusdem Archiepiscopi Ragusini; cui Cosmas præcepit, ut fidem publicam ab Archiepiscopo, & Communi Antibarensium, itemque a Stephano Rodoslavo Rege Rasciæ sive Serbliæ, & ab Uladislavo itidem Rege, ejusque fratre litteris consignatam Archiepiscopo Ragusino tradendam curaret, qua ille tutus ab omni detrimento & periculo Antibarim ire, morari, redire posset. Nec Ragusinus abnuit, & professus est, fide accepta vim & molestiam omnem ab se suisque rebus abfuturam, dum accederet, maneret, ac discederet, se paratum esse ad suam causam Antibari per se vel Procuratorem suum agendam. Hæc sunt acta Ragusii, & publicis tabulis commendata his verbis.

Anno Incarnationis Dominicæ MCCLII. Mensis Julii tertio die exeunte Indictione decima in Archiepiscopali Palatio Ragusin. Civitatis coram suprascriptis testibus. Cosmas Capellanus, & Notarius Domini . . . Episcopi Anconitani, ac ipsius Domini Subdelegati statuit terminum peremptorium Vener. Patri Archiep. . . . Ragusino, ut nomine suo, & Ecclesiæ Ragusinæ recipienti, ut per se, & per idoneum Procuratorem compareat coram ipso Cosma in Civitate Antibaren. die octavo exeunte Mense Augusti ad videndum, & audiendum jurare Testes, quos voluerit introducere Dominus Antibaren. Archiepiscopus pro se, & procuratorio nomine aliorum Episcoporum, quorum, ut dicitur, est Procurator, alioquin procedet ad receptionem testium secundum quod de jure fuerit procedendum. Jam præcepit Domino Stanecha Procuratori dicti Archiepiscopi Antibaren. præsenti, quod faceret, & procuraret ita, quod dictus Antibaren. Archiepiscopus pro se, Comite, & Commune Antibaren. & D. Rege Rassiæ, & fratre ejus Domino Uladislao inveniat securitatem dicto Domino Archiep. Ragusino, & ejus Procuratori, ut libere, & sine periculo aliquo tam in persona, quam rebus possint venire Antibarum ad audiendum jurare testes prædictos, stare etiam, moram trahere, & redire pro suo arbitrio voluntatis. Item dictus Dominus Archiep. Ragusin. pro se, & Ecclesia Ragusin. dixit, & protestatus est coram dicto Cosma, quod paratus est per se, & Procuratorem suum comparere coram eo in Antibari, ut dictum est, dummodo securitatem habeat secundum quod dictum est supra: & si per se, & Procuratorem suum dictam securitatem non poterit habere, ut dictum est, nullum præjudicium fiat dicto Domino Archiep. & Ecclesiæ Ragus. & salvæ sint dicto Domino Archiep., & Ecclesiæ Ragus. omnes exceptiones suæ, quæ sibi de jure competunt tam in personas Testium, quam etiam in ipsorum dicta, quos dictus Antibaren. per se, & procuratorio nomine aliorum Episcoporum, quorum, ut dicitur, est Procurator, voluerit introducere in causa, quæ vertitur inter memoratum Dominum Archiep., & Ecclesiam Ragusin., & Archiep. Antibaren., & procuratorio nomine Episcopos, quorum est Procurator coram Vener. Patre Episcopo Sabinien. a Domino Papa Innocentio Quarto ipsis partibus Auditore concesso. Hi sunt testes. Presbyter Antonius, Blancus Ursacius Damiani Clerici, Petrane de Bonda, & alii. Et ego Presbyter Pascalis, & Communis Ragusini Notarius juratus scriptor sum, & Testis complevi, & roboravi.

Hæc Bonus Episcopus, ut Pontificiæ jussioni pa-

pareret; quid Catharensis Antistes egerit, mihi est incompertum. Sed hujusmodi controversia, de qua nihil præterea scriptum invenio, jam inde a primordio Archiepiscopatus Antibarensis per annos amplius ducentos diu multumque, & magnis utrinque contentionibus agitata quem exitum habuerit, utri Archiepiscopo Innocentius vel hujus successores causam adjudicaverint, nulla mihi sunt monumenta, quæ doceant. Exinde tamen certe Antibarensis cum titulo Archiepiscopali possessionem fere omnium Ecclesiarum Episcopalium, quas illi Alexander II. attribuerat, pacatam retinuit, atque etiamnum nemine repugnante retinet; neque ullam aliam posthac de titulo ac jure Archiepiscopali, sive de Provincialibus Ecclesiis litem Antibarensi ab Ragusino illatam invenio; nisi quod proximus post Joannem III. Archiepiscopum non quidem de tota jurisdictione Archiepiscopali, sed fortasse de aliqua ejus parte nescio quid controversiæ habuit cum Antibarensi, ut docet Sebastianus Dolci ex quodam instrumento, quod se comperisse ait *inter schedas litterarias Aletianas signatum anno 1252. tempore D. Innocentii Papæ IV. Indict. X. die lunæ exeunte. mense Aprili*. In eo autem Jacobum Archiepiscopum Ragusinum nominari ait. Sed has notas chronologicas vitiatas esse oportet; nam anno 1252. mense Aprili ad exitum vergente nondum Jacobus Sedem Ragusinam obtinebat, & huic Metropoli adhuc præerat Joannes III. qui vitam perduxit usque ad mensem Quintilem ejusdem anni 1252., ut docet instrumentum Ragusii confectum, quod paullo ante descripsimus. Joannes autem intra finem anni 1252. vel ineunte proximo e vivis excessit.

Obitus Joannis Archiep.

F. JACOBUS ARCHIEP. RAG. XX.

Cum Patres Franciscani & Dominicani Ragusium recepti primo statim adventu illustria doctrinæ & sanctitatis documenta edere cœperint, & utriusque Ordinis fama bonusque odor manaret quotidie latius, communis opinio civitatem pervasit, utramque familiam seminarium virorum omni laude præstantium feracissimum fore, unde optimi Episcopi ad regendas Ecclesias sumerentur. Hujusmodi viros ad Episcopatum eligendi a Franciscanis initium Ragusii factum est; quo quidem exemplo proposito, velutique aditu patefacto, alii deinceps ex aliis utriusque disciplinæ alumni ad Sedem Archiepiscopalem Ragusinam evecti sunt. Primus omnium fuit F. Jacobus patria Januensis, vitæ instituto Franciscanus, vir omnium illarum virtutum, ac laudum genere cumulatus, quas Paullus Apostolus in Episcopo requirit. Anno 1252. vel sequenti ad hujus Ecclesiæ nobilissimæ gubernaculum accessit, & fere tres annos rem Christianam, & Ecclesiasticam sic administravit, ut Episcopi personam pro dignitate sustinuerit, & partes omnes cumulatissime expleverit: ejus nomen in schedis Aletianis, ut paullo ante dixi, anno 1252. inscriptum est. Anno 1254. Innocentius IV. Monasterium Benedictinum S. Jacobi de Visniza, quod ante annos fere triginta Joannes Gundula condiderat, in clientelam Sedis Apostolicæ recepit, & pluribus immunitatibus, beneficiis, ac privilegiis cumulavit.

F. Jacobus Episcopus Ragus. an. circiter 1252.

Diploma Innocentianum pro monasterio S. Jacobi de Visniza.

Innocentius Episcopus Servus servorum Dei dilectis filiis Abbati Monasterii S. Jacobi de Visniza, ejus Fratribus tam præsentibus, quam futuris regularem vitam professis.

Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit esse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Quapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Monasterium S. Jacobi de Visniza Ragusinæ Diœcesis, in quo divino estis obsequio mancipati, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum, & B. Benedicti regulam, in eodem Monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter conservetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem Monasterium impræsentiarum juste, ac canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum oblatione, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant, pro quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo primum Monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis, vineas & terras, quas habetis prope idem Monasterium, cum omnibus pertinentiis suis: vineas, & terras, quas habetis in locis, qui Subrende Ver. . . . & Junchettum vulgariter nuncupantur, cum omnibus pertinentiis eorumdem. Domos quas habetis in Civitate Ragusina cum omnibus pertinentiis earumdem, cum terris, pratis, vineis, nemoribus . . . & pascuis in bosco, & plano, in aquis, & molendinis, in viis, & semitis, & omnibus aliis libertatibus, & immunitatibus suis. Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus, & sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis Clericos vel Laicos liberos, & absolutos e sæculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli Fratrum vestrorum posthac in Monasterio vestro professo fas sit sine Abbatis sui licentia de eodem loco discedere, nisi arctioris Religionis obtentu. Discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis, & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare, dummodo causam non dederitis interdicti. Chrisma vero, Oleum Sanctum, consecrationes Altarium seu Basilicarum, Ordinationes Clericorum, qui ad Ordines fuerint promovendi, a Diœcesano suscipiant Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & gratiam, & communionem Sacrosanctæ Romanæ Sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Prohibemus insuper, ut infra fines Parochiæ vestræ nullus sine assensu Diœcesani Episcopi, & vestro capellam, seu Oratorium de novo construere audeat salvis privilegiis Pontificum Romanorum. Ad hæc novitatibus indebitis exactiones ab Archiepiscopis, & Episcopis, Archidiaconis seu Decanis, aliisque omnibus ecclesiasticis sæcularibusque personis a vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri delibe-

ra-

raverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, aut etiam publice usurarii, nullius obsistat, salva tamen justitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas præterea & possessiones ad jus Ecclesiarum vestrarum... detinentur, reclamendi, & legitime liberandi, de omnibus eorum, & ad Ecclesias, ad quas pertinent, revocandi, libera sit de nostra permissione facultas. Obeunte vero te nunc ejusdem loci Abbate, ac tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia proponatur, nisi quem Fratres communi consensu, aut Fratrum major pars consilii sanioris secundum Deum, & D. Benedicti regulas providerint eligendum. Paci quoque, & tranquillitati vestræ paterna imposterum solicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum, seu grangiarum vestrarum nullus rapinam sive furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Præterea exemptiones, libertates, & immunitates a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus Monasterio vestro concessas, nec non libertates, & exemptiones sæcularium exactionum a Regibus, & Principibus, vel aliis Fidelibus liberaliter vobis indultas, apostolica auctoritate confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum Monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus possidere; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate, & Diœcesani Episcopi canonica justitia. Nulla igitur in futurum ecclesiastica, sæcularisque persona hanc nostræ constitutionis paginam, sciens contra eam temere venire temptaverit; & secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore, & Sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi æ aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen.

Ego Innocentius Catholicæ Eccl. Episcopus.
Ego Rainaldus Ostiensis, & Vellestrensis Episc.
Ego Stephanus Prænestinus Episcopus.
Ego Stephanus S. Mariæ . . . tt. Pr. Card.
Ego Frater Joannes titulo S. Laurentii in Lucina Presbyter Card.
Ego Frater Hugo tt. S. Sabinæ Pr. Cardinalis.
Ego Ricardus S. Angeli Diaconus Cardinalis.
Ego Octavianus S. Mariæ in Via lata Diaconus Cardinalis.
Ego Joannes S. Nicolai in Arce Tulliana Diac. Card.
Ego Villelmus S. Eustachii Diac. Card.
Ego Ottobonus S. Adriani Diac. Card.

Datum Anagniæ per manum Guillelmi . . . . Parmensis S. R. E. Vice Cancellarii XI. Kalend. Augusti Indict. XII. Incarnationis Dominicæ an. 1254. Pontificatus vero Domini Innocentii Papæ IV. anno duodecimo.

His temporibus regnabat in Serblia Neeman II. cognomento *Crapulus*, successor Stephani Radoslavi, qui cum Ragusinis amicitiam coluit, atque, ut suam erga illos eximiam voluntatem declararet, Lagustam insulam Corcyræ Melænæ a meridie proximam iisdem donavit.

Jacobus, quo anno incertum post susceptum Pontificatum, vel Ragusinæ Ecclesiæ, vel humanæ vitæ nuntium remisit. Huic successor datus

JOANNES IV. ARCHIEP. RAG. XXI.

Joannis IV. Archiep. litteræ ad Episcopum Torcellanum.

Qui nobis innotuit ex monumentis Ecclesiæ Torcellanæ a clarissimo viro Flaminio Cornelio editis & illustratis. Extant in iis tabulæ ab ipso exemplari descriptæ, quæ produnt Joannem Archiepiscopum Ragusinum accepisse in mandatis a Philippo *S. E. Ravennatis electo, Apostolicæ Sedis Legato*, ut Torcellano Episcopo consecrationem Virginum *S. Matthæi de Constantiaco* imperaret. Scriptæ sunt *anno millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, Indictione quintadecima Rivoalti;* quare ante hunc annum Ragusinam Ecclesiam adierit Joannes necesse est, quo etiam Venetiis degebat. Eas vero hic subjicimus depromptas *ex autographo in tabulario Monasterii S. Matthæi de Majurbio.*

In nomine Dei Eterni Amen. Anno ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, indictione quintadecima Rivoalti presentibus Petro Manolesso, Johanne Tanoligo, Angelo Zivrano & aliis, Donatus Venero Plebanus Ecclesie S. Lucie presentavit, & dedit ex parte Domini Archiepiscopi Ragusini litteras ipsius D. Archiepiscopi ejus sigillo cereo sigillatas Domino Fratri Gotifredo (1) *de Ordine predicatorum Dei gratia Torcellano Episcopo, cujus tenor talis est.*

Venerabili in Christo Patri Domino Fratri G. Dei gratia Torcellano Episcopo Jo. eadem gratia Ragusinus Archiepiscopus salutem in Domino.

Noveritis nos nuper a Ven. P. D. Phy. Dei & Apostolica gratia S. E. Ravennatis electo, Apostolice Sedis Legato (2) *litteras recepisse, cujus tenor talis est. Ven. in Christo Patri . . . Dei gratia Ragusino Archiepiscopo Ph. Dei & Apostolica gratia S. E. Raven. electus, Apostolice Sedis Legatus Salutem in Domino. Sua nobis ... Abbatissa & sorores Monasterii S. Matthei de Constantiaco* (3) *Cistercien. ordinis Torcellan. Diocesis petitione monstrarunt quod quamquam ipse cum humilitate Vener. Patrem . . . Torcellanum Episcopum duxerunt requirendum, ut secundum ipsarum privilegiorum tenorem eisdem consecrationis munus impendere dignaretur; idem tamen id recusando facere recusat. Quare nobis humiliter supplicarunt, ut providere sibi super hoc misericorditer dignaremur, quocirca paternitati vestre, qua fungimur auctoritate, mandamus, quatenus eundem Episcopum caritative monere, & inducere procuretis, ut eisdem Abbatissæ, & sororibus juxta indulta privilegiorum ipsarum infra octo dies post nostram monitionem munus consecrationis impendat, cum ab eisdem requisitus fuerit; quod si facere forte recusaverit, vos ipsis auctoritate nostra consecrationis munus curetis impendere, sicut vobis videbitur faciendum. Datum Argente* (4) *XIV. Kal. Augusti XV. Indictione. Verum quia mandatum dicti Domini preterire non possumus, nec debemus, auctoritate ejusdem Domini Legati vos caritative monemus, & inducimus, quatenus infra octo dies*

post

post harum presentationem ipsis Abbatisse , & sororibus secundum ipsarum privilegiorum tenorem consecrationis munus impendere velitis. Alioquin in ipso negotio secundum formam literarum dicti Domini Legati nobis traditam procedemus.

Actum est in platea que est ante Patriarchale (5) *Palatium.*

Ego Dominicus Russo Subdiaconus Capellanus S. Marci , & Notarius his interfui , rogatus scripsi , complevi & roboravi.

Notæ.

1 F. Gotifredus e Dominicana familia ad Ecclesiam Torcellanam regendam evectus eam tenuit ad hunc annum 1257. Hinc Ughelli error , qui ejus Episcopatum ad annum solummodo 1254. perduxit. Vide part. 1. monum. Eccl. Torcel. pag. 26.

2 Philippus Fontana Ferrariensis , Episcopus primum patriæ suæ , mox translatus fuit ad Sedem Florentinam , ac demum anno 1251. electus Archiepiscopus Ravennas Legationem Apostolicam obivit in bello fœderatorum adversus impiissimum Eccellinum Tyrannum. Corn. Præerat Ravennati Ecclesiæ anno 1269.

3 Constantiacum insula in æstuariis Venetis Torcello proxima , quæ nunc *Majurbium* vocatur.

4 Argenta oppidum est in agro Ferrariensi. Corn.

5 Intelligi debet de Area jacente ante Palatium Patriarchale Gradense apud Ecclesiam S. Silvestri. Corn.

In foliis ab eruditissimo Cardinali Garampo nobis communicatis extat epistolæ mentio, qua Alexander IV. Ragusinæ Ecclesiæ Archiepiscopum præfecit Aleardum IV. Id. Februarii anno 1258. Pontifex Ragusinos duritiæ seu pervicaciæ arguit , propterea quod suum Præsulem ab Episcopali regimine abscedere coegerit. *Sane a Ven. Fr. nostro I. Archiepiscopo quondam Ragusinæ Ecclesiæ libera resignatione recepta , cum de ipsius Ecclesiæ ordinatione & populi Ragusini duritie cogitaremus &c.* Reg. an. IV. epist. 61. Archiepiscopus autem, quem prima tantum nominis littera indicat , idem est Joannes ; atque hinc ediscimus illum gravissimis populi Ragusini molestiis lacessitum demum vel exeunte anno 1257. vel ineunte 1258. Ecclesiam suam dimisisse. Neque a vero fortasse multum aberrat , qui autumet , Joannem ideo a populo Ragusino graviter exagitatum fuisse , quod Patriarchæ Gradensi vellet adhærere , a cujus imperio Ragusini abhorruerint veriti , ne quid inde incommodi , ac detrimenti publica libertas pateretur. Num Romanus Pontifex ullo unquam diplomate Ecclesiam Ragusiensem Gradensi Patriarchæ subdiderit , incompertum esse diximus in Tribunio II. Archiepiscopo Ragusino: & acta Joannis in Episcopum Torcellanum promulgata Venetiis ante *Patriarchale Palatium Gradense*, in eamdem suspicionem impellunt, hunc Archiepiscopum , ut pacta olim a Venetis cum Tribunio II. Archiepiscopo servaret, Patriarchatus Gradensis auctoritatem in Ragusinam Ecclesiam studio aliquo coluisse. Sed Ecclesiæ Ragusinæ titulum retinuit Joannes ; & eo certe dignitatis honore distinguitur in publicis etiam monumentis , ut constat ex tabulis Consecrationis Templi Feliciani Veneti confectis anno 1267., quo Joannes Venetiis adhuc morabatur; in iisque nominatus *Joannes Archiepiscopus Ragusiensis* anniversarias Indulgentias eidem Templo cum Patriarcha Gradensi , & aliis Episcopis dicitur contulisse. Tabulas subjicio ex Tomo 2. Monum. Eccl. Ven.

Anno MCCLXVII. Indict. X. die XI. intrante Julio. Cum Presb. Marcus Plebanus Ecclesiæ S. Felicis Diœcesis Castellanæ coram nobis , vid. Leonardo Dei gratia Episcopo Equilensi , & Ven. Fr. Marino eadem gratia Episcopo Caprulen. humiliter supplicavit , ut suam Ecclesiam & Altaria , videlicet B. Felicis Confessoris , & Beatæ Mariæ semper Virginis, consecrare utique deberemus ; nos suis dignis postulationibus inclinati , suam prædictam Ecclesiam , & Altaria duximus consecranda , & omnibus vere pœnitentibus & confessis , qui ad Ecclesiam prædictam in die Consecrationis ipsius , & usque ad octavum diem accesserint , de voluntate & consensu D. Simeonis Mauro Plebani S. Barnabæ Generalis Vicarii Ecclesiæ Castellanæ , pro quolibet nostrorum , & Venerabilium Dominorum F. Angeli Dei gratia Patriarchæ Gradensis , Joannis Archiepiscopi Ragusiensis , Fr. Angeli Episcopi Civitatis Novæ , Fr. Alberti Episcopi Tarvisini , F. Ægidii Episcopi Torcellani , Joannis Episcopi Paduani , anniversarium pro quolibet , & annis singulis in anniversario ejusdem , quadraginta dies de sibi injuncta pœnitentia , auctoritate nobis a Deo concessa , misericorditer duximus relaxandum. Gratia. Felix ora pro nobis.

Cur vero unum eumdemque esse Joannem Archiepiscopum Ragusinum censeam, qui in utrisque tabulis anni 1257. & anni 1267. nominatur, paullo inferius erit declarandum.

F. ALEARDUS ARCH. RAG. XXII.

Aleardus Archiep.

Hunc natione Sardum , patria Arborensem , ut ex litteris constat Joannis XXI. ad Salvium II. Archiepiscopum Ragusinum infra subjiciendis , Archiepiscopum dedit Ragusiensibus sanctissima Fratrum Minorum Sodalitas , in qua , ut primum instituta fuit , tanquam in opimo & fertili agro , eodemque bono , ac diligenter subacto & exculto , viri doctrinæ excellentia , & vitæ sanctitate præstantes alii ex aliis , serie non interrupta propagari , ac proseminari non desierunt. Extant litteræ Alexandri IV. quibus Ragusinæ Ecclesiæ Aleardum præfecit anno IV. Pontificatus , ideſt 1258. IV. Id. Februarii. Joannes Gundula affirmat, ipsum a Capitulo electum , ab Alexandro IV. approbatum fuisse. Anno proximo , mense Aprili , jus titulumque gerebat , & Archiepiscopi munera obibat , ut docent tabulæ Collegii Sacrarum Virginum Ordinis Benedictini S. Mariæ de Castello. *In Dei nomine Amen. Anno Domini 1259. die 5. Aprilis , præsentibus D. Matthæo Theophili &c. rogatis testibus , coram nobis F. Aleardo de Ordine Fratrum Minorum , Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopo Ragusino &c.* Anno 1262. gravis dissensio Aleardo intercessit cum Joanne Præside Cœnobii Rabiatensis , quod in jus ditionemque Cassinensis Monasterii ita migraverat , ut Ragusini tamen Archiepiscopi auctoritati subesse deberet , in iis præsertim , quæ Episcopalem jurisdictionem spectant. Verum Joannes diu nova molitus in apertum denique discrimen erupit , & Archiepiscopi mandata , ac jussa detre-

Joannes Ragusinam Ecclesiam dimittit.

Joannem Cœnobii Rabiatensis Præsidem subjicit anathemati.

rectanus ejuſdem ſeſe exemit poteſtati. Rem indignatus Archiepiſcopus illum canonico more bis terque admonuit, ut reſipiſcens ad legitimi Antiſtitis ſubjectionem rediret; niſi obtemperaret, eccleſiaſticis pœnis ejus contumaciam mulctatum iri: cumque nec monitionibus, nec minis quidquam ſe proficere Aleardus ſentiret, anathematis ſententiam publice in Joannem pronunciavit, & Rabiatenſem Eccleſiam interdicto ſubjecit: cujus ſententiæ exemplum ex tabulario Raguſinæ Reipublicæ hic deſcribimus.

Nos F. Aleardus de Ordine Fratr. Minorum Dei & Sedis Apoſtolicæ gratia Archiep. Raguſ. Notum facimus univerſis ad quos hæc ſententia pervenerit: cum Joannes Sacerdos & Monachus
1 *Prior Eccleſiæ S. Mariæ dictæ de* (1) *Rabiato*
2 *noſtræ Diœceſis Dno* (2) *Joanni ceſſori noſtro ſubditus, ſibique ac Monachis ſuis pro tempore*
3 (3) *reſpondens ut tenebatur in Parochialibus functionibus, tanquam Prælato competenti Diœceſano elapſis jam annis duodecim & eo amplius ſine interruptione legitima, utpote per B. Joannem inſtitutus in d. Eccleſia & introductus in corporalem & ſpiritualem poſſeſſionem, Nobis & in noſtro Palatio Archiepiſcopali coram pluribus manualem fecit obedientiam, ſolvit cum aliis collectam, viſitationem noſtram recepit, quietam procurationem dedit pluries, ad Feſtum S. Blaſii cum aliis noſtris Abbatibus, ut moris eſt, & ad Synodum venit, litigavit nihilominus multoties coram nobis, recipiendo pro ſe & contra ſe ſententiam, ut juris ordo ferebat, nos ſuum Prælatum & ordinarium judicem in prædictis & aliis competentibus recognoſcens. Nunc autem, neſcimus quo ſpiritu ductus, obedire contemnit, viſitationem renuit, procurationem vetat, ad Sy-*
4 *nodum vocatus contempſit, &* (4) *ad feſtum S. Blaſii venire reſpuit, injurias pluribus de ſe conquerentibus inferens, citatus bis & ter pro terminis competentibus & legitime peropportunis aſſignatis, dicens ſe non habere nobiſcum facere, contempſit omnimodo comparere. Cupientes ergo ſalubriter eum corrigere, ſibique & aliis quibuſque reddere jura ſua, injuriam juris parochialis Eccleſiæ noſtræ diſſimulare de cætero nolendo, ſicut nec poſſumus, nec debemus, cum dolore animi, & compaſſione cordis noſtri, auctoritate Dei Omnipotentis, & BB. Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac Beatiſſimi Blaſii Martyris & noſtra, qua fungimur, prædictum Joannem Priorem Rabiatæ pro his & ejuſmodi rebellem, incorrigibilem, & contumacem excommunicamus in ſcriptis, & excommunicatum denunciamus ſupponentes Eccleſiam prædictam interdicto uſque ad ſatisfactionem condignam.*

Actum eſt hoc in pulpito Eccleſiæ Archiepi-
5 *ſcopalis Anno Domini MCCLXII. menſis* (5) *Januarii prima Dominica Quadrageſimæ, præſen-*
6 *tibus D.* (6) *S. Tribunienſi Epiſcopo, & omnibus Abbatibus, Canonicis noſtris, cum Clericis univerſis, & populo Civitatis. In quorum verum teſtimonium ſigillum noſtrum pendens ad petitionem Presbyteri Parungerii noſtri Canonici,*
7 *&* (7) *Abbatis Eccleſiæ omnium Sanctor. duximus apponendum. Et ego Diaconus Bubana Canonicus Raguſinus, & antedicti D. Archiepiſcopi juratus Notarius bis omnibus interfui, & de mandato ejuſdem ſcripſi, complevi, & manu propria roboravi.*

Notæ.

1 Nomen eſt exigui collis, qui vivo e lapide exſurgit prope ad fontem Arionis, ſive Omblæ fluminis, eoque ad Orientem Solem, & ad Auſtrum alluitur: ſummo in vertice inſidet Eccleſia, cui a Deipara Virgine titulus eſt, & Parœciæ jus attributum.

2 Joannes III. Venetus, & Archiepiſcopus Raguſinus, qui Joannem hunc Cœnobio Rabiatenſi præpoſitum in Archiepiſcopatus juriſdictionem accepit.

3 Ideſt, ſponſor pro ſe, ac ſuis Monachis:

4 Cui intereſſe ſolebant olim Cœnobiorum, ac Monaſteriorum Præpoſiti, ſive Priores; nunc Abbates tantummodo interſunt ſuis diſtincti inſignibus.

5 Error hic irrepſit, cum anno 1262. initium Quadrageſimæ inciderit in diem ſecundam ſupra viceſimam Februarii; hinc dies prima Dominica conſignari debet IV. Kal. Martii, die ſcilicet viceſima ſexta menſis ejuſdem.

6 Is eſt Salvius, de quo in Epiſcopis Tribunienſibus.

7 Hoc eſt, Rector Eccleſiæ Omnium Sanctorum, quæ ad portam occidentalem veteris urbis ſita, ejuſque Sacerdotio Parungerius fruebatur: nunc a S. Domnio titulum habet.

Sed ex hoc Aleardi decreto in dubium vocatur fides, & auctoritas cujuſdam tabulæ Lacromenſis Cœnobii, in qua idem Joannes Prior Rabiatenſis dicitur electus Abbas Lacromenſis an. 1256. Is enim eſt Joannes, quem Aleardus ſcribit ante annos duodecim Monaſterio Rabiatenſi præpoſitum fuiſſe. Num vero utrumque Cœnobium regebat Joannes anno 1262.? at cur Priorem tantummodo Rabiatenſem illum Aleardus appellat? An forte hominem in judicium vocat, & Eccleſiaſticis pœnis ſubjicit, qui Archiepiſcopali ſubeſſet juriſdictioni, quia Rabiatæ, non quia Lacromæ præfecturam multo illuſtriorem gereret? Quis iſta componat? niſi aut Aleardi ſententiam, aut tabulam Lacromenſem veluti confictas rejicias; quamquam error ſubeſſe facile poteſt tabulæ laudatæ in annis conſignandis; & vel annus 1246. ac annus 1247. inſcribi debet, & alius eſt Joannes, quem tabula Lacromenſis commemorat; vel ſi unus eſt, qui in Aleardo decreto, & in tabula eadem legitur Rabiatenſi Cœnobio præfectus, hinc conjicias velim, Joannem in ſuam præfecturam ab ipſo Aleardo reſtitutum, cum Archiepiſcopi poteſtati ſemet ſubdidiſſet, poſtea Lacromenſem Abbatem electum fuiſſe anno 1266. qui actis electionis præfigendus eſt, uti tabula demum ipſa anno 1267. confecta fuerit. Multo tamen mihi eſt veriſimilius Joannem electum quidem Lacromenſem Abbatem anno 1256. ejuſque electionem eidem renunciatam anno 1257. poſt unum fere menſem; ſed aliquam obſtitiſſe cauſſam, cur Lacromenſem Præfecturam non adierit, aut Joannem Archiepiſcopum hominis ſibi ſubjectis electionem ipſam ſe inſcio factam minime comprobaſſe; quod idem poſtea ſenſerit Aleardus, ac confirmaverit. Tabulam Lacromenſem e membrana deſcriptam hic ſubjicio.

Tabula Lacromenſis an. 1257.

Anno Incarnationis Domini mill. ducent. quinquageſimo ſeptimo menſis Januarii octavo die intrante. . . . Monachi Monaſterii S. Mariæ & S. Be-

Digitized by Google

S. Benedicti de insula Lacromonen. de Rag. videlicet Presbyter Domana, Slove, Paulus, & Martolus, bona voluntate omnium Fratrum & Monachorum predicti Monasterii in presentia subscriptorum testium ad hoc specialiter convocatis in Ecclesia Monasterii Sancte Marie de Razato presentavere Domino Johanni Presbitero & Monacho Priori Priorati S. Marie de Razato electionem ab omnibus predictis factam & sigillatam cum pendenti sigillo dicti Monasterii Lacromonen. in ipsum prenotatum D. Joannem tanquam in Abbatem & pastorem eorum. In cujus electionis carta sic incipit.

Anno Incar. Dom. mill. ducent. quinquagesimo sexto Mensis Decemb. quarto die astante, Vacante Monasterio S. M. & S. Benedicti de insula Lacromonen. de Rag. &c. prout in ipsa carta electionis continetur. Qui prenotatus Domnus Johannes . . . . prenotatam electionem dicens: Ad honorem Dei Omnipotentis, & Beate Marie semper Virginis, & Beati Benedicti secundum Dominum, & secundum regulam Beati Benedicti tamquam Monach. eodem mon. Cromonen. facto signo sancte † accipio predictam electionem. Ut autem hoc instrumentum robur obtineat veritatis prenotati Monachi & Prior cum suis sigillis pendentibus fecer. communire.

Actum est hoc in prenotata Ecclesia Sancte Marie Monasterii de Razato. Hii sunt testes. † Ego Presbiter Elias Viviani Canonicus Sancte Marie Ragusin. Ecclesie sum testis. † Ego Clericus Gervasius. Petrana Canonicus Sancte Marie Ragusine sum testis. † Ego Clericus Rubana rasini & Canonicus Sancte Marie Ragusine Ecclesie sum testis. Et Ego Presbiter Pascalis de Capalu Canonicus Sancte Marie Ragusine Ecclesie & Communis Ragusii Not. jur. scriptor sum, & testis, complevi & roboravi.

Conjuratio in Rempublicam Ragusinam.

Ejus Pontificatum in ea tempora turbulenta & periculosa incidit, cum adducta est Respublica Ragusina in proximum discrimen amittendæ libertatis. Damianus Juda, cum Rector esset Civitatis, imperandi dulcedine captus plura concupiscere ac moliri cœpit, quam in libera Civitate liceret; nam & elatius, atque insolentius se gerebat, & ordinem Senatorium despiciens omnia ad suum arbitrium revocabat. Ut vero insana cogitata perficeret, quamplurimos tum plebejos, tum cives secundi ordinis, tum etiam extraneos beneficiis & promissis illectos sibi conciliavit; ex his quosdam elegerat, quibus maxime fidebat, cum quibus consilia tum patriæ, tum sibi inimica capiebat. Annuo Magistratu perfunctus, neque Prætorio Palatio discedere, neque Præturam dimittere voluit; sed eorum, quos sibi conjunxerat, multitudine, armis, fiducia fretus a Comitiis habendis, novoque creando Rectore Senatores & Patricios absterruit; ad extremum aperte tyrannidem occupavit; qui suis iniquis conatibus adversari audebant, eos in exilium ejecit, vel, timore injecto, ex urbe abscedere coegit. Petrus Benessa ejus gener, adolescens magni animi, & eximiæ virtutis, sed patriæ, quam soceri, amicior, cum se illius fautorem atque adjutorem esse simularet, in ejusdem perniciem cum quibusdam Patritiis, qui in urbe remanserant, clandestinis consiliis conspiravit. Cum ad tyrannum expellendum neque vires, neque copiæ suppeterent, nam milites præsidiarios largitione corruptos in sua potestate habebat, dolo ac fraude in eum grassari constituunt. Has vero partes sibi desumpsit Benessa; qui per speciem negotiationis Venetias profectus, & perbenigne in Senatum admissus Patres edocuit, quanto in periculo versaretur libertas, & res publica Ragusiensium; ad jugum tyrannici dominatus depellendum oravit, ut sibi auxilio essent, simulque, quam ipse cogitaverat, rei perficiendæ rationem exposuit. Duas triremes armis & militibus instructas sibi darent, & per simulationem legationis mittendæ ad Michaelem Palæologum Imperatorem, qui anno 1261. Constantinopolim Latinis ademptam recuperavit, duos e primaria nobilitate Patricios deligerent, qui navigia illa conscenderent, & Ragusium cum appuliſſent, legationem Constantinopolitanam mentirent ea de causſa suſceptam, ut nomine Venetorum Michaeli receptum Imperium gratularentur. Annuit Senatus, & Oratoris Ragusini postulata fecit haud libentius quam promptius. Cum itaque triremes in conspectum Ragusii veniſſent, Benessa navicula in portum devectus, & exscensu in terram facto, recta ad locerum salutandi gratia se contulit, eique auctor fuit, ut pro amicitia, quæ Ragusinis erat cum Venetis, juberet Venetas triremes in portum recipi, simulque duos illos viros nobiliſſimos, Legatos Constantinopolim profecturos, ad Palatium Prætorium vocaret, &, quo digni erant, honore acceptis convivium magnifice & splendide appararet. Bene monere visus est Benessa, & quod suaserat, ille non solum fecit, sed etiam prolixe cumulateque fecit. Post gratias actas, & consueta urbanitatis officia ultro citroque reddita redierunt ad suas triremes. Postero autem die miserunt, qui Damianum ad prandium in summo alterius triremis tabulato sub velis carbaseis portentis, quæ solem arcerent, haud minori apparatu & magnificentia instructum perhonorifice invitarent. Neque ille abnuit & nihil doli fraudisve suspicatus cum genero in triremem conscendit: nullum erga eum honorificentiæ genus prætermissum fuit; & mensæ conquisitiſſimis epulis exstructæ superior accubuit. Postquam cum fictitiis legatis opipare epulatus esset hilarem in modum, jussi sunt remiges per speciem auræ captandæ, & mari tranquillo oblectationis causſa spatiando, triremem e portu propellere. Lento remorum impulsu hac illac vagari incipiunt, & longius a terra paullatim recedere; in altum provecti cum essent, tum demum qui erant in insidiis, ex composito Damianum adorti ad malum antennæ alligarunt; qui omni auxilio destitutus de se actum cum videret, semet suamque dementiam incusans, quod libertatem ac vitam alienæ ignotæque fidei credidisset, & generi perfidiam exsecratus, desperatione & furore percitus caput magno impetu, & repetitis ictibus malo impingere non antea destitit, quam diffracta cervice animam efflavit. Revecta in portum trireme, Benessam communis libertatis vindicem, ac restitutorem Senatus, populusque gratulabundi salutant. Ut vero Venetis Legatis gratiam referrent, alterum ex illis, videlicet Marcum Dandulum, honoris causſa Rectorem Civitatis nominarunt, ea tamen lege adstrictum, ut nihil inconsulto Senatu decerneret, ageretve. Hæc Orbinus ad annum 1262. referenda esse censet. Seraphinus Razzius tradit hanc urbis Præturam per annos fere nonaginta Patritiis Venetis demandatam fuisse, & singulos, qui hunc Magistratum ges-

Digitized by Google

ſerunt, nominatim percenſet. Civitas maximo defuncta periculo, Senatus, populuſque in Æde Cathedrali Deo præpotenti, Superiſque cum hymnis & canticis gratias egit, Clero præcinente, Aleardo Antiſtite pontificali ritu ſacrificante.

His temporibus Patres Dominicani Raguſienſes in Diœceſi Olchinienſi & Catharenſi aliquot ſacella & hoſpitia ex piorum hominum donatione adepti ſunt, quibus uterentur, cum ad ea loca Divini Verbi diſſeminandi cauſſa venirent, Epiſcopis utriuſque Diœceſis approbantibus. Raguſii vero, cum Jacobiza quædam civis Raguſienſis domum iiſdem legaſſet teſtamento, quæ poſtea in poſſeſſionem veniret Canonicorum Templi Mariani, ſi quo caſu contingeret, Patres Dominicanos ab urbe abituros, ii Pontificem rogarunt, ut ſibi vendere illam liceret, quam juxta ſui inſtituti leges retinere non poterant. Et aſſenſus ultro eſt Pontifex, dummodo Canonicorum juri ſatis eſſet cautum. Litteras Pontificis e Tomo I. Bull. Domin. hic exſcribo.

Litteræ Clementis P. IV. ad PP. Dominicanos Raguſien.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori & Fratribus Ordinis Prædicatorum Raguſin. Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Ex parte veſtra fuit nobis expoſitum, quod quondam Jacobiza, filia Viri Capiteſeldi de Raguſio, tunc vidua, quandam domum ſuam in Raguſio ſub domo Johannis Corriazii ad ſe ſpectantem, cum omnibus pertinentiis, & utenſilibus ſuis vobis habendam, poſſidendam perpetuo, & tenendam, ea conditione adjecta in ultima voluntate, legavit, ut ſi caſu aliquo vos contingeret de Civitate diſcedere Raguſina, domus ipſa deberet ad Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Majoris Raguſin. Canonicos, nullis ab ipſis alienanda temporibus, devenire. Cum igitur, ut aſſeritis, deliberatione habita firmaveritis nunquam dictam deſerere Civitatem ac domum ipſam quam habetis, tenere, ſtatutis veſtri Ordinis obviantibus, non poſſitis, ſupplicaſtis humiliter, ut vendendi eam, & pretium percipiendum ex ipſa in utilitatem loci veſtri totaliter convertendi, conditione non obſtante prædicta, licentiam vobis concedere curaremus. Nos itaque veſtris precibus inclinati, devotioni veſtræ auctoritate præſentium licentiam concedimus poſtulatam: ita tamen quod de exhibendo ſibi pretio hujuſmodi, ſi de Civitate ipſa recedere vos contingat, ad cautelam præſtetis ſufficientem præfatis Canonicis cautionem. Datum Viterbii VIII. Id. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Tertio. Ideſt 1267.

Aleardus Archiep. ad Arborenſem Eccleſiam transfertur.

Aleardus, cum annos fere octo hanc Eccleſiam ſapientiſſime rexiſſet, Sedem Archiepiſcopalem Raguſinam cum Sede item Archiepiſcopali Arboreacenſi ſive Arborenſi in Sardinia ex mandato Clementis IV. commutavit; idque conſtat ex Reg. ejuſdem Pontificis T. 3. pag. 240. ubi extat Diploma Pontificium datum III. Nonas Novemb. an. 1268. Sed aliquot ante menſes Aleardi translatio publicata jam a Pontifice fuerat, ut ipſius Diplomatis verbi teſtantur: *Te*, inquit Clemens, *tunc Raguſinum Archiepiſcopum . . . . de plenitudine poteſtatis ad eamdem Eccleſiam Arborenſem tranſtulimus . . . te a vinculo, quo eidem Eccleſiæ Raguſin. tenebaris adſtrictus, penitus abſolvendo.* Cum vero moras necteret Aleardus, ſubdit Pontifex: *Ideoque mandamus quatenus humiliter ſuſcipiens impoſitum a Domino tibi onus ad prædictam Eccleſiam Arboren. accedere non poſtponas &c. Datum Viterbii III. Nonas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.* Attamen anno 1268. Arborenſi Eccleſiæ adhuc præerat octavo Idus Martias Homodeus II. ut ex monumento conſecrationis Bonarcadenſis Eccleſiæ affirmat Vitus in Hiſt. Epiſc. Boſanenſium; illudque deſcripſit Matthejus in Sardinia Sacra: *Conſecrata eſt Eccleſia hæc in honorem Glorioſiſſimæ Virginis Mariæ . . . . a Venerabili Paternitate Domino N, ſedente Archiepiſcopo Arboren. &c.* qui vel Homodeus fuerit, vel alius quiſpiam, Aleardus profecto non erat; annus vero peractæ conſecrationis ſignatur a Matthejo ſexageſimus octavus hujus ſæculi decimi tertii, dies autem Martii octava. Interea Archiepiſcopo Arborenſi paullo poſt vita defuncto, *Archipresbyter, & Capitulum ipſius Eccleſiæ, Arborenſis . . . . dilectum Filium Fratrem Johannem de Ordine Minorum in Arboren. Archiepiſcopum concorditer elegerunt*, ut ex laudato Clementis diplomate cognoſcimus; at electionem Joannis, quia minus canonice celebrata, irritaverat Pontifex; & Aleardum Arborenſem Antiſtitem jam deſignatum ad illam Eccleſiam juſſit proficiſci eodem diplomate dato III. Nonas Novembris anni 1268. Sed, ut rei geſtæ veritas certa ſit magis, & confirmata, integrum illud deſcribere lubet ex Tomo 3. Bullarii Franciſcani, quod Joannes Hyacinthus Sbaralea ſummo ſtudio, & ingenti labore collegit, ediditque; eſt autem hujuſmodi. pag. 165.

I Clementis IV. literæ, quibus Aleardum e Raguſina ad Arborenſem Eccleſiam tranſfert.

Clemens &c. Venerabili Fratri . . . . (1) Archiepiſcopo Arboren. Sal. & Apoſtol. Bened. Rationis oculis intuentes commoda, quæ vacantibus Eccleſiis de ſalubri proviſione proveniunt, reddimur corde ſolliciti, ut circa proviſionem hujuſmodi faciendam fructuoſæ attentionis ſtudium habeatur. Sane Arboren. Eccleſia Paſtoris ſolatio deſtituta, dilecti Filii . . . . Archipresbyter, & Capitulum ipſius Eccleſiæ convenientes in unum, Spiritus Sancti gratia invocata, dilectum Filium Fratrem Johannem de Ordine Minorum in Arboren. Archiepiſcopum concorditer elegerunt. Præſentato itaque Nobis & Fratribus Noſtris hujuſmodi electionis decreto; Nos de prædictorum Fratrum conſilio electionem ipſam, quia eam invenimus minus canonice celebratam, caſſavimus juſtitia ſuadente. Verum volentes, ut Eccleſia ipſa diutius ſine Præſule remaneret, ſed ei de tali perſona, cujus ſtudio & prudentia laudabilibus circa ſpiritualia & temporalia poſſit, auctore Deo, proficere incrementis, providere volentes, te tunc Raguſin. Archiepiſcopum, de cujus prudentia, & circumſpectione plene confidimus, de prædicta Eccleſia Raguſin. Fratrum ipſorum communicato conſilio; de plenitudine poteſtatis ad eandem Eccleſiam Arboren. tranſtulimus; & te prædicta Arboren. præfecimus in Archiepiſcopum & Paſtorem; te a vinculo, quo eidem Eccleſiæ Raguſin. tenebaris aſtrictus, penitus abſolvendo, conceſſa tibi licentia ad prædictam Arboren. Eccleſiam tranſeundi. Ideoque mandamus, quatenus humiliter ſuſcipiens impoſitum a Domino tibi onus, ad prædictam Eccleſiam Arboren. accedere non poſtponas, gerens ſollicite curam ejus, Gregem Dominicum in illa tibi commiſſum doctrina verbi & operis informando. Ita quod eadem Arboren. Eccleſia tuæ diligentiæ ſtudio laudabilibus in ſpiritualibus, auctore Domino, proficiat incrementis.

Datum Viterbii III. Nonas Novembris, Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

No-

Digitized by Google

Nota.

1 *Ven. Fratri . . . .* Aleardo, al. Adelardo Ord. Min. quem anno 1273. sedisse discimus ex Catalogo Antistitum Arborensium ab Archiepiscopo Francisco Masone Constitutionibus Synodalibus a se anno 1712. editis annexo; ut notat Sbaralea.

ANDREAS III. ARCHIEP. RAG. XXIII.

ELECTUS SEU VERIUS ADMINISTRATOR.

Post dimissam ab Aleardo Ragusinam Ecclesiam Andreas Gausonus anno 1269. cunctis Capituli suffragiis creatus est Archiepiscopus Ragusiensis. Patria Venetus erat ex Gausona familia, ut testantur litteræ Joannis XXI. inferius subjiciendæ; quod erroris redarguit Ragusinos Scriptores, qui Pisaurensem civem fuisse affirmant. Anno 1263. jam in collegium Canonicorum Ecclesiæ Patavinæ cooptatus fuerat; idque in tabulis legitur Archivi Capitularis ejusdem Ecclesiæ, in quibus *Andreas Gauxonus* appellatur; & in tabulis anni 1266. die quarta Augusti dicitur absolutus ab anathemate eidem aliisque Canonicis a Pontifice, inflicto, qui Andream de Posono inter Canonicos admittere noluerunt. Ne vero Ragusini Archiepiscopatus legitimam possessionem adiret, tum mors Clementis IV. paullo post consecuta, tum creatio Gregorii X. in annum 1271. protracta obstiterunt. Sed ut Ecclesiæ Ragusinæ Rector interea aliquis præesset, Philippus Archiepiscopus Ravennæ Legatus Sedis Apostolicæ Andream electum & expetitum Canonicis Ragusinis, non illum quidem Archiepiscopum, sed Administratorem dedit. Hic siquidem anno 1269. adhuc Legatione Apostolica sibi a Clemente ante biennium demandata fungebatur *in Aquil. & Graden. Patriarchatus, & in Ragusin. Mediolanen. Januen. Civitat. Diœc. Provinciis, necnon in Lombardia, Romandiola, & Marchia Trivisan.* Has quippe regiones Clemens IV. nominatim percenset in suis ad Philippum litteris *dat. Viterbii VIII. Id. Julii. an. Pontif. III.* idest 1267. in quibus provinciis, inquit, *plenæ Legationis officium tibi duximus committendum, ut evellas, & destruas, dispersas, & dissipes &c.* Philippus ergo Andream Gausonum non solum ut votis & postulatis Capituli Ragusini morem gereret, sed etiam ut Laurentio Theupolo Duci Venetiarum gratificaretur, qui, Andream cum plurimi faceret, & summopere diligeret, Legato Pontificio commendasse videtur, Ecclesiæ Ragusinæ, quæ intra fines suæ Legationis continebatur, Gubernatorem præfecit, & Ravennæ cum esset, litteras ad eum dedit, quibus ei curam atque administrationem illius Metropolis ac Provinciæ committebat.

Andreas Gausonus Administrator Ecclesiæ Ragusinæ an. 1269.

Litteræ Philippi Legati Pontificii.

Philippus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Ravennat. Archiepiscopus, Apostolicæ Sedis Legatus, Viro discreto Andreæ Gausono Canonico Paduano Sal. in Domino. Admonet nos cura sollicitudinis commissi nobis officii, ut circa cunctas Ecclesias infra Legationis nostræ terminos positas considerationis intuitum dirigamus; sed eo amplius circa magis nobilia membra Romanæ Ecclesiæ vigilare nos convenit, quo ab ipsis plus exigitur, cum eis noscatur probabiliter plus commissum. Cum igitur Ecclesia Ragusina vacante, ad ipsius regimen sis assumptus, nos volentes, ut ipsa Ecclesia, cum Metropolitana existat, tam in se, quam in subjectis sibi Ecclesiis non patiatur defectum, curam & administrationem ipsius Ecclesiæ tam in spiritualibus, quam in temporalibus auctoritate, qua fungimur, tenore præsentium, intuitu & contemplatione Illustris & magnifici Viri Domini Laurentii Telepoli inclyti Ducis Venetiarum tibi fiducialiter duximus committendam sperantes, ut, cum ad eandem Ecclesiam sis electus, eam majori affectione diligas, & circa ipsius commoda ferventiori affectu te debeas exercere. Ad prædictam ejus curam, & administrationem tibi committendam illa ratio nos inducit, quia ipsius Ecclesiæ Capitulum te duxit in suum Archiepiscopum concorditer eligendum. Tu ergo, tanquam vir prudens, ex nunc eandem curam & administrationem suscipias, & omnia & singula in spiritualibus & temporalibus facias, quæ utilia credideris, & videris expedire, ut præter retributionis divinæ præmium consequaris ab hominibus nomen bonum; contradictores, monitione præmissa, per censuram Ecclesiasticam compescendo. In cujus rei testimonium præsentes litteras fecimus sigilli nostri munimine roborari. Dat. Ravennæ II. Kal. Maii an. 1269. Indict. XII.

Has litteras ad Andream Gausonum allatas Donatus Presbyter S. Hieremiæ Ragusium detulit, & Canonicis in Aulam Archiepiscopalem convocatis reddidit; quæ cum lectæ fuissent, communi omnium consensu receptæ sunt & laudatæ; ac nemine repugnante, Administratio Ecclesiæ Ragusinæ per Legatum Apostolicum Andreæ Gausono commendata, ingenti gratulatione plausuque approbata, atque admissa fuit.

a Capitulo Ragusino approbatæ.

In nomine Domini Amen. Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi 1269. mensis Junii die 4. intrante Indict. XII. præsentibus Andrea de Zerev, Marino filio Viti Sorgo, Prepreda Matthæi dicto de Ragusio, & aliis; Presbyter Donatus S. Hieremiæ de Venetiis præsentavit, & dedit quasdam litteras Domini Philippi Dei & Apostolica gratia Archiepisc. Ravenn. sigillo cereo sigillatas Capitulo Ragusin. tenor quarum talis est: Philippus Dei & Apost. Sedis gratia Ravennat. Archiepiscopus, Apost. Sedis Legatus Viro discreto Andreæ Gausono Canonico Paduano Sal. in Domino. Admonet nos cura sollicitudinis commissi nobis officii &c. ut supra. Quibus visis & lectis, & diligenter intellectis, habita diligenti deliberatione inter eos de Capitulo, unanimiter & concorditer, nullo penitus addicente, laudaverunt, acceptaverunt, ac etiam approbaverunt administrationem factam per dictum Dominum Legatum de persona Domini Andreæ ante dicti, & ad majorem certitudinem mandaverunt hoc instrumentum Sigillo Capitulari communiri. Dat. est hoc in Sala Archiepiscopatus Ragusini.

Ego Nicolaus SS. Apostolorum Presbyter & Notarius his prædictis interfui, & rogatus scripsi, complevi & roboravi.

Eodem anno Andreas inter Canonicos Ecclesiæ Castellanæ adlectus fuit, ut constat ex tabulis Patavinis laudati Archivi Capitularis confectis anno 1269. die Julii vicesima quarta: & cum Ragusium postea accessisset, suos Vicarios constituit, quorum opera rem ecclesiasticam administraret; eosque nominatos invenio in Tabulis Coenobii Lacromensis: An-

no Domini 1271. Indict. XIV. die primo Junii. Nos Vicarii D. Andreæ Gausoni Administratoris Ecclesiæ Ragusinæ, scilicet Gervasius de Petragna, & Rosinus Bayslave &c. Annos circiter tres Administratoris nomine & auctoritate Ragusinæ Metropoli præfuit; quare Sebastianus Dolci, Jacobus Luccarus, & alii Scriptores haud recte Archiepiscopi dignitate, & jure illum donarunt, cum *Electus* solummodo Archiepiscopus appellari potuerit; quin in plerisque Chronicis mss. *Intrusus* dicitur: nam, ut Johannes Gundula scriptum reliquit, non legitime, sed temere, ac tantum non violenter in Sedem Archiepiscopalem invasisse ferunt, nec minori temeritate jus munusque Archiepiscopale sibi usurpasse; hinc a Gregorio X. jussum, ut Archiepiscopi appellatione se abstineret. Suspicio fortasse fuit Capituli suffragia venalia fuisse; vel ejus administratio haud legitime ab illo suscepta visa est nonnullis, propterea quod Legatio Apostolica Philippi Archiepiscopi Ravennatis, ejusque auctoritas morte Clementis IV. an. 1268. tertio Kalendas Decembris extincti, ipsa quoque exspirasset: licet in aliis tabulis Cœnobii Lacromensis anno 1270. confectis dicatur *legitimus Administrator*. Certe hujus tituli, hujusque administrationis confirmationem ab Sede Apostolica nunquam petiit Andreas. Quocirca ab eodem Gregorio X. de ipsa Administratione injussu Sedis Apostolicæ suscepta severe admonitum, & Romam citari jussum fuisse tradit Joseph Garampus ex tabulis Romanis, nec multo post eandem administrationem ab eo voluntaria cessione depositam esse; idque confirmant laudatæ litteræ Joannis XXI. in Salvio II. Archiepiscopo describendæ. Post hæc Andreas inter Venetos Canonicos Basilicæ Marcianæ adscriptus, paullo post Jaderensis etiam Archiepiscopus electus fuit, de quo vide, quæ scripta sunt in Tomo V. hujus Operis; & ad paginam quidem 610. nota, testimonium de Patavino Andreæ Canonicatu pag. 84. allatum retinendum esse; quam dignitatem vel retinuit semper, vel recepit; cum in tabulis anni 1288. 8 mensis Novembris ex archivo Capitulari Ecclesiæ Patavinæ nominetur *Canonicus Paduanus*.

Andreas Administrationem Ragusiensis Ecclesiæ dimisit.

LUCAS ARCHIEP. RAGUSINUS XXIV.

Suspensus quidem animo dubitavi aliquanto, huncne inter Ragusinos Antistites adnumerarem, an Electus tantummodo foret appellandus. Dubium movit Epistola Joannis XXI. ad Salvium Lucæ successorem, in qua, cum de Aleardi Antistitis Ragusini translatione ad Archiepiscopatum Arborensem, & irrita Andreæ Gausoni electione meminisset, *de ordinatione ipsius Ecclesiæ Ragusinæ taliter pastore carentis* sollicite se hactenus scribit cogitasse. Cur vero Lucas a Pontifice prætermissus? Hunc & patria Urbinatem, & Ragusinum Archiepiscopum tradunt Razzius, & Luccarus; sed Archiepiscopalia initia cum referant in annum 1277. erroris arguuntur; etenim anno 1276. Salvium II. Ecclesiæ Ragusinæ præfecerat idem Pontifex Joannes. Sebastianus Dolci Archiepiscopatum Lucæ retraxit ad annum 1177., & eumdem esse putat, quem tabulæ Lacromenses anno 1197. confectæ *Gausonum* appellant, & nomen ei quidem *Lucæ*, cognomen vero *Gausono*, patriam *Urbinum* fuisse per conjecturam existimat; neque ullum allum locum in tota serie Antistitum Ragusiensium se reperisse ait, cui *Lucam Urbinatem* adnecteret. Verum enim vero post Andreæ administrationem, & ante Salvii II. Archiepiscopatum aliquem huic Ecclesiæ Antistitem præfuisse intelligimus ex Catalogo Antistitum omnium, ad quos Gregorius X. litteras misit, ut Lugdunensi Concilio interessent. Extat Catalogus in Labbeana Conciliorum Collectione; atque in eo legimus;

In Sclavonia
Ragusino & Antibarensi *Archiepiscopis*

Inde fit perspicuum, Ecclesiam Ragusinam suo Archiepiscopo non caruisse; ad eas enim Ecclesias, quæ Episcopis viduæ erant, missæ fuerunt litteræ Pontificiæ Canonicorum Collegiis inscriptæ; qui vero Antistites solummodo erant *Electi*, hoc titulo in iisdem litteris distinguuntur. Et nihil propterea obstare video, cur Ragusinus hic Archiepiscopus fuerit Lucas, quem Pontifex ad Concilium Lugdunense invitavit. Igitur Gregorius, postquam anno 1272. Romæ Pontificiam consecrationem adeptus est VI. Kalend. Apriles, ut docet Pagius in Breviario, causam instituit de Andrea Ragusini Archiepiscopatus Administratore; cui, cum hoc munere *per quendam procuratorem in manibus* Gregorii se abdicasset sub exitum anni ejusdem, illico suffectus fuit a Pontifice, & Archiepiscopus renunciatus idem Lucas, ad quem litteræ de indicto Lugdunensi Concilio datæ fuerunt Idibus Aprilis anni 1273. At is quamdiu Ecclesiam suam gubernaverit, nulla certa auctoritate comperio. Hinc ut causam aliquam conjiciam, cur in litteris Joannis XXI. ejus Archiepiscopatus silentio fuerit prætermissus, mihi est valde verisimile, Lucam, vix adita quidem sua Ecclesia, e vita migrasse, eoque in Æde S. Francisci sepulto, ut perhibet Razzius, Interregnum Archiepiscopale adhuc triennio circiter tenuisse.

Lucas Archiep. anno 1273.

SALVIUS II. ARCHIEP. RAGUSINUS XXV.

Salvius II. Archiep. an. 1276.

Patria Ragusinus, aut certe ex illius urbis agro, aut ditione, ut Joannis XXI. litteræ paullo inferius exscribendæ testantur, quibus Pontifex Salvii fervidam charitatem laudat circa prosperum statum illius regionis, unde originem duxit. Hunc Seraphinus Razzius, & Jacobus Luccarus prætereunt, sed Joannes Gundula, & Sebastianus Dolci Gausono proxime subjiciunt anno 1276. & ab Joanne XXI. Archiepiscopum Ragusinis datum affirmant. Verum Gundula in hoc erravit, quod hunc Lucæ Urbinati præposuit, quem hinc Sebastianus Dolci excusit, & turpissimi anachronismi Luccarum arguit, quod Salvii Romani Archiepiscopatum ad annum 1177. revocavit. Sed nihil obstat, quominus duo ejusdem nominis & patriæ Archiepiscopi, alter decimo secundo, alter decimo tertio sæculo huic Metropoli præfuerint. Utrumque retinendum censeo: nam Razzius, & Gundula utrumque habent, ac Tribunio Michaeli, qui anno 1153. ad regendam Ecclesiam Ragusinam accessit, Salvium Romanum suffectum fuisse anno 1177. vel 1180. summo cum Luccaro consensu tradunt; quorum auctoritas tanti mihi est, ut fidem illis derogare non audeam; & Gundula utrum-

Digitized by Google

utrumque Salvium, & quidem Romanum commemorat, alterum decimi secundi, alterum decimi tertii sæculi Archiepiscopum. De Archiepiscopatu Salvii II. nullum dubitandi locum relinquunt diplomata Joannis XXI. Nicolai III. & Martini IV. quæ infra describenda erunt; idem confirmant tabulæ Lacromenses horum temporum, in quibus semel atque iterum Salvium, sive Slavium nominari Sebastianus Dolci testis locupletissimus tradit. Erat Episcopus Tribunensis, quem anno 1245. Venetiis Joannes Venetus Archiepiscopus Ragusinus consecravit, ut docent apud Sebastianum Dolci monumenta Ecclesiæ Tribunensis. Hic cum Metropolitam Ragusinum, neglecto Antibarensi, agnosceret, coleretque, neque ullis seu promissis seu minis Regis Rasciæ abduci posset a fide & obedientia, quam legitimo suo Metropolitæ præstare debebat, coactus est exsulare, & Ragusium se recipere, ut Joannes Gundula scripsit. Tunc Regnum Rasciæ sive Serbliæ obtinebat vel Neemanes II. cognominatus Crapalus, vel ejus filius Stephanus, cujus imperio suberat Tribunia. Hic Provinciam ditionemque Archiepiscopi Antibarensis Metropolitæ Serblorum amplificare cupiens, ut Episcopos Ragusinæ Provinciæ ad eam adjungeret, omni studio operaque enitebatur; si qui autem pro potestate imperanti obsequi nollent, eos ex urbibus Serblianis expellebat. Dum igitur Salvius Ragusii exsulabat, eique ad suam Ecclesiam reditum auctoritas regia intercludebat, illum Joannes XXI., quamvis utilem fuisse & esse posse Ecclesiæ Tribunensi non ignoraret, cum utiliorem tamen fore existimaret Metropoli Ragusinæ, huic Archiepiscopum præfecit. Extant quinque epistolæ Joannis XXI. ad Salvium ipsum, ad Capitulum, ad Clerum, ad Comitem & Commune, ad Episcopos Provinciales Civitatis, Diœcesis, & Metropolis Ragusinæ.

Ejus acta ante Archiepiscopatum.

Litteræ Joannis PP. XXI.

Johannes Episcopus Servus Servorum Dei Venerr. Fratri Salvio Archiep. Ragusin. Salutem & Apostolicam benedictionem.

In supremæ specula dignitatis quamquam immeriti disponente Domino constituti circa generalem curam ecclesiarum omnium juxta pastoralis officii debitum sollicita diligentia & diligenti sollicitudine vigilamus; sed ad illas potissime quæ viduitatis deplorant incommoda tanto attentius nostræ considerationis retorquemus intuitum tantoque studiosius ut eis pastores præficiamur ydonei opportunos labores quantum nobis permittitur ex alto incessanter impendimus, quanto intuemur manifestius quod ex talium administratione pastorum fructus uberes spiritualiter & temporaliter eisdem possunt Ecclesiis provenire; ad quarum procuranda commoda promptis ac totis desideriis aspiramus. Felicis siquidem recordationis Clemente Papa prædecessore nostro Ven. Fratrem nostrum Aleardum professorem ordinis Minorum Arboren. tunc Ragusin. Archiepiscopum ad Arboren. Ecclesiam transferente, ac propter hoc Ragusin. Ecclesia remanente destituta pastore, Capitulum seu Canonici Ragusin. Andream Gausonem de Venetiis, Canonicum Paduanum de facto in Ragusin. Archiepiscopum elegerunt, qui ad eandem Ragusin. Ecclesiam accedens personaliter nulla licentia habita vel confirmatione obtenta a Sede Apost. in Spiritualibus & temporalibus impudenter administravit ibidem. Et tandem ex parte piæ memoriæ Gregorii PP. X. prædecessoris nostri citatus legitime in præfixo sibi termino peremptorio personaliter coram eo comparere postposuit, sed quemd. procuratorem ad ipsius prædecessoris nostri Gregorii præsentiam destinavit, qui electioni hujusmodi & omni juri quod eidem Can. competebat ex ea, nomine ipsius Canonici, a quo super hoc speciale mandatum habebat, sponte, & expresse renunciavit in manibus Prædecessoris ejusdem. Unde licet ministerium tuum Tribunien. Ecclesiæ, cui sicut accepimus laudabiliter præfuisti, utile valde foret; Nos tamen de ordinatione ipsius Ecclesiæ Ragusin. taliter pastore carentis sollicite cogitantes, ac talem illi præesse pontificem affectantes, quem laudabilia sua merita redimerent, cujusve non esset dubia caritas erga plebem suæ sollicitudini commendandam, in te tunc Tribunien. Episc. cui vitæ honestas, commendabilis conversatio & sufficiens litterarum scientia suffragantur, quique spiritualium providentiam & circumspectionem temporalium obtines, nec non fervidam caritatem geris circa prosperum statum illius regionis unde originem produxisti, oculos direximus mentis nostræ. Quapropter tam eidem Ecclesiæ Ragusin. cujus in hoc utilitatem evidentem specialiter attendimus, quam gregi Dominico paterna intendentes diligentia providere, teque a vinculo quo tenebaris astrictus eidem Tribunien. Ecclesiæ de fratrum nostrorum consilio absolventes ac de persona tua eidem Ragusin. Ecclesiæ providentes, te ad ipsam transferimus de Apost. plenitudine potestatis, transeundi ad sæpedictam Ragusin. Ecclesiam tibi liberam licentiam concedentes, palleo videlicet quod est insigne pontificalis officii, tibi nichilominus assignato, firma ducti fiducia quod tu, qui in commisso tibi episcopatus officio hactenus fideliter & utiliter diceris ministrasse, de talento tibi credito præstante Domino talenta referas potiora. Rogamus itaque fraternitatem tuam & hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus ad præfatam Ecclesiam Ragusinam cujus plenam administrationem in spiritualibus & temporalibus tibi committimus, cum plenitudine nostræ benedictionis accedens erga illius curam & regimen sic te fructuosum reddas & sollicitum, quod tua fama clareat per effectum & in delectationem nobis veniat te speciali benevolentia prosequi, tuisque votis congruis favorem propitium impertiri.

Dat. Viterbii Nonis Decembris Pontificatus nostri an. primo. 1276.

In eumdem modum Capitulo & Clero Ecclesiæ Ragusinæ.

In supreme &c. verbis congruenter mutatis usque *potiora. Rogamus itaque universitatem vestram & hortamur attente per apostolica vobis scripta firmiter præcipiendo mandantes, quatenus dictum Archiepiscopum, cui plenam administrationem ipsius Ecclesiæ Ragusin. in spiritualibus & temporalibus duximus committendam, cum ad vos perveneris admittentes ylariter & devote, sibi tanquam patri & pastori animarum vestrarum impendatis obedientiam & reverentiam debitam, ejusque salubribus mandatis efficaciter intendatis; ita quod ipse letetur in vobis devotionis invenisse filios & vos in eo per consequens patrem habere benevolum gaudeatis: alioquin sententiam quam ipse tuleris in rebelles faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiter observari. Dat.* ut supra.

In eundem modum Comiti & Communi Civitatis Ragusinæ.

In Supremæ &c. uſque *animarum veſtrarum honorificentiam debitam impendatis, ejuſque ſalubribus &c.* uſque *gaudeatis. Dat.* ut ſupra.

In eumdem modum Suffraganeis Eccleſiæ Raguſinæ.

In ſupremæ &c. uſque *devote, ſibi tanquam Metropolitano veſtro impendatis obedientiam &c.* uſque *intendatis; Ita quod mutuæ Caritatis ſtudio vobis, & ei materia libere proſperandi proveniat, & tandem pacis æternæ ſolatium largiente Domino cumuletur. Alioquin. Sententiam &c. Dat. Viterbii 3. Nonas Decembris &c. an. primo.*

Salvii obitus, & ſepulcralis inſcriptio.

Annos fere tres Salvius hanc Metropolim, & Provinciam adminiſtravit; quam anno circiter 1279. extinctus viduam ſucceſſori reliquit. Apud Seraphinum Razzium extat elogium Salvio, in Æde Cathedrali tumulato, inſcriptum, quod ipſe quidem ad Salvium ſuperioris ſæculi Archiepiſcopum refert; utri autem, ſeniorine, an juniori Salvio attribui oporteat, merito dubitari poteſt. Eſt autem his verſiculis expreſſum.

Salvius Antiſtes bujus digniſſimus Urbis
Pontificum Sydus, Speculum ſine crimine turbis,
Moribus & vita Sanctus, jacet hic tumulatus.
Spiritus aſtra tenet, cum Chriſto glorificatus.

Tres Raguſini Archiepiſcopi unus poſt alium electi.

Poſt Salvium tres Archiepiſcopos electos & nominatos invenio, & quidem omnes e ſodalitate Fratrum Minorum S. Franciſci, quorum nemo, alius alia de cauſſa, in Sedem Archiepiſcopalem conſcendit. Primus fuit F. Marcus de Venetiis, in quem ſuffragia totius Capituli convenerant; ſed antequam approbatio Sedis Apoſtolicæ ad ejus electionem confirmandam accederet, mors illum Eccleſiæ Raguſienſi præripuit. Iterum novo creando Præſuli indicta ſunt Comitia, ad quæ cum Canonici frequentes coiſſent, veriti, ne, quæ apparebat ſtudiorum ac voluntatum varietas, alio atque alio ſuffragia diſtraheret, & quæ ad unum ex duobus vel tribus competitoribus eligendum neceſſaria erant, nemini ſuppetere poſſe viderentur, de communi ſententia jus & arbitrium creandi Archiepiſcopi ad Nicolaum III. detulerunt, litteraſque ad eum ſupplices Rector & Senatus Civitatis una cum Capitulo miſerunt, ut quem maxime idoneum judicaret, ſibi ſuæque Eccleſiæ Antiſtitem præficeret. Eorum poſtulatis Pontifex benigne annuit, & F. Philippum Mantuanum de Bonacorſo, Sacræ Theologiæ Magiſtrum, tum eruditione, tum probitate conſpicuum, qui tunc munere Inquiſitoris contra hæreticam pravitatem fungebatur in Marchia Tarviſina, Raguſinis Archiepiſcopum dedit. Extat Epiſtola Nicolai, *Dilecto Filio Fratri Philippo Electo Raguſino* inſcripta.

Litteræ Nicolai III. P. ad Philippum Electum Raguſinum.

Militanti Eccleſiæ &c. & quamquam aſſidue circa ſingularum commoda vigilemus, tamen erga illas, quæ deplorant viduitatis incommoda, propenſiori cura, & majori propulſamur inſtantia, ut eis præficiamus viros ſecundum cor noſtrum idoneos in paſtores. Dudum ſiquidem Raguſina Eccleſia per mortem bonæ memoriæ Salvii Raguſini Archiepiſcopi paſtoris ſolatio deſtituta, Canonici ejuſdem Eccleſiæ quemdam F. Marcum de Venetiis Ordinis Minorum in Archiepiſcopum Raguſinum, ut dicitur, elegerunt, ſed eodem Fratre Marco antequam eſſet ejus electio confirmata, naturæ debitum perſolvente, prædicti Canonici ad tractandum de futuri ſubſtitutione paſtoris inſimul convenerunt, & dubitantes ne ſi ad electionem procederent, & non poſſent omnes pariter in unam concordare perſonam, exinde oriretur inter ipſos diſſenſionis materia, per quam eis & ipſi Eccleſiæ diſpendia imminerent, deliberaverunt communi conſenſu & unanimi voluntate, ut nobis humiles preces porrigerent, quod dignaremur eidem Eccleſiæ auctoritate Apoſtolica de Paſtore idoneo providere, ac ſuper hoc conſequenter tam ipſi, quam dilecti filii nobilis vir Comes, Conſilium, Commune Civitatis Raguſinæ nobis ſuas ſupplicatorias litteras per certum eorum nuncium deſtinarunt. Nos igitur dictorum Canonicorum votis volentes favorabiliter annuere in hac parte, de ipſius Eccleſiæ ordinatione celeri, ne prolixioris vacationis expoſita maneret incommodis, attente duximus cogitandum, & poſt vigilem, quam ad ponendam ibidem approbatam idoneamque perſonam appoſuimus diligentiam, in te præfati ordinis profeſſorem, tunc executioni officii Inquiſitionis contra hæreticos in Marchia Tarviſina commiſſi tibi a Sede Apoſtolica inſiſtentem, quem Nobis & Fratribus noſtris de litterarum ſcientia, morum maturitate, prudentia, ſpiritualium & temporalium providentia, fide dignorum teſtimonia commendarunt, direximus oculos noſtræ mentis. Quapropter &c. te ipſi Eccleſiæ præficimus in Archiepiſcopum & paſtorem &c. Datum Romæ apud S. Petrum 5. Id. Decembris anno 2.

Philippus reſcripſit ad Pontificem orans, obſecranſque, ut Archiepiſcopatu nobiliſſimæ Eccleſiæ, & ſuo tam honorifico judicio decoraret alium digniorem, ſe tanto honore indignum, & tanto oneri ferendo non eſſe; ac demum ita concluſit epiſtolam, ut omiſſis ambagibus præciſe negaret, niſi pro poteſtate cogatur, ſe id muneris oneriſve ſubiturum; juſque omne per Pontificiam electionem acquiſitum dimiſit. Hujus exemplo F. Lucas de Padua ejuſdem familiæ Franciſcanæ delata ſibi ab eodem Pontifice gubernacula Raguſienſis Eccleſiæ recipere conſtantiſſime recuſavit. Erant quippe hujus ſanctiſſimi Ordinis viri in ſtudio religioſæ humilitatis ita defixi, & ab honorum inſignibus admittendis uſque adeo abhorrentes, ut, niſi pro imperio juberentur, ſpecioſos titulos, ac dignitates eccleſiaſticas, a ſpiritu demiſſionis & paupertatis Seraphicæ alienas, omni contentione defugerent; præſertim cum illis temporibus ad Eccleſias regendas Clerus populuſque Franciſcanos homines propter eximiam illorum doctrinam & ſanctitatem paſſim expeterent; ex quo illud etiam incommodi ſequebatur, ut familia Fratrum Minorum ſummos viros, ac ſumma ſapientia & virtute præditos, ipſaque Ordinis lumina amitterent; & præterea plurimum ſpiritalis detrimenti capere poſſe videbatur: nam quo divino inſtinctu, quove ſpiritu inſtituta & conflata erat, eodem alendam & conſervandam eſſe ajebant, non amplitudinis & ſplendoris nimirum, ſed humilitatis & parſimoniæ ſtudio. Adde quod, ſi Fratribus aditus ad honores, opes, graduſque eccleſiaſticos obvius eſſet, ac frequens, periculum fore videbatur, ne multi fortaſſe, ut ſunt hominum ingenia, magnitudine laborum, ac diſciplinæ auſteritate defatigati ad eos aſpirarent, & blanda ambitione perciti viam ſibi ad eoſdem, quibuſcumque poſſent, bonis maliſve artibus munirent. Hæc cum Primores Patrum ſapientiſſime providerent, hujuſmodi incommoda ut averterent, ab Alexandro IV. Pontifice diploma impetraverant, quo cavebatur, nequis ex Ordine Fratrum Minorum,

Franciſcani Inſtituti laus.

Digitized by Google

rum, si forte in Episcopum eligatur, assensum electioni suæ præbeat, nisi Ministro Generali, aut Præside Provinciali approbante, & potestatem suscipiendi Episcopatus impertiente, vel ipso Romano Pontifice imperante. Id præterea caussæ fuisse potuit, ut duo illi Fratres Franciscani Philippus & Lucas munus Archiepiscopale Ragusinum detrectarent, quod graves & molestas contentiones sibi suscipiendas esse prospicerent cum Regibus Rascianis, qui Episcopos Serblianos Provinciæ Ragusienſi adimere, & vi etiam, non auctoritate solum interposita Metropolitæ Antibarensi subjicere conabantur. Cum ergo neuter summum Ecclesiæ Ragusinæ Sacerdotium sibi collatum suscipere voluisset, Nicolaus Pontifex jus nominandi Archiepiscopi Ragusini sibi ultro traditum retinuit, ac Sedi Apostolicæ reservavit: sed dum nominationem ex die in diem differt, morte præreptus anno 1280. eam cogitationem curamque successori reliquit. Hic fuit Martinus IV. aliis II. qui anno proximo Pontificatum adeptus, nihil habuit antiquius, quam ut Ragusienſis Ecclesiæ viduitati consuleret, ne diutino Pastoris solatio ac præsidio destituta graviora in dies detrimenta caperet. Quartum ex eadem Franciscana disciplina Archiepiscopum designavit F. Bonaventuram de Parma anno 1281, cujus singularem sapientiam, eximiamque virtutem ex idoneis testibus compertam atque cognitam habebat. Ne vero hæc quoque designatio Pontificia frustrata esset, voluntati Pontificis Bonaventura morem gereret necesse fuit; nam ipsemet Philippus, qui titulum, munusque Episcopale recusaverat, postea imperanti pro potestate Vicario Christi resistere non potuit, quominus Tridentinæ Mitræ vel invitus caput supponeret. Hæc est autem epistola Martini IV. ad Bonaventuram ex Tomo 3. Bullarii Franciscani pag. 477.

F. Bonaventura de Parma Archiep. Ragusinus eligitur.

Martinus &c. Dilecto filio Fratri Bonaventuræ de Parma Electo Ragusino Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Ad quem litteræ Martini IV. P.

Militanti Ecclesiæ &c. Sane vacante dudum Ecclesia Ragusina per obitum bonæ memoriæ Salvii Archiepiscopi Ragusini; Canonici ejusdem Ecclesiæ quendam Fratrem Marcum de Venetiis Ordinis Fratrum Minorum in Ragusinum Archiepiscopum, ut dicitur, elegerunt; sed, eodem Fratre Marco, antequam esset ejus electio confirmata, naturæ debitum persolvente, prædicti Canonici ad tractandum de futuri substitutione Pastoris insimul convenerunt; & dubitantes, ne, si ad electionem procederent, & si non possent omnes pariter in unam concordare personam, exinde oriretur inter ipsos dissensionis materia, per quam eis, & ipsi Ecclesiæ dispendia imminerent; deliberaverunt communi consensu, & unanimi voluntate fel. record. Nicolao Papæ prædecessori Nostro humiles preces porrigere, ut dignaretur eidem Ecclesiæ Apostolica auctoritate de Pastore idoneo providere; ac super hoc subsequenter tam ipsi, quam dilecti Filii Nobiles viri Comes, & Consilium, & Commune Ragusin. eidem prædecessori suas supplicatorias litteras per certum Nuncium destinarunt, sicque dictus prædecessor dictorum Canonicorum votis favorabiliter annuens de dilecto Filio Fr. Philippo de Mantua ipsius Ordinis Inquisitore hæreticæ pravitatis in Marchia Tarvisina de Fratrum suorum consilio Ecclesiæ præfatæ providit; sed dictus Fr. Philippus provisionem hujusmodi non acceptans unne jus, si quod sibi ex provisione competebat eadem, libere resignavit; & dictus prædecessor hujusmodi resignationem admittens de dilecto Filio Fratre Luca de Padua ejusdem Ordinis Ecclesiæ memoratæ de simili consilio iterato providit. Quo quidem Fratre Luca provisionem de ipso factam minime acceptante, ac omne jus, si quod sibi ex provisione simili competebat, similiter resignante, dictus prædecessor provisionem Ecclesiæ memoratæ illa vice dispositioni Apostolicæ reservavit. Nos autem Ecclesiæ præfatæ, quæ diutina vacationis incommoda deploravit, paterno compatientes affectu, ac Canonicorum, & aliorum prædictorum vota ex præteritis contemplantes; illa prosequendo benignius de ipsius Ecclesiæ ordinatione celeri, ne prolixioris vacationis exposita remaneret incommodis, diligentius cogitantes ad personam tuam, quam Nobis, & Fratribus Nostris de litterarum scientia, honestate morum, providentia spiritualium, & circumspectione temporalium fide dignorum testimonia commendarunt, direximus oculos nostræ mentis; teque dicti Ordinis professorem licet absentem de ipsorum Fratrum consilio nostrorum, supradictæ Ecclesiæ in Archiepiscopum præficimus, & Pastorem, administrationem ipsius Ecclesiæ spiritualiter & temporaliter tibi plenarie committendo, firma spe, fiduciaque concepta, quod eadem Ecclesia per diligentiam, & industriam tuam, cum habearis bonitate conspicuus, Religionis honestate præclarus & sollicitudine circumspectus, ac in magnis & arduis comprobatus, laudabilia in spiritualibus, ac temporalibus suscipiet incrementa. Reverenter itaque suscipe jugum Domini, & suavi ejus oneri humiliter colla flecte; manumque mittens ad fortia ipsius administrationem Ecclesiæ prudenter exequi studeas, & gregis tibi commissi custodiam prosequi diligenter, solerter, & constanter, oppositurus te murum pro Domo Domini ascendentibus ex adverso, ut laudabili de ipso reddita in die districti examinis ratione regnum Patris æterni ab origine Mundi præparatum electis accipias; in dilecta Domini Tabernacula lucrabundus introeas; & eundem tibi commissum gregem ad uberioris meriti retributionis commodum introducas. Datum apud Urbemveterem X. Kalendas Januarii, Pontificatus Nostri anno primo.

Idem Pontifex de Bonaventura ab se constituto Archiepiscopo Ragusinæ Metropolis Comitem quoque, sive Rectorem Ragusii admonuit, eique & illum, & Ecclesiam Ragusinam commendavit.

F. BONAVENTURA ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS XXVI.

Inter Salvium & Bonaventuram Seraphinus Razzius, Jacobus Luccarus, Joannes Gundula Christophorum Mediolanensem interjiciunt; sed hinc litteræ utriusque Pontificis Nicolai & Martini illum excludunt: nam post Salvium tres tantummodo electos Archiepiscopos nominant, Marcum, Philippum, & Lucam, neque ullum alium ante Bonaventuram, cui vel desponsa, vel decreta fuerit Ecclesia Ragusina, vel ejus possessio tradita. Christophorum Mediolanensem, siquis fuit, Bonaventuræ subjiciendum censeo. Bonaventura natus Parmæ, & Ordini Franciscano adscriptus, e patria cognominatus est *de Parma*, quem Franciscus Bordonus in suo Thesauro S. Ecclesiæ Parmensis *Religiosum primi Ordinis S. Francisci* fuisse affirmat, ubi insi-

Digitized by Google

insigni rerum divinarum & sacrarum litterarum scientia excelluit. Annus ejus primus Archiepiscopalis optime congruit cum anno primo Martini IV. Papæ, qui ad summum Sacerdotium evectus est VIII. Kal. Mart. anno 1281. & intra finem ejusdem anni X. Kal. Januarii Ecclesiam Ragusinam Bonaventuræ decrevit, quam anno proximo ineunte 1282. post acceptas litteras pontificias conscendit. Erraruntigitur Razzius, Luccarus, Gundula; cum ejus initia pontificalia detulerint in annum 1289. Bonaventura cum Ragusium venisset, reperit non pauca de bonis & proventibus mensæ Archiepiscopalis detracta esse; nec vero post diligentem inquisitionem adhibitam, a quibus vel dolose surrepta essent, vel malitiose detinerentur, invenire potuerat; idque per suas litteras Martino Pontifici significavit, & Sedis Apostolicæ auctoritatem ad ea recuperanda imploravit. Pontifex Cœnobiarchæ Monasterii Lacromensis mandatum dedit, ut per se vel per alium in ædibus sacris coram populo nomine Pontificis denunciaret, ut quicumque vel Ecclesiæ restitueret, quæ abstulissent, vel eos proderet, a quibus bona ecclesiastica occulte detineri non ignoraret, nisi intra tempus definitum parverint, tum sacrilegos raptores, tum eos, qui nomina illorum manifestare nollent, generali anathemate confixos sacrorum omnium communione multaret. Epistola Pontificia hujusmodi est.

& suam Ecclesiam adit anno 1282.

Litteræ Pontificiæ de bonis Archiepiscopatus Ragusini.

Martinus Episcopus Serv. Servorum Dei dilecto Filio . . . . Abbati Monasterii Lacromensis Ragusinæ Diœcesis Sal. & Apost. Bened. Sua nobis Ven. Frater noster Frater Bonaventura Archiepiscopus Ragusinus petitione monstravit, quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorsus ignorat, Decimas, Terras, Possessiones, Census, Redditus, Domos, Legata, Piscarias, & quædam alia bona ad Archiepiscopalem Sedem suam Ragusin. spectantia temere, & malitiose occultare, ac occulte detinere præsumunt, non curantes ea dicto Archiepiscopo exhibere in animarum suarum periculum, & ipsius Archiepiscopi non modicum detrimentum. Super quo idem Archiepiscopus Apostolicæ Sedis remedium imploravit. Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus omnes retentores occultos decimarum, possessionum, & aliorum prædictorum ex parte nostra publice in Ecclesiis coram populo per te vel alium moneas, ut infra terminum competentem, quem eis præfixeris, ea dicto Archiepiscopo a se debita restituant, & revelent, & de ipsis plenam ac debitam ei satisfactionem impendant. Et si id non impleverint, infra alium terminum competentem, quem eis ad hoc peremptorie duxeris præfigendum, ex tunc in eos generalem Excommunicationis sententiam proferas, & etiam ubi, & quanto expedire videris, facias usque ad satisfactionem condignam solemniter publicari. Datum apud Urbem Veterem Nonis Martii Pontificatus nostri anno primo.

Annus primus Martini Pontificis, ideſt annus 1281. per errorem huic Epistolæ adscriptus est, & dies septimus Martii, cum Martinus nondum Ecclesiam Ragusinam Bonaventuræ decrevisset, ut constat ex utraque ejusdem Pontificis epistola tum ad Bonaventuram, tum ad Comitem Ragusii data X. Kal. Junii anno primo, ideſt 1281. Itaque retinendus est annus secundus Martini, æræ vulgaris 1282.

Causa Joannis Prodanelli Subdiaconi.

Joannes Prodanello Subdiaconus nescio quid sive in Archiepiscopum, sive in leges ecclesiasticas peccaverat, non levi punitione dignum. Archiepiscopus ut sibi & Ecclesiæ satisfaceret, ei centum yperperorum multam irrogavit, eidemque ad solvendum diem edixit, anathematis pœna proposita, nisi ad diem dictam imperata faceret. Sed quoniam illi præsens deerat pecunia, jussus est pro quinquaginta yperperis pignora ejusdem valoris tradere, pro ceteris fidejussores dare. Adfuit Joannes die præstituta coram Archiepiscopo, & Collegio Canonicorum, qui in aulam Archiepiscopalem convenerant, delicti veniam petiit, & sibi suæque causæ diffisus totum se in clementiam & misericordiam Archiepiscopi permisit, rogavitque, ut judiciali severitate, & formula posthabita jure ne secum ageret, ceterum quidquid vellet, juberet, ac decerneret, nihil se recusare, nihil deprecari. Valuit apud Archiepiscopum Joannis submissio, & humilis precatio; illum tamen jurejurando adegit tum parendi mandatis Ecclesiæ & Archiepiscopi, tum huic satisfaciendi proximo die Sabbati, imperatis pignoribus traditis, & idoneis fidejussoribus interpositis pro multa pecuniaria indicta. Sed Joannes promissis non stetit, & sacramenti fidem violavit. Septem fere menses Joannes in sua contumacia perstiterat; cum eum Archiepiscopus in curiam Archiepiscopalem per præconem citari jussit ad suum tribunal, ut meritam pro suo perjurio & pertinacia sententiam, pœnamque reciperet, præsente Michaele Mauroceno Rectore Civitatis, & in frequentissimo conventu Virorum nobilium, Clericorum, & laicorum, qui in Palatium Archiepiscopale accersiti convenerant. Comparuit ille vultu demisso, & voce supplici rursus veniam oravit; quod fidem datam non præstiterit, id causæ fuisse ait, quod neque pignora, quæ imperata fuerant, habere, neque invenire potuerat, qui pro se fidejuberent. Omnibus, qui aderant, justa visa est excusatio, & habitus supplicis submissus, atque humilis misericordiam commovit. Omnes itaque una voce rogarunt Archiepiscopum, ut excusationem acciperet, & cum reo mitius ageret. Horum precibus ille annuit, & Joanni præcepit, ut jurejurando confirmaret, se non habere pignora, quæ pro quinquaginta yperperis tradere jussus fuerat, ac simul rogaret, ut sibi multa pecuniaria cum aliqua pœnitentia canonica commutaretur. Archiepiscopus quinquaginta yperperos ei quidem condonavit: sed pro reliquis quinquaginta vadem ac fidejussorem esse voluit, ac recepit Petrum de Scillo Canonicum Ragusinum; & Joannem de parendo mandatis Ecclesiæ, ac subeunda pœna canonica, quæ illi indicenda esset, juratum dimisit. Hæc *Jacobus de Carletis Archiepiscopi juratus Officialis, & Imperialis aulæ publica auctoritate Notarius* publicis tabulis consignavit.

nello Subdiaconi.

& acta publica.

Anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo quarto 12. Indict. die 18. intrante Aprili Ven. Pater Dominus Frater Bonaventura Ordinis Minorum miseratione Divina Archiepiscopus Ragusin. in præsentia Capituli Ragusini congregati ad sonitum campanæ, ut moris est, in Sala Archiepiscopali præcepit Subdiacono Joanni de Prodanello pro primo, secundo, & tertio peremptorio & sub excommunicationis pœna, quam incurrat ipso facto contrarium faciendo, ut usque ad diem Jovis proxime venturum satisfaciat eidem Domino Archiepiscopo plenarie sine aliqua excu-

Digitized by Google

cuſatione de centum iperperis, ſicut in ſententia lata per eumdem plenarie continetur, currente anno, menſe, & Indictione prædictis, ſcilicet de pignoribus valentibus ad quantitatem quinquaginta iperperorum, & de aliis quinquaginta de fidejuſſoribus idoneis, alioquin contra eumdem procedetur ſua penitus inobedientia non obſtante. Actum fuit hoc in Archiepiſcopali Palatio, præſente Capitulo Raguſino, nec non Domino Archiepiſcopo pro tribunali ſedente.

Et Ego Antonius de Carletis Civis Parmenſis & prædicti Domini Archiepiſcopi juratus Officialis Imperialis Aulæ publicus auctoritate Notarius his omnibus interfui rogatus, & de mandato ejuſdem Domini ſcripſi & roboravi.

Anno Domini milleſimo & Indictione prædictis comparuit coram eodem Ven. Patre Domino Fratre Bonaventura miſeratione Divina Archiepiſcopo Raguſino Joannes de Prodanello in termino eidem aſſignato petens miſericordiam & veniam Domino ſupradicto, Raguſino Capitulo congregato ad ſonum campanæ, ut moris eſt, in Archiepiſcopali Palatio, volens ſupradictus Dominus Archiepiſcopus procedere contra eum, ſicut poſtulat ordo juris, ſupradictus Joannes diffidens de jure ſuo dixit, quod ponebat ſe in manibus Domini Archiepiſcopi antedicti, & quod ipſe faceret de eo alte & baſſe quidquid ſibi placeret, abſque juris ordine; & tunc in præſentia totius Capituli ſupradictus Dominus Archiepiſcopus recepit ab ipſo juramentum de parendo mandatis Eccleſiæ, & ipſe tactis Sanctis Evangeliis juravit parere, & obedire in omnibus & per omnia mandatis Eccleſiæ, & domini ſupradicti. Inſuper recepto ab ipſo juramento præcepit eidem Joanni ſub debito juramento pro primo, ſecundo, & tertio peremptorio, ut uſque ad diem Sabbathi proxime venturum per totam diem compareret coram eo, & ſatisfaciat eidem de centum iperperis, videlicet de quinquaginta in bonis pignoribus, & de aliis quinquaginta in fidejuſſoribus idoneis. Qui Subdiaconus Joannes ſpreto Domini Archiepiſcopi præcepto & proprio juramento in ſuæ animæ non modicum detrimentum in præfixo termino mandatis non obedivit, ſed potius renuit, & contempſit. Actum fuit hoc in Sala Archiepiſcopali præſente Capitulo ſupradicto.

Et ego Antonius de Carletis Civis Parmenſis & prædicti Domini Archiepiſcopi juratus Officialis Imperialis aulæ publicus auctoritate Notarius iis omnibus interfui rogatus, & de mandato ejuſdem Domini ſcripſi, & roboravi.

Anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo quarto XII. Indictione die Martis XVII. intrante Octobri in præſentia Nobilium Virorum Domini Michaelis Mauroceni nunc Comitis Raguſii, Domini Marini & Nicolai ſuorum Militum, Domini Antonii de Gaioppa Clerici, Vitalis Bodatii, Domini Clementis de Gangulo, Domini Urſacii de Gleda Canonicorum Raguſin. Domini Paſce Valcaſii, Domini Junii de Croſco, Domini Luccari de Fuſcho, Domini Grubeſſæ de Ranana, Urſacii de Corena, Palmæ de Binzolla, Laurentii de Mence, Marini de Peſagna, Zerzii Savini Bondi, Paſchali Marinelli, Nicole de Cortello, & aliorum multorum Clericorum, & laicorum in Sala Archiepiſcopali. Cum Ven. Pater Dominus Frater Bonaventura Miſeratione Divina Archiepiſcopus Raguſinus citari feciſſet pro primo, ſecundo, & tertio peremptorio per Presbyterum Paſcam Sacriſtam majoris Eccleſiæ Raguſin. Subdiaconum Joannem de Prodanello, ut compareret coram eo ad audiendam ſententiam, quam volebat ferre contra ipſum, tandem comparuit in præſentia ſupradictorum omnium, & antequam prædictus Dominus Archiepiſcopus procederet ad ſententiam, prædictus Joannes cæpit petere veniam & miſericordiam dicens, quod nulla ratione prædicto Domino dare poterat pignora quinquaginta iperperorum, in quibus condemnatus fuit per eumdem Dominum Archiepiſcopum, nec etiam fidejuſſores de aliis quinquaginta, in quibus per eumdem fuerat condemnatus. Tunc prædictus Dominus Archiepiſcopus inclinatus precibus Domini Comitis & aliorum Laicorum, & Clericorum, qui præſentes erant, obtulit eidem Joanni tale juramentum, videlicet quod ſi Dominus Joannes vellet jurare ad ſancta Dei Evangelia in præſentia omnium, qui aderant, quod nulla ratione habebat pignora prædicta, nec habere poterat, quod ipſe commutaret ſibi prædictam condemnationem quinquaginta iperperorum in aliam pœnitentiam condignam, quam oblationem juramenti acceptavit in præſentia omnium ſupradictorum Joannes ſupradictus, & ſtatim tactis ſacroſanctis Evangeliis juravit ad Sancta Dei Evangelia, quod nec habebat pignora memorata, nec aliqua ratione habere poterat. Tunc Dominus Archiepiſcopus recepit ab eo fidejuſſorem Dominum Petrum de Scillo Canonicum Raguſinum de quinquaquinta iperperis, & de aliis quinquaginta abſolvebat eum de ſuſcepto ab eo juramento de parendo mandatis dicti Domini Archiepiſcopi: inter alia præcepit ſibi ſub debito præſtiti juramenti, quod pœnitentiam, quam ſibi imponet loco prædictæ condemnationis quinquaginta iperperorum perficiet, & executioni mandabit, dummodo poſſibilia eidem præcipiat. Actum fuit hoc in Sala Archiepiſcopali præſentibus ſupradictis.

Et ego Antonius de Carletis Civis Parmenſis, & prædicti Domini Archiepiſcopi juratus Officialis Imperialis Aulæ publicus auctoritate Notarius his omnibus interfui rogatus, & de mandato ejuſdem Domini ſcripſi, & roboravi.

Anno 1284. Martinus IV. & inſequenti 1285. Honorius itidem IV. mandatum dedere Bonaventuræ Archiepiſcopo, ut Stagnenſi & Tribunienſi Eccleſiis præficiendos Antiſtites eligeret, eiſque munus conſecrationis impenderet; quippe de illius circumſpectione fiduciam in Domino ſpecialem gerebat Pontifex uterque. Ac Stagnenſi quidem Eccleſiæ Petrum præfecit Antiſtitem, Tribunienſi vero quemnam delegerit, incertum, ut in Tribunienſis Eccleſiæ hiſtoria declarandum erit, ubi Pontificiæ quoque ad Bonaventuram litteræ deſcribentur.

Ædes Priſcovienſes traditæ PP. Dominicanis.

Cum Cœnobium Dominicanum Raguſienſe omni genere virtutum, & ſanctiſſimis ac doctiſſimis viris floreret, e quorum præclaris exemplis & Apoſtolicis laboribus majora in dies incrementa pietas Chriſtiana capiebat, quo illorum religioſa induſtria latius pateret, præberetque fructus uberiores, Henzius de Bibanis vir apprime pius atque opulentus ſacellum quoddam Deiparæ Virgini, & domicilium in oppido Priſcovienſi ab ſe jampridem ædificatum, tum ſacra ſupellectili, ac Divorum reliquiis, tum optimis vectigalibus inſtructum eidem Cœnobio donavit, ut ibi aliquot ex Fratribus rebus divinis & incolarum ſaluti operam darent. Tabulæ donationis ſunt hujuſmodi.

Univerſis præſens ſcriptum inſpecturis Dominus

nus Heinz de Bibanis salutem in Domino sempiternam. Noverit universitas vestra, quod habito sano consilio Virorum utique discretorum, Capellam meam, quam in honorem Virginis gloriosæ jamdudum construxeram, Fratribus Prædicatoribus de Ragusio obtuli, dedi, donavi jure perpetuo possidendam, sane tamen quod dicti Fratres officiare jam nominatam Capellam continue teneantur, salvo hoc, si aliquo legitimo negotio ad modicum tempus fuissent præpediti. Insuper dono iisdem Fratribus omnes ejusdem Capellæ preciosas Reliquias, necnon & calicem argenteum, cum aliis vestimentis Sacerdotalibus, & Altaris cum reliquo ornamento. In cujus donationis testimonium & stabilimentum dictæ Capellæ duxi præsentibus apponendum.

Datum in Priscova, in qua ista est dicta Capella, in Dominica ante Festum S. Dionysii. Anno Domini MCCLXXXV.

Bonaventura Archiepiscopus oblati sacelli acceptandi potestatem facit. Dominus vero Episcopus Catharensis, in cujus ditione erat, donationem confirmavit, confecto in eam rem diplomate, quod in historia Ecclesiæ Catharensis descriptum est.

Collegium Ragusinum Virginum S. Claræ.

Seraphinus Razzius tradit, Collegium Virginum S. Claræ in urbe conditum fuisse, earumque curam commendatam Patribus Minoribus S. Francisci, qui confessiones exciperent, easque ad normam & præscriptum disciplinæ Franciscanæ instituerent, atque erudirent. Sed postea sub regimen ac potestatem Archiepiscopi, & sub tutelam Senatus transierunt.

Acta Bonaventuræ Archiepiscopi.

Anno 1286. erat Romæ Bonaventura, quo illum Ecclesiæ suæ negotia apud Sedem Apostolicam expedienda evocaverant, & diplomati Indulgentiarum subscripsit cum aliis Episcopis dato Monasterio & Ecclesiæ S. Mariæ de Burgo Patavinæ Diœcesis; anno vero insequenti cum duobus Archiepiscopis Raynaldo Messanensi, & Michaele Antibarensi, cum Episcopis vero duodecim, Orlando Episcopo Narniensi postulante, Indulgentias quadraginta dierum iis omnibus concessit, qui certis statutisque diebus Basilicam Narniensem S. Juvenalis Episcopi & Martyris caste pieque viserent, atque ad ejus cultum & ornatum aliquid subsidii conferrent. Tabulas hujusmodi Indulgentiarum, in quibus post Messanensem & Antibarensem nominatur Bonaventura Archiepiscopus Ragusiensis, Daniel Papebrochius Tomo primo mensis Maji inseruit ad diem tertium ejusdem mensis; confectæ autem sunt Romæ anno 1287. pridie Kal. Junii. Paullo post Venetiis versabatur Legatus Nicolai IV. Pontificis ad Rempublicam Venetam, cui gravissima dissidia cum Patriarcha Aquilejensi intercedebant; ut constat ex Raynaldo ad annum 1. Nicolai IV. cujus litteras innuit ad ipsum Bonaventuram, & ad Ducem Venetorum scriptas *Reate XV. Kal. Septembris an.* 1. ibique alias a Pontifice literas accepit, quibus jubebatur, Patavium se conferret, & Rectorem urbis ac Magistratus severe admoneret, ut leges quædam abrogarentur, quæ tum ecclesiasticam libertatem, tum Clericorum immunitatem gravissime lædebant; ni paruissent, in eos anathematis sententiam pronunciaret, ac promulgari juberet, ipsosque, & civitatem & Gymnasium omnibus privilegiis interdictos esse ab Apostolica Sede collatis; Magistri vero, ac discipuli advenæ ex urbe discederent. Hæc ex literis Nicolai, quas afferemus, quibuscum consentit Nicolaus Papadopoli in Hist. Gymnasii Patavini lib. 1. cap. 2. affirmans, Patavinos revera Pontificis interdicto mulctatos fuisse, docendi tamen munus in Gymnasio perstitisse; quod negat Thomassinus in historia ejusdem Gymnasii lib. 1. cap. 3. Jacobus Cavacius in lib. 3. hist. Cœnobii Patavini D. Justinæ rem ita narrat: *Etiam res ecclesiastica ea tempestate*, anno scilicet 1282. *fluctuavit. Senatus Patavinus plura adversus ipsius libertatem sanxit, quorum maximum fuit, quod siquis Clericum interficeret, uno tantum denario teneretur, quem Veneti Grossum appellant. De his Martinus IV. Pontifex certior factus jussit Raymundo Turriano Patriarchæ Aquilejensi, ut Senatui ac urbi Patavinæ sacris interdiceret. Pœna Ecclesiasticarum maxima quamvis Senatum coegerit, quamprimum impia decreta antiquare, tamen Pontifex in ultionem effusi late sanguinis distulit sacra urbi restituere. Tandem anno* 1289. *Nicolaus IV. Pontifex Patavinorum precibus evictus mandavit Bonaventuræ Archiepiscopo Ragusino, ut sublatas impias leges, atque debitas sacrilegis pœnas nuper a Patavinis decretas cognosceret, & urbem religione solveret. Ita demum universa pacata quievere.* Equidem de Martini Pontificis, & Raymundi Patriarchæ actis in Patavinam civitatem haud meminit epistola Nicolai ad Bonaventuram, quæ scripta cum sit Kal. Octobris anno primo Pontificatus, idest 1288. atque conqueratur Pontifex, eas leges in Clericos latas *crudelibus studiis observari*, inde cognoscimus, vel Raymundum minime ecclesiasticis pœnis Patavinos mulctasse, vel certe impia eorum decreta nondum ab iis abrogata fuisse. Hæ autem sunt Pontificis literæ ad Bonaventuram.

Litteræ Nicolai IV. PP. ad Bonaventuram.

Nicolaus Episcopus Serv. Servorum Dei Vener. Fratri Archiepiscopo Ragusino Sal. & Apostolicam Benedictionem. Movet animum mentemque sollicitat commissa Nobis a Domino super custodia gregis sui cura sollicitudinis generalis, ut de dilectorum filiorum Potestatis, Antianorum, Consiliariorum, & Communis Paduæ ac Civitatis ipsorum statu prosperis semper refovendo successibus, patris more benevole ac sedulo cogitantes, eos, quorum profectus salutares exquirimus, ab iis, per quæ Divina Majestas offenditur, sollicite revocemus, & ad laudabilium exercitium actorum, quibus gratia cælestis acquiritur, summopere inducamus. Ab olim siquidem dum Nos minor status haberet, audivimus, & postquam etiam Domino disponente, conscendimus gradum Apostolicæ Dignitatis, nostris est auribus inculcatum, quod in Civitate prædicta nonnulla Statuta, nedum iniqua, quinimo nefanda, & horrenda, quamplurium crudelibus studiis observata, quorum prætextu Clerus Civitatis, & Diœcesis Paduæ multimodis offensis impetitur, lacessitur injuriis, afficitur contumeliis & periculis exponitur diræ mortis, ipsa facti evidentia super hiis testimonium perhibente. Unde quia tantæ, tamque horribilis, & execrabilis abominationis Statuta nolumus, sicut nec debemus, urgente conscientia mentem, aliquatenus tolerare, cum Deo displiceant, turbent Ecclesiam, Ecclesiasticæ præjudicent Libertati, animorum & corporum dispendia generent, cedant in juris injuriam, & Fidelium animos scandalizent, prædictos Potestatem, Antianos, Consiliarios, & Commune per alias nostras sub certa forma litteras monemus, rogamus, hortamur, attente per Apostolica Scripta mandantes, & advertentes sollicite quod per nefandam eorum-

Digitized by Google

rumdem observantiam Statutorum, Potestatis, Antianorum, Consiliariorum, & Communis ac Civitatis prædictorum fama laudabilis quamplurimum denigratur, & grave, imo gravissimum salutis eorum profectibus ingeritur detrimentum, Statuta omnia Civitatis ejusdem publica, & secreta, ordinationes, scripturas, quacumque forma verborum scriptæ sunt, seu quocumque nomine censeantur, sive specialiter nominentur ab eis, sive cognominentur generali vocabulo Statutorum, quæ in quantum contra Libertatem Ecclesiæ & rerum ecclesiasticarum, & Personarum sunt, pro ut de facto procedunt, diximus irritando, & declaravimus nullius fore momenti, ac nullius prorsus existere firmitatis, sublato cujuslibet difficultatis obstaculo de Capitularibus, seu Statutariis eorumdem, aut quibuslibet libris, vel chartis infra quindecim dies a receptione prædictarum Litterarum Nostrarum directarum eisdem computandos, ubicumque sunt scripta, curent penitus abolere, illa vel similia nullo unquam tempore resumpturi, vel etiam servaturi, ac nihilominus super his per synodum tuam ad hoc specialiter constitutam coram te præstent publice juramentum in Mandatis nostris in hoc efficaciter parituri, ut devotionis suæ sinceritas dignæ commendationis titulum mereatur. Quocirca Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad Civitatem prædictam te personaliter conferens, Potestatem, Antianos, Consiliarios & Commune præfatos ex parte nostra moveas, & inducas, ut infra prædictum terminum hujusmodi monitis, precibus, exhortationibus, & mandatis nostris humiliter, & efficaciter obedire procurent, alioquin ex tunc in Potestatem, Antianos, Consiliarios prædictos, & Officiales eorum, & alios quoslibet, per quos Civitas regitur supradicta, Excommunicationis sententiam promulgare, dictumque Potestatem, & eos etiam prorsus inhabiles reddere ad Dignitates sæculares, & Officia quælibet, & honores. Et insuper Potestatem, Antianos, Consiliarios, & Commune prædictos generaliter, & specialiter feudis omnibus, quæ a quibuscumque Ecclesiis & Monasteriis ac Personis Ecclesiasticis sæcularibus, vel Religiosis tenent communiter, vel divisim, Civitatem quoque prædictam Studii dignitate, Privilegiis, & Indulgentiis omnibus eis & eidem Civitati super Studio ipso ab Apostolica Sede concessis, nec non Potestaria, Capitaneatu, honore, ac dignitate qualibet sæculari, ita quod nullus in ipsius Civitatis Potestatem, Capitaneum, seu Rectorem, aut Consulem, vel Officialem aliquem possit eligi, vel assumi, sive ad aliquod in eo officium exercendum, & si quis aliquid ex eis recipere forsasse præsumpserit, eo ipso sententiam Excommunicationis incurrat, nec possit ulterius ad alterius Civitatis, vel Loci Regimen assumi, privare omnino auctoritate Nostra procures. Universos quoque Magistros, & Scolares alienigenas de Civitate prædicta prorsus expellere non postpones, ita quod ad eam absque speciali Sedis Apostolicæ licentia nullatenus revertantur, & si secus attentare præsumpserint, & obtentis beneficiis omnino priventur, & reddantur inhabiles ad alia obtinenda; & alias etiam contra Commune, & Civitatem prædictam spiritualiter, & temporaliter, prout facti qualitas suggeret, & videris expedire, procedas, Contradictores per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Reate Kalendis Octobris Pontificatus nostri anno primo.

His litteris acceptis, Bonaventura Patavium profectus est, & cum Rectore, ac Civitatis Magistratibus enixe egit, ut Pontificis jussui, ac voluntati obtemperarent; sed cum hi firmiter obsisterent, *Civitas Paduæ fuit a Papa Nicolao interdicta cum tota diœcesi per dies Quadragesimæ*, anni scilicet 1289. ut in additamentis, seu Mantissa Statuti Patavini legitur; quin & Bonaventura, ad oppidum Montis Silicis prope Patavio dissitum cum secessisset, anathematis sententiam in Rectorem & Magistratus Patavinos ad Pontificis imperium intorsisse dicitur VI. Kal. Junii ejusdem anni. Hoc veluti fulmineo ictu consternati civium animi de paciscendo cum Clero serio cogitarunt, & ipsius Bonaventuræ auctoritate & arbitrio interposito, is Synodum coegit, in quo in ea pacta utrinque conventum est, quæ, a progenitis iniquis in ecclesiasticos homines legibus, Archiepiscopus probare facile potuit, ut in Additamentis *Statuti Patavini*; *Statutum contra Clericos revocatum fuit per interpositionem fratris Bonaventuræ O. M. Archiepiscopi Ragusini anno Domini MCCLXXXIX.* latam vero ab eo sententiam Petrus Columna Diaconus Cardinalis S. Eustachii revocavit, quem Pontifex Patavium miserat, ut ea, in quæ Bonaventura consenserat, diligentius inspiceret, & si æquæ consentanea rationi viderentur, ipse confirmaret, tum civitatem a pœnis ecclesiasticis exsolveret; quæ suo minus apta instituto fuse narrat acriori, quam par esset, in Clericorum ordinem calamo Josephus Gennarius in libello *de antiquo fluviorum cursu per urbem, & agrum Patavinum*, eaque ex brevi *Chronico Regiminum civitatis Patavinæ*, aliisque veteribus monumentis excerpsit. Hæc autem rectius persequitur Dominicus Maria Federicius in sua historia *Equitum Gaudentium* tum in Tomo primo pag. 155. tum in secundo, ubi pag. 221. in lucem profert *Acta* quædam *Synodi Patavinæ sub Nicolao IV. Romano Pontifice, legationem agente Fratre Bonaventura Archiepiscopo Ragusino, celebratæ, a Petro Columna Diacono Cardinali comprobata*. Ex his intelligimus, huic gravi sane dissidio finem impositum anno 1290. ut perhibet Pontificis diploma *datum apud Urbem veterem quarto nonas Augusti Pontificatus anno tertio*, in quo Bonaventuræ gesta pro merito laudat, & probatione confirmat: & in Codice Patavino *Statutorum reformatorum* anno 1420. pag. 324. leguntur *Pacta inter Clerum & Civitatem firmata per Archiepiscopum Bonaventuram Ordinis Minorum Ragusinæ Ecclesiæ Præsulem, Nicolai Papæ IV. ad Patavinos Legatum*. Inscribuntur propterea: *Ragusina Constitutio Papalis de pactis Clericorum*. Adde his, quæ & Ongarellus scribit in suo Chronico ad annum 1289. *Potestate, Patavii, D. Ottolino de Mandello de Mediolano compositio facta fuit inter Commune Paduæ, & Clerum, mediante Fratre Bonaventura Ord. Minor. Archiepisc. Ragusino Apostolicæ Sedis Legato, destructis omnibus Statutis conditis contra Ecclesiasticam libertatem, & nunquam renovandis, vel consimilibus faciendis*. Post hæc Bonaventura Ragusium redit.

Interdictum Patavinum.

Sabinus Gheraldus Patritius Ragusinus testamentum condidit anno 1291. & omnia bona sua legavit Fratribus Franciscanis Cœnobii Daxensis; testamenti tabulas hujusmodi accepimus ex ipso ejusdem Cœnobii archivo.

Testamentum Sabini Gheraldi secundum PP. Franciscanos.

In nomine Dei æterni, anno ejusdem Nativitatis

tatis milleſimo ducenteſimo nonageſimo primo. Indictione V. die undecima menſe intrante Julii. Raguſii coram Nobili, & Sapienti Viro D. Andrea Dandulo claræ mem. q. D. Joannis Danduli Illuſtriſſimi Ducis Venetor. filio honorabili Comite Raguſino, & juratis Judicibus Andrea Benexe, Dimitrio de Saracha, Marino Peſagne, Junio Picineci, & etiam Savino Hiſebe de Bodacio, & aliis teſtibus ad hoc vocatis, & rogatis. Ego Savinus Ghetaldi conſiderans, quod humanæ vitæ fragilitas multis eſt ſubjecta periculis, & maxime vitæ ſuæ terminus eſt incertus, dum viget in corpore meo quies, & ratio regit mentem, quam ſiquidem rationem adeo ſæpe languor obnubilat, quod non ſolum memorabilium rerum, verum etiam ſui ipſius cogit hominem languoris vehementia obliviſci, nolens quod ſubitus mortis eventus me ſubripiat inteſtatum, tale cum voluntate, & aſſenſu uxoris meæ Agayp præſentis, & conſentientis meum facio, & ordino Teſtamentum. In primis namque volo, & ordino, quod poſt obitum meum omnia mea bona ſtabilia cum omnibus ſuis pertinentiis, quæ, & quas nunc habeo, & habiturus ſum ubicumque, & apud quemcumque invenientur, deveniant in manibus, & poteſtatem Pitroporum, ſive Commiſſariorum meorum, qui debeant dare annuatim Fratribus Minoribus in loco S. Savini de Daxa morantibus, & moraturis *pro vita, & ſubſtentatione eorum omnes redditus, qui pertinent de dictis poſſeſſionibus, ſive bonis; & intelligantur dicti introitus, ſive redditus dandi detractis ſemper expenſis, quæ fiunt pro poſſeſſionibus, & redditibus ſupradictis. In quo quidem loco ſive Monaſterio quatuor Fratres ejuſdem Ordinis ad minus continue debent commorari pro divinis Officiis celebrandis. Verum ſi alioquin contingeret quod dicti Fratres aliqua de cauſa legitima, ſeu impedimento ibidem commorari non poſſent, volo, & ordino, quod dicti introitus mearum poſſeſſionum per dd. meos Pitropos, ſeu Commiſſarios diſtribuantur pro anima mea, uxoris meæ, & mortuorum meorum ſecundum conſilium arbitrum, & voluntatem Reverendi D. Miniſtri Fratrum Minorum Provinciæ Sclavoniæ, qui pro tempore fuerit, non aliter.*

Poſſeſſiones autem prædd. quas nunc habeo ſunt iſtæ, videlicet domus mea cum volta, & coquina, & omnibus ſuis pertinentiis, quæconfinat a parte Orientis cum via communis, & cum domo Ghetaldi nepotis mei, & a parte Occidentis cum domo Vitalis neptis mei. Item vinea mea, & terra de Molinis cum pertinentiis ſuis, quæ confinat a parte Orientis cum vinea & terra Roſſini de Bellem, & a parte Occidentis cum vinea Haiſlavi de Croſſi. Item vinea, & terra mea cum pertinentiis ſuis poſita in Breno, quæ confinat a parte Orientis cum vinea Marini Prodanelli, & cum vinea Petri de Prodano, & a parte Occidentis cum vinea S. Michaelis de Labè & cum vinea, quam habet Marinus de Boccignolo pro uxore ſua. Item vinea cum terris, & pertinentiis ſuis in Umbla, quæ confinat a parte Orientis cum vinea, quam habet Matthæus Binciola ex uxore ſua, & a parte Septemtrionis cum vinea, quam habet Daxa filia qu. Dobroſlavi de Reſti, & ſi qui alii in dictis poſſeſſionibus ſunt confines. Item vineæ meæ plantatæ Daxæ cum pertinentiis ſuis. Verumtamen ſi vinea mea ſupradicta de Breno expedietur vendi pro majori commoditate, & utilitate dictorum Fratrum; vendatur per meos Pitropos, ſi videbitur ſupradicto Miniſtro Provinciali, non aliter; & pecunia d. venditionis deponatur per meos Pitropos in manus alicujus fide dignæ perſonæ ſalvos in terram juxta conſilium dicti Miniſtri ad lucrandum licite, & totum lucrum, quod de dictis denariis percipietur, deveniat ad dictos Fratres Minores pro neceſſitatibus eorumdem. Quod ſi etiam facta venditione videbitur d. Miniſtro dictam pecuniam converti in rem ſtabilem, Pitropi mei prædicti dictam rem ſtabilem, ſive res ſecundum conſilium d. Miniſtri de dicta pecunia emere teneantur, & iſta poſſeſſio, ſive poſſeſſiones habeant conditionem vineæ, ſeu pecuniæ nominatæ.

Pitropos autem, ſive Commiſſarios, & exequentes meos ad ſupradicta, & ſingula facienda conſtituo, & ordino Michaelem de Ragnina cognatum meum, & Ghetaldum nepotem meum, filium qu. Biſtii de Ghetaldo, qui debeant procurare exequi, & complere in vita ſua omnia ſupradicta, & infraſcripta. Poſt vero obitum Pitroporum, ſive Commiſſariorum meorum, vel alterius prædictorum, volo, & ordino, quod hæredes illius, vel illorum, qui mortuus, vel mortui fuerint, ille videlicet hæres maſculus cujuslibet ipſorum, qui tunc fuerit major ætate, ſint Pitropi, & Commiſſarii mei ad complendum, & exequendum omnia, & ſingula ſupraſcripta, & infraſcripta. Et ſi aliquis ex dictis hæredibus moreretur, alius hæres ſequens maſculus, qui major fuerit ætate, illi mortuo ſuccedat in Pitropum, & Commiſſarium meum, ita quod de hæredibus tranſeat ad hæredes maſculos ſemper Pitropia, & Commiſſaria prædicta ad exequendum omnia & ſingula, quæ in preſenti teſtamento continentur. Et ſi dicti hæredes ita deficerent, quod non remaneret niſi unus hæres maſculus tantum, volo quod Theſaurarii S. Mariæ Majoris Eccleſiæ, qui pro tempore fuerint, ſint Pitropi, & Commiſſarii mei cum dicto uno hærede maſculo, qui remanſerit. Si vero acciderit dictos hæredes maſculos omnes deficere, volo & ordino, quod dicti Theſaurarii Eccleſiæ S. Mariæ ſint Pitropi, & Commiſſarii mei, & prædicta omnia & ſingula procurare & exequi teneantur.

Item volo & ordino de ſpeciali conſenſu & voluntate dictæ uxoris meæ præſentis & conſentientis, quod poſt mortem meam omnes denarii mei in quocumque loco reperientur (exceptis ſive extractis yperperis centum quinquaginta, quos ordinare intendo una cum dicta uxore mea, ut nobis videbitur convenire) deveniant in manus nominatæ Agape uxoris meæ, quæ quidem Agape uxor mea cum conſilio Miniſtri Provincialis ſi fuerit in cuſtodia Raguſina, vel ſi non fuerit, Cuſtodis, & Lectoris, & Guardiani ejuſdem loci, & Pitroporum ſive Commiſſariorum meorum dictos denarios dare, ſeu deponere debeat ſalvos in terram in manus alicujus fide dignæ perſonæ ad lucrandum licite, ita quod lucrum, quod Deus exinde dederit, dicta uxor mea retineat ſibi quidquid voluerit pro neceſſitatibus ſuis, & det reliquum dictis Fratribus.

Item de voluntate ejuſdem uxoris meæ volo, & ordino, quod poſt mortem meam & uxoris meæ omnia mea mobilia, ubicumque reperientur, aurum, argentum, maſſaritiæ quæcumque deveniant ad prædictos Fratres Minores ejuſdem loci de Daxa expendenda, vel conſervanda ad utilitatem dicti loci ſecundum conſilium ſupradicto-

rum;

Digitized by Google

rum; salvo quod nominata uxor mea possit de prædicto mobili trahere exagios quinquaginta de auro, & de ipsis testari, & facere velle suum.

Hanc autem ultimam meam voluntatem volo jure testamenti valere; quod si forte jure testamenti valere non posset, valeat saltem jure codicillorum, cujuslibet alterius ultimæ voluntatis, quæ meliori jure valere possit; & etiam hoc testamentum, & præsentem meam voluntatem omnibus testamentis, seu ultimis voluntatibus meis factis & faciendis omnimode prævalere. Confirmans & affirmans Sacramento hoc meum testamentum, & singula prædicta.

Ego Agape uxor nominati Savini omnibus prædictis assentio, & prædicta omnia per fidem juramenti approbo, & confirmo, ut omnia & singula supradicta scripta firma & rata permaneant, & sint irrevocabiliter, ac perpetuo duratura.

Quicumque autem hoc meum Testamentum rumpere, vel violare præsumpserit, in toto, vel in aliqua parte sui, iram, & maledictionem Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Gloriosæ Mariæ semper Virginis & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & SS. Blasii, Francisci, & Savini, & totius Curiæ cælestis habeat in æternum.

Hoc autem Testamentum, & omnia suprascripta ante præsentiam prænominatorum D. Comitis, & juratorum Judicum sedentium pro Tribunali ad reddenda jura in loco consueto, videlicet in Logia Communis Ragusii congregatorum ad campanæ sonitum publica facta fuerunt. Qui D. Comes, & Judices suprascripti ad ipsius testamenti & omnium supradictorum confirmationem, & valere perpetuum suam, & Communis Ragusii auctoritatem, & decretum interposuerunt, ut dictum Testamentum, & omnia suprascripta irrevocabiliter firma perdurent. Et de hoc Testamento sunt factæ duæ cartæ similes, quæ nullo testimonio rumpi possint.

Ego Azo q. Jacobi de Titusto Juratus Cancellarius his omnibus interfui, & de mandato, & auctoritate prænominatorum d. Comitis, & Judicum rogatus hoc scripsi, signoque meo solito roboravi ec.

Et Ego Fr. Bernardinus Gotius acceptavi hoc Testamentum Domini Savini Ghetaldii.

Sic testamentum sonat, & terminatur.

Anno 1292. adhuc Bonaventura huic Metropoli præsidebat, ut fidem facit Codex Statutorum Reipublicæ Ragusinæ, in quo ejus nomen ad diem vicesimam secundam Maji eodem anno adscriptum reperitur; *cum voluntate & consensu Reverendissimi Domini Bonaventuræ Archiepiscopi Ragusini & totius Capituli.* An vero ultra hunc annum vitam & Pontificatum produxerit, mihi satis non est compertum. Cum autem anni fere undecim intercesserint, antequam Bartholomæus Utinensis hujus Ecclesiæ administrationem susciperet, de illorum numero aliquot excerpi possunt, quibus interseri queat inter Bonaventuram & Bartholomæum Christophorus, quem Scriptores Ragusini Catalogo Archiepiscopali inscribunt.

Obitus Bonaventuræ Archiep. quo anno incertum.

CHRISTOPHORUS ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS XXVII.

Christophorus Archiep. Rag. anno incerto.

Quem Sebastianus Dolci prætermisit; sed Razzius, Luccarus, Gundula inter Antistites Ragusinos adnumerant, quorum consentiens auctoritas tanti mihi est, ut eam negligendam minime putem, & religioni habendum duxerim, fidem illis abrogare, ac numero Archiepiscoporum Christophorum expungere. Haud equidem negaverim erasse illos in digerenda Antistitum serie, & suis cuique annis assignandis; sed salva rerum veritate, quidquid peccarunt, perturbatione peccarunt temporis atque ordinis: nam Bonaventuræ Cristophorum præponunt; sed inter Salvium & Bonaventuram Christophoro nihil loci relinquitur, si standum est auctoritate Epistolarum Nicolai & Martini, ut supra diximus. Ex his etiam constat, accessum Bonaventuræ ad Ragusiensem Ecclesiam anno 1281. affigendum esse, quem illi in annum undenonagesimum ejusdem sæculi conferunt. Neque Pontificatum Bartholomæi, de quo statim post Christophorum dicturi sumus, ante initium sæculi proximi constitui potest, quem illi revocarunt ad annum sextum & nonagesimum hujus sæculi superioris. Præpostera ac vitiosa temporum sive annorum notatione emendata, quemadmodum Bonaventuræ, & Bartholomæi, sic Christophori Archiepiscopatus retineri debet, eique locus inter utrumque attribui. Erat igitur Christophorus natione Italus, patria Mediolanensis, qui post annum 1292. Bonaventuræ in Sedem Ragusinam successit, eamque tenuit usque ad initium sæculi decimi quarti. Ejus Pontificatum infaustum ac funestum fecit incendium immane anno 1297. nescio unde exortum, quo magna pars urbis conflagravit. Non defuerunt, qui ex ea calamitate consilium capiendum putabant civitatis in alium locum transferendæ, qui prope aberat a monte Acuto de Lazad propter portum Gravosæ, & natura munitior, & publicis privatisque ædificiis construendis, laxandisque aptior videbatur. Sed eorum, qui contra sentiebant, auctoritas valuit. Itaque in iisdem, quibus antea imposita fuerat, fundamentis Civitas stetit, sed elegantius & magnificentius reædificata. Hæc Luccarus lib. 2. pag. 42. Sæculo decimo quarto ineunte Christophorus e vivis discessit.

Incendium Ragusinum.

F. BARTHOLOMÆUS ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS XXVIII.

Bartholomæus Archiep. an. 1303.

Quartus ex Ordine Franciscano ad hanc Ecclesiam regendam assumptus, cui patria Utinum fuit nobilissima Carnorum civitas. Sebastianus Dolci Archiepiscopatus Ragusini Bartholomæo collati, ab eoque gesti testes citat tum omnes rerum Ragusiensium Scriptores, tum vero litteras gratulatorias, quas ad ipsum Senatus dedit *die Jovis 24. Maji, anno 1303.* Aletianis schedis insertas; ex quibus fit, ut ejus initia episcopalia ab eo anno dimoveri nequeant; ac proinde Luccarus, & alii erraverunt, qui anno 1296. ejusdem initia adscribunt. Ragusio aberat, & Romæ fortassis degebat, cum ea, quæ de illius virtute ac doctrina excellens erat opinio, Canonicos impulit, ut in eum suffragia fere omnia conferrent. Consecrationem Episcopalem, ut Gundula tradit, a Bonifacio VIII. suscepit nono ejus Pontificatus anno, eoque postremo; anno siquidem 1303. v. Id. Octobris diem obiit supremum.

Intra finem sæculi superioris Patres Dominicani, qui jampridem ab exiguo & angusto

Digitized by Google

domicilio S. Jacobi ad laxiores ædes migraverant, quas eisdem cum Templo Deiparæ Virginis in Cælum assumptæ vir nobilis, & opulentus *de Palmota* cognominatus attribuerat, demum ex liberalitate Senatus Populique Ragusiensis certos ac stabiles proventus obtinuerunt, quibus familia Dominicana numerosior ali posset. Sub Bartholomæo Archiepiscopo jacta sunt fundamenta magnificentissimæ Basilicæ, quæ sub nomine & auspiciis S. Patris Dominici Deo Optimo Maximo consecrata fuit, ad ejusque ædificationem Archiepiscopus & Senatus plurimum subsidii & pecuniæ contulerunt. Hæc ex tabulis ejusdem Cœnobii: *Anno postmodum 1295. perpetuos reditus primo Fratres habuerunt. In præfata Virginis assumptæ Ecclesia sacra sui Instituti munera obierunt; donec anno 1404. religiosa civium charitate, præsertim Senatus Ragusini, ac Bartholomæi de Utino tunc Archiepiscopi, novum Templum D. Patriarchæ Dominico amplum sane ac magnificum ad nostra usque tempora e fundamentis circa præfatam Ecclesiam prolatis erexerunt.* Chronologica nota omnino corrigenda, & in annum 1304. rejicienda est, quacum & Bartholomæi Archiepiscopatus convenit, & litteræ Benedicti XI. hoc anno datæ; in his enim certam delictorum indulgentiam omnibus elargitur, qui ad ædificandum illud templum opem subsidiumque contulerint, & Patribus Dominicanis concedit, ut ad centum librarum pondus in sumptus ejusdem templi utantur ea pecunia, quam male partam quis debuisset suis creditoribus reddere justa pœnitentiæ satisfactione, si tamen creditor penitus sit ignotus. Utraque inest Tomo 2. Bull. Domin. quarum prima e pag. 96.

Basilicæ Dominicanæ ædificatio.

Duæ literæ Bened. XI. pro Eccles. Ragusina PP. Dominic. extruenda.

Benedictus Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Ecclesiarum fabricis manum porrigere adjutricem pium apud Deum, & meritorium arbitrantes, frequenter Christi fideles ad impendendum Ecclesiis ipsis auxilium hujusmodi nostris monemus literis, & hortamur; ut ad id eo fortius animentur, quo magis ex hoc animarum commodum speraverint adipisci, nonnunquam pro iis temporalibus suffragiis, spiritualia eis munera, remissiones videlicet, & Indulgentias elargimur. Et quidem conveniens est, & dignum, ut fideles ipsi loca Divino deputata cultui, devotione congrua venerentur, debitum illis honorem exhibeant, & ad eorum decorem sua etiam impendant studiose, ut cooperantibus caritativis eorum subsidiis, possint decentius, consummatione structuræ, Superni Regis laudibus apta reddi. Cum igitur Ecclesia dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Ordinis Prædicatorum Ragusin. in honorem B. Dominici opere sumptuoso, ut asseritur, sit incepta, ad cujus consummationem operis sunt fidelium auxilia opportuna, universitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur in Domino in remissionem vobis peccatorum injungentes, quatenus attendentes provide, quod inter holocausta virtutum, illud Deo acceptabilius creditur, quod de pinguedine caritatis affertur, de bonis vobis a Deo collatis, eisdem Priori, & Fratribus, vel eorum nunciis pias eleemosynas, & grata caritatis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram opus hujusmodi valeat consummari, & vos per hæc, & alia bona, quæ, Domino inspirante, feceritis, ad æternæ possitis felicitatis gaudia pervenire. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, & BB. Petri & Pauli, Apostolorum ejus, auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus, & confessis, qui ad hoc eis manum porrexerint adjutricem, unum annum & quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus, præsentibus post septennium minime valituris, quas mitti per quæstuarios districte prohibemus, eas, si secus factum fuerit, omnino carere viribus decernentes. Datum Romæ apud S. Petrum 11. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

Altera est hujusmodi pag. 97.

Benedictus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Prædicatorum Ragusin. Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Felix & laudanda Ordinis vestri Religio, quæ in Domo Domini relucere conspicitur, ac vestræ sinceræ devotionis affectus digne nos excitant, ac inducunt, ut vobis, in vestris opportunitatibus paterno succurrentes affectu, petitiones vestras, quantum cum Deo possumus, favorabiliter ad exauditionis gratiam admittamus. Cum itaque, sicut asseritis, Ecclesia vestra sumptuoso opere sit susceptа, & ad ipsius consummationem operis sint fidelium auxilia opportuna, Nos volentes vobis super hoc favorabiliter subvenire, ut de usuris, rapinis, ac aliis male acquisitis, dummodo ii quibus horum restitutio fieri debeat, omnino sciri non possint, usque ad summam centum Librarum Venetorum Grossorum, in prosecutionem dicti operis totaliter convertendam, dummodo alias a Nobis pro similium receptione gratiam non fueritis consecuti, recipere valeatis, ita quod illi, qui prædicta vobis contulerint, ad restitutionem aliam cuiquam faciendam de eo, quod taliter vobis dederint, minime teneantur, auctoritate vobis præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis &c. Datum Romæ apud S. Petrum 11. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno primo.

Bartholomæus annos circiter novem Ecclesiam Ragusinam sapientissime gubernavit. Ei successorem Jacobus Luccarus Laurentium anno 1313, Sebastianus Dolci Petrum anno 1310 datum fuisse affirmant. Uterque fallitur, & utrique fuerunt ignoti duo Antistites, qui post Bartholomæum Sedem Ragusinam obtinuerunt, & alter alteri successit,

BARTHOLOMÆUS II. ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS XXIX.

Hunc acceptum ferimus eruditissimo Cardinali Josepho Garampo, qui eum nobis descripsit e tabulis Romanis. Patria & Canonicatus Tranensis, tempore suscepti Archiepiscopatus, eum satis perspicue distinguunt a Bartholomæo superiore, cujus patria Utinum fuit, Institutum Franciscanum, & qui anno 1303. in Sedem Archiepiscopalem conscendit. Hoc e vivis erepto, Canonici, cum in locum Comitiorum convenissent, Jacobum Archidiaconum in suum Præsulem elegerunt; sed is oblatum sibi Sacerdotium, munusque Archiepiscopale recusavit. Tunc suffragia Canonicorum conversa sunt in Bartholomæum Diaconum & Canonicum Tranensem, absentem illum quidem, sed virtute

Bartholomæus II. Archiep. an. 1312.

ac

Digitized by Google

at sapientiæ fama cognitum ac commendatissimum; ut enim nunc, sic illis temporibus frequens commercium erat inter Ragusinos & Regnicolas Neapolitanos, & assidua ultro citroque navigatio. Ubi Bartholomæus cognovit se Archiepiscopum Ragusinum de communi Canonicorum consensu designatum esse, statim profectionem Gallicanam suscepit ad Clementem V., qui tunc Viennæ præsidebat Concilio generali, ut ab eo Sacerdotii ad se delati approbationem impetraret. Et Pontifex quidem Capitularem electionem rejecit, sed electum benigne accepit, & pro suprema sua potestate Archiepiscopatum Ragusinum eidem contulit; *Non*, inquit, *ex persona tua vitio, sed certis aliis de causis electionem illam abrogamus*. Itaque Archiepiscopum creavit, & Pontificio diplomate declaravit, quod datum est Nonis Julii anno 1312. (ex Reg. an. VII. epist. 740.) Ipse vero Bartholomæus eodem anno XIV. Kal. Novemb. Florenos ducentos pro communi servitute solvendi sponsione se obligavit. (Tom. 1. Obl. Cam. p.....) Anno itidem eodem XII. Kal. Januarii Pallium solemni cæremonia rituque suscepit. (Reg. Clem. V. an. 8. ep. 8.) Anno proximo Ragusium venit, & annos fere quatuor in hujus Ecclesiæ administrationem insumpsit. Joannes XXII. ad Metropolim Tranensem in Apuliam eum migrare jussit; id quod constat ex tabulis consistorialibus in ejus successore describendis. Huno Ughellus Tomo V. Ital. Sac. Archiepiscopis Tranensibus inseruit his verbis: *Bartholomæus successor Odonis anno 1317. die 17. Septembris Olitum subsidium promisit Sacro Collegio in libris Oblig. Translatus ad Ecclesiam Sipontinam ab Joanne XXII idibus Januarii an. 1327.*

Translatus ad Metropolim Tranensem an. 1317.

Inter annos 1295. & 1321. extinctum ferunt Monasterium S. Mariæ de Rabiata, Monachos ad Lacromense traductos, eorumque fundos & ædes Canonicis Ragusinis Ecclesiæ Metropolitanæ attributas. In testamento Damiani Volcassi condito anno 1295. extat hujus loci mentio; at tabulæ anni 1321. Idibus Majis confectæ pro instituenda quadam incolarum sodalitate in Ecclesia S. Mariæ de Rabiata neque Monachorum, neque Monasterii prorsus meminere: quæ vero causa ad Monasterium abolendum impulerit, omnino ignoratur. Vide quæ dicta superius in notis adjectis narrationi de Congregatione Melitensi.

Illis temporibus Orosius, sive Uroscius Rex Serbliæ cognomento Milutinus, is, qui singulari pietate ac religione plurima monasteria ædificavit, & Basilicam Barensem S. Nicolai muneribus ampliſſimis illuc transmissis ornavit, Insulam Lagustam repetere instituit, quam Neemanes cognomento Crapulus Ragusinis donaverat, seu vendiderat. Reddere nolentibus bellum intulit, & Ragusium arcta obsidione cinxit. Sed re improspere gesta, copias abduxit, pacem redintegravit, possessionem Insulæ pactam Ragusinis reliquit, & insulares illos Rectori & Patribus magnopere commendavit. Hi vero populis illis in suam fidem ac potestatem commissis permisere, ut sua privilegia retinerent, suisque legibus uterentur. Hæc Maurus Orbinus & Jacobus Luccarus. Porro cum prope esset, ut, bello jam indicto, Orosius civitatem obsideret, Monasterium Franciscanum S. Thomæ, quod erat in suburbio, dirui oportuit, ne hostibus majorem oppugnandæ urbis facultatem, opportunitatemque præberet. Fratres autem in urbem immigrarunt, eisque intra mœnia Cœnobium & Templum ædificatum fuit sub nomine & clientela S. P. Francisci anno 1317. De Patribus Franciscanis primo in suburbium receptis, deinde in urbem translatis hoc scriptum reperio in Codice ms. Cœnobii Ragusiensis: *Seraphici Patris præsentia ipsa Provinciæ hujus præbuit initia. Postquam enim Reip. Rags. Senatus ipsum vidit, tanto affectu institutam ab eo religionem fuit prosecutus, ut ejusdem homines ad se vocarit, ipsisque ad secum habitandum extra Urbis mœnia Cœnobium anno 1250. sub nomine D. Apostoli Thomæ construxerit. Hoc etsi felix fortunatumque fuerit eo quod statim in caput primæ Custodiæ Dalmatinæ Provinciæ, ut videre licet in Provinciarum divisione a D. Bonaventura in Narbonensi Capitulo facta, evaserit, fortunatius tamen feliciusque fuit sub nomine D. P. Francisci, quod post destructionem prædicti Conventus causa Orosii Regis Serviæ & Rasciæ cum consensu Summi Pontificis secutam intra mœnia Civitatis idem construxerit Senatus 1317., quin & Caput Custodiæ tunc retinuit, & deinde Provinciæ Ragusinæ, prout & retinet.* Joannes XXII. Præsidi & Fratribus iisdem potestatem fecit ineundi, possidendi, habitandique Cœnobii, quod cives Ragusini intra mœnia construxerant, ut est in Tabulis Consistorialibus. *Indultum Guardiano & FF. Ord. Minorum Ragusiv. quod locum intra mœnia civitatis ipsis per Cives concessum in compensationem alterius dictis mœnibus vicini, per eosdem cives funditus diruti, dum Orosius Rex Serviæ ad expugnandam civitatem magnum gentis suæ destinavit exercitum, tenere & inhabitare valeant, Constitutione Bonifacii PP. VIII. non obstante. Dat. Avenione idibus Octobris anno Joannis 3.* ideſt vulgaris æræ 1318. Eadem confirmat Lucas Waddingus in Tomo 3. Annal.

Ragusii obsessio.

Condito ornatoque templo, post multos annos insigne monumentum, ac prodigiosum accessit. F. Jacobus de Marchia ex Ordine S. Francisci, vir sanctitate & miraculis inclytus, qui post obitum apud suos titulum cultumque *Beati* obtinuit, dum sacri Quæsitoris munere in Dalmatia, & regionibus finitimis fungebatur, Ragusium venit. Cum apud suos in cœnobio diversaretur, Templum ingressus effigiem ligneam Jesu Christi in Cruce suffixi summo artificio factam ante aram maximam e loco sublimi conspicuam, trabique transversæ impositam & infixam suspexit; eique mortali, & humana specie augustior visa est; quam intuens, attentissimeque contemplans intima erga illum maximaque veneratione se affici, & cæleſti quadam voluptate perfundi sensit. Ejus cultum ac religionem ut magis augeret, simulacra bina Angelorum ex eadem materia, & eodem opere artificioque cælata fieri, atque eorum manibus duo, quæ vocant, thuribula appendi, aptarique jussit; unum ad dexteram, alterum ad lævam sacrosanctæ imagini apposuit, & simul prædixit non defutura admiranda prodigia, quæ declararent sanctissimam illam effigiem opus divinum potius esse, quam humanum, eique quamplurimos veneratores conciliarent. Nec vero prædictionem fefellit eventus. Nam statis, & maxime solemnibus diebus, præsertim Sabbato Sancto, dum canitur hymnus

De thaumaturgica effigie Jesu Christi ad Crucem affixi.

Angelicus *Gloria in excelsis &c.*, & cum insignis aliqua calamitas impendet, toto & frequentissimo populo inspectante, duo illa thuribula perpetuo motu divinitus impresso agitari, & versum ad Crucem, confixumque humani generis Servatorem impelli videntur adeum fere modum, quo a Sacerdotibus altaria, & imagines Divorum thure incenso adoleri solent. Hujus miraculi fidem faciunt multi graves, idonei, oculati testes, quorum testimonia jurejurando confirmata, & publicis tabulis rite consignata sunt. Idem confirmat Lucas Waddingus in Tomo III. Annal. *Coram supremo altari super transversam trabem magni Domini crucifixi conspicitur effigies, & duo hinc inde Angeli ex eadem materia fabrefacti thuribula manibus tenentes, quæ in solemnibus festivitatibus, & ad portenti cujusque imminentis indicium, nullo impellente, moventur eo modo, quo ab Acolythis thurificantibus fieri solet in Ecclesiis. Apposuit B. Jacobus a Marchia, prædixitque hoc perpetuum miraculum his verbis:* Aliquando hi Angeli miracula facient; *uti ex processu ad Rotæ Romanæ Auditores ante sexennium pro ejus Canonizatione transmisso, & penes me asservatur ec.* Sed qui hujusmodi miraculis ægre fidem adhibent, ajunt id ostenti fieri posse ex aere ipso, qui agitatione halituque multitudinis confertissimæ, & copia atque ardore cereorum comitatus motum illum thuribulis imprimat.

BENEDICTUS ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS XXX.

Benedictus Archiep. anno 1317.

Hunc itidem tacitum præterierunt Scriptores Ragusini, de cujus Archiepiscopatu dubitari non sinunt tabulæ Consistoriales, quæ eum ab Joanne XXII. e Suaciensi ad Sedem Ragusinam translatum docent: *Translatio Benedicti Episcopi Suacinensis ad Episcopatum Ragusien. per aliam translationem Bartholomæi Episcopi Ragusini ad Ecclesiam Tranensem vacantem, cui fuit exhibitum pallium de Corpore B. Petri sumptum. Dat. Aven. VIII. Id. Julii anno Pontif. 1.* ideſt 1317. Idem confirmant litteræ Joannis XXII. *Nuper Ecclesia Ragusina Pastoris solatio destituta, quod Nos Ven. Fratrem nostrum Barth. Tranensem tunc Ragusinum Archiep. &c. ad Tranensem Ecclesiam duxerimus transferendum &c. Nos ad te tunc Suacinen. Episc. &c. oculos dirigentes, te ad præf. Ragusin. Ecclesiam transtulimus &c. & Palleum tibi fecimus exhibere &c.* Eidem Benedicto Ecclesiæ Bosnensis administratio data fuerat, ut est in tabulis Avenionensibus: *Provisio Episcopatus Bosnensis Ecclesiæ ..... cujus .... data fuerat administratio ad tempus Benedicto Episcopo Suacinensi, nunc vero in Archiepiscopum Ragusinum electo &c. Anno Joannis XXII. 2.* ideſt 1318, non 1317. qui error irrepsit in pag. 56. Tom. 4. Operis nostri.

Pallio suscepto, nondum Avenione discesserat, cum morte præreptus Sedem Ragusinam, antequam conscenderet, successori vacuam reliquit, ut colligitur ex Diplomate Joannis XXII. an. 2. Pontif. Anno 1317. mense Julio jam mortem obierat, ut docent tabulæ Consistoriales, in quibus Ecclesia Suaciensis, quam reliquerat, ejus successori demandatur; ibi enim ejus nomini præpositas invenio has duas litteras b. m. ideſt *bonæ memoriæ*; *Provisio Ecclesiæ Suacinensis per translationem b. m. Benedicti Suacinen. Episcopi ad Archiepiscopatum Ragusinum vacantis &c. Dat. Aven. XVI. Kal. Augusti anno Pontif. 2.* ideſt æræ vulgaris 1318.

F. PETRUS II. ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS XXXI.

Petrus Archiep. anno 1317.

Quem *de Martinis* Jacobus Luccarus, & Sebastianus Dolci, *de Martinaciis* Seraphinus Razzius cognominant. Sed iidem Luccarus & Razzius falso *Martinum* appellant. Natione Italum Joannes Gundula, Dalmatam & quidem Ragusinum fuisse Luccarus tradit. Vincentius Maria Fontana in *Theatro Dominicano* eum ex Ordine Prædicatorum ad hanc Metropolim regendam assumptum fuisse ex Plodio scripsit: *Ragusinam Sedem Metropoliticam*, inquit, *in Sclavonia regendam obtinuisse P. F. Petrum Hetruscum Romanæ Provinciæ circa annum Domini 1310. ait Plodius in Appendice, asserens in Chronico Ordinis de eo mentionem fieri, quod confirmat Fernandez in Catalogo Archiep. Verumtamen a quo Pontifice, & quanto tempore in eadem sederit, silent.* Ignoratio Archiepiscopatus Bartholomei usque in annum 1317. producti, itemque Benedicti Archiepiscopi Plodium & Dolcium in errorem induxit; omninoque in hoc omnis est error, quod Petri Pontificale initium anno 1310. assixerint. Anachronismum refellunt, & coarguunt litteræ Joannis XXII. (ex Reg. an. 2. P. ep. 389.), qui XIV. Kal. Decemb. anno 1317. Ecclesiam Ragusinam Petro decrevit. Epistolæ Pontificiæ fragmentum hoc est: *Vacante nuper Eccl. Ragusina per obitum b. m. Benedicti Archiep., qui nunc apud Sed. Apost. naturæ debitum persolvit &c. Te* (Petrum) *Ord. Prædic. &c. eidem Ecclesiæ Ragusin. præficimus in Archiep. &c. & deinde munus consecrationis per Ven. fr. nostrum Nicolaum Ep. Ostiensem fecimus impendi; & subsequenter Palleum &c. fecimus exhiberi.* Joannes Gundula Petrum e Sede Episcopali Castrensi ad Metropolim Ragusinam translatum docet. Sed vereor, ne Petrum nostrum confuderit cum altero Petro itidem Hetrusco, & alumno Familiæ Dominicanæ, qui ætate posterior fuit; de quo Vincentius Fontana apud Ughellum: *Petrus de Tuscia Ord. Prædic. Castrensis Episcopus evasit an. 1350. obiit 1366.* Cajetanus Coretinus in Monum. Viterbiensibus italo sermone editis Romæ an. 1774. Petrum patria Viterbiensem e Castrensi Ecclesia ad Ragusinam translatum fuisse scribit. *F. Petrus Viterbiensis ejusdem Ordinis* (Dominicani) *vir sanctimonia & doctrina clarissimus fuit Episcopus Castri in Hetruria, deinde Archiepiscopus Ragusinus sub initium sæculi decimiquarti. Nobilius in Chron. ms. Ecclesiæ & Cœnobii Gradiani testatur se vidisse Ragusii ejus sepulcrum in templo S. Dominici, & præter Razzii testimonium affert aliud ex Chron. vetusto Cœnobii Urbevetani.* Pensiones anni 1315. debitas ærario Apostolico, quarum solutionem Bartholomæus & Benedictus decessores neglexerant, Petrus cum aliis Episcopis persolvit, ut testantur tabulæ Consistoriales: *Recepta communium servitiorum pro parte Domini Papæ contingente, quæ ascendit in totum pro uno anno ad florenos auri 59990. solutos ab infrascriptis personis pro anno 1315..... a Petro Archiep. Ragusien. florenos 100. ec.* Huic Ecclesiæ præfuit

obiit anno 1322. fuit Petrus fere quadriennium; vivere desiit an. 1322.

F. LAURENTIUS ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS XXXII.

F. Laurentius Archiep.

A Seraphino Razzio ad annum 1296. revocatus, atque inter Christophorum & Bartholomæum interjectus, ab Jacobo Luccaro ad an. 1303. affixus, & Petro de Martinis antepositus. Utrumque ratio temporum, & series Archiepiscopalis male digesta fefellit. Erat ex monte Feretrano, sive Leopoli, urbe in Umbria, & Provincia Urbinatis Archiepiscopatus, ac ditione Pontificia. In familiam Franciscanam ab adolescentia nomen dederat; & singulari doctrina, eximiisque virtutibus floruit. Huic Joannes XXII., qui jus nominandi eligendique Episcopos ad se revocaverat, Metropolim Ragusinam decrevit anno 1322., & potestatem fecit consecrationis Episcopalis suscipiendæ a quibuscumque vellet Episcopis, quibus cum Sede Apostolica Fidei orthodoxæ, & sacrorum communio esset, ut scriptum reperitur in Actis Consistorialibus. *Promotio Laurentii Ord. FF. Min. ad Archiepiscopatum Ragusien. per obitum Petri apud Sedem Apostolicam prævia reservatione vacantem. Dat. Aven. IV. Id. Feb. an. Pontif. VI.* idest 1322. *Facultas Laurentio in Archiepiscopum Ragusien. electo recipiendi consecrationis munus a quocumque maluerit Episcopo &c. Dat. Aven. Nonis Octob. An. Pontific. VII.* idest eodem anno 1322. Extat Epistola Joannis XXII. inscripta,

Electus an. 1322. *Dilecto Filio Laurentio Electo Ragusino. Romana Ecclesia &c. Olim siquidem b. m. Petro Archiep. Ragus. Ecclesiæ Ragusinæ regimini præsidente, nos intendentes eidem Ecclesiæ Ragusinæ, cum vacaret, de persona idonea providere, provisionem faciendam ea vice dictæ Ecclesiæ &c. dispositioni nostræ certis de causis duximus specialiter reservandum &c. Postmodum autem dicto Archiepiscopo viam universæ carnis ingresso, nos &c. ad te Ord. Fratrum Minorum Professum in Sacerdotio constitutum &c. direximus oculos mentis nostræ; teque illi Ecclesiæ in Archiepiscopum præfecimus &c. Dat. Avenione 4. Id. Febr. anno Pontif. VI.* idest 1322. Vix annuum Pontificatum gessit. obiit anno insequenti. Obiit siquidem anno 1323. pridie Kalendas Januarias. Senatus eodem anno, dieque, ut est in schedis Aletianis, *tres nobiles elegit Viros, qui cum tribus aliis a Capitulo eligendis res & reditus Archiepiscopales tuerentur.*

THOMAS ARCHIEP. RAG. XXXIII.

Thomas Archiep. anno 1324.

Thomasius etiam dictus, patria Brixiensis, ut tradunt Scriptores Ragusini, Canonicus Ecclesiæ Asculanæ sive in Piceno, sive in Apulia; nam in utraque Provincia civitas est Episcopalis, cui Asculo nomen. Subdecessum Laurentii Ragusienses nulla ratione habita decreti Pontificii, quod nominationem Episcoporum Sedi Apostolicæ ad certum tempus reservaverat, convenerunt ad Comitia Capitularia, & Marinum de Martinusso e suo Capitulo ad Archiepiscopatum elegerunt, qua de re hoc habeo testimonium ex lib. *Reform.* sive *Consil. Civit. Rag.*

Die 5. Madii 1324.

In min. Cons. &c. Captum quod cum afflictus domorum Archiepiscopatus, qui erant obligati ex ypothecasi Syme filio Pancrati de Benessa pro yperperis 300. quos mutuavit Frat. Francisco Vicario Domini Fratris Laurenzii el. Archiepiscopi Rag. pro sacra d. Archiepiscopatus, ut in Cancellaria Communis continetur, essent eidem Syme per Capitulum Ecclesie S. Marie ablati pro expensis necessariis in ferendo decretum electionis Diac. Marini de Martinusso electi in Archiepiscopum Ecclesie Rag. habeat regressum in aliis bonis redditibus d. Archiepiscopatus. Hanc electionem irritam fecit Joannes Pontifex, & pro jure sibi reservato Thomam Ragusinis Archiepiscopum dedit. *Promotio Thomæ Canonici Ascolensis ad Archiep. Ragusin. per obitum Laurentii apud Sedem Apostolicam, mediante reservatione vacantem; cessata prius electione per Capitulum facta favore Marini de Marensio Canonici Ragusien. Dat. Avenion. XVII. Kal. Julii an. Pontif. IX.* idest 1324. Ex Actis Consist. Idem Pontifex per litteras facultatem ei dederat eligendi, quem vellet, Episcopi, a quo consecratione Episcopali initiaretur. Verum Nicolucius germanus Thomæ litteras Pontificias ad eum perferendas sibi traditas sive per incuriam, sive aliam ob causam tamdiu apud se retinuit, ut intra tempus lege præfinitum consecrari non potuerit: necesse itaque fuit, ut Pontifex facultatem ei concessam alteris litteris confirmaret, ut constat ex tabulis Consistorialibus: *Facultas Thomæ electo Ragusien. concessa recipiendi munus consecrationis a quocumque voluerit Antistite, non obstante, quod nobilis vir Nicolacius de Esculo miles, germanus ejus, & Papæ familiaris alias litteras similem facultatem continentes penes se continuerit; propter quod dictus Electus consecrari infra tempus a jure definitum non valuit. Dat. Aven. Kal. Martii. Pontif. an. IX.* idest 1325. Intra finem ejusdem anni Pallium eidem traditum fuit a Catharensi & Tribunensi Episcopis, ut constat ex Actis Domnii. Episc. Catharensis. *Assignatio Pallii pro Thoma electo Ragusien. cum mandato desuper expedito. Dat. Aven. XII. Januarii an. Pontif. IX.* idest 1325. In albo Fabrum lignariorum, quod *Matriculam S. Andreæ* vocant, cum aliis quibusdam Archiepiscopis Thomas etiam inscriptus reperitur, cum ipse quoque ad Album, sive Catalogum illum anno 1290. condi cœptum corrigendum, confirmandum, & novis legibus augendum auctoritatem suam contribuerit; inde vero absunt Benedictus & Laurentius Archiepiscopi, qui ob brevissimum Pontificatum nihil operæ aut beneficii in eam sodalitatem conferre potuerant. *Isti sunt, qui correxerunt, & confirmaverunt hanc Matriculam S. Andreæ; in primis Bonaventura, Bartholomæus, Petrus, Thomasius, & Elias.* De Thoma Archiepiscopo meminit etiam Faynus in opere, cui titulus *Cœlum S. Brixianæ Ecclesiæ*; sed cognomen silet; & annum primum initi Archiepiscopatus per errorem consignat tertium ac trigesimum hujus sæculi decimi quarti.

De mulieribus tertii Ordinis S. Dominici.

Nondum Thomas Ragusium venerat, cum piæ quædam mulieres, quæ in tertium Ordinem S. Dominici nomen dederant, Sacellum S. Jacobi, & annexum eidem domicilium, quod jampridem deseruerant Patres Dominicani ad alias sedes, in quibus laxius, & commodius habitarent, commigrantes, concessu Capituli & Senatus obtinuerunt, ubi ab hominum consortio segregatæ sub regimine & disciplina Patrum ejusdem Ordinis ad normam & præscri-

Digitized by Google

ptum S. Dominici vitam degerent, & sibi ac Deo vacarent, de quibus in tabulis Cœnobii Dominicani Ragusiensis. *Præterea anno* 1324. *Ecclesia & contermina domus S. Jacobi, ubi initio constitisse Fratres diximus, Sororibus nostris tertii habitus datæ fuerunt incolendæ, quarum Fratres omnino curam susceperunt. Ibi labore manuum ac piis fidelium eleemosynis in humilitate & paupertate magna populi ædificatione vitam ducentes annis fere trecentis sub Fratrum regimine convixere.*

Peninsula Stagni Ragusinis donata.

Stephanus Banus, sive Regulus Bosnæ, cum a suis per seditionem expulsus Ragusium confugisset, Ragusiensium auxiliis & copiis in paternum principatum restitutus est. Ragusinis ut gratiam referret, peninsulam Stagni vendidit, seu donavit anno 1333. cujus urbem egregiis propugnaculis, & arce validissima munierunt, ut Seraphinus Razzius & Jacobus Luccarus scriptis tradiderunt; quam donationem quidam Goeta his versiculis plane rudibus, & insulsis apud Razzium celebravit,

Terdenis annis, trecentis, milleque ternis
Jano quintadecima cum Sol . . . in aqua
Nono fuit anno data nobis Insula Stagni,
Stephano qui rexit binc temporis Rassiam cunctam,
Filius qui erat Caroli de stirpe Bosnensi,
Quem Deus accrescat, & semper in pace quiescat,

Thomæ Archiep. obitus.

Cum Thomas annos fere sexdecim Sedem Ragusinam tenuisset, vel morte sublatus, vel voluntario discessu successori vacuam reliquit anno 1341.

ELIAS ARCHIEP. RAGUSINUS XXXIV.

Elias Archiep. an. 1342.

Ex familia Saraca patricia Ragusiensi, quæ viget adhuc, floretque. Erat quidem Canonicus Ecclesiæ Ragusinæ, sed versabatur Avenione in Curia Pontificia, eratque domesticus Cardinalis Columnæ, ut Razzius tradit, in cujus intimam pervenerat familiaritatem. Hujus præpotens auctoritas & gratia ad summum Ecclesiæ Ragusinæ sacerdotium illi aditum aperuit, qui cæteroquin civibus Ragusinis, ut supra dictum est, veteri Senatusconsulto, & lata lege intercluſus fuerat. Benedictus XII. commendationi, & postulationi ejusdem Cardinalis obsequens Eliam Metropoli Ragusinæ præfecit, eique litteras testes consecrationis ab ipso Pontifice susceptæ cum facultate abeundi de Curia tradidit. Utrumque proditum est in tabulis Consistorialibus. *Helias Saracha electus Ragusinus præficitur in Archiepiscopum Ecclesiæ Ragusinæ. Dat. Avenione anno Pontif. VIII.* ideſt 1342. *Testimoniales consecrationis Heliæ Archiep. Ragusini cum licentia recedendi de Curia. Dat. Aven. an. Pontif. VIII. XV. Kal. Aprilis*, ideſt 1342. Insignia gentis Columnæ stemmati suo gentilitio intexuit.

Post obitum tamen vel decessum Thomæ Canonici Ragusini, cum ad Comitia Archiepiscopalia convenissent, communi consensu Gratiam Episcopum Olchiuiensem in Archiepiscopum elegerant. At Pontifex, qui Eliam huic Ecclesiæ jam præfecerat, & jus præterea atque arbitrium destinandi Antistites omnibus Ecclesiis, quarum sedes vacarent, ad se antea revocaverat, Capitularem electionem abrogavit, tum suis litteris *Populo Civitatis ac Diœcesis Ragusinæ* inscriptis de Elia Archiepiscopo jam renunciato admonuit.

electus a Benedicto XII. PP.

Benedictus Episcopus Serv. Servorum Dei Dilectis Filiis Populo Civitatis & Diœcesis Ragusin. Salutem & Apostolicam Benedictionem. Pastoralis officii Nobis quamquam immeritis superna dispositione commissi cura frequens sollicitat mentem nostram, ut de universis Orbis Ecclesiis pro earum statu regendo salubriter, & fideliter dirigendo, quantum Nobis ex alto conceditur, sollicite cogitemus, sed de illis Ecclesiis propensius cogitare nos convenit, quas vacationum cognoscimus expositas detrimentis, ut eis per nostræ providentiæ studium in Pastores viri præficiantur idonei, per quorum circumspectionis industriam Ecclesiæ ipsæ illis commissæ salutis & prosperitatis Deo auctore votiva suscipiant incrementa. Olim siquidem Ecclesia Ragusina per obitum bonæ memoriæ Thomæ Archiepiscopi Ragusini, qui extra Rom. Curiam debitum naturæ persolvit, Pastoris solatio destituta, Dilecti Filii Capitulum ipsius Ecclesiæ Ragusin. vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt, & potuerunt commode interesse, die ad eligendum præfixa, ut moris est, convenientes in unum Ven. Fratrem nostrum Gratiam Episcopum Dulcinen. in Ragusinum Archiepiscopum concorditer postularunt, idemque Episcopus postulationi hujusmodi de se factæ consentiens ad Apostolicam Sedem accessit in his omnibus statutis a jure temporibus observatis. Negotio igitur postulationis hujusmodi proposito in Consistorio coram Nobis, Nos postulationem ipsam ex certis caussis rationalibus duximus repellendam, ac deinde attendentes, quod nullus præter Nos de provisione ipsius Ecclesiæ Ragusin. se ea vice intromittere poterat, pro eo quod nos diu ante vacationem hujusmodi provisiones omnium Ecclesiarum Cathedralium tunc vacantium, & in antea vacaturarum, cum postulationes de quibusdam personis tunc factas ad illas, & in posterum faciendas, per Nos repelli contingeret, dispositioni nostræ duximus reservandas, decernentes ex tunc irritum & inane, si secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingeret attemptari, ad provisionem ipsius Ecclesiæ Ragusinæ, ne prolixioris vacationis exponeretur incommodis, sollicite cogitantes, cupientes quoque eidem Ecclesiæ utilem & idoneam præsidere personam, post deliberationem, quam super his cum nostris Fratribus habuimus diligentem, ad dilectum filium Eliam de Saracha electum, & Ragusinum Canonicum in Diaconatus ordine constitutum, quem prout ex testimoniis fide dignis accepimus, morum & integritatis insignis honestas, litterarum scientia, prudentia spiritualium, & temporalium providentia, multaque alia virtutum dona commendant, convertimus oculos nostræ mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona ipsius Heliæ electi, Nobis & eisdem Fratribus ob hujusmodi suorum exigentiam meritorum accepta, eidem Ragusinæ Ecclesiæ de dictorum Fratrum consilio auctoritate Apostolica duximus providendum, ipsumque electum illi præfecimus in Archiepiscopum & Pastorem, curam & administrationem ipsius sibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque concepta ex laudabilibus suorum fructibus meritorum, quod, dextra sibi assistente Divina, præfata Ragusin. Ecclesia sub sua gubernatione utili & felici augmenta suscipiat commodi & honoris. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attente per Apostolica vobis scripta mandantes, quatinus præfatum electum devote re-

Digitized by Google

recipientes, & honeſte tractantes, ejus ſalubribus monitis & mandatis humiliter intendatis ita quod ipſe in vobis devotionis filios inveniſſe lætetur, voſque in eo Patrem habeatis aſſidue gratioſum. Datum Avenione XII. Kal. Martii Pontificatus noſtri anno octavo.

Ejus præclare facta.

Statim atque Raguſium Elias venit, primas curas impendit ad reſtaurandum, amplificandum, ornandumque Palatium Archiepiſcopale. Nihilo ſegnius ad rem Chriſtianam bene regendam, Divinum cultum augendum, Cleri populique mores ad honeſtatem ac religionem rite conformandos incubuit. Incredibile dictum eſt, quantum ei conciliaverit animos hominum ſingularis illius erga omnes benignitas, comitas, affabilitaſque ſermonis; cum æque viris patriciis ac plebejis carus eſſet, omnium voluntates ſic tenebat, ut eas quocumque vellet impelleret, undecumque vellet abduceret. Extant tabulæ cujuſdam donationis ab Elia factæ anno 1348. in quibus mira elucet ejus cum Capitulo Ædis Cathedralis conſenſio, & Canonicorum nomina deſcribuntur, qui conficiendis tabulis interfuerant; ſcilicet *D. Michael de Vodazza Diaconus, Nicolaus de Ragnina, Don Pre Marino de Zaverniſto, Don Pre Dobre de Menze, Don Pre Joanne de Serpa, Don Pre Clemente Pabura, Diaconus Nicolaus de Martinis, Diaconus Jacobus de Darxe, Don Petrus Oliva, & Don Pre Petrus de Gondola.* Erat præterea plenus conſilii, temporibus ſapienter utens, peritus rerum gerendarum, animo maximo. Ejus prudentiam, agendi induſtriam quanti & Senatus Raguſinus, & Romanus Pontifex faceret, graviſſimæ legationes ab utroque huic Archiepiſcopo demendatæ declarant. Cum Ludovicus Rex Hungariæ Neapolitana expeditione, quam fraternæ necis ulciſcendæ cauſſa ſuſceperat, proſpere functus anno 1349. in Hungariam rediiſſet, Raguſini tres Senatores miſerunt ad Regem, victoriam gratulatum, hujuſque legationis principem eſſe voluerunt Eliam Archiepiſcopum, cujus operam & ſollertiam ad ea, quæ ab Rege optabant, impetranda magni fore exiſtimabant. Nec dubium mihi eſt, quin ob ſpectatam Eliæ virtutem ac ſapientiam Benedictus Pontifex Raguſienſi Archiepiſcopo tum ſubjecerit Catharenſem Eccleſiam, quam Joannes XXII. juriſdictioni Metropolitæ Barienſis exemerat ob Gandulphi Archiepiſcopi contumaciam, qui jus nominandi Antiſtitis Catharenſis ſibi arrogabat: id conjicimus ex tabulis Eccleſiæ Georgianæ apud Peraſtum ſitæ, de quibus in Adamo Epiſcopo Catharenſi dictum eſt. Diu tamen eam in Catharenſes Epiſcopos auctoritatem non tenuit, quos Pontifex illi quodammodo commendaverat; nam paullo poſt Barienſis Archiepiſcopus veterem in eoſdem poteſtatem Clementis VI. indulgentia conceſſuque recuperavit. Vide hiſtoriam Epiſcopatus Catharenſis. Anno 1351. Clemens VI. Eliam cum Antonio Dyrrhachienſi Metropolita, & Bartholomæo Tragurienſi Epiſcopo miſit ad partes Raſciæ & Albaniæ ſchiſmaticis & hæreticis refertas, ut eos ab errore ad veritatem, a ſchiſmate ad ſinum Eccleſiæ revocaret. Lucas Waddingus Tom. IV. Annal. citat Epiſtolam Pontificiam iiſdem inſcriptam, & Avenione datam anno 1351. pridie Kalendas Septembris. Hanc Apoſtolicam expeditionem oppido difficilem, ac laborioſam cum ſociis ingenti animo ſuſcepit. Res bene ac feliciter geſta eſt, multique ab hæretica pravitate, & ſchiſmatica ſocietate abducti reſipuerunt, non repugnante, quin immo favente Rege Raſciano, quamvis Græcorum ſchiſmate implicitus eſſet.

Regis Serbliæ in Catholicos benevolentia.

Ea tempeſtate regnum in Serblis, & Raſcianis obtinebat Stephanus cognomento Duſcianus, nepos Uroſcii Milutini, filius Stephani, quem Uroſcius ex thoro non legitimo genuerat. Hic anno 1323. regnum adeptus cum Hungaris, Græcis, & Turcis proſpere pugnavit, & Serbliani regni finibus amplificatis, Imperatoris titulum ſumpſit, ſeque Romanorum, & Serblorum, ſive Raſcianorum Imperatorem appellari voluit. Quam bene affectus eſſet erga Latinos, & illorum ſacra, id argumento eſt, quod a Capitulo & Clero Baſilicæ Barienſis S. Nicolai rogatus annuam penſionem, quam ei Raguſienſes regiæ clientelæ cauſſa contribuebant, Baſilicæ eidem donavit, ut ejus diploma Auguſtale declarat ex Tabulario regio Baſilicæ S. Nicolai deſumptum.

Ejus ad Raguſinos epiſtola.

Stephanus Dei gratia Romaniæ, Sclavoniæ, & Albaniæ Imperator. Univerſis, & ſingulis hominibus Univerſitatis Civitatis Raguſiæ tam præſentibus, quam futuris, devotis noſtris, gratiam noſtram, & bonam voluntatem. Specialis illa devotio, quam erga Confeſſorem mirificum, & egregium Beatiſſimum Nicolaum felicis recordationis Dominus Oroſius Dominus avus noſter, & bonæ mem. Stephanus Dominus genitor noſter, Illuſtres Reges quondam Araſciæ habuerunt, & quam Nos multo magis habemus, ſpecialiter nos inducit, ut Eccleſiam ipſius Beatiſſimi Nicolai de Baro, in qua Corpus ipſius Sancti venerabiliter requieſcit, & de cujus tumba inceſſanter Manna manat, honore, & commodo benevolo proſequamur. Cum itaque ſicut pro parte Capituli dictæ Eccleſiæ petitio nobis exhibita continebat, in ipſa Eccleſia eſt neceſſitas certæ quantitatis ceræ anno quolibet pro cultu Divino; Nos autem conſiderantes, ut Divinus Cultus in ipſa Eccleſia augeatur, & ut ſpecialiter pro animabus Dominorum Avi, & Genitoris noſtri prædictorum, ac etiam pro ſalute noſtra, & Domini Nati noſtri, & noſtræ Conſortis oratio ſemper fiat, de noſtro tributo, quod habemus in dicta Civitate Raguſiæ, anno quolibet in perpetuum pro cera emenda in dicta Eccleſia ducenta perpera bonorum groſſorum Veneticorum, duodecim pro quolibet perpero computatorum, concedimus, atque donamus, incipiendo videlicet a præſenti menſe Auguſti præſentis anni quartædecimæ Indict. Mandantes propterea Univerſis, & ſingulis hominibus, Conſiliariis, ac aliis Officialibus dictæ Civitatis Raguſii, tam præſentibus, quam futuris, ut anno quolibet in perpetuum de noſtro Tributo prædicto, quod habemus in dicta Civitate Raguſii, ad requiſitionem Dominorum Nicolai Archipresbyteri Aquavivæ Baren. Diæc. & Nicolai de Barolo Canonicorum, & Procuratorum Capituli dictæ Eccleſiæ, vel aliorum Procuratorum dictæ Eccleſiæ, qui pro tempore erunt a præſenti menſe Auguſti præſentis anni incipiendo, ducenta perpera groſſorum Venetiarum, duodecim pro quolibet perpero computatorum, datis, & aſſignatis, aut ab aliis conſignari faciatis, pro emenda cera prædicta, & de dictis perperis ſingulis vicibus a dictis Procuratoribus præſentibus & futuris recipiatis bydoniam apodixam, eorum ſigillis ſigillatam, ad certitudinem & cautelam tam noſtræ Curiæ, quam Univerſitatis Raguſiæ. Datum Scopiæ ſub pendenti ſigillo, & ſubſcriptonibus manus noſtræ Majeſtatis anno Domi-

Digitized by Google

mini milleſimo trecenteſimo, quadrigeſimo ſexto, Indict. quartadecima, die viceſimo men. Auguſti, Imperiatus noſtri anno primo.

Ejus voluntas in ſacra Latinorum progenſa,

Stephanus Duſcianus Imperator in communionem & gratiam Romani Pontificis redeundi ſe cupidum oſtendit, & anno 1354. ſuis ad Innocentium VI. Internunciis miſſis propenſam ad ſacra Latinorum ſuſcipienda voluntatem declaravit. Verum poſtea cum Legatos & litteras Apoſtolicas plenas officii & paternæ caritatis accepiſſet, ſpem & exſpectationem Pontificis per ſummam levitatem & inconſtantiam fefellit. Nec vero dubitare poſſum, quin Elias cum ſociis Serblianæ Legationis Regis animum, cum a Catholica fide non alienum reperiſſet, ad eam amplectendam magis magiſque exſtimulaverit, eique auctor fuerit, ut ſuos ad Pontificem Internuncios mitteret. Ceterum Raguſini Oratores initia, & quaſi quædam ejus bonæ voluntatis ſemina Stephano ante aliquot annos primi omnium injecerant. Cum enim Latini presbyteri ab eo male habiti vexatique ad Benedictum XII. confugiſſent, opemque implorraſſent, hic Raguſinis negotium dedit, ut Regem illis placare, ejuſque benevolentiam conciliare omni cura atque opera ſtuderent, id quod per ſuos Oratores facile impetraverunt, ut Luccarus tradit lib. 2. Annal. Exinde Regis animus a Græcis ad Latinos inclinatione quadam voluntatis propendere cœpit. Raguſinos autem ille ſummopere amabat, illorumque in re publica moderanda prudentiam & gravitatem plurimi faciebat; ſæpe quidem pravorum aulicorum conſilio, ut ait Luccarus, impulſus fuerat, ut Raguſium in ſuam poteſtatem redigeret, nunquam tamen adduci potuit, ut vel minimum moleſtiæ Raguſinis exhiberet, quin immo perpetuam cum illis amicitiam coluit, eoſque privilegiis, ac beneficiis cumulavit, & adventu præterea ſuo, ac præſentia urbem cohoneſtare voluit. Cum Helena uxore, Uroſcio filio, & ingenti Procerum ac militum comitatu duabus Raguſinorum triremibus devectus Raguſium venit. Rector civitatis cum Senatu populoque, Archiepiſcopus cum Capitulo, Clero, & Epiſcopis fere omnibus ditionis Raguſinæ venienti obviam prodierunt, & ingenti plauſu exceptum inter fauſtas acclamationes in urbem, atque ad Palatium Prætorium deduxere. Octo ipſos dies commoratus eſt; quem quotidianis magnificentiſſimis conviviis, ludis, ſpectaculis honorarunt. Omnia ille & ſingula per otium contemplatus, pulcritudinem ædificiorum, mores civium ad omnem elegantiam & honeſtatem compoſitos, legum ſanctitatem, magiſtratuum deſcriptionem, publici regiminis formam ſapientiſſime conſtitutam admirari ſatis non poſſe videbatur. Quæ civitati privilegia vel ipſe, vel ſuperiores Serbliæ Reges contulerant, omnia confirmavit; & ſuadente Helena uxore, vectigal, quod e piſcatu capiebat, Virginibus S. Claræ perſolvi, & ducentos annuos ſalis modios attribui juſſit. Abeuntem eodem, quo advenientem exceperant, honore proſecuti ſunt. Hæc Jacobus Luccarus lib. 2. Annal.

& Raguſium advectus.

Hoc tempore quidam ſcelerati homines inſulæ Laguſtæ diœceſis Raguſinæ ſacrilegas manus injecerant in Andream Presbyterum, & ferreis vinculis conſtrictum in carcerem detruſerant. Exſecrandum facinus Jacobus de Montalto Rector urbis, atque inſulæ, adeo non impedierat, & improbaverat, ut fieri juſſerit, & ratum habuerit. Innocentius VI. Cœnobiarchæ S. Joannis Baptiſtæ in urbe Tragurii, & duobus Canonicis Eccleſiæ Tragurienſis per litteras mandavit, ut talis ac tanti flagitii auctores, participes, & conſcios nominatim anathemate majori percellerent, & ſacrorum omnium communione privatos publice denunciari juberent, atque illorum colloquio congreſſuque Chriſtianis omnibus interdicerent, neque iis vinculis exſolvi poſſent, niſi pro illatis injuriis ſatisfacerent, & a Sede Apoſtolica abſolutionem impetrarent, Pontificiæ epiſtolæ exemplar hic ſubjicio.

De ſacrilego Laguſtanorum facinore

Epiſtola Innocentii VI. prima.

Innocentius Epiſcopus Serv. Servorum Dei Dilectis Filiis ..... Abbati S. Joannis Baptiſtæ, & Thomaſio Maricolæ, ac Goislavo Slandri Canonicis Eccleſiæ Tragurien. Sal. & Apoſtolicam bened. Gravem dilecti Filii Andreæ de Seregna Presbyteri Raguſini nuper recepimus querelam, continentem quod Prodanus Gerdetvemilich, Radinus Bodaſſich, Jacobus Gislich, Marinus Malandrinich, Martinus de Spale, Radoanus Stavich, Stancho Braghovevich, Cuſma Bratoslavich, Bogdanus Bratoslavich, Drayco dictus Faber, Milath dictus Sartor, Sempho Gerdomilich, Marinus Radeslavich, Dragoslavus Vuchtich, Ivan Barthochovich, Zuccho Rethoenich, Dobretius Ratchohomæ, Stepcho Redoevich, Sacri Pribievich, Stepcho Mathohovich, Brachos Rechoevich, Grupſa Scoicovich, Vidos Snedeievich, Druſcho Predarich, Privarum Prodanich, Bratan Calegarius, Stoico Dragoslavich, Bogdan Salisch, Millo Cuſietich, Baſua Prodanich laici habitatores Inſulæ Laguſtæ Raguſin. Diœceſis in ipſum Presbyterum auſu ſacrilego injectis manibus Dei timore poſtpoſito temere violenter ipſum cæperunt, & compedibus ferreis, & careeri nequiter manciparunt, & per plures dies detinuerunt etiam mancipatum, Jacobo de Monte alto laico Rectore, Vicecomite nuncupato, ac Univerſitate dictæ Inſulæ fieri mandantibus, & poſt factum rata habentibus omnia ſupradicta. Ipſius itaque Presbyteri ſuper hoc ſupplicationibus inclinati Diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi ita eſt, dictos Sacrilegos, videlicet ſingulares perſonas ſuperius nominatas, nec non omnes alios & ſingulos de Univerſitate prædicta, quos inveneritis fuiſſe dicti Sacrilegii præcipuos patratores, tamdiu, appellatione remota, excommunicatos publice nuntietis, & faciatis ab omnibus arctius evitari, donec ſuper his ſatisfecerint competenter, & cum veſtrarum teſtimonio litterarum ad Sedem venerint Apoſtolicam abſolvendi, & nihilominus dicto Andreæ contra Univerſitatem prædictam faciatis ſuper bis juſtitiæ complementum. Non obſtantibus fel. recor. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris Noſtri.... qua cavetur, ne quis auctoritate Litterarum Sedis Apoſtolicæ ultra unam Dietam a fine ſuæ Diœceſis ad judicium evocetur, & de duabus Dietis in Concilio Generali, & aliis quibuſcumque Conſtitutionibus in contrarium editis, per quas veſtræ jurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim a Sede ipſa ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Quod ſi non omnes eis exequendis potueritis intereſſe, duo Veſtrum ea nihilominus exequantur.

Dat.

Digitized by Google

Dat. Avenion. Kal. Octobris Pontificatus noſtri anno primo. Jo. de Fulgineo.

Idem Pontifex alteras, itemque tertias ad eoſdem Abbatem & Canonicos litteras ſcripſit, ut de quibus accuſatus fuerat Andreas Preſbyter & condemnatus ab Archiepiſcopo, rite cognoſcant, ac pro veritate & juſtitia ſententiam ferant: Andreas ſiquidem ad Sedem Apoſtolicam appellaverat. Ex vero in hæc verba deſcripta.

secunda, *Innocentius Epiſcopus Serv. Servorum Dei Dilectis filiis Abbati Monaſterii Sancti Joannis Baptiſtæ de Tragurio, & Thomaſio Mariculæ, ac Goislavo Slandri Canonico Eccleſiæ Tragurien. Sal. & Apoſtolicam bened. Petitio dilecti Filii Andreæ de Seregna Preſbyteri Raguſin. nobis exhibita continebat, quod olim falſo ſuggeſto Ven. Fratri noſtro Archiepiſcopo Raguſin., quod dictus Preſbyter Dominicum Albaneſium Preſbyterum in Inſula Laguſtæ Raguſin. Diœceſis commorantem uſque ad ſanguinis effuſionem percuſſerat, & etiam vulnerarat, & quod poſtmodum idem Andreas ligatus excommunicationis ſententia, quam propter præmiſſa incurrerat, immiſcueris ſe Divinis, irregularitatis propter hoc maculam incurrendo, & nonnullos alios exceſſus commiſerat tunc expreſſos, præfatus Archiepiſcopus contra dictum Andream propter hoc ad ſuam præſentiam evocatum ſuper hiis ad inquiſitionem deſcendit, & licet idem Archiepiſcopus eumdem Andream per inquiſitionem hujuſmodi vel alias in præmiſſis, vel eorum aliquo culpabilem minime reperiſſet, ipſe tamen perperam in dicta inquiſitionis procedens negotio eumdem Andream propter præmiſſa in quadam Summa pecuniæ eidem Archiepiſcopo infra certum terminum perſolvenda ſententialiter nequiter condemnarit, a qua quidem ſententia pro parte dicti Andreæ ad Sedem fuit Apoſtolicam appellatum. Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus vocatis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propoſitis, quod juſtum fuerit appellatione remota decernatis, facientes quod decreveritis per Cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſervari. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne quis auctoritate Litterarum Sedis Apoſtolicæ ultra unam Dietam a fine ſuæ Diœceſis ad judicium evocetur, & de duabus dietis in Concilio Generali, & aliis quibuſcumque Conſtitutionibus in contrarium editis, per quas veſtræ juriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim a Sede ipſa ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per Litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Quod ſi non omnes hiis exequendis potueritis intereſſe, duo veſtrum ea nihilominus exequantur. Dat. Avenion. III. Nonas Octobris Pontificatus noſtri anno primo. Jo. de Fulgineo.*

tertia, *Innocentius Epiſcopus Serv. Servorum Dei Dilectis Filiis ..... Abbati Monaſterii S. Joannis Baptiſtæ, & Thomaſio Marculæ, ac Goislavo Slandri Canonicis Eccleſiæ Tragurien. Sal. & Apoſtolicam bened. Petitio dilecti Filii Andreæ de Seregna Presbyteri Raguſin. nobis exhibita continebat, quod olim Jacobo de Monte alto Rectore, Vicecomite nuncupato, & Univerſitate Inſulæ Laguſtæ Raguſin. Diœceſis falſo ſuggereutibus Ven. Fr. noſtro ..... Archiepiſcopo Raguſin., quod dictus Andreas duas aves Falconos, & Terzuolos nuncupatos in modo dictæ Univerſitatis conſiſtentes, & ad ipsam Univerſitatem, & quoddam Barcoſium ad Martinum Malandrini laicum de dicta Inſula Laguſtæ, & quædam alia lignamina ad duodecim homines ejuſdem Inſulæ prædictæ Diœceſis, quos nomine nominabant, ut dicebant, ſpectantia, violenter ſubtraxerat, a quibus in nonnullis pecuniarum ſummis tunc expreſſis Univerſitati prædictæ, ac Zubriano Dabroicevich, Jacobo Gislit, Marino Malandrinich, Doxe Prodaniſtavich, Radobre Marinich, Dragoslavo Vetich, Radeno Petracich, & Marino Bonletich laicis, & Balze Boxovi de Raguſio mulieri in dicta Inſula commorantibus præfatæ Diœceſis ex diverſis cauſſis etiam tunc expreſſis tenebatur, eaque ipſis reſtituere indebite recuſabat, dictus Archiepiſcopus ad falſam ſuggeſtionem hujuſmodi de .... nullaque ſuper hiis cognitione præhabita, quamquam etiam ſibi de prædictis aliquatenus non conſtat, prout nec conſtare poterat, cum ea non eſſent notoria, neque vera, dictum Andream propter hoc ad ſuam præſentiam vocatum ad reſtituendum aves, Barcoſium, lignamina, & pecuniarum ſummas prædicta infra certum terminum tunc expreſſum Univerſitati laicis hominibus, & Mulieri prædictis per ſuam, ut dicebat, definitivam ſententiam nequiter condemnavit, a qua dicta ſententia pro parte dicti Andreæ ad Sedem fuit Apoſtolicam appellatum. Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus vocatis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propoſitis, quod juſtum fuerit appellatione remota, uſuris ceſſantibus, debito fine decernatis, facientes, quod decreveritis, per Cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſervari. Non obſtante fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris Noſtri, qua cavetur, ne quis auctoritate ſacræ Sedis Apoſtolicæ ultra unam dietam a fine ſuæ Diœceſis ad judicium ....., & de duabus dietis in Concilio Generali, & aliis quibuſcumque conſtitutionibus m.....editis, per quas veſtræ juriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim a Sede ipſa ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, & excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Quod ſi non omnes iis exequendis potueritis intereſſe, duo veſtrum ea nihilominus exequantur. Datum Avenione III. Nonas Octobris Pontificatus Noſtri anno primo. Jo. de Fulgineo.*

Cœnobiarcha & Canonici Tragurienſes mandatis pontificiis paruerant, & ſacrilegos Andreæ Presbyteri percuſſores, cum in judicium vocati comparere noluiſſent, graviſſimorum anathematum telis confixerant, atque, ut Innocentius præceperat, ab Eccleſia cœtuque piorum hominum ſegregaverant. Tam inſignis exſecratio contemptores illos divini humanique juris, & in malignitate obſirmatos adeo non perterruit, ut inflicti ſibi vulneris ac dedecoris ulciſcendi cauſſa domum Andreæ, dum is aberat Romam profectus, invaſerint, ac diripuerint, atque etiam ejus vineas exciderint ac devaſtaverint. Innocentius tam projectam audaciam minime ferendam cenſuit, & ſuis ad Archidiaconum, Primicerium, Joannemque Canonicum Eccleſiæ Tragurienſis litteris imperavit,

vit, ut, quam Abbas S. Joannis Baptiſtæ cum duobus illis Canonicis in Laguſtanos ſententiam tulerat, confirmarent, eamque exſequendam, & Andreæ pro damnis illatis ſatisfaciendum omnino curarent, ad idque efficiendum, ſi opus eſſet, auctoritatem, ſeveritatemque Magiſtratus ſæcularis in ſubſidium vocarent,

et quarta. *Innocentius Epiſcopus Serv. Servorum Dei Dilectis Filiis ..... Archidiacono, & Primicerio, ac Joanni Petri Canonico Eccleſiæ Tragurien. ſal. & Apoſtolicam bened. Exhibita nobis pro parte dilecti Filii Andreæ de Seregna Preſbyteri Raguſin. petitio continebat, quod cum olim Prodanus Grodemenelich, Radinus Prodaſach, Jacobus Gislich, Marinus Malandrinich, Martinus de Spale, Radoanus Stanich, Stancho Brathoſenich, Cuſma Bratolavinch, Dragoe dictus Faber, Millach dictus Sartor, Sempcho Gerdomilich, Marinus Radoslavich, Dragoslavus Unerich, Ivan Arathochenich, Zencho Rethonich, Dobrenus Arathonich, Stephcho Rethoinich, Zorchi Pribienich, Bogdanus Bratboslavich, Bratchoe Rechoirich, Gruſpa Stoichovich, Vidos Sledeynich, Druſcho Predanich, Privam Prodarich, Bracham Calegarius, Stoyco Dragoslavich, Bogdan Salzich, Marcho Cutzechlich, Bochſa Prodarich laici habitatores Inſulæ Laguſtæ Raguſin. Diocæſis in ipſum Andream auſu ſacrilego injectis manibus, Dei timore poſtpoſito, tenere violentius ipſum cupiſſent, & compedibus ferreis, & carceri nequiter mancipaſſent, & per plures dies detinuiſſent etiam mancipatum, Jacobo de Monte alto Rectore Vice Comite nuncupato, ac Univerſitate dictæ Inſulæ hoc fieri mandantibus, & poſt factum rata habentibus omnia ſupradicta, idem Andreas noſtras ſuper his ad dilectos Filios ....., Abbatem Monaſterii S. Joannis Baptiſtæ ejus proprio nomine non expreſſo, & Thomaſium Mariculæ, & Goislavum Slanchi Canonicos Eccleſiæ Tragurien. Noſtras ſub ea forma litteras impetravit, ut ſi eſſet ita, dictos ſacrilegos, videlicet ſingulas perſonas ſuperius nominatas, & omnes alios & ſingulos de univerſitate prædicta, quos invenirent dicti ſacrilegii præcipuos patratores tandiu appellatione remota excommunicatos publice nunciarent, & facerent ab omnibus arctius evitari, donec ſuper his ſatisfacerent, & cum ſuarum teſtimonio litterarum ad Sedem venirent Apoſtolicam abſolvendi, dictoſque Laicos & Univerſitatem ad reſpondendum eidem Preſbytero ſuper his vigore litterarum hujuſmodi coram Dilecto Filio Dominico Abbate dicti Monaſterii, & Canonicis ſupradictis fecit ad judicium evocari. Idemque Abbas & Canonici laicos & perſonas, ac Univerſitatem prædictos, quia citati legitime non comparere coram eis etiam præfixo laicis Perſonis & Univerſitati prædictis ad hoc competenti & peremptorio termino non curarunt, propter hujuſmodi eorum contumaciam manifeſtam, in eoſdem Laicos, & perſonas prædictas ..... excommunicationis ..... Univerſitatem prædictos interdicti ſententias promulgarunt, & tandem Laicorum, perſonarum & Univerſitatis prædictorum contumacia excreſcente, laicos & perſonas ..... Univerſitatem prædictos interdictam fecerunt publice nunciari, & ab omnibus arctius evitari; & licet iidem Laici, & Univerſitas aſſeruiſſent, ſe propter hæc ad Sedem Apoſtolicam appellaviſſe ..... hujuſmodi non fuerint, quamquam potuiſſent intra tempus legitimum proſecuti ..... Cum autem ſicut eadem petitio ſubjungebat, iidem laici & Univerſitas ad domum ejuſdem Preſbyteri ..... ipſe ad Rom. Curiam pro dictis litteris impetrandis venerat, ipſoque propterea tunc abſente hoſtiliter accedentes fractis oſtiis dictæ domus pannos, libros, lectos, capſas, frumentum ..... quæcumque bona ipſius Presbyteri tunc ibidem inventa ſecum nequiter aſportarint pro eorum libito voluntatis, ac deinde pejora malis adjicere non verentes ad quaſdam vineas ejuſdem Preſbyteri ..... abſciderint, & etiam deſtruxerint ..... præmiſſa veritate utantur, nolentes, prout etiam nec poſſumus ea, ſalva conſcientia, ſub diſſimulatione tranſire, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, proceſſus hujuſmodi per Abbatem & Canonicos ſupradictos habitos auctoritate noſtra ad ſacrilegos aggre ....., eoſdem, & nihilominus vocatis ipſis & aliis, qui fuerint evocandi .... in ipſius abſentia, ut præmittitur, attemptatis, faciatis auctoritate prædicta juſtitiæ complementum, invocato ad hæc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, & aliis quibuſcumque Conſtitutionibus in contrarium editis, per quas veſtræ juriſdictionis explicatio valeat quomodolibet in hac parte impediri, ſeu ſi aliquibus communiter, & diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi & excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Dat. Avenion. II. Kal. Aprilis Pontificatus Noſtri anno tertio. Jo. de Tractis.*

Peſtilentia Raguſii ſæviens ope S. Blaſii depulſa.

Anno hujus ſæculi octavo ſupra quadrageſimum atrox vis morbi contagione vulgata totam Europam pervaſit. Nec civitas Raguſina communis cladis expers fuit. E patriciis centum & ſeptuaginta, e civibus ſecundi ordinis trecentos, e plebe ad ſeptem millia hominum partim in urbe, partim in ditione Raguſienſi extinctos fuiſſe tradit Seraphinus Razzius. Fuſiorem vero hujus calamitatis narrationem, & teterrimum adſpectum nobis exhibet liber teſtamentorum Theſaur. Raguſienſis, in quo fœdi morbi natura, & clades deſcribitur ab iis ipſis, qui luctuoſum urbis excidium ipſimet conſpexerant; & in ipſo libri initio hoc monumentum poſteritati legendum reliquere, ſimplici, & adhuc rudi Italici ſermonis ſtylo expreſſum, quem lubet hic omnino retinere. *Colo nome del Omnipotente Dio, Pare, Fiolo, e Spirito Santo, e de Madona Santa Maria Mare del Fiolo di Dio in ano Domini MCCCXLVIII. Lo noſtro Signor Dio mandò giudizio oribile & inaudito in lo univerſo mundo, ſi ſovra li Criſtiani, come ſovra li pagani, zoe mortalitade de homeni, & piu de femene de infermità inaudita, & incurabile da getar ſangue per la guola, e de naſſenze in diverſe parti del corpo, per tal modo che uno ſe impiſtava del altro, intanto che fiolo ſcapava dal pare, & ancora plu lo pare dal fiolo, ſi che tuta l'arte d'Apocrate, Galeno, & Avizena non ſerviva niente, però che non vale arte ne ſcienzia contro lo Divino conſilio. La qual mortalitade comenzò in Raguſi nel predeto mileſimo die XV. de dezembrio, e duro VI. meſi de longo, intanto che dal die meriva perſone CXX. e plu.*

In

In lo qual tempo morì gentilhuomeni de Conſejo in numero cx. & altre perſone di ogni condizione maſchi e femine morirono intro ..... E poi nui Stefano de Binciola, Nicola de Marizo de Lucaris & Giovani de Polo de Gondola Theſaureri di S. Maria conſiderando la grande quantitade de teſtamenti, li quali ne vene a mano in lo predicto tempo, azo che non andaſſe in deſordene, ordenaſſemo queſto libro, in lo quale ſi debe ſcrivere tuti teſtamenti antigi & del tempo de la mortalitade, & ancora del tempo, che ..... deli predeti teſtamenti, azo che le ultime voluntade de li morti ſia ſodisfati. Quæ quidem in latinum ſermonem ita convertimus. *In nomine Dei omnipotentis, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, ac Dominæ Divæque Mariæ Filii Dei matris anno Domini MCCCXLVIII. Deus Dominus noſter horribile & inauditum in univerſum terrarum orbem judicium exercuit, in Chriſtianos aque ac Infideles, peſtilentiam ſcilicet immittens, cujus morboſa vi immedicabili, nec audita unquam antea & homines, & multo plures mulieres interierunt, ſanguinem ex gutture evomentes, & corpore variis membrorum partibus intumeſcente; alter alteri vero tam facili peſtis attactu letalem morbum inferebat, ut filii a parentibus, parentes a filiis aufugerent, nec Hippocratis, Galeni, & Avicennæ ars quidquam prodeſſe poterat; nulla quippe artis ſcientiæve vis eſt, quæ Dei conſilium evertat. Lues hæc Raguſii ſe prodere cœpit idibus Decembris illius anni, & ſex continuos menſes adeo deſæviit, ut viginti ſupra centum eoque amplius mortuorum cadavera quotidie efferrentur; quo tempore viri patricii centum ac decem extincti ſunt, ex quovis autem genere viri & feminæ ..... Nos vero Stephanus Binciola, Nicolaus Marizi de Lucaris, & Joannes Paulli de Gundula Theſaurarii D. Mariæ, ne tot pereant teſtamenta, quæ hoc tempore nobis ſervanda tradita ſunt, juſſimus, hoc in libro tum ea, tum vetuſtiora omnia deſcribi, ut ſupremæ ſatisfiat mortuorum voluntati.*

Annus idem Raguſinæ peſtilentiæ conſignatur etiam in lapide impoſito Eccleſiæ fronti, quæ in inſula, ſeu mavis, ſcopulo *Tieſni* ſane exiguo exſtructa eo ipſo anno, poſtea a piratis diruta fuit, & ad Eccleſiam S. Stephani in inſulam Jupanam delato, ubi hodie viſitur.

Jam cunctis liqueat lecturis paginam iſtam
Natum Mathie de Gradis ex ſtirpe Felicem
Incolam Raguſii, nobilem urbiſque civem
Ob decus ob merite fabricavit Virginis edem
Hanc ſacram, eique medietatem contulit iſdem
Inſule preſentis, cum necis eſſet peſtis in orbe,
Sextus cum Clemens foret antiſtes in Urbe.
Xpti ab origine jam tunc preterierant anni
Milleno & tercentum decies quater & octo
Indictione prima Junii ſexto decimo die
Structor cum interiit pariter cum edidit illam
Adſtantem Baſilicam ſtruxiſſe Virginis alme.

Tam horrido & pertinaci malo conterriti, quibus adhuc lues pepercerat, cœleſtem iram placare, interpoſita S. Blaſii Patroni civitatis imploratione, communi conſilio ſtatuerunt. Itaque conceptis & ſolemnibus verbis, Elia Archiepiſcopo obſecrationem præeunte, Templum auguſtius & magnificentius Divo Blaſio voverunt. Nuncupationem voti ſanitas eſt conſecuta, peſtilentia depulſa, priſtina civitati facies reddi cœpta. Intra ſexennium eodem in loco, ubi vetus erat, nova Baſilica exſtructa eſt vel magnitudine, vel opere, ornatuque longe præſtantior, nec civium religione, nec urbis nobilitate indigna. In ejus ædificationem nummum argenteorum quadraginta millia impenſa ferunt. Ad cultum S. Blaſii augendum acceſſit Brachium ejuſdem beatiſſimi Martyris, quod a quodam mercatore Raguſino Thoma Viziano, cum Elias hanc Eccleſiam regebat, ex partibus Orientis delatum fuiſſe ſcribit Joannes Gundula, & pretiosa theca incluſum, cum aliis Divorum reliquiis in ſacrario depoſitum fuit, ubi ſumma religione aſſervatur & colitur. Seraphinus Razzius translationem Brachii Blaſiani Raguſium advecti in ſæculum proximum rejecit.

Monachi Baſiliani ſchiſmatici Stagno abire jubentur.

Cum peninſula Stagni vel empta, vel ex donatione Stephani Bani Boſnenſis in poteſtatem Raguſæorum devenit, erat ibi Cœnobium Baſilianum ritus Græci ſchiſmatici. Senatus Raguſinus pro ſingulari, quo flagrabat, ſtudio hæreticæ & ſchiſmaticæ pravitatis extirpandæ, Catholicæque fidei in quaſcumque adipiſceretur regiones invehendæ, vel reſtituendæ, Monachos illos, qui ſacrorum & rei Chriſtianæ procurationem in illis locis gerebant, cum bona gratia dimiſit, & pecunia ſatis copioſa inſtruxit, ut ſedes ſibi & victum alibi & aliunde compararent. In eorum locum Fratres Franciſcanos ſubſtituit, quorum opera atque induſtria brevi tota peninſula ad rectam in Deum Fidem, & Eccleſiæ ſinum reverſa eſt: iiſdem Cœnobium ibi ædificatum eſt; cujus acceptandi poſſidendique poteſtatem fecit Clemens VI. ſuis ad Vicarium & Fratres Boſnenſes litteris datis anno 1347. quarum initium apud Waddingum hoc eſt: *Ex dono cæleſtis gratiæ illud Ordini veſtro ineſſe conſpicimus, quod ubique locorum, in quibus degitis, fidelis populus doctrina Verbi pariter, & exempli ad ſalutis gratiam evocatur. Ea igitur eſſe debet nobis & Apoſtolicæ Sedis ſollicita cura loca veſtra per orbem terrarum longe lateque diffundere, ut quanto loca ipſa diffuſius propagamus, tanto peramplius poſſint &c.*

Pacta inter eoſdem Monachos & Raguſienſes.

Porro illi Monachi Baſiliani e ditione Raguſinæ abeuntes ſeceſſerunt in altiſſimum Macedoniæ montem, qui Athos dicitur, & Cœnobiis ac Cœnobitis ritus Græcanici frequentiſſime habitatur, ex eoque cognomen Sancti invenit. Ibi duo Monaſteria vel nova condiderunt, vel vetera, ſed aliorum diſceſſu vacua occuparunt, alterum S. Michaelis, alterum S. Georgii nomine & auſpiciis conſecratum. Cum vero ex antiqua ejus loci poſſeſſione triſtes ac mœrentes diſcederent, Rector & Senatus, ut amiſſi domicilii deſiderium lenirent, non ſolum illos amiciſſimis verbis & promiſſis proſecuti ſunt, ſed etiam quædam cum iiſdem pacta fecerunt ad mutuam benevolentiam retinendam, & ſtatis temporibus renovandam, quam muneribus ultro citroque datis & acceptis altero quoque anno confirmarent. Hæc autem ſunt inter utroſque conventa, iſque ritus ad ea ſervanda adhiberi ſolet. Singulis quibuſque bienniis elapſis Abbates ſeu Præſides utriuſque Cœnobii cum duobus vel tribus Monachis ex utroque Cœnobio vel ætate, vel auctoritate primariis, Raguſium ſe conferunt, & frequentiſſimo popularium ſuorum ejuſdem generis ac ritus comitatu aſſociati inſigni pompa per celeberrimas urbis vias civium undique ſpectandi cauſſa concurrentium refertas ad Palatium pro-

Digitized by Google

procedunt. In Aulam, ſive Curiam minoris Conſilii, conſpectumque Rectoris & Conſiliariorum admiſſi poſt officia ſalutationis conceptis verbis, demiſſo vultu, totiuſque coporis habitu ad venerationem compoſito perſoluta, Antiphonam *Salve Regina* patria Slavonica lingua & modulatione ſuaviſſime decantant. Deinde quatuor, quæ detulerunt, ferçula fructibus plena collectis ex agris atque hortis, quos illi ſuis manibus colunt, & ſerico velo cooperta Rectori & Conſiliariis tributi cujuſdam nomine offerunt. Ac primum quidem nucleos pineos, alterum ceraſa arefacta, tertium avellanas, quartum denique turundas e filis tenuiſſimis croci confectas exhibent. Sub munerum oblationem Senatui populoque Raguſino fauſta omnia precantur, pro ſalute reipublicæ vota faciunt, demum ſupplicibus verbis orant, ut velint jubeantque ſibi congiarium dari, quod *Candelam* vocant, ideſt ducentos nummos argenteos monetæ Raguſinæ ſibi ante ſuum e Peninſula diſceſſum ſub vocabulo *Candelæ*, ſive eleemoſynæ, ea conditione promiſſos, ut altero quoque biennio ad ea, quæ modo deſcripta ſunt, obſequii & venerationis officia præſtanda Raguſium venirent. Rector & Conſilium humaniſſimis verbis, & officioſa grati animi ſignificatione ſuam erga illos benevolentiam declarant, & ab ſe benigniſſime dimiſſos jubent adire ad Præfectos ærarii, & Curatores Baſilicæ Cathedralis, ut ab illis, quod petunt, recipiant. Hunc quoque Magiſtratum iiſdem, quibus Rectorem, & Conſilium, canticis, verbis, officiis, muneribus colunt, idem ab eo petunt, atque, ut ſibi donare velint, ſuppliciter rogant. Antequam e Raguſina ditione diſcederent, numiſma aureum, ſeu potius argenteum inauratum magnitudinem nummi Philippici exæquans, & Deiparæ Virginis effigiem inſculptam referens diſſectum fuit, duaſque in partes diviſum; partem ſuperiorem Præfecti ærario apud ſe retinuerunt; inferior data fuit Monachis illis abeuntibus, qui hanc inter ſe partiti cum eſſent, pars altera S. Michaelis, altera S. Georgii Cœnobio obtigit, & utrique diligentiſſime cuſtodienda tradita fuit. Utramque Monachi, cum Raguſium veniunt, ſecum referunt, & ſi quidem hæ duæ partes inter ſe, & cum illa, quæ in publico ærario aſſervatur, apte congruunt, tum demum pecunia ex pacto promiſſa Monachis numeratur. Hanc illi cum ſumma gratiarum actione accipiunt, lætique abeunt; & nihil fortaſſe illis longius videtur, quam ut, altero biennio elapſo, opportunitas redeat ſuæ egeſtatis hoc pecuniario ſubſidio ſublevandæ. Ceterum nulla lege tenentur Raguſii adeundi, & munera illa deferendi, idque totum in eorum arbitrio ſitum eſt, ac poteſtate. Sæpe autem accidit, ut itinera vel a graſſatoribus infeſta, vel propter metum peſtilentiæ intercluſa, aut alia impedimenta interpoſita facultatem profectionis Raguſinæ Monachis adimant.

Elias anno 1356. itemque 1359. Romam procuratorem miſit, qui ejus nomine ſacra limina viſeret, coleretque: ita in Tab. Obl. comperio Tomo 31. pag. 3. *Die vigeſima quinta Junii 1356. Dominus Helyas Archiep. Raguſ. pro uno triennio proxime tranſacto per D. P. Nigri de Auclicio Presb. procuratorem ſuum viſitavit*; & pag. 28. *Die 27. Maji 1359. Dom. Helyas Archiep. Raguſin. per ven. vir. Duynium Epiſ. Catharen. proc. ſuum viſitavit*. Anno 1358. graviſſimæ contentiones pro bonorum adminiſtratione interceſſerunt Communi Raguſino cum Nicolao de Tragurio Abbate Lacromenſi, qui Pontificium Legatum appellavit in Italia commorantem; cumque fictas pro ſua ſententia litteras ad Raguſinos detuliſſet, fraude detecta, in carcerem conjectus fuit Majoris Conſilii decreto; quod eſt hujuſmodi. *Die 17. Sept. 1358. In Maj. Conſ. &c. de dando libertatem D. Rectori & parvo Conſ. poſſe expendere de bonis Monaſterii Cromæ ad mittendum unum hominem ad D. Legatum, ad denunciand. qualiter Abbas Cromæ nobis apportavit litteras ex parte ipſius, quas credimus falſas eſſe. Et ad tractandum, quod debeamus ipſum mittere ad d. D. Legatum. Et ut apportet nobis abſolutionem de intromiſſione ſibi facta. Item de conſtringendo F. Nicolaum Ab. Cromæ in Carceribus inferioribus.* At anno ſequenti coram eodem Archiepiſcopo & Capitulo Ædis Cathedralis quædam inter Rectorem, Judices, Conſiliarios Civitatis, & Nicolaum Abbatem Cœnobii Lacromenſis pacta & conventa fuerunt conſtituta: quæ ſunt hujuſmodi.

Contentiones inter Commune Raguſinum & Abbatem Lacromenſem, & pacta.

Anno 1359. die 20. Auguſti.

In pleno & generali Conſilio Civitatis Raguſii more ſolito congregato, lectis prius vulgari ſermone Capitulis infraſcriptis, & pactis ſcriptis, & firmatis inter Nob. virum D. Joannem de Bona Rectorem Honorabilem, & Judices, & Conſiliarios Civitatis Raguſii ex una parte, & venerabilem virum D. Nicolaum de Tragurio ex altera, in præſentia infraſcripti D. Archiepiſcopi Raguſini, quorum Capitulorum, & pactorum tenores tales erunt. Ortis multis ſcandalis inter v. virum D. Nicolaum de Tragurio Abbatem Monaſterii Lacromenſis ex una parte, & regimenta Civitatis Raguſii ſeu Nobiles de Civitate ex altera, convenientes in unum ad præſentiam Rev. Patris Eliæ Archiep. Raguſini una cum ſuo Capitulo prædictus Abbas pro una parte, & Nobiles, & Sapientes viri D. Joannes de Bona Rector, & Judices, & Conſiliarii d. Civitatis ex altera, ad tale concordium pervenerunt.

I. Quod Conſilium Raguſii eligat tres bonos viros pro earum parte ſecundum antiquam conſuetudinem pro Procuratoribus d. Monaſterii, qui teneantur ſingulis duobus menſibus ire ad Monaſterium ad videndum, ſi infraſcripta pacta per Abbatem obſerventur.

II. Item quod Abbas teneatur ſingulis annis aſſignare dictis bonis hominibus Procuratoribus d. Monaſterii yperperos 200. de redditibus affictuum d. Monaſterii.

III. Item quod d. D. Abbas cum dictis Procuratoribus, & d. Procuratores cum d. Abbate teneantur & debeant dictos yperperos 200. convertere & expendere in utilitatem d. Monaſterii, ſeu domorum, aut vinearum ipſius Monaſterii, prout ipſi Abbati cum Procuratoribus prædictis videbitur pro utilitate d. Monaſterii, vel Eccleſiæ d. Monaſterii.

IV. Item quod dicti Procuratores, & d. Abbas teneantur omni anno in minori Conſilio datam aſſignare rationem ubi expenderint dictos yperperos 100.

V. Et vice verſa D. Rector cum minori Conſilio & majori teneantur & debeant libere relaxare d. D. Abbati omnes poſſeſſiones, domos, & bona, & redditus dicti Monaſterii ad tenendum, regendum, & gubernand. & fructus percipiend. & habend. pro ſe, & Conventu d. Monaſte-

Digitized by Google

naſterii libere & expedite tam pro tempore præterico, quam pro præſenti.

VI. Propter quæ idem D. Abbas teneatur & debeat, ac promiſit de dictis redditibus, ac proventibus ſubvenire, & manutenere tot pauperes, quot aſſignabit ei, & videbitur minori Conſilio ſecundum poſſibilitatem introituum, & redditum d. Monaſterii in victu & veſtitu ſecundum conſuetudinem, & ſtatuta antiqua Civitatis Raguſii.

VII. Quod d. Abbas teneatur tenere in d. Monaſterio tot Monachos, quot videbitur D. Rectori cum Min. Conſilio poſſe commode tenere ſecundum poſſibilitatem d. Monaſterii, & dare dictis Monachis victum & veſtitum.

VIII. Ita dicti Monachi ſemper remaneant ad correctionem, & diſciplinam Abbatis ſecundum Regulam Monachalem: quod dicti Monachi recipiantur in Monaſterium per electionem Abbatis, & Conventus, ſecundum eſt de jure.

Supradicta omnia, & ſingula d. D. Abbas promiſit, & ſe obligavit attendere, & manutenere ſupponens ſe jurisdictioni, & ſententiæ, & mandato d. D. Archiep., qui D. Archiep. teneatur ipſum D. Abbatem conſtringere ad obſervationem omnium prædictorum. Omnia vero pacta alia, & ſcripturæ factæ, & facta prius ſint caſſa, & caſſæ & nullius valoris; & ſupradicta nunc facta firmam obtineant efficaciam.

Poſito partito, ut moris eſt, captum fuit & firmatum per 55. de dicto conſilio volentes, quod fiat, prout ſupraſcriptum eſt, & firmatum; & contra fuerunt 13.

Annos ſane plurimos huic Eccleſiæ Elias ſic præfuit, ut nemini ullam offenſionis cauſſam præbuerit, omnibus benigne ac bene fecerit, nemoque eſſet, quin eum ſummopere coleret, ac diligeret; adeoque cunctorum animos tenebat, ut nihil a quoquam poſtularet, quamvis magnum & arduum, cujus non facili negotio compos fieret. Letali morbo correptus, atque in extremo vitæ diſcrimine conſtitutus, primariis Senatoribus arceſſitis, arcana, & occulta quædam aperuit, a quibus niſi caverent, ingens periculum Reipublicæ ac libertati immineret; illud præſertim eos ac potiſſimum admonuit; ſi utramque ſalvam vellent, ut omnem civibus ad Sedem Archiepiſcopalem aditum obſtruerent, ne callide, ac blande ſe paullatim in ſuorum popularium animos inſinuarent, &, collecta populari gratia, freti auctoritate ac poteſtate Archiepiſcopali ad quælibet audenda abuterentur; ſibi quidem nihil facto facilius fuiſſet, quam urbis dominatum vel ſibi occupare, vel ad alios transferre; ſed patriæ legibus, ac ſuæ erga illam caritati obtemperare ſatius duxiſſe quam ſuis civibus ſuæque civitati imperare, vel efficere, ut imperarent extranei. Hæc admonitio ab cive ſuorum amantiſſimo & morti proximo profecta in eorum animis inſedit, eoſque impulit, ut de communi omnium ſententia vetus illud decretum renovarent, quo cautum fuerat, ne quem civium Archiepiſcopum fieri ſinerent. Hæc Seraphinus Razzius in Synopſi Chronologica Antiſtitum Raguſienſium. E vivis exceſſiſſe dicitur anno 1359. hunc ſiquidem annum emortualem in libro, quem Viridem appellant, Eliæ adſcriptum eſſe Sebaſtianus Dolci teſtatur. Seraphinus Razzius, Joannes Gundula, Jacobus Luccarus in annum proximum hujus ſæculi ſexageſimum ejus mortem rejiciunt.

Eliæ Archiep. monita præclara.

Verum enimvero ſi monumentis Hungaricis, & regiis diplomatibus fides habenda eſt, ut certe haberi debet, Elias multo longius vitam produxit. Raguſini ſe ſuamque rempublicam, ut contra finitimas gentes, quæ opibus copiiſque præpollebant, potentiorum Regum patrocinio communirent, in horum fidem & clientelam conferre ſolebant. Horum ſiquidem præpotens auctoritas, reverentia, & metus ceteros populos, Dynaſtas, ac Reges abſterrebat, ne Raguſinis moleſti eſſent, infenſique. Ut nunc eos Imperatoris Turcarum, ita olim Imperatoris Græcorum, ac deinde Regum vel Serbliæ, vel Hungariæ patrocinium tutos ab inimicis injuriiſque præſtabat. Cum Imperatorum Orientalium opes vireſque quotidie magis decreſcerent, primum ad Serbliæ, poſtea ad Hungariæ Reges ſibi confugiendum putarunt, in quorum tutela ac præſidio ſecuri conquieſcerent. Sæculo decimo quarto rerum in Hungaria potiebatur Ludovicus Magnus, qui reges ſuperiores tum imperii magnitudine, tum rerum geſtarum gloria vicit. Hic igitur Raguſienſes regium patrocinium expoſcentes in ſuam fidem benigniſſime recepit; atque ut oſtenderet, quam grata ſibi fuiſſet ſupplex illorum poſtulatio, quantoque honori ſibi duceret patrocinium clariſſimæ civitatis & Reipublicæ ad ſe delatum, Eliæ Archiepiſcopo Raguſino, & ejus ſucceſſoribus jus adeundi Comitia Hungarica, ſubſellii proxime poſt alios Regni Archiepiſcopos occupandi, ac ſententiæ dicendæ, ferendique ſuffragii conceſſit. Itaque decretis Regum Hungariæ condendis, ut ceteri Regni hujus Antiſtites, ſic Elias quoque interfuit, & ſubſcripſit. Ejus nomen tribus Ludovici Regis diplomatibus inſcriptum invenio. Primum illud eſt, quo idem Rex anno 1360. Virginibus D. Clarè donavit oppidum *Monyaras* appellatum; eamque donationem ſuo chirographo approbarunt *Nicolaus Strigonienſis, locique ejus Comes perpetuus, ſummus Cancellarius, Thomas Colocenſis, Ugolinus Spalatenſis, Nicolaus Jadrenſis, Elias Raguſanus Archiep. Nicolaus Agrienſis &c.* Alterum eſt Privilegium conceſſum Virginibus ſacris Budenſibus: *VIII. Kalendas Menſis Aprilis, anno Domini milleſimo tercenteſimo, ſexageſimo ſeptimo.... Venerabilibus in Chriſto Patribus & Dominis Thoma Archiepiſcopo Colocenſi ad Strigonienſem, nunc vacantem, Dominico Epiſcopo Cſanadienſi ad dictam Colocenſem Eccleſias poſtulatis, Ugolino Spalatenſi, Nicolao Jadrenſi, & Elia Raguſien. Archiepiſcopis, Demetrio Varadien. &c.* Tertio denique diplomate Ludovicus omnia privilegia Virginum de Valle Veſprimienſi confirmavit an. 1373. XIII. Kalendas Auguſti. Teſtes adfuerunt *Valentinus Eccleſiæ Strigonienſis Lector Vice-cancellarius, Thomas Strigonienſis, F. Stephanus Colocenſis, Ugolinus Spalatenſis, Nicolaus Jadrenſis, Elias Raguſien. Archiepiſcopi, Michael Agrienſis &c.* Tantum igitur abeſt, ut Elias anno 1359. vel 1360. mortem obierit, ut ad annum uſque 1373. vitam perduxerit.

Raguſini ſub Regum Hungaricorum clientela tuti.

Verum dubitari nequit, quin anno 1362. ſucceſſor in Sedem Raguſinam Eliæ datus fuerit Hugo Cicada, huic autem anno 1370. Petrus Calix; id enim ſatis perſpicue declarant Tabulæ Romanæ. Quapropter ut diplomata Ludovici modo laudata, & Tabulæ Romanæ inter ſe conciliari poſſint, ego ſic exiſtimo, Eliam anno circiter 1360. ſedem quidem Archiepiſcopa-

Digitized by Google

lem abdicatione voluntaria Hugoni vacuam reliquiſſe, ſed titulum Archiepiſcopi Raguſini, quoad vixit, retinuiſſe, itemque jus adeundi ad Comitia Hungarica, & regiis Diplomatibus ſuum nomen & chirographum cum ceteris Epiſcopis Regni Hungariæ ſubſcribendi. Ita fit, ut, adminiſtratione Eccleſiæ Raguſinæ depoſita, titulo Archiepiſcopali retento, adhuc viveret anno 1373. cum hoc ipſo anno Privilegium Ludovici Regis Hungariæ Virginibus de Valle Veſprimienſi conceſſum ſuo nomine, ſuaque ſubſcriptione approbaverit. In libro autem *Viridi*, quem ejus obitus teſtem citat Sebaſtianus Dolci *ſub die* 20. *Auguſti* 1359., vel in hanc notam chronologicam error irrepſit, vel ibidem non ejus *obitus*, ſed *abitus*, diſceſſuſque ex Archiepiſcopatu enunciatur. Sententiam noſtram confirmant decreta Senatus Raguſini, quæ huic loco Raguſienſis Hiſtoriæ clariſſimam afferunt lucem: ſunt enim hujuſmodi. *Die* 3. *Madii* 1360. *In Conſilio Rogatorum &c. de mittendo ad Curiam Romanam Tuodorum Cancellarium pro facto Archiepiſcopatus noſtri: Item quod nullum navigium terrigenarum vel forenſium poſſit recedere de Raguſio per totam hanc diem ſine licentia D. Rectoris.* Etenim Patres Raguſini inopinata Eliæ abdicatione perculſi illico Pontificem monendum eſſe cenſuerunt; tum optimi ſane Archiepiſcopi, quem ſummopere venerabantur, in patria ſaltem retinendi percupidi edicto caverunt, nequod navigium ea die, qua diſceſſum parabat Elias, e portu ſolveret, inſcio Civitatis Rectore, ſi forte poſſet interea a propoſito dimoveri: tum, quoniam in ſententia abdicationis jam obſignatæ perſtabat, a Majori Reipublicæ Conſilio juſſum, ut per litteras novus a Pontifice Antiſtes poſtularetur: *Die eadem. In Majori Conſilio &c. de dando arbitrium D. Rectori, & Conſilio parvo ordinandi litteras mittendas ad Summum Pontificem, & ad alios pro Archiepiſcopo eligendo, & ad faciendum expenſas, & ad omnia alia utilia pro honore civitatis noſtræ circa prædicta. Quæ litteræ debeant deſtinari per Tuodorum Cancellarium.* Haud tamen diffiteor, hæc Patrum decreta poſſe liquido intelligi de exortis inter Canonicos Raguſinos diſſidiis, cum de Archiepiſcopo eligendo tractarent; quare ſtatuerit Senatus Archiepiſcopi electionem Pontificis voluntati omnino eſſe permittendam, nequid ſecus dedecoris huic nobiliſſimæ Eccleſiæ vitiata forte novi Præſulis creatione inſpergeretur: de quo paullo inferius. Poſt annum 1373. incertum quo anno, quove menſe, Raguſii in domo paterna mortem obiit; & cum ab ea ſe prope abeſſe cognoſceret, præclarum illud monitum, quod ſupra diximus, ſuæ in patriam caritatis & prudentiæ plenum ſuis civibus reliquit. Hoc tempore Boſnenſis, & Rhizinienſis Epiſcopatus ſuberant Metropolitæ Raguſino; de quibus paullo inferius dicendum: de Rhizinienſi quidem extant Pontificiæ litteræ anno 1350. inſcriptæ Eliæ Archiepiſcopo, quibus de Rhizinienſis Epiſcopi electione monetur; eaſque alio in loco afferemus.

Elïæ ab Archiepiſcopatu voluntaria abdicatio.

De Hungarorum Regum patrocinio, quo gaudebat Reſpublica Raguſina, hoc etiam ſubjicere libet. Maria filia Ludovici Regis anno 1382. extincti, ut in Regnum, ſic in tutelam Raguſinæ civitatis, quam ſuam vocat, ideſt ſuæ fidei & clientelæ commiſſam, parenti ſucceſſit. Extat ejus Diploma, quo juribus & privilegiis Raguſienſium cavet, vetatque *contra libertatem, & antiquam conſuetudinem ipſius civitatis*, ſalem & vinum ad Caſtrum novum, quod Tuartkus Rex Boſnæ, & Raſciæ conſtruxerat, aut alio deferri; id ſiquidem in damnum vergebat Raguſienſium, quorum jus erat pervetuſtum e ſuis vineis & ſalinis vinum & ſalem in ea loca tranſmittere.

Nos Maria D. G. Regina Ung. Dal. Croatiæ &c.

Diploma Mariæ Reginæ Hungariæ pro Raguſinis.

Notum facimus tenore præſentium quibus expedit univerſis, quod fideles noſtri Rector, Judices, Conſilium & Commune Civitatis noſtræ Raguſii miſſis ad noſtram Majeſtatem providis viris, Petro de Gondola, & Stephano de Luccaro eorum concivibus nunciis, & Ambaſciat. nobis humiliter ſignificarunt, quod nonnulli forent homines in dictis Regnis noſtris Dalm. & Croat. qui vinum & ſalem ad quoddam Caſtrum de novo per D. Regem Raſciæ & Boſnæ inter prædictam Civitatem noſtram Raguſii, & Civitatem noſtram Cathari appellatam, in loco Dracavizza nominato conſtructum, & etiam ad alia loca inconſueta contra libertatem, & antiquam conſuetudinem ipſius Civitatis noſtræ Raguſii, & in opprobrium, & diminutionem jurium ejuſdem Civitatis noſtræ portarent, & deferrent, ſupplicant nobis, ipſis ſuper hoc providere de remedio opportuno. Nos itaque volentes dictam Civitatem noſtram Raguſii in ſuis libertatibus & conſuetudinibus antiquis illibate conſervare, ut exinde dicti Cives noſtri diſcant ſub Principe glorioſo devoti famulari, atque ab ipſis utilitatis & honoris materia, lucrumque fructiferum Regiæ perveniant Majeſtati, de conſilio, conſenſu, & beneplacita voluntate Sereniſ. & Excellentiſ. Principis D. Eliſab. præmiſſa D. G. Ung. Pol. Dalm. &c. genetricis noſtræ cariſſimæ, Prælatorumque, & Baronum R. noſtri præmaturo ſancientes duximus committendum, ut a modo, & deinceps nullus incolarum Regnorum noſtrorum memoratorum vinum & ſalem ad prædictum Caſtrum Novum in loco Dracovizza, ut præfertur, conſtructum, & ad alia loca inconſueta contra antiquam libertatem, & conſuetudinem dictæ Civitatis noſtræ Raguſii, & diminutionem jurium ejuſdem Civitatis noſtræ portare præſumat, vel deferre ſub pœna amiſſionis & privationis vinorum & ſalium prædictorum, & hoc voluimus in foris, & locis publicari in dictis Regnis noſtris Dal. & Croatiæ palam ubique facere proclamari, prout etiam in formam noſtri Privilegii redigi faciemus, dum nobis eædem in ſpecie fuerint reportatæ. Datum Budæ ſub magno noſtro ſigillo ſabbatho prox. poſt quindenas Feſti Paſchæ Domini Anno ejuſdem 1383.

Ad annos ſuperiores ut reverſamur, dum Elias Raguſinam Eccleſiam adminiſtrabat, Stephanus Uroſcius filius Stephani Duſciani, qui poſt mortem parentis anno 1356. e vivis ereptj apud Serblianos atque Raſcianos regnare cæpit, &, quem pater ſumpſerat, titulum Imperatoris ſibi arrogavit, Baſcio Baroncello, & Tryphoni Bucchiæ patriciis Raguſinis ob eximiam & perutilem operam ſibi ſuoque Imperio navatam inſulam Melitam donavit. Hanc ante annos ducentos Deſa Monachis Benedictinis, ut diximus, tradiderat, retento ſibi ſuiſque ſucceſſoribus Serbiæ Regibus ſupremo dominio; quæ inſula demum ſeu pecunia, ſeu bello acquiſita in poteſtatem Reipublicæ Raguſinæ pervenit. Extat diploma Uroſcii anno 1365. confectum, quod e Slavonico in Italicum,

Inſula Melita ſub Raguſienſium ſupremo imperio.

cum, in latinum ex Italico ſermone converſum, omiſſo proœmio, eſt hujuſmodi: *Cum in conſpectum noſtrum venerint Baſcia Baroncellus Rivovichius vir nobilis Imperii noſtri, itemque Tryphon filius Michaelis Bucchiæ, ob eorum egregiam erga nos fidem, & præclara in Rempublicam noſtram merita, illis dono dedimus, & tradidimus Inſulam Melitam cum plena poteſtate ejuſdem alienandæ vel dotis, vel donationis nomine, itemque Eccleſiis, quibuſcumque voluerint, attribuendæ, & in omnem ſuum uſum commodumque pro ſuo arbitratu redigendæ. Nemini vero ſeu Dynaſtæ, ſive Imperatori liceat hanc Inſulam illis adimere; & ſiquis id conetur, in eum Dei Patris, Filii, & Spiritus Sancti, Virginis Mariæ Deiparæ, duodecim Apoſtolorum, omniumque Sanctorum Patrum exſecratio incumbat; cui ego quoque, licet peccator, Stephanus Uroſcius Imperator, & mater mea Helena Imperatrix, & ſpiritualis Pater meus Sava Patriarcha, ejuſque ſpirituales filii pœnas, diraſque omnes imprecamur. Quod igitur a nobis ſancitum & confirmatum eſt, id omnes ita ratum habeant & confirment, quemadmodum ego Imperator iterum ſancio & confirmo, meoque legitimo ſigno aureo rite obſigno.* Ita Cœnobium Benedictinum ejus Inſulæ, quod deinde fuit parens, & caput Congregationis Melitenſis, ad novos Dominos migravit; ac deinde ſub imperium Reipublicæ Raguſinæ tranſivit, & latifundiis magis in dies magiſque auctum nunc uberrimos e tota fere inſula proventus capit.

Joannes expungitur e catalogo Archiep. Raguſin.

Vincentius Maria Fontana in Theatro Dominicano ad annum 1363. P. Joannem Præſidem Cœnobii Raguſini Fratrum Prædicatorum Catalogo Archiepiſcoporum Raguſienſium adſcripſit. *P. Joannes Prior Raguſinus hanc eandem conſecutus eſt Archiepiſcopalem Sedem Raguſinam ab Urbano V. 2. Id. Junii anno Pontificatus ſui primo, qui fuit humanæ ſalutis 1363. prout habetur in libro Proviſionum Prælatorum ejuſdem Urbani.* Teſtem citat Ughellum ex ejus manuſcriptis. Sed hic abeſt ab omnibus Catalogis & Scriptoribus Raguſinis, neque huic locus eſſe poteſt ſub anno 1363., nam hoc Sedem Raguſinam occupabat proximus poſt Heliam

HUGO ARCHIEP. RAGUSINUS XXXV.

Hugo Archiep. anno 1362.

Quem alii *Cicadam*, alii rectius *Cigalam* cognominant; erat ſiquidem ex Cigala Genuenſi familia in primis clara & opulenta, filius Gregorii Ducis Reipublicæ, ut docet Petrus Creſcentius in eo libro, qui *Præſidium Romanum* inſcribitur, in quo plures ejuſdem gentis Cigalæ præclariſſimos viros percenſet. Sed nova Archiepiſcopi electio gravi contentioni fuit obnoxia, nam Dominicus Epiſcopus Corcyrenſis, cum de Eliæ abdicatione quidquam forte præſenſiſſet, per epiſtolas mendaciis, doliſque omnino inſperſas Raguſii apud quoſpiam agebat, ut ipſe in ejus locum ſufficeretur. Quod ubi a Raguſinis compertum eſt, litteras Dominici, quas penes illius famulum deprehenderant, in frequenti Senatu IV. Non. Maii an. 1360. legi juſſerunt, easque ad Innocentium Pontificem deferri per Theodorum, quem pridie legatum elegerant, ut novum ab illo Antiſtitem totius Reipublicæ nomine poſtularet: id ex actis Raguſini Senatus cognoſci facile poteſt. *Die* 4. *Mad.* anni ſcilicet 1360. uti paullo ante in Elia Archiepiſcopo dictum eſt; *in Conſ. Rog. quod litteræ inventæ famulo Epiſc. Curzolen. legi debeant. Item de mittendo per Tuodorum Cancell. ad Curiam Rom. illas duas litteras Epiſc. Curzolen. quæ faciunt mentionem de Simonia, quas oſtendere debeat Sum. Pontifici, ſi Tuodoro videbitur. Item q. dicatur in litteris Sum. Pont. & Cardinalibus, quod non eſt aliquis ſufficiens ad hanc dignitatem Archiepiſcopatus.* Dominicus interea Raguſium advenerat, ut præſens ipſe conſilii ſui fautores arctius ſibi obſtringeret, aliosque in ſuam partem pertraheret, quorum ope ſperabat, ſe ad concupitum Archiepiſcopatus gradum facile aſcenſurum; verum adeo apertum impudentis hominis ambitum non eſſe ferendum rati, cum prid. Non. Maii iterum Patres in Conſilium conveniſſent, decretum abeundi ab urbe & proximis circum finibus Epiſcopo indixere; Raguſii tamen ad dies octo conſiſteret, donec in ejus cauſſam Conſilii ſententia decerneretur; & Theodorum quemdam Drivaſtenſem, qui litteras illas Dominici nomine ſcripſerat, Raguſio ejecerunt. *Die 6. Madii in Maj. Conſ. &c. quod amodo inantea Epiſcopus Dominicus Tobia non debeat morari Raguſii, nec in diſtrictu & quod licentietur, nec debeat recedere hinc uſque ad octo dies rationibus & cauſis ratiocinatis de ipſo in hoc Conſilio. It. de dando arbitrio D. Rectori & Conſ. Rog. ſuper facto Tuodori de Drivaſto, qui ſcripſit litteras pro ſervitio Epiſcopi de Curzola contra honorem & ordinem Rag. Die* 8. *Mad. in Conſ. Rog. de expellendo de Rag. Tuodorum de Drivaſto, dando ei terminum competentem.* At Dominicus de ſua cauſſa pulſus, & in Raguſinos acriter commotus, quod per fraudem minime poterat, id vi obtinere adhuc nitebatur, & Raguſienſes apud Hungariæ Regem accuſans de illatis ſibi, ut ajebat, injuriis graviter conqueſtus eſt: nec defuere, qui Epiſcopum apud Regem tuerentur: ſiquidem Raguſini a Legatis, quos in Hungariam miſerant, per litteras admoniti de illius audacia eo compulſi ſuere, ut impudentiſſimum Epiſcopi facinus Regi detegerent legatorum opera, & æquo jure lata ab ſe decreta probarent. *Die 16. Decemb. 1360. in Conſ. Rog. de mittendo Curſores cum litteris per duas manus per viam Boſnæ & per viam Segnæ Ambaſſiatoribus excuſando Civitatem Raguſ. ſuper accuſatione nuper facta per Episcopum Curzolen. Item de mittendo illas proprias litteras quas mittebat Epiſcopus Curzolen. fraudulentas & mendaces & falſas pro eſſendo Archiepiſcopus Raguſinus, & quod pro his & aliis ab hominibus fuit expulſus.* Hæc dum Raguſii agebantur, Theodorus ad Pontificem legatus Avenione rediit menſe Februario an. 1361. & lætum ab Innocentio nuncium attulit, quo illos de electo jam Hugone Archiepiſcopo certiores reddidit; quare, compoſitis etiam cum Hungariæ Rege rebus, mox quies & tranquillitas turbatis civium animis reſtituta eſt. Hugo in Congregatione Caſſinenſi S. Benedicti nomen dederat, ut tradunt Joannes Gundula, & Euſebius Caboga Abbas Melitenſis. Eximia doctrina cum præditus eſſet, & omnium virtutum laude floreret, dignum ſe præbuit, quem Innocentius VI. ad Sedem Epiſcopalem Raguſinam eveheret anno 1362. ut colligitur ex tabulis Romanis (Tomo 35. Obl. pag. 141.) in quibus legitur obligatio ſolvendi pro communi ſervi-

Epiſcopus Corcyrenſis Archiepiſcopatum affectat.

gute florenos ducentos, quam Hugo ſuſcepit: ita enim ibi ſcriptum eſt. (Obl. T. 35. pag. 16.) *Die Jun.* 18. 1362. *Dominus Hugo Archiepiſcopus Raguſin. promiſit pro ſuo communi ſervitio* 200. *Florenos*. Egregiis virtutibus ad munus Epiſcopale pro dignitate ſuſtinendum, & ſtrenue obeundum idoneis inſtructum fuiſſe illud vel maximo argumento eſt, quod eum delegit Innocentius VI. qui, ut eſt apud Sandinum de vitis Romanorum Pontificum, *Sacerdotia contulit ſolummodo ſpectatiſſimis pietate ac doctrina viris, docuitque Eccleſiaſticas dignitates non generis, ſed virtutis præmia eſſe.*

Quædam Hugonis acta.

Ægidius Epiſcopus Sabinenſis jam inde ab anno 1359. Legatus Apoſtolicus quinque jam annos peragrandis luſtrandiſque Eccleſiis Dalmaticis & finitimis conſumpſerat; nec vero debitas ab Episcopis Dalmatiæ procurationes quatuor poſteriorum annorum receperat. Nam jus Epiſcopale procurationes exigendi, cum diœceſes ſuas Epiſcopi luſtrant, a præfectis Eccleſiarum, commune erat Legatis Apoſtolicis, quibus Archiepiſcopi, & Epiſcopi, quorum Provincias & Eccleſias obibant, inſpiciundi cauſſa numquid detrimenti res Chriſtiana & Eccleſiaſtica cœpiſſet, & quibus utraque remediis vel auxiliis indigeret, tantum tribuebant, quantum pro Eccleſiæ cujuſque facultate præſcriptum ſingulis erat majori vel minori taxatione ad victum, & viaticum in primis neceſſarium. Hujuſmodi autem contributiones procurationum vocabulo appellari ſolebant. Anno igitur 1364., ut ceteri Epiſcopi Dalmatiæ, ſic etiam Hugo Archiepiſcopus Raguſii tantundem pecuniæ Legato Apoſtolico, vel ejus Procuratori, numerari juſſit, quantum pro ſolutionibus quatuor annorum ab ſe, ac deceſſore ſuo neglectis persolvere debuerat. Sed ejus Provinciales Epiſcopi, cum nulla illis taxatio impoſita fuiſſet, nihil ſolverunt. Hæc ex lib. 401. Intr. Exit. Cam. pag. 200. ſub hoc titulo, quem nobis deſcripſit Cardinalis Garampus.

Taxa procurationum debitarum & ſolutarum Ægidio Ep. Sabinenſi pro 2. 3. 4. & 5. annis primæ ſuæ Legationis uſque ad 1. Octobris 1364.

Provincia Sclavoniæ (1) & Iſtriæ ſupra mare.
Archiepiſcopus Raguſin. debet pro quolibet anno . . . . . Flor. 50.
Solvit pro dictis 4. annis Flor. 200.
Epiſcopus Stagnen. non taxatus.
non ſol- Epiſcopus (2) Boſnen. non taxatus,
perunt Epiſcopus Tribunien. non taxatus.
Epiſcopus (3) Roſſen. non taxatus.
Epiſcopus (4) Bidunen. non taxatus,

Notæ.

1 Huic titulo ſubeſt tum Dalmatia, quæ temporibus illis in Tabulis Romanis & Catalogis Eccleſiarum Sclavonia vocari ſolebat, conſtabatque ex quatuor Provinciis Spalatenſi, Antibarenſi, Raguſina, Jadertina, tum Patriarchatus ſive Provincia Gradenſis, quæ *Iſtria ſupra mare* appellabatur, quo quidem vocabulo interdum etiam Patriarchatus & Provincia Aquilejenſis comprehendebatur.

2 Idest Boſnenſis. Metropolita Raguſinus aliquando Boſnenſem Eccleſiam ſibi ſuæque Metropoli attribuit; ſed quamvis illam Metropolitæ Raguſino ademerat, ut diximus, Jacobus Cardinalis Pecorarius Legatus Sedis Apoſtolicæ, & eamdem Archiepiſcopus Colocenſis ſibi vindicaverat, adhuc tamen in Tabulis Romanis locum retinebat inter Eccleſias Provinciæ Raguſinæ; nec ſuſpicionis cauſſa deeſt, quod Hungaricorum Regum favore, atque auctoritate aliquid juris in illum Epiſcopatum ſibi recuperaverint Archiepiſcopi Raguſienſes a Bosnenſibus Principibus.

3 *Roſſen.* idest Rhizinienſis Epiſcopus, qui & *Reſinenſis*, & *Roſonenſis* dictus fuit. Hæc Eccleſia his temporibus pertinebat ad Metropolitam Raguſinum ex Epiſtola Clementis VI. *data apud Villam novam Avenionen. Diœceſis anno IX.* idest æræ vulgaris 1350. ad Archiepiſcopum Raguſinum, quem de Duymo novo Epiſcopo in ejus Provincia creato, & *Riſinenſi Eccleſiæ* præpoſito certiorem fecit. Idem confirmat Waddingus: *In Reſinenſi*, inquit, *ſub Archiep. Raguſino p. obitum Nicolai F. Duimus Spalaten.* Tom. IV. Annal. edit. Lugdun. Habes epiſtolam Clementinam ad Duimum in Epiſcopis Rhizinienſibus. Et ad annum uſque 1540. forte perſtiterat ſub Raguſienſi Metropolita; cum eo demum anno Eccleſia Rhizinienſis commendata fuit Epiſcopis Catharenſibus, & qui subinde Antiſtites Rhizinienſes creati ſolo titulo dignitatem geſſerunt, & vicariam operam aliis Epiſcopis in extraneis Provinciis, ac Diœceſibus præſtitere.

4 *Bidunen.* idest Buduenſis Epiſcopus, qui Metropolitæ Raguſino itidem erat ſubjectus, & anno 1448. ſub juriſdictionem Archiepiſcopi Antibarenſis conceſſit.

Controverſia, neſcio quæ, Hugoni Archiepiſcopo, Capitulo, Rectori, Judicibus, Conſulibus, & Communi Raguſino interceſſit cum Abbate & Monachis Cœnobii Lacromenſis. Hanc Urbanus V. per ſuas litteras anno 1365. v. Id. Januarii (Vol. V. Indult. an. III. p. 108.) cognoſcendam ac dirimendam dedit Epiſcopo Catharenſi. Utri parti cauſſam adjudicaverit, compertum non habeo. Hugo annos fere novem Eccleſiam Raguſinam ſumma vigilantia & ſedulitate adminiſtravit: interfuiſſe creditur Comitiis Budenſibus, quæ anno 1367. Ludovicus Hungariæ Rex convocaverat, ejuſque nomen adſcriptum eſt Diplomati ejuſdem Ludovici dato ſecundum Arbenſem Eccleſiam & civitatem *ad inſtantiam Griſogoni nati Stephani de Dimine* (ideſt de Dominis) *Epiſcopi Arbenſis* (XXVI. qui tum Comitiis aderat) *anno Domini MCCCLXVII. XVI. Kal. Octobris. Ugolino Spalaten. Nicolao Jadren. Ugo, Raguſien. Archiepiſcopis, Petro Boſnen. Nicolao Tinien. &c.* Anno 1370. ſuam Eccleſiam jam dimiſerat, quo ſucceſſorem ei dedit Urbanus V. ut infra dicemus. Sed Eccleſiæ hujus adminiſtratione depoſita, deceſſoris ſui exemplo & auctoritate titulum Archiepiſcopi Raguſini retinuerit oportet. Nam anno 1379. cum Ludovicus Rex Hungariæ Privilegia *Abbatiæ de Pecs-Varadin* confirmavit, regio diplomati ſuum nomen ſuamque approbationem ſubjecit, *Datum per manus Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini Demetrii, miſer. Divina tit. SS. Quatuor Coronatorum S. R. E. Preſbyteri Cardinalis, Sanctæ Strigonien. Eccleſiæ Gubernatoris perpetui, ... Anno Domini milleſimo, tercent. ſeptuageſimo nono, ſexto Nonas Septemb. Regni autem noſtri XXXVIII. Reverendiſſimis & Venerabilibus in Chriſto Patribus, eodem Domino Demetrio, dictæ Eccleſiæ Strigon. Gubernatore perpetuo, Fr. Stephano Colocenſi, Petro Jadrenſi, Ugolino Spalatenſi, Ugone Raguſin., Paulo Zagrab. &c.*

et ab Archiepiſcopatu abdicatio.

Hugo anno ante, quam e ſua Eccleſia diſcede-

fecederet; litteras a Pontifice accepit, quibus illum graviter increpat, quod hæreticos Bosnenses in suam diœcesim irrepere maximo cum religionis detrimento permisisset. Cum enim eo tempore plures e Bosnensi provincia suo hæretica infecti in finitimas regiones sese diffunderent mercimonii exercendi caussa, & a Catholicis excepti per pagos, domosque Spalatensis in primis ac Ragusinæ diœcesis nefarium errorum suorum virus late diffunderent, hinc eorum astu ac fraude alliciebantur Catholici ad impia dogmata amplectenda, a quibus ipsa morum honestas fœdissime fuerat infecta. Neque tam gravi Fidei periculo obsistere videbantur Ragusinus ac Spalatensis Archiepiscopi ceterique illarum provinciarum Episcopi ea, quæ par erat, vigilantia atque auctoritate; quare Urbanus negligentiæ utrumque coarguit, jubetque suis litteris, ut, propolita anathematis pœna, ab hujusmodi hæreticis in suas diœceses ac provincias recipiendis quamvis ob caussam subjectos sibi populos deterreant, prohibeantque. Litterarum harum exemplar a Raynaldo in suos Annales relatum hic describo; utrique in primis Antistiti inscriptæ sunt; sed in Hugolino Archiepiscopo Spalatensi LL. ad quem spectant, omissæ diligentiam nostram in detegendis, inquirendisque illius actis effugerunt, Tom. 3. Hist. nostræ,

Urbanus &c. Spalatensi & Ragusino Archiepiscopis, eorumque Suffraganeis.

Objurgatoriæ ad Hugonem Pontificis litteræ.

Nuper ad nostrum non sine mentis dolore fide digna relatione pervenit auditum, quod in partibus Bosnæ, a vestris civitatibus & diœcesibus non remotis, quamplures hæretici commorantur, & a multis citra temporibus sunt morati; & quod, licet id in eisdem vestris civitatibus & diœcesibus existat notorium, ac illi, qui scienter in domo vel terra sua hæreticos receptare vel fovere præsumunt, excommunicationis sententia in tales a canone lata sint ligati, & prohibitum sit, ne catholici & fideles cum hæreticis negotiationem seu commercium exercere præsumant; tamen iidem hæretici de partibus prælibatis & alii, volentes ad eas accedere, per vestras civitates & diœceses libere transeunt, mercimonia deferunt, & cum vestris subditis, in quorum simplicibus mentibus hæresum semen pestiferum sæpe spargunt, negotiationes exercent: sicque in eorum perversitatibus confoventur, & seducunt alios damnabiliter dogmate hæreticæ pravitatis. Quod nos moleste ferentes ac vestræ negligentiæ, qui supra intendentes dicimini, & debetis super greges vobis commissas vigilare attentius, imputantes; fraternitati vestræ per apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, quatenus omnibus & singulis subditis vestris in subjectis vobis ecclesiis & locis publicis, de quibus vobis videbitur, per vos vel alium seu alios districte inhibeatis sub pœna excommunicationis (quam contra hujusmodi inhibitionem facientes, qui alias a canone forsan excommunicati non erant, incurrant eo ipso) ne hæreticos hujusmodi scienter in domibus vel terris eorum receptare vel fovere, aut cum eis negotiationem seu commercium exercere præsumant: ac omnes & singulos, qui contra hujusmodi inhibitionem fecerint, excommunicatos fore, prout justum fuerit, declaretis.

Et ne a fidei unitate præcisi sub prætextu fidelium in eisdem Bosna partibus commorantium, qui tales perfidos inter se morari permittunt, ac fovent sæpius & defendunt, ac seipsos cum eis in præcipitium damnationis immergunt, taliter foveantur; sub dicti anathematis pœna publice in eisdem ecclesiis prohibeatur, nequis ad dictas partes Bosnæ, ubi dicti hæretici (1) notorie confoventur, quæcumque res seu mercimonia audeat mittere vel portare, in contrarium facientes, similem sententiam proferentes: & eos, quos sententiam ipsam incurrisse repereritis (de quibus simpliciter & de plano, ac sine strepitu & figura judicii ex vestro officio vos informetis) denuntietis dicti anathematis sententia irretitos, ac incitentur & mandentur ab aliis evitari. Ad captionem vero hæreticorum hujusmodi, cum ad vestras civitates & diœceses declinaverint, & ad ministrandum justitiam de eisdem, prout ad vestrum spectat officium, similiter procedatis; & si opus fuerit, invocetis auxilium sæculare, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum Id. Novembris anno VIII.

Nota;

1. Post obitum Stephani Bani Bosnensis an. 1357. qui rem Catholicam in eo regno fortiter adversus hæreticos defendit, Tuartkus in ejus locum suffectus hæreticis Bosnensibus palam favebat hoc tempore, V. Tom. IV. Illyr. Sac. pag. 61.

Sacerdotium S. Salvatoris Blasio de Gleda collatum.

Post Hugonis ex hac Ecclesia discessum cum Dobra de Menze Canonicus Ædis Cathedralis diem obiisset, & Canonici more Capitulari convocati in Ædem ipsam Cathedralem sacerdotia & proventus ecclesiasticos, quos ille moriens reliquerat, inter se dividerent, Blasio de Gleda nondum illi quidem sacris Ordinibus initiato, Canonico tamen, & de Capitulo atque Ecclesia benemerito, templum & sacerdotium S. Salvatoris de communi sententia contulerunt, idque publicis tabulis testatum esse voluerunt.

Universis & singulis præsentes litteras inspecturis, seu ipsarum seriem quomodolibet audituris, Nos Diaconus Nicolaus de Ragnina Capellanus Domini Papæ, Diaconus Jacobus de Dersa, Presbyter Petrus de Gondola, Presbyter Andreas de Soregna, Presbyter Marcus de Menze, Diaconus Thomas de Dersa, Diaconus Domagna de Ribiza, Diaconus Slavius de Resti, & Diaconus Paschalis de Bobalio omnes & singuli Canonici Cathedralis Ecclesiæ Ragusinæ facimus manifestum, quod congregati ad Capitulum intus in dicta Cathedrali Ecclesia more solito pro faciendo divisionem inter nos beneficiorum & rerum nostri Capituli, vacantium per obitum b. m. Presbyteri Dobre de Menze nostri Canonici secundum nostras consuetudines approbatas, Ecclesiam S. Salvatoris prope Castrum, ubi moratur Dominus Rector Civitatis Ragusinæ, cum domo superiori contigua dictæ Ecclesiæ, exceptis stationibus inferioribus, Clerico Blasio de Gleda nostro Canonico Ragusino, tamquam benemerito præsenti ibidem, volenti, & recipienti, sicut res nostri Capituli, cum omnibus suis juribus, & pertinentiis jussimus concedendam. In quorum omnium testimonium validiori robore perpetuo duraturum præsentes nostras patentes testimoniales litteras eidem Clerico Blasio exinde fieri fecimus per Notarium infrascriptum sigillo pendenti dicti nostri Capituli communitas. Datum & Actum in Cathedrali Ecclesia supradicto anno Domini MCCCLXX.

Indictione VIII. die vero XX. menſis Octobris.

Ego Theodorus Scolmafogia de Brunduſio Publicus Imperiali auctoritate Notarius, & nunc juratus Cancellarius & Notarius Communis Raguſii præmiſſis omnibus interfui, & rogatus ſcripſi, & publicavi.

PETRUS III. ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS XXXVI.

Petrus III. Archiep.

Patria Cæſenas e nobiliſſima Caliciorum familia, de qua Simon Claramontius in ſua *Cæſena Triumphante* pag. 127. Scriptores Cæſenates fere omnes illius memoriam ſuis ſcriptis indidere; nemo tamen perhibet, Petrum inſtituto Dominicanum fuiſſe, & ante Epiſcopum, quam ad Eccleſiam Raguſienſem transferretur. Hunc e ſede Epiſcopali Caſtrenſi ad Metropolim Raguſinam migraſſe tradit P. Sebaſtianus Dolci, quam translationem ad Petrum de Martinis ætate ſuperiorem Joannes Gundula refert. Duæ ſunt civitates Epiſcopales *Caſtri* vocabulo appellatæ, altera in Provincia Hydruntina, altera in Etruria: neutrobi apud Ughellum reperitur Petrus Archiepiſcopus noſter, qui ab alterutra Eccleſia ad Raguſinam abierit; niſi forte de illo ſuſpicari libeat, de quo Ughellus in Epiſcopis Caſtrenſibus Hydruntinæ Provinciæ ex Theatro Dominicano Vincentii Mariæ Fontanæ hæc breviſſime ſcripſit: *Petrus de Tuſcia Ordinis Dominicani Epiſcopus Caſtrenſis evaſit circa annum* 1350. *obiit anno* 1366. Nomen quidem cum noſtro congruit, non item vero patria & annus emortualis. Noſter ſiquidem neque patria Etruſcus fuit, neque obiit anno 1366. ſed adhuc ſuperſtes erat anno 1378. ut docent tabulæ Raguſienſes; ſed tabulæ Romanæ, quibus fides & auctoritas major tribui debet, Petrum e Provincia Hydruntina, & Eccleſia Oſtunenſi ad Metropolim Raguſinam translatum docent. Petrum igitur Urbanus V.

anno 1370. IV. Non. Auguſti an. 1370. Oſtunenſibus ademptum, & ſponſione obſtrictum ſolvendi ducentos Florenos ærario Apoſtolico pro communi ſervitio Raguſinis Archiepiſcopum dedit; de quo in Tab. Obl. T. 35. pag. 141. *Die 2. Aug. 1370. Dominus F. Petrus Archiep. Ragus. promiſit pro ſuo communi ſervitio 200. Florenos. Item recognovit pro communi ſervitio F. Franciſci prædeceſſoris ſui in Eccleſia Oſtunenſi, cui præfuit, 50. Florenos, cujus prædicti obligatio facta fuit die 7. Aprilis de anno 1337.* Item T. Obl. 40. pag. 66. *Petrus Archiep. Raguſ. ſolvit pro parte communis ſervitii &c. 14. April. 1373.* & pag. 80. *Idem pro parte comm. ſervitiorum Eccleſiarum Raguſ. cui præeſt, & Oſtunen. cui præfuit &c. ſolvit florenos 62. 6. Sept. 1373.* Littera F. præpoſita Petri nomini in prima notula indicat, Petrum ipſum alicui religioſæ familiæ nomen dediſſe; ſed cum ab inſequenti abſit, forte eadem in tabulas culpa oſcitantis ſcribæ irrepſit. Duo privilegia Gregorius XI. eodem anno 1373. Raguſinis conceſſit; altero pacta & conventa, quæ de mutua negotiatione inter Raguſinos & Anconitanos conſtituta fuerant, auctoritate Apoſtolica confirmavit; altero Raguſinis poteſtatem fecit navigandi ad partes tranſmarinas, & commercii cum Regulo Babiloniæ & Turcis inſtituendi. Hujus poſtremi exemplar hujuſmodi eſt.

Privilegium a Gregorio XI. Raguſinis conceſſum.

Gregorius Epiſcopus Serv. Serv. Dei dilectis Filiis Communi Civitatis Raguſin. Sal. & Apoſtolicam bened. Sinceræ devotionis affectus, quem ad Nos & Rom. Eccleſiam geritis, promeretur, ut petitiones veſtras, quantum cum Deo poſſumus, ad exauditionis gratiam favorabiliter admittamus. Hinc eſt, quod Nos veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati vobis duas naves ſemel dumtaxat ad Alexandriæ & alias partes, ac Terras ultramarinas, quæ per Soldanum Babiloniæ detinentur, cum nautis & aliis perſonis ad regimen dictarum navium opportunis, & cum Mercatoribus, quos ad hoc aſſumpſeritis, oneratas mercimoniis, exceptis armis, ferro, lignaminibus, & aliis rebus prohibitis, conſtitutionibus, & proceſſibus Apoſtolicæ Sedis ſpirituales pœnas & ſententias prolatas in transferentes cum mercibus ad partes & Terras prædictas continentibus nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica de ſpeciali gratia plenam & liberam licentiam elargimur. Volumus autem, quod illi, qui dictas naves principaliter conducent, & mercimoniis onerabunt, in manibus Dioceſani loci, in quo eædem naves onerabuntur, quod præmiſſa vel aliquod eorumdem in fraudem non facient, præſtent corporaliter juramentum. Alioquin, niſi juramentum hujuſmodi præſtiterint, præſentem conceſſionem haberi volumus pro non factam, cujus quidem juramenti præſtitiones præfatus Dioceſanus duo conſimilia confici faciat publica inſtrumenta, quorum alterum Cameræ noſtræ ſtudeat deſtinare, penes ſe reliquo reſervato. Nulli ergo omnino hominum liceat &c. Datum Avenione IX. Kal. Aprilis Pontificatus noſtri anno tertio. Vernerus.

Nicolai Cœnobiarchæ Lacromenſis crimen & confeſſio.

Nicolaus Cœnobiarcha Lacromenſis, quia forte laicos procuratores ſui Monaſterii rejeciſſet, Rempublicam graviter offenderat, nec eo contentus Romam ad Pontificem adierat, quocum multa conqueſtus eſt de Raguſienſibus, injurias ſibi illatas ab illis per ſummam impudentiam comminiſcens, & calumniis confirmans. Sed Raguſium paullo poſt reverſum facti pœnituit, & ultro Petri Archiepiſcopi, & Marini Menzii Raguſienſis Rectoris judicio ſe ſiſtens criminis veniam flexis demiſſe genibus popoſcit, & impetravit, dummodo, quæ iniquo animo in Raguſinos confinxerat, retractaret, & procuratores ab iis præfectos, ut antiqui moris erat, in œconomicam Cœnobii adminiſtrationem admitteret: cujus judicii teſtes tabulas exhibeo ex lib. Diverſ. Notar. Publ. Rag. depromptas,

Die 28. menſis Octobris 1373. Indictione XI.

Inc. in Cathedrali Eccleſia Raguſina in præſentia Venerandorum in Chriſto Patrum, & Domin. Dominorum Petri Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopi Raguſini, & fratris Franciſci Epiſcopi Tribinnenſis, & honorabilium, & infraſcriptorum Virorum Dyaconi Nicolai de Ragnina, Preſbyteri Petri de Gondola, Presbyteri Marci de Menze, Dyaconi Donmagne de Ribiza & Dyaconi Savini de Reſti Canonicorum, & Capituli Cathedralis Eccleſiæ Raguſinæ ..... ibidem præſencialiter conſtitutorum Venerabilis & Religioſus, Vir Fr. Nicolaus Abbas Monaſteriii S. Mariæ de Croma Raguſinæ Dyœceſis non vi, dolo malo, metu inductus, nec ſuaſione aliqua circumventus, ſed de ſua bona, mera, gratuita, & ſpontanea voluntate coram Domino Marino de Menze Honorabili Rectore Communis Rhacuſii, & parvo Conſilio ejuſdem Civitatis ibidem præſencialiter conſtitutus dicentibus ſibi, quod Domine Abbas infamaſti Nos, & No-

Digitized by Google

& Noſtrum Commune Raguſii coram Domino Noſtro Papa & ſuo Sacro Collegio cum tuis falſitatibus manifeſtis aſſerendo quod Nos te expulſimus de Civitate Raguſii, & toto ejus diſtrictu, & præcepimus tibi ſub pœna vitæ, quod non audeas accedere ad noſtrum diſtrictum & quod incarceravimus Presbyterum Pauluſium tuum Notarium, qui ſe induxit in poſſeſſionem Monaſterii, & quod percipimus ad Noſtram utilitatem uſufructus, & introitus Monaſterii Lacromenſis, & fecimus omnia alia illicita, quæ continentur in littera quam impetraſti a Domino Noſtro Papa, Domino Legato Bononiæ transmiſſa; quæ omnia ſunt, tu ſcis, ſunt manifeſte falſa; quam conſcientiam habes ad denigrandum taliter famam Noſtram, & Noſtri Communis, & qualis homo es tu? Reſpondit petens miſericordiam de præmiſſis genuflexus, & fuit contentus, & confeſſus ſe inique, & falſe præfata verba coram Domino Domino Noſtro Papa expoſuiſſe, & ſolummodo per aportationem ſuorum negotiorum dicta verba dixiſſe, & ſic illa retractavit, adnullavit, & irritavit, ut ſi numquam illa dixiſſet, & pro non dictis, expoſitis, ſeu narratis voluit illa haberi. Et voluit idem Dominus Abbas ſponte propria, quod in dicto Monaſterio ſuo Lacromenſi ſint, & eſſe debeant Procuratores Sæculares more ſolito cum omnibus modis, & conditionibus, prout ſoliti ſunt pro temporibus tranſactis.

Petrus Raguſinæ Eccleſiæ adhuc præerat anno 1378, uti docemur ex tabulis Collegii Virginum Ordinis Benedictini prope Caſtellum; eique operam Vicarii generalis navabat Dominicus de Ribiza Diaconus, cui donatio & ceſſio, neſcio quam, fieri dicitur: *Damus, cedimus Diacono Dominico de Ribiza, Reverendiſſimi P. D. Petri Archiepiſcopi Raguſini in ſpiritualibus & temporalibus Vicario generali, necnon dicti Monaſterii Procuratori; prout conſtat ex libro Procurationum Communis Raguſii 1378., ſub die 4. menſis Septembris.* Ante annos non ita multos, ut eſt in Codice, cui titulus: *Brevis Notitia Provinciæ Raguſinæ Ord. Min. de Obſervantia*, Patres Franciſcani domicilium ac templum S. Sabini adepti ſunt in ſcopulo, ſive inſula exigua, cui *Daxa* nomen, quod Sabinus Ghetaldus patricius Raguſienſis ibidem conſtruxit, & Patribus iiſdem teſtamento legavit. Petri Archiepiſcopatum Jacobus Luccarus, Seraphinus Razzius anno vel 1379. vel 1380. definiunt, eumque Romæ diem ſupremum obiiſſe, & ſepulturæ traditum idem Razzius ſcripſit. Sed niſi quinquennale Interregnum Pontificium interponere velis, vitam & Pontificatum perduxit uſque ad annum 1385., neque enim ante hunc annum ei ſucceſſorem datum fuiſſe teſtantur tabulæ Romanæ. De Petro hæc ſcripſit Joannes Baptiſta Braſchius in Monumentis Cæſenatibus cap. 22. *Claruit inter cives Cæſenates Petrus Calice, ſive de Calicibus Archiepiſcopus Raguſinus; & ab aliquibus attribuitur ei titulus Beati.* Bernardinus nimirum Manzonius in Chronologia Cæſenæ Petrum enumerat inter cives Cæsenates, qui pietate inſignes extitere: *Petrus Calicius de Cæſena Raguſii Archiepiſcopus, Beatus & ipſe in noſtris monimentis vocitatus*; quem propterea *Petrum Sacrum* appellavit Scipio Claramontius in Hiſtoria Cæſenæ lib. XV. *Memoratur Petrus Sacer, ſcilicet Petrus Calice, ſeu Calicius Cæſenas, Raguſii, ſive Epidauri Dalmatarum Archiepiſcopus. Sedit ea in urbe præclarus is vir, & patriæ ſuæ memorandus Alumnus, ac Civis an. 1375. (1370.) & ſequentibus; dicitur autem in eandem civitatem translata Caliciorum familia, quæ certe hic defecit, ſive illuc profecta, ſive in proximo Britonum excidio ſublata.* Cum Provincia Dominicana Hungarica numero Fratrum & Cœnobiorum adeo excreviſſet, ut propter locorum diſtantiam & multitudinem ſub imperio & præfectura unius Præſidis Provincialis neque contineri, neque luſtrari, neque regi ſatis commode poſſet, in Comitiis generalibus Carcaſſonæ habitis anno 1378. de communi conſilio decretum fuit, ut Cœnobia Dalmatiæ ab Hungaricis ſejuncta, tribus additis e Provincia Longobardiæ Monaſteriis, ab Hungaria ſegregaretur, & ſub uno Rectore Provinciali in unius Provinciæ corpus coaleſcerent. Sed quia hujuſmodi ſeparatio, novæque Provinciæ inſtitutio, quam illi *inchoationem* vocant, ex præſcripto juris Dominicani rata eſſe non poterat, niſi eam duo proxima Comitia generalia confirmarent, idcirco ſupplicatum fuit Urbano VI. ut ejuſmodi confirmationem auctoritate Apoſtolica ſuppleret ac ſanciret. Pontifex annuit, & anno 1380. decretum fuit ſecundum id, quod primores Patrum ſuppliciter poſtulaverant.

Petri Archiepiſcopi obitus, & elogium.

Provincia Dominicana Hungarica ſejungitur a Dalmatica

Urbanus Epiſcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Sedis Apoſtolicæ circumſpecta benignitas ad ea, per quæ perſonæ Eccleſiaſticæ, & præſertim ſub religionis habitu Domino militantes, ſecundum ſuorum Ordinum inſtituta quietius vivere, & in humilitatis Spiritu Domino ferventius deſervire poſſint, libenter intendit, illaſque quantum cum Deo poteſt favoribus proſequitur opportunis. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte nonnullorum Ordinis Prædicatorum petitio continebat, quod olim dilecti Filii Magiſter, & Fratres prædicti Ordinis in Capitulo Generali dicti Ordinis Carcaſſonæ celebrato provide attendentes, quod Provincia Hungariæ ſecundum morem dicti Ordinis erat adeo ampla & diffuſa, quod Prior Provincialis dictæ Provinciæ pro tempore exiſtens non poterat ſingulis annis ut tenebatur ſecundum ejuſdem Ordinis inſtituta ſingula loca dicti Ordinis in ſua Provincia conſiſtentia per ſe, vel per ſuum Vicarium commode viſitare, propter hoc, & ex aliis cauſſis rationabilibus, ad id eos moventibus ordinaverunt, & etiam ſtatuerunt, ut natio, & Patria Dalmatiæ, quæ ſecundum morem dicti Ordinis de dicta Provincia exiſtebat, & in qua tredecim loca ejuſdem Ordinis, videlicet, Diracen. Scutaren., Dulcinen., Catharen., Raguſinen., Quaren., Spalaten., Tragurien., Sibinicen., Jadren., Veglien., Nonen., Segnien., & Arben. conſiſtebant, additis eis tribus locis prædicti Ordinis de Provincia Lombardiæ inferioris, videlicet Vtinen., Civitaten., & Juſtinopolitanen., eſſet Provincia per ſe, ac diſtincta, & ſeparata a Provincia Hungariæ ſupradicta, & denominaretur, & appellaretur Provincia Dalmatiæ. Cum autem ſicut eadem petitio ſubjungebat, in conſtitutionibus dicti Ordinis caveatur expreſſe, quod cum per Capitulum Generale dicti Ordinis ordinatum fuerit, quod aliqua Provincia dicti Ordinis in duas Provincias dividatur, quæ quidem ordinatio ſecundum morem dicti Ordinis inchoatio nuncupatur, hujuſmodi ordinatio vigorem non habeat, niſi poſtmodum per duo alia Gene-

Urbani VI. decreto.

Digitized by Google

Generalia Capitula dicti Ordinis approbata, & etiam confirmata fuerit, pro parte dictorum Fratrum fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut huiuſmodi ordinationem per dictum Generale Capitulum, ut præfertur, factam de hujuſmodi Provincia Dalmatiæ, quæ ut præfertur, apud eos inchoatio nuncupatur, Auctoritate Apoſtolica, non obſtante, quod ipſa per duo Generalia Capitula dicti Ordinis approbata, ſeu confirmata non fuerit, confirmare, & approbare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur attendentes, quod onus in plures divifum facilius ſupportatur, & quod humana fragilitas tanto facilius ab illicitis refrenatur, quanto pluribus fuerit gubernaculis coarctata; & intentis deſideriis affectantes, quod dictus Ordo, ad quem ſpecialem gerimus dilectionis affectum, ſpiritualibus ſemper proficiat incrementis, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod hujuſmodi ordinatio, quæ ut præfertur inchoatio nuncupatur, per dictum Generale Capitulum, ut præfertur facta, perinde ac datis præſentium valeat, & plenam obtineat roboris firmitatem, ac ſi per duo alia Generalia Capitula dicti Ordinis confirmata, & approbata efficaciter extitiſſet; ſtatuentes, & etiam ordinantes auctoritate prædicta, quod deinceps natio, & patria Dalmatiæ prædicta, & præfata loca dicti Ordinis inibi conſiſtentia adjunctis eis præfatis aliis tribus locis dicti Ordinis quæ, ut præfertur hactenus de Provincia Lombardiæ inferioris extiterunt, unam provinciam per ſe diſtinctam a præfata provincia Hungariæ faciant, & Provincia Dalmatiæ exiſtat, & nuncupetur juxta morem dicti Ordinis, prout in aliis Provinciis eſt fieri conſuetum, perpetuis futuris temporibus deputetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Noſtrorum voluntatis, conſtitutionis, ſtatuti, & ordinationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum V. Nonas Martii Pontificatus noſtri anno II.

Franciſcani, dum Petrus hanc Eccleſiam regebat, novum Cœnobium exſtruxere, pietate ac munificentia Sabini Ghetaldi patricii Raguſini, uti narrat Waddingus ad an. 1370. hiſce verbis. *Conſtruxit circa hunc annum Sabinus Ghetaldus nobilis Raguſinus in clivo amœni collis Daſſæ ad tertium milliare a Raguſii urbe Cœnobium Minorum, cui perficiendo univerſa bona ex teſtamento legavit. In Eccleſia conſpicitur miraculoſa Chriſti crucifixi imago Raguſinis ob crebra, quæ confert deprecantibus, beneficia omnino veneranda. Totius præfati collis orbem cingunt oratoria, ſive ſacella decem a civibus Raguſinis conſtructa, quæ locum venerabiliorem efficiunt.* Vide dicta in Bonaventura Archiep.

MAPHIOLUS ſeu MAPHÆUS ARCHIEP. RAGUSINUS XXXVII.

Maphiolus Archiep. an. 1385.

Ex nobili inter Mediolanenſes familia Lamſacena, ſive Lampugnana ortus, ut vere ex Didaco Pyrro celebri olim apud Raguſinos artium liberalium magiſtro docet Sebaſtianus Dolci; minime vero ex aliquo pago, ſive oppido, quod ad Lacum Benacenſem affidet, originem duxit, ut Jacobus Luccarus, & Joannes Gundula tradunt; horumque fretus auctoritate Faynus in opere, cui titulus *Cœlum S. Brixianæ Eccleſiæ*, qui *Maphæum Brixianum apud lacum Benacum in Riperia Brixiana ortum* affirmat; niſi hoſce Scriptores ita intelligas, ut putent, Maphæum, cum ejus parentes ad Benaci lacum caſu aliquo commorarentur, editum in lucem fuiſſe. Narrat Joannes Petrus Creſcentius in *Anphitheatro Romano*, Maphæum hunc Oldradi Lampugnani patruum, viri dignitate & rebus pro patria geſtis nobiliſſimi, diu apud Vicecomites Mediolani Dynaſtas gratia & auctoritate polluiſſe; qui humanas vices pertæſus Principum aulæ demum nuncium remiſit, & in clericalem militiam voluit adſcribi. Vicecuſtodis Ærarii Apoſtolici fungebatur, cum eum Urbanus VI. an. 1385. menſe Octobri Raguſinæ Metropoli Rectorem præfecit (T. 41. Obl. pag. 20.) Scriptores Raguſini Archiepiſcopatum Raguſinum ab eo ſuſceptum anno 1380., & annos fere ſeptem bene ac feliciter geſtum opinati ſunt; quos tabulæ Romanæ modo laudatæ falſitatis coarguunt. Vix integrum quidem triennium præfuerat, cum eum idem Urbanus VI. ad Meſſanenſem Eccleſiam in Sicilia regendam tranſire juſſit; de quo Rocchus Pirrus in Sic. Sacr. Tom. I. pag. 418. *Maffiolus Mediolanenſis Lampugnanus ex Raguſæ Eccleſia ad Meſſanenſis Archiepiſcopatus honorem extollitur. Ex tab. Eccl. Meſſan. Fuit Sedis Apoſtolicæ Referandarius & Nuncius* &c. transfertur ad Eccleſiam Meſſanenſem.

ANDREAS IV. ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS XXXVIII.

Ortu Dyrrhachienſis ex Ordine Prædicatorum, de quo Vincentius Maria Fontana in Theatro Dominicano ad annum 1389. *P. Andreas de Dyrrhachio a Bonifacio Papa IX. ad Archiepiſcopalem Raguſien. Eccleſiam evectus, cum annos quattuor illi Eccleſiæ præfuiſſet, ex hac luce deceſſit anno 1391. in Æde D. Dominici ſepultus.* Et recte ſentire videntur tum Fontana, tum Ferrarius, ſi fidem præbeas tabulis quibuſdam Cœnobii Dominicani Raguſini confectis anno 1388. in quibus teſtis approbatorque fuiſſe legitur Maphiolus Archiepiſcopus Raguſinus. At in elogio eidem adſcripto in Tabulis *Congreg. Raguſinæ S. Dominici* dicitur Andreas *ab Urbano VI. initio anni* 1388. *electus* Archiepiſcopus; quin in Diplomate Sigiſmundi Regis dato anno 1389. pro Eccleſia Strigonienſi *Sedem Raguſinam* adhuc *vacaſſe* comperio, cum nomen Archiepiſcopi Raguſini abſit e numero Antiſtitum ceterorum, qui illius diplomatis teſtes fuerunt, & ſubſcriptores: ſunt enim, *Joannes Archiepiſcopus Strigonienſis loci ejuſdem Comes perpetuus, Regis ſupremus Cancellarius, Valentinus tit. S. Sabinæ Cardinalis, Epiſcopatus Eccleſiæ Quinque-Eccleſ. Gubernator perpetuus, Ludovicus Eccleſiarum Colocenſis, & Bacſienſis unitarum, Petrus Jadrenſis, Ugolinus Spalatenſis Archiepiſcopi, Sede Raguſina vacante.* Sed hiſce monumentis repugnat auctoritas Bullarii Dominicani, cujus auctor affirmat, & publicis tabulis, & antiquis monumentis Cœnobii Raguſini, Andream *ab Urbano VI. anno* 1387. *creatum fuiſſe Archiepiſcopum*, & litteræ ejuſdem Urbani Eccleſiam Raguſinam Andreæ conferentis datæ hoc ipſo anno v. Kal. Novemb. Idem confirmant tabulæ Romanæ, quæ teſtantur Andream anno proximo ideſt 1388. VI. Kal. Junii promiſiſſe, ac re-

Andreas IV. Archiep. an. 1387.

cepiſ-

cepiſſe ſoluturum ſe Apoſtolico ærario tum quantum ipſe debebat, tum quod ſolvere Maphiolus neglexerat (T. 48, Obl. 50.): queis adde teſtimonium Provincialium Ordinis Comitiorum anni 1388., in quibus *Andreæ Dyrachino ad Inſulas Raguſinas provecto*, novum ſuffecere Dalmaticæ Provinciæ Præſidem Patres Dominicani, uti refert Bernardus e Rubeis in Comment. Hiſt. ſuæ Congreg. cap. 1. num. v. Neque litteris ſane Urbani VI., quas in publico tabulario ait aſſervari Sebaſtianus Dolci, neque tabulis Romanis modo laudatis, ſubjectoque iiſdem teſtimonio refragare auſim, Sed & Hungarici Diplomatis, & elogii ad ejus effigiem appoſiti fides tanti valet, ut haud ita facile ſint rejicienda; quare videor mihi, hæc inter ſe adverſantia veterum monumentorum teſtimonia ita poſſe quodammodo componere, ut ſua ſingulis auctoritas recte ſervetur. Anno itaque 1387. electus quidem Andreas fuerit Archiepiſcopus Raguſinus, & menſe Octobri, poſtquam de Archiepiſcopatu abdicando Maphiolus jam cogitaverat; verum non ante illum Raguſio diſceſſiſſe oportet, quam Andreas Epiſcopalem conſecrationem Romæ ſuſciperet, ſi inſequenti anno 1388. tabulas illas Dominicani Cœnobii, de quibus dictum paullo ſuperius, auctoritate ſua comprobavit, Allati interea nuntii Raguſium de Andreæ electione, quem Senatus ſibi Archiepiſcopum a Pontifice poſtulaverat, cum is in luſtranda forte Dalmatica Provincia, cui præerat, occupatus, & ab urbe abſens litteras Pontificias acceperit exeunte eodem anno 1387., & ineunte inſequenti eædem litteræ, Senatu electionem probante, fuerint publicatæ; quo factum, ut in Tabulis *Congregationis S. Dominici* ejus electio, ſeu potius electionis confirmatio initio anni 1388. adſcriberetur. Inde Provinciæ rebus compoſitis, cum eo munere, quo fungebatur, Romam Andreas proficiſcitur, ubi ſacris Epiſcopatus myſteriis initiatus promiſit VI. Kal. Junii anni 1388. pecuniæ ſolutionem, quæ Eccleſiæ ſuæ erat impoſita pro ærarii Apoſtolici, & rei eccleſiaſticæ communi ſubſidio; & dum Romæ ſua illum negotia detinebant, adeo diſtulit poſſeſſionem Raguſini Archiepiſcopatus adire, ut, cum Hungarica Comitia haberentur anno 1388., nondum ad Sigiſmundum nuntia pervenerint de ſuſcepto ab Andrea Archiepiſcopatu, neque locus huic ante patuerit in Regiis Conventibus, quam Sigiſmundus ipſe illius ad Regni Comitia adeundi jus & facultatem ſuo chirographo, ſuoque aſſenſu firmaret. Quare uni Fontanæ id erroris tribuendum eſt, quod Andreæ ad Archiepiſcopatum electionem in annum 1389. conculerit; cum vel hoc anno ineunte, vel ad exitum ſuperioris, & Bonifacio IX. Pontifice, qui IV. Nonas Novembris ſummam Romanæ Eccleſiæ dignitatem obtinuit, rectius conſignanda fuerat accepta ab Andrea ſui Archiepiſcopatus poſſeſſio.

Inſtituit ſodalitatem S. Petri.

Ante ſuſceptum Epiſcopatum Andreas Raguſii Cœnobio Dominicano præfuit, deinde univerſam Provinciam Dominicanam Dalmatiæ ſapientiſſime adminiſtravit. In Archiepiſcopatu cum alia multa præclare geſſit, tum vero Sodalitatem Preſbyterorum inſtituit ſub nomine & patrocinio S. Petri in Cathedra, quæ non ſolum Civitati Eccleſiæque decori eſt atque ornamento, ſed etiam ad cultum divinum augendum, atque ad Cleri diſciplinam, & ſanctitatem piis operibus excolendam plurimum affert emolumenti. Inſtitutio hujus ſanctiſſimæ ſodalitatis tabulis publicis tradita fuit; cui ſubjicienda cenſui diplomata Pontificia, quibus illam, ejuſque leges Sixtus IV. & Clemens VIII. confirmarunt.

Tabulæ inſtitutionis.

Ad laudem Summæ Trinitatis, ex qua omnis Creatura ſumpſit exordium, pieque Genitricis Dei ſemper V. Mariæ, quæ peccatoribus veniam criminum, ſitibundis undique rivulos emanat miſericordiæ, ſanctorumque Spirituum in cœleſtibus Regnis, ſemper decorato in ſolio ſtellato ſedenti Regi Regum Domino inceſſabili voce clamantium S. S. S., ac glorioſor. Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli, eximiique Martyris Blaſii Sanctiſſimi famoſæ Civitatis Raguſiæ Patroni, ac Beatiſſimi in Chriſto P. & D. N. D. Bonifatii Univer. Eccleſiæ Papæ VIIII. Juique fideliſſim. in Chriſto Filii Vincislavi Romanor. Imperatoris, nec non & Sereniſſ. D.D. Sigiſmundi Regis Ungariæ, Poloniæ, Croatiæ, & Dalmatiæ &c. eorumque fideliſſimi Regiminis Raguſini, & bonum ſtatum ejuſdem Civitatis in futurum augumentatione devotionis Nobilium, ac populi totius, omnium Fratrum, ac Sororum tam præſentium, quam in poſterum adhærentium ſublevamen ſpirituale, ſiniverſorumque Fidelium defunctorum, & maxime benefactorum noſtrorum indulgentiam, & remiſſionem peccatorum, pœnarumque alleviationem congregatis civibus, & ex quavis parte mundi ſacerdotibus tunc commorantibus Raguſii, currentibus annis milleſimo trecenteſimo nonageſimo primo Indictione XIII. die XI. Aug. tempore quo vir Ven. Fr. Andreas de Durac. Ordinis Prædic. olim Provinciæ Dalmatiæ Prior Provincialis, præſidebat Eccleſiæ Raguſinæ Archiepiſcopali infula decoratus, de ejuſdem voluntate, & conſenſu, ac totius Capituli ejuſdem Eccleſiæ, cum laude Dominii, totiuſque populi præfatæ Civitatis ad oſculum pacis, ac in viſceribus charitatis fecerunt, & ordinaverunt congegationem, ſeu Confraternitatem ſub nomine, & vocabulo B. Petri Apoſtolor. Principis juramento invicem facto de fide, & legalitate perpetuo invicem ſervando, ſicut decet Sanctos, & veritatis exemplares, cum aliquibus Capitulis regulatis infraſcriptis, ad conſervand. & manutenend. d. Confraternitatem perpetuo non deſerendam. Inſtituentes vero primo ſub anni termino tres bonos viros probos, ac fide dignos Petrum de Svinis de Drivaſto, Petrum Caputapis de Albania, & Petrum qu. Nicolai de Albis de Raguſio Preſbyteros habitantes tunc in d. Civitate Bajulos, ſive Procuratores, qui tenere debeant, & cuſtodire, ac procurare bona, augumentum, & utilitatem, ſive conſervationem, nec non & perſeveramiam, promiſſionumque obſervationem d. Fraternitatis ad præſens, & in poſterum ipſi, & eorum Succeſſores, qui pro tempore erunt per omnes Fratres, ſive per majorem, & ſaniorem partem ipſor. inſtituti ad prædicta ſub forma, & Sacramento eis præſtito, ſive præſtando, uti habetur in Capitulo infraſcripto de Officio Procuratorum.

Sixtus Epiſcopus Serv. Servorum Dei ad perpetuam rei mem.

Ex commiſſo nobis deſuper meritis licet inſufficientibus Apoſtolicæ ſervitutis officio ad ea operationis ſtudia diligenter committimus, quæ boſpitalia & alia pia loca in ſtatu debito valeant conſervari, & pauperibus, & aliis miſera-

Digitized by Google

ſerabilibus perſonis ad illa confluentibus poſſit in eorum neceſſitatibus commode ſubveniri, & ea, quæ propterea per Chriſti fideles pie facta, & ordinata fuiſſe dicuntur, ut firma perpetuo, & illibata perſiſtant, libenter cum a nobis petitur, Apoſtolico munimine roboramus; Fidelium eorumdem honeſta deſideria ad exauditionis gratiam favorabiliter admittendo, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Sane pro parte dilector. Filior. Conſervatorum Confraternitatis utriuſque ſexus Fidelium ſub invocatione Cathedræ S. Petri in Civitate Raguſien. inſtitutæ Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod in ipſa Civitate, quæ in partibus Dalmatiæ admodum inſignis, & populoſa exiſtit, jam annis nonaginta, & ultra effluxis de conſenſu b. m. Andreæ, tunc Archiepiſcopi Raguſini, & cum beneplacito Conſilii, & Nobilium d. Civitatis pro diverſis piis operibus adimplendis fuit inſtituta, & ordinata una Confraternitas Clericorum, & Eccleſiaſticorum, ac etiam ſæcularium perſonarum, quæ ab eo tempore citra Miſſas, quas quotidie pro animabus defunctorum & alia divina Officia celebrant, & ſuis propriis ſumptibus in quodam hoſpitali inibi conſiſtente pauperes, & infirmos, & alias miſerabiles perſonas Eccleſiaſticas ſubſtentant, & aliquos captivos ex manibus Turcarum, qui eidem Civitati circumſtant, a captivitate hujuſmodi pecuniis propriis redimunt, qui taliter redempti & in d. hoſpitali refocillantur, & multa alia opera charitatis exhibent continuo ad laudem divini Nominis, & cum magna populi d. Civitatis conſolatione; & pro directione d. Confraternitatis nonnulla ſtatuta, & ordinationes inter ſe fecerunt, & ordinaverunt: videlicet quod quatuor probi Viri, quos Conſervatores d. Confraternitatis appellant, inibi deputarentur cum poteſtate videndi computa, & rationes introitus, & expenſar. ipſius Confraternitatis. Similiter tres Gaſtaldinos, ſeu Procuratores ejuſdem, qui debeant habere unam capſam cum duabus clavibus, quæ per duos ex his teneantur, & ipſa capſa per tertium conſervetur, in qua reponantur bona d. Confraternitatis; & dicti Gaſtaldini teneantur Conſervatoribus dictis per eos exacti reddere rationem, & computum ſaltem ter in anno; & quando Conſervatores, & Gaſtaldini prædicti mutantur, unus ſemper de antiquis Conſervatoribus, & Gaſtaldinis prædictis pro anno futuro debeat remanere in officio ſuo; quodque nullus ex Confratribus prædictis debeat, ſeu poſſit eligi ad officia prædicta niſi fuerit in Sacerdotio conſtitutus; at quod Confratres prælibati Capitulariter debeant congregari, quando opus fuerit pro rebus d. Confraternitatis ad intimationem Conſervatorum, ſeu Gaſtaldinorum prædictorum, ad quod Confratres memorati intereſſe debeant, nec intelligatur Collegium eſſe completum, niſi in eo præſentes interfuerint 30. Confratres in ordine Sacerdotali conſtituti, & etiamſi aliquis Clericus recipiatur in Confratrem d. Confrat., teneatur jurare de ſervandis ſtatutis, & ordinationibus d. Confraternitatis, & quod laici utriuſque ſexus poſſint inibi recipi ad participationem orationum, & bonorum, quæ fiunt in d. Confraternitate, quodque Conſervatores, & Gaſtaldini dictæ Confraternitatis teneantur habere Cancellarium, qui ſolus, & non alter debeat ſcribere redditus, & oblationes, ac omnia, quæ fiunt in d. Confrater., & Cappellanum, qui quotidie teneatur celebrare Miſſam pro defunctis Fratribus, & cantores in Choro, qui teneantur cantare d. Miſſam, & Veſperas mortuorum, & quod cantores in Choro teneantur in Miſſis cantare ſequentiam mortuorum quando fit Anniverſarium Sacerdotis, ſive Clerici in Sacris conſtituti, & ad eorum ſepulturam, ſi ibi ſepeliuntur, completa Miſſa cantare reſponſorium: Libera me Domine; & inſuper quod quando aliquis Sacerdotum moritur, dicti Conſervatores, ſeu Gaſtaldini teneantur denuntiare Confratribus, ut eum ſepeliant; quod ſi talis de ſuo non habuerit, ſepeliatur expenſis d. Confraternitatis; & etiam Laici, qui recepti fuerint in d. Confrat., ſi de ſuo non habuerint, ſimiliter ſepeliantur; quodque aliquo Confratrum in Sacris conſtitutorum extra Civitatem Raguſinam decedente, audita ejus morte, Veſperi mortuorum ac in Miſſa per Cantores celebrentur pro anima defuncti; & quod quando aliquis Confratrum Clericorum foret infirmus, & non haberet de ſuo, provideatur ſibi de neceſſariis expenſis d. Confraternitatis, & etiam perſonæ, quæ ſibi ſerviat: quodque tam inter officiales, quam inter Confratres in quavis eorum deliberatione utantur buſſulis, alias nulla eorum deliberatio, ſeu ordinatio ſit valida; quodque quando contigerit, ſtatuta, & ordinationes hujuſmodi reformari poſſint, & annullari per duas ex tribus partibus d. Collegii, & nova ſtatuta poſſint condi per majorem partem Confratrum d. Confraternitatis; & quod pœnæ impoſitæ Confratribus debeant exigi per dictos Officiales, vel remitti per majorem partem Confratrum ipſorum; quodque ſi aliquis ex dictis Gaſtaldinis remaneret debitor pecuniæ per eum receptæ det pignus æquivalens, & nullo modo quietetur niſi prius ſatisfacto debito; & quod nullus audeat alteri in Collegio, ſeu Congregatione inferre injuriam ſub pœna 4 groſſorum, & ſi fit injuria officiali, talis pœna ſit 8 groſſorum, & quod pœnæ hujuſmodi non remittantur, niſi per Collegium; quodque in Feſto Cathedræ S. Petri omnes Confratres Sacerdotes & Clerici convenient induti ſuperpelliceis in Cathedrali Eccleſia, & cantent ſolemniter primas veſperas, & Miſſam in ipſa die; & quod expendatur uſque ad decem yperperos; & ſi aliquis ex Officialibus d. Confrat. a diſtrictu Raguſino exierit, & per menſem integrum abſens fuerit, alter loco ſui poſſit per Collegium ſubrogari, & officium ſuum hujuſm. penitus vacet; & inſuper quod Conſervatores poſſint alicui Confratri Clerico accommodare de bonis Confraternitatis recepto pignore ſecuro, & teneantur infra annum debitum exigere.

Quare pro parte Conſervatorum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſtatutis, & ordinationibus prædictis pro illarum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, & alias in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque hujuſm. ſupplicationibus inclinati ſtatuta, & ordinationes prædicta auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, & nihilominus eiſdem Confratribus, aut pro conſervatione d. Confraternitatis, illiuſque bonorum, quæcumque alia ſtatuta, & ordinationes, honeſta, & rationabilia, ac a Sac. Canonibus non deviantia condere poſſint d. auctoritate per præſentes, non obſtantibus Conſtitutis & ordinationibus apoſtolicis

cæte-

ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, communitionis, suppletionis, & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum apud S. Petrum An. Incar. Dominicæ 1483., 7. Kal. Februar. Pontif. nostri anno XIII.

Tenor Litterarum Apostolicarum Clementis VIII. P. M.

Clemens Episcopus Serv. Servorum Dei dilecto Filio Vicario V. Fratris nostri Archiepiscopi Ragusini in Spiritualibus Generali salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Ad ea, quæ pro piorum locorum quorumlibet præsertim Confraternitatum ad Dei Omnipotentis laudem, & proximi subventionem pie instructarum felici gubernio provide sancita sunt, libenter intendimus, & ut illa hujus etiam Sedis auctoritate semel ordinata firmioris existant subsistentiæ, eisdem, dum a nobis petitur, mandamus adjici Apostolici muniminis firmitatem. Dudum siquidem f. recor. Sixto Papæ IIII. prædecessori nostro pro parte dilectorum Filiorum tunc existentium Confratrum Confraternitatis utriusque sexus Christi Fidelium sub invocatione Cathedræ S. Petri in Civitate Ragusina canonice institutæ exposito, quod in ipsa Civitate, quæ in partibus Dalmatiæ admodum insignis, & populosa existebat, jam a nonaginta annis, & ultra de consensu bo. me. Andreæ Archiepiscopi Ragusini, & cum beneplacito Consilii, & Nobilium d. Civitatis pro diversis operibus piis adimplendis instituta fuerat, & ordinata una Confraternitas Clericorum, & Ecclesiasticorum, ac etiam Sæcularium personarum, quæ ab eo tempore citra Missas quotidie pro animabus defunctorum, & alia divina officia celebrent, & suis propriis sumptibus in quodam hospitali inibi consistente pauperes, & infirmos, & alias miserabiles personas Ecclesiasticas sustentabant, & aliquos captivos e manibus Turcarum, qui eidem Civitati circumstabant, ac ab ipsa dira servitute pecuniis propriis redimebant, qui sic redempti etiam in d. hospitali refocillabantur, & multa alia opera charitatis continuo exercebant ad laudem Omnipotentis Dei, & cum magna populi d. Civitatis consolatione. Idem Sixtus Prædecessor dilectorum Filiorum d. Confraternitatis supplicationibus inclinatus per suas sub Dat. Romæ apud S. Petrum An. Incarnationis D. 1483. Sept. Kal. Febr. Pontif. sui an. 13. confectas litteras eisdem Confratribus ut pro conservatione dictæ Confraternitatis, illiusque bonorum quæcumque statuta, & ordinationes honesta, & rationabilia, & a Sac. Canonibus non deviantia condere possent, d. auctoritate concessit, prout in dictis litteris plenius continetur; cujus quidem concessionis vigore postmodum tunc existentes præfatæ Confraternitatis conservatores, & Confratres infrascriptas Constitutiones, statuta, ordinationes, & Capitula ediderunt, videlicet quod ex tunc de cætero quotiescumque contingeret aliquem ex Confratribus ejusdem Confraternitatis in Sacerdotali dignitate, seu in aliquibus tantum ordinibus sacris constitutum gravem sui corporis infirmitatem incurrisse, bini ex Confratribus simili dignitate fulgentes ab Officialibus, qui pro tempore forent rogati, & in virtute S. Obedientiæ missi ad visitandum ægrotum se conferrent, salutaria sibi monita tunc expressa præstituri, & eidem ægroto usque ad ultimum vitæ spiritum affuturi. Quo quidem ægrotante vitæ functo sex probi Sacerdotes ex dd. Confratribus per Officiales electi ad habitationem d. defuncti sub certa pœna recusanti imposita conveniant, & statim singulas noctis horas inter se dividant, & repartiantur, ut ex eis saltem duo defunctorum vigilias submissa voce alternatim recitent, responsoria tamen alta, & intelligibili voce decantent; & singuli, qui hoc fecerint, de bonis d. Confratern. eleemosynam duor. denariorum recipiant. Quibus peractis defunctus ad sepulturam deferatur, idque tam in illis, qui suis sumptibus, quam qui non possint sepeliri, omnino servetur. Statuerunt etiam, quod Officiales accurate invigilarent circa horam obitus Confratris, & statim audito obitus nuncio duos Sacerdotes, & totidem Diaconos mercede competenti jam paratos illuc mitterent, qui corpus defuncti lavent, & vestiant; si tamen obitus noctu occurreret, ipsi ibi psallentes pernoctarent usque ad horam matutinam, quo facto præfati Sacerdotes ad vigilias recitandas, & decantanda responsoria, ut supra, convenirent, & dum cadaver ipsum abluitur, Psalmus, Miserere mei Deus, de nocte recitaretur, quo facto subjungeretur Antiphona, & Oratio quæ incipit, Asperges me Domine, & certæ aliæ tunc expressæ. Insuper dictis officialibus districte præceperunt sub pœna unius yperperi pro quolibet eorum contrafaciente, & negligente, ut omnia, & singula in hujusmodi statuto contenta ordine suo congruo inviolabiliter observarent, & observari facerent: itaque pœna ipsis, & per ipsos in hujusmodi cerimonia aliis imposita remitti non posset, nisi de consensu, seu ad instantiam duarum ex tribus partibus generalis Congregationis, & hæc de consensu, seu ad instantiam duarum ex tribus partibus generalis Congregationis, & hæc constitutio singulis annis in creatione novorum Officialium in Congregatione, seu Collegio publice legeretur, & legi deberet. Præterea, ut cujuscumque Confratris in Sac. Ordinibus constituti audita, seu per Officiales denuntiata gravi infirmitate, omnes, & singuli Sacerdotes Confratres per tres dies per se vel alios in Altaris sacrificio pro recuperanda infirmi Confratris sanitate Deum humiliter orantes specialem collectam dicere teneantur: & si talem infirmum ex hac vita divina voluntate disponente migrare contingeret, in simili eorum trina celebratione aliam specialem, & ad hoc convenientem collectam pro impetranda defuncti peccator. remissione devote persolverent; super quo omnium, & singulorum conscientiam onerarunt, ne hujusmodi cerimoniæ Confratrum salutis piam ordinationem contemnerent; quæ quidem perpetuis futuris temporibus observanda voluerunt districte officialibus præcipientes sub pœna sex grossorum per quemlibet ex ipsis contrafacientibus præstanda, quæ nisi per duas ex tribus partibus generalis Congregationis remitti nequeat, ut infirmitatem se male habentium quando occurreret diligenter Fratribus enunciarent. Hanc autem ordinationem pia charitate vallatam singulis annis in Collegio, dum reliquæ constitutiones publice leguntur, similiter legi, & enunciari voluerunt. Ad hoc si aliquis ex Confratribus cujuscumque dignitatis, status, & gradus existeret, Confraternitati debitor foret quocumque modo, via, & ratione tam in pecunia, quam etiam aliis quibuscumque rebus; talis debitor in Congregationibus celebrandis, sive in Collegio ad ballotan-

Digitized by Google

lotand., seu ferendum suffragium sedere, vel ad aliquid aliud faciendum interesse nullo modo valeret; immo nec ad aliquid officium eligi, vel assumi posset; & si per errorem aliquis ex talibus debitoribus electus foret, nihilominus intelligeretur & esse deberet tamquam non electus; nullusque Confratrum Sacerdotum, qui in aliquo officio in majori Congregatione creati vel electi forent, audeat, vel præsumat officium sibi datum, seu creditum negligere, aut illi renunciare sub pœna unius yperperi statim solvendi; sed munus & officium hujusmodi diligenter exercere teneretur; qua in re si negligens extiterit, trina monitione præcedente certior fieret de ejus negligentia, qua excrescente post primam monitionem unum, post secundam duos, post tertiam vero 4. yperperos in pœnam ipso facto solvere teneretur; & nihilominus obligatus esset ipsum officium omnino exercere. Postremo ut ex tunc deinceps officiales hospitalis d. Confraternitatis quomodocumque præsentassent unum vel plures Sacerdotes per eosdem ad curam & custodiam dictæ Confraternitatis (potius d. Hospitalis) electos in majori Congregatione, ex tunc ea vice non haberent amplius auctoritatem eligendi, seu præsentandi aliquem, vel aliquos Sacerdotes, donec in ipsa Congregatione generali de primitus præsentatis sancitum, vel determinatum foret, illique Sacerdoti, qui per Congregationem eandem confirmaretur, Officiales darent, & consignarent, sibique relaxarent curam & regimen hospitalis cum omnimoda libertate, & pacifica possessione, quam habere debent, & consueverunt alii Sacerdotes per similes Congregationes ad ibi habitandum deputati. Quod si præfati Officiales contrafacerent, intelligerentur privati tali eorum officio; Sacerdotes vero, qui ad curam hospitalis sic eligerentur, in eo spatio trium annorum duntaxat remanere, dictamque curam gerere, & ad id tempus eligi deberent, prout uno, seu pluribus publicis desuper confectis documentis plenius dicitur contineri.

Cum autem firmiora sint ea, & melius subsistant, ac exactius observentur, quæ Apostolicæ Sedis patrocinio communiuntur, & sicut nobis nuper pro parte dilector. Filior. modernor. Conservator. aliorumque Officialium, necnon Confratrum d. Confraternitatis exhibita petitio continebat, ordinationes, statuta, constitutiones, & Capitula præfata ejusdem Sedis munimine roborari desiderent: quare pro parte Conservator. & Officialium, necnon Confratrum præfatorum Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur Conservatores, & Officiales, necnon Confratres præfatos, ac singulas personas d. Confraternitatis a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum potius duntaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ordinationes, statuta, constitutiones, & capitula præfata sine præjudicio Parochor. & jurium Parochialium, & dummodo dicti Sacerdotes, ut præfertur, eligendi approbati existant, perpetuo approbare, & confirmare, illisque omnibus perpetuæ & inviolabilis firmitatis Apostolicæ robur adjicere, ac omnes & singulos tam juris quam facti defectus, siqui desuper quomodolibet intervenerint, supplere, ac insuper illa omnia & singula juxta eorum formam, continentiam, & tenorem ab iis, ad quos spectat, & spectabit in futurum sub pœnis in ipsis expressis inviolabiliter, & inconcusse etiam perpetuo observari debere, nec ab eis per quoscumque ullo unquam tempore recedi vel resiliri posse, necnon quidquid secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate nostra irritum & inane decernas & declares: & nihilominus eisdem Conservatoribus & Officialibus, ac pro tempore existentibus ejusdem Confraternitatis Confratribus, ut pro felici gubernio præfatæ Confraternitatis illiusque hospitalium, & bonorum ad illam spectantium quæcumque alia, constitutiones, statuta, ordinationes, necnon reformationes, & decreta, licita tamen & honesta ac Sac. Canonibus, & Concilii Tridentini decretis non repugnantia, & a te examinanda & approbanda condere, illaque sic condita, quoties pro rerum, temporum, & personarum qualitate videbitur expedire, in melius reformare, limitare, moderare, ac in toto vel parte mutare, & reformare, aliaque ex integro facere, & licite possint, dummodo ut præfertur, sint licita & honesta, & ante approbentur, plenam, liberam, & omnimodam potestatem, facultatem & auctoritatem auctoritate & tenore præsentis concedas, & impartiaris; Non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, provincialibusque, & Synodalibus Constitutionibus, necnon statutis, legibus, & consuetudinibus, ac privilegiis, cæterisque contrariis quibuscumque; volumus autem, quod Administratores d. Confraternitatis rationem de receptis & administratis per eos tibi, quatenus a te requisiti fuerint, saltem semel quotannis iuxta decretam Concilii Tridentini dispositionem reddere teneantur. Dat. Romæ apud S. Marcum an. Incar. Dom. 1595. sexto Kal. Augusti Pontificatus nostri anno quarto.

Ejus obitus, sepulcrum, & elogium.

Obiit Andreas anno fere sexto post susceptum Episcopatum, & in Æde S. Dominici apud suos Fratres sepulcrum obtinuit, hoc titulo inscriptum: *Hic jacet Andreas de Duracio Ord. Prædicatorum, qui cum esset Prior hujus Conventus, factus est Provincialis Dalmatiæ, deinde Archiepiscopus Ragusinus, qui obiit 13. Junii 1393.* In Tabulario Sodalitatis S. Petri sub effigiem Andreæ Archiepiscopi hoc elogium eidem adscriptum est, *Andreas Dyrrhachiensis ex Ord. Præd. Archiep. Ragusinus pauperum solatio, defunctorum expiationi, religionis incremento, Congregatione Presbyterorum instituta, ac titulo S. Petri in Cathedra insignita, Sacerdotii sui bene feliciterque gesti æternum reliquit monimentum, anno 1391. Obiit vero die 13. Junii anno 1393.* In monumentis autem Ms. *Congreg. S. Dominici de Ragusio* hæc de illo memoriæ prodita invenio. *F. Andreas de Dyrrhachio Archiep. Ragus. vir singulari pietate & eruditione illustris. Pluries in Conventu Ragus. cujus alumnus erat, Prior, ac in Provincia Dalmatiæ post ejusdem erectionem, Secundus Provincialis præfuit; quo munere cum fungeretur, a Senatu Ragusino expostulatus ab Urbano VI. initio anni 1388. electus fuit Archiepiscopus Ragusinus. Romam petiit adhuc Provincialis. Inter cetera heroicæ pietatis opera hoc insigne posteris reliquit argumentum pientissimus Antistes, quod Sacerdotum Congregationem sub*

in-

invocatione Cathedræ S. Petri in Antiochia anno 1391. die xi. Augusti a Sixto IV. & Clemente VIII. confirmatam, quam proinde alii Summi Pontifices singularibus decorarunt Privilegiis. Hæc hiſce maxime floret temporibus Raguſii. Captivos enim pretio liberat, dotem pauperibus puellis uberem tribuit, eleemoſynas ad celebranda pro defunctis ſacra plurimas largitur, languentibus Preſbyteris, & pauperibus hoſpitium, & quæcumque ſuſtentandæ vitæ, ac recuperandæ ſanitati neceſſaria ſunt, ſubminiſtrat. His aliiſque piis operibus maximam ſibi veneration nem conciliavit. Cetera, quæ vir profecto ſummus ea ætate egerit, veterum incuria incomperta nobis ſunt. Obiit Raguſii anno 1393. die 13. Junii.

Non levis hoc tempore contentio exorta eſt Monachos inter & Inſulanos Melitenſes, cum illi quidem Eccleſias & fundos Monaſterii Melitenſis, quorum jura & poſſeſſionem in omnem pene inſulam ſibi vindicabant, ab incolis Melitenſibus occupari quererentur; hi contra & ſe, & ea, quæ tenebant, ab omni prorſus Monachorum jure immunia eſſe contenderent. Anno itaque 1388. deducta ad Judices Inſulæ controverſia, inter utroſque certis conditionibus conventum, & concordia reddita utriſque. Tabulas tum quæſtionis coram Judicibus habitæ, tum conventionis publica fide ſtatutæ hic ſubjicio.

In Chriſti Nomine Amen.

Tabulæ controverſiæ, & conventionis inter Monachos, & inſulanos Melitenſes.

Anno Nativitatis ejuſdem MCCC. LXXX. VIII. Indictione xi. Menſis Maj. die xii. Comparuit P. Abbas Fr. Andreas Monaſterii Sanctæ Mariæ Inſulæ Melitæ cum Fratre Gino Priore tunc Clauſtrali, & Fratre Lazero Monacho ejuſdem Monaſterii, & cum Nobili Viro ſ. Nicolao de Menze Procuratore dicti Monaſterii coram Judicibus Inſulæ Melitæ, videlicet de Babino-Poglie, de Zarra, ac Balta, nominatim Giuroie Zar, Bogdan Cranoevich, Marin Draginich, Jacobo Luvich, Priboie Mircovich, Radojar Joppa, coram ipſis, & coram tota Univerſitate Inſulæ Melitæ, contra ipſos ante Eccleſiam S. Pangratii per ſuum Procuratorem ſupradictum coram Teſtibus infraſcriptis ad hoc ſpecialiter rogatis, & vocatis, dicendo, & oſtendendo quoddam Privilegium S.D.N. Honorii Papæ tertii, quod vos Meletani occupaſtis Eccleſias, ſeu Capellas, & vos omnes ſcitis, & non poteſtis negare, quod omnes Eccleſiæ ſeu Capellæ, quæ ſunt in Inſula, ſunt, & fuerunt de Monaſterio ut membra, pleno jure, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus cum omnibus juribus, & pertinentiis, ac Terris, quo jure volumus ſcire, nec poteſtis aſſumere, nec amoveri Capellas, vel Capellanos, niſi quos, ſeu quem Abbas, & Conventus dederit vobis, videlicet Monachum, vel Preſbyterum Sæcularem, qui adminiſtrabunt vobis Eccleſiaſtica Sacramenta, quia ita continetur in Privilegio S. D. N. Papæ. Inſuper occupaſtis vineas, & terras ubi fuerunt vineæ, quas monaſterium poſſidebat antiquitus cum pertinentiis, quæ vineæ, & terræ ſunt in Babino-poglie, etiam occupaſtis domum dictam Sochgnizam cum pertinentiis, ac juribus ſuis apud Cimiterium Sancti Pangratii, in qua ſolebat Abbas venire, & habitare cum Monachis ſuis quandocumque veniebant rus.

At ipſi Melitani per ſuum Advocatum nominatum Milich Radetich, reſpondit pro tota univerſitate, & oſtendit unum Inſtrumentum Fratris Petri Abbatis Monaſterii Sanctæ Mariæ ſupradictæ, quod erat confectum M.CCC.XLV. Indictione V. quod nos ſumus liberi ab omni ſervitute Monaſterii, & tu Domine Abbas, nec tui ſucceſſores nec Monachi habetis aliquod jus in Inſula Melitæ, niſi de Zarna Clada verſus Loſinum, quæ Zarna Clada eſt in fine Dughoboglie, & pro reſidua parte Inſulæ damus vobis perperos trecentos annuatim groſſorum Raguſii Monaſterio Sanctæ Mariæ ſupradictæ; & ſi occupavimus aliquas terras, vel vineas, volumus reddere de pertinentiis, vos non debetis habere, quia non continetur in Inſtrumento noſtro pro territorio Baltæ, & pro territorio ſub Vodize, & pro territorio in Zarra, pro quo ſolvunt illi de Zarra: non impedimus dictis etiam quod Eccleſias occupavimus cum juribus, & pertinentiis, ac terris, reſpondimus, quod nobis donavit, ac liberavit Fr. Petrus *prædeceſſor veſter pro pretio perperorum trecentorum annuatim vobis dando, & etiam confirmavit nobis* D. Nicolaus Divina gratia Cardinalis Tit. Sancti Cyriaci Preſbyter, *Cardinalis Legatus D. N. Papæ Urbani VI.; ad quam reſponſionem ſupradictus Procurator dixit, Oſtendite* Inſtrumentum Matthæi Abbatis, *quod vobis Legatus confirmavit, & illi oſtenderunt Inſtrumentum* Fr. Petri Abbatis, *quod non erat confirmatum, & quod remanſerunt confuſi; quia jus non habebant.*

Supradictus Procurator Monaſterii reſpondit dicens, quod Fr. Petrus Abbas *non potuit liberare, aut alienare ſine licentia D. N. Papæ niſi in vita ſua ſolummodo in Inſula. Eccleſias autem nec in vita, nec in morte potuit alienare, etiam in Inſtrumento veſtro nulla mentio de Eccleſiis fit. Et ipſi reſponderunt per advocatum ſuum, quare nos damus vobis perperos trecentos? Procurator Monaſterii reſpondit. Vos ſolvitis Monaſterio ſupradicto annuatim perperos trecentos pro laboreriis, & ſervitiis conſuetis, quia tenebamini ligonizare omnes vineas monaſterii ſupradicti, & ſeminare abſque omni ſolutione cum expenſis conſuetis, & alia laboreria Monaſterii omni tempore abſque ſolutione, & pro territoriis, ſeu terratico tenebamini dare annuatim quintam partem grani, vini, ac omnium naventiarum, & de Terris quas nunc poſſidetis, & de paſcuis. Illud quod vos in præſenti tollitis de omnibus iſtis ſupradictis Clauſtralis* Fr. Petrus *non potuit vos liberare niſi in vita ſua. Modo dico, quod ſi vos non vultis convenire, ſeu concordare cum Domino Abbate cum omnibus Juribus, & pertinentiis, ac terris, excommunicabit Vos D. Abbas, ac mittet ad S. Patrem D. Papam, ut publicet vos per mundum omnes fore excommunicatos, quia eſtis inobedientes Privilegio D. N. Honorii Papæ tertii; etiam faciet vobis annullare, ſeu deleri veſtrum Inſtrumentum, & nullius valoris, nec auctoritatis eſt, quia non ſolvitis Monaſterio pro introitibus modo, quod debebatis dare annuatim excepto pro terris, quæ debebatis ſicut ſolitum fuit, ut apparet in Inſtrumento* Fratris Petri: *unde videndo ipſi fecerunt conſilium inter ipſos petendo inducias: conceditur: diffinierunt, & terminaverunt facere pacem cum Domino Abbate.*

Hoc modo terminaverunt dicendo, quod vos, ac veſtri Succeſſores poſſideatis omnes Eccleſias, ſeu Capellas, etiam ſi quæ erunt ædificandæ in futurum cum omnibus juribus, & pertinentiis,

Digitized by Google

re terris; quia nos non sumus Dominus Papa, ad quem spectat conferre Ecclesias, nec ei volumus contradicere. Et de Capellano nunquam diximus contrarium vobis, nec dicimus, sed fiat ad nutum vestrum, & Conventus vestri, & si aliquis occupavit Ecclesias vestras, vel possessiones earum, utimini jure vestro, de pertinentiis vinearum vestrarum in Babino-Poglie quas postulastis damus amodo vobis vestrisque successoribus, & domum dictam Sochgnizam juxta Cimiterium Sancti Pangratii cum omnibus juribus sit vestra sicut fuit; pro afflatura illud quod pertinet ad Ecclesiam Sancti Pangratii vid. quarta pars, rogamus vestram Paternitatem donetis nobis annuatim unum star olei pro lampada, quod oleum ardeat ante Corpus Domini Nostri in dicta Ecclesia, & Universitas adimplebit pro residuo tempore illud, quod deficiet. Et Abbas una cum Fratribus concessit, ut ita fiat. Et Universitas Melitæ fecit juramentum dare fideliter quartam partem omnis afflaturæ, incipiendo a supranominata Zarna-Clada usque Caruaram ex ambibus partibus Insulæ, si quis occultaverit a Monasterio perdet medietatem, & illa medietas deveniet Monasterio. Super hoc Instrumento, seu obligatione juraverunt ambæ partes ad Sacra Dei Evangelia, ut nullo modo nec ingenio frangant hanc conventionem nec ipsi, nec ipsorum successores, renuntiantes, quod sit ratum & firmum in perpetuum, ut est ordinatum, Et pro cautela, & fide, & roboratione præsentis Instrumenti appendimus duo sigilla, unum D. Abbatis, alterum Universitatis Melitæ. Hæc autem carta nullo testimonio rumpi possit. Testes ut supra &c. Hii D. Federicus de Gozze Diaconus, & Canonicus Ragusinus, Ecclesiæ Presbyter Petrus Lupa, Presbyter Marinus de Corciula Capellanus ejusdem insulæ, ac Laurentius de Rizza, & de prædictis fecimus fieri duo Instrumenta similia pro parte unum ad majorem cautelam.

Hoc instrumentum factum est ante Ecclesiam S. Pancratii de Melita in loco consueto &c. Ego Andreas olim Dominici de Bononia publicus Notarius Imperiali auctoritate, necnon juratus Cancillarius Communis Ragusii, ad hæc specialiter rogatus, & vocatus ab utraque parte, fui præsens ad omnia cum supradictis testibus, & publicavi, ac roboravi, & meum signum consuetum apposui.

NICOLAUS ARCHIEPISC. RAGUSINUS XXXIX.

Nicolaus Archiep. anno 1393.

Hunc quoque præclarissima Patrum Prædicatorum sodalitas, virorum doctrina & sanctitate insignium ferax, Ragusiensibus Archiepiscopum dedit. Ex Foro Cornelio, urbe in Æmilia perantiqua & illustri, oriundum fuisse asserunt Razzius, Luccarus, Gundula, & Bullarium Dominicanum, eique *de Ovis* cognomen attribuunt, Sebastianus Dolci ex schedis Aletianis Beneventanum, & *de Hortis* cognominatum fuisse affirmat: sed hic auctor quædam de Nicolao scribit, quæ alteri Nicolao illius successori omnino sunt tribuenda. Bonifacius IX. eum Ragusinæ Ecclesiæ Archiepiscopum præfecit anno 1393. VIII. Kal. Septembris; de quo Obl. T. 48. p. 111. *Die* 25. *Aug.* 1393. *Nicolaus electus in Archiep. Ragusin. personaliter promisit pro suo com. servitio* 200. *florenos, Item recognovit pro communi servitio D. Andreæ prædecess. sui florenos* 40. *Item pro comm. servitio D. Matioli antepræd. sui alios* 100. *florenos*. Præterea Obl. T. 51. p. 66. *Die* 14. *Augusti* 1394. *Nicolaus Archiep. Ragus. solvit pro parte sui comm. servitii florenos* 40. *Fuit promotus anno IV. Dom. Bonifacii PP. IX.* His temporibus familia Franciscana diœcesis Ragusinæ duobus Cœnobiis aucta est, altero in territorio Omblæ, ubi olim Rabiatense Monasterium, altero in valle Slani; hoc sub Divi Hieronymi, illud sub Deiparæ Virginis S. Elisabetham visentis nomine & auspiciis ex collatis piorum hominum subsidiis constructum fuit. Omblensi tamen Cœnobio sæculo XV. abolito, ibidem parœcia instituta est; quo incolarum religioni, ac pietati prospiceretur, Narrat Jacobus Luccarus, Sigismundum Regem Hungariæ, anno 1396. post cladem Nicopolitanam per Thraciæ fines, & Ægæi maris insulas profugus Ragusium cum venisset, ab Archiepiscopo cum Clero, & Senatu cum populo & venientem perhonorifice exceptum, & abeuntem regiis muneribus cumulatum. Sed fugæ hujusce per longinquas adeo regiones falsitas coarguitur ex litteris *Blasii Cserei de Barot, qui Sigismundum in ipsa pugna præsenti vitæ periculo eripuit, & in fuga miserrima, evulsis agro spicis, contritisque, granis triticeis aluit:* ex iis autem docemur, Sigismundum *piscatorio lembo superato Istro in Valachiam semet recepisse*: unde insequenti anno 1397. *Strigonienses Archiepiscopi & Kanisarum ope, qui fidum Regi comitatum consiliumque semper præstitere, in regnum* restitutus est. Hæc Nicolaus Schmitth in part. 1. de Archiepiscopis Strigon.

Suam Ecclesiam octo ferme annos summa vigilantia, magna cum cura, & diligentia Nicolaus rexit; nec magis sapientissimis præceptis instruxit, quam illustribus omnium virtutum exèmplis ornavit, Anno 1401. a Bonifacio Pontifice translatus ad Ecclesiam Sipontinam, Ragusio decedens æque excellentem de sua virtute opinionem, atque ingens sui desiderium reliquit. De hac Nicolai translatione ad Sipontinum Archiepiscopatum habeo auctores Sarnellum in opere de Episcopis & Archiepiscopis Sipontinis, & Ughellum in Tomo VII. Ital. Sacr. pag. 852. ex quo hæc. *Nicolaus de Imola Nicolao* (de Sacchis) *successit traductus a Ragusina Ecclesia, ubi sederat annos octo, commutatione facta eodem die & anno* 1401. (a Bonifacio IX.) Sed Nicolai de Sacchis translatio in annum insequentem omnino rejicienda est, *Sedit pacifice Nicolaus aliquot annos*; eumdemque esse illum suspicor, cujus meminit, tacito nomine, Theodoricus de Niem in *Nemore Unionis* tract. IV. cap. V., ubi disputationem describit cujusdam *Theologiæ Professoris quondam Archiepiscopi Ragusinensis* habitam pro legitimo Pontificatu Gregorii XII. dum Pontifex Lucæ commoraretur, uti videtur, vel Senis, atque ideo eo temporis spatio, quod procurrit ab ineunte Septembri mense anni 1407. quo Gregorius Senas advenit, ad diem secundam mensis Julii anni 1408., quo Luca discessit: hic autem Ragusinus Antistes esse nequit profecto Nicolaus alter, qui Ecclesiæ suæ possessionem nunquam abdicavit, neque Joannes Dominici, qui mense Martio anni 1408. Nicolao II. suffectus fuit: cur vero Niemius Sipontinum Nicolai Archiepiscopatum silentio præterierat, divinare non ausim. Interfuit Nicolaus

translatus ad Sipontinam Ecclesiam an. 1401.

Pi-

Digitized by Google

Pisano Concilio an. 1409. & mutata in Gregorium sententia, ab eodem de sua Sede dejectus fuit, ut scribit Ughellus: quod tamen anno 1407. contigisse affirmat, sed nullo fretus testimonio; & veri mihi videtur simillimum, id a Gregorio factum, cum Nicolaus, qui hoc anno pro Gregorio steterat, vel paullo ante Pisanum Concilium, vel in ipso Concilio ab ipso defecisset. Cum Laurentio sibi in Archiepiscopatum suffecto *non semel decertavit; tandem circa annum Dom.* 1415. *mortuus est, ut conjicere licet ex lib.* 1. *Provis. Rom.* 23., Ughello eodem auctore, qui locum non indicat, in quo decesserit, & dubitationem injicit, utrum ad Sipontinam Ecclesiam unquam redierit. Hinc alia mihi conjectura, Nicolaum, reditu ad Sedem suam desperato, Ragusium secessisse, ibique a civibus perhonorifice exceptum, habitumque, supremum diem obiisse. Hæc quasi divinando scribimus, ut Scriptorum testimonia, quo fieri potest modo, componantur; Ragusini quippe auctores perhibent, Nicolaum funere quam amplissimo elatum, devectumque in Ædem S. Dominici, exsequias tota civitate, cui carus in primis fuerat, celebrante, penes Andream ejus decessorem conditum fuisse: sed elogium sepulcrale marmoreæ tabulæ inscriptum, affixumque parieti, litteris exesis, fere totum vetustas abolevit.

Obit Ragusii.

Fateor tamen, in historia Ecclesiæ Ragusinæ nihil esse turbatum magis, magisque obscurum, quam hujus Archiepiscopi, tum insequentis certa in regimine στοχή, & rerum ab iis gestarum tempora: ac veluti Catholica Ecclesia plures discissa in partes diro hac ætate schismate vexabatur, ita ne contigerit vereor Ragusienſi, quæ tristes persenserit communium turbarum vices, & aliquandiu sævientis procellæ ictus in se fuerit experta. Quid enim statuendum de Andrea Archiepiscopo Ragusino an. 1397. cujus nomen abest ab omnibus Ragusinis Catalogis, & Scriptoribus? sed de illius Archiepiscopatu dubitare vetat diploma Sigismundi Regis, qui anno eodem duobus vicis Hynyerem & Ryblen Ecclesiam Strigonienſem locupletavit: testis enim adfuit cum aliis Archiepiscopis & Episcopis *Andreas Ragusien. Archiepisc.* Datum quippe est *per manus Reverendissimi in Christo Patris & Domini Joannis Archiepiscopi Strigonienſis, locique ejusdem Comitis perpetui, Primatis Hungariæ, S. Sedis Apostolicæ Legati nati, aulæ nostræ Summi Cancellarii, dilecti & fidelis nostri; anno Domini millesimo, trecentesimo, nonagesimo septimo; octavo Idus Decembris; Regni autem nostri anno undecimo. Venerabilibus in Christo Patribus, & Dominis Valentino T. Sanctæ Sabinæ, S. R. E. Cardinali ac Ecclesiæ Quinqueccl. Gubernatore, eodem Joanne Strigonienſi, Nicolao Colocenſi, Petro Jadrenſi, Andrea Spalatenſi, altero Andrea Ragusien. Archiepiscopis. Luca Varadin. &c.* Num igitur, ut locus Andreæ tribuatur inter Antistites Ragusinos, aliquot anni detrahendi sunt Nicolao, cujus Archiepiscopatus initium sumit ab anno 1393. ut convenit inter omnes? Obstat vero Sarnelli, & Ughelli auctoritas, quibus sua fides debetur; qui in annum 1401. producunt illius Archiepiscopatum; neque usque ad quartum, ut Razius, Luccarus, & Gundula, aut ad septimum sæculi decimiquinti annum, ut affirmat Sebastianus Dolci, protrahi potest, cum certa sint primordia alterius Nicolai de Sacchis anno 1402.

De alterius Andreæ Ragusino Archiepiscopatu quæstio.

Præterea idem ne Andreas hic, qui testis adfuit, & subscripsit anno 1420. alteri Sigismundi Regis, & Imperatoris diplomati, quo confirmat possessionem Szent-peter in provincia Simigensi, quam Dynastæ de Kanisa Cœnobio S. Paulli primi Eremitæ donaverant? datumque est *per manus Venerabilis viri Joannis Præpositi Budensis aulæ nostræ Vice-cancellarii, fidelis nostri dilecti, anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo quarto Idus Augusti, Regnorum autem nostrorum anno Hungariæ &c. Romanorum vero undecimo. Venerabilibus in Christo Patribus Dominis Doymo Spalatensi, & Andrea Ragusiensi Archiepiscopis c. Strigoniensi, Colocensi, &c. Sedibus vacantibus &c.* Quin ejus nomen adscriptum est privilegio a Sigismundo concesso an. 1424. Collegio Virginum de valle Vesprimiensi, in quo testes leguntur *Joannes Præpositus Budensis Vice-cancellarius, Doymus Spalatensis, Andreas Ragusien. Sedibus Colocen. Jadren. &c. vacantibus &c.* itemque alio diplomati, quo Sigismundus sancivit anno 1431, ut in perpetuum valerent immunitates *Præposituræ de Eors: Datum per manus &c. anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo primo, decimo Kalendas Martii &c. Venerabilibus in Christo Patribus Dominis Georgio Strigonienſi &c. Andrea Ragusiensi Archiepiscopis &c.* quæ omnia ex Schmittho descripsimus in Parte I. Archiepisc. Strigon. Hisce autem annis Ragusinæ Ecclesiæ legitime præerat Antonius Reatinus Archiepiscopus ab Alexandro V. creatus, qui perhonorifica ad Sigismundum Imperatorem legatione postea functus profecto exceptus minime fuisset, si Sigismundus viri dignitatem, & Ragusini Archiepiscopatus honorem non probasset. Ut autem ab hujusce modi rerum perturbatione memet expediam, sic constituo, unum esse eumdemque Andream Archiepiscopum, cujus nomen inest Hungaricis tabulis: tum alterutrum omnino adfirmemus oportet, donec lux aliqua ex vetustis monumentis affulgeat, quæ hasce historiæ tenebras auferre penitus queat; alterum nimirum est, quod Nicolao I. electo Ragusiensi Archiepiscopo a Bonifacio IX., cum Clementis VII. & paullo post Benedicti XIII. schisma vehementius arderet, & regnum Hungaricum eodem tempore intestinis factiosorum motibus agitaretur, Andreas quoque a Clemente, aut a Benedicto pseudopontifice electus fuerit, & approbatus sive a Proceribus regni, qui Sigismundo Hungariæ Regi adversabantur, sive ab ipso Sigismundo, cui nonnullæ aliquando simultates fuere cum Bonifacio, & intima erat cum Venceslao Imperatore ejus fratre sanguinis conjunctio, fœdus vero cum Carolo Galliarum Rege, qui Clementis & Benedicti partes quandoque tuebantur. Alterum, quod Sigismundus jure quodam sibi attributo nominandi, vel certe approbandi Ragusini Archiepiscopi, cum Ragusienses in fidem & clientelam Regum Hungariæ se contulissent, noluerit admittere Nicolaum se inscio fortasse, atque inconsulto, creatum a Bonifacio Archiepiscopum, eoque rejecto Andream nominasse. Utrumvis sequaris, cum Andreas legitimi Pontificis approbatione caruerit, nunquam legitimus Archiepiscopus haberi potuit, neque inseri debuit Catalogis Antistitum Ragusiensium: regia vero nominatione fretus, aut etiam Sigismundi cum Bonifacio conventis, hujusque consensu nomen Archiepiscopi ab omni curatione vacuum

Digitized by Google

cuum gessit, retinuitque usque ad supremum vitæ tempus, & in Comitiis Hungaricis locum tenuit Ragusiensis Antistitis, regiisque decretis nomen suum & chirographum apposuit. Tertia tamen addi potest conjectura, Andream a Sigismundo quidem nominatum fuisse Archiepiscopum, sed a Pontifice rejectum, postea ita conveniisse inter utrumque, ut titulo Archiepiscopali contentus nullam Ecclesiasticæ administrationis partem attingeret. Huic Andreæ si illa attribuas, quæ ex Niemio retulimus paullo superius, opinio haud aberit a veri similitudine. Sed hæc satis de illo in re adeo ambigua atque obscura.

Conjuratio in Rempublicam detecta.

Sæculo decimoquinto ineunte VI. Idus Martii nefaria in Rempublicam conjuratio detecta est; & ob depulsum periculum supplicatione totius civitatis indicta, Clero & Archiepiscopo præeunte, Rectore ac Senatu cum universo populo prosequente, in Æde Cathedrali pie sanctæque Deo immortali honor est habitus, & secundum Deum B. Mariæ Virgini, & S. Blasio Patrono Civitatis gratiæ actæ; ac decretum fuit, ut eo die, qui quadraginta Sebastenorum Martyrum nomine cultuque consecratus est, quotannis ad Basilicam S. Blasii Archiepiscopus & Senatus frequentissima supplicatione procedant, & Pontificali Sacrificio ibidem facto, sacrisque hymnis & canticis primum Deo Optimo Maximo, tum D. Blasio vota rite persolvant, conservatæ Reipublicæ, ac libertatis memoriam gratis lætisque animis recolentes. Hæc dies sollemnis, & votiva cum incidat in ferias sacrosancti quadrageni jejunii, Concionator Ædis Cathedralis gravem & copiosam orationem in Templo Blasiano ad Patres & Senatum habere solet de republica recte administranda, ejusque optimo statu.

F. NICOLAUS II. ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS XL.

F. Nicolaus II. ex Ordine S. Dominici.

Ex familia *de Sacchis* honesto loco natus. Razzius eum Benevento oriundum tradit. Sebastianus Dolci Genuam eidem patriam attribuit; at cum Razzio convenire quodammodo videtur B. Joannes Dominici ex Ordine Prædicatorum, Nicolai in Ragusino Archiepiscopatu successor; qui illum se noviisse coram testatur in epistola ad Paullam matrem suam data Constantiæ die decima sexta Februarii anni 1416., eumque nominat *Reverendum Patrem Magistrum Nicolaum de Neapoli* & in Tabulis Ragus. Notar. Diversi. ad an. 1405. die 9. Junii F. Nicolaus de Ypuregio Episcopus Tribunensis dicitur *Vicarius Generalis Nicolai de Benevento Archiepiscopi Ragusini*. Dominicanæ familiæ alumnus fuit; & mirum sane videtur, Dolcium asserere, Nicolaum hunc in D. Francisci Ordinem fuisse cooptatum, cum omnes, quos ego viderim, Franciscanos Scriptores notitia subterfugerit viri doctissimi, & insigni dignitate conspicui. Waddingus in Tomo IX. Annalium Ord. Francisc. Nicolaum Dominicanæ Sodalitati adscribit ad an. 1410. num. x. & Bzovium redarguit, quippe qui in suis Annalibus Nicolaum hunc, & Joannem Dominici, ejusdem utrumque Dominicani Instituti, a calumniis defenderit, quibus illos insectatur Theodoricus de Niem in libris de schismate, Dominicum vero Joannis ex Ordine Franciscano, & ejusdem, ac Nicolaus & Joannes, causæ patronum pro Gregorio XII. Pontifice, nedum tueatur, descriptis etiam Theodorici in Dominicum jurgiis ac probris, ipse præterea iniqui hominis maledicta & convicia visus sit comprobasse. Neque Waddingo tribui debet errori, quasi Nicolaum de Sacchis cum altero Nicolao, cui de Hortis cognomen, Dominicanæ itidem disciplinæ asseela confuderit; nam ea, quæ de Nicolao de Sacchis commemorat, huic recte conveniunt, neque cum Archiepiscopatu Nicolai primi componi possunt, ut paullo inferius declarabimus. Sed ex laudata B. Joannis ad Paullam matrem epistola multo gravius argumentum depromere licet, quo Nicolaus Ordini Dominicano reddatur. Hæc postrema sunt illius epistolæ verba, quam Biscionius inter ceteras Divorum Florentinorum litteras primus edidit, eamdemque *ex processu Ms. Contestationum de Sanctitate B. Catharinæ* Senensis descriptam retulit in *Commentarios de rebus Congregationis B. Jacobi Salomonii* P. Bernardus Maria de Rubeis cap. 3. num. 2. *Adjungo*, inquit, *seu addo propter utilitatem aliorum, Reverendum Patrem Magistrum Nicolaum de Neapoli, qui mortuus est in Senis, tempore quo Curia residebat, Archiepiscopus Ragusinus, cui ego in Archiepiscopatu successi, mihi dixisse, non posse se castitatem servare; ope autem Sanctæ* (Catharinæ Senensis) *implorata, & funiculo, quo illa usa fuerat, renibus adstricto, illico libidinem omnem usque ad mortem extinctam fuisse, idque mihi dixit paucos ante dies, quam moreretur, & sic etiam animæ incontinentiam: quare Dei servus omnino effectus est, in alium mutatus qui antea non fuerat. O beatum funiculum, qui carnem tetigit, & animam cinxit.* Quæ quidem Nicolai cum Joanne intimi sensus conjunctio, ac familiaritas, tum ab ipso Joanne præstita eidem morienti officia majorem indicant, quam religionis ac caritatis solius inter utrumque conjunctionem, illam scilicet ejusdem simul instituti, atque disciplinæ, cui uterque fuerit obstrictus. Nec dubium est, quin idem sit Nicolaus, de quo Thomas Senensis in Actis pro cultu D. Catharinæ Senensis confectis, editisque a Martenio & Durando in Collectione veterum monumentorum &c. Tomo VI. hæc testatur num. 38. *Et cum tunc ibidem in curia advenisset quidam Archiepiscopus Ragusanus ad virginem tanquam ad beatam matrem affectus, & ad cuncta sibi possibilia pro virginis canonizatione paratus, quamplures scripturas & litteras virginis, quas apud se habebat, dedit ipsi domino Papæ, quas virgo direxerat domino Urbano VI. dum pro inchoato tunc schismate affligeretur, quas etiam scripturas dictus Archiepiscopus latinizavit, ut sic per dominum Papam delectabilius & habilius legerentur:* ac num. 41. *De quo personarum numero*, quæ nimirum eximias Catharinæ virtutes admiratæ fuerant, *inter alias fuit quidam reverendus D. Archiepiscopus Racusinus, qui ad virginem quam præcipue fuit affectus, prout idipsum ostendit ex multis de quibus dictum est supra:* e quibus multo clarius intelligimus Nicolaum Dominicani sane Instituti asseclam fuisse. Omnem vero dubitationem adimit Theodoricus ipse Niemius in lib. 3. de schism. cap. 50. *Quidam etiam fratrum Ordinis Prædicatorum professor, & tunc Archiepiscopus Ragusiensis, & in sacra pagina magister, veniens ad civitatem Senensem circa festum S. Michaelis ad ipsum Errorium* (Gregorium XII. Pontificem) *antequam ivit ad*

Lu-

Lucam &c. eumdemvero in tract. 6. Labyrinthi cap. 29. & *Nicolaum* appellat, & *prædeceſſorem* in Raguſino Archiepiſcopatu Joannis Dominici, ad quem miſſa impie confingitur integra hujuſce cap. 29. epiſtola; hæc enim habet; *Nicolao olim Archiepiſcopo Raguſinenſi prædeceſſore tuo*. Igitur ſic ſtatuendum, Nicolaum patria Neapolitanum, & Dominicanæ familiæ alumnum, eum ipſum eſſe, qui a Bonifacio IX. Archiepiſcopus Sipontinus *ſalutatus eſt*, inquit Ughellius in Tomo VII. Ital. Sacr., *an.* 1398. 27. *Februarii*; & *ab eodem poſt annos fui regiminis tres ad Raguſinam Eccleſiam translatus eſt an.* 1401. cui etiam Sarnellus in lib. de Epiſc. & Archiepiſc. Sipontinis conſenſit: ſed annus translationis conſignandus omnino eſt 1402. uti perſpicue perhibent tabulæ Romanæ (T. 54. Oblig. pag. 53.) in quibus electus Archiepiſcopus Raguſinus dicitur *prid. Id. Novemb. an.* XIII. *Pontificatus* Bonifacii IX. ideſt 1402. niſi forte putes Nicolaum anno poſt dimiſſam Sipontinam Eccleſiam migraſſe ad Raguſienſem, dum Nicolaus primus ſtatim ab Raguſienſi relicta an. 1401. ad Sipontinam Eccleſiam tranſiverit, & uno ferme anno Raguſinum Archiepiſcopatum vacuum ſuo paſtore fuiſſe; erroris autem arguuntur Razzius, Lucarus, & Gundula, qui initia Raguſienſis Archiepiſcopatus a Nicolao ſuſcepti in annum 1404. & Sebaſtianus Dolci, qui in annum 1407. retulit.

Sipontinus poſtea Raguſienſis Antiſtes anno 1402.

Annos circiter quinque ſuæ Eccleſiæ regendæ præſens Nicolaus adfuerat, cum, ut in ſumma illa Chriſtianæ reipublicæ perturbatione aliquam & ipſe laboranti diro ſchiſmate Eccleſiæ opem afferret, in Italiam rediens Senas pervenit menſe Septembri anni 1407. *circa feſtum Sancti Michaelis Archangeli*, inquit Niemius, *tempore quo Curia* Romani Pontificis Gregorii XII. ibi *reſidebat*, uti ſcribit B. Joannes. Pagius enim in Tomo 4. Breviarii Rom. PP. & Raynaldus in Annal. diſceſſum Gregorii ab Urbe, & in Hetruriam iter chronologicis hiſce notis diſponunt, ut Roma egreſſus an. 1407. die 9. Auguſti Viterbium pervenerit, tum ineunte Septembri Senas adierit, ubi Nicolaus illum convenit. Quid vero Nicolaus egerit Senis, quo ingenii fervore, & orationis ſtudio Gregorii cauſſam tutatus fuerit, ut in legitima Pontificatus poſſeſſione eum retineret, præſtat ipſis Niemii verbis ex lib. 3. de ſchiſm. cap. 50. deſcribere, ut quæ illi probro vertit infenſiſſimus Gregorianæ partis hoſtis, nos veræ juſtæque doctiſſimi Antiſtitis laudi tribuamus: *Prima vice ſatis pulchrum & acceptum Curialibus ſermonem coram eodem Errorio* (Gregorio) *fecit in publico exhortando eum multis pulchris rationibus ad eamdem faciendam unionem, ut ſe quanto citius præpararet, ſubjungens quod omnino univerſali Eccleſiæ, ac ſaluti animarum Chriſtifidelium ſic fieri expediret: quem quidem Archiepiſcopum etiam infra paucos dies poſtea prædicantem publice coram populo audivi, quod dictus Errorius* (Gregorius) *ſuo Papatui abſque mortali peccato, & ſine damnatione animæ ſuæ nullo modo cedere poſſet, nec ipſum ad hoc vota & juramenta per eum præſtita obligarent, fraudulenter a Gregorio inductus: ſuper quo tres fecit libellos, quos vidi judicio multorum Magiſtrorum in ſacra Theologia, & Doctorum in jure canonico, nedum erroneos, ſed hæreſi plenos.* Hoc quippe judicium de Gregorianis fautoribus ferebant ii, qui vel præoccupati falſo judicio, vel iniqua voluntate ſchiſmaticæ factioni favebant. Paucis tamen menſibus benemereri de Eccleſia & Gregorio potuit Nicolaus; nam dum *in eadem materia*, ſubdit Niemius, *tenendo multos ſcribentes apud ſe continuo diligentius laborarct, cecidit in lectum ægritudinis, & in octava feſti Epiphaniæ*, idibus ſcilicet Januariis piiſſime deceſſit anno 1408. *in Senis tempore quo Curia reſidebat*, ait in laudata epiſtola B. Joannes. Gregorius vero Pontifex, & Romanorum, qui eum ſequebantur, Cùria Senis diſceſſit, exeunte Januario ejuſdem anni juxta chronologicos Pagii & Raynaldi calculos. Cetera, quæ Niemius inique obtrudit de morte Nicolai, teſtimonio Joannis viri ſanctiſſimi refelli facile poſſunt; is ſiquidem & Nicolao morienti adfuit, & probum Dei famulum fuiſſe teſtatur. Hujus Antiſtitis obitu vehementer doluit Gregorius; nec oblati veneni ſuſpicio abfuit. Ejus cadaver privato funere elatum in eadem urbe conditum fuit, ut Niemius affirmat, cujus auctoritati plus eſt hac in re tribuendum, quam ſchedis Aletianis, in quibus legit Sebaſtianus Dolci, Nicolaum in Eccleſia Cathedrali Raguſina tumulatum fuiſſe.

ac paullo poſt ibidem obit.

Senas pergit ad Gregoriam P. an. 1407.

eique favet,

B. JOANNES V. ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS XLI.

Florentiæ natus eſt an. circ. 1358. ut ex Chronico Riccoboniano recte conjicit Bernardus de Rubeis cap. 3. num. 2. Comment. Congreg. B. Jacobi Salomonii. Ejuſdem diem natalem Papebrochius rejicit in an. 1356. in notis ſubjectis ejus elogio a D. Antonino deſcripto ad diem decimam Junii, idque ſentit etiam Echardus in Tomo I. Script. Ord. Domin. Pocciantius in iiſdem Papebrochii notis annum conſignat 1340., ut Urſulinus in ſuo opere de Pontif. & Card. Flor. De Joannis genere plurimum controvertitur; ſed Chronici Riccoboniani fides eſt ceteris præponenda: *Hic vir ſanctiſſimus fuit ex urbe Florentia, honeſtiſſimorum proborumque parentum filius.... Ejus pater Dominicus nomine ſerici elaborandi artem exercebat; mater vero Paulla dicta.... illum conceperat, cum interea genitor obiit. Natus ut fuit, Joannis nomen ei voluit imponi.* Hæc de Joannis parentibus, ejuſque nativitate Chronicon laudatum. Urſulinus patrem ei attribuit *Dominicum de Banchinis*, a quo *Dominicus vocatus patris nomen pro familiæ cognomine hæreditavit*; hinc a patre Dominico cognomen, avito poſthabito, accepit, dictuſque eſt *Joannes Dominicus*, ſive *Joannes Dominici*. Quodcumque vero ejus genus dixeris, Joannes egregiis factis & virtutibus illud ad ſummos Eccleſiaſticæ Hierarchiæ gradus evexit. Ab incunabulis in ſinu optimæ matris educatus magnam ſpem afferebat ſummi ingenii, ſummæque probitatis. Poſt pueritiam e domeſtica diſciplina caſte pieque tranſactam divino ſpiritu inſtinctus anno ætatis decimoquarto, ut in Dominicanam familiam cooptaretur, ardentiſſime petiit. At ſollicita mater, ne optimi filii ope ac ſolatio careret, Joannem probo cuidam mercatori commendatum Venetias miſit ſperans futurum, ut adoleſcens conſilium interea amplectendæ religioſæ diſciplinæ mutaret. Verum biennio poſt juſſu matris Florentiam reverſus, eadem inſcia, Dominicanam veſtem induit in Cœnobio Florenti-

Joannes Dominici Florentinus natus an. 1358.

no *S. Mariæ Novellæ*. Facti hujus narratio, quod omnes ejus vitæ Scriptores latuit, in eodem Chronico ita legitur; *Cum annum ageret decimumquartum in Ordinem* (S. Dominici) *ingredi voluit. At dubitans mater, ne Florentini Fratres illum monachali habitu induerent, filium Venetias misit, probo quodam mercatore socio ei adjuncto. Illic ex obedientia immoranti bonum desiderium in dies augebatur, & sæpe Ecclesiam SS. Joannis & Paulli* (a Dominicanis Patribus cultam) *invisebat. Duobus annis post reputans mater studium vitæ religiosæ in filio jam friguisse, illum ad se revocavit, & cum Florentiam rediisset, habitu S. Dominici indutus fuit in Cœnobio S. Mariæ Novellæ, inscia matre.* Certus autem ætatis annus, quo in Dominicanam societatem admissus est, ab ipso Joanne innuitur in epistola ad matrem data an. 1416. *Scitis vos habere unum filium* (se nimirum indicat), *qui septem & decem annorum existens est Frater Prædicator effectus*; unde arguas licet, Joannem anno circ. 1375. Ordini Prædicatorum nomen dedisse. In Chronico legitur annus *decimus sextus*, at absolutum intellige; *Ejus venerabilis mater mihi dixit, eum, cum Ordinem ingressus est, annos sexdecim natum fuisse*. Carolus in ejus vita consignat annum 1378. quo in Ordinem exceptus fuerit; sed, cum certus sit ætatis annus, quem tum agebat, inde sequeretur, Joannem obiisse anno ætatis septimo supra quinquagesimum, quod repugnat gravissimis testimoniis, quæ emortualem ætatis annum fuisse probant alterum aut tertium præter sexagesimum: errat autem & Ursulinus, qui ingressum in Ordinem affigit an. 1362. Porro Joannes in laudata epistola fatetur, vix id a se impetratum, ut in Dominicanam familiam cooptaretur, quia nimium in modum balbus esset; *qui linguam habebat taliter impeditam, quod in receptione sua sibi non modicum Fratres resisterent, dicentes, ipsum nullatenus valere pro Ordine, sed potius ad hoc deveniret, ut unus joculator Fratrum efficeretur*. Hanc ego veriorem fuisse causam existimo, cur Florentini Cœnobii Præses, ceterique Patres, illum ineptum putarent muneribus Ordinis obeundis, non ob literarum insciciam, uti Carolus innuit cap. 2. ejus vitæ: quin egregia adolescentis indoles, & ingenium perspicax, quo a natura præditum fuerat, teste D. Antonino, facile quemquam impulisset, ut in Ordinem admitteretur certa spe ingentis ab eo prodituri tum pietate, tum doctrina profectus. Vix igitur in Cœnobium admissus est, statim se ad normam Dominicani Instituti ita composuit, ut vel ab ipsis religiosæ vitæ primordiis in omni virtute excelleret, & juvenis senibus, tyro veteranis tanquam exemplum continentiæ, tolerantiæ, frugalitatis, obedientiæ, omnium denique virtutum proponeretur. Tyrocinio perfunctus, & solemnibus votis Deo obstrictus Parisios studiorum causa proficisci jussus est, quod in Chronico legimus, & a ceteris auctoribus prætermissum est; inde brevi in patriam reversus *multa scientia plenus* de instituta vivendi ratione adeo nihil remisit, ut, cum jam ad excellentem perfectionis Evangelicæ gradum perveniisset, ipse tamen quotidie ad sublimiora spectaret, seque ipso melior ac perfectior in dies evaderet. Cum accuratissima religiosæ disciplinæ custodia, & cum omnibus tum pietatis, tum reliquarum virtutum officiis studia intenta doctrinarum assidue conjungebat, in iisque tantos progressus habuit, ut absolutam rerum omnium naturalium ac divinarum, & juris utriusque scientiam perceperit; & multiplex ejus doctrina non tam humanitus acquisita, quam divinitus infusa videretur; unde recte de se *jurejurando testatur in libro, quem Noctis Luculam appellavit, se in nulla scientia habuisse doctorem*, ut hisce verbis perhibet D. Antoninus in ejus Elogio. Ejus singularem eruditionem ac pietatem declarant libri ab eo compositi, & in publicam lucem editi, velut ille, qui *Lucula noctis* inscribitur, adversus Colucium Pierium Salutatum, qui suis *de fortuna & fato* carminibus quædam immiscuit cum fide orthodoxa parum congruentia; tum alii *in Genesim, super Ecclesiasten*, & *Canticum Canticorum; Commentarium super Matthæum*, & Psalmum *Magnificat*; *Sermones in Psalmos & Cantica Canticorum*, tum *de Sanctis & aliis anni Festivitatibus; Tractatus de amore charitatis, de Conceptione B. Virginis, de Possessionibus, de Corpore Christi, de Proprio; Quadragesimale unum & alterum; Itinerarium devotionis; Regula vivendi; Vita B. F. Marcolini Forolivensis*. Hanc vitam habes in Tomo 7. Monum. Eccl. Ven. pag. 187. ubi nonnullæ ejus epistolæ leguntur, & in Tomo 1. pag. 133. eæ præsertim, quas ad Sorores Venetas Cœnobii Corporis Christi scripsit, ac *Iter Perusinum* ejusdem Joannis opus de illius Cœnobii ædificatione; tum in Tomo 1. laudato pag. 138. fragmentum *Itinerarii devotionis*, ac in Tomo 7. pag. 218. fragmentum aliud *super Canticum Canticorum* vulgata typis reperies. Alias præterea Joannis literas edidit Biscionius; omnes autem pietate ac eruditione dignissimæ, quæ pie utiliterque a cunctis legantur. Mirum sane est, hujusmodi hominem, qui tot tantisque, uti dicam inferius, publicis Ecclesiæ suique Ordinis curis, atque negotiis implicitus erat, tantum temporis ad scribendum sibi reservare potuisse, quod totum certe somno, ceterisque animi ac corporis necessariis oblectamentis negabat. Nec scriptis solum, sed etiam verbis christianæ doctrinæ & pietati mirifice profuit. In quo singularis erga illum Dei voluntas innotuit, manifesto etiam prodigio, ut, qui absone balbutiens divini Verbi ministerio esset omnino ineptus, repente, implorata ope D. Catharinæ Senensis, expeditissimus ad loquendum redderetur; idque Chronici, ejusque ad matrem epistolæ testimonio certissimum est; *Inveniens se in Senis* (seipsum indicat matri), *sentiensque se habere desiderium prædicandi, cum non videretur sibi secundum alios in scientia deficere, solum de non posse dolebat propter vinculum linguæ prædictæ, quod bis in sæculo incidere feceratis. Et inveniens se quadam vice de nocte ante imaginem prædictæ Sanctæ* (Catharinæ Senensis) *in Ecclesiam ipsam deprecatus est cum illa obligatione, qua scivit, & sub certa obligatione, ut sibi impetraret a suo largissimo Sponso expeditæ beneficium linguæ, ita quod pronunciaret in salutem animarum divinum verbum. Quantum autem, & qualiter ista sibi concessa fuerit gratia, notum est Reverentiæ vestræ, ac etiam magnæ parti totius mundi*. Scripsit Joannes hanc epistolam Constantiæ *die decima sexta Februarii MCCCCXVI.* ad Paullam matrem, quæ tum Veneriis degebat

In Ordinem Dominicanum admittitur anno 1375.

Virtutes,

& doctrina Joannis.

Libri ab eo editi.

Digitized by Google

but religiosam vitam amplexa in Cœnobio Corporis Christi, ibique eodem anno vita functa est *die 4 Junii*, ut innuunt litteræ cujusdam Virginis ad Joannem missæ; hujus vero epistolæ fides tanto est certior, quod, ceu narrati prodigii testis, inserta fuerit *Processui ms. Contestationum de Sanctitate B. Catharinæ*, qui integer in Bibliotheca Veneti Cœnobii Dominicani SS. Joannis & Paulli servatur. Hinc Joannes orator excellens conciones ferventissimas ad corrigendos depravatos populorum mores, atque ad honestam rectamque vivendi rationem revocandos tum sæpissime toto anni decursu statis ac festis diebus, tum per ferias Quadragesimales in plurimis ac nobilissimis civitatibus, & quocumque adventabat, habere consuevit non ad ingenii & doctrinæ ostentationem, sed ad pietatem excitandam, populumque permovendum accommodatas, iis verbis ac sententiis refertas, quæ ardorem apostolicum, & divinum amoris ignem undique spirare videbantur; quin, ait Ursulinus, *longo eoque non interrupto annorum intervallo singulis Quadragesimis Florentiæ in Cathedrali, & S. Mariæ Novellæ templo bis in die concionem habuit cum maxima gratia, inquit S. Antoninus, & fructu propter fragrantem odorem sanctitatis ejus, & facundiam & sapientiam.* Immo, teste Chronico Riccoboniano, quater quotidie Venetiis conciones dicebat per Quadragesimas singulas tanta sermonis vi, tanto animarum profectu, ut Dæmonum rabie, ac malorum hominum improbitate sæpe fuerit ad necem expetitus. Accedebant ad hæc corporis præstantia, majestas oris, sermonis dignitas, vox ad speciem tubæ sonora animos intime percellens, ac quo vellet facillime se inflectens; itaque ejus perorationem non ineptus vulgi plausus excipiebat, sed alta suspiria, gemitusque, & vitæ anteactæ detestatio salutaris. Inter hæc igitur Joannes Venetias missus est anno circiter 1387. nondum annos triginta natus, ut publicum docendi munus obiret in Cœnobio SS. Joannis & Paulli; eaque in urbe duodecim omnino annos exegit, id petente Senatu, apud quem & cives omnes summa erat de illo existimatio. *Cum nondum triginta annos haberet, lector missus fuit ad SS. Joannem & Paullum, & hoc in loco stetit annos duodecim lector & concionator, petente Dominio, & valde ab omnibus amabatur*; ut in Chronico perhibetur: quo tempore dici vix potest, quot pietatis ac virtutis fructus protulerit, & quantum utilitatis in quodvis hominum genus ex ejus religione, prudentia, doctrina, & agendi dexteritate provenerit.

Ejus conciones ferventissimæ,

et pro suo Ordine eximie gesta.

Nec ejus caritas operam suam extraneis ita impendebat, ut domesticorum obliviscereturr. Illo potissimum auctore & duce, collapsa in Italia sui Ordinis disciplina restituta est; idemque plurima Cœnobia suis hortationibus & exemplis ad normam primævi Instituti reformavit; quod in Fæsulana ejusdem Ordinis congregatione ab ipso sancte constituta hactenus viget; ex illa enim *sub ejus disciplina floruerunt viri excellentes, & de ejus schola prodierunt viri præclarissimi, nempe Antonius, alias Antoninus, postea Archiepiscopus Florentinus inter Sanctos relatus, Joannes Masius Florentinus, Andreas Ductius, Bartholomæus Lappatius, & Joannes Pictor*, ut scribit laudatus Ursulinus, ac subdit; *S. Vincentius Ferrerius, qui ejus ætate claruit, a Florentinis Genuæ existens invitatus renuit illuc adire dicens, ad eas civitates non venturum, quæ alteri creditæ essent, qui sua doctrina & vitæ modestia homines instituere, & emendaret: de F. Joanne Dominici loquebatur ille, cum hæc scribebat.* Historiam Ordinis Dominicani hoc tempore instaurati habes descriptam in Commentario Thomæ Senensis inserto Tomo 7. Monum. Eccl. Ven., tum luculentius in laudato alias opere Bernardi de Rubeis, in quo primæ suscepti, perfectique muneris partes Joanni tribuuntur, quod anno demum 1395. ipse absolvit. Præter ceteras vero Cœnobiorum præfecturas, aliaque sui Ordinis officia, quæ gessit Joannes, præsertim Venetiis, Vicarii Generalis munere in tota Italia fungebatur an. 1394.. Hinc novis Ordinem Cœnobiis auxit, & viris plurimis doctrina ac virtute eximiis frequentavit familiæ & disciplinæ Dominicanæ adscriptis, inter quos singulari commemoratione dignus S. Antoninus, qui totum se illius præceptis excolendum tradidit, eoque magistro ad sublimem sanctitatis apicem pervenit, primus postea Florentinæ Ecclesiæ Archiepiscopus renuntiatus. Nec minus laborum curarumque ab eo toleratum fuit, ut Sodalitati paullo ante institutæ *Fratrum ac Sororum tertii Ordinis de Pœnitentia S. Dominici* novum decus & firmitatem adjungeret, & illa a Summis Pontificibus perpetuo confirmaretur. Extant hac de re monumenta apud Thomam Senensem in Tomo 7. Monum. Eccl. Ven. & apud Bernardum de Rubeis in suo Commentario. Equidem Joannes in ipsa Venetiarum civitate & Sodalitatem ipsam maxime auxit magno animarum profectu, & Cœnobium sacrarum Virginum ad normam Dominicanæ disciplinæ nobile in primis instituit, cui a *Corpore Christi* nomen inest, & piissimarum fœminarum sanctitate, quas ipse & coram verbis & absens literis, dum vixit, ad omnem religiosæ vitæ perfectionem excoluit, summopere illustre. Conditi Cœnobii Chronicon scripsit nobilissima ejusdem alumna Bartholomæa Riccobona, cui cum Joanne intima fuit religionis ac virtutis consuetudo, & ejus vitam, res gestas, & laudes posterorum memoriæ in illo opere commendavit; hanc vero Riccoboniani Chronici partem primus illustravit laudatus sæpe P. Bernardus; alia pars, quæ acta quædam Gregorii XII. Pontificis, & Joannis ejusdem enarrat, inest Tomo 13. Monum. Ven. Eccl., & ex utraque parte ingens nobis lumen affulsit, quo B. Joannis gesta certa rerum ac temporum successione olare ac tuto exponeremus.

Dum Joannes hoc duodecim annorum decursu Venetiis degens, & cetera interea docendi ac concionandi munera flagrantissimo divinæ gloriæ ac animorum incolumitatis studio exercens tanta illustrium facinorum mole premebatur, contigit, ut propter inductum in urbem publicæ *Albatorum* supplicationis ritum, quæ tum hominum secta late per universam pœne Italiam vagabatur, Patrum decreto, qui graviter tulerant, novam hanc religionis speciem absque Senatus auctoritate fuisse institutam, jussus est Venetiis decedere v. Kal. Decembres anni 1399. & quinquennio exsulare. Rem ingenuo stylo describit in Chronico Riccobona; & ille quidem, quo par erat, submissionis obsequio promptissime paruit. Magnum jam

erat

Digitized by Google

erat Joannis nomen in tota Italia pervulgatum, & excellens de illius integritate, sapientia, & sanctimonia opinio: quare cum Tifernum in Umbriam se recepisset, tum ibi, tum per Æmiliam Apostolicas sæpe excursiones peragebat, necnon in Tusciam, & apud Florentinos, a quibus anno 1405. legatus missus est ad Innocentium VII. Pontificem *ex parte Communitatis Florentiæ*, inquit Thomas Senensis in suo Tractatu, quam vero ob caussam incertum est; susceptа tamen legatio fuit post Kalendas Majas illius anni, cum Joannes Senis degeret, & Nonis Quintilibus adhuc Romæ versabatur, eodem Thoma auctore; Innocentius autem post Nonas Sextiles ab Urbe profugit. Insequenti anno Venetias reversus ingenti civium lætitia exceptus est, qui hominis sanctitatem jam fuerant experti, ac post trium mensium commorationem, ideſt Aprili circiter mense hujus anni 1406., quippe *aut eodem anno* 1405. *cadente, aut ineunte* 1406. *iter Venetum* susceperat, ut scribit P. Bernardus de Rubeis, demum Florentiam rediit, ubi gravior illum rerum gerendarum moles manebat, & majora pro Catholica Ecclesia ab eo ferenda discrimina. Nam intra finem ejusdem anni 1406. Innocentio VII. e vivis sublato, brevi temporis intervallo Gregorius XII. in Romanam Sedem illi legitime suffectus est, cui statim cura omnis incubuit teterrimi schismatis extirpandi, quod jam inde ab anno 1378. Ecclesiam duas in factiones distractam fœde dilacerabat. Juvandis itaque pii Pontificis conatibus *Deus optimus maximus misit ei Dominum Fratrem Joannem Dominici Cœnobii nostri Patrem, ut illi solatio esset & adjutorio, quemadmodum Moysi Aaron*, inquit Riccobona. Caussa autem, cur Romam Joannes proficisceretur, fortasse fuit alia legatio, qua illum a Florentinis legatum fuisse ferunt ad Pontificem, ut de tollendo schismate negotium ageret Reipublicæ nomine. Equidem cum Gregorius ex primo adspectu & sermone Joannis ejus fidei, doctrinæ & prudentiæ specimen cepisset, non modo hortationes libenter excepit, quibus *ad bene cœpta prosequenda sanctamque unionem procurandam* illum excitabat, &, quod is suadebat, cumulatissime se facturum pollicitus est, sed etiam Romæ ipsum consistere jussit, ut ejus consilio & opera uteretur. Sane, cum inito jam anno 1407. de legatis ad Benedictum pseudo-pontificem mittendis Aveniopem ageretur, Joannes se ultro obtulit Pontifici paratus pro divina gloria vitæ pericula subire, quæ certo imminebant, queisque alii eodem antea munere functi pessime fuerant affecti. Abnuit tamen Gregorius, & virum, cujus opem sibi omnino necessariam experiebatur in dies, apud se retinere voluit. Rem hanc, de qua nullus rerum Ecclesiasticarum Scriptor meminit, hisce verbis memoriæ prodidit Chronicon Riccobonæ: *Quum Sanctus Pater vellet illud præstare, quod promiserat, scilicet Legatum ad Pseudopontificem mittere, neminem, qui id oneris susciperet, inveniebat, quia antea multi pessime accepti fuerant. Joannes Dominici, quippe qui Dei gloriam quæreret, & pacem Ecclesiæ, quam qui maxime, exoptaret, se paratum obtulit pro legatione obeunda apud Pseudopontificem; sed Gregorius intelligens, quam ejus adjutorio indigeret, eundem mittere recusavit, ejusque socium misit, cui nomen F. Matthias conversus*; id autem gestum ante legationem postea susceptam ab Antonio Corrario, Guillelmo Tudertino Episcopo, & Antonio de Butrio Bononiensi III. Kal. Martias hujus anni 1407. Interea, cum Benedictus demum spopondisset, se Gregorium Saonæ in urbe Liguriæ conventurum, ut diu optata Catholicæ Ecclesiæ pax iniretur, Pontifex, quo tuto itinere proficisci ad conventum posset, Joannem Venetias ablegavit, ut suo nomine triremes aliquot a Senatu peteret, queis Saonam constituto tempore ac sine vitæ discrimine deveheretur; & hanc Joannis legationem tum Riccobona, tum Thomas Senensis in suo Tractatu commemorant, qui præterea innuit, illum mense Augusto Venetias advenisse; *cum ipse Frater Joannes Dominici Venetiis Nuncius Apostolicus de mense Augusti postmodum de Curia advenisset pro causa unionis Ecclesiæ;* quo tempore non ad Venetos solum, sed alios etiam Italiæ Principes eodem Legati munere, eamdemque ob caussam perfunctum fuisse idem Thomas testatur in litteris suo Tractatui adjectis datisque, *anno Domini MCCCCVII. mensis Augusti, in Octava, videlicet B. Dominici, Patris nostri*, quæ tum dies erat duodecima Augusti, *Cum ad mei instantiam . . . . per Reverendum Patrem, Fratrem Johannem Dominici de Florentia, dicti Ordinis Prædicatorum, tunc in Romana Curia existentem, & nunc in Provincialibus pro negotio unionis Sanctæ Matris Ecclesiæ ad diversas partes Italiæ, & præsertim ad Venetos & Januenses specialem Nuncium Sedis Apostolicæ destinatum* &c. Hisce perfectis, Joannes ad Gregorium rediit, eumque secutus in itinere, quod Pontifex in Etruriam fuerat aggressus v. Id. Augusti, Senis jam morabatur insequenti anno 1408. Idibus Januariis, ubi Nicolao Archiepiscopo Ragusino adstitit, cum die eodem e vita decessit. Quare, postquam Gregorius singularem ejus innocentiam, & intimos animi sensus divinæ gloriæ, & animorum salutis studio flagrantes ex familiari consuetudine penitus cognovit, simulque exquisitam ejus doctrinam, tum in rebus agendis eximiam prudentiam, atque dexteritatem esset expertus; hominem tot tantisque virtutibus præditum, quibus par erat, præmiis donare, atque ad sublimem Hierarchiæ Ecclesiasticæ gradum evehere constituit.

Legationes ab eo susceptæ.

Cum igitur Sedes Archiepiscopalis Ragusina ob mortem Nicolai vacaret, illam Joanne, & Joannem illa dignissimum censuit. Verum ejus animum in studio religiosæ humilitatis ita defixum, & ab honorum insignibus admittendis usque adeo alienum reperit, ut, nisi pro potestate, nullo modo adduci posset, ut Pontifici tam illustre sacerdotium sibi deferenti assentiret. Quæ animi de se humiliter demisseque sentientis, repugnantia satis per se incensum Pontificis studium vehementius inflammavit, & Joannem pro imperio jussit delata sibi gubernacula, munusque sine tergiversatione recipere. Silvanus Razzius in vitis SS. Etruriæ affirmat, eum diu distulisse, ut ne consecrationem collatæ sibi dignitatis susciperet sperans, fore ut, sublato schismate, posset facilius illam abdicare. Ac eo quidem anno 1408. die Martii vicesima sexta Archiepiscopus Ragusinus electus est; quod constat etiam ex diplomate Pontificio *Dat. VII. Kal. Apr. an.* 2. Pontificatus Gregorii Tomo 2. inserto Bull. Domin. P. Seraphi-

Renunciatus Archiepiscopus Ragusinus.

phinus Cerva in epistola Ragusio scripta ad P. Bernardum de Rubeis autumat, *Joannem Dominici ad insulas Ragusinas Archiepiscopales anno desinente* 1407. *erectum fuisse*; subdit P. Bernardus in *Addendis* suo Comm. pag. 505. *Archiepiscopum Ragusinum renunciari Joannem Dominici non potuisse, nisi postremis anni* 1407. *mensibus*; at rectius in ipso Comm. pag. 45. rum Fontanæ errorem corrigens, qui primum Archiepiscopatui Joannis annum attribuit 1406., convincit, solummodo post mensem Augustum anni 1407. illum in Ragusinam Sedem Nicolao successisse; tum cum Carolo, Antonino, Luccaro consentit in annum 1408. de quo dubitare non sinit & Niemi, qui Nicolai decessoris obitum consignat *in octava Festi Epiphaniæ Domini* hujus anni, & Pontificii diplomatis testimonium, quo Joannes Archiepiscopus eligitur VII. *Kal. Apr. anno* 2. Pontificatus nimirum Gregorii XII., qui fuit octavus supra millesimum & quadringentesimum, Supremæ auctoritati cum fas non esset resistere, Joannes ea, qua debuit, submissione oneri imposito reverenter humeros subjecit; quo suscepto, nihil ei longius videbatur, quam ut ad Ecclesiam sibi desponsam amplectendam, fovendam, regendamque accederet. Sed Joannis præsentia atque opera magis Gregorio necessaria erat turbulentis illis temporibus, quam ut illo carere posset. Quin paullo post Ragusini Archiepiscopatus honorem eidem collatum, quo splendidius in muneribus obeundis ejus auctoritati decus, & vim ampliorem adjungeret, eum in Cardinalium collegium statuit cooptandum. Id effectum *die Mercurii nona Maji ejusdem anni* 1408., cum Gregorius adhuc Lucæ commoraretur, ut notat Pagius Tomo 4. Breviar. Rom. PP., & confirmatur a P. Bernardo adversus Fontaninum pag. 46. laudati pluries Commentarii. Riccobona in Chronico videtur, Joannis ad hanc dignitatem electionem referre in mensem Septembrem, quo Gregorius Senas profectus eodem anno novem iterum Cardinales creavit; sed chronologiæ ordinem minime servat, ut Cornelius animadvertit in subjectis Chronico notis. Certum vero est, Joannem anno 1408. amplissima Cardinalis dignitate decoratum fuisse titulo S. Sixti; & gravior est ceterorum Scriptorum fides, qui ejus electionem in mensem Majum conjiciunt, quam ut, ea rejecta, in Riccobenæ sententiam concedamus. Addit Ursulinus, Gregorium a mente hanc dignitatem Joanni contulisse, *ut ejus opera & consilio uteretur in schismate, quod tunc in Ecclesia grassabatur, tum ut Florentinorum gratiam iniret. Illi autem male gratiam retulerunt; nam, cum Gregorium odio prosequerentur, quod amicitiam secretam cum Ladislao rege Neapolitano haberet, in electionem Joannis Dominici iram retorsere, dicentes illum hypocritam, & quod ambitione illam dignitatem accepisset; & hoc commentum contra ipsum sparsere, cum jussu Pontificis nihil tale cogitans ad Cardinalatum fuisset assumptus. Invito etiam tribuit dignitatem Gregorius, ut refert S. Antoninus his verbis: Cardinalem instituit non illa quærentem, sed respuentem; prævaluit tamen voluntas Pontificis, ne divinæ voluntati videretur obsistere.*

et Cardinalis tit. S. Sixti.

Verumenimvero ab collata Joanni Ecclesia Ragusina aliquantum temporis intercesserat, cum Pontifex illum neque ab se dimittere volebat, neque spes erat, fore ut missionem in posterum daret. Quare, cum neque gregem sibi concreditum per se ipse pascere & curare, neque absens Ecclesiæ suæ commodis utilitatique satis consulere posset, de Ragusino Archiepiscopatu deponendo cogitavit, ac re demum vera deposuit. P. Cerva in epistola, de qua paullo ante diximus, existimat, Joannem *inter purpuratos Ecclesiæ Patres allectum, Ecclesiam illam abdicasse*; igitur eodem ferme anno 1408., *hanc ab eo tamen, Commendæ titulo commissam, ad initium anni* 1410. *retentam videri*; quo autem fretus argumento id innuat, nullo modo patet. Sed incertum omnino fatendum est, quo anno id Joannes præstiterit. In tabulis Consistorialibus a Waddingo productis legitur; 25. *Julii anno primo Alexander providit Ecclesiæ Ragusinæ vacanti per promotionem ad Cardinalatum F. Joannis Dominici de persona F. Joannis de Reate* &c. Alexander hoc nomine quintus Pontifex dictus est a Patribus Concilii Pisani VI. Kal. Julii an. 1409. unde sic censeo arguendum: vel Joannes, cum sibi Ecclesiam suam adire minime liceret, ut illam dimitteret, ante rogavit Gregorium, quam inter Cardinales adscisceretur; vel Cardinalis jam renuntiatus omnino censuit statuitque dimittendam, quippe alio Gregorii & Ecclesiæ causa eum avocabat. In alterutrum convenit annus 1408. in alterum vero etiam annus 1409.; cuivis ex hisce anno Archiepiscopatus dimissio illiganda est; nec mihi quisquam persuaserit, virum pacis & caritatis amantissimum sibi Ecclesiam illam Commendæ titulo, licet a Gregorio commissam, retinuisse ad annum usque 1410; cum jam Alexander anno 1409. præoccupaverat Ragusini Archiepiscopi electionem, quam Gregorius forte neglexerat; idque satis causæ esse potuit, ut Joannes, si nondum abdicaverat, Ecclesiam suam illico utroque dimitteret, ne Ragusina, simili, quo Catholica Ecclesia, schismate scinderetur. *Seraphinus Razzius in vitis illustrium virorum Lucæ editis anno* 1596. *scribit lectam sibi Chronicam Ragusinam, in qua dicitur, quod beatus hic vir Ecclesiam istam, seu potius ad illam nominationem non tenuit, nisi unum circiter annum*, ut hisce verbis refert Papebrochius, ad initium scilicet anni 1409.; addit vero Ughelli auctoritate, *Gregorium anno* 1410. 16. *Maii commendasse Ecclesiam Tropeensem Joanni Dominici Cardinali, quam ille similiter resignaverit in manus collatoris, quia fore videbat, ut nunquam ibi resideret.* Ecclesiam autem Ragusinam, quæ illi demandata fuerat, licet nec videre nec adire potuerit, quanti fecerit, & quam caram habuerit, satis ostendit; nam cognomen ab Ecclesia Ragusina semel assumptum perpetuo retinuit, &, cum in Cardinalium Collegium cooptatus esset, *Cardinalis Ragusinus* appellari voluit; moriens præterea eidem Ecclesiæ, ut docet Razzius, omnem argenteam supellectilem, itemque pileum Cardinalitium testamento legavit.

Archiepiscopatum dimittit.

At Gregorius, cum res Ecclesiæ novis in dies turbis pessum agi, & schismaticorum furiis omnia late incendi, atque conflagrari videret, Joannem anno 1410. ut est apud Raynaldum, legatum misit in Dalmatiam, Hungariam, Poloniam, ut populos illos in pristina erga Gregorium fide & obedientia confirmaret. Porro Joannes, ut eum sua fidelitas, gratique animi officium monebat, a Gregorio con-

Novas pro Gregorio PP. & ejus nomine legationes obiit,

Digitized by Google

constantissime retit; neque illum abducere potuit auctoritas Concilii Pisani, in quo Gregorii XII. & Benedicti de Luna Pseudopapæ Pontificatu abrogato, Alexandrum V. ex Ordine Minorum subrogarunt, quo intra undecimum mensem extincto, Joannes XXIII., antea Balthassar Cossa, substitutus fuit anno 1410.; nihil tamen aliud assecuti sunt, quam ut ad duos Pontifices tertium adjungerent. Nemo autem Ragusino Cardinali vitio verterit, quod Gregorii partes summa fide & constantia secutus fuerit. Eum ab omni culpa notaque egregie vindicavit Joannes Carolus Florentinus ex Ordine Prædicatorum, qui Joannis Dominici vitam accurate copioseque descripsit. Ego vero Joanni Dominico summæ laudi dandam censeo in proposito, susceptoque consilio non deserendi Gregorii constantiam, eique potissimum, magnaque ex parte laus & gloria pertinacissimi illius ac diuturni schismatis extincti attribuenda esse mihi videtur. Nunquam enim monendo, hortando, rogandoque Gregorio suadere destitit, ut studio pacis & concordiæ Pontificatu sponte decederet, illudque primum effecit, ut legationem ad Sigismundum Imperatorem decerneret, quam ipse Joannes ejus nomine obiit anno 1411., hujusque legationis caput erat, Sigismundo significare, certum ac deliberatum esse Gregorio, publicam Ecclesiæ tranquillitatem ac salutem privatis suis commodis vel incommodis anteferre; nullam in eo moram futuram, quin Pontificatu se abdicaret, modo pariter Pontificis nomen & insignia deponerent Petrus de Luna falso appellatus Benedictus XII. & Joannes XXIII., quem Alexandro V. in Comitiis Pisanis electo & Bononiæ defuncto, Cardinales, qui a Gregorio & Benedicto secessionem fecerant, subrogaverant. Tum primum ex hac legatione turbulentissimis illis temporibus lux aliqua affulgere, & fieri quædam ad meliorem spem inclinatio visa est. Itaque Sigismundus, cognita & collaudata Gregorii voluntate, omnes curas & cogitationes ad schisma tollendum, Ecclesiamque pacandam convertit, & litteris & cohortationibus Joannem XXIII. vel invitum impulit, ut Synodum œcumenicam Constantiensem indiceret, quæ demum haberi cœpit anno 1414. Interea Joannes nullis argumentis, hortationibus, precibus parcebat, ut Gregorio voluntariam ac simplicem Pontificatus dimissionem, nullo aliorum respectu habito, suaderet; nec vero illum monere, hortari, urgere antea destitit, quam ei, quod volebat, demum persuaderet. Ergo ipsum Joannem cum Carolo Malatesta Dynasta Ariminensi suum Legatum, seu Procuratorem ad Concilium misit, qui post clandestinam Joannis XXIII. fugam, eumque ob violatam jurisjurandi fidem omnium sententia damnatum, atque in ordinem coactum anno 1415. in augustissimo illo conventu Patrum Constantiensium omnes ad pacem & concordiam ea, qua pollebat, vi & copia dicendi cohortatus est; prolatæ sunt, quas Legati attulerant, ac recitatæ literæ Gregorii XII. quarum sententia erat, se ratum ac legitimum habere & approbare Concilium Constantiense, & ab se mandatum esse suis Procuratoribus, ut nomine suo Pontificatu cederent, & quidquid juris ad eum retinendum haberet, simpliciter & absolute, sine fraude ac dolo, voluntaria abdicatione dimitterent. Sub eas literas Deo superisque gratulatio facta est, Gregorio cum summis laudibus acclamatum fuit, & a cuncto consessu plausus est multiplex datus. Joannes vero, ut qui traditæ legationis officio jam functus esset, Cardinalis titulum, pileum, cæteraque insignia a Gregorio accepta Patribus restituit, seque ad subsellium Præsulum inferioris ordinis transtulit: quæ hominis modestia ac demissio cum fuit omnibus admirationi, tum omnium existimationem ac benevolentiam ei conciliavit. Itaque summo tum Imperatoris, tum Patrum applausu consensuque Cardinalis insignia recipere, & locum tenere jussus est. Deinde tanti habita fuit ejus auctoritas, ut Sigismundus Imperator, atque universa Synodus Joannis doctrinæ & prudentiæ plurimum tribuerent, ac nihil propemodum, nisi de consilio Cardinalis Ragusini decernendum putarent; id quod copiosius docet Joannes Carolus in ejus vita, ex qua pauca libet depromere: *Igitur in hac ipsa Synodo plurimum apud omnes valuit Ragusini nostri auctoritas cum sermonis elegantia & virtute, tum prudentia & ingenio singulari; nam ex illius ore omnium videbatur pendere sententia; quippe & adire omnes, quosque hortari, præclaras in omni re sententias ferre, & apud singulos miræ dignitatis existere solitus erat, maxime vero in persuadendo, quæ vellet, disertissimus habebatur ..... Itaque si interpretandæ leges, si statuta condenda, si discordiæ componendæ, si salutaria consilia, & pro animarum salute præcipue, forent hominibus conferenda, nemo Ragusco nostro ingenio major, nemo circumspectione solidior, nemo ipso habebatur illustrior.*

a quo summopere probatur.

Post Petrum de Luna exauctoratum, qui obstinato animo umbram Pontificiæ dignitatis retinere, quam publicæ utilitati sacrificare, maluerat, anno 1417. habita sunt Comitia Pontificalia, ad quæ cum convenissent Patres Constantienses ad id delecti, summo consensu Pontificem renunciarunt Othonem Cardinalem Columnam, qui, nomine Martini V. assumpto, pacem aliquando, & tranquillitatem Orbi Christiano peperit, ac perniciosum illud schisma anno quadragesimo, quam ortus fuerat, penitus extinxit. Huic Sigismundus Imperator auctor fuit, ut Joannem Dominicum in Bohemiam & Hungariam Hussitarum erroribus refertas mitteret, eique summam potestatem ad eos populos Ecclesiæ reconciliandos, remque Catholicam in illis regionibus restituendam attribueret. Extat Martini diploma datum Gebennis v. Id. Julii anno 1418. Pontifex amplissimis laudibus Joannem exornat, ad provinciam impositam magno animo & pari virtute obeundam hortatur, summa rerum omnium gerendarum potestate impertit. En ejus particulam Joanni perhonorificam; *Ecce ad te*, inquit, *quem potentem quidem opere & sermone, & in magnis expertum & arduis, eximiæ circumspectionis industria, claritate scientiæ, probitate ac fidelitate, & morum elegantia probatum, divinarum humanarumque rerum notitia, ac gerendarum rerum experientia, maturitate & altitudine consilii insignitum; in cujus effectibus gerimur, prout indubitanter credimus, extirpare hæreses, unitatem Catholicæ fidei labefactatis & coinquinatis hæretica inquinatione multorum mentibus sacris tuis eloquiis inserere . . . . Te tamquam Angelum de Fratrum nostrorum consilio ad regna Hungariæ & Bohemiæ, & terras ac dominia ipsi*

Iterum in Bohemiam & Hungariam legatus mittitur,

et interest Concilio Constantiensi,

Si-

Sigiſmundo Romanorum ac Hungariæ, Wenceslao Bohemiæ Regibus illuſtribus ſubjecta, Apoſtolicæ Sedis Legatum in præſentiarum, ut in ipſis evellas & deſtruas, diſſipes ac diſperdas, ædifices ac plantes . . . . providimus deſtinandum cum ampliſſima ſcilicet poteſtatis plenitudine &c. In libro Proviſ. ſub primo Pontificatus Martini anno dies ipſe ſignatur, quo Joannes Gebennis diſceſſit in Hungariam profecturus; *17. Julii Reverendiſſimus in Chriſto Pater D. Cardinalis Raguſinus de civitate Geben. ad Hungariæ, Boemiæ & Poloniæ regna receſſit Legatus.* Decem circiter menſes in eam legationem inſumpſit fructu quidem vel minimo, labore autem vel maximo. Adeo enim populos illos in hæreſi ac nequitia obſtinatos reperit, ut nihil ſalutare non modo ad animos, ſed ne ad aures quidem admitterent. Cum igitur neque argumentis, neque adhortationibus quidquam proficeret, Sigiſmundum admonendum cenſuit, ut eorum perfidiam, quando nulla ratione ad bonam frugem, viamque veritatis reduci poterant, vi atque armis comprimeret. A quo conſilio cum Imperatoris animum alienum eſſe animadverteret, enimvero doluit, poſt tantos labores, re infecta, nullo animarum fructu percepto, ex tradita ſibi provincia diſcedendum eſſe. Sed tota re divinæ voluntati commiſſa, Budam ſe recepit, ubi, cum ſibi ultimum diem inſtare præſagiret, omni alia cura abjecta totum ſe tradidit vigiliis, precationibus, jejuniis, aliiſque piis operibus. Nec multo poſt lethalem in morbum incidit, quo intra paucos dies extinctus ad Superos migravit anno 1419. Hæc ſuprema ejus verba fuiſſe teſtatur Urſulinus; *Quamvis ego multa, fratres & filii mei, in præſenti vita pro mea & aliorum ſalute a Deo conſequi deſideraverim, nihil tamen tantopere cupivi, quam ab hujus miſeria carnis diſſolvi, & eſſe cum Chriſto:* elatuſque funere quam ampliſſimo, tota civitate exſequias celebrante, ſepultus eſt, ut ipſe moriens præſcripſerat, in templo ſuburbano Heremitarum S. Paulli haud minus honorifice, quam religioſe. Nec defuerunt miracula, quæ viri ſanctitatem, & cœleſtem apud Superos gloriam declararunt; de quibus breviter in ejus vita Joannes Carolus: *Fervet in eo templo ad ejus venerabile corpus prodigia fieri multa, plurimaſque ibi imagines aſtare prodigiorum teſtimonia, ut ita dicam, referentes, quæ meritis hujus viri Fideles ſunt conſecuti.* In quadam ſynopſi chronologica Romæ poſt Conſtitutiones Ordinis Dominicani edita anno 1566., quam magna ex parte decerpeam fuiſſe tradit Joannes Altamura ex veuſtiore quodam Chronico F. Jacobi de Suſato Colonienſis Joanni Dominico æqualis, obitum ſanctiſſimi hujus Viri ad annum 1419. ac diem decimam Julii adſcriptus eſt; *Cumque ab eo*, ideſt Martino V. *totius Germaniæ Legatus factus fuiſſet, Budam in Hungariam accedens ibidem ſanctiſſime obiit anno Domi* 1419. *IV. Idus Junii, Cardinalatus anno duodecimo. Cadaver Budæ in Eccleſia Eremitarum S. Paulli primi Eremitæ honorifice conditum eſt:* hæc in ſynopſi modo laudata. De die tamen, & anno emortuali æræ vulgaris diſſident Scriptores; omni autem dubitatro a Tabulis Proviſ. Rom. eximitur, in quibus ad annum 1419. Martinus Pontifex hæc juſſit inſcribi; *13. Julii, quod Reverendiſſimus in Chriſto Pater, & D. Joannes Cardinalis Raguſinus obierit, Florentiæ nobis nunciatum eſt, cujus anima in pace quieſcat, & obiit die decima Junii.* Hiſce conſentit Riccobona in Chronico; ſed anni, quibus Cardinalis dignitatem retinuit, omnino undecim numerandi ſunt. Echardus in eamdem ſententiam abit, qui tamen Archiepiſcopatus initia perperam retulit in annum 1407. Idem conſignat annum ætatis ſexageſimum tertium cum D. Antonino; Chronicon Riccobonianum enumerat ſexageſimum quintum. Qua in re ex aliis Riccobonæ chronologicis notis ſic ſtatuo, auctoritatem ſecutus P. Bernardi de Rubeis. Narrat Riccobona, *Joannem exſulem Venetiis abiiſſe cadente Novembri menſe anni* 1399. *poſt duodecim Venetæ commorationis annos: igitur Venetias adventaverat anno* 1387. *adulto, vel etiam ad finem vergente. Tunc vero nondum ipſum triginta annos natum fuiſſe memorat. Annos illos intellige nondum completos: igitur natales ejus, ut ſummum, illigari poſſunt cum anno* 1358. *Inde vero ad diem* 10. *Junii anni* 1419. *nonniſi ſexageſimus ſecundus completus, aut inchoatus inſequens ſexageſimus tertius numerari poteſt;* quæ ſunt ipſiſſima P. Bernardi verba pag. 48. ſui Commentarii.

& Budæ piiſſime obit an. 1419.

Cum Turcæ poſt Budam anno 1541. captam templum S. Paulli diruerint, ea ruina ſepulchrum Joannis oppreſſum fuit, &, ſiqua inſcriptio illi appoſita fuit, ſub ruderibus latet; cujus loco libet adſcribere elogium, quod illi attribuit, & paucis verſiculis illigavit Ugolinus Verinus poeta non ignobilis ſæculi decimiquinti.

Ejus elogium.

Dominici plebea domus ſplendore Joannis
Emicat illuſtris vitæ probitate vel ipſa
Doctrina inſignis, moriſque exemplar honeſti.
Dominici ſancti Fæſulanam condidit Ædem;
Cardineumque apicem ſola virtute recepit.

An vero Chriſtiani, antequam Turcæ Budam oppugnarent, & caperent, ſacra ejus oſſa effoderint, atque in templum urbis primarium tranſtulerint, ut injuriis & ſacrilegiis barbarorum præriperent, quod indicari videtur in Necrologio Dominicano Cœnobii Florentini, id dubium eſt atque incertum. Ut ſtatim poſt mortem miraculis claruit, ſic pia Chriſtianorum veneratione coli cæpit. Cultus antiquitatem teſtatur ejus effigies titulo *Beati* inſcripta, quam in clauſtro Cœnobii Dominicani Florentini S. Marci egregio penicillo expreſſit F. Joannes cognomento Angelicus ex eodem Prædicatorum Ordine, pictor eximius, ejuſdem diſcipulus, & coævus, & quem Magiſtro ſuo attribuit, ipſe quoque titulum *Beati* promeruit.

& cultus.

B^{S} JOAN^{S} DOMIN^{S}
DE FLOREN^{A} CARDI^{S}

Exemplum hujus pervetuſtæ imaginis ex ipſo prototypo Florentino deſumptum in Cœnobio Fæſulano, cujus ipſe B. Joannes Dominicus parens & conditor fuit, ſupra januam, quæ ad hortum e clauſtro præbet ingreſſum, Patres Fæſulani eleganti pictura effingendum curarunt, &, quod deeſt exemplari Florentino, caput radiis redimiri voluerunt, hac epigraphe appoſita; *B. Joannes Dominici de Florentia Archipræſul Raguſinus, & Preſb. Card. regularis vitæ in Italia reparator, & Cœnobii hujus fundator.* Ambroſius Altamura in ſua Bibliotheca Dominicana eum inter *Beatos Confeſſores* Martyrologio Dominicano his verbis inſcriptum eſſe ait: *F. Joannes Dominicus S. R. E. Card. excellenti vitæ*

pre-

Digitized by Google

professione; *& multis miraculis claruit, vir omnium ore egregie laudatus. Hunc præclarissimum virum*, inquit Ursulinus, *insectatur* Niemus, ideſt Theodorus de Niem in Nemore Unionis, *tanquam præcipuum unionis diremptorem, & Gregorii perversorem, confutans etiam ejus pro Gregorii causſa tractatus editos, adeoque graviter eum infamare conatur, ut etiam epistolam finxerit, aut ab alio fictam retulerit nomine Sathanæ ad eum scriptam, qua ei gratias agebat, quod suis malis operibus, nefandissimis mendaciis, ac iniquissimis prædicationibus satageret, abominabile schisma in Ecclesia Christi sagaciter confovere. Sed maledicta Niemi detractoris laudes sunt virorum sanctorum*: quod recte affirmat Ursulinus, cum Niemus inter præcipuos schismatis fautores, & causſæ Gregorianæ hostes infensissimos jure sit adnumerandus.

Habent itaque Ragusini, quorum causſa potissimum de hoc illorum Archiepiscopo, quem vix adeptum amiserant, uberius & fusius scripsimus, quam instituti nostri ratio postulabat, habent, inquam, Patronum in cœlo istius Ecclesiæ & Civitatis amantissimum; & quamvis, dum titulum Archiepiscopi gessit, neutri per se Episcopalem operam præstare, ac ne suam quidem præsentiam impertiri potuerit, tamen absens utriusque invisendæ, amplectendæ, juvandæ, & quibuscumque posset, beneficiis cumulandæ desiderio ardebat. Nec post titulum Archiepiscopalem depositum ejus memoriam, quoad vixit, & suam erga utramque benevolentiam deposuit; argumento est cognomen *Ragusini*, quod ab ea Civitate & Ecclesia semel acceperat, perpetuo retentum, itemque legata Pontificalia, quæ moriens eidem Ecclesiæ reliquit. Jam vero dubitare non licet, quin, quos vivens summopere dilexit, eosdem hac vita, seu potius mortalitate exutus, atque in cælestem patriam receptus vehementius amare pergat, & beneficus iisdem esse cupiat, cum ejus charitas ex aspectu & amore summi & infiniti illius Boni magis magisque incalescat. In ejus igitur fidem & clientelam Ragusini se & Rempublicam, Civitatem, & Ecclesiam conferant, ad eum in periculis & rebus asperis confugiant, ejus patrocinio glorientur & confidant; meminerint vero illius diei decimi mensis Junii, quem Joannes Dominicus beato suo natali, lætaque ad Superos migratione consecravit; ipsi autem piis officiis, precibus, votis eumdem concelebrare non omittant. Habent, unde eximias illius virtutes, & præclare facta discant & imitentur, ex Part. 3. Histor. S. Antonini ejus discipuli, qui de illius vita & sanctitate elogium non ita breve confecit, itemque ex ejus Vita, quam fuse accurateque descripsit F. Joannes Carolus Florentinus ex eodem Prædicatorum Ordine: hanc una cum elogio Antoniniano Daniel Papebrochius Tomo II. ad diem decimam Junii Actis Sanctorum inseruit, doctisque animadversionibus illustravit.

Joannes Cardinalis Ragusinus alter a nostro.

Alter Joannes Cardinalis *Ragusinus*, sive *de Ragusio*, paullo ætate inferior floruit, a quo nostrum distingui oportet. Sunt quædam utrique communia, videlicet nomen Joannis, vitæ institutum Dominicanum, dignitas Cardinalis, cognomen *Ragusinus*; sed noster ab Archiepiscopatu, alter vero a patria *Ragusinus*, sive *de Ragusio* cognominatus est; nam huic proprium & avitum cognomen Stoico fuit, & natus fuisse dicitur in Peninsula Stagni, in oppido dictionis Ragusinæ; noster a patre suo cognomen *Dominici* sibi adoptavit, & Florentiæ natus est. Ille Basileensi, noster Constantiensi Concilio interfuit; ille a Felice Antipapa, ad quem dicitur defeciſſe, noster a Gregorio XII. galerum & purpuram accepit; ille demum Basileæ anno circiter 1450., noster Budæ anno 1419. diem supremum obiere. Sunt qui tradunt, Joannem Stoicum, relictis Schismaticorum partibus, se in potestatem Eugenii IV. contuliſſe, & Episcopum Argentorati creatum esse. Fuit vir multiplicis & eximiæ doctrinæ.

ANTONIUS ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS XLII.

Antonius Archiep. anno 1409.

Postquam Joannes Dominicus se Archiepiscopatu abdicavit, & in Collegium Cardinalium cooptatus est, Sedes Ragusina plures menses vacavit. Archiepiscopum Ragusiensibus præficere cum Gregorius negligeret, Alexander V. quem Cardinales, qui ab Gregorio & Petro de Luna Antipapa desciverant, in Concilio Pisano Pontificem anno 1409. elegerant, dare præoccupavit, ut est in tabulis Consistorialibus: *29. Julii anno primo Alexander providit Ecclesiæ Ragusinæ vacanti per profanationem ad Cardinalatum F. Joannis Dominici de persona F. Antonii de Reate Ord. Fratrum Min., Sacræ Paginæ Professoris*. Ad verbum illud *profanationem* Lucas Wadingus hanc interpretationem adhibuit Tomo V. Annal. ad an. 1409. *Iste est sensus profanationis prædictæ, ut videlicet illegitime prædictus F. Joannes, etsi alias vir sanctissimus ex Ord. Prædicatorum, ad Cardinalatum assumptus sit a Gregorio XII. anno proxime elapso. Etenim contra fidem sacramenti in electione sua de non creandis Cardinalibus præstiti quatuor tunc creavit Cardinales, qui minime pro talibus habiti sunt, donec in Concilio Constantiensi ipse Gregorius sponte Pontificatum deposuit; tunc enim tam ipse pro bono pacis, quam illi ex totius Synodi sententia in Cardinalium numerum sunt recepti*. Matthæus ex nobili Georgiorum familia Canonicus, ut tradit Seraphinus Razzius, corrogatis Capituli suffragiis se in Archiepiscopum eligi curaverat; sed Rector & Senatus ex veteri, & non multis ante annis renovato decreto, quod vetabat quemquam e civibus Archiepiscopum fieri, hujusmodi electionem improbavit, atque irritam fecit; quâ resciſſa, posterior valuit Pontificia electio & designatio.

Patria Reatinus ex Ordine Minorum.

Antonius natus est Reate, olim antiquo Sabinorum, nunc Umbriæ oppido non ignobili, ex quo, cum nomen dedit in familiam Fratrum Minorum, cognomen accepit more institutoque Franciscano, & dictus est *F. Antonius de Reate*. Jacobus Luccarus eum a patria *Pisanum*, a cognomine *de Viate* appellat. Sed mihi pluris est auctoritas tabularum Consistorialium, quæ de patria Reatinum, seu *de Reate* cognominant. Fuit insignis Theologus, & sacrarum Literarum interpres, nec minus consilii plenus & rerum gerendarum peritus. Archiepiscopus cum esset, interfuit Concilio Constantiensi, in quo eximiæ sapientiæ, & singularis prudentiæ documenta dediſſe dicitur. Illud quoque memoriæ proditum est, Antonium sub initium Concilii missum esse in Bohemiam, ut Joannem Hus nefarium hæresiarcham, qui magnis in eo regno excitatis motibus quamplurimos a catholica veritate ad exsecrandos errores abduxerat, Patrum Constan-

Intereſt Concilio Constantiensi, & plures legationes obit.

tien-

Digitized by Google

tiensium nomine ad Synodum invitaret. Hunc Legatum cum Bartholomæo Capra Archiepiscopo Mediolanensi, Bertrando Episcopo S. Flori, Nicolao Abbate Florentinensi, Joanne Uzckio Præposito Quinqueccleſiensi, & Joanne Stabino Anglo iidem Patres legerunt anno 1415., ut de rebus Concilii, aliisque in Italia negotiis pro Romana Ecclesia agerent, & Pontificiæ ditionis turbas factionesque sedarent, in primis ut Angelo Corrario, qui Gregorii XII. nomine, & Pontificatu depositio rei Christianæ causſa se in ordinem coegerat, amplissimas gratias referrent totius Concilii parte, quod Ecclesiæ tranquillitatem suis commodis, suæque dignitati prætulerat, significaretque præclara de suis meritis Patrum decreta, qui non modo in Cardinalium numero retinendum illum esse duxerant, sed etiam perpetuum Legatum a latere creaverant, totique Marchiæ Picenæ summa cum potestate præfecerant. Constat porro e monumentis Fanensibus ab Amiano editis part. 2. hist. Fanensis, Antonium cum sociis Fortunæ Fanum advenisse inito vix anno 1416. nam in decreto, quo Fanenses edictis Concilii Constantiensis se se obstringunt, hæc legitur nota chronologica; *Anno* 1416. *Sede Apostolica vacante, die septimo Januarii . . . . coram RR. Patribus & Dominis Archiepiscopo Mediolanensi, Archiepiscopo Ragusino, B. Episcopo S. Flori* &c. Tum Recinetum profectus est, ubi Corrarius morabatur in ditione quidem Romanæ Ecclesiæ, sed a Dynastis Malatestiis occupata, qui impense Corrarii partibus faverant, dum Pontificatum gerebat: quorum ut potentia infringeretur, iique debito in Romanum Pontificem continerentur officio, Legati Concilii, & Antonius ipse cum constitissent Firmi, fœdus adversus Malatestios inierunt cum Anconitanis, Camertibus & Firmanis; fœderatique exercitus duces electi Ludovicus Melioratus, & Braccius Fortebraccius Montonensis. Extant in opere de Præsidibus Picenis a Pompejo Compagnonio descripto part. 1. lib. 6. pag. 300. litteræ Antonii Archiepiscopi Ragusini, quibus fide data jubet, cives Maceratenses, qui neutram in partem se movere decreverant, securos esse tutosque ab fœderatorum incursibus. Harum initium est; *Antonius Dei gratia Archiepiscopus Ragusinus in Prov. Marc. Anton. pro S. R. E. & Sacrosancta Constant. Synodo Nuncius & Commissarius &c.* Datæ sunt *die 7. Martii* IX. *Indictione* 1416. Cum vero Malatestii viribus copiisque deficerent, & Antonius Maceratam ingredi, ibique moram trahere maxime cuperet, cives, pactis quibusdam interpositis, in urbem ut reciperetur, assensi sunt; idque probant tabulæ a Compagnonio editæ, scriptæque *sub Annum Domini* 1416. *die* 16. *mensis Augusti*; nec multo post, datis induciis, auctor fuit idem Antonius pacis confectæ a Malatestiis cum Fortebraccio, cæterisque Pontificiis fœderatis. Hæc ab eo foris præclare ac feliciter gesta narrantur; quem alias legationes perhonorificas obiisse tradit Joannes Gundula, videlicet ad Sigismundum Imperatorem, ad Rempublicam Venetorum, ad Philippum Mariam Ducem Mediolani, ad Regem Galliarum. Sed nec minora, nec pauciora sunt, quæ domi pro sui gregis utilitate, & divini cultus incremento vel ipse fecit, vel facienda curavit.

In singulis primum Parœciis Diœcesis soda-

Præclara ejus gesta Ragusii.

litatem instituit sanctissimi Sacramenti, eique leges admodum pias præscripsit. Virgines Franciscanas S. Claræ e suburbio in urbem transtulit, ut eas ab omni periculo, atque hostium præsertim barbarorum injuriis tutas præstaret; jam enim Turcæ finitimas provincias vastare & incursare cœperant; & per ea tempora Ragusienses pecunia ab incursionibus metuque Turcarum Civitatem ac Rempublicam liberare decreverant, ut tradit Razzius; quin etiam anno 1431., ut est apud Luccarum lib. 1. Annal., duos legatos Petrum Luccarum, & Georgium Gozzeum cum magnificis muneribus Hadrianopolim ad Amurathem Regem Turcarum miserunt oratum, ut Rodoslavum Dynastam Popori & Tribiniæ Turcis vectigalem ab infestanda ditione Ragusina cohiberet. Antonius auctor fuit, ut Senatus incontaminato Deiparæ Virginis Conceptui diem festum decerneret, quem Clerus populusque singulis annis VIII. idus Decembris religioso cultu concelebraret; editumque hac de re hujusmodi decretum: *Anno Domini Millesimo Quadringentesimo tredecimo die quinto Mensis Decembris. In supradicto Majori Consilio loco ac more solitis congregato, in quo interfuerunt Consiliarii centum unus, captum & firmatum fuit per quinquaginta duos de Dicto Consilio, quod ad honorem & reverentiam Virginis gloriosæ singulo anno in perpetuum celebretur Dies conceptionis præscriptæ Virginis, videlicet octavus Mensis Decembris. Et scribatur in Libro nostro Cancellariæ, & in tabula nostri Cathologi, ubi sunt descripta nomina Sanctorum celebrandorum ad perpetuam rei memoriam.* Eodem autem Antonio hortante, Commune Ragusiensium domum hospitalem excipiendis alendisque infantibus incerto patre ac matre procreatis exstruxit, & idoneis proventibus dotavit.

Decretum pro die festo Conceptus Deiparæ celebrando.

Est quædam vallis utrinque ab septentrione & meridie montibus clausa, quam *Canalium* vocant. In longitudinem millia passuum fere triginta ab Epidauro veteri usque ad sinum Rhizonicum protenditur, ejus latitudo amplius octo passuum millia patet. Est peramœna, crebris fontibus irrigua, frugum cujusque generis ferax, &, qua vergit ad Orientem, frequentibus pagis habitatur. Hanc Ragusienses cum de Sandaglo Hranichio Chelmensi, qui dimidium ejus regionis, & de Radoslavo Paullovichio Tribiniensi Dynasta, qui alterum dimidium possidebat, ingenti pecunia emissent, Antonius Archiepiscopus idoneo loco templum & Cœnobium ædificavit sub nomine & auspiciis S. Blasii, utrumque vero tradidit Patribus Franciscanis, ut hæreticos Patarenos, quorum totus ille terrarum tractus erat refertus, ad rectam in Deum fidem traducerent; id quod illorum diligenti cultura, & apostolica industria brevi effectum est. Dum vero Antonius huic Ecclesiæ præsidebat, Congregatio etiam Dominicana Ragusina apud Gravosam novo Cœnobio aucta est. Gravosa pagus est ditionis Ragusinæ uno milliario ab urbe in occasum distans, quam ab antiquis Agravonitis, quos Titus Livius in tertiam Illyrici proprii ab Romanis tripartito divisi regionem conjecit, denominatam censent. Regio est aprica, mari adjacens, quæ villis Patriciorum sane multis habitatur, eleganter sciteque deliciarum causſa ædificatis cum suis cujusque viridariis pulcherrime descriptis. Marinus Bisia civis Ra-

Nova Franciscanis & Dominicanis cœnobia exstructa.

gusinus cæleſti quodam oſtento admonitus templum & domicilium Patribus Dominicanis exſtruxit, cui ab S. Cruce nomen impoſuit, unde cognomen accepit *Portus S. Crucis*, qui conjungitur cum Ombla fluvio regionem illam ab occaſu præterfluente. Sed cum novo ædificando Cœnobio obſtaret decretum Pontificis Bonifacii VIII., quo vetitum erat, ne quævis e Fratribus Mendicantibus, ut ajunt, familia plures, quam unam, domos quolibet in loco incolerent, Eugenium Pontificem ſupplices adierunt Patres Dominicani, ut ſibi Cœnobii alterius exſtruendi poteſtas fieret, eo præſertim conſilio, quod reſtitutam plures ante annos Ordinis diſciplinam illuc inducere, ſervarique maxime cuperent. Quam ob cauſſam Eugenius, datis ad Raguſinos ejuſdem Ordinis Cœnobitas literis, eorum poſtulatis cumulatiſſime aſſenſit,

Litteræ Eugenii IV. pro novo PP. Dominic. exſtruendo Cœnobio.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori & Fratribus domus Raguſin. Ordinis Fratrum Prædicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Piis fidelium votis gratum Nos decet præſtare aſſenſum, &, ut ea quæ Religionis propagationem, divini quoque cultus augmentum reſpiciunt, optatum ſortiantur effectum, interponimus ſolicitudinis noſtræ partes. Sane pro parte veſtra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod vos aliam in Civitate Raguſin., vel extra illius muros Ordinis Fratrum Prædicatorum domum de obſervantia fundare & conſtruere, ſive fundari, & conſtrui facere affectatis; ſperantes, quod pro eadem domo fundanda opportunum piis Chriſti fidelium largitionibus conquiretis locum, in quo prouſu, & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis Eccleſiam, ſive capellam, cum campana, campanili, ac aliis neceſſariis officinis pro Religionis propagatione, ac divini cultus incremento conſtruere poteritis & ædificare, ſi vobis Apoſtolicæ Sedis licentia ſuffragetur. Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis in præmiſſis annuere, & deſuper opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, qui Religionis, & cultus eorumdem propagationem intentis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis in aliquo congruo loco, & honeſto, quem ad hoc juſtis modis conquirere poteritis, in dicta Civitate, vel extra eam, Domum ejuſdem Ordinis quæ de obſervantia ſit, cum Eccleſia, ſive capella, aut Oratorio, & campana, campanili, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione Fratrum dicti Ordinis, qui inibi ſub illius regularibus habitu & obſervantia degant, fundandi, & conſtruendi, ſive fundari, & conſtrui faciendi, Diœceſani loci, & cujuslibet alterius ſuper hoc licentia minime requiſita, Apoſtolica auctoritate, licentiam concedimus, & etiam facultatem. Et inſuper vobis, ut dictæ fundandæ domus, poſt fundationem hujuſmodi, ac ejus Prior, Fratres, & perſonæ, qui inibi pro tempore reſederint, omnibus, & ſingulis privilegiis, exemptionibus, indulgentiis, libertatibus, gratiis, & indultis, aliis dicti Ordinis domibus, Priori, Fratribus, & perſonis a Sede Apoſtolica, ſeu alias in genere conceſſis, uti, & gaudere valeant, Apoſtolica auctoritate præſentium ſerie indulgemus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi, Prædeceſſoris Noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua Civitate, villa, caſtro, vel alio quovis loco, ad inhabitandum, quæcumque domos, vel loca de novo recipere, vel eatenus recepta mutare præſumant, abſque Apoſtolicæ Sedis licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus contrariis quibuſcumque, jure tamen Parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nulli ergo &c. Noſtræ conceſſionis infringere &c. Siquis &c. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Trigeſimo Sexto, Pridie Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno ſeptimo, ideſt 1437.

Cauſſa & origo hujus Monaſterii in Codice ms., qui inſcribitur *Monumenta Congregationis S. Dominici de Raguſio*, expoſita eſt his verbis, *Indubie conſtat ex authenticis Marinum Biſiam Raguſinum civem, qui ſeptuagenario major anno 1463, ex hac luce migravit, hujus Cœnobij & Eccleſiæ fundamenta jeciſſe. Traditur autem, atque ſcripto commendatur, Marinum, cum Graveſium* (pagus eſt Raguſio ad occaſum mille paſſibus diſtans, ubi circa ampliſſimum portum amœna colle, & frequenti palatiis ripa conſeptum civium delicia ſunt) *eſtus cauſſa divertiſſet, ad nullam rem ſeriam opportunum ſe ratum gratiſſimam rem, Deo ſane monente, cogitaſſe. Medio enim noctis ſilentio dormienti Crux radios circumquaque effundens viſa eſt domui ſuæ & horto Cœlo penſilis immiuere. Mox evigilans Marinus, ſomniumque tacitus conſiderans in apertum proſiluit, ubi eadem Crucis imago, quam in ſomnis viderat, oculis ejus ac ſenſui palam ſe objecit: quo ſe ſomniantium ſpecie minime illudi animadvertens ſanctæ Crucis Eccleſiam in eodem loco ædificare conſtituit; re deinde ſerius diſcuſſa, & ſigni, quod viderat, ſpecie menti ſuæ obſervanti ſæpius oblectatus domum quoque religioſis viris, qui vivificæ Crucis cultui operam darent, juxta conſtruere decrevit. Raguſium igitur ſtatim ſe contulit, ubi, expoſita Fratribus noſtris viſione, domum, quam ſanctæ Cruci dicandam voverat, ut ſuo Ordini accenſere vellent, ſummis precibus poſtulavit; cujus votis morem gerentes brevi Cœnobium viginti Religioſis incolendum una cum Eccleſia ejuſdem ære Fratres conſtruxerunt .... Cæterum, quod ad Conventum S. Crucis attinet, hic profecto anno 1427. vel paullo ante conſtrui cœptus eſt; ad elegantiorem vero formam, quæ nunc eſt, a F. Franciſco Albonenſi 1594. reductus fuit; Eccleſia vero a F. Dominico Januenſi ex Ordine noſtro Epiſcopo Sebaſtenſi ſolemni conſecratione anno 1517. die 4. Januarii ſanctiſſimæ Cruci dedicata fuit.*

Concilio Baſileenſi, quod Martinus V. indixerat, & cujus indictionem Eugenius IV. Martino ſuffectus anno 1431. confirmavit, interfuiſſe non legitur Antonius Archiepiſcopus Raguſinus; ſed Joannes cognomento Stoicus, patria Raguſinus, Procurator Ordinis Patrum Prædicatorum cum Joanne Polmario Auditore Sacri Palatii ante adventum Joannis Cardinalis Legati Apoſtolici hujus nomine juſſuque præfuit. In eo Concilio ejus opera & doctrina magni fuit. Errores Huſſitarum gravi & erudita oratione refutavit, quorum præcipuus erat, Euchariſtiam laicis ſub utraque ſpecie impertiendam eſſe, id quod ipſe longa ſane, & acerrima diſputatione in octo ipſos dies producta, refutavit. Eam orationem Henricus

Joannes Stoicus Concilii Baſileenſis Præſes.

Cani-

Digitized by Google

Quædam ejus acta.

Cabilius ſuis Antiquis Lectionibus intexuit; & in Labbeana Veneta Collectione Conciliorum inferta eſt Appendici ad Acta Synodi Baſileenſis. Ajunt præterea Joannem Legatum Conſtantinopolim miſſum, ut Imperatorem & Patriarcham cum omnibus Orientis Epiſcopis ad Concilium invitaret: de qua tamen legatione, & Joannis dignitate inter Cardinales cooptati dubitat Baſnagius in nova Caniſianarum Lectionum editione, atque ejuſdem orationem hæretica impudentia refutat, Joanni irridens, ejuſque doctrinæ; ſed cum noſtrum non ſit adverſus illum differere, optandum foret, ut doctus quis, & eruditus inter Raguſinos vir concivis ſui nomen & decus tueretur, tum hæretici hominis retunderet audaciam. Ex mandato Concilii, ejuſque nomine Raguſinos cives ſuos hortatus eſt, ut omni ſtudio, curaque in id incumberent, ut Sandaglium Hranichium Ducem Chelmi, Georgium Vackovichium Deſpotam Serbliæ, Rodoslavum Paullovichium Ducem Trebiniæ, Tuartkum Regem Boſinæ hæretica & ſchiſmatica labe infectos ad ſinum Eccleſiæ Catholicæ revocarent, eiſdemque auctores eſſent ſuos Oratores mittendi ad Concilium Baſileenſe. Sed præclaris Raguſienſium conatibus, & ſaluberrimis ſuaſionibus minime reſpondit eventus. Itaque duos ipſi ad Concilium Oratores miſerunt, Martolum Georgium, & Laurentium Sorgum, qui Patres docerent, nihil ab ſe prætermiſſum eſſe, ut Concilii mandata exſequerentur, ſed omnem operam ab ipſis adhibitam nihil valuiſſe ad contumaciam illorum infringendam. Duo ab Senatu mandata habebant, alterum ut Reipublicæ nomine debitam ſacroſanctæ Synodo obedientiam profiterentur, alterum vero ut peterent poteſtatem fieri Raguſienſibus in Syriam & Ægyptum navigandi, & commercii cum populis ab Chriſtiana religione alienis inſtituendi; quam quidem poteſtatem jampridem ab Sede Apoſtolica impetratam Patres Baſileenſes confirmarunt; idque teſtatum eſſe voluerunt ampliſſimo diplomate, quod extat in publico tabulario Raguſino, ante confectum, quam Synodus Baſileenſis, bonis initiis orta, ab his paullatim deſciſcens, demum e legitima & œcumenica in ſpuriam atque ſchiſmaticam degeneraret. Hæc Jacobus Luccarus lib. 3. Annal. pag. 91. Diplomatis vero hujuſmodi eſt exemplum.

Legati Raguſini in Concilio.

Privilegium Raguſinis conceſſum a Synodo Baſileenſi.

Sacroſancta Generalis Synodus Baſilienſis in Spiritu Sancto legitime congregata Univerſalem Eccleſiam repræſentans ad perpetuam rei memoriam. Ad ſingulas Orbis partes debitæ conſiderationis aciem extendentes ſingulis locis, prout ipſorum requirit neceſſitas, cauſæ ſuadent rationabiles, Catholici populi fomentum expoſtulat, & ſalus exigit publicæ libertatis, Noſtro Miniſterio commoda procuramus. Sane nuper fide digna dilectiſſimi Eccleſiæ filii Sigiſmundi Romanor. Imperatoris ac Hungariæ Boemiæ Dalmatiæ &c. Regis Illuſtriſſ. relatione didicimus, quod Civitas Raguſienſis in littore maris, cujus inundationibus ſæpe quaſſatur, agitatur & plurimum periclitatur ſuper ſaxo duriſſimo & in patria ſterili conſtituta ſit, quam Chriſtiani Nominis æmuli infideles & Eccleſiæ Catholicæ adverſarii diverſarum Sectarum Hæretici & Schiſmatici illi proximi variis perſecutionibus, & bellis nefandiſſimis ſæpe numero impugnare conſueverunt, quibus Cives, & incolæ Civitatis ejuſdem divino accincti & muniti robore non parcendo laboribus, periculis, & expenſarum oneribus pro divini Nominis gloria, & ipſius Catholicæ fidei defenſione diverſis vicibus dextera Domini ſecum faciente virtutem potenter feliciter & intrepide reſtiterunt, illoſque utriuſque ſexus ad amorem Redemptoris Noſtri Jeſu Chriſti ſuis honeſtis, & Catholicis converſationibus devotiſque ſollicitationibus opibuſque atque curis reducendo in multitudine numeroſa baptizari procurarunt, & procurant in dies, quodque dicta Civitas in fide ac Religione Chriſtiana, & obedientia fideliſſima ipſius Regis Hungariæ perſeverans dogmata Sedis Apoſtolicæ & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ jugiter & humillime amplectatur, pluraque accepimus alia laude digna, quæ merito dictam Civitatem Nobis & Univerſali Eccleſiæ commendabilem reddunt & omni charitate ac favore proſequendam. Cum itaque ſicut eadem relatio continebat, Cives & incolæ prædicti propter ſterilitatem ſitus, & vicinitatem variarum Nationum fidei & Eccleſiæ Catholicæ adverſarum aliter ſtatum dictæ Civitatis, & ſuum manutenere niſi per mercimoniorum uſum, & mercantiarum exercitium, & infidelibus, aliiſque prædictis fidei, & Eccleſiæ Chriſti adverſantibus, prout hucuſque fideliſſime fecit, reſiſtere Regibuſque Hungariæ grata, & conſueta ſervitia pro tempore contra æmulos prædictos exhibere commode nequeant: Idem Imperator conſiderans Cives & incolas prædictos ad ejus obſequia per eos, a quadraginta ſeptem annis citra, in pleriſque opportunitatibus exhibita, vigentis adhuc fidelitatis ardore ſuccenſos ferventi ſollicitudine dilecti Eccleſiæ filii Joannis Stoici de Raguſio Ordinis Fratrum Prædicatorum Magiſtri in Theologia Nobis inſtantiſſime ſupplicavit, ut pro ipſius Civitatis conſervatione & ſubſidio civibus & incolis prædictis ducendi ſeu duci faciendi galeas & alias naves proprias vel alienas ad Terram Sanctam necnon infidelium, & ultra marinas terras cum nautis & aliis perſonis ad illarum regimen requiſitis pro Chriſti fidelibus peregrinis conducendis de mercimoniis exercendis, & cum ipſis infidelibus in his peragendis converſandi ac pro ipſorum animarum ſalute & conſolatione altaria portatilia cum debitis honore & reverentia habendi in locis congruis, ac etiam Eccleſias ac Capellas cum Cimiteriis, in quibus per Sæculares, & Religioſos Preſbyteros eorum confeſſiones audientes, & a peccatis confeſſis abſolventes, & Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrantes Miſſas & alia divina celebrari, & fidelium mortuorum corpora ſepeliri facere valeant, erigendi conſtruendi & dotandi, nec non Conſulem vel Conſules proprios alioſque Officiales eis opportunos ordinandi & diſponendi in terris præfatis licentiam concedere, & Civitatem, Cives, & incolas prædictos perpetuæ conſolationis gratia honorare dignaremur. Nos igitur præmiſſa attenta meditatione penſantes & quibuſdam etiam aliis rationabilibus ſuadentibus Nobis cauſis ad fidelium ſalutem, & commoditatem anhelantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati Civibus, & incolis prædictis galeas & naves proprias vel alienas pro peregrinis ad Terram Sanctam & mercimoniis, ut præmittitur conducendis, ferreis tamen, & aliis offenſibilibus, & defenſibilibus, nec non victualibus, aliiſque de jure probibitis penitus exceptis, & extra tempus generalis paſſagii ducendi, cum infidelibus converſandi, altaria, Eccleſias, & Capellas cum ceme-

cemeteriis erigendi, constituendi, & dotandi, Missas, & divina in eisdem audiendi, peccata sua de consensu sui Ordinarii confitendi & absolvendi, Consulem alios que officiarios pro tempore, ordinandi & disponendi in dictis terris ut præfertur, & alia omnia in præmissis, & circa ea ad modum aliorum fidelium Mercatorum quorumcunque Regnorum, Provinciarum, aut Civitatum per Sedem Apostolicam & alias ad hæc facienda in genere & in specie conjunctim, & divisim perpetuo & ad tempus privilegiatorum faciendi, & perficiendi, auctoritate Universalis Ecclesiæ licentiam plenariam elargimur. Et nihilominus Venerabilibus Januen. Neapolit. ac Messan. Archiepiscopis per hæc scripta districte præcipiendo mandamus ne permittant Cives, & incolas, seu nautas & personas hujusmodi super præmissis & eorum occasione impediri, aut alias a quocunque cujuscunque status, gradus, præeminentiæ, honoris & conditionis existat quomodolibet molestari, ipsisque Civibus, & incolis licentia per hos eis concessa uti faciant pacifice, & quiete, transgressores per censuram Ecclesiasticam, vel alia juris remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii sæcularis, non obstantibus Constitutionibus, prohibitionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Indultis, Privilegiis quibusvis aliis concessis, quæ ad effectum præsentium volumus non extendi, aut si aliquibus conjunctim vel divisim a Sede Apostolica præscriptum, per Constitutionem fel. record. Bonifacii Papæ VIII. vel alias sit indultum, quod interdici, suspendi, & excommunicari aut ultra aut extra certa loca ad judicium revocari non possint per litteras non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto seu constitutione hujusmodi mentione. Nulli ergo hominum liceat, banc paginam Nostrorum elargitionis & mandati infringere, & ei ausu temerario contraire. Quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & Universalis Ecclesiæ se noverit incursurum. Dat. Basileæ XI. Kal. Jan. An. Dom. 1433.

Antonius annos circiter triginta huic Ecclesiæ sanctissime præfuit; quem Philippus de Quartigianis eidem æqualis, ac fere domesticus, qui latinas litteras, & præcepta Rhetorices adolescentibus Ragusii tradidit, illustri encomio exornavit anno 1438. in eo codice ms. cui titulus: *Descriptio situs, ædificiorum, politiæ &c. inclytæ Civitatis Ragusii &c. Nunc*, inquit, *est Archiepiscopus Reverendus Dominus F. Antonius de Reate, Ordinis Minorum, Sacrarum Litterarum doctissimus Magister, qui, cum studens discipulus fuisset, multiæ disciplinæ capax, sanctissimæ memoriæ Domini Papæ Alexandri, qui prius Dominus Petrus de Candia dicebatur, Ordinis Minorum, suis florentibus studiis, Italiæ præstantissimus Prædicator, & Verbi divini singularissimus gratiosissimusque nunciator habitus est, dein pluribus annis universalis Ordinis B. Francisci Procurator in Sancta Curia Romana extitit; suisque postea virtutibus creatus dignissimus Archiepiscopus Ragusii, Legatusque Sedis Apostolicæ apud Serenissimum olim Romanorum Imperatorem semper Augustum Sigismundum, Regem Hungariæ & Bohemiæ fuit; necnon & apud Ducale Dominium Venetorum, & ad illustrissimum Principem Philippum Mariam Dominum Ducem Mediolani, & ad Regem Franciæ, & ad omnes fere illustrissimos Christianitatis Principes, Reges, Dominos, & Dominia, seu Communitates. Fuit demum Sacri Concilii Constantiensis in Italia Legatus universalis. Et breviter summus fuit vir & Prælatus in Ecclesia Dei: quare perpetuis temporibus gloriari poterit Civitas Ragusina se talem habuisse, & tanti pretii Archiepiscopum, Patrem, & Prælatum.* Hæc Philippus; nec dubito ego, quin in Antonii quoque Archiepiscopi meritum & laudem referri debeat, quod anno 1433. a Ragusini Senatus religione ac pietate constantissime fuit decretum. Cum enim Helena uxor Sandagli Hranichii principis inter Bosnenses Dynastæ, & latissimæ ditionis Dominio Ragusiensi conterminæ, a Patribus postulasset, ut schismaticis liceret, Ecclesiam aliquam suo ipsorum ritu, suaque lingua colere in suburbanis Ragusii, restitit firmissimo animo Senatus Helenæ postulatis, ejusque auctoritatis ac potentiæ vim omnem intrepide repulit.

Antonii Archiep. elogium.

Nomen Antonii Archiepiscopi albo seu Catalogo trium piarum sodalitatum inscriptum reperio, Malphensis anno 1423, Aurificum 1424. denique S. Hilarionis Brenensis 1434. & anno quidem 1423. Ecclesiam & aram Deiparæ in insula Melitæ consecravit, uti vetustum monumentum testatur arculæ plumbeæ inclusum, & in ara ipsa proxime repertum, dum novis sumptibus, & egregio opere reædificari cœpta est: hac vero formula descriptum fuit.

Hanc Ecclesiam & altare consecravit Reverendissimus in Christo F. Anthonius de Reate Archiepiscopus Ragusinus Sacræ Paginæ Professor ad honorem Glorioissimæ Virginis Mariæ die XIII. Junii MCCCCXXIII. die Dominico, & posuit in eo reliquias SS.....Praxedis..... ad instantiam, & requisitionem Reverendi in Christo Patris F. Andreæ de Zare Abbatis S. Marie Melitensis Ord. S. Benedicti Monachorum nigrorum, præsentibus pro parte Capituli juxta morem Dominum Archiepiscopum associantibus Canonicis Mattheo de Ragnina, & Mattheo de Giorgi, & concessit C. dies Indulgentiæ in die Consecrationis, & XL. in die Anniversaria.

Tum acta Ecclesiæ Catharensis tradunt, Marinum Antistitem Catharensem, cum anno 1434. sibi potestas facta esset ab Eugenio IV. litteris datis Bononia IV. Nonas Julii tradendi Sacerdotium quoddam Thomæ Paschali Presbytero Ragusino, negotium Antonio Archiepiscopo Ragusino commisisse, qui, accepto ab eodem Pontifice mandato VII. Idus Julii anni 1438., ut in locum Thomæ, vita forte defuncti, sufficeret Tryphonem de Lampsio Bolizzam, Marino, rem, ut exsequeretur, commendavit: quo item anno Philippus de Quartigianis ea scripsit de Antonio vivo, & superstite, quæ supra retulimus. Antonium Romæ mortuum & sepultum fuisse tradit Seraphinus Razzius; ejusque obitus in annum 1440. conferri potest.

et obitus.

JACOBUS II. ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS XLIII.

Rhecineti in Piceno natus ex gente Venerea, ut Luccarus & Gundula tradunt, non ex familia *de Bonjohannis*, ut Sebastianus Dolci perperam suspicatur; hanc illi suspicionem injecit nescio quis, a quo se interrogatum fuisse ait; *an in Ecclesia Cathedrali extet tumulus*

Jacobus II. Archiep.

cum

Digitized by Google

cum hac epigraphe: Jacobus Bonjohannes de Ricanato Archiepiſcopus Raguſinus, In monumentis illorum temporum nominatur quidem *Jacobus*, ſed nullum ei niſi a patria cognomen reperitur adſcriptum, veluti in quibuſdam tabulis ſub ejus ſucceſſore confectis anno 1464. prid. Nonas Martii, in quibus hortum Archiepiſcopalem colendum locaſſe dicitur: *Conſiderans Reverendiſſimus in Chriſto Pater & D.D. Franciſcus de Capitibus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Raguſinus, quod hortus ejus Archiepiſcopalis alias, nempe 1441. die 24. Novembris per alim D. Jacobum de Rhecaneto ejus prædeceſſorem locatus fuerit &c.* Sed Jacobi genus tuto eruditeque indicat ex monumentis Rhecinetenſibus Didacus Calcaneus in opere, cui titulus *Monumenta Rhecinetenſia*. Nicolaus e gente Venerea Veneta Rhecinetum exſul aufugit ſæculo decimo tertio, inque ea urbe Veneream familiam fundavit, Rhecinetenſi poſtea, & Anconitana nobilitate donatam, Jacobo parens fuit alter Nicolaus, ſive Coluccius dictus, atque ex illo tres geniti fratres Antonius, Flavianus & Matthæus, quorum primus Mariæ Condulmeriæ nobiliſſimæ inter Venetas feminæ maritus & Eugenii IV. Pontificis e Condulmeria gente affinis, Antonium Jacobum ex illa genuit Eugenio carum in primis, & a Sixto IV. poſt plurima egregie patrata facinora in Cardinalium collegium cooptatum. Jacobus interea noſter ætate jam adultus ſtrenuam patriæ navavit operam, & arduis ac perhonorificis muneribus perfunctus eſt; cum anno 1422. in Anconitano Nobilium concilio judex electus fuit, qui Anconitanorum cum Firmanis diſſidia componeret, & anno 1431. Rhecinetenſium legatus Romam adiit, ut Eugenio Pontificiam dignitatem gratularetur. At Pontifex Jacobi indole probe perſpecta eum apud ſe retinere conſtituit, & inter Clericos Cubicularios Pontificis adſcripſit; ac paullo poſt Eccleſiam Raguſinam eidem decrevit pridie Nonas Septembris anno 1440. (Tom. 66. Oblig. pag. 33.) proximo poſt concordiam inter Latinos & Græcos redintegratam, & Concilium Florentinum dimiſſum, cui quidem neque Metropolitam, neque ullum Epiſcopum Provinciæ Raguſinæ interfuiſſe comperio.

Raguſienſium fœdus cum Anconitanis.

Hoc ipſo anno, quo Jacobus Raguſinam Eccleſiam adeptus eſt, novum fœdus ſancitum eſt, vetuſque firmatum inter Raguſienſes & Anconitanos, ut libera eſſet inter utroſque eorumque ſocios mercaturæ exercendæ, mariſque navigandi ratio, portorio utrinque conſtituto. Anno 1367. actum antea fuerat hac de re, ut retulit Saracenus lib. 9. Monum. Ancon., ac rurſum anno 1393., tertio autem per Marinum de Rheſtis Raguſienſium legatum, & ſexviros Anconitanos novi fœderis ſanctio compoſita eſt ſolemnibus formulis 13. Kal. Julias anni 1440. Sanctionis hujus exemplum tum a Saraceno deſcribitur, tum a Cyriaco Anconitano e ſexviris uno in oratione, qua Marinum legatum videtur publice excepiſſe, & civitatis utriuſque laudes fuſe perſequitur; edita fuit Cyriaci lucubratio in Tomo 6. Bibl. mediæ & infim. latinit. illamque ea in parte hic exſcribimus, quæ ad Raguſienſes attinet.

Veniſti tandem optume, præſtantiſſimeque Marine, noſtram hanc Anconitanam P. C. ex ampliſſimo veſtræ nobiliſſimæ Civitatis ordine Legatus, & Orator egregius, ad renovandum, quin- immo potius dicam in melius emendandum, reformandumque fœdus jamdiu intermiſſum inter Anconitanos, & veſtros tamdiu uobis amiciſſimos Rhaguſæos: Civitatum ſcilicet utrarumque Cives inter, binc inde ſocios, incolas, & colonos. Opus quidem honeſtum in primis, & exoptabile, pium, utile, dignum, humanum, & honorabile, opportunumque, & quodammodo hinc inde Civitatibus, gentibuſque invicem neceſſarium excitatis, Sed quo ſis, optume Marine, alacrior, avidiorque ad hæc ipſa honeſtiſſima fœdera ineunda, firmandaque, haud dubie habeto, quod fœderatæ binæ hæ antiquo nobiles, atque liberrimæ civitates maritimæ, invicem amiciſſimæ, Ancona, & Epidauria Raguſion, adamantinis benevolentiæ vinculis junctæ, duæ veluti ſtabiliſſimæ Illyrici, Adriaticique ſinus, ad utrumque latus ineluctabiles arces extiterint. Hic de Ancona primum ubertime diſſerit; tum de Raguſio iſta ſubjicit.

Explicavimus hactenus aliqua de Ancona, nunc vero de Rhaguſio aliquid delibandum erit. Dicam admodo aliquid veſtra de antiquiſſima Dalmatica Epidauro nobiliſſima Illyridis Urbe, a qua inſignis veſtra Rhaguſion traxit originem (1) *Rhiſinum olim veſtris a majoribus dicta. Comperimus enim Coſmographum illum Cl. Claudium Ptolemæum* (2) *Alexandrinum ſuo eodem libro,* 1 *eademque Chorographia Epidaurum tres inter maritimas Illyridis urbes egregiam Dalmatiæ poſſiſſe, atque ſecundam maritimam civitatem: ſed omnes inter Illyricas terra, marique primarias, unam inter quinas Epidaurum deſcriptam cognovimus habentem ab Occidente per longitudinem gradus XLIV. $\frac{2}{3}$, latitudinem vero ab Æquinoctiali in Arctum gradus XLII., & tertiam gradus partem, quam & Anneus ipſe Lucanus civilia inter bella cecinerat,* 2

Illyris Ionias vergens Epidaurus in undas.

Quam demum vetuſtiſſimam Civitatem, a poſteris apud Rhiſinum oppidum duodenariam gradus partem auſtraliorem veſtratum in Coloniam deductam, Rhaguſium nuncupatam percepimus. Quæ quidem nobiliſſima urbs magna ſuorum Civium probitate, ſolertia, cura, induſtria, & egregia cum virtute mirifice aucta, una omnes inter Illyricas, præclara, & politiarum optima, nobilium, & optimorum hominum poteſtate municipali, & Ariſtocratica libertate floret. Reliquæ vero aut collapſæ penitus, & omnino deletæ, aut Regum Potentatuumve ditione, aut Tyrannica, & barbarica feritate ſubactæ ſunt. Qua quidem in re noſtra cum Ancone tamdiu liberrima Civitate, tam dignam habere conformitatem, optimamque puritatem, luculentiſſime didiciſti, optume, præclariſſimeque Marine. Inite igitur bonis avibus tam decens idoneum, & honeſtum nobilium Civitatum, & gentium utrarumque feliciſſimum fœdus.

Ad Iduum Junii fauſtum, feliciſſimumque diem hoc inter Anconitanos, & Rhaguſæos novum fœdus initum, vetuſque firmatum eſt. Marino Reſto Rhaguſæorum Oratore Viro cl. ſuorum in hac parte Legato, & Paulo Polydoro, Nicolao Bonarello, & Kyriaco Picenicolle regulatoribus, nec non eorum de Collegis Piliareſio Piſanello, Stephano Fatato, & Antonio Bertucio VI. Vir. Anconitanorum auctoritate Senatus egregiis hujuſce rei Commiſſariis, ad futurum uſque vigeſimum temporis annum duraturum. In quo hæc fere ſummatimque comprehenſa ſunt.

Digitized by Google

Sanctio.

Pax, amicitia, & benevolentia isto populo Anconitano, sociisque. Item Rhagusæis, sociisque suis: Itemque per omnia Rhagusæorum maria, portus, & littora Anconitanis, sociisque mercaturæ gratia, honestisve de causis navigare licere, eorumque navigia suis in quibusque locis impune pernoctanto, quæ etsi non exonerando merces abierint, immunia esto, nihilque solvunto.

Eodem itaque mare Rhagusæis, eorumque sociis nostra per maria, littoraque iisdem honestis de causis navigare utique liceat, perinde ac licebat. Hoc sed enim præcipue unum novo hoc in fœdere additum, & decretum est, quod omnia Rhagusæorum navigia, quæ ex quaque Illyrici sinus parte, quomodolibet intus Anconitani portus limites applicuerint pro qualibet in Illyrico perceptarum rerum centena existimati valoris aureum unum ac tres octavas aurei partes pro dubana publico Anconitanæ Civitatis ærario persolvunto.

Exemptis quidem, penitusque libere præservatis auro, argento, margaritis pretiosisque omnifariam gemmis. In cæteris vero aliis prius conventa, inveterataque antiqui, intermissique fœderis pacta servanto.

Qui vero adversus hujusce fœderis præcepta ierit, secusve faxit, mille aureis pœna mulctanto.

Sit igitur felix, faustum, & beatum hoc ipsum, recens, emendatum, confirmatum, homologatumque fœdus, Beatissimis auspicantibus Martyribus, & Pontificibus nostris Kyriaco, atque Blasio publicarum rerum ambarum protectoribus optumis, & patronis, Aliisque juvantibus utrarumque Civitatum Divis almis, piissimisque Numinibus. Exactum Anconæ XIII. *Kal. Quintiles. Eugenii Papæ anno X.*

Notæ,

1 Fallitur certe Cyriacus, cum Ragusium olim appellatum fuisse *Rhisinum* affirmat; cum & Rhisini nomen fere nihil cum Ragusio conveniat, & nuspiam apud antiquos Scriptores invenias Ragusium hujusce nominis appellatione distinctum.

2 Ptolemæi locus hic est cap. 17. de Illyridis, Dalmatiæ, & Liburniæ situ. Ῥίσινον μδ γ ὸ. μβ δ'. Ἐπίδαυρος μδ γ ὸ. μβ γ'. Idest *Rhisinum* 44. 40. 42 20. *Epidaurus* 44. 40. 42. 15. ubi Epidaurum a Rhisino disjungit, licet ad eosdem fere latitudinis & longitudinis gradus utraque urbs posita sit,

Biennio post aditum Archiepiscopatum, cum Fratres Minores Insulæ Daxæ bona quædam stabilia sibi a piis viris legata, salva paupertate Franciscana retinere non possent, eadem in usus pauperum convertenda Sedis Apostolicæ arbitrio permiserunt. Eugenius itaque Pontifex illorum administrationem Præfectis Ærarii publici ita commendavit, ut fructus inde percipiendos in egenos erogarent, vel aliis piis operibus addicerent; quod ex litteris ejusdem Pontificis constat, ad Præsidem Daxensis Cœnobii scriptis, quas subjicimus.

Litteræ Eugenii IV. ad Franciscanos Cœnobii Daxensis,

Eugenius Episcopus Serv. Servorum Dei dilectis Filiis Guardiano & Fratribus Domus loci Insulæ Daxæ Ragusin. Dioces. Ordinis Fratrum Minorum sal. & Apostolicam benedictionem. Pastoralis officii debito singulorum Fidelium, & præsertim altissimo in Religionis decore sua vota exolventium supplicibus votis libenter annuimus, ut exinde ipsorum devotionis amplius prodire valeat incrementum. Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ad domum vestram, in qua ad præsens Regularis Ordinis Fratrum Minorum viget observantia, aliqua oliveta, & bona immobilia, ac redditus pertinere dignoscuntur, & pro eo quod juxta regulam desuper a glorioso Christi Confessore S. Francisco traditam bona propria habere non potestis, quod oliveta, bona, & redditus prædicta in alios pios usus convertantur, vosque ab illis penitus exonerari affectatis. Et sicut eadem petitio subjungebat, si Thesaurarii Civitatis Ragusin., qui per dilectos filios Cives & Commune dictæ Civitatis ad respiciendum necessitatem pauperum pro tempore deputantur, emolumenta & redditus, quæ ex olivetis, & bonis, ac aliis præmissis pro tempore obveniunt, colligerent, & ad usus pauperum, sive ad pias causas applicarent, & converterent, vestris conscientiis, & animarum quieti plurimum consuleretur, & devotionis vestræ propagatio proveniret, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut super his opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati præsentis perpetuo valituræ Constitutionis edicto Apostolica auctoritate sancimus, ac statuimus & ordinamus, quod ex nunc in antea Thesaurarii, qui in favorem pauperum in dicta Civitate pro tempore deputati fuerint, omnia & singula redditus ac emolumenta ex olivetis, bonis, ac redditibus prædictis, quorum tamen proprietatem ad Rom. Ecclesiam perpetuo remanere volumus, & decernimus, quomodolibet obvenientia colligere, percipere, ac levare, eaque in usus pauperum, vel alias ad pias causas, prout eorum conscientiis, quas super hoc oneramus, amplius expedire visum fuerit, plenarie & integre convertere, ac exponere possint, debeant, & etiam teneantur. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac domus & Ordinis prædictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat &c. Datum Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ MCDXXXXII. VIII. Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno duodecimo.

In. de Viterbio.

Administratio possessionum monachalium laicis commissa,

Contigit etiam per hæc tempora, quod, cum Monasteria Ragusina utriusque sexus ex incuria, & mala bonorum administratione non parum detrimenti cepissent, Rector & Consilium civitatis viros ex ordine laicorum idoneos, & spectatæ fidei deligerent, qui monasticis possessionibus tuendis, & curandis præerant, fructus & proventus colligebant, atque in commodum utilitatemque Cœnobiorum administrabant. Id vero, quippe Monasteriis valde utile, ut Sedes Apostolica approbaret, ab Eugenio IV. petierunt. Pontifex scripsit ad Cœnobiarcham S. Mariæ Lacromensis, eique imperavit, ut, si rem ita esse compererit, quemadmodum sibi exposita fuerat, auctoritate Apostolica & constitutos jam Procuratores, quæque per eos acta fuissent, confirmaret, & alios deinceps ex aliis constituendi facultatem Rectori & Consilio impertiret: quod subjectæ testantur Pontificis litteræ,

Euge-

Digitized by Google

Pontificis litteris confirmatur,

Eugenius Episcopus Serv. Serverum Dei dilecto Filio Abbati Monasterii B. Mariæ Lacromen. Ragusin. Diœcesis Sal. & Apostolicam benedict. Ad hoc nostræ sollicitudinis, & Apostolici adjectionem muniminis libenter impendimus, ut monasteriorum quorumlibet præsidio inibique Domino famulantium statui valeat indempnitatibus salubriter provideri. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum Filiorum nobilium virorum Rectoris & Consilii Civitatis Ragusinæ petitio continebat, quod dudum ipsi considerantes nonnulla monasteria tam virorum, quam mulierum diversorum Ordinum in dicta Civitate ac Diœcesi Ragusina consistentia, ex incuria & negligentia eorum, qui eis eatenus præfuerunt, in spiritualibus & temporalibus multipliciter deformata esse, nec non & quamplurimas possessiones, & bona eorumdem alienata, & postmodum per quosdam Laicos ut ipsorum Monasteriorum fructus & redditus curarent, & reciperent, ac in usus & utilitatem Monasteriorum eorumdem & in illis pro tempore degentium, converterent, in Procuratores, aut negotiorum gestores, & directores deputantes, Monasteria ipsa laudabili ipsorum deputatorum efficiente administratione, continuum, dante Domino, in eisdem spiritualibus & temporalibus, susceperunt, prout in dies suscipiunt, incrementum. Quare pro parte Rectoris, & Consilii præfatorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut omnia & singula per dictos deputatos circa monasteria, possessiones, & bona prædicta gesta, & administrata, approbare, & confirmare, & alias super his opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui de præmissis certam notitiam non habemus, hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si ita est, & postquam vocatis, qui fuerint vocandi, de præmissis tibi legitime constiterit, super quo tuam conscientiam oneramus, quæcumque per ipsos deputatos circa monasteria, possessiones, & bona supradicta, alias rite gesta, & administrata, & quæcumque inde secuta, auctoritate nostra approbes, & confirmes. Et nihilominus Rectori, & Consilio prædictis, quod de cætero aliquos, de quibus eis videbitur, ad hoc esse sufficientes & idoneos bonæ reputationis viros, pro præmissis deputare, & constituere possint, dicta auctoritate concedas; non obstantibus Constitutionibus Apostolicis nec non Monasteriorum, & Ordinum prædictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alias roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto pridie Nonas Junii, Pontificatus nostri anno quartodecimo.

quarum jussa Gregorius Abbas Lacromensis exsequitur.

Mandatis Eugenii paruit Gregorius Abbas Lacromensis; idque testatum esse voluit hoc publico edicto rite obsignato.

Universis & singulis præsentes has litteras, sive præsens publicum Instrumentum inspecturis, visuris, pariterque & audituris Gregorius Abbas Monasterii S. Mariæ Lacromen. Ragusinæ Diœcesis executor unicus ad infrascripta a Sede Apostolica specialiter deputatus, Salutem in Domino sempiternam, & præsentibus fidem indubiam adhibere. Litteras Sanctissimi in Christo Patris & Domini Eugenii Divina Providentia Papæ IV., ejus vero Bulla plumbea, cum cordula more Romanæ Curiæ impendente bullatas, sanas, integras, non cancellatas, & vitiatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio, & suspicione carentes, Nobis pro parte Venerabilium, & Nobilium Virorum Dominorum Rectoris, & Consilii Civitatis Ragusinæ coram Notario publico, & Testibus infrascriptis præsentatas, Nos cum ea, quæ decuit, reverentia noveritis recepisse, quarum tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis. Eugenius Episcopus &c. ut supra. Post quarum quidem litterarum Apostolicarum præsentationem & receptionem Nobis, & per Nos, ut præmittitur, factas, fuimus pro parte eorumdem Dominorum Rectoris & Consilii Civitatis Ragusinæ debita cum instantia requisiti, quatenus ad executionem dictarum litterarum Apostolicarum, & contentorum in eisdem, juxta traditam, seu directam a Sede Apostolica nobis formam procedere dignaremur. Nos igitur Gregorius Abbas, & Executor præfatus, volentes hujusmodi mandatum, Nobis in hac parte directum, reverenter exequi, ut tenemur, de & super in dictis litteris Apostolicis contentis & narratis, eorumque circumstantiis universis, vocatis per nos postea, seu de mandato nostro, qui fuerunt evocandi, & per testes fide dignos in forma juris receptos, juratos, & examinatos, & alias diligenter informatos, & quia per hujusmodi informationem in testium depositione reperimus, diversa Monasteria tam virorum, quam mulierum diversorum Ordinum in Civitate & Diœcesi Ragusina consistentia, de quibus in dictis litteris mentio facta est, ex incuria & negligentia illorum, qui eis eatenus præfuerunt, in spiritualibus & temporalibus multipliciter deformata, nec non quamplurimas possessiones, & bona eorumdem Monasteriorum alienata, in eisque cultum Divinum plurimum destitutum fore, & postmodum ea Monasteria per quosdam circumspectos, ac fide & fama præclaros Laicos in Procuratores seu negotiorum gestores, & ipsorum Monasteriorum directores, per supradictum Rectorem & Consilium Civitatis Ragusinæ deputatos, ex laudabili, & fructuosa eorum administratione & continua vigilantia continuum & evidens in spiritualibus & temporalibus suscepisse, & in dies suscipere incrementum, ac omnia alia & singula in eisdem litteris contenta omnimoda veritate fulciri. Idcirco Auctoritate Apostolica nobis commissa, & qua fungimur in hac parte, omnia & singula per dictos deputatos circa monasteria, possessiones, & bona prædicta alias rite gesta & administrata, & quæcumque inde secuta, aut alias quomodolibet procurata, in toto & in parte, communiter & divisim approbavimus, & confirmavimus, nec non tenore præsentium approbamus & confirmamus, & insuper Rectori & Consilio præfatis, quod de cætero aliquos, de quibus eis videbitur, ad hoc sufficientes & idoneos bonæ reputationis Viros, pro præmissis deputare, ac constituere possint, eadem auctoritate Apostolica concessimus, ac concedimus, & licentiam plenam impartimur per præsentes. Non obstantibus omnibus & singulis in præmissis, quæ idem Dominus noster Papa in eisdem Litteris Apostolicis voluit non obstare, aliaque omnia ut concessimus in præmissis, prout in dictis Litteris Apostolicis recepimus in mandatis. Quæ omnia & singula vobis universis & singulis Dominis Abbatibus, Prioribus, Monachis, Fratribus, Abbatissis, Monialibus, &

Soro-

Sororibus quorumcumque Monasteriorum in Civitate & Diœcesi Ragusina consistentium, ipsorumque Monasteriorum agricolis, laboratoribusque, receptoribus, & administratoribus, & Procuratoribus, ac quibusvis aliis, quorum interest, intererit, seu quomodolibet interesse poterit in futurum, quibuscumque nominibus censeantur, aut quacumque præfulgeant dignitate, communiter & divisim, intimamus, insinuamus, notificamus, ac ad vestram & cujuslibet vestrum notitiam deducimus, & deduci volumus per præsentes. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium præsentes litteras, sive hoc præsens publicum instrumentum, hujusmodi nostrum processum in se continentes, sive contingens, exinde fieri, & per Notarium publicum infrascriptum subscribi, & publicari mandavimus, nostrique sigilli jussimus appensione communiri. Datum & actum Ragusii in Domo Abbatis Lacromen. solitæ Residentiæ præfati Domini Abbatis, Anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto die XXVIII. Januarii, Pontificatus ejusdem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Eugenii Divina Providentia Papæ quarti anno quartodecimo, præsentibus Venerabilibus & Religiosis Viris Domino Andrea de Sorgo Canonico, Domino Petro de Ypania, Domino Demetrio de Antibato Sacrista Ragusino, & aliis quamplurimis testibus ad præmissa vocatis specialiter, & rogatis.

Ego Delphinus qu. S. Pauli de Tayabobus de Cremona publicus imperiali auctoritate Notarius, nec non juratus Notarius & Cancellarius Magnificæ Communitatis Ragusinæ præmissis receptioni, requisitioni, approbationi, confirmationi, concessioni, atque aliis & singulis supradictis, dum per Venerabilem in Christo Patrem Dominum executorem præfatum ..... ut præmittitur, sic agerentur, & fierent, una cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque de mandato prafati Domini executoris scripsi, & publicavi, & in hanc publicam formam redegi, signoque meo solito, & consueto a præfato Domino Rectore & Consilio Civitatis Ragusii rogatus, & requisitus signavi, sub anno, indictione, mense, die, & Pontificatu, quibus supra.

Anno 1444. Eugenius classi Pontificiæ, quam ad fretum Gallipolitanum obsidendum, transitumque Turcis intercludendum, ornari jusserat, Franciscum Condulmerium fratris filium summo cum imperio præfecit. Ad classem augendam tum Dalmatas omnes, tum præsertim Ragusinos suis litteris sollicitaverat. Ac duas triremes optime instructas, atque onerariam unam cibariis & commeatibus plenam, itemque pecuniam & subsidia cujusque generis large effuseque illi contulerunt, ut Joannes Gundula scriptum reliquit.

Quædam a-cta Jacobi.

Jacobus Archiepiscopus quinquennium ferme ad Ecclesiæ suæ gubernacula sederat, vir eximiæ sollertiæ, summi consilii, magnique animi ad res maximas gerendas; ejusque opera cum indigeret Eugenius IV., anno 1446. eum Romam arcessivit, & Perusinæ civitatis ditionis Pontificiæ Gubernatorem præfecit. (Tom. 8. Bullar. Eugen. IV. pag. 184.) Eundem Nicolaus V. anno proximo in Sedem Romanam Eugenio suffectus Rectorem Patrimonii S. Petri constituit (Tom. 8. Bull. Nicol. V. pag. 29.) Utraque Præfectura perfunctus ad suam Ecclesiam rediit. Aberat autem Ragusio, cum idem Nicolaus Pontifex ad Consilium, & Commune Ragusiensium scripsit, ut Thomæ Episcopo Phariensi, qui Apostolica legatione Regnum Bosnense peragrabat, favorem & auxilium, si quod peteret, ad rem Christianam in illis locis bene gerendam prompte alacriterque conferrent; uti in litteris ad ipsum Thomam datis Roma *die XXVI. Januarii MCCCCL. Scripsimus dilecto Filio Nobili Viro Francisco Foscari Duci Venetiarum, ac Rectori, & Consilio Communis Civitatis Ragusii, exhortantes eos, ut quoties a te essent requisiti, auxilia, & suffragia exhiberent, ut hoc negotium Deo duce & eorum favoribus ad optatum finem deduceretur*; quas litteras licet in Tomo IV. hujusce Operis non ediderimus, ubi de Phariensibus Episcopis, neque huic loco putavimus integre inserendas. Eandem legationem gerebat Thomas in provincia quoque Ragusina anno 1452., ut indicant aliæ Nicolai litteræ ad Thomam hisce verbis inscriptæ: *Nicolaus Episcopus Servus Servorum Dei Ven. Fratri Thomæ Episcopo Farensi in Bosnæ & Croatiæ regnis, ac in provincia Ragusina, illorumque Comitatibus & diœcesi nostro & Apostolicæ Sedis legato &c.* in iisque Thomam monet Pontifex, ut pacem conciliandam omnino curet inter Ragusinos, & Ducem S. Sabbæ, Comitemque Drinensem: *Cum autem nuper nobilis vir Stephanus Dux S. Sabbæ & Comes Drinien. postquam per nos accepto, quod ipse cum copioso peditum & equitum exercitu, nullo per eum indicto bello, civitatem Ragusinam seu illius territorium invaserat, & innumeras clades & maxima detrimenta illi intulerat, nonnulla quoque gravia, & contra fidem catholicam moliendo, & in antedicta scelera tunc expressa etiam in maximam Christiani nominis ignominiam, & fidei Catholicæ opprobrium commiserat, per Venerabilem fratrem nostrum Paganinum Episcopum Dulcinen. ut ab invasionibus hujusmodi penitus desisteret, moneri feceramus, quosdam ad nos destinaverit oratores seu nuntios; ex quorum relationibus non solum inter præfatum ducem, & dilectos filios Rectorem & Consilium dictæ Civitatis concordiam & pacem subsequi, sed etiam ejusdem ducis mortiferæ hæresis hujusmodi per eum depositis erroribus ad viam veritatis, fidei reductionem, sicque totalem dictæ hæresis de præfato regno eliminationem, ac extirpationem subsequi posse speremus &c. Nos constitutionem, deputationem, concessionem, ac confirmationem, ac omnia alia & singula tam in nostris, quam in prædecessoris litteris prædictis contenta, harum serie approbantes, & viribus subsistere decernentes, illasque ad provinciam Ragusinam, & civitates & diœc. prædictas, & ipsarum quamlibet extendentes, te legatum missum in illis cum potestate legati de latere usque ad nostrum, & dictæ Sedis beneplacitum, auctoritate apostolica facimus, constituimus, & deputamus, ut inibi omnia & singula geras, ordines, & disponas, quæ ad illarum partium, necnon Ducis, Rectoris, & Consilii prædictorum pacem & concordiam expedire cognoveris, & sicut tibi Dominus ministrabit. Et ipsuper cum summopere desideremus Ducem, Rectorem, & Consilium prædictos, si fieri poterit, ad pacem & concordiam reduci, alioquin absque judiciorum strepitu in præmissis justitiam habenti ministrari, fraternitati tuæ partes ipsas ad pacem & concordiam reducendi, seu auditis hinc inde per utramque partium prædictarum*

Thomæ Phariensis Episcopi legatio in Provincia Ragusina.

Digitized by Google

rum propoſitis, etiam ſummarie ſimiliter, & de plano ſine ſtrepitu & figura judicii ſola facti veritate inſpecta, quod juſtum fuerit appellatione remota, decernendi, & quæ decreveris per cenſuram eccleſiaſticam, & alia juris remedia prout opportunum fuerit, obſervari faciendi: nec non ſuper hujuſmodi, ac univerſis, & ſingulis aliis negotiis, hæreſis extirpationem, & alia fidei negotia, pacem quoque & concordiam ac tranquillitatem tum dicti Ducis & aliorum incolarum præfati regni, quam Rectoris & Conſilii civitatis & diœceſis prædictorum illorumque ſtatuum concernentibus, prout tibi expediens videbitur, agendi &c. Non obſtantibus &c. Dat. Romæ apud S. Petrum An. Incarn. Dominicæ 1452. Kal. Julii, Pontific. noſtri anno ſexto. Pacem deinde conſecutam eſſe teſtatur Orbinus, ſed aliam ob cauſſam, quia nimirum Turcæ Imperatoris, & Ladislavi Hungariæ Regis minis perterritus fuerat Stephanus, quorum Principum opem ſibi adverſus Stephanum Raguſienſes adſciverant.

Alia Jacobi geſta.

Interea Jacobus Archiepiſcopus cum animadverteret, reditus menſæ Archiepiſcopalis, qui ſexcentis florenis æſtimari ſolebant, valde diminutos eſſe, propterea quod ſuperiores Archiepiſcopi, præſertim qui ex Ordine S. Franciſci aſſumpti fuerant, tum proventus ex *Quarta Funerum*, tum alia ejuſmodi emolumenta abalienaverant, atque in commodum utilitatemque Fratrum Cœnobii Franciſcani Raguſini tranſtulerant, ſupplicibus litteris ab Nicolao V. petiit, impetravitque, ut juberet, quæ menſæ Archiepiſcopali detracta fuerant, reſtitui. Sed poſtea idem Pontifex, cum ex idoneis auctoribus cognoviſſet, bonos illos Patres, quidquid ſibi ex illis emolumentis proveniebat, in pios uſus impendere, ac potiſſimum in ſublevandam egeſtatem Chriſtianorum, quos Turcæ tyrannico dominatu oppreſſos tenebant, quod juſſerat, revocavit; & quæ illi de juribus ac reditibus Archiepiſcopalibus ex donatione priorum Antiſtitum acquiſierant, iiſdem ut redderentur, alteris ſuis litteris imperavit datis XVII. Calen. Maji an. 1452. (Reg. Secr. Nicol. V. Tomo XIV. pag. 230.) Haſce litteras ex Cod. ms. Monument. Raguſien. hic exhibeo.

Nicolai V. litteræ.

Nicolaus Epiſcopus Servus Servorum Dei ad futuram rei memoriam. Intenta ſalutis operibus Rom. Pontificis circumſpecta benignitas indulta ſibi deſuper plenitudine poteſtatis juxta commiſſam ſibi a Domino diſpenſationem, ſingulis rebus gerendis ſic utiliter & opportune providere affectat, quod per ſuæ operationis miniſterium, quæ interdum a Sede Apoſtolica ad importunam aliquorum inſtantiam emanarunt, Pauperum & miſerabilium perſonarum neceſſitate, ac publica utilitate ſuadentibus, reformet in melius, & ad ſtatum debitum conſulte reducat, ſicut pro perſonarum, locorum, & temporum qualitate penſata id conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem pro parte Ven. Fratris noſtri Jacobi Archiepiſcopi Raguſin. nobis expoſito, quod fructus, redditus, & proventus menſæ Archiepiſcopalis Eccleſiæ Raguſinæ, qui communiter ad ſexcentos florenos auri de Camera annuatim, ut aſſerebat, aſcendebant, quorundam Prædeceſſorum ſuorum Archiepiſcoporum Raguſin. qui ut plurimum Ordinis Fratrum Minorum Profeſſores fuerant, quique Eccleſiæ prædictæ jura tueri non curantes, in quarta Parochiali ſibi debita a Conventualibus Raguſinis, & aliarum prope Civitatem Raguſinam ad duo milliaria Domorum ejuſdem Ordinis Fratribus defraudari permiſerant, incuria, ſeu negligentia adeo tenues facti erant & exigui, quod ex eis ipſe Jacobus Archiepiſcopus dignitatis hujuſmodi, quæ incumbebant, onera ſupportare commode non poterat, quodque a certo tempore tunc antea decurſo, præfata Domus per quoſdam Fratres dicti Ordinis Regularis Obſervantiæ reformata extiterat, qui intendentes re & nomine inpuritate & obſervantia juxta eorum regulam vivere, quamplurima bona immobilia, cenſus, & redditus olim per Fratres Conventuales domorum earumdem percipi ſolita, realiter dimiſerant; ac ſubjuncto Nobis, quod ſi bona, cenſus & redditus hujuſmodi ad ſummam quingentorum, vel circa Florenorum ſimilium annuatim aſcendentia, quæ tunc per dilectos Filios tres Nobiles Viros Raguſinos Theſaurarios nuncupatos, qui ex quadam lege Municipali dictæ Civitatis potius de facto, quam de jure ad executionem Teſtamentorum, & quorumcumque aliorum piorum legatorum, non ſine præjudicio juriſdictionis Archiepiſcopalis, ac ipſarum animarum ſalute adminiſtrantur, præfatæ Menſæ perpetuo concederentur, appropriarentur, & aſſignarentur, non modicum exinde dictus Archiepiſcopus ſuſciperet relevamen. Nos tunc Venerabilibus Fratribus noſtris Verardo Spoletano in Rom. Curia reſidenti, & eorum propriis nominibus non expreſſis Curzulen. & Dulcinen. Epiſcopis aliis noſtris litteris dedimus in mandatis, quod ipſi, vel duo; aut unus eorum, ſi, & poſtquam vocatis dictis Fratribus, nec non aliis, qui forent evocandi, eis de præmiſſis legitime conſtitiſſet, omnia, & ſingula bona, cenſus, & redditus, in quibuſcumque Terris conſiſterent, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis præfatæ Menſæ, tanquam bona Romanæ Eccleſiæ, perpetuo donare, aſſignare, & applicare auctoritate noſtra curarent, prout in dictis litteris plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte Communitatis ac Civium dictæ Civitatis petitio continebat, bona, cenſus, & redditus hujuſmodi per Theſaurarios prædictos, ac dilectos Filios procuratores dictæ domus S. Franciſci a decem annis citra diligenter cuſtodita, & gubernata, ac ex eis provenientes redditus in reparatione Eccleſiæ, & dictæ Domus, ac ornamentorum, librorum, & aliorum ad uſum Fratrum eorumdem, commoditate & utilitate ac alias in pias cauſas expoſita, & converſa fuerint, prout etiam perutiliter, & opportune exponuntur, & diſtribuuntur ad præſens, & ex illis nedum Fratribus dictæ Domus, qui ſeptuaginta, vel circa numero exiſtunt, verum etiam & aliis circumſtantium Monaſteriorum, & Domorum tam ejuſdem, quam aliorum Ordinum Fratribus, & Religioſis pauperibus & egenis, qui ab Infidelibus in illis partibus degentibus aliquod ſubſidium, ſive eleemoſynam non percipiunt, ſubvenire, eiſque vitæ neceſſaria, quæ aliunde, quam ex dicta Civitate mendicare nequeunt, miniſtrare oporteat, pro parte Communitatis, & Civium prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut attentis prædictis, ne tam pia, ac laudabilia opera depereant, ipſique Religioſi fruſtrati ſubſidio hujuſmodi, indigentiæ opprimantur incommodis, donationem, aſſignationem, & applicationem, ac litteras prædictas revocare, caſſare, & annullare, ac nullius roboris vel momenti fuiſſe & eſſe

Digitized by Google

esse decernere, ipsas quoque possessiones, bona, census, & redditus per Thesaurarios & Procuratores in usus hujusmodi pios distribuenda gubernari, & erogari debere, committere, & mandare de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur expressis, & certis aliis rationabilibus nobis expositis causis, quas præsentibus haberi volumus pro expressis, hujusmodi supplicationibus inclinati, donationem, assignationem, applicationem, & litteras desuper confectas, ac quæcunque inde secuta auctoritate Apostolica ex certa scientia revocamus, cassamus, & annullamus, ac pro cassis, nullis & infectis haberi volumus & mandamus. Statuentes, quod ex nunc in antea perpetuis futuris temporibus bona, census, & redditus præfata per Thesaurarios, & Procuratores memoratos gubernari, eorumque redditus & proventus in hujusmodi ac alios pios usus, prout hactenus consuevit, converti, distribui, & erogari debeant penitus, & omnino, non obstantibus omnibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo hominum liceat &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLII. XVII. Kal. Maji Pontificatus nostri anno VI. Christophorus de Puteo, Petrus de Aoxeto. Ugolinus.

Cum hoc anno 1452. Peklinense S. Michaelis sacerdotium, sive Abbatia, ut vocant, quæ *Commendæ* titulo regebatur, *Commendatario* Antistite vidua esset, hanc ad se deferri, sibique possidendam tradi Jacobus Archiepiscopus postulavit; sed obstiterunt Ragusienses, in primis familia Tudisia, quæ juspatronatus sibi in sacerdotium illud vindicabat. Quare ob repulsam graviter indignatus Ragusio discessit; nec illis postea pollicitationibus, nullis obsequii aut humanitatis officiis, blanditiisve adduci unquam potuit, ut ad suam Ecclesiam reverteretur, quam tamen per Vicarios sedula, vigilantique cura gubernare non desiit. Itaque anno 1453. Romæ cum esset, Nicolaus Pontifex ei legationem Constantinopolitanam, & Præfecturam pontificiæ classis demandavit. Cum enim fama perlatum esset, obsidionem & exitium Constantinopoli a Mahumete Rege Turcarum imminere, Pontifex Græcorum, totiusque Christianæ reipublicæ vicem sollicitus, tum omnes Reges & Principes ad ferendum Imperio Orientis laboranti auxilium per suos nuncios & litteras excitavit, tum vero ipse classem quam potuit maximam instruxit, & Constantino Palæologo postremo Græcorum Imperatori subsidio misit. Jacobum Ragusinum Archiepiscopum classi præesse jussit, simulque Legatum Sedis Apostolicæ ad eumdem Imperatorem declaravit. Huic autem in primis id mandatum dedit, ut oras insulasque omnes Jonii & Ægei maris peragraret, & populos illos, eorumque Dynastas, præsertim Januenses, qui Chrysoceram seu Peram, & alia loca obtinebant, ad suppetias urbi periclitanti ferendas sollicitaret, urgeretque. Extat Pontificis epistola ad Jacobum in hæc verba.*

Aliæ ejusdem ad Jacobum Archiep. pontificiæ classi præfectum.

Venerabili fratri Jacobo Archiepiscopo Ragusino, in Civitate Constantinopolitana, ac aliis Civitatibus, necnon Provinciis, Insulis, Terris, & locis tam charissimo in Christo filio nostro Constantino Romæorum Imperatori, quam dilectis filiis nobilibus ejus fratribus, ac Duci & Communitati Januensi in partibus Græciæ subjectis Apostolicæ Sedis Legato Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Divina disponente Clementia &c. Cum ergo quod non absque mentis amaritudine referendum est, intellexerimus perfidos Teucros tam per terram, quam per mare cum magno exercitu & classe velle obsidere & expugnare Civitatem Constantinopolitanam, & deinde alias Græciæ partes fidelium invadere, nos ad illorum conatibus, quantum nobis permittitur obviandum, & ad partes illas ituris, & aliorum Fidelium præsidiis defendendas, cum certam classem juxta facultatis nostræ possibilitatem parari procuraverimus, matura super hoc deliberatione præhabita, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio & prudentia, & doctrina præditum, in rebus agendis expertum, & in nostris & Romanæ Ecclesiæ pluribus negotiis laudabiliter versatum, ab Altissimo quamplurimarum virtutum aliarum dono insignitum, nostrum, & Sedis Apostolicæ Legatum, & cum potestate Legati de Latere ad præfatas Civitates, Provincias, insulas, terras, & loca, tanquam bonum Fidei propugnatorem destinamus; ut confisus in eo, cujus est opem ferre indigentibus, classi nostræ præsis, & ad civitatum & partium præfatarum loca accedens, omnium & singulorum tam Principum, quam Populorum, & singularum personarum pro defensione Græcorum præfatorum auxilia implores, & singula agas, facias, disponas quæ tibi pro defensione, tuitione, & statu civitatum, provinciarum, insularum, & partium præfatarum adversus Teucrorum potentiam & insultus tibi videbuntur quomodolibet expedire &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1453. IV. Cal. May, Pontificatus nostri anno VII.

Sed tarda & sera nimis hæc Legatio fuit; & spem omnem auxiliorum celeritas ac festinatio Mahometis præcidit. Jam enim eodem anno, ab die secunda Aprilis Constantinopolim terra marique obsidebat, & vehementissime oppugnabat. Classis autem Pontificia vix in altum provecta erat, vel nondum fortassis e portu solverat, cum de urbe capta IV. Kalendas Junii, fœdeque direpta tristes nuncii venerunt. Ita totus ille Pontificius apparatus ad nihilum recidit. Constantino Imperatore interfecto, Rex barbarus ingentes nobilitatis & vulgi cædes edidit, ac Sedem Imperii Turcici Constantinopolim transtulit. Tunc potissimum hospitalitas, charitas, beneficentia Ragusiensium explenduit. Cum enim multi ex Imperatoria stirpe, veluti Comneni, Lascarii, Palæologi, Cantecusini, & alii, ut est apud Luccarum, ex hostium manibus & ferro, celeri fuga elapsi, vagi, egentes, rebus omnibus spoliati, Ragusium confugissent, Senatus non solum perhumaniter accepit, sed ex tanta calamitate lauto & magnifico hospitio recreavit, vestibus pretiosis donavit, pro eo ac talium virorum nobilitas postulabat; illorum egestati, quibuscumque indigebant rebus, subvenit, ac demum liberali viatico instructos dimisit quocumque fors illos, & spes afflictæ fortunæ subleyandæ tulisset. Litteratissimis etiam Viris, & nobile genere ortis, veluti Joanni Lascaro, Demetrio Calcondilæ, Marsilio Marulo, Paullo Tarcagnotæ, & pluribus aliis, quos eadem tempestas alio atque alio dispulerat, cum Ragusium venissent, eadem humanitatis officia Ragusienses præstiterunt.

Ragusiensium erga viros principes, Constantinopoli amissa, profugos, hospitalitas & liberalitas.

Ni-

Digitized by Google

Nicolaus ex amissa Constantinopoli mœrore incredibili affectus, ut Sedem Imperii Græci recuperaret, Turcarumque, in exitium Christiani orbis insana rabie & cupiditate imminentium, progressus arceret, ac repelleret, nihil studii operæque prætermittebat, Christianis Regibus ac populis per suos Internuncios sollicitandis ad sacrum fœdus inter se jungendum, Sed quæ tunc inter eos fervebat discordia, hortationes omnes conatusque optimi Pontificis eluſit. Nicolao in ipso apparatu & meditatione Turcici belli extincto, Callistus III. æque in Sedem Pontificiam atque in eamdem sollicitudinem curamque successit anno 1455. & susceptο Pontificatu, nihil prius sibi faciendum censuit, quam ut Legatos in omnes Europæ partes quaquaversum dimitteret ad subsidia undique in sacram expeditionem contrahenda, Jacobum Archiepiscopum eodem anno 1455. iterum Præfectum classis Pontificiæ designavit, (Tom. 5. Bull. Call. III. p. 190., & Tom. 30. pag. 70.) F. Marianum de Senis ex Ordine Francisceano, virum eximiæ fidei ac solertiæ ad Dalmatas misit, nominatim vero ad Ragusinos, cum litteris ad eosdem, in quibus suam erga illos egregiam voluntatem, & præclaram de illorum pietate, & munificentia opinionem declarat. Hæc Vadingus ad annum 1457. *Mandat*, inquit, *ut in Provinciam Dalmatiæ, & præcipue ad Civitatem Ragusii debeat personaliter se conferre, atque satagere, ut omnes aut pecunia, aut personali subsidio bellum sacrum in Turcas parandum adjuvent ..... Ragusinis direxit suum Breve super collectionis negotio, in quo exposuit quam haberet de Ragusinis specialem spem & opinionem pietatis. Ragusii constitutus est collectarum pecuniarum custos ab ipso Papa Martinus Clarini Mercator Florentinus.* Nec vero pietas, & liberalitas Ragusæorum opinionem ac spem Pontificis fefellit. Nam tum Senatus & populus, tum Clerus, Patritii & cives, pro sua quisque facultate, aurum, argentum, æs, aliaque subsidia in pium opus large & copiose contulerant. Quæ liberalitas Ragusiensium eo majori laude digna fuit, quod ea tempestate fœda Ragusii grassabatur lues, quæ anno superiori 1456, cum merçibus infectis illata, menses fere duos & viginti tenuit, ut Razzius tradit; & contagione vulgata, ex ordine patritio quinquaginta, ex plebe quingentos absumpsit; graviorem que in dies minitabatur Civitati eladem. Nec vero terror mortis instantis Ragusinos retardavit, quominus prompte atque alacriter Christianæ Reipublicæ periclitanti, quibus quisque poterat, opibus & auxiliis subvenirent. Cæterum statim atque Templum Deiparæ Virginis supplices adiissent, depulso divinitus morbo, pristina Civitati sanitas reddi cœpta. Cum anno 1458. Antonius Venereus Jacobi frater supremum diem obiisset, is in tabulis testamenti eodem anno confectis, & die Novembris octava arbitrium dedit Jacobo, ut pro sua sententia dissidium tolleret, quod inter ejus, & Jacobi Condulmerii filios intercedebat: quo tempore Jacobus certe in Italia commorabatur. His temporibus insignes Divorum reliquias Turcarum impietati, & sacrilegiis præreptas, Ragusium delatas, & in Sacrario Basilicæ Cathedralis reconditas fuisse invenio. Joannes Cerva Patritius, qui apud Thomam Palæologum illustrem in Peloponneso Despotam, nomine missuque Senatus legationem obierat, Caput S. Andreæ Apostoli, quidam Abbas Græcus dexteram S. Joannis Chrysostomi, itemq. dexteram S. Joannis Eleemosynarii, Georgius Crespus civis Ragusinus Brachium S. Blasii detulerunt. Huic ad Urbem appropinquanti Rector, Senatus, Clerus populusque solemni supplicatione obviam processit, & sacrosanctum illud Patroni sui pignus summa veneratione lætitiaque exceptum, in argenteam lipsanothecam pondere atque opere egregiam inclusit. Hæc Joannes Gundula. Ad Caput S. Andreæ quod attinet, rem aliter narravit Jacobus Luccarus lib. 3. Annalium; ait quippe ipsum Thomam e gente Palæologa, fratrem Constantini, postremi Græcorum Imperatoris, Ducem Magnesiæ, quæ regio est Asiæ minoris, Principatu amisso, Ragusium veniſſe, & summo honore, pro viri dignitate, acceptum, lauteque tractatum esse. Caput vero S. Andreæ, quod secum afferebat, Romam ad Pium II. Pontif. Max. detulisse. De Capite ejusdem Sanctissimi Apostoli Romam delato idem tradit Odoricus Raynaldus ad annum 1462. & Pio II. donatum fuisse ait ab eodem Thoma, quem ipse Dynastam Peloponnesium vocat. Annus 1460. Jacobo Archiepiscopo vivendi finem attulit; quem Ragusii diem supremum obiisse, & honorifice tumulatum esse scriptum reliquit Seraphinus Razzius; sed falso; neque enim Jacobus Ragusium post rediit, quam de Peklinensi sacerdotio repulsam tulerat a Ragusinis; & Romæ diem supremum obiit. Eodem quippe anno 1460. IV. Non. Septembris Pius II. Jacobo testamenti condendi potestatem fecit, & ex alteris ejusdem Pontificis litteris eodem anno dieque datis constat, eum mortuum fuisse; quippe in his Dignitatem Archipresbyteralem approbavit, quam Canonici ad augendum decorem ornatumque Capituli instituerant *de consensu bo. mem. Jacobi Archiepiscopi; & Rui.... nem de Saracha* primum Archipresbyterum ab eis electum confirmavit. Verba illa *bo: mem: Jacobi Archiepiscopi* satis declarant eum jam vita functum fuisse: hæc ex Pii II. Reg. Tomo XI. pag. 46. Eodem igitur die, qui fuit ante Nonas Septembris, cum a morte propius abesset, & testamentum fecit ex facultate, quam petierat, sibi a Pontifice tradita, & paullo post animam efflavit.

Callisti III. Litteræ ad Ragusinos.

Pestis Ragusina voto Deiparæ Templo depulsa.

Sacræ Reliquiæ Turcarum sacrilegiis præreptæ, & Ragusium delatæ.

Obitus Jacobi an. 1460.

Hæredes habuit Venerium, & Matthæum Flaviani fratris filios, & Joannem, eum fortasse, qui ex Venerio genitus Ragusinæ & ipse præfuit Ecclesiæ: id ex tabulis comperio a Jacobo Jannio scriba Rhecinetensi confectis pridie Cal. Februarii anni 1461. in hæc verba. *Spectabiles viri D. Venerius, & Joannes, & Matthæus de Veneriis de Recaneto eorum nomine, & tamquam hæredes sel. record. Reverendissimi in Christo P. & DD. Jacobi de Veneriis de Recaneto, Dei, & Apost. Sedis gratia, olim Archiepiscopi Ragusini, fecerunt quietationem Ven. Viro D. Christophoro Antonii Can. Recanaten. de omni eo toto, qualiter præfati petere possent occasione administrationis gestæ per ipsum, tam de bonis Archiepiscopatus, quam de bonis in Civitate Recanatens. seu quacumque alia occasione.* Rhecineti in Ecclesia Mariana a Castro novo dicta visitur sepulcrum marmoreum, in primis nobile, quod Jacobus erigi jussit Flaviano, & Matthæo fratribus, eorumque posteris, hac epigraphe insculpta Gothico charactere:

Digitized by Google

re: *Flaviano, & Matthæo Colucii filiis de Veneriis de Recineto Viris clarissimis, Rev. in Christo Pater DD. Jacobus miseratione Divina Archiepisc. Ragusinus, & Decretorum Doctor DD. Fratribus suis dilectissimis, & eorum Posteris Sepulcrum dedit anno Domini MCCCCXXXXV.* Hæc ex Calcaneo.

His temporibus floruit in Congregatione Dominicana Ragusiensi F. Joannes Olearicus, vir eximiæ doctrinæ & sanctitatis, idemque egregius concionator, & catholicæ religionis tuendæ ac propagandæ studiosissimus. Huic petenti ac postulanti Nicolaus V. expeditionem Apostolicam Bosnensem mandavit; ea quippe regio tum propter hæreticos Patarenos, quorum erat referta, tum propter finitimos Turcas, sub quorum tyrannidem haud multis post annis miserandum in modum cecidit, in maximo fidei prorsus amittendæ periculo versabatur, & paucitate Operarum Evangelicarum laborabat. Itaque Pontifex Joannem summa rerum gerendarum potestate impertitum, & amplissimis privilegiis instructum cum selecta Fratrum ejusdem Ordinis manu in Bosnam Catholicorum subsidio proficisci jussit. Extat epistola Pontificis ad eum his verbis scripta.

Nicolai V. P. Litteræ ad F. Joannem Olearicum.

Nicolaus Episcopus Servus Servorum Dei dilecto Filio Jo. de Ragusio Ord. Prædic. Professori Salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad hoc nos prætulit ejus Domui benignissima clementia Salvatoris, ut ad messem suam, ubicumque illa voluerit, colligendam, ac acquirendam, animas scilicet illorum, qui propinquiores barbaris infidelibus, in majora ac quotidiana discrimina, nisi in Catholica fide instruantur, verisimiliter sunt casuri, seminatores Verbi Dei transmittere, & alia opportuna remedia adhibere indefessa sollicitudine studeamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod in provincia Bosnæ, sive Serviæ pauci Religiosi, ac viri Ecclesiastici existunt, qui Verbum Dei habitatoribus & incolis ejusdem provinciæ prædicent, ob quorum defectum incolæ & habitatores prædicti, qui infidelibus sunt vicini, in fide Catholica non instruuntur, & inibi fides ipsa cum animarum damnatione quotidie minuitur. Unde tu pia consideratione motus una cum nonnullis Fratribus Ord. Frat. Præd. Professoribus ad augmentum fidei Orthodoxæ, & pro salute incolarum & habitatorum prædictorum ad præfatam provinciam & partes illas personaliter accedere, & ibidem Verbum Dei prædicare ac aliquas Domos dicti Ordinis de novo erigi, construi, & ædificari facere ferventer exoptas, dummodo tibi, & iisdem Fratribus super hoc per Sedem Apostolicam licentia concedatur. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum, ut Tibi, & Fratribus prædictis licentiam hujusmodi concedere, aliasque in præmissis opportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Catholicæ fidei incrementum, & animarum salutem supremis affectibus desideramus, hujusmodi supplicationibus inclinati, Tibi, ut petita, & obtenta a Generali ejusdem Ordinis, seu ejus Vicario licentia, una cum aliquibus Fratribus ejusdem Ordinis in lege Domini eruditis, & ad hæc sufficientibus, & voluntariis ad præfatam Provinciam accedendi, & quoties tibi videbitur, alios ipsius Ordinis professos recipiendi ac inibi Verbum Dei prædicandi, & annunciandi, necnon Christifidelium omnium in eadem Provincia commorantium, quoties opportunum fuerit, confessiones per se vel dictos Fratres audiendi, ac pro commissis juxta delictorum & criminum per eos commissorum qualitatem & exigentiam, etiam si Sedes Apostolica super his consulenda esset, debitam absolutionem impendendi, ac pœnitentiam salutarem injungendi, & ad fidem Catholicam venientes cum cerimoniis consuetis baptizandi, omniaque alia Sacramenta fidelibus Christi, & baptizatis hujusmodi ministrandi, necnon conventus & domos dicti Ordinis de consensu & concessione Domini temporalis illius Patriæ, in Civitatibus, Oppidis, & locis ad id aptis & accommodatis, & per ipsum Dominum Tibi assignandis, construendi, & ædificandi, seu construi, erigi, & ædificari faciendi, & illas pro usu & habitatione Fratrum dicti Ordinis recipiendi, ac omnia, & singula, quæ Rectores Parochialium Ecclesiarum de jure vel consuetudine facere possent faciendi, disponendi, & exequendi plenam & liberam licentiam tenore præsentium elargimur. Non obstantibus fel. mem. Bonifacii PP. VIII. prædecessoris Nostri prohibitione, ne Fratres Ordinis Mendicantium in quaecumque Civitate, Castro, Villa, vel loco, ad inhabitandum de novo recipi seu atenus recepturi mutare præsumant absque Sedis prædictæ licentia speciali, faciente plenam & expressam de prohibitione hujusmodi mentione, & aliis Apostolicis Constitutionibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCDL. tertio Idus Martii, Pontificatus Nostri anno quarto.

FRANCISCUS ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS XLIV.

Petro Capio, sive Lapio parente, Senis ortus est, ut tradit Ugurgierus in *Pompis Senensibus*, quem alii Campanum cognominant; utraque familia inter Senenses nobilissima, & aliquo forte affinitatis, aut hereditatis titulo alterutra ab altera aliud sibi cognomen adjunxit. Ordinem Servorum B. Mariæ Virginis ingressus provinciam Etruriæ gubernavit anno 1446. & anno 1459. ad supremam totius Ordinis Præfecturam Vicarii Generalis titulo electus fuit a Pio II. Pontifice. De Francisco multa & præclara Giannius Centuria 3. lib. 2. cap. 8. aliique Scriptores, & Historici ejusdem Ordinis. Fuit eximius Orator, Philosophus, Theologus, ut testatur Landrophilus in Oratione, quam de Viris illustribus ejusdem Ordinis habuit anno 1500. Erat illi non solum patria communis, sed etiam affinitas cum nobilissima familia Piccolominea, & Pio II. Pontifice, qui Francisco non tam propter cognationem, quam ob ejus egregias virtutes, & excellentem doctrinam Archiepiscopatum Ragusinum contulit anno 1460., ut ei ad sublimiores dignitates viam muniret; quippe quem in Collegium Cardinalium cooptare decreverat, ut docent monumenta, quæ asservantur in Tabulario Monasterii Senensis Servorum B. M. V. *Vacante in Illyrico Ecclesia Epidauri Pius II. prædictum F. Franciscum concivem & affinem suum illa Archiepiscopali infula donavit, ex qua deinceps illum ad Cardinalatum promoveret.* Ab interitu Jacobi vix septimus dies intercesserat, cum Pius II. Franciscum creavit Archiepiscopum Ragusinum, ut constat ex diplomate ejusdem Pontificis Senis confecto v. Id. Septemb. anno 3. ideſt 1460. (Tom. 7. Obl. pag. 191.) non ve-

Franciscus Archiep. anno 1460.

Digitized by Google

vero 1453. ut perhibet Franciscus Maletius in Monumentis Senensibus. Episcopali consecratione suscepta, & pallio donatus Venetias adiit anno sequenti, & hospitio acceptus a Fratribus sui Ordinis in ea civitate dies aliquot transegit, ut memoriæ caussa scriptum reperi in Ephemeride accepti & expensi, quæ in Tabulario Cœnobii Veneti Servorum asservatur: *Anno 1461. mense Aprili in hoc Monasterio apud nos hospitatus est F. Franciscus Campanus ex Ordine Servorum Mariæ, Archiepiscopus Ragusinus.*

Cœnobium Lacromense reformat.

Cum Ragusium venisset, reperit epistolam Pontificiam sibi inscriptam, & Romæ datam postridie Idus Februarii anno 1461. quæ illi potestatem delegabat, munusque injungebat Cœnobii Lacromensis lustrandi, ac reformandi; siquidem de collapsa monachali disciplina, & quid requireret remedii, Rector & Senatus Ragusiensis Pontificem admonuerant, atque illud in pristinum statum ut restitueret, Pontificiam auctoritatem exposcebant. Id negotii curæque Pontifex Francisco Archiepiscopo dedit. Hæc autem, de quibus admonitus & rogatus fuerat, potissimum & nominatim illi præscripsit; ut videlicet duobus viris religiosis secum adhibitis, omnia perlustraret, atque inspiceret; quidquid sive Præsides, sive Monachi delinquerent, omnino, & interposito etiam pœnarum metu corrigeret ac reformaret: Abbatis & Prioris Præfecturas spatio unius anni definiret, quo transacto alii duo suffragiis Capitularibus electi in locum utriusque succederent; normam regendi Monasterii, & monachalis institutionis ac disciplinæ colendæ peterent e Congregatione Patavina S. Justinæ, ad cujus exemplar tum suam administrationem, tum vitam monachorum exigerent; ne liceret Abbati de bonis stabilibus, & rebus pretiosis Monasterii quidquam alienare; demum quod Rector & Senatus cupiebant, Monasterium Lacromense ad Congregationem S. Justinæ aggregari juberet, illudque omni jurisdictione tum sæcularis, tum Archiepiscopalis dominatus exemptum esse declararet; nisi quod ad tempus Francisci Archiepiscopi, quoad viveret, potestati & correctioni subjectum esse Pontifex voluit. Erat tunc Cœnobiarcha Gregorius, qui supremam illam monasticam Præfecturam anno circiter 1440. sumptam adhuc gerebat. Hic ergo juxta leges supra descriptas eam deposuit, titulo Abbatis ab omni administratione vacuo retento; eique, dum viveret, ex bonis Monasterii annua pensio assignata fuit. Omnia, quæ Franciscus constituerat, & sanciverat, Pius II. confirmavit.

quod Congregationi Patavinæ S. Justinæ aggregatur.

Quod vero decreverat de aggregando Cœnobio Lacromensi ad Congregationem Patavinam S. Justinæ, id perfici non potuit ante annum sexagesimum sextum hujus sæculi, cum Abbates & Primores Congregationis Casinensis & S. Justinæ Mantuam ad Comitia generalia convenerunt. In eo conventu tum Senatus Ragusini, tum Monachorum Lacromensium nomine Patribus supplicatum fuit, vellent ac juberent, Cœnobium Lacromense ad Congregationem S. Justinæ annecti, cum eaque tamquam membra cum suo capite conjungi. De communi sententia visum est obsequi supplicantium voluntati; & quæ petebatur conjunctio, decreta est in has leges: ut Monachi Lacromenses cum omnibus suis bonis, immunitatibus, & privilegiis in jus societatemque Congregationis Justinianæ migrarent, sed sumptus omnes, quos in hanc conjunctionem; & diploma Pontificiæ approbationis fieri oporteret, contribuerentur ex ærario publico Civitatis: ut qui tunc Cœnobio præsidebat, omni Præfectura se abdicaret, retineret tamen, si liberet, titulum Abbatis cum annua pensione; ut curam excipiendi alendique pauperes in domo hospitali Cœnobio annexa, solitudini vitæque monasticæ incommodam, Monachi missam facerent, & reditus iisdem assignati ad proventus Monasterii augendos accederent; pauperibus vero hospitium & alimenta Commune Ragusiensium aliunde suppeditaret: ut siqui e Monachis Lacromensibus decretæ conjunctioni repugnarent, nollentque se ad leges Justinianæ Congregationis accommodare, Ragusiensibus curæ foret, ut in aliud Monasterium reciperentur, & ne illis ad victum cultumque necessaria deessent; in eorum vero locum antequam alii subirent, ædes, officinæ, dormitorium, triclinium, ac cetera, quæ reparatione indigerent, de publico reficerentur, & pro numero Monachorum laxarentur: ut tam Monachi quam eorum bona sive mobilia, sive immobilia, itemque cultores agrorum monachalium omni prorsus immunitate gauderent: ut ex proventibus monasticis, quod Monachis superfluit, divendi, & quidquid ad usus vitæ necessarios requiritur, tum in urbe, ac ditione Ragusina emi, tum foris asportari possit sine ulla pensitatione, vel levissimi vectigalis seu portorii: ut quicumque sive advenæ, sive indigenæ Monachi vitam religiosam in Lacromensi Cœnobio persequi & peragere voluerint, nemo impediat, quominus recipiantur: ut bona Cœnobii ab iniquis raptoribus detenta, vi publicæ potestatis adhibita, sine ulla lite & impensa recuperentur. Siquid æris alieni Monasterium ad eam diem contraxerit, vel contrahat, ejus dissolvendi onus in Congregationem S. Justinæ ne incumbat. Quidquid & quantumlibet rerum sive stabilium sive manentium aut emptione, aut jure testamentario, aut donatione acquisitum fuerit, liceat Monasterio retinere. Demum ne ulla civilis potestas, neve ullus Magistratus in ea, quæ pertinent ad regimen Monachorum, atque ad rerum temporalium administrationem, se inferat, atque intrudat. Hæc omnia in Comitiis generalibus Benedictinis Mantuæ anno 1466. IV. Kalendas Junias constituta, decreta, confirmata sunt, quæ P. D. Julianus Januensis Ragusium attulit, & cum in Consilio publico Civitatis exposuisset, ac declarasset, ab omnibus, nemine repugnante, recepta sunt, & approbata eodem anno v. Kal. Augusti. Paullus vero II. Pontif. Max. tum omnia, quæ Franciscus Archiepiscopus pro reformando Monasterio Lacromensi ante quinquennium decreverat & præscripserat, tum nuperrimam ejusdem Monasterii cum Congregatione S. Justinæ conjunctionem auctoritate Apostolica approbavit, & ipsum Monasterium in suam ac Sedis Apostolicæ clientelam recepit. Hic vero subjicere libet tum epistolam Pii II. ad Archiepiscopum Ragusinum, tum diploma Paulli II. itemque Senatus Ragusini, ex quibus, quæ a nobis modo exposita sunt, dilucidius & distinctius appareant.

Litteræ Pii II. ad Franciscum Archiep.

Pius Episcopus Serv. Servorum Dei Venerabili Fratri Francisco Archiepiscopo Ragusino Sal. & Apostol. Bened. Inter cætera, quibus ex suscepti regiminis onere nos vigilantius intendere conve-

Digitized by Google

nit hoc summ. . . . debemus, quod deformata quævis Monasteria reformationis debita nostris temporibus contingant remedium, ac eis de opportuna provisionis ope salubriter consulatur. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum Filior. Rectoris, & Consilii Civitatis Ragusin. petitio continebat, ipsi ex magna devotione, quam ad Ordinem Benedicti gerunt, magnopere desiderent, ut Monasterium S. Mariæ Lacromen. d. Ordinis Ragusin. Dioc. ad regularum observantiam reducatur, pro parte Rectoris, & Consilii prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut huic eorum pio desiderio paterna caritate annuere, ac ejusdem Monasterii statui super hoc opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, quibus Ecclesiarum, ac Monasteriorum omnium cura principaliter est superna dispositione commissa, cupientes in illis extirpatis sentibus novas propagines, quæ totam reddant vineam Domini fructuosam, plantare, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ, de qua in his, & aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta concedimus, & mandamus, quatenus ad præfatum Monasterium personaliter accedens, & habens præ oculis solum Deum, illud auctoritate nostra pro semel tantum adhibitis tecum duobus Religiosis ad hoc idoneis visites, corrigas, & reformes secundum juris dispositionem, ac ejusdem Ordinis & Sacr. Canonum instituta, tam in capite, quam in membris, nec non quæcumque alia circa ipsius, & personarum in eo degentium directionem, & reformationem exsequaris & facias quæ in eo reformationis & visitationis officio noveris indigere; & nihilominus eadem auctoritate statuas & decernas, quod de cætero in dicto Monasterio pro tempore degentes personæ sub regulari observantia dicti Ordinis vivere, ac per Abbatem & Priorem annualem per ipsius Monasterii conventum annis singulis eligendum juxta regularia instituta, ritus, mores, & consuetudinem Monachorum Congregationis S. Justinæ Paduanæ dicti Ordinis Monasterium ipsum regi & gubernari, ipseque Abbas seu prior suæ administrationis & officii anno completo in Capitulo per eum & Conventum prædictos in eodem Monasterio celebrando regimini & administrationi ejusdem Monasterii cedere, & alius idoneus ejus loco eligi, ac ad ipsius Monasterii regimen & administrationem assumi debeat, nullusque ex dicti Monasterii Abbate, seu Priore, qui erunt pro tempore, illius immobilia, seu pretiosa mobilia bona alienare valeat quoquomodo; Hospitale vero dicti Monasterii in suo statu remaneat: & in reliquis secundum antiquam consuetudinem in omnibus & per omnia dictum Monasterium gubernetur. Nos enim, si visitationem, correctionem, reformationem, & alia præmissa per te vigore præsentium fieri contigerit ut præfertur ad hoc, ut Abbas sive Prior, & Conventus prædicti eo quietius Altissimo famulari, & in observantia mandatorum Domini perseverare valeant, d. Monasterium una cum personis in eo pro tempore degentibus ad instar aliorum Monasteriorum Congregationis præfatæ ab omni jurisdictione, dominio, potestate, visitatione, correctione, & superioritate quorumcumque Ordinariorum, & aliorum Judicum eadem auctoritate eximimus, & perpetuo liberamus, ac illud tibi donec prædictæ Ecclesiæ præfueris, auctoritate Apostolica tenore præsentium subjicimus. Volumus autem, quod tu dilecto Filio Gregorio moderno Abbati d. Monasterii, si in illo sub hujusmodi observantia regulari remanere requieverit, pro ipsius sustentatione de proventibus d. Monasterii ita ut decenter se valent sustentare, prout discretioni tuæ videbitur, providere, & portionem congruam eadem auctoritate assignare procures. Et insuper eidem Gregorio Abbati, ut etiam post reformationem hujusmodi per te ut præfertur faciendam Abbas nuncupari, & pro Abbate ubilibet præterquam in d. Monasterio, seu illius regimine libere, ac licite possit, ac valeat se gerere, concedimus per præsentes. Non obstantibus tum fel. recor. Innocentii Papæ III. prædecessoris nostri, quam aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non statutis, & consuetudinibus Monasterii, & Ordinis prædictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incar. Domini Millesimo quadringentesimo sexagesimo primo, decimo septimo Kal. Martii Pontific. nostri anno quarto.

Loco † plumbi. S. Spada.

Diploma Paulli II.

Paulus Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam, Inter varias, quæ nobis ex officio pastorali censentur incumbere, curas illas libenter amplectimur & tenemus, per quas in Ecclesiis & Monasteriis quibuslibet devoto sollicitudinis studio benedicatur Altissimo, animarum quoque propagata salute, divinorum cultus cum religion..... continuum suscipiant incrementum, ac iis, quæ propterea provide processisse comperimus, ut perpetuo illibata persistant Apostolici munimine..... firmitatem. Olim siquidem felicis recordationis Pio PP. II. prædecessori nostro pro parte dilectorum Filiorum Rectoris, & Consilii Civitatis Ragusii exposito, quod ipsi ex magna devotione, quam ad Ordinem S. Benedicti gerebant, Monasterium S. Mariæ Lacromen. d. Ordinis Ragusin. Dioc. ad regularum observantiam reduci magnopere affectabant, idem prædecessor bonæ memoriæ Francisco Archiepiscopo Ragusin. per alias suas litteras dedit in mandatis, ut ad ipsum Monasterium personaliter accedens, & habens præ oculis solum Deum &c. Refert reliqua Bullæ Pii retro transcriptæ. Postmodum vero sicut exhibita nobis nuper pro parte D. Gregorii Abbatis, nec non Rectoris, & Consilii prædictorum petitio continebat, idem Archiepiscopus ad ipsarum litterarum executionem illarum forma servata duobus Religiosis idoneis secum adhibitis tunc procedens, Monasterium ipsum tam in capite, quam in membris visitavit, & reformavit, ac statuit, & decrevit quod regularis observantia hujusmodi in illo de cætero augeretur ut præfertur, & eidem Gregorio Abbati postquam ipsius Monasterii regimen in manibus ejusdem Archiepiscopi extra Romanam curiam sponte cesserat, pro ejus sustentatione certam pensionem annuam tunc expressam eadem auctoritate assignavit, atque omnia alia ac singula statuit & ordinavit juxta ipsarum continentiam litterarum. Demum vero pro erectione, & institutione regularis observantiæ, secundum ritus, & mores Monachorum Congregationis ejusdem in Monasterio antedicto, & illius conservatione, ac personarum in eo pro tempore degentium quiete, & pace, inter ipsos Rectorem, & Consilium, nec non dilectos filios præsidentes Congregationis ejusdem nonnulla Capitula unita & firmata fuere, in quibus

. . . . . inser.

inter cætera continetur, quemadmodum inter partes ipsas expresse conventum erat, quod hospitale prædictum totaliter supprimi, & extingui deberet, illiusque fructus, redditus, & proventus eidem Monasterio pro usu, & sustentatione personarum Congregationis ejusdem in illo pro tempore degentium applicarentur, & pauperibus in ipso hospitali degentibus aliunde juxta ipsorum necessitates per ipsos Rectorem, & Consilium provideri deberet; pro quorum omnium solliditate, & complemento postquam præmissa omnia reservato semper in præmissis omnibus nostro, & Apostolicæ Sedis beneplacito inter partes ipsas conventa, & conclusa, atque Rectoris, & Consilii prædictorum Capitula, & Conventiones hujusmodi sigillo munita extiterant, idem Gregorius Abbas cessioni suæ per eum, ut præmittitur, facta inhærendo, & illam ratificando pro potioris cautelæ suffragio iterum coram certis Notario publico, & testibus fidedignis extra d. Curiam sponte cessit, summque in præmissis quantum in se esset consensum præstitit iterato, prout in quibusdam instrumentis publicis desuper confectis, nec non Capitulis, sive Conventionibus antedictis dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio continebat, præmissa omnia in divinæ Majestatis honorem, & gloriam, divini cultus augmentum, reformationem ipsius Monasterii, & religionis propagationem cum salute animarum cedere dignoscantur, pro parte Abbatis, Rectoris & Consilii prædictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eisdem præmissis omnibus, & singulis pro eorum subsistentia firmiori robur Apostolicæ Confirmationis adjicere, ac alias super his opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Monasteriorum, & locorum regularium instaurationem & reformationem, ac in eo degentium personarum directionem, ac statum prosperum, & felicem cum ampliatione divinorum, & animarum salute intentis desideriis affectamus, hujusmodi supplicationibus inclinati cessionem, admissionem, assignationem pensionis, statutum, ordinationem, ac processum per eumdem Archiepiscopum habitum, Capitula quoque sive Conventiones prædicta, & prout illa concernunt alia sicut præmittitur gesta, rata habentes, & grata, illa auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Et nihilominus pro potiori robore præmissorum, cessionem prædictam denuo admittentes Monasterium prædictum, cujus fructuum, redditum, & proventuum verum valorem annuum præsentibus haberi volumus pro expressorum omnibus juribus, & pertinentiis suis Congregationi præd. per illius Monachos secundum ritus, mores, & institua prædicta tenendum, regendum & gubernandum perpetuo concedimus, & applicamus. Hospitale vero prædictum omnino supprimimus per præsentes, & quod liceat Monachis Congregationis ejusdem per se vel alium, seu alios corporalem possessionem Monasterii, jurium que & pertinentiarum ejusdem auctoritate propria libere apprehendere, & perpetuo retinere alicujus super hoc licentia minime requisita. Non obstantibus Constit. & Ordinat. Apostolicis, necnon statutis, & consuetudinibus Monasterii & Ordinis prædictorum, ac omnibus illis, quæ idem Prædecessor in dictis literis voluit non obstare ceterisque contrariis quibuscumque: volumus autem, quod pauperibus in d. hospitali degentibus de habitatione, & vitæ necessariis per Rectorem, & Consilium prædictos perpetuo provideri debeat, ut est moris, ac ipsi Abbati annis singulis persolvatur pensio antedicta; alioquin præsentes nullius sint roboris vel momenti. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ ratihabitionis, approbationis, confirmationis, conjunctionis, suppletionis, admissionis, concessionis, applicationis, suppressionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beat. P. & P. Ap. ejus se noverit incursurum. Dat. Romæ apud S. Marcum anno Incarnationis D. Mill. quadring. sexagesimo sexto, undecimo Kal. Sept. Pontif. nostri anno secundo.

Jo. de Tartatinis.

Capitula aggregationis Monasterii Lacromensis Congregationi Patavinæ S. Justinæ.

Infrascripta sunt Capitula, quibus Monasterium S. Mariæ de Lacroma Ragusin. Diœcesis incorporatum fuit cum Congregatione S. Justinæ de Padua Ordinis S. Benedicti.

In nomine D. Amen. An. 1466. die 19. Maji Infrascripta sunt Capitula facta, & ordinata per Patres Congregationis Monachor. de observantia S. Justinæ Ordinis S. Benedicti congregatorum in Capitulo Generali in Monasterio S. Bened. de Padolyrone Dioces. Mantuanæ confirmanda, approbanda, & executioni demandanda si & quantum videbitur per magnificum Regimen Communitatis, sive Civitatis Ragusii circa reformationem Monasterii S. Mariæ de Lacroma juxta, & prope d. Civitatem positi.

1. *In primis quod prædic. Monasterium S. M. de Lacroma Ragusien. Dioc. uniatur, & incorporetur prædictæ Congregationi S. Justinæ regendum, & gubernandum secundum mores, ritus, & consuetudines Congregationis ejusdem pleno jure, ac omnibus juribus, pertinentiis, jurisdictionibus, possessionibus, libertatibus, & immunitatibus tam a jure, personis, & locis Ecclesiasticis, quam etiam per Apostolica privilegia prædictæ Congregationi concessis.*

2. *Item, quod Bullæ d. annexionis, unionis, sive incorporationis impetrentur a Sede Apostolica nomine, & ad preces d. Regiminis sive Communitatis, atque sumptibus.*

3. *Item, quod modernus Abbas, si hactenus non renuntiavit, teneatur prius, & ante omnia renuntiare administrationi d. Monasterii pleno jure tam in temporalibus, quam in spiritualibus, reservatis tamen sibi, si ita videbitur, titulo, & condecenti pensione, ut sic d. Monasterium melius, & aptius per dictam Congregationem reformari & gubernari possit.*

4. *Item quod post præfati D. Abbatis cessum, vel decessum titulus, ac dignitas Abbatialis omnesque & singuli fructus, redditus, atque proventus præfato D. Abbati reservati ad Conventum d. Monasterii, & Monachos Congregationis præfatæ libere reserventur ac ipsi Monasterio pleno jure consolidati intelligantur.*

5. *Item quod Hospitale quoddam, quod in præfato Monasterio ad præsens reperitur, totaliter supprimatur, ac extinguatur; & redditus, fructus, ac proventus ipsius applicentur eidem Monasterio ad usum personarum d. Congregationis in eo degentium; pauperibus autem, seu personis ibidem ad præsens existentibus aliunde juxta eorum necessitates per d. Dominium provideatur, fiantque, & impetrentur dicta omnia ad preces supradicti Regiminis, seu Communitatis ac sumptibus.*

6. Item, quod ſi d. Monaſterium habet aliquos Monachos Profeſſos, vel ſtabilitos in d. Monaſterio, qui voluerint ſub regulari obſervantia, & ſub obedientia Congregationis in dicto Monaſterio, ſeu Congregatione ſecundum ejus mores, ritus, & inſtituta regularia vivere, procuret d. Communitas eis providere vel providere facere ita, & taliter, quod Monaſterium ex hoc nullatenus ſe ſentiat aggravatum. Et quoniam habitationum neceſſitas, & confuſio diſciplinæ regularis ordinem, & decorem magnopere perturbat, ac confundit, petunt, antequam illuc mittatur Conventus ordinarius, d. Monaſterium prius fabricetur, & officinis neceſſariis, ac opportunis tam pro habitatione dictorum Monachorum, quam etiam pro infirmis Fratribus, forenſibuſque ſuſcipiendis, ac recolligendis, rebuſque ac ſupellectilibus neceſſariis competenter fulciatur.

7. Item, quod d. Monaſterium tam in perſonis, quam in omnibus bonis mobilibus, & immobilibus, poſſeſſionibus, redditibus, & fructibus etiam pro rata colonorum gaudeat exemptionibus, libertatibus, & immunitatibus tam a jure ſtatutis, & conceſſis, quam etiam eidem Congregationi per Apoſtolica privilegia indultis, non obſtantibus quibuſcumque conſuetudinibus, ſtatutis, decretis, & ordinationibus a d. Communitate hactenus editis, vel in futurum edendis in contrarium facientibus.

8. Item quod d. Monaſterium poſſit quascumque neceſſaria pro uſu ſuo, & perſonarum in eo degentium, ac conſiſtentium, nec non & fabricæ Monaſterii, ac omnium ædificiorum ad ipſum Monaſterium ſpectantium, ac etiam in futurum ſpectandorum emere intra, vel extra dominium d. Civitatis, prope, ſive longe, ubicumque voluerit, & conducere, & conduci facere abſque aliquo impedimento, vel gravamine, & abſque ſolutione alicujus datii, gabellæ, portus, Doanæ, vel cujuſcumque alterius oneris quocumque nomine cenſeatur juxta, & ſecundum tenorem exemptionis, ac privilegiorum noſtræ Congregationis per Sedem Apoſtolicam conceſſorum. Non obſtantibus &c. ut ſuper &c.

9. Item quod d. Monaſterium, ſeu agentes pro eo poſſint libere vendere in parva vel magna quantitate vinum, oleum, frumentum, blada, & quoſcumque alios fructus recolligendos ſuper poſſeſſionibus d. Monaſterii abſque ſolutione alicujus datii, gabellæ, Doanæ, ſeu alterius cujuſcumque oneris impoſiti, vel imponendi quocumque nomine cenſeatur.

10. Item quod Patres, & Fratres d. Congregationis undecumque venientes poſſint libere recipi a Prælato, vel Superiore Monaſterii, quocumque tempore, abſque aliqua contradictione d. Communitatis, nec pretextu ſuſpicionis peſtis poſſint prohiberi.

11. Item quod omnia, & ſingula bona d. Monaſterii tam mobilia, quam immobilia, quæ hactenus tenta ac poſſeſſa fuerunt, vel quæ de præſenti tenentur, ac poſſidentur injuſte, illicite, ac indebite per quaſcumque perſonas, libere, & expedite ſine ſtrepitu, & figura judicii reſtituantur præfato Monaſterio de Lacroma; pro cujus rei executione teneatur d. Communitas omnem ſollicitudinem, & poſſibilem diligentiam facere, & quoſcumque favores poſſibiles præſtare, exhibere, & impartiri; & hoc ut omnis occaſio litigandi, & contendendi de medio tollatur, & amputetur.

12. Item quod quandocumque contingat vendi aliquid de juribus livellariis, amphiteoticis, cenſualibus, vel feudalibus d. Monaſterii, ſi & eo caſu, quo Monaſterium voluerit illud emere, habeat d. Monaſterium terminum trium menſium poſt proclamationem vel denunciationem hujuſmodi venditionis ad emendum, ſeu redimendum dictum jus.

13. Item attento quod redditus d. Monaſterii ad preſens valde tenues ſunt, & exigui tam pro ſuſtentatione conventus, quam pro reparatione etiam ipſius Monaſterii, ſi dictum Monaſterium, vel Communitas expendit vel expendidit aliquid in aliquibus Bullis vel litteris Apoſtolicis pro reformatione ejuſdem Monaſterii, vel etiam pro ſollicitando, quod dictum Monaſterium uniatur Congregationi uſque ad diem tradendæ poſſeſſionis, Monaſterium præfatum, ſeu dicta Congregatio nullatenus ad ejuſmodi expenſas teneatur, nec etiam ad debita aliunde contracta, uſque ad diem acceptationis.

14. Item quod præfatum Regimen, ſeu Communitas nullatenus ſe intromittat in diſpoſitione & gubernatione perſonarum, necnon & in adminiſtratione, & affectatione poſſeſſionum, & rerum temporalium dicti Monaſterii, ſed hæc omnia ſint in libera diſpoſitione Patrum regentium dictum Monaſterium, non obſtantibus conſuetudinibus, ſtatutis, & ordinationibus quibuſcumque in contrarium facientibus.

15. Item quod dictum Monaſterium poſſit libere acquirere quaſcumque res, & bona mobilia, vel immobilia relicta, legata, donata, vel ex quacumque alia cauſa ſeu titulo ſibi obvenientia, ac ipſis libere frui, ac gaudere in quibuſcumque locis, terris, & civitatibus dictæ Communitatis; non obſtantibus quibuſcumque ordinationibus, ſtatutis, reformationibus, & prohibitionibus d. Communitatis editis, vel edendis, factis vel faciendis in contrarium diſponentibus, vel facientibus.

Littere ſenatus Ragusini.

Nos Rector cum noſtro Conſilio, & Rogatorum viſis, lectis, & diligenter examinatis prædictis Capitulis nobis præſentatis per V. Patrem Dominum Julianum de Janua Oratorem RR. PP. DD. Præſidentis ac Definitorum, & totius Capituli Congregationis S. Juſtinæ de Padua Ordinis S. Benedicti, cognito effectu dd. Capitulorum, habito diligenti penſamento, ſervata ſolemnitate Conſiliorum noſtrorum, prædicta omnia Capitula, ac omnia, & ſingula, in eis, & quolibet eorum contenta, nomine Regiminis, & Communitatis Raguſii acceptamus, laudamus, comprobamus, contentamur, ratificamus, & penitus confirmamus, ac promittimus nomine Regiminis, & Communis Raguſii ipſi D. Juliano ibi præſenti, & nomine d. Congregationis ſtipulanti, & recipienti prædicta omnia, & ſingula Capitula, ac omnia & ſingula in eis contenta perpetuo firma, rata, & grata habere, manutenere, attendere, & obſervare, & attendi, manuteneri, & obſervari facere, & in aliquo non contraire, vel contrafacere, vel venire, vel attentare aliquo modo vel ingenio mundi. In quorum fidem, & teſtimonium præſentes fieri juſſimus, & regiſtrari, ſigillique noſtri conſueti munimine roborari. Datum Raguſii die 28. Julii 1466. Indictione 14.

Franciſci Archiepi obitus & elogium.

Franciſcum Archiepiſcopum anno 1465. peſte extinctum, ſepultumque in Æde Cathedrali tradunt ſchedæ Alexianæ apud Sebaſtianum Dolci; nec diſſentiunt Jacobus Luccarus, & Joannes

nes Gundula: Giannius vero in laudatis Annalibus cap. XI. obitum Franciſci rejecit in annum 1461. *His* inquit, *per Generalem peractis, infauſtum ex Illyrico nuncium defertur, M. Franciſcum Archiepiſcopum Raguſii vita defunctum eſſe. Quæ res tanto mœrore Generalem cum toto Ordine affecit, quanta jam de eo ſpes concepta fuiſſet, ut propediem ad Cardinalatum promoveretur &c. in ſecundâ Cardinalium creatione, quæ non multo poſt ſecuta fuit &c.* idque monumentis Cœnobii Senenſis, & Pocciantii Chronico confirmat Aloyſius Garbius in notis Giannio ſubjectis. Hinc mihi ſedet opinio, Franciſcum hunc ab alio Franciſco de Capitibus, ſive Capiteo eſſe diſtinguendum, quem Luccarus anno 1463. Raguſinum Antiſtitem creatum ſcribit. Itaque poſt menſem Aprilem anni 1461. quo anno & menſe adhuc erat Venetiis in Cœnobio ſui Ordinis, ut conſtat ex lib. *Exitus*, ſeu *expenſarum* ejuſdem Cœnobii, ubi tum hoſpes fuiſſe dicitur *D. Franciſcus Campanus Senenſis Ordinis Servorum Mariæ Archiepiſcopus Raguſinus*, cum is Raguſium appuliſſet, & magnam ſui exſpectationem in Raguſienſium animis excituſſet, eodem anno vita functus eſt: quem propterea Raguſini ut aliquo perennis honoris teſtimonio decorarent, ejus effigiem in Æde Cathedrali pingi voluerunt. Huic noſtræ opinioni Giannii favet auctoritas, qui nulla Franciſci geſta in Archiepiſcopatu commemorat, ſed ſpem ſolummodo innuit rerum ab eo gerendarum, quam Civitas Raguſina conceperat, & honorem depictæ imaginis ob eximiam ejus probitatem, vix ut ſenſerunt, maximi habitam eidem collatum: *P. Franciſcus in eo curandi gregis paſtorali munere quantam adhibuiſſet curam, quamque laudem & decus Epidauri aſſecutus fuiſſet, teſtatum voluerunt uſque ad hanc diem Raguſini cives, qui ejus imaginem in periſtylo Cathedralis Eccleſiæ ad perpetuam ſuæ probitatis memoriam egregie ponendam curarunt.* Sed & Cœnobii Senenſis Patres inſcriptum Eccleſiæ ſuæ monumentum Franciſco Archiepiſcopo poſuere, quo de illius obitu ſententia valde probatur; eſt enim hujuſmodi. *Reverendiſſimus Franciſcus Capius Senenſis Ord. Serv. Vicarius Apoſtolicus atque a SS. D. Pio PP. II. Archiepiſcopus Raguſæ conſecratus, cujus encomium Senenſis Reſpublica, Religio, Raguſæque Civitas ita comprobare videntur. Claruit* 1460. *Quod tamen*, ſubdit Garbius, *pluribus abhinc annis deſideratur, eo quod varias Eccleſia ſubierit vices.*

Franciſco *plurimum debet*, inquit Giannius, *Monaſterium Senarum, ejuſmodi graviſſimi & munificentiſſimi Præſulis bonis auctum, atque ditatum*: ex avito certe patrimonio prædia quædam teſtamento legavit duobus Cœnobii Ordinis Servorum, videlicet S. Martini, & S. Mariæ, quod Senenſe eſſe arbitramur. Paullus II. quod utrique Monaſterio relictum ac donatum fuit *a bo. mem. Franciſco Archiepiſcopo Raguſino*, ratum eſſe voluit, &auctoritate Apoſtolica approbavit. (Reg. Paulli II. Tomo 2. pag. 120.)

Monumentum Romæ poſitum a Franciſca fœmina Raguſina.

Ad Franciſci Archiepiſcopi ætatem pertinet ſepulcrale monumentum, quod Romæ viſitur in templo Deiparæ *de Populo* nuncupatæ, & a Franciſca femina Raguſina poſitum fuit humi Nicolao Machinenſi ejve Catharenſi, & Modruſiæ Epiſcopo, cujus erat, conſobrina. Equidem hujus lapidis verſiculi editi fuere in Tomo IV. Illyr. Sac. pag. 109., non tamen integra inſcriptio exhibetur, quam Petrus Aloyſius Gallethius vulgavit inter Inſcriptiones Venetas infimi ævi Romæ extantes, & typis Romæ excuſas; quare illam huc referre libuit, tum ut error, qui in Tomo IV. irrepſit, corrigatur, tum ut hujus feminæ inter Raguſinas pietate claræ, quippe tertio Ordini D. Franciſci obſtrictæ, & forte nobilitate etiam illuſtris memoria poſteritati ſervetur.

S. Mariæ de Populo.
Humi, Lapis ſæculi XV.
Deo Opt. Max.

Quem nullum latuit ſtudium, vis nulla loquendi,
Urna tegit celebrem quantula Nicoleum.
Hic meruit poſt te certas Hieronyme laudes,
Alter honos & ſpes Illyris ora tibi.
Occidit an vivit Præſul? Parca improba vivit;
Non timet ut rapias parva Modruſa decus.
Franciſſa (ſic) conſobrino B. M.
Tertii Ord. S. F. Raguſea F.

FRANCISCUS II. ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS XLV.

Franciſcus II. Archiep. anno 1462.

Cognomento de Capitibus, ſeu Capiteus, alter a Franciſco Capio, ſive Campano, quocum confundere illum videntur Scriptores quidam rerum Raguſienſium. Hujus Archiepiſcopatus initia a Luccaro referuntur ad annum 1463., ſed ad annum ſuperiorem potius revocanda ſunt.

Fama erat per hæc tempora ſatis illa quidem conſtans, ſed vagis adhuc incertiſque auctoribus, Mahumetem Regem Turcarum poſt Boſſinam anno 1463. ſubjugatam ad bellum Raguſinis inferendum ſpectare. Peropportune accidit, ut Sigiſmundus Malateſta Arimini Dynaſta, a Pontificiis copiis devictus, & expulſus, Raguſium confugeret, eo quidem animo, ut ad Mahometem ſe conferret, ejuſque arma in ſuum auxilium & perniciem Italiæ conſciſceret; quem Raguſienſes ab eo ſcelere dehortati apud ſe retinuerunt, curaruntque, ut victu, & ceteris rebus quam liberaliſſime, commodiſſimeque haberetur. Erat is inſignis architectus, & muniendarum arcium, atque omnium machinarum militarium peritiſſimus, eumque Raguſini orarunt, ut mœnia civitatis, qua ſpectant in Septemtrionem, novis operibus munitionibuſque firmaret. Quod egregie præſtitit, & ab ea parte propugnacula validiſſima Turcis oppoſuit. Ampliſſimis muneribus donatus in Italiam rediit, & Raguſienſium atque aliorum principum virorum commendatione tum veniam a Pontifice impetravit, tum amiſſa recuperavit. Quidquid villarum atque ædificiorum erat circa urbem, demoliendum fuit, ne civitatis oppugnandæ facilitatem majorem barbaris præberet. Hæc Jacobus Luccarus lib. 3. Annalium. Dum Pius Anconæ ſedebat, & Duces cum copiis, ſociiſque belli ſacri, quos ad Turcicam expeditionem ſociali fœdere junxerat, exſpectabat, triſtes ab Raguſio nuncii venerunt, ex quibus cognitum eſt quanto in periculo civitas illa verſaretur, vix enim triginta millia paſſuum ab urbe Mahumetem caſtra poſuiſſe, nec dubitari poſſe, quin cum toto ſuo ingenti exercitu in exitium clariſſimæ civitatis immineret. Pontifex non ſolum Raguſii, ſed etiam Italiæ vicem ſollicitus, cum urbe illa capta, ſalus Italiæ periclitaretur, e ſuis, & ſociorum copiis, quæ jam convenerant, aliquot manipulos ſubſidio Raguſinis tranſmitti juſſit; quin

Raguſii a Turcis obſeſſio.

ipsemet, ut est apud Raynaldum ad annum 1464., si Ragusium obsideretur, cum classe Pontificia, & sociorum, ad ferendum auxilium, urbemque obsidione liberandam proficisci decreverat. Sed optimus Pontifex gravior jam ætate, & valetudine male affecta in lentam ac pertinacem incidit febrim, cujus demum tabe consumptus, dum totus esset in meditatione apparatuque belli Turcici, ad laborum suorum præmia migravit in cœlum. Obiit Anconæ anno ejus sæculi sexagesimo quarto, cujus interitu Turcica expeditio evanuit, ad quam conflandam nullis ipse neque curis, neque incommodis peperserat. Ragusienses Pontificiis auxiliis destitutos, exercitus Turcarum adventantis metu suspensos & sollicitos alia nihilo levior calamitas perculit. Pestilentia ante aliquot annos suppressa recruduit, quæ claras juxta & obscuras domos populata, cives quamplurimos absumpsit. Vereor equidem ne quæ hoc anno 1465. lues grassata est, illa ipsa fuerit, quam Seraphinus Razzius, & Jacobus Luccarus ad annum 1453. revocarunt. Sed utcumque sive alia, sive eadem fuerit, dubitari non potest, quin hunc annum 1465. atrox morbi vis, contagione vulgata, funestum Ragusienſibus, & exitialem fecerit. Itaque ad malum utrumque sive quod extrinsecus a Turcis imminebat, sive quod intus civium strages edebat, arcendum & repellendum, ad vota, Divinamque opem implorandam Civitas conversa est; nec spes precesque in irritum cecidere: nam una & eadem dies, sollemni sacrosancti Corporis Christi commemoratione consecrata, utrumque malum, & periculum propulsavit: eo quippe die pestis veluti Divina manu absterſa, funeribus finem attulit, & nunciatum est, Mahumetem copiis in loca remotiora deductis, alio cogitationes bellique apparatus convertisse. Quare Senatus ad gratias agendas Deo sospiti, & utriusque beneficii memoriam perpetuo recolendam, jejunium singulis annis pridie ejus diei, in quem inciderit anniversaria & sollemnis veneratio Sacratissimi Corporis Christi, instituendum & ab omnibus servandum esse decrevit, illudque tum civitati tum Diœcesi universæ, ut Blasius Constantinus Episcopus Mercanensis, & Tribunensis, idemque Vicarius generalis Archiepiscopi ediceret, curavit. Decretum ab Senatu editum extat in Codice Statutorum Reip. sub titulo, *De Festo Corporis Christi*, affixum ad diem octavum Junii anni 1465. *Servetur Vigilia Festi SS. Corporis Christi, caro vendi nequeat; & rogetur Vicarius Archiepiscopi, ut per Civitatem & Diœcesim dictam Vigiliam servari edicat: quod festum ab omnibus Christianis in maxima veneratione haberi debet; sed maxime & præsertim in civitate nostra quæ ipsis oculis conspexit Epidemiam cessasse; & quæ vidit truculentissimum hostem Turcarum Imperatorem, in ruinam nostram properantem, dicti festi die mutavisse propositum.*

pestilens morbus, & ab utroque malo liberatio.

De Sacerdotio S. Petri Majoris.

Cum Joannes Gazzottus Rector & Abbas S. Petri Majoris diem extremum obiisset, viri nobiles ejusdem Ecclesiæ patroni Marinum Ragninam sive Araneum, Canonicum Ecclesiæ Cathedralis, Rectorem & Abbatem ab se nominatum coram Francisco Archiepiscopo statuerunt, qui eum approbavit, atque in possessionem illius Ecclesiæ & Sacerdotii induxit. Postea eidem Marino suborta est dubitatio, an legitime & nominatus & institutus fuisset. Quamobrem ut omnem sibi scrupulum eximeret, a Paullo II. suppliciter postulavit, si quo forte vitio canonico nominatio, & institutio illa infecta esset. Postulatis Marini Pontifex perbenigne annuit; & Matthæo Abbati S. Jacobi de Visnizza per litteras mandavit, ut, si post diligentem inquisitionem adhibitam Marinum ad Ecclesiam illam regendam idoneum esse reperisset, ei Sacerdotium illud nomine jussuque Sedis Apostolicæ conferat, atque in ejus possessionem rite ac legitime mittat.

Litteræ Paulli II. P. ad Abbatem S. Jacobi de Visnizza.

Paulus Episcopus Servus Servorum Dei Dilecto Filio Abbati Monasterii S. Jacobi de Visgniza extra muros Ragusii sal. & Apostolicam bened. Dignum arbitramur & congruum ut illis se reddat Sedes Apostolica gratiosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Marini de Ragnina Canonici Ragusin. petitio continebat, quod olim Parochiali Ecclesia, & Abbatia nuncupata S. Petri Majoris Ragusin., quæ de jurepatronatus laicorum existit, ac quam quondam Joannes Gazoti illius Rector Abbas nuncupatus, dum viveret, obtinebat, per obitum dicti Joannis, qui extra Rom. Curiam diem clauserat extremum, vacante, dilecti filii ipsius Ecclesiæ Viri Patroni existentes in possessione & quasi juris præsentandi personam idoneam ad eamdem Ecclesiam, dum pro tempore vacat, eumdem Marinum ad eamdem Ecclesiam sic vacantem Ven. Fratri nostro Francisco Archiepiscopo Ragusin. infra tempus debitum præsentarunt, ipse Archiepiscopus ad præsentationem eamdem ipsum Marinum in Rectorem dictæ Ecclesiæ ordinaria auctoritate instituit, ac demum præsentationis ac institutionis eorumdem vigore ipse Marinus Ecclesiam prædictam assecutus, illam ex tunc tenuit, & possedit, prout tenet & possidet nunc de præsenti. Cum autem sicut eadem petitio subjungebat, præfatus Marinus dubitet præsentationem, ac institutionem prædictas ex certis causis, viribus non subsistere, & sicut accepimus, dicta Ecclesia adhuc vacare noscatur, Nos volentes dictum Marinum de vita ac morum honestate, aliisque laudabilibus probitatis & virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favore prosequi gratioso, ipsumque Marinum a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus forsan quomodolibet innodatus existit, quoad hoc, & ut præsentem dumtaxat consequatur effectum, auctoritate Apostolica harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, ac omnia ac singula beneficia Ecclesiastica cum cura & sine cura, quæ ipse Marinus etiam ex quibusvis Apostolicis dispensationibus obtinet, & in quibus, & ad quæ jus sibi quomodolibet competit, quæcumque, quorumque, qualiacumque sint, eorumque fructuum, reddituum, & proventuum veros valores annuos, ac hujusmodi dispensationum tenore præsentibus pro expressis habentes, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem eumdem Marinum ad hoc idoneum esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, Ecclesiam prædictam, cujus fructus reditus, & proventus 40. florenorum auri de camera, secundum communem æstimationem, valorem annuum, ut Dominus Marinus asserit, non excedunt

dunt, sive ut præmittitur, sive alias quovis modo, aut ex alterius cujuscumque persone, seu per liberam dicti Joannis, vel alicujus alterius resignationem de illa extra dictam Curiam etiam coram Notario publico & testibus sponte factam, seu constitutionem fel. rec. Joannis Pape XXII. predecessoris nostri, que incipit Execrabilis, *vacet, nunc si tanto tempore vacarent, quod ejus collatio juxta Lateran. statuta Concilii ad Sedem prædictam legitime devoluta, ipsaque Ecclesie dispositioni Apostolice specialiter reservata existat, & super ea inter aliquos lis, cujus statum presentibus nunc haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo supra Dat. presentium non sit in ea alicui specialiter jus quæsitum, cum omnibus juribus & pertinentiis suis eidem Marino auctoritate nostra conferas, & assignes, inducens per te, vel alium, seu alios eumdem Marinum, vel Procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem Ecclesie, juriumque & pertinentiarum prædictarum, & defendens inductum amoto exinde quolibet illicito detentore, & facies sibi de ipsius Ecclesie fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus universis integre responderi, non obstante constitutione, & ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscumque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in aliis partibus speciales vel generales dicte Sedis, vel Legatorum ejus Litteras impetrarunt, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus dictum Marinum in assecutione dicte Ecclesie volumus anteferri, sed nullam per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum præjudicium generari; seu si Archiepiscopo Ragusin. pro tempore existenti, vel cujusvis aliis conjunctim, vel divisim ab ipsa sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint. Quodque de hujusmodi, vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem conjunctim vel separatim spectantibus, nulli valeat provideri per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali cujuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam effectus hujusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, & de qua, ejusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nos enim, si dictus Marinus ad hoc repertus fuerit idoneus, ut præfertur, ex nunc perinde irritum decernimus, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, ac si die Dat. presentium eidem Marino ad hoc reperto idoneo de dicta Ecclesia cum interpositione decreti mandavissemus provideri. Datum Rome apud S. Petrum anno Incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto XIV. Kal. Aprilis Pontificatus Nostri anno primo.*

Matthæus post litteras Pontificias tum Francisco Archiepiscopo, tum Capitulo ostensas & declaratas, omnia, quæ Pontifex imperaverat, diligentissime curavit & fecit: ac possessionem Marino traditam ab omnibus approbari jussit, eique contradicere, & obsistere ve-

tuit, anathematis pœna in eos proposita, qui quoquo modo repugnarent. Ejus decreti hoc exemplum.

Decretum Matthæi Abbatis.

Reverendissimo in Christo Patri, & Domino Domino Dei & Apostolice Sedis gratia Archiepiscopo, ac Ven. & circumspectis Viris Dominis Capitulo Ragusin. omnibusque & singulis aliis, quorum interest, vel interesse poterit, & quos infrascriptum tanget, seu quomodolibet tangerat negotium in futurum conjunctim, vel divisim, quibusque nominibus vel vocabulis censeantur, & appellentur, & quacumque præfulgeant dignitate, Matthæus eadem gratia & Rom. Ecclesie benignitate Abbas Monasterii S. Jacobi de Visgniza Dioc. Ragus. judex, & executor unicus ad infrascripta a S. Sede Apostolica specialiter deputatus salutem in Domino, & nostris hujusmodi, imo verius Apostolicis firmiter obedire mandatis. Litteras Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Pauli divina providentia Pape II., cujus vera Bulla plumbea cum cordula canapis ipsius Domini nostri Pape impendenti bullata, sanas quidem & integras, non vitiatas, non cancelletas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio, ac suspicione carentes, ut in eis prima facie apparuit, Nobis per Ven. Virum D. Marinum Blasii de Ragnina Canonicum Ragusinum, principalem in ipsis litteris, & principaliter nominatum coram Notario publico, & testibus infrascriptis præsentatas, Nos ea, qua licuit, ac decuit reverentia recepisse noveritis. Quarum quidem Litterarum Apostolicarum tenor de verbo ad verbum annotatus ut sequitur, & est talis. Paulus Episcopus &c. (ut supra.) *Post quarum quidem Litterarum Apostolicarum præsentationem & receptionem Nobis, & per Nos, ut assertum est, factas, fuimus per dictum Dominum Marinum Blasii de Ragnina debita cum instantia requisiti, quatenus ad executionem dictarum Litterarum Apostolicarum procedere curaremus juxta eorumdem tenorem. Nos igitur Matthæus Abbas, judex, & executor præfatus attendentes requisitionem hujusmodi justam & honestam esse, volentes Apostolicum mandatum Nobis directum & specialiter injunctum reverenter exequi, ut decet, eumdem Dominum Marinum de Ragnina coram nobis personaliter ad hoc constitutum diligenter examinavimus, & quia per examinationem hujusmodi eumdem Dominum Marinum sufficientem & idoneum ad regendum & gubernandum dictam Ecclesiam S. Petri, ut supra assertam, reperimus, & quia etiam per diligentem investigationem & inquisitionem per nos multifariam factas, Rectorem, Abbatem nuncupatum, dicte Ecclesie, ut in Bulla continetur, vita functum esse, & dictam Ecclesiam vacare, & præsentationem a Patronis factam & admissam, & narrata in Bulla, prout narrantur, ita esse invenimus. Ideo auctoritate Apostolica nobis commissa, & qua fungimur in hac parte, dictam Ecclesiam & Rectoratum Abbatiam nuncupatum dicte Ecclesie S. Petri eidem Domino Marino contulimus, & assignavimus, conferimusque, & assignamus, & ipsum in corporalem possessionem dicte Ecclesie, ac jurium & pertinentiarum prædictorum Rectoratus Abbatie nuncupati juxta Apostolicarum Litterarum tenorem induximus, & investivimus, & tenore presentium inducimus, & investimus de eodem, amo-*

to

to ab eo quolibet detentore, quem nos, in quantum possumus, amovemus, perque has nostras denunciamus amotum. Quæ omnia, ac singula, ac prædictas Litteras Apostolicas, & hunc nostrum processum, & omnia ac singula in illis conventa vobis universis omnibus & singulis supradictis insinuamus, intimamus, & notificamus, & ad vestram, & cujuslibet vestrum notitiam deducimus, & deduci volumus. Et nihilominus vos, Domine Archiepiscope, & Capitulum, omnesque alios ac singulos supradictos, quibus præsens noster processus dirigitur, eisdem auctoritate & tenore requirimus, & monemus, primo, secundo, & tertio termino peremptorio communiter & divisim, vobisque & vestrum cuilibet in virtute S. obedientiæ, & sub pœnis infrascriptis districte præcipiendo mandamus, quatenus infra VI. dies post præsentationem Litterarum Apostolicarum & præsentis nostri processus, vobisque seu alteri vestrum pro parte dicti Domini Marini de Ragnina immediate sequentes pro hoc factas, quorum VI. dierum duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos duos dies vobis suprascriptis pro tertio ac peremptorio termino hac monitione canonica assignamus, eumdem Dominum Marinum sive ejus Procuratorem ejus nomine agentem in corporalem, actualem, realemque possessionem Rectoratus Abbatiæ nuncupati prædictæ Ecclesiæ S. Petri, juriumque, ut prædictum est, inducatis auctoritate nostra, imo verius Apostolica, & inductum defendatis, amoto exinde quolibet detentore, ac facientes ipsum Dominum Marinum ad hujusmodi Rectoratum Abbatiam nuncupatum, ut de more est, admitti, sibi de ipsius Rectoratus Abbatiæ nuncupati dictæ Ecclesiæ fructibus, redditibus, & proventibus, juribus, & obventionibus universis respondeatis, & ab aliis, quantum in vobis est, integre responderi, ac plenarie. Quod si forte præmissa omnia & singula prout fusius mandatur, non adimpleveritis, mandatisque & monitionibus nostris hujusmodi, imo vero Apostolicis non parueritis cum effectu, Nos in vos omnes, & singulos supradictos, qui culpabiles fueritis in præmissis, & generaliter in contradictores quoslibet, & rebelles, ac impedientes ipsum Dominum Marinum, vel ejus nomine in præmissis agentem, aut aliquo præmissorum, ac ipsis impedientibus dantes auxilium, consilium, vel favorem publice, vel privatim, aperte, aut occulte, directe, vel indirecte quovis quæsito colore, cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existant, ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc singulariter & in singulos, prædicta sex dierum canonica monitione præmissa, Excommunicationis, in Capitulum vero dictæ Ecclesiæ Ragusinæ, & in hujusmodi Ecclesiam, & alias Ecclesias & Capellas in his forsan delinquentes Interdicti Ecclesiastici sententias ferimus in his scriptis, ac etiam promulgamus, Vobis vero Domino Archiepiscopo Ragusino dumtaxat excepto, cui ob reverentiam vestræ Pontificalis dignitatis deferimus in hac parte, si contra præmissa aliquodve præmissorum feceritis per vos, vel submissas personas prædicta sex dierum canonica monitione præmissa ingressum Ecclesiæ interdicimus in his scriptis. Si vero hujusmodi interdictum per alios sex dies immediate sequentes sustinueritis, vos in his scriptis eadem canonica monitione præmissa suspendimus a Divinis. Verumtamen si præfatas interdicti & suspensionis sententias per alios sex dies præfatos XII. immediate sequentes, quod absit, animo sustinueritis indurato, vos in his scriptis canonica monitione præmissa excommunicationis sententia auctoritate Apostolica innodamus. Caterum cum ad executionem præmissam ulterius faciendam ad præsens non possumus personaliter interesse pluribus aliis arduis prædicti negotiis, universis & singulis Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Archidiaconis, Cantoribus, Subcantoribus, Thesaurariis, Sacristis, Custodibus, tam Cathedralium quam Collegiatarum, Parochialiumque Ecclesiarum, Rectoribus, seu locum tenentibus eorumdem, Plebanis, Viceplebanis, Vicariis, Archipresbyteris, Capellanis, & Beneficiatis perpetuis, Curatis & non Curatis, cæterisque Presbyteris, Clericis, Notariis, & Tabellionibus publicis per Civitatem & Diœcesim Ragusinam, ac aliter ubilibet constitutis, & eorum cuilibet in solidum super ulteriori executione dicti Mandati Apostolici, atque nostri hujusmodi facienda auctoritate Apostolica supradicta tenore præsentium committimus plenarie vires nostras, donec eas ad nos specialiter duxerimus revocandas, quos & eorum quemlibet eisdem auctoritate & tenore requirimus & monemus primo, secundo, tertio & peremptorio communiter & divisim, eisque nihilominus, & eorum cuilibet in virtute S. obedientiæ, & sub excommunicationis pœna, quam in eos & in eorum quemlibet nisi infra VI. dies postquam pro parte ipsius Domini Marini fuerint super hoc requisiti, seu eorum alter fuerit requisitus, quos dies eis & eorum cuilibet pro tertio & peremptorio termino, ac monitione canonica assignamus, fuerint executioni mandata, quæ in hac parte committimus, & mandamus, prædicta canonica monitione præmissa ex tunc prout ex nunc, & e contra, in his scriptis districte præcipiendo mandamus, quatenus ipsi & eorum singuli, qui super hoc fuerint requisiti, vel fuerit requisitus, ita tamen, quod in his exequendis alter alterum non expectet, nec unus pro alio se excuset, ad vos Dominos Archiepiscopum, Capitulum, omnesque alios & singulos supradictos, personasque & loca alia, de quibus expediens fuerit, personaliter accedant, seu accedat, & præfatas litteras Apostolicas, & hunc nostrum processum, ac omnia & singula in eis contenta vobis communiter, & divisim legant, intiment, insinuent, & fideliter publicare procurent, ac eumdem Marinum vel Procuratorem suum ejus nomine in & ad corporalem, realem, & actualem possessionem prædictæ Ecclesiæ S. Petri, juriumque & pertinentiarum prædictarum inducant nostra, imo verius Apostolica auctoritate, inductum defendant, & quemlibet detentorem amoveant, quem nos ex nunc amovemus, in quantum possumus, & denunciamus amotum. Nec non ad Rectoratum Abbatiam nuncupatum dictæ Ecclesiæ, ut moris est, admittant, & admitti faciant, sibique de hujusmodi Ecclesiæ fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus universis, prout ad eos communiter vel divisim pertinet, respondeant, & faciant ab aliis, quantum in eis fuerit, plenarie, & integre responderi. Et nihilominus omnia & singula vobis in hac parte commissa juxta prædictarum Litterarum Apostolicarum & præsentis nostri processus continentiam, & tenorem; ita tamen, quod dicti Subdelegati nostri, seu quivis alius, ut in præjudicium

cium prædicti Domini Marini attentari valeant quomodolibet, vel immutare in processibus per nos habitis, & sententiis per nos latis absolven. &c. vel supersedendo. In cæteris vero, quæ eidem Domino Marino nocere possent, ipsis & quibuslibet aliis potestatem plenariè denegamus, & si contingat nos super præmissis in aliquo procedere, de quo nobis potestatem omnimodam reservamus, non intendimus propterea commissionem nostram hujusmodi in aliquo revocare, nisi de revocatione ipsa specialem & expressam in nostris Litteris fecerimus mentionem. Prafatasque Litteras, & hunc nostrum Processum, & omnia & singula hujusmodi negotium tangentia volumus penes dictum Dominum Marinum, vel ejus Procuratorem remanere, & non per vos, seu aliquem vestrum, aut quemquam ipsis invitis aliqualiter detineri, contrarium vero facientes volumus sententiæ, ut supra, per nos latæ, & declaratæ immediate subjacere. Mandamus tamen copiam fieri de præmissis tam petentibus, & habere debentibus, petentium quidem sumptibus & expensis, Absolutionem vero omnium & singulorum, qui prafatas nostras sententias seu earum aliquas incurrerint, vel incurrerit quoquo modo, nobis, vel Superiori nostro tantummodo reservamus. In quorum omnium, & singulorum præmissorum fidem & testimonium præsentes litteras & processum suprascriptum exordium continens, & consinentes, fieri & per publicum Notarium subscribi, & publicari mandavimus, nostrique sigilli jussimus appensione muniri. Datum in Civitate Ragusii anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo quinto Indict... die xv. mensis Maji præsentibus Ven. Viris D. Matthæo Viti de Gozze Archidiacono Ragusino, & Domino Ruschono de Saraca Canonico & Archipresbytero Ragusino, & Domino Nicolao de Menze Canonico Ragusino, & aliis quampluribus, sed his specialiter ad hoc præsentibus habitis, vocatis, & rogatis.

Ego Xenophon Philelfus publicus imperiali auctoritate Notarius, & Judex ordinarius, & juratus Cancellarius Magnifica Civitatis Ragusii, quia præmissis præsentationi, receptioni, collationi, assignationi, inductionis, ac processus decreto, omnibusque aliis & singulis, dum sic, ut præmittitur, per præfatum Dominum Judicem & Commissarium fierent & agerentur, una cum prænominatis Testibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi, & audivi, ideo hoc præsens publicum instrumentum, hujusmodique processum confeci, & publicavi, signoque & nomine meis solitis una cum appensione sigilli ejusdem Domini Abbatis, Judicis, & Commissarii signavi, & roborovi rogatus & requisitus in fidem & testimonium omnium, & singulorum præmissorum.

ANTONIUS II. ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS XXXXVI.

Antonius de Alliis Florentinus Archiep.

Cui cognomen de Alliis, sunt, qui eum Volaterris ortum tradunt: sed Allia gens inter Florentinos illustris erat, unde Alliæ familiæ propago Ancoram translata esse perhibetur, ex qua, Francisco patre, genitus Antonius noster ejusque frater Bernardus, atque ex hoc Joannes Baptista, & Antonius, quibuscum Alliorum domus Ancoræ interiit; ut Eugenius Gamurrinus tradit in sua historia genealogica. Sed Joannes Baptista Casottus in Monumentis Ecclesiæ Deiparæ Virginis ab Impruneta nuncupatæ ejus genus hisce describit, Antonium Bellincionis ipsum appellans ex nobili Alliorum stirpe, ex eoque stipite, cui de Caris cognomen additum, quique Florentiæ degebat; quare Casottus patriam Florentiam tribuere illi videtur. Ughellius in Ital. Sacr., Marius Giovenellus in Chronico Volaterranæ antiquitatis, & Scipio Ammiratus in Episcopis Volaterranis Antonium e Florentina Alliorum familia natum esse scripsere: quin Ammiratus in Episcopis Fæsulanis id aperte confirmat. Antonius humanis divinisque litteris probe excultus, ac præsertim Philosophiæ studiis tantam apud omnes sibi existimationem conciliavit, ut in clericalem ordinem adscriptus & inter Canonicos Basilicæ Laurentianæ fuerit cooptatus, cui collegio Decani quoque dignitate ac munere sapientissime præfuit, P. Ricca in Tomo 4. Monum. Eccl. Florent. pag. 47. Præfecturam Ecclesiæ S. Apostoli Antonio ante attribuit, quam is Parœciam Deiparæ *ab Impruneta* dictæ in agro Florentino obtinuisset anno 1439., & utramque Ecclesiam retinuit, cum ad Ragusinum Archiepiscopatum evectus fuit: sed Impruneta Parœciam usque ad extremum suæ vitæ diem administravit. Certis tamen constat monumentis, nullius lucri, pecuniæve accumulandæ cupiditate ductum fuisse, ut in possessione nerfusque sacerdotii persisteret; quo enim pietatis studio in beatissimam Virginem ferebatur, ejusque imaginem eo in loco miraculis & eximio Florentinorum cultu celeberrimam, eodem incensus quidquid ex ecclesiasticis redditibus sibi obveniebat, fere totum in sumptuosissima illius templi, & ædium proximarum ædificia splendide insumpsit; *Quidquid* enim, ait laudatus Ricca, *magnificum præ se ferunt turres, ædes, templum, & atria illius Sanctuarii, Antonii pietatis ac munificentiæ pene totum monumentum est*; cum hos præterea in sumptus, duodena nummum argenteorum millia, quos *florenos* vocant, e paterno patrimonio contulerit, ut scribit Casottus, qui harum ædium magnificentiam pluribus narrat. Idem testatur Dominicus Corella Dominicanæ familiæ alumnus, suique ævi doctus poeta in opere, quod *Theotocos* inscripsit, cujusque plura carmina in laudem Mariani templi ab Antonio exstructi ornatique tum Ricca, tum Casottus in sua monumenta retulere: ex quibus hæc libuit exscribere.

Ejus munera & gesta.

Quam sacra marmoreis nuper præsepta columnis
Ante dicata sibi suscipit ara vetus.
Sed melius munire volens Antonius illam
Ut cum plebe simul tutior ipse foret,
Dum rex Aragonum populos Alphonsus etruscos
Terreret magno nomine sæpe suo,
Ut validam firmis præcinxit turribus arcem,
Ne foris orta sibi bella nocere queant.
Quæ licet humano videatur robore fulta
Præsulis ejusdem sumptibus aucta probi,
Est tamen illa magis cælesti numine freta &c.

Multo tamen impensius studuit, ut ecclesiastici cultus splendore templum illud niteret, & pio populorum concursu frequentaretur; quare Presbyterorum collegium instituit, qui rem divinam quotidie peragerent, ceteraque in animarum adjumentum sacerdotum munera obirent, tum optimis decretis Parœciæ, ac templi regimini sapienter consuluit. Hisce intentus curis,

curis, & rerum a se gestarum laude apud omnes illustris, ad Ecclesiam Ragusinam regendam arcessitus fuit a Paullo II. Pontifice, apud quem suæ doctrinæ ac sapientiæ commendatione plurimum valebat. Ejus Archiepiscopatus initia plerique in annum 1466. conjiciunt; sed ad annum superiorem referenda esse declarant tabulæ Romanæ, quæ illum a Paullo II. Archiepiscopum Ragusinum anno 1465. mense Novembri renunciatum esse affirmant. (Tomo 4. Obl. Sac. Coll. pag. 119.) Nunquam illum veniisse Ragusium, atque ad gubernacula Ecclesiæ sibi traditæ accessisse scribit Sebastianus Dolci. Sed epistola Paulli II. ad Ragusinum Archiepiscopum anno 1467. tertio Idus Januarii data, cujus erit mentio, argumento esse videtur, eum illis diebus fuisse Ragusii; verum ut ita est, certe plerumque abfuit, & jurisdictionis Episcopalis functiones, reique Christianæ administrationem Vicario generali demandavit. Aberat sane anno 1467. mense Aprili, ut conjici potest ex tabulis quibusdam, quas citat Dolcius, eodem anno, & mense confectis; eas siquidem subscripsit Capitulum, non Archiepiscopus; sed *manu Archiepiscopi*, vel *ejus Vicarii* dicuntur esse *subsignandæ*. Cum Monachos Lacromenses, eorumque bona ab iniquis hominibus vexari, ac diripi Pontifex intellexisset, mandatum dedit Antonio tertio Idus Januarii anni 1467., ut illos tueretur, gravissimis ecclesiasticis pœnis in quemquam propositis, qui vel hæc interverteret, vel eis molestiam exhibere auderet. At vix a suscepto Archiepiscopatu alterum annum exegerat, cum Paullus II. eodem anno, non superiori, ut alii censent, ad Ecclesiam Fæsulanam illum transire jussit, de quo hæc Ughellus in Episcopis Fæsulanis. *Antonius Allius Canonicus ac Nobilis Florentinus, Græcæ, & latinæ linguæ eruditus, oratorum sui ævi uberrimus, Paullum II. tunc Cardinalem sub Eugenio IV. avunculo humanioribus literis erudivit, a quo, cum jam Pontifex renunciatus fuisset, Romam vocatus venit, & S. Mariæ Imprunetæ, septimo ab urbe Florentia lapide, Buondelmontiæ familiæ perpinguem plebaniam primum accepit; mox ad Fæsulanam sedem evectus est anno 1466. ex Archiepiscopo Ragusino; anno vero 1470. a Paullo II. ad Volaterranensem translatus. Ad eum scribit Jacobus Card. Papiensis ep. 352. ac trium uxorum maritum vocat, non sine sui, aliorumque patrum admiratione. Sanctorum vitas summo labore collectas pereleganti stylo conscripsit, pieque, ut vixerat, defunctus est an. 1478. cujus vitam vernacula lingua explicuit Vespasianus Florentinus in lib. de viris illustr. sui temporis, qui ms. extat apud Prosperum Mutum, Vaticanæ Basilicæ Canonicum, ac Consultæ Innocentii X. Secretarium.* Errant autem tum Ughellius hic, tum Scipio Ammiratus in Episcopis Fæsulanis, qui Antonium ad Fæsulanam Ecclesiam migrasse tradunt an. 1466. Præter Vespasianum Antonii laudes uberrime persequuti sunt Petrus Nolascus Cianfognius in historia Canonicorum S. Laurentii, & Salvinus Salvinius in historia chronologica Canonicorum Florentinorum, ille a Casotto, hic a Ricca laudati: sed utrum utriusque opus in lucem prodierit, mihi incompertum est. Anno 1469. ante, quam e Fæsulana ad Volaterranam Ecclesiam transiret, a Pontifice impetravit, ut sua Parœcia, quam summopere usque ad supremum vitæ spiritum coluit, atque dilexit, Præpositiuæ titulo ac dignitate ornaretur; & apud Casottum extant hac de re tum Antonii litteræ, tum Pontificis diploma. Visitur in templo S. Mariæ ab Imprunetæ ejus Cenotaphium, quod sane magnificum ex albo marmore constat humo effurgens ad tres cum dimidia altitudinis ulnas, ac muro insertum. Desuper urnam insculpta est albo lapidi figuræ rotundæ effigies Deiparæ puerulum Jesum ulnis complectentis, opere affabre perpulcro, mediæque urnæ titulus impositus, quem duo hinc & hinc pueri sustentant.

Fit Archiepisc. Ragusinus anno 1465.

Ejus sepulcrum.

D. O. M.
Antistes Templi jacet hac Antonius urna
Allius insignis moribus & genere.
Nobilis hic sibi vixit inops & dives egenis,
Consilioque gravi profuit atque opera.
Dumque pius Pastor Volaterris aut Epidauri
Dogmate pavit oves, non timuere Lupum.
Vixit An. LXXVII. Mens. X.
Dieb. X.

Subtus urnam alius titulus legitur stemmate Alliæ familiæ ornatus, & albo lapidi sphæricæ figuræ lapidea circum tænia cærulei coloris distincto ita inscriptus.

Obiit An. D. MCCCCLXXVIII.
Dejanira Fratris
Filia
T. P. I.

Hæc Ricca & Casottus, qui recte animadvertit, fœminæ huic nomen *Dianoram* fuisse e proprio vocabulo *Leonora*, seu *Lianora* corrupte derivatum, hinc tituli auctorem suo potius ingenio, quam rei veritati indulsisse, ut *Dejaniram* pro *Leonora* scriberet. Hosce titulos habes descriptos etiam a Placido Puccinellio in monumentis sepulcralibus Abbatiæ Florentinæ; sed in altero abest nota dierum, in altero *de Tanavia* perperam legitur pro *Dejanira*. Fuit autem Dianora filia Francisci Bellincionis ex Allia familia Antonii fratris, & Tedicis Albizzii primum, deinde Strozzæ Strozzii uxor. Antonii corpus humi conditum est subtus cenotaphium, jussu Fausti Cappelli Imprunetæ Præpositi, ut acta *visitationis* ab eo peractæ testantur: *Corpus Episcopi Allienſis, quod vidimus, in terram condatur*. In ædicula S. Crucis ejusdem templi extabant olim effigies Antonii Episcopi, & Juliani ejus fratris germani, qui secundus fuit ab Antonio Præpositus ejusdem loci, tum Bernardi, qui e Francisco fratre Antonii nepos, & Eques Hierosolymitenus institutam e bonis hujus Præposituræ *Commendam*, ut ajunt, sui Ordinis primus administravit; sed temporis injuria hoc vetustatis monumentum interiit.

ad Ecclesiam Fæsulanam translatus anno 1467.

TIMOTHEUS ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS XLVII.

Timothei Maphæji Archiepiscopi elogium.

Veronæ ex illustri Maphæjorum familia, & Guillelmo patre natus, Jacobus ante dictus, quam ab ineunte adolescentia in sodalitatem Canonicorum Regularium Lateranensium, quos vocant *Rochettinos*, nomen daret; uti Torrisanius tradit apud Scipionem Maphæjum part. II. lib. III. *Veronæ illustratæ*: *Timotheus Maffeius, seculo Jacobus dictus, Gulielmi filius, Archiepiscopus*; Paullo ejusdem familiæ, atque Ordinis viro celeberrimo propinquus, ejusque disci-

discipulus erat, a quo inter Regulares Canonicos cooptatus fuit. Tum ingenio, tum doctrina in primis excelluit; ac Patavii in Monasterio S. Mariæ, cui cognomen est *a Viridario*, Theologiam alumnis sui Ordinis tradidit, ex quibus auditorem habuit Matthæum Bossum virum virtute, atque doctrina eximium; isque in suo epistolarum libro 11. ep. 199. de Timotheo scribit, illum in sacris litteris sibi ducem fuisse, eumque in lib. 1. epist. 3. *Magnum* cognomento appellat, & lib. 3. epist. 60. sui Ordinis *sacratissimum caput*. Fere totam Italiam doctissimis, & Apostolicis concionibus peragravit, ut docet Celsus Rosinus in Lycæo Lateranensi, & Concionatorum ejus ætatis facile princeps vulgo habebatur, inquit Philippus Novariensis; iccirco ab Italiæ Dynastis vehementer expetitus, in primis a Cosma Magno Etruriæ Duce, quocum diu Florentiæ egit familiarissime. Iterum, ac tertio supremam, ac generalem sui Ordinis Præfecturam gessit mirificeque sanctissimam illam Congregationem propagavit: cumque scientiæ multiplici singularem virtutem ac pietatem adjunxisset, præclaras quoque in utroque genere lucubrationes reliquit, nimirum *In magnificentia Cosmi Mediçei detractores*, *de Studiis Monasticis*, *de Confessionibus*, *& pœnitentiis*, *de Obscuritate vocabulorum*, *& Hortatoriam ad Italiæ Principes post Constantinopolim expugnatam*, quas Scipio Maphæus laudato in loco summa cum laude commemorat; ibique Timothei effigiem exhibet ex nummis Gomberti Justi hac circum insculpta epigraphe: *Timotheo. Veronensi, Canonico. Regul. Dei. Præconi. Insigni.* in adversa vero parte Phœnix visitur medios inter ignes vivens, & cusoris nomen hisce expressum: *Matthæi. Pastii. Veronensis. Opus.* Ecclesiasticas dignitates a Pio II., & Archiepiscopatum Mediolanensem a Nicolao V. sibi delatum insigni modestia, & animi demissione recusavit: testes sunt ejus litteræ sane gravissimæ, quibus ad Nicolaum rescribit, ac plurimis argumentis se tanto oneri sustinendo imparem omnino ostendere conatur. Has vulgavit Ughellius in Tomo IV. Italiæ Sacræ, sed falso attribuit Bartholomæo Cotiæ Canonico itidem Lateranensi, quem Timothei loco Mediolanensem Antistitem designatum autumat; qua de re vide Scipionis Maphæi monumenta in parte II. lib. III. operis superius indicati. Verum Paullo II. pro potestate imperanti resistere non potuit Timotheus, quominus Ragusiensem Archiepiscopatum demum susciperet. Gravissimus ille Pontifex in eorum delectu habendo, qui Ecclesiis præessent, acri judicio magnaque diligentia sibi opus esse cernebat, ut optimos quosque præficeret; ajebatque, ut est apud Sandinum in Vitis Rom. Pontif. *Summum Pontificem in rebus aliis hominem esse posse, at in Ecclesiarum creandis Rectoribus Angelum, in cooptandis Cardinalibus Deum esse oportere.* Hinc existimari velim, quanti fecerit sapientissimus ille Pontifex doctrinam & virtutem Timothei, quem, cum ad regendas Ecclesias aptissimum cognovisset, ut Ragusinæ Metropolis administrationem, & Episcopale onus subiret, vel invitum repugnantemque compulit. Anno 1467. IV. Nonas Majas nominatus fuit Archiepiscopus, ut colligitur ex Tomo VIII. Obl. pag. 16. Ab anno hujus sæculi sexagesimo septimo usque ad septuagesimum

Fit Archiep. Ragusinus anno 1467.

præfuit, omnibus, quæ sunt Episcopi, muneribus diligentissime fungens; at ex quo temporis momento Archiepiscopus fuit renunciatus, nunquam læta fronte, hilarique vultu paruisse amplius testatur Matthæus Bossus in ep. 31. lib. 1. Ejus nomen semel atque iterum in tabulis Ragusinis, anno videlicet 1468. & sequenti cum laude commemoratum invenio his verbis: *Reverendissimus in Christo Pater & Dominus D. Timotheus de Maphæis de Verona, dignissimus Archiepiscopus &c.* Anno 1467. mense Julio Ragusium venit, quem Clerus, Senatus, & Civitas obviam effusa ingenti lætitia, & gratulatione accepit. Quam gratus jucundusque fuerit ejus adventus, ex eo perspici potest, quod eum Senatus serica veste pretiosissima aureis & argenteis filis opere pulcherrimo contexta donavit, quam a Rege Turcarum officii & benevolentiæ causa non ita pridem acceperat. Statim atque Pontificale solium conscendit, cogitationem curamque omnem convertit ad omnia Episcopalia munera & officia exsequenda, Auctor fuit Patribus Ragusinis, ut potestatem navigandi ad partes Orientis & Asiaticæ negotiationis exercendæ, quam a Concilio Basileensi impetraverant, a Paullo II. confirmandam curarent. Et forte suum Oratorem hac de causa Romam miserunt Patres Ragusini, quem Timotheus Cardinali Papiensi summopere commendasse videtur ex literis ejusdem Cardinalis. Is autem Jacobus Ammanatus erat Pio II. Pontifici carus inprimis, a quo & suæ gentis cognomine donatus fuit; quare se ipse Jacobum Piccolomineum quandoque nominat; idemque Papiensis Cardinalis dicebatur, quia illius urbis Episcopatum tenebat. Intima vero amicitia, & animi ingenii-que conjunctio Timotheo intercedebat cum Jacobo, quam mutuis literis etiam absentes fovebant; Timotheus vero paullo post, quam Ragusium venerat, epistolam Jacobo misit officii & benevolentiæ plenam, eidemque & Ragusinum Oratorem commendavit, & quæ agri ac regionis illius rariora erant, & Italis minus nota, muneris loco obtulit. Quare Jacobus, ut amicitiæ sensa liberius exprimeret, amantissimas Timotheo literas dedit, ex quibus facile agnoscas, quantum Archiepiscopus noster, gratia & auctoritate valeret apud Cardinalem, & Cardinalis in illum esset existimatio & charitas. Jacobi literas hic exscribimus, quæ cum aliis plurimis ad suos epistolis editæ fuerunt Francofurti an. 1614. post Pii II. & ejusdem Jacobi Commentaria uno volumine comprehensa: sunt autem hujuscemodi pag. 593.

Ejus acta.

Epistolæ duæ Card. Papiensis ad Timotheum.

Facile est credere intermissionem consuetudinis nostræ, a quibus es semper dilectus, molestam tibi esse. Id enim humani sensus est proprium, olimque accidit multis, plurimis in diem continget. Verum tu, si consolari non potes carnis præsentia, quod proximum est, consolationem ex spiritu accipe. Vel scribendo, vel literas nostras legendo fac, ut tibi ante oculos simus, ac sic desiderium linies. Neque enim minus jucunda esse solent mentis, quam corporis consortia. Ego vero tui oblivisci non possum, nec est, ut de Papiensi tale aliquid timeas. Humanitas tua, & fraterna dilectio, & gloria divinæ prædicationis, quam in Ecclesia es assecutus, faciunt, ut excidere animo nullis intervallis vel locorum, vel temporum possis. Oratorem Ragusinum antea tantum mihi notum, nunc vero Pasteris sui

ſui teſtimonio commendatum benigne accepi, & me illi totum impendi. Hortatus quoque pluribus ſum, & ad Concives ſuos exhortationem injunxi, ut te colant, tibique auſcultent, nec putent, minus grata nobis futura, quam tibi, ſuæ devotionis obſequia. Dicam uno verbo; in illo promerendo deſiderio tuo ſatisfeci & meo. Quæ vero ex oris iſtis Illyricis humaniſſime offers, omnia ea mente accipio, qua offeruntur, tibique gratias ago. Nil autem inpræſentiarum eſt, quod optem iſthinc; hoc tantum peto & rogo, ut valeas ſemper, utque opus Dei digne adimpleas. Etenim his in locis es poſitus, in quibus non ſolum credito, ſed & circumſtanti gregi poſſis utilitatem præſtare. Fidei hoſtis vicinus eſt, perſecutio aſſidua. Hortandi ergo a te illi, & ſublevandi ſunt, & in confeſſione fidei retinendi, quorum cervicibus hoſtilis gladius imminet. Cum vir nominis ſis, & monita ſancti pectoris plurimum ponderis habeant, non erit ſine fructu cura hæc ſumpta. Talenta nobis a Domino credita circumſcriptum locum non habent, conferri ubique ad lucrum poſſunt. Præſul ille dici non poteſt, miniſterium bene impleſſe, qui ſuam tantum diœceſim curans, quod in vicina, deſerentibus aliis, geri poſſe utiliter videt, per negligentiam deſerit. Fero juxta proverbium ligna in ſylvam, & monitorem gentium moneo; ſed, dum te quam laudatiſſimum, Chriſtianos vero illos quam adjutiſſimos cupio, fideli ſum imprudentia lapſus. Vale.

Cum autem Orator ex Italia digrediens Jacobi literas ad Timotheum, quas ſe laturum ſpoponderat, non quæſiviſſet, is aliam ſcripſit epiſtolam ſane humaniſſimam, illamque veteris neceſſitudinis, & conſtantis amoris teſtem perhonorificum ipſi Timotheo, cujus inde etiam virtus maxime comprobatur, Extat epiſtola laudato in loco pag. 643.

Orator Raguſinus, qui proximis menſibus detulit ad me literas tuas, ideo ad te non retulit meas, quod diſcedens non petivit eas, ut facturum ſe ipſe receperat. Scriptæ autem apud me erant, & obſignatæ, ut venienti darentur; quas mitto nunc, ut teſtimonium habeas officii mei. Quæ de tuo in me animo pluribus repetis, probatione illa non egent. Scio eadem eſſe Raguſiæ, quæ fuerant Romæ, & nec ſinu Adriatico letheum eſſe aliquid, ut tranſeunti obliviſcendum fuerit conſuetudinis noſtræ. Quod iterum quoque offers tua omnia, dico iterum me tibi gratias agere, & iterum poſtulare, quæ ab exemplo dictatæ epiſtolæ poſtulata agnoſces. Timothee mi, viciſſim tu hunc Papienſem, quantuſcunque eſt, adhibe in omnibus tuis, & tuum eſſe ſine exceptione exiſtima. Scribo hæc ex Pientia; quando ne ſim Romæ, prohibet peſtilentia. Cardinalis (1) Senenſis, & Gregorius Lollius, qui mecum ſunt, te ſalutant. Vale.

Nota.

1 Franciſcus Piccolomineus ſororis Pii II. Pontificis filius, vir ſua ætate doctus, qui avunculo ſuo monumentum poſuit in Baſilica Vaticana, & Timotheo familiaritate conjunctiſſimus fuit; poſtea Pontifex Pii III. nomine creatus.

Sed ut redeam; unde digreſſus ſum, extat epiſtola Paulli ad Timotheum, ut, quam Rector & Conſilium Civitatis petierant, facultatem commercii cum Turcis inſtituendi concedat Raguſinis: dubium etenim erat, ne hanc a Patribus Baſileenſibus jam conceſſam irritam feciſſet Eugenius IV., qui acta Baſileenſium magna ex parte reprobaverat, & Synodum diſſolverat. Paruit autem litteris Pontificiis Timotheus; & ex auctoritate ſibi tradita Turcicæ negotiationis exercendæ poteſtatem tribuit, itemque eligendi Preſbyteri idonei & approbati, per quem ab omnibus cenſuris, quibus illigati fuiſſent ob commercium cum Turcis habitum, abſolvi poſſent. Cavere tamen eos jubet, nequid in poſterum cum Turcis contrahere audeant, niſi antea licentiam ab Epiſcopo impetraverint. Pontificis litteræ, & Archiepiſcopale decretum in hæc verba publicata fuerunt.

Paulli II. litteræ ad Timotheum Archiep.

Paulus Serv. Servorum Dei Ven. Fratri Archiepiſcopo Raguſino Sal. & Apoſtolicam Bened. Sinceræ devotionis affectus, quem dilecti Filii Rector & Conſilium Civitatis Raguſinæ ad nos, & Rom. gerunt Eccleſiam, promeretur, ut votis eorum in his præſertim, quæ præfatæ Civitatis opportunitatem & commoda concernere dignoſcuntur, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Sane ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Rectoris & Conſilii prædictorum petitio continebat, quia loca Civitati Raguſinæ vicina, ex quibus incolæ Raguſini victualia habere, & in quibus eorum mercantias exercere conſueverunt, a nonnullis temporibus citra pro magna parte in Turcorum ditionem venerunt, adeo ut quædam loca etiam infra duo milliaria dictæ Civitati propinqua per eoſdem Turcos occupantur, incolæ præfati cum eiſdem Turchis verſari & mercari quadam quaſi neceſſitate coguntur, nec poſſunt a mercatura, & converſatione hujuſmodi abſtinere ſine maximo ipſorum incommodo, & jactura. Quare pro parte Rectoris & Conſilii prædictorum, aſſerentium quod alias eis per Sedem Apoſtolicam uſque ad certum tempus tunc expreſſum, & jam elapſum, quod mercimonia quæcumque, exceptis ferro, & armaturis, ad illos deferre, & in illorum terris mercando verſari, & ab illis mercantias & bona quæcumque emere, & ad Civitatem prædictam, ac alia loca, de quibus eis videretur, deferre poſſent, conceſſum extitit, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis, quod incolæ Civitatis prædictæ & Territorii ejuſdem de cætero in partibus ditioni Turcorum hujuſmodi ſubjectis verſari, & ad eos, eorumque loca mercantias, & bona quæcumque, rebus offenſibilibus dumtaxat exceptis, deferre & ad Civitatem prædictam, & alia Chriſtianorum loca empta ab eiſdem Turchis reportare libere & licite poſſint, & valeant, indulgere, nec non illis, qui hactenus præmiſſa ab eiſdem Turchis detulerunt, ſeu cum illis converſati ſunt, ut Confeſſorem idoneum ſibi eligere, qui eos, & quemlibet ipſorum a præmiſſo exceſſu abſolvere, & eiſdem pœnitentiam ſalutarem injungere valeat, eligere poſſint, concedere, & alias ipſis, & eorum ſtatui ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de præmiſſis certam notitiam non habemus, Rectori & Conſilio Civitatis prædictæ pio & paterno compatientes affectu, & eorum in hac parte ſupplicationibus inclinati Fraternitati Tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, Univerſitati Civitatis prædictæ, quod incolæ Civitatis & Territorii ejuſdem de cætero in partibus ditioni Turcorum hujuſmodi ſubjectis

Digitized by Google

jectis versari, & ad eos eorumque loca mercantias, & bona quæcumque, rebus, cum quibus Christianos impugnare, seu illis quomodolibet nocere possent, dumtaxat exceptis, deferre, & ad Civitatem prædictam & alia Christianorum loca empta ab ejusdem Turchis reportare, quodque incolæ prædicti Sacerdotem idoneum, qui illos, qui post lapsum dictæ concessionis mercantias, & alia præmissa eisdem Turchis detulerunt, & in partibus illis conversati sunt, a reatu hujusmodi, ac sententia Excommunicationis, quam propterea incurrerunt, absolvere, & alia præmissa facere, & exequi possint, valeat, injuncta tamen ejusdem incolis pro modo culpæ pœnitentia salutari & aliis, quæ de jure fuerint injungenda, auctoritate nostra concedas. Non obstantibus constitutionibus, Ordinibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque, Præsentibus concessione ac litteris, quoad licentiam conversandi, ac mercantias deferendi, & reportandi hujusmodi ad beneplacitum nostrum tantummodo duraturis. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo XV. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno quinto. —— P. de Spinolis.

Timotheus Archiep. decretum.

Timotheus miseratione Divina Archiepiscopus Civitatis Ragusinæ, Diocesisque & Districtus ejusdem universis & singulis Christifidelibus, ad quas notitia præsentis Documenti sive Privilegii Nostri, imo verius S. Sedis Apostolicæ pervenerit, salutem & sinceram in Domino charitatem. Noverit Universitas vestra, qualiter millesimo, Indictione, Mense, Pontificatu, & Die infrascriptis personaliter est constitutus coram Nobis humiliter & reverenter, & pro parte Magnificæ Communitatis Illustrissimi Domini Ragusini circumspectus & egregius vir S. Bartholomeus de Sfondratis de Cremona dignissimus Secretarius præfatæ Communitatis, & Dominii, qui nuncupatus præsentavit nobis unam Bullam Sanctissimi Domini Nostri Papæ plumbo bullatam, prout ac sicut sua Beatitudo de præsenti utitur, ad Cordulam canapis more & stylo Sacrosanctæ Romanæ Curiæ vera Bulla, de qua sicuti sit facta mentio bullata, non abolita, non vitiata, non cancellata, non abrasa, nec in aliqua sui parte suspecta, sed omni prorsus vitio & suspicione carens. Cujus quidem Bullæ prælibati Sanctissimi Domini Nostri tenor talis est, videlicet. Paulus Episcopus &c. ut supra. *Quam quidem Bullam una cum petitione in ea inserta Nos Archiepiscopus præfatus ea, qua decet, reverentia & humilitate recepimus, & tanquam filius obedientiæ circa commissionem & mandatum nobis factum toto posse, & diligentia, sicut ac prout tenemur, mandato quo supra Nobis expresso præsertim, quemadmodum tenemur ex Pastorali Officio volentes ad præmissa omnia & singula, sicuti dicta, gesta, exposita, narrataque, & obtenta procedere ad ulteriora cum effectu, attenta prius supplicatione præfatæ Communitatis, ac Dominii nobis facta, ad quam relatio habeatur supra præmissis omnibus, & singulis, sicut supradictis expositis, allatis, & scriptis ad prælibatum Sanctissimum Dominum nostrum Papam Paulum secundum per præfatum Excellentissimum Dominium, & Communitatem Ragusin., consideratisque merito considerandis, quamquam prius habuimus consilium Sapientum, auctoritate prælibati Beatissimi Domini nostri Papæ, cujus in hac parte curam gerimus, dicimus, ratificamus, confirmamus, & approbamus supplicationem, & petitionem præfati Dominii & Communitatis in omnibus & per omnia, quemadmodum, ac prout & sicut in ea petitione, & supplicatione facta coram antelato Sanctissimo Domino nostro fit facta mentio. Hoc addito, & adjecto, quod unusquisque cujusvis conditionis, & gradus existat, teneatur, & debeat sibi eligere idoneum & sufficientem Confessorem tam de præmissis peractis, & perpetratis per ipsos, & quodlibet præmissorum, quam & ad futurum si quis agere & mercare voluerit hinc inde cum Turchis, semper prius obtenta licentia a prælibato Reverendissimo Domino Archiepiscopo supra præmissis omnibus & singulis, mandans præfatus Reverendis. Dominus meus Dom. Timotheus Archiepiscopus præfatæ Civitatis mihi Francisco de Paonibus, quatenus prælibato Excellentissimo Dominio, & suæ Magnificæ Communitati conficiam præsens publicum & autenticum Documentum & Privilegium ad futuram rei memoriam, quod quidem præfatus Dominus Præsul jussit, & mandavit suo majori Sigillo pendenti muniri & roborari anno Nativitatis Dominicæ millesimo quadringentesimo sexagesimo nono Indictione secunda, die vero Sabbati decima octava mensis Octobris, F. de Paonibus Notarius prælibati Reverendissimi Domini Archiepiscopi suo mandato scripsi, & in hanc formam redegi.*

Aliam ab eodem Pontifice epistolam accepit, ut Patribus Dominicanis Ragusinis potestatem largiretur Bibliothecæ & domus ex piis legatis, quamvis ad alios usus relictis, exstruendæ & perficiendæ: cujus hujusmodi est exemplum.

Paullus Episcopus Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiep. Ragusin. Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Paulli II. P. litteræ ad Tiltnotheum.

Sacræ Religionis, sub qua dilecti filii Prior & Fratres Domus Ragusin. Ordinis Fratrum Prædicatorum in humilitatis spiritu devotum & sedulum exhibent Altissimo famulatum, promeretur honestas, ut eorum votis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte Prioris & Fratrum Prædicatorum petitio continebat, quod cum ipsa domus in suis ædificiis perfecta non sit, sed adhuc careat multis necessariis officinis ac etiam libraria, quibus præfati Prior & Fratres commode carere non possunt, ipsi ex piis legatis, quæ nonnunquam eidem domui pro possessionibus, sive domibus, aut aliis perpetuis pro illa emendis redditibus per fideles fiunt, ex quibus ipsa domus in suis officinis & libraria perfici, & Fratrum in illa pro tempore Altissimo famulantium commoditatibus consuli posset, domum ipsam libenter perfici facerent. Quare pro parte Prioris & Fratrum prædictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsi, quæ de legatis eis, & dictæ eorum domui faciendis hujusmodi, ac si illa pro domibus, vel possessionibus aut aliis perpetuis pro dicta domo, vel ejus sacristia emendis redditibus, aut aliis ipsius domus, & ejus Fratrum usibus relicta fuerint, usque ad summam sexcentorum ducatorum auri in constructionem, perfectionem, & Librariam domus prædictæ convertere, & exponere, aut converti & exponi facere, libere, & licite valeant, licentiam concedere, ac alias super his opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur de præmissis certam notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, de præmissis omnibus & sin-

singulis, ac eorum circumstantiis universis auctoritate nostra per te ipsum te diligenter informes, & prout tibi videbitur, cujus super hoc conscientiam oneramus, super præmissa, sive de tota prædicta summa, sive de parte, Priori & Fratribus prædictis auctoritate nostra licentiam largiaris, non obstantibus testatorum voluntatibus, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque, proviso, quod si licentiam hujusmodi per te vigore præsentium concedi contigerit, prædicta summa in alios, quam prædictos usus nullatenus convertatur. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quadringentesimo Sexagesimo Nono, Tertio Idus Septembris, Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Timotheus ob Leges ecclesiasticas Senatus Ragusini offensus.

Cum Lucia vidua Viti Leutichii ædem S. Nicolai in valle Juncheti a Monachis Lacromensibus sibi suoque filio repeteret, quod illam in solo avito viri sui constructam esse assereret, causa delata est ad Timotheum, qui monumentis & rationibus, quæ in utramque partem afferebantur, accurate perpensis secundum Monachos sententiam tulit. Quamvis inter Senatum & Archiepiscopum summa esset studiorum & animorum consensio, seque inter se mutuis benevolentiæ officiis colerent, facere tamen Timotheus non potuit, quin Senatum graviter severeque admoneret, ut quasdam leges, quæ immunitati ecclesiasticæ officere videbantur, e publicis tabulis eraderet. Responsum est Archiepiscopo, nihil unquam Reipublicæ antiquius fuisse, quam ut libertatem Ecclesiæ sartam tectamque servaret: exponeret ipse, quænam esset illa legum Ragusiensium capita, quæ sibi displicerent. Extat Senatusconsultum in hæc verba: *Die 22. Februarii 1469..... Prima pars est, quod Rector, & Consiliarii alloquantur Archiepiscopum; nos credere ordines nostros esse honestos; quod si videntur ei aliquem defectum contra honorem Dei, & libertatem Ecclesiæ habere, illum libenter audiemus, & operam dabimus divinæ voluntati conformari.* Petiit Archiepiscopus, ut sibi ad Senatum adire liceret, & coram Patribus, quæ leges abrogandæ sibi viderentur, palam declarare, ac suæ declarationis rationem reddere. Visum non est Senatui ejus petitioni annuere; id siquidem neque priscorum ac recentum temporum consuetudini, neque dignitati Archiepiscopali consentaneum esset. Itaque *eodem anno 14. Martii*, de communi sententia decretum fuit, *excusationem faciendam esse cum Archiepiscopo, pro petitione, quam fecit veniendi ad Consilium Rogatorum.* Verum Timotheus cum hanc excusationem secus, quam oporteret, acciperet, & Senatum de industria tergiversari existimaret, severius fortasse, quam prudentius, universam civitatem interdicto ecclesiastico supposuit; ex quo ingens motus & tumultus factus est in urbe admodum religiosa, & hujusmodi censuris non assueta. Appetebant solemnia Paschalia; quare Senatus Archiepiscopum rogandum censuit, ut ne sanctissimis illis diebus cives templorum aditu, & divinorum mysteriorum perceptione prohiberet; id quod apparet ex Senatusconsulto: *Die 28. Martii 1469. Prima pars est, quod rogetur Archiepiscopus, ut permittat populum nostrum absolvi & communicare propter maximum tumultum existentem in Civitate; alioquin nos operam dabimus, ut cognoscat, id nobis displicuisse, & molestissimum esse.* Annuit Timotheus precibus Senatus, & civitatem interdicto exemit; præsertim cum antea viri quattuor ex ordine patricio missi fuissent, qui eum certiorem facerent, Senatum paratum esse antiquare omnia, quæ Summo Pontifici, ipsique displicerent. Et quidem promissis stetit, nam post maturam consultationem omnes leges, quæ immunitatem ecclesiasticam lædere videbantur, abrogavit. Multa deinde Senatus suæ erga Archiepiscopum reverentiæ ac submissionis documenta dedit, quæ omnem præteritæ offensionis memoriam abolerent. Siquid decernendum esset, quod ad jus ecclesiasticum quoquo modo pertinere videretur, Senatus, quamvis multis Privilegiis a Sede Apostolica concessis antiquis ac recentibus munitus esset, nihil tamen antea, quam Archiepiscopum consuleret, statuendum putabat: *Archiepiscopus*, ajebant, *consulatur ostensis strictis & litteris Oratoris nostri, qui est Romæ, & ejus consilium nobis referatur.* Quæstionem in quemdam Clericum institui cœptam ad Archiepiscopum remisit; *Archiepiscopo processus restituatur, qui procedat; quoniam ad ejus forum spectat, quia non intelligimus mittere falcem in messem alienam, nec procedere contra Ecclesiasticos, quia non spectat ad nos, sed ad ipsum Archiepiscopum.* Ut Archiepiscopo gratificaretur, tam viris, quam feminis aditum, ingressumque ad Collegia sacrarum Virginum Senatus interdixit; & Archiepiscopum oravit, ut interdictum auctoritate sua communiret, eique parendum curaret; *Die 5. Maji 1469. Prima pars est, quod Monasteria Monialium clausura stringantur; & ut cum effectu fiat, minus Consilium alloquatur Archiepiscopum, & sollicitet executionem.* Cum quidam & Senatus & Archiepiscopi vetantis imperium abnuerent, decretum fuit, ut Archiepiscopus cum Rectore & Consiliariis pœnas civiles & ecclesiasticas in contumaces constituerent: *Die 19. Julii, Prima pars est de dando libertatem D. Rectori, & suo minori Consilio essendi cum Archiepiscopo, & ponendi pro parte Dominii nostri illas pœnas, quæ eis videbuntur, pro illis qui ingrediuntur Monasteria.*

Anno 1470. invitatus cum esset ad Comitia Hungarica, nam jus subsellii & suffragii Ludovicus Rex Hungariæ Archiepiscopis Ragusinis contulerat, ut supra dictum est, culignam sive urceum, & malluvium argenteum non magis pondere, quam opere egregium fieri jusserat, quo vel ipsum Matthiam Regem Hungariæ, vel aliquem e primariis Regni Dynastis honoris & officii causa donare statuerat. Sed dum in Hungariam cogitabat, letalem in morbum incidit, quo intra paucos dies extinctus est. Urceum vero illum nondum absolutum & perfectum Christophoro fratris filio legavit, cujus ministerio ad res domesticas & agrarias curandas utebatur. Hic Bartholomæum de Sfondratis Scribam & Tabellionem Communis Ragusini rogavit, ut patruum de periculo mortis imminentis admoneret, ipsumque ad condendum testamentum hortaretur, & chirographum auctoritate publica, qua præditus erat, conficeret, ex quo constaret quid supremæ ejus voluntatis fuisset. Postulanti morem gessit Scriba, & hæc scripto tradidit.

Ejus testamentum.

Die 20. Aprilis 1470. Reverendissimus D. Timotheus Archiepiscopus Ragusinus jacebat in lecto

Ego infirmus, tamen sanus mente & sincerus intellectu, ad quem gratia visitationis iveram ego Bartholomæus de Sfondratis de Cremona, jurasus Notarius & Cancellarius Communis Ragusii, & etiam quia Christophorus de Maffeis ejusdem Domini Archiepiscopi nepos me rogaverat, ut instarem apud ipsum D. Archiepiscopum, quod si Deus aliter de eo vellet, provideretur ipsi Christophoro de ejus tempore, quo servierat ipsi D. Archiepiscopo. Post multa verba, quæ hinc inde de variis rebus locuti fuimus, cum mihi videretur, quod infirmitas sua esset gravis & periculosa, persuasus a me, ut siquid intendebat pro salute animæ suæ facere de his, quæ cum bona conscientia facere poterat, faceret, quia specialiter, quod hæc esset via, qua Deus eum convalescentiæ restitueret, respondit, Nunc sum multum gravatus, cras si Deus mihi vitam concesserit, dicam & faciam id quod erit meæ intentionis. Ego vero dicto D. Archiepiscopo respondi: Domine Archiepiscope, qui habet tempus, non expectet tempus. Ad quæ ipse D. Archiepiscopus respondit: Habeo libros, pecunias, & argenterias, quæ intendo distribuere pro anima mea, pro nunc autem dico, quod inter alia habeo boccale & bacile de argento, quæ fieri feci pro itinere Hungariæ, quod bacile & boccale est adhuc in manibus Aurificis: dictum boccale & bacile dono, trado, & assigno Christophoro nepoti meo sibi tibi Notario recipienti pro ipso Christophoro, quia ipsum amavi ut filium, & nihil sibi solvi pro mercede sua annorum trium, quibus mihi servivit: volo quod dictum boccale, & bacile sit suum, & quodammodo intelligatur suum, & tanquam res sua propria, & quod videatur computum pecuniarum, quas habuit Aurifex pro dicto boccali & bacili, & si quid restat solvi pro residuo pretii ipsius boccalis & bacilis solvatur de meis pecuniis dicto Aurifici; de libris autem, & pecuniis ac aliis argenteriis meis, Deo mihi vitam concedente cras faciam id quod mihi videbitur pro anima mea. De qua donatione, traditione & assignatione boccalis & bacilis ipse Christophorus redditus certior per me Bartholomæum Notarium, rogavit & requisivit me, ut pro ejus cautela ipsam donationem, traditionem, & assignationem notare deberem in actis Notariæ Ragusii, & sic pro debito officii mei, quod omnibus recte & fideliter impartiri teneor, dictam donationem, traditionem, & assignationem feci & notavi. Hæc autem charta nullo testimonio rumpi possit. Judex P. Bartholus de Gozze, & Manricbus Florii testis. Die 27. Apr. an. 1470. Christophorus de Maffeis, cui facta fuit donatio, traditio & assignatio conscripta boccalis & bacilis de argento, confessus fuit, quod habuit & accepit a Joanne Progonovich Aurifice dictum boccale & bacile, quod boccale & bacile ponderatum fuit, & receptum est ad rectum pondus libras sex unciam unam exagia quattuor &c.

et obiit an. 1470. Mortuus est Timotheus XII. Kal. Majas anno 1470. Eum ex acerbissimo animi sensu & dolore interiisse tradit Seraphinus Razzius, quem ceperat ex injuria gravissima & ignominiosa sibi a nobili quodam viro illata, & sepultum esse in Æde Cathedrali.

HIERONYMUS ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS XLVIII.

Nobili genere natus est Parmæ in urbe clarissima Galliæ Togatæ, sive Æmiliæ ex illustri familia Barnitia, quem a Sixto IV. consecratum, & Ragusiensibus Archiepiscopum datum Seraphinus Razzius docet; & ejus initia Pontificalia in annum 1472. fere omnes conferunt; sed error certe hic latet, ut postea notabimus. Hujus Archiepiscopatum memorabilem & insignem fecit lex a Senatu condita, quæ vetat eligi aliunde, quam ex Ordine Patricio Archidiaconum Ædis Cathedralis, estque relata in Codicem Decretorum Senatus Ragusini, ut in perpetuum valeret. Et eodem tempore ejusdem Senatus religio ac pietas enituit, tum in Archiepiscopalem dignitatem reverentia atque obsequium: quippe cum Archiepiscopus noctu lapidibus appetitus fuisset, illico lata lex est, & pœna indicta in hanc sententiam: *Qui projecit lapidem in Archiepiscopum secunda hora noctis, abscindatur manus; & si essent plures, & unus illorum accusator, parcatur ei; sed si accusator non esset delinquens, habeat a Communi.....300.* Ragusii diem obiit supremum, & in Basilicam Cathedralem illatus eodem, quo decessores, sepulcro conditus fuit. Hieronymus Archiep.

BARTHOLOMÆUS III. ARCHIEPISC. RAGUSINUS XLIX.

Huic *Claro* cognomen fuit, patria Senogallia, Civitas Umbriæ perantiqua & nobilis. Miror, quod a Sebastiano Dolci prætermissus fuerit, cum eum Seraphinus Razzius, Jacobus Luccarus, Joannes Gundula summo consensu inter Archiepiscopos Ragusienses adnumerent; & Luccarus, itemque Gundula ad annum 1476. adscribant. Duos annos eidem Razzius attribuit, & in Germania mortuum tradit; quo fortasse, inquit, cum titulo ac munere Internuncii Apostolici missus fuerat; ejusque sepulcro hoc distichon inscriptum. Bartholomæus Archiep.

Bartolus Antistes Clarus, Neutonia nomen
Cui dederat, gelido condor in hoc titulo.

Sed si standum est Tabulis Romanis, duos proximos superiores Archiepiscopos expungi oportet; in illis enim Ecclesia Ragusina *per obitum extra Curiam* vacasse dicitur pridie Id. Septembris anno 1470, eique Archiepiscopus præpositus fuisse Joannes Venereus, (Tomo 82. Obl. pag. 33.) ex quo fit, ut nihil loci ac temporis relinquatur neque Bartholomæo Claro, neque Hieronymo Barnitio. Si uterque retinendus est, ut retineri utrumque jubent Scriptores Ragusini, Pontificatum utriusque contrahere, atque in unius anni, & paucorum mensium angustias concludere necesse est. Cum igitur obierit Timotheus anno 1470. pauci menses restant, quos sibi suoque regimini Archiepiscopali Hieronymus & Bartholomæus vindicare possint: anno quippe 1470. mense Septembri vacabat Ecclesia, ut est in Tabulis Romanis.

JOANNES VI. ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS L.

Patria Rhecinetensis, Venerii de Veneriis filius, & Jacobi Venerei Ragusienfis Archiepiscopi ex fratre pronepos, ut Calcaneus tradit in Monum. Rhecinetensibus. Anno 1477., si credere libet Scriptoribus Ragusinis & Calcaneo, Archiepiscopatum suscepit; verum si fi- Joannes VI. Archiep. anno 1471.

Digitized by Google

des habenda Tabulis Romanis, anno 1470. prid. Idus Septembris Paullus II. ei Raguſinum Archiepiſcopatum contulit. (Tomo 82. Obl. pag. 33.) Cum Archiepiſcopatu, conceſſu Sedis Apoſtolicæ, conjunxit Sacerdotium ſatis opulentum Inſulæ Jupanæ, ut colligitur ex *Libr. Diverſ. Notariæ* apud eumdem Dolci: *Sub die 20. Decembris 1481. Reverendiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus D. Joannes Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Raguſinus: tanquam ille cujus Archiepiſcopatui per Sedem Apoſtolicam incorporata eſt Abatia Peteglene de Inſula Jupanæ &c.* Et in tabulis Sodalitatis Deiparæ Peklinenſis *a Gratiis* dictæ an. 1483. confectis hæc leguntur; *An. 1483. &c. Joannes de Reganeto Archiepiſcopus Raguſinus, tanquam Commendatarius Monaſterii Pacline de Zupana per ſe & ſucceſſores ſuos locavit Gaſtaldis Confraternitatis S. Michaelis de Zupana petium terreni medii ſoldi poſiti apud Eccleſiam S. Marie de Paclina, & hoc pro domo conſtruenda per ipſam Confraternitatem pro reſidentia & habitatione Capellani d. Fraternitatis pro affictu unius libre cere nitide ſingulis annis tradende dicte Eccleſie in feſto S. Michaelis &c.* De hac ſodalitate egimus in notis ad monumenta Congregationis Melitenſis. Alia etiam Sacerdotia ſibi collata a Rhecinetenſibus Sodalitatibus Mercatorum, & D. Luciæ uſque ad obitum Joannes retinuit.

Quædam erant ad religionem, & reipublicam ſpectantia, quæ ut recte gererentur, Pontificis aſſenſum poſtulabant; cum itaque Rector & Senatus ea Sixto IV. Pontifici ſupplices propoſuiſſent, is cumulatiſſime omnia conceſſit anno 1475., ut ex libello ſupplici, & reſponſis Pontificis apparet, quæ hic ſubjicio.

Libellus ſupplex Raguſienſium.

Beatiſſime Pater. Alias fel. rec. Paulus Papa ſecundus Prædeceſſor veſter intellecta lamentabili querela devotorum Oratorum Virorum Communitatis Civitatis Raguſinæ exponentium, quod ſæva, perfida, & horrenda Turcorum gens Chriſtiano nomini particulari quodam odio inimica, poſtquam Boſnæ, & magnam Siavoniæ, & Dalmatiæ partem uſque ad loca Civitatis prædictæ finitima occupaverant, eorumque feritate & hoſtilibus incurſibus dictæ Civitatis & illius temporali Dominio ſubditorum locorum incolis graviſſima damna intulerant, ac Chriſtianum ſanguinem ſitientes continue ultra progredi ad ipſam Civitatem & loca ei ſubdita expugnandum, & occupandum, magnaque damna eis inferendum ſe parabant, quodque incolæ præfati perſcripto illorum furori reſiſtere non poterant, ſed erant Chriſtifidelium auxiliarii plurimum opportuni, idem Prædeceſſor omnibus & ſingulis Chriſtifidelibus tam dictæ Civitatis ſubditis, qui perſonaliter vel cum pecunia, victualibus, armis, aliiſque rebus & bonis præfatæ Civitatis Raguſinæ contra dictos Turchos & alios ejuſdem fidei inimicos auxilium darent, ſubſidium, vel favorem, illis plenariam indulgentiam, veniam, & remiſſionem peccatorum conceſſit, quæ concedi conſuevit proficiſcentibus cum Cruciata in ſubſidium Terræ Sanctæ, & Sepulchri Dominici, aut aliis pro Chriſtianæ fidei defenſione ipſis pro retributione dicti boni æternæ ſalutis præmia pollicendo per quaſdam ſuas litteras biennio dumtaxat valere voluit. Et deinde biennio hujuſmodi ad aliud biennium a fine dicti primi biennii prorogavit, prout in ſingulis litteris prædictis plenius continetur. Cum autem, Pater Sancte, biennium primum, & pars ſecundi jam effluxerit, præfatique Incolæ Civitatis Raguſinæ, & locorum ejus prædictorum adhuc in ſimili periculo ſunt conſtituti, ſupplicant S. V. Oratores præfati, quatenus conceſſionem Prædeceſſoris præfati in longius tempus extendere, & porrigentibus auxilia, ut perfertur, etiam poſt decurſum dictum ſecundum biennium uſque ad decennium, ex tunc proxime futurum eamdem indulgentiam, & peccatorum remiſſionem concedere dignetur de gratia ſpeciali, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

Fiat, ut petitur, ad biennium.

Pro Clauſura, & reformatione quinque Monaſteriorum Monialium Raguſin. Prædeceſſor conceſſit certam indulgentiam ad biennium primo, & deinde ad aliud prorogavit. Petitur prorogari ad beneplacitum S. V.

Item, Pater Sancte, eidem Prædeceſſori pro parte dictorum Oratorum expoſito, quod in dicta Civitate erant quinque Monaſteria Monialium, quorum Moniales ſub clauſura minime vivebant, quodque Archiepiſcopus Raguſinus illarum ſtatui providere intendens eaſdem Moniales ad vivendum ſub perpetua Clauſura juxta Canonicas Sanctiones, & deſiderium Oratorum reducere intendebat, ut ſic ab illecebris & mundanis ſpectaculis ſeparatæ liberius corda ſua & corpora in ſanctimonia cuſtodirent, & earum vota Deo rederent Creatori; ſed quia hujuſmodi conſtruendæ Clauſuræ ſumma duorum millium Florenorum auri neceſſaria erat, quam nec ex Monaſteriorum eorumdem redditibus, quia tenues erant, redigere, nec ab Oratoribus, qui illis temporibus pro defendenda Civitate prædicta ab oppreſſionibus Turchorum, præ ſolito gravata erat, habere poterat, id efficere nequibat, quodque ſi concederetur eidem Archiepiſcopo, quod incolarum Civitatis prædictæ & locorum illius temporali Dominio ſubjectorum vota quæcumque eatenus per eos emiſſa, & pro tempore emittenda, in pium opus clauſuræ fabricæ eorumdem commutare poſſet, reperirentur aliqui Cives Raguſini, qui pecunias pro conſtruendis clauſtris ejuſmodi mutuarent ſpe illas rehabendi de pecuniis, quæ provenirent ex commutatione hujuſmodi, idem Prædeceſſor præfato Archiepiſcopo vota hujuſmodi emiſſa, etiam infra biennium tunc proxime futurum emittenda per quaſcumque Civitatis prædictæ ac Dioceſis Raguſinæ, nec non locorum ejuſdem Civitatis temporali Dominio ſubditorum perſonas tam Eccleſiaſticas etiam Religioſas, quam ſæculares, etiam ſi talia forent, ſuper quorum commutatione Sedes Apoſtolica foret alias merito conſulenda (ingrediendi Religionem, & caſtitatis vobis dumtaxat exceptis) in hujuſmodi opus fabricæ clauſurarum prædictarum, prout ſibi videretur commutandi, dicto durante biennio dumtaxat facultatem ſuis litteris conceſſit. Biennium prædictum ad aliud biennium deinde per alias ſuas litteras prorogavit, prout in eiſdem litteris plenius continetur. Cum autem, Pater Sancte, ex commutationibus hujuſmodi votorum opportuna pecunia pro fabrica præmiſſa redacta non fuerit, ſed amplior ſumma neceſſaria exiſtat, ſupplicant S. V. Oratores præfati, quatenus facultatem prædictam poſt finem dicti ſecundi biennii ad aliud tempus, de quo S. V. videbitur, prorogare dignetur de gratia ſpeciali, non obſtantibus quæ idem Prædeceſſor in dictis ſuis litteris voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Fiat ut petitur ad aliud biennium.

Quod

Digitized by Google

Quod modernus Archiepiſcopus procedere poſſit ad executionem litterarum Prædeceſſoris ſuper violatione Cimiterii ad defenſionem Civitatis.

Præterea, Pater Sancte, cum alias pro parte dictorum Oratorum eidem Prædeceſſori expoſito, quod ipſi ad obviandum furori Turchorum prædictorum latas & profundas foſſas extra & circa muros Civitatis prædictæ fieri facerent, & ex terra inde extracta certum Cimiterium inibi vicinum, cum quamplurimis ſepulturis coopertum, & ſubterratum extiterat, & in ipſo loco una domus de ipſorum Oratorum mandato conſtructa, in qua bombardæ conſlabantur, & alia pro defenſione dictæ Civitatis neceſſaria diſponebantur, ipſi Oratores dubitabant ſingulares perſonas dictæ Civitatis aliquas cenſuras incurriſſe, idem Prædeceſſor præfato Archiepiſcopo conceſſit, ut perſonas culpabiles in præmiſſis abſolveret, & eiſdem Oratoribus, quod domus prædicta ad eoſdem uſus tenere poſſent, dummodo oſſa & corpora inibi ſepulta ad aliud Cimiterium, ſi commode fieri poſſet, deferrentur, prout in litteris deſuper confectis plenius continetur. Cum autem, Pater Sancte, ad litterarum earumdem executionem, quæ de menſe Martii præcedente obitum Prædeceſſoris præfati expeditæ fuerunt, nondum proceſſum extiterit, & modernus Archiepiſcopus pro eo, quod Prædeceſſore vivente ſibi præſentatæ non fuerunt, dubitare videatur, an ad illarum executionem procedere poſſet, ſupplicant S. V. Oratores præfati, quatenus eidem Archiepiſcopo per unum Breve mandare dignemini, ut ad prædictarum litterarum executionem procedat in omnibus & per omnia perinde ac ſi dicto Prædeceſſore vivente litteræ ipſæ ſibi præſentatæ fuiſſent.

Fiat ut petitur juxta tenorem litterarum Prædeceſſoris Noſtri.

Quod Archiepiſcopus exercere poſſit juriſdictionem ſuam civiliter & criminaliter in Clericos ſuæ juriſdictioni ſubjectos, licet exemptos, & Officiales Sedis Apoſtolicæ.

Et inſuper cum nonnulli Clerici Civitatis & Diœceſis Raguſinæ ſub prætextu, quod Apoſtolicæ Sedis Acolythi, Protonotarii, Cameræ Apoſtolicæ Clerici, litterarum Apoſtolicarum Abbreviatores, ſive alios Sedis Apoſtolicæ Officiales exiſtunt, moliuntur juriſdictionem ordinariam deludere, & ſuorum exceſſuum impunitatem vindicare in animæ ſuæ periculum, & in pernicioſum exemplum & ſcandalum plurimorum, ſupplicant S. V. Oratores præfati, quatenus Archiepiſcopo Raguſino pro tempore exiſtenti, ut ſua ordinaria auctoritate ad quaſcumque Civitatis & Diœceſis prædictorum Eccleſiaſticas perſonas, alias ſuæ juriſdictioni ſubjectas, etiamſi Sedis Apoſtolicæ Acolythi, Capellani, Subdiaconi, Cameræ Apoſtolicæ Clerici, ſeu Sedis præfatæ Notarii, Litterarum prædictarum Abbreviatores, ſeu alios dictæ Sedis Officiales, aut quorumvis Cardinalium familiares forent, uti, & illam exercere in civilibus ac criminalibus libere & licite poſſit, & valeat in omnibus & per omnia perinde, ac ſi perſonæ ipſæ, ut præfertur, qualificatæ non exiſterent, concedere dignemini de gratia ſpeciali, non obſtantibus fel. rec. Joannis XXII. & Eugenii IV. Rom. Pontificum Prædeceſſorum veſtrorum Privilegiis, conceſſionibus, & indultis, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus & inhibitionibus in contrarium editis, factis quibuſcumque cum clauſulis opportunis & conſuetis; & perpetuo.

Fiat, & duret perpetuo, & quoad omnes prædictas perſonas qualeſcumque ſunt.

Abſolutio pro iis, qui ferrum ad minutum vendiderunt infidelibus, & equos & granum ad montem barcarum detulerunt cum licentia in ... durante bello.

Cæterum, Pater Sancte, cum nonnulli incolæ Civitatis & locorum prædictorum incolis locorum circumvicinorum olim dictæ Civitatis ſubditorum, nunc autem ditioni Turchorum ſubditorum, a quibus Oratores præfati non parvam commoditatem victualium pro tempore conſequuntur, nonnunquam ferrum ad minutum in Civitate prædicta vendiderint, & propterea cenſuras dubitant & pœnas in vendentes ferrum infidelibus a jure & Sede Apoſtolica promulgatas incurriſſe. Nonnulli vero dum in Terris Turchorum fuerunt, equos eis neceſſarios emerunt, & illos, quos habebant, interdum vendiderunt, dubitantque ſe propterea tali cenſura irretitos eſſe. Aliqui vero ex eis granum in Alexandria & Soria portaverint, illudque pro aliis mercantiis inibi perm utaverint, ac nonnunquam etiam granum ad montes barcarum ſimiliter portaverint, & cum infidelibus illarum partium homines nigros infideles pro grano hujuſmodi loco permutationis & cambii habuerint, quos poſtmodum tamquam ſervos Chriſti tamen fidelibus dumtaxat vendiderunt, ſupplicant S. V. Oratores præfati, quatenus omnes ipſius Civitatis & locorum ſubditorum incolas, qui ex præmiſſis cauſis, & aliqua earum cenſuras & pœnas hujuſmodi incurriſſent, ab exceſſibus & cenſuris & pœnis ejuſmodi, cujuſcumque conditionis & qualitatis exiſtant, abſolvi mandare, omnemque infamiæ maculam, & inhabilitatem, quam propterea incurriſſent, aboleri, ipſoſque in priſtinum, & eum ſtatum, in quo antea erant, reintegrari, remitti & reponi mandare, quodque de cætero præmiſſa libere & licite valeant durantibus bellis eorumdem Turchorum, & uſquequo Dalmatiæ & Boſniæ, & aliæ partes finitimæ per illos occupatæ recuperatæ fuerint, eis concedere dignemini de gratia ſpeciali, non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque, cum clauſulis opportunis & conſuetis.

Fiat, ut petitur, pro præterito, & pro omnibus, quicumque ſint, Civitatis & locorum ſubditorum incolis. Et cum dicta conceſſione quod in futurum præmiſſa facere poſſint durantibus bellis, attenta præmiſſa neceſſitate victualium, (Fiat ut ſupra).

Indulgentia pro Capella in Monaſterio Monialium S. Claræ Raguſinæ XX. Annorum.

Rurſus, Pater Sancte, ut Capella Monialium S. Claræ Raguſinæ Ordinis ejuſdem S. Claræ Raguſinæ, in quo Monaſterio quamplurimæ Nobiles Moniales dicti Ordinis vitam ducunt laudabilem & honeſtam, congruis frequentetur honoribus, & ex Chriſtifidelium ſuffragiis ejuſdem Capellæ & Monaſterii ædificia reparatione indigentia reparari & conſervari valeant, ac fideles ipſi ad id promptius manus porrigant adjutrices, dignetur S. V., omnibus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui Capellam ipſam in duobus feſtis in Cancellaria exprimendis annis ſingulis devote viſitaverint, & ad præmiſſa manus porrexerint adjutrices, XX. annos & totidem quadragenas, aut aliam, de qua S. V. videbitur, indulgentiam ac peccatorum remiſſionem elargiri.

Digitized by Google

Fiat, ut petitur, de Indulgentia XX. annorum. Et in duobus festis. Et de indulgentia XX. annorum, & totidem quadragenas. Fiat, ut supra, & duret perpetuo.

Quod Fratres domorum S. Francisci locorum vicinorum Civitati Ragusin. exonerentur a cura animarum exercenda, & loco ipsorum deputentur Presbyteri seculares.

Demum, Beatissime Pater, in singulis Canalis, & Slani, ac Omblæ, & Stagni locis Ragusinæ Dioecesis non multum distantibus a Civitate prædicta, dum illorum incolæ ad Catholicam fidem reducti fuerunt, pro salute animarum illorum singulæ domus Ordinis Fratrum Minorum constructæ, & competentibus redditibus ..... pro sustentatione inibi Fratrum in decente numero dotatæ fuerunt de bonis Oratorum præfatorum, ac eisdem Fratribus cura animarum incolarum locorum eorumdem commissa Apostolica auctoritate, & ipsæ domus, quæ pro tunc de Vicaria Bosniæ erant, postmodum ab eadem Vicaria segregatæ, & Provinciæ Dalmatiæ aggregatæ, ac illius Provinciali Vicario submissæ extiterint, & Guardiani, ac Fratres in eis pro tempore degentes cupiant ab hujusmodi animarum cura exonerari, & bonis, quæ habent domus præmissæ, carere, & juxta regularia instituta eorumdem, & sub illius observantia viram ducere, supplicant S. V. Oratores præfati, nec non Vice-Provinciales, & Fratres dictæ Provinciæ, quatenus domos prædictas, & illarum Guardianos ab onere curæ prædictæ prorsus & omnino liberare, ac bona eisdem domibus dudum assignata eisdem domibus adimere, & quod de cætero ad ipsas domos non pertineant, sed in dominio Rom. Ecclesiæ existant, statum eorumdem & bonorum eorum cum libera facultate illorum fructus, redditus, & proventus percipiendi per se, vel alios perpetuis futuris temporibus Thesaurariis, qui pro tempore per Communitatem prædictam deputantur ad inspiciendum necessitat. pauperum, illisque pia suffragia erogandum committere, quodque cura animarum prædictarum per aliquos Sacerdotes idoneos per eosdem Thesaurarios pro tempore ad eorum nutus amovibiles de consensu Ordinarii deputandos exerceatur, & domorum prædictarum fructus ac per eosdem Thesaurarios pro parte in eorumdem Sacerdotum substentationem, aliarumque personarum miserabilium, de quibus eisdem Thesaurariis videbitur, necessitates convertantur, ordinare & concedere dignemini de gratia speciali, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque cum clausulis opportunis & consuetis.

Fiat, quod Ordinarius provideat. Et quod Cura exerceatur per sacerdotes ad nutum amovibiles, ut præfertur, & fructus domorum distribuantur ad Thesaurarios, Fiat, ut supra.

Commutatio voluntatis Testatorum ad opus Monasterii Monialium Sanctæ Mariæ de Angelis Ragusini Ordinis S. Augustini sub habitu, cura, & secundum instituta Ordinis Fratrum Prædicatorum. Redditus sunt adeo tenues & exiles, ut CLX. florenorum auri de Camera communi æstimatione valorem annuum non excedentes, quod devotæ Oratrices vestræ Priorissa & Conventus dicti Monasterii ex eis se substentare, & onera alia eis incumbentia perferre commode nequeant; verum si pia voluntas quondam Nicii de Sorgo Civis Ragusini, qui condens de bonis ejus in sua ultima voluntate testamentum, inter alia voluit, quod de fructibus &c. cujusdam possessionis tunc expressæ sitæ in loco, qui de Malse dicitur extra Muros Ragusin. ascendentibus ad valorem annuum florenorum L. vel circa, darentur uni Sacerdoti, qui celebrant Missam in quadam Capella sita in dicta possessione, & fierent quattuor prandia personis quorumdam Monasteriorum tunc expressorum, & aliis pauperibus, prout in dicto testamento, cujus tenorem &c. placeat pro expresso habere, plenius continetur, in piam substentationem Priorissæ & Monialium prædictarum, & onerum eis incumbentium commutarentur, dictaque possessio, & illius fructus, quos in præmissas causas testator converti voluit, eidem Monasterio in perpetuum concederetur, ita tamen quod Priorissa, & Conventus præfati teneantur, easdem Missas, quas Testator in dicta Capella celebrari mandavit, in Ecclesia sive Capella dicti Monasterii facere celebrari, præfatæ Priorissæ & Monialium earumdem necessitatibus opportune consolaretur, animaque dicti Testatoris exinde pro eius salute non minora suffragia consequeretur, quam ex sua ordinatione prædicta; supplicant igitur S. V. devoti Oratores universi & Communitas Ragusin., & Oratrices præfatæ, quatenus earum necessitati providentes de consensu executorum dicti Testamenti piam voluntatem prædictam Testatoris præfati in piam substentationem earumdem ad supportationem onerum dicti Monasterii commutare, & dictam possessionem dicto Monasterio de Angelis dari & concedi, & perpetuo applicari mandare dignemini de gratia speciali, non obstantibus testamento prædicto, cui pro hac vice placeat derogare, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, monasticisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis, & consuetis.

Fiat, ut petitur, cum consensu quorum interest.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sexto Idus Martii anno primo.

Quod ad hoc postremum attinet, integrum habeo Sixti diploma ex Tomo 3. Bull. Dominic. pag. 490. quo Blasio Episcopo Mercanensi facultatem tribuit Pontifex, ut, re perpensa, & legitime probata, propositæ petitioni satisfaciat.

Diploma Sixti IV. pro Monialibus Dominic.

Sixtus Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Blasio Episcopo Marchanensi, in Civitate Ragusin. commoranti, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Benigne petitiones illas ad gratiam exauditionis admittimus &c. Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum Priorissæ, & Conventus Monasterii Monialium Sanctæ Mariæ de Angelis Ragusin., Ordinis S. Augustini, sub habitu, cura, & secundum instituta Fratrum Prædicatorum, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod fructus, redditus, & proventus dicti Monasterii sunt adeo tenues & exiles, &c. sequitur eadem, quæ superius, postulatio. *Quare pro parte Priorissæ & Conventus prædictarum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut piam voluntatem testatoris præfati in hujusmodi piam substentationem, & onerum dicti Monasterii supportationem convertere, dictamque possessionem eidem Monasterio dari, & concedi, ac perpetuo applicari, mandare, aliasque eis in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.*

Digitized by Google

remur: Nos igitur, qui de præmissis certam notitiam non habemus, hujusmodi, necnon dilectorum filiorum Communitatis Ragusin. Nobis super hoc humiliter supplicantium, supplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si, & postquam de præmissis tibi legitime constiterit, de consensu quorum interest, piam voluntatem testatoris præfati in pium opus sustentationis Prorissæ, & Conventus prædictarum, ac supportationis onerum eorumdem, ita tamen quod Prioriſſa & Conventus prædictæ tot Missas in Ecclesia Monasterii præfati celebrari facere teneantur perpetuis futuris temporibus quot Testator præfatus in Capella prædicta celebrari debere ordinavit, auctoritate nostra commutes, dictamque possessionem præfato Monasterio eadem auctoritate applices, & appropries, non obstantibus testamento prædicto, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo septuagesimo primo, sexto Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Idem Pontifex propensam in Ragusienses voluntatem, & promptum præterea animum declaravit in illorum defensionem ac subsidium, cum illos *a Turcis oppressos*, quippe Ragusinæ ditioni undique imminebant, *pecuniis, frumento & cæteris ad defensionem necessariis* maxime *juvit*, ut legitur in monum. mss. Pontificiæ legationis, quam Episcopus Theanensis hoc tempore obivit penes Imperatorem & Regem Hungariæ. Extant in Cod. CII. Bibl. Nanianæ Venetæ.

Joannes de Pistorio Ragusium venit.

Ragusium hoc tempore sua præsentia, suisque virtutibus ornavit vir piissimus Joannes de Pistorio familiæ Dominicanæ alumnus; qui, cum singulari ac prope cœlesti facundia præditus esset, ingentes pœnitentiæ fructus per Italiam retulerat evangelicis excursionibus. Hunc Sixtus Pontifex in Æmiliam proficisci jusserat, ut anno 1474. Forilivii sacras conciones haberet per statos quadragenarii jejunii dies; verum suam operam Ragusinis eodem anno pollicitus fuerat; quare rogatus Pontifex a Ferdinando Siciliæ Rege, ut Joanni potestatem faceret abeundi Ragusium, facile assensus est, ne tanti viri eloquio & doctrina careret ea civitas. Nec spem fefellit eventus; ubi etiam illud accidit sane præclarum de Ragusiensium religione, & virtute Joannis testimonium; quod, cum is ad urbem adventasset, & Senatus ac tota civitas obviam e mœnibus exiisset, ut publico honore exciperetur, Joannes, re comperta, divertit e via, & humanos veritus plausus per abditos calles urbem occulte intravit, *populum sancte fallens*, ut scribit Ecardus Tomo I. Script. sui Ordinis pag. 879. En vero Sixti litteræ ad Joannem.

Dilecto filio Johanni de Pistorio Ordinis Prædicatorum
Sixtus PP. IV.

Litteræ ad illum Sixti IV.

Dilecte fili, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Mandavimus tibi superioribus mensibus, ut ad Civitatem nostram Forlivii Verbum Dei doctrinamque evangelicam prædicaturus accederes; ignari, quod Ragusinis spem dedisses, pollicitusque esses proxima Quadragesima, te apud eos prædicaturum. Cum vero propter pollicitationem hujusmodi, cupis ipsis Ragusinis, sicut carissimus in Christo filius noster Ferdinandus Siciliæ Rex illustris suis ad Nos literis testatus est, satisfacere posse, tuo in hoc honesto desiderio annuentes, mandatum tibi per Nos, ut præfertur, factum relaxamus, & apud Ragusium juxta pollicitationem tuam, ire possis concedimus, contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXVIII. Novembris MCCCCLXXIII., Pontificatus nostri Anno tertio.

L. Grisus.

& ad Joannem Archiep. prò bibliotheca Dominic. PP.

Paullus II. Pontifex literis ad Timotheum Archiepiscopum datis benigne annuerat, ut Patres Dominicani Ragusienses, quæ iisdem bona aut largirentur pii homines aut legarent, Archiepiscopi consilio & voluntate in Bibliotheca construenda, & Cœnobio perficiendo possent impendere. Verum quinque fere anni excesserant, quibus nihil adjumenti vel pecunia, vel rebus aliis fuerat erogatum iis Patribus; qui propterea, cum nec incœpta opera fabricari, nec suis commodis providere ferme desperaverint, iterum Pontificem orarunt, quo sibi facultas esset cum Archiepiscopi tamen consensu ea legata insumendi in necessarios Cœnobii usus, quibus jam antea donati fuerant. Itaque Pontifex hoc anno 1474. assensus est; & ad Joannem Archiepiscopum scripsit, ut pro sua æquitate, ac justitia id præstaret, quod utile quidem Cœnobii fabricæ, sed legatarum rerum finibus non videretur injurium.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Nuper nobis exponi curarunt dilecti filii Prior, & Fratres domus S. Dominici Ragusin. Ordinis Fratrum Prædicatorum, quod quamvis ipsi a felicis recordationis Paullo II. nostro immediate Prædecessore, ut ei de piis legatis domui ipsi faciendis pro Bibliotheca construenda, domusque ipsius fabrica absolvenda disponendi, prout tuæ conscientiæ videretur, licentiam largiri mandari obtinuerant, jamque ad executionem literarum dicti Prædecessoris super hoc tibi directarum procedere sis paratus, tamen, quia admodum longum, ac quodammodo infinitum esset expectare, dum tot legata perveniant, quot sat erunt ad fabricam perficiendam, & Bibliothecam parandam, nec Bibliothecam parare nec fabricam, ut necessitas exigit, complere possunt. Quare pro parte ipsorum Prioris, & Fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut commoditatibus eorum ornamentoque domus præfatæ, benignitate paterna consulere, & ut de legatis jam factis eisdem Priori, ac Fratribus licentiam disponendi, alias tamen juxta seriem, ac tenorem literarum dicti Prædecessoris concedere possis, tenore præsentium, tibi Apostolica indulgemus auctoritate, Constitutionibus Apostolicis, voluntate testatorum, & aliorum in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XV. Februarii MCCCCLXXIV. Pontificatus nostri Anno tertio.

Dominicani Ragusienses ab Italis sejuncti.

Paucos ante annos duo Cœnobia Ordinis Prædicatorum Ragusiensia in unam societatem conjuncta fuerunt cum Cœnobiis Langobardicis in Italia, & ex utriusque una etiam provincia constituta fuerat consensu ipso, atque voluntate Senatus Ragusini. Sed cum plurimum inde incommodi obveniret Patribus Ragusinis tum propter locorum distantiam, & maritimi itineris

Digitized by Google

neris difficultates, tum maxime ob linguæ Illyricæ inſcitiam, quam plerique ex Italis ignorabant, juſſu Pontificis iterum ſejungi illos oportuit; & hac ſuper re datæ literæ hujuſmodi ad Leonardum de Manſuetis totius Ordinis Præſidem.

Litteræ Sixti PP. pro iiſdem.

Dilecto filio Leonardo de Manſuetis de Peruſio, Sacræ Theologiæ Profeſſori, Ordinis Prædicatorum Generali Magiſtro

Sixtus PP. IV.

Dilecte Fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Pridem ad ſupplicationem dilectorum filiorum Civium Raguſin. univimus Societati Lombardiæ tui Ordinis de Obſervantia duos Conventus ejuſdem Ordinis, & obſervantiæ, alterum intra, & alterum extra muros Raguſin. eoſque Vicario dictæ Societatis ſubjecimus, prout in noſtris deſuper confectis literis plenius continetur. Sed cum, ut nuper tua devotio Nobis expoſuit, unio hujuſmodi plurimum incommoda utrique parti eſſe videatur, tum ob deformitatem linguarum, tum ob locorum diſtantiam, mariſque periculum, adeoque Conventus ipſi bene regi per ipſam Societatem minime poſſint, propterea nomine utriuſque partis, quæ hoc deſiderant, Nobis ſupplicaſti, ut unionem ipſam, præmiſſis attentis, diſſolvere dignaremur. Itaque cum bonum regimen quorumcumque Religioſorum affectemus, prædictas cauſas, utpote rationabiles, paterno conſiderantes affectu, ſi ita eſt, harum ſerie Conventus ipſos Raguſinos a dicta Societate Lombardiæ, ejuſque Vicarii regimine liberamus, & diſſolvimus, volentes eos in primo ſtatu permanere perinde ac ſi literæ unionis prædictæ nullatenus emanaſſent. Præmiſſis literis, ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 1. Julii MCCCCLXXV. Pontificatus noſtri Anno quarto.

L. Grifus.

Tum aliis litteris idem Pontifex monuit Præſidem Vicarium Provinciæ Dalmaticæ Dominicanæ, cujus regimini ſuberant Cœnobia ſeverioris diſciplinæ, ſejunctos fuiſſe ab Italis Patres Raguſienſes, atque ſub poteſtate generalis Ordinis Præſidis ac Magiſtri conſtitutos.

Dilecto filio Thomæ, Sacræ Theologiæ Profeſſori, Vicario Conventuum Reformatorum Ordinis Prædicatorum Provinciæ Dalmatiæ

Sixtus PP. IV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Nuper ex certis reſpectibus duos tui Ordinis Conventus, unum intra, & alterum extra muros Raguſina. Societate Lombardiæ, cui uniti erant, ſeparavimus, unionemque hujuſmodi diſſolvimus, prout in literis noſtris in forma Brevis, deſuper confectis, & dilecto filio Leonardo de Manſuctis de Peruſio dicti Ordinis Generali directis plenius continetur. Quod devotioni tuæ ſignificandum duximus, ut tu quoque hujus rei notitiam habeas, & ſcias Conventus ipſos ſub præfato Generali, ſicut prius, eſſe, & gubernari debere. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die IX. Julii MCCCCLXXV., Pontificatus noſtri Anno quarto.

L. Grifus.

Eodem anno Patres Dominicani de injuriis ſibi per quoſdam viros nobiles illatis conqueſti ſunt ad Sedem Apoſtolicam; & cum contra præpotentium hominum factionem opeſque nullum ſibi eſſet in urbe perfugium, Sixti IV. opem implorarunt. Pontifex Archidiacono, Archipresbytero, & Vicario generali Eccleſiæ Catharenſis imperavit, ut de iis, quæ ad ſe delata fuerant, quæſtionem inſtituerent, & pro eo, ac juſtitia & æquitas poſcerent, ſententiam ferrent. Pontificiæ epiſtolæ hæc forma.

Sixtus Epiſcopus Servus Servorum Dei Dilectis Filiis Archidiacono, & Archipreſbytero Eccleſiæ Catharenſis, ac Vicario Ven. Fratris noſtri Epiſcopi Catharen. in Spiritualibus generali Sal. & Apoſtolicam bened. Conqueſti ſunt Nobis Prior & Fratres Domus S. Dominici Raguſin. Ordin. Prædicatorum, quod Marinus de Gondola, Helias de Bona, Jeronymus & Marinus de Gradi, Marinus de Gozzis, & quidam alii Clerici & Laici Raguſin. quaſdam graves iniurias eis irrogarunt. Cum autem dicti conquerentes, ſicut aſſerunt, potentiam ipſorum injuriantium merito perhorreſcentes eos infra Civitatem ſeu Dioceſim Raguſin. nequeant convenire ſecure, Diſcretioni Veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocati, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propoſitis, quod juſtum fuerit appellatione remota decernatis, facientes, quod decreveritis, per cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſervari. Quod ſi non omnes iis exequendis potueritis intereſſe, duo, aut unus veſtrum ea nihilominus exequantur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo quinto Kalendis Julii, Pontificatus Noſtri anno quarto. A. Oriens.

Franciſcani Raguſini a Dalmatis diviſi.

Ad ſedandas ſopiendaſque controverſias, quæ Raguſinis cum ceteris Franciſcanis Dalmatiæ ſane plures erant, nec dirimi poſſe videbantur, alteros ab alteris ſegregari placuit; & Dalmatis qui præeſſet, Vicarius datus eſt cum poteſtate convocandi habendique *Capituli*, ſeu *Conventus* provincialis; Raguſinis vero Sixtus IV. Oratoribus ab Senatu miſſis poſtulantibus, Præſidem dedit Petrum Tiburtinum Vicarium Provinciæ Romanæ, titulo Commiſſarii Apoſtolici ornatum, jure tamen cogendi Capituli Provincialis carentem. Hæc Waddingus ad an. 1477. & 1478.

Joannes Archiepiſcopus in Italiam & in patriam redux anno 1479. publico Rhecinetenſium decreto perhonorifice exceptus fuit, & muneribus ornatus; anno vero inſequenti, cum Jacobus Antonius Venereus Cardinalis diem ſupremum obiiſſet, Joannes ejus conſobrinus Rhecinetenſe illius palatium ſibi coemit, & civium ſuorum ſtudium omne, opemque expertus eſt, qui communi conſilio decreverunt, *quod omni tempore in perpetuum, quando opus erit, & Commune erit requiſitum, ſemper undique & favoribus & auxiliis opportunis aſſiſtatur per Commune, & faveatur poſſeſſio dicti Palatii pro dicto Archiepiſcopo, & ſucceſſoribus de domo ſua, prout in Bullis continetur, quibuſcumque contrariis non obſtantibus, quæ Bullæ ad perpetuam memoriam regiſtrentur in Cancellaria, & hoc juxta petitionem præfati Reverendiſſimi Archiepiſcopi Raguſini*; uti tradit Calcaneus. Sub hæc tempora Franciſcani Raguſinæ ditionis duo templa & Cœnobia ære collatitio piorum hominum ædificarunt, alterum in Inſula Media inter Jupanam & Calamotam, ad cultum & honorem natæ Virginis Deiparæ,

Duo Cœnobia Franciſcana conduntur in dioceſi Raguſina.

Digitized by Google

pæ, alterum in veteri Epidauro Divæ Mariæ ad Nives nomine consecratum, quod deinde anno 1490. Francisco Gozzeo Patritio Ragusino pecuniam & sumptus suppeditante, absolutum fuit. Cum familia Franciscana in hac ditione Ragusienſi numero Fratrum & Cœnobiorum eo crevisset, ut ad formam & magnitudinem justæ Provinciæ accederet, ex Decreto Capituli Generalis, quod anno 1483. in monte Alverniæ habitum fuit, jus nomenque Provinciæ obtinuit, Cœnobium Ragusinum S. Francisci simul incolebant tum Fratres illi, quos *Conventuales* vocant, tum illi, qui ab severiori disciplina *Observantes* appellantur; horum numero excrescente, anno 1480., ut est apud Waddingum, illi alio demigrare jussi totum domicilium antea utrisque commune solis Observantibus reliquerunt. Per hosce annos iterum ac tertio magnos terræmotus in Urbe totaque circum regione factos esse memoriæ proditum est, & multa ædificia tum publica tum privata corruisse. Pestilentia quoque Ragusium invasit, quæ non solum e plebe plurimos, sed etiam e nobilitate non paucos absumpsit. Anno 1482. in eadem, quam supra nominavi, Insula Media jacta sunt fundamenta templi ac Cœnobii Dominicani, sub titulo & auspiciis S. Vincentii Ferrerii, cum ad ædificationem utriusque & solum & pecuniam contribuisset Nicolaus de Zamagna reus voti; nam lue grassante utrumque voverat pro sua incolumitate. Tabulas facti solutique voti testes in hæc verba fieri voluit. *Die 16. Julii 1481. Ser Nicolaus filius olim Ser Viti Michaelis de Giamagna, animo & intentione satisfaciendi cuidam solemni voto per eum, ut dixit, facto gloriosissimæ Virgini Dei genitrici Mariæ, & glorioso S. Vincentio de Ordine Prædicatorum, ex certa scientia & deliberata dedit, & consignavit in perpetuum dictis Gloriosissimæ Virgini, & glorioso S. Vincentio, seu Venerabili sacræ paginæ Professori Magistro Matthæo de Ragusio Ord. Prædicatorum, Vicario generali dicti Ord. in Ragusio, & ejus districtu, præsenti & acceptanti pro dicto Ordine suo, pro Ecclesia, & Conventu, & hortalitiis fabricandis & construendis in Insula de Medio, sub titulo & vocabulo dicti S. Vincentii, & hoc, si & in quantum dicta Ecclesia & Conventus fabricabuntur & construentur in dicta Insula; aliter voluit hoc Instrumentum esse nullum, & nullius efficaciæ vel momenti; soldos circa tres, vel plus, vel minus, & totum illud de terreno, quod ipse Ser Nicolaus habet in plano ejusdem Insulæ Mediæ; ita quod prædictus Ordo Prædicatorum, seu agentes pro dicto Ordine, si dicta Ecclesia & Conventus fabricabuntur, amodo in antea, in perpetuum, dictum terrenum habeant, teneant, possideant, & usufructent, muniant, ædificent, fabricent, & construant, & jure proprii perpetuo teneant; & in ipso terreno faciant hortos, pomaria, zardinos, veridarium, Conventum, domum, dormitorium, cellas, refectorium, Capitulum, & singulas officinas, seu singulas fabricas, & singula laboreria, quæ erunt ad usum & commodum Fratrum, qui per tempora habitabunt in dicta Ecclesia & Conventu construenda, & fabricanda sub titulo & vocabulo glorioſi S. Vincentii Confessoris de Ordine Prædicatorum; & hoc fecit pro satisfactione voti per eum facti, & in remissionem peccatorum suorum, & pro salute animarum defunctorum suorum, & præcipue matris suæ, per successionem cujus dictum terrenum dicto Ser Nicolao pervenerat.* His tabulis hanc notam subjectam invenio in codice ms. Cœnobii Dominicani Ragusienſis: *Verum ne angustia loci, rerumque inopia (parum enim tanto operi Ser Nicolaus contulerat) ab incepto Fratres revocarentur, Terrarum, quas præfatus de Giamagna, quem donasse diximus, & Simon Damiani de Menze indivisas in præfata Insula possidebant, residuum in novi Cœnobii censum a dictis Nicolao & Simone, Ragusini Conventus ære Fratres coemerunt, præter æs in constructionem erogatum; id enim studium dilatandæ Religionis Fratribus insidebat.*

et finem Dominicanum.

Interea cum Joannes Ragusium reversus esset, sacerdotium S. Stephani Jupanæ insulæ per Patronos illius Ecclesiæ Francisco de Zamagnis collatum confirmavit anno 1482., uti ex ejus decreto, quod subjicimus.

Decretum Joannis Archiepiscopi secundum Franciscum de Zamagnis.

Joannes de Venereis Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Ragusinus Dilecto nobis in Christo Francisco de Zamagnio Rectore Ecclesiæ S. Stephani de Juppana partis superioris nostræ Diœcesis Ragusin. Salutem in Domino sempiternam. Generis Nobilitas, vitæ ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, quibus apud nos fide dignis testimoniis comprobaris, nos inducunt, ut te favoribus, quibus possumus, prosequamur. Cum siquidem nuper Ecclesia S. Stephani de Juppana Diœcesis Ragusinæ, quæ sine cura, & de jure patronatus Laicorum existit, per obitum b. m. Marini de Ragnis ultimi & immediati dictæ Ecclesiæ Rectoris, qui diem nunc clausit extremum, vacaret, Nobiles Viri S. Bartholus, & S. Christophorus fratres filii olim S. Marini de Zamagnio uti Patroni, & a veris Patronis & Fundatoribus dictæ Ecclesiæ S. Stephani orti, ad quos tam de jure, quam de antiqua consuetudine Rectorem in & ad dictam Ecclesiam S. Stephani præsentare spectat & pertinet, te infra juris terminum ad dictam Ecclesiam S. Stephani de Juppana partis superioris, & in ejus Rectorem coram nobis præsentaverunt, petentes humiliter dictam eorum præsentationem de persona tua ad dictam Ecclesiam factam, ut præfertur, admitti, approbari, laudari & confirmari, teque in prædicta Ecclesia sic præsentatum institui & investiri, ac in corporalem, & actualem possessionem ejusdem, juriumque, & pertinentiarum ejus induci; Nos Joannes Archiepiscopus præfatus habita prius diligenti informatione tam circa personam tuam, quam etiam circa jura dictorum patronorum, quos semper fuisse in continua possessione præsentandi ex actis Prædecessorum nostrorum reperimus, dictam præsentationem de persona tua per supradictos Patronos factam admisimus & admittimus per præsentes, eamque tamquam a veris Patronis factam juxta formam Sacrorum Canonum laudamus, approbamus, & confirmamus, teque in & ad dictam Ecclesiam instituimus, & investimus, quacumque alia præsentatione de persona cujuscumque alterius ad dictam Ecclesiam facta non obstante, mandantes nihilominus eximio utriusque juris Doctori Domino Matthæo de Ragnis Canonico Ragusino, quatenus vadat ad locum, & vice & nomine nostris præfatum te sic institutum in dictæ Ecclesiæ corporalem, realem, & actualem possessionem, ac jurium & pertinentiarum ejus inducat, & investiat, prout moris est, per tradi-

Digitized by Google

ditionem & assignationem clavium, & palæ Altaris, faciatque tibi de omnibus & singulis fructibus, redditibus, proventibus, ac juribus ac obventionibus universis integraliter, ut Rectori..... In quorum omnium & singulorum fidem, robur, & testimonium præmissorum præsentes nostras per infrascriptum Notarium fieri jussimus nostri sigilli appensione munitas. Datum Juppanæ Diœcesis Ragusinæ anno Domini MCDLXXXII. indictione XV. die vero XX. Martii Pontificatus SS. in Christo Patris & Domini nostri Domini Sixti Divina Providentia Papæ IV. anno XI.

Eodem instanti eximius utriusque juris Doctor Dominus Matthæus de Ragnis Canonicus Ragusinus retulit, iviſſe ad locum, & mandato præfati Reverendissimi Domini Archiepiscopi induxisse, & investivisse præfatum Franciscum de Zamagno in dicta Ecclesiæ realem, actualem, & corporalem possessionem traditione clavium & palæ Altaris assignatione, fecisseque eidem Clerico Francisco Rectori, ut supra, S. Stephani de omnibus fructibus, & ..... præsentibus ibidem testibus Venerabilibus Viris Domino Andrea de Cumanis Acolytho Apostolico, & Canonico Dulcinensi, ac etiam Domino Nicolao de Gletaldo Canonico Ragusino ad præmissa habitis & vocatis; & ego Stephanus Fil. Gaudentii de Cassnatiis Presbyter Ragusinus publicus Imperiali auctoritate Notarius & Judex Ordinarius, ac in præsentiarum Curiæ Archiepiscopalis Ragusinæ scriba, & Cancellarius juratus præmissis omnibus, & singulis, dum sic fierent, & agerentur, interfui una cum præfatis testibus, & ea rogatus scripsi, & in hanc publicam formam redegi, signo & nomine meis appositis solitis & consuetis.

Sixtus IV. anno post congregationem Clericorum & Laicorum sub titulo Cathedræ S. Petri antiquitus institutam, ejusque laudabiles leges piasque consuetudines atque opera ad Dei cultum, & vivorum atque mortuorum subsidium spectantia auctoritate Apostolica approbavit. Diploma Pontificium misit ad Episcopum Mercanensem, atque ad Cœnobiarchas Melitensem & Lacromensem, qui sodalibus ejusdem Congregationis illud evulgarent, iisdem essent præsidio atque auxilio, & quæ constituta atque confirmata fuerant, ab omnibus servanda curarent.

Diploma Sixti IV. pro Congregatione Cathedræ S. Petri.

Sixtus Episcopus Servus Servorum Dei Ven. Fratri Episcopo Mercanensi, dilectis filiis Melitensi, & de Lacroma Monasteriorum Ragusinæ Diœcesis Abbatibus Sal. & Apostolicam Bened. Hodie nonnulla statuta & ordinationes per dilectos Filios Confratres Confraternitatis sub invocatione Cathedræ S. Petri in Civitate Ragusina institutæ facta approbavimus & confirmavimus, ac eisdem Confratribus, ut quæcumque alia statuta & ordinationes honesta & rationabilia condere possent, concessimus, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca dilectioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, si & postquam dicta Litteræ vobis præsentatæ fuerint, per vos vel alium, seu alios prædictas Litteras ubi & quando expedierit, ac quoties pro parte dictorum Confratrum fueritis super hoc requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciatis statuta, & ordinationes prædicta tam facta, quam facienda inviolabiliter observari, non permittentes eosdem Confratres contra Statutorum & Ordinationum hujusmodi tenorem per quoscumque quomodolibet molestari. Contradictores per Censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstantibus omnibus, quæ in dictis litteris voluimus non obstare, aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possit, per Apostolicas litteras non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXIII. VII. Kal. Februarii Pontificatus Nostri anno XIII.

Romæ anno 1484. versabatur Joannes, &, cum Innocentius VIII. in Senatu Cardinalium de referendo in Divorum numerum Leopoldo sanctissimo Austriæ duce Patres sententiam rogaret, proximus post Cardinales suffragium tulit, ut est in Codice ms. Cærimoniarum D. Brochardi Clerici Argentinensis, & Magistri Cærimoniarum Capellæ Pontificiæ: *Die 25. Decembris in Consistorio secreto pro Canoniz. S. Leopoldi habito ab Innocentio VIII. anno 1484. immediate post Cardinales Rev. in Christo Pater Dominus Johannes Archiepiscopus Ragusinus &c.* Is Innocentio Pontifici carus fuit præ ceteris, & anno 1485. tum Piceni præfectura, tum Datarii munere ab illo ornatus fuit; quin cum anno insequenti nuptiæ Baptistæ Pontificis proneptis cum Ludovico Aragonio Romæ celebrarentur, Joannes ad id honoris, ac muneris delectus, ut coram Pontifice & nobilissimo Cardinalium, ac Principum conventu regios sponsos ecclesiastico ritu conjungeret, quod a Ciacconio memoriæ proditum: *Placuit Papæ, ut se præsente, & multis Cardinalibus & Principibus annulus nuptialis daretur &c. & Archiepiscopus Ragusinus eos invicem conjunxit*, Anno 1490. Fani Fortunæ præfecturam gerebat, quo etiam anno ibidem vita functus IV. Id. Augusti, & funebri pompa, cui principes civitatis viri interfuerunt, elatus est, ac in templo Fratrum D. Augustini perhonorifice conditus. Hæc Ammianus in Historia Fanensi. Huic Angelum nescio quem Ariminensem suffectum fuisse anno 1492. Razzius, Luccarus, Gundula tradunt, idemque confirmat Julius Cæsar Ricciardellus parte 2. Lycæi Eccles. in catalogo illustrium virorum Ariminensium: quos falsitatis arguit liber *Partium*, seu Decretorum Senatus Ragusini, ubi ad annum 1489. diemque undecimum Junii scriptum est; *Dicatur Canonicis, ut eligant Archiepiscopum F. Marinum de Urbe Arimini Ordinis S. Augustini*. Repugnarunt Canonici; quod cum ægre ferret Senatus, ab Innocentio VIII. Archiepiscopum postulavit. Hinc conjicimus Joannem anno ante, quam decederet, Archiepiscopatu se abdicasse. Per idem fere tempus Collegium Canonicorum Ragusinæ Ecclesiæ benemereri voluit de Dominicana familia; &, ut in exstruendum eorum Cœnobium subsidia augerentur, unanimi Canonicorum consensu ac decreto agri pars quædam, quam in Insula Media Canonici possidebant, dono tradita fuit Patribus Dominicanis, & donatio publicis tabulis consignata. Sed, cum rata hæc & firma esse non posset, nisi Pontificis auctoritas & assensus intercederet, Innocentius VIII. tum a Canonicis rogatus, tum ab ipsis Patribus, quæ inter utrosque transacta jam fuerant, hisce litteris confirmavit,

Gesta quædam Joannis Archiep.

et obitus.

Innoc-

Innocentius VIII. P. confirmat donationem a Canonicis Raguſ. factam PP. Dominicanis.

Innocentius PP. VIII. Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Dudum, ſicut accepimus, dilecti filii Canonici, & Capitulum Eccleſiæ Raguſin. capitulariter congregati vobis tres ſolidos terræ, in Inſula, quæ Media dicitur, ſitæ, annui fructus duorum ducatorum, ad ædificandum in ea Eccleſiam, Domum, dormitorium, refectorium, clauſtrum, hortalitia, aliaſque neceſſarias officinas, ut haberetis tempore peſtis, quo confugere poſſetis, liberaliter donaverunt, prout in publico Inſtrumento deſuper confecto, & in actibus Cancellariæ Raguſin. deſcripto, cujus tenorem hic haberi volumus pro expreſſo, plenius dicitur contineri. Cum autem vos deſideratis donationem prædictam pro illius ſubſiſtentia firmiori Apoſtolicam auctoritatem confirmari, & Nobis tam vos quam Canonici, & Capitulum præfati deſuper humiliter ſupplicaveritis, Nos hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, donationem eamdem vobis, ut præfertur, factam, Apoſtolica auctoritate, præſentium tenore, approbamus, & confirmamus, & quatenus opus ſit de novo etiam concedimus, ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſiqui forſan in ea intervenerint. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Eccleſiæ Raguſin. & Ordinis veſtri ſtatutis, & conſuetudinibus etiam juramento, & confirmatione Apoſtolica, vel alias quomodolibet roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XIX. Decembris MCCCCLXXXVI., Pontificatus noſtri Anno tertio.

Hier. Balbanus

JOANNES VII. ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS LI.

Joannes VII. Archiep. an. 1490.

Multis honorificis præfecturis, imperiis, ac muneribus magna cum gloria functus, eccleſiaſticis, civilibus, bellicis laudibus abundans, Natus eſt Siroli in agro Anconitano anno 1449. ex vetuſta familia, cui cognomen *Saccus*, ſeu *de Sacchis* fuit. Hunc Eccleſiæ Marianæ *a Platea* dictæ in ſua urbe Præpoſitum Innocentius VIII. Raguſienſibus petentibus Archiepiſcopum dedit; *Anno* 1490. 29. *Auguſti*, ut eſt in Actis Conſiſtorialibus, *providit de perſona R. P. Domini Joannis de Sacchis ſuæ Sanctitatis Datarii Eccleſiæ Raguſinæ per obitum D. Joannis nuper defuncti illius ultimi Archiepiſcopi extra Rom. Curiam vacantis.* Extat in Bibliotheca familiæ Florentinæ Lucenſis vetuſtus *Codex chartaceus in fol.* cujus a ſe inſpecti meminit Franciſcus Antonius Zacharia in ſuo Itinere litteratio, part. 1. cap. 1. *contineus librum Taxarum omnium Eccleſiarum, & Monaſteriorum diligentiſſime emendatum ad exemplar libri ſacri Collagii & Cameræ Apoſtolicæ. In fine legitur: Explicit liber Taxarum beneficio & impenſis Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini Domini Joannis Sacci Anconitani Archiepiſcopi Raguſini, Innocentii VIII. Pontif. Max. Datarii diligenter, fideliter, ſtudioſe ſcriptus, correctus cum libris Cameræ Apoſtolicæ, perfectuſque per me Simonem de Porciis de Novaria ipſius Summi Pontificis Scutiferum, Taxaque plumbi collectorem 3. Kal. Februarii A. D. 1491. Pontificatus ejuſdem anno ſeptimo.* Vir talis dignus viſus fuit, qui ſine ulla cunctatione ad Sedem Archiepiſcopalem admitteretur; factumque eſt decretum in hæc verba: *Accipiatur Archiepiſcopus a Papa datus, videlicet Joannes de Ancona SS. D. Papæ Datarius.* Eodem anno poſt tertiam Dominicam diem ſolemnium jejuniorum Raguſium venit ingenti omnium lætitia & gratulatione, quem eleganti oratione laudavit Marinus Becichemus, qui tum litteras politiores adoleſcentibus Raguſinis tradebat. Annos fere quindecim Archiepiſcopatum Raguſienſem retinuit, ſed fere ſemper abfuit, cum eum præfecturæ, legationes, & graviſſima quæque negotia Curiæ Romanæ alio avocarent. Quocirca plerumque abſens Eccleſiam adminiſtravit per ſuos Vicarios.

Eccleſiam ſuam abſens adminiſtravit.

Controverſia de brachio S. Joannis Baptiſtæ.

F. Georgius Dragelich ex familia Franciſcana de partibus Orientis Raguſium veniens Brachium S. Joannis Baptiſtæ ſecum deferebat. Forte evenit, ut lethalem in morbum incideret; & in extremum vitæ periculum adductus ſacroſanctum Brachium apud Nicolaum Bona, & Paſchalem de Gozzeis viros patritios ſub ea conditione depoſuit, ut illud, ſiquidem ipſe moreretur, apud ſe retinerent; ſi vero ſuperſtes evaderet, ſibi redderent; nam pretioſiſſimum illud munus Florentinis, quorum civitas ſanctiſſimi illius Præcurſoris patrocinio ſubeſt, deſponſum ac deſtinatum fuerat. Et Georgius quidem convaluit; ſed Brachium repoſcenti reſtituere conſtantiſſime illi abnuebant; neque ullis rationibus & precibus adduci poterant, ut tali ac tanto theſauro ſe & patriam privarent, Cum Florentini ſemel atque iterum a Raguſinis, quod ſibi promiſſum fuerat, & debitum, nequidquam repetiiſſent, primum Romani Pontificis, deinde Imperatoris Turcarum auctoritatem interponendam curarunt; ad quem hæc ſcripta epiſtola a Bartholomæo Scala Reipublicæ Florentinæ nomine, qui tum publicum ac princeps inter ſcribas *Cancellarii*, ut ajunt, munus gerebat; & extat etiam in Collect. Vet. Monim. quæ Bandinus edidit an. 1752.

De qua Florentinorum litteræ ad Regem Turcarum.

Glorioſiſſime Princeps, & Excellentiſſime Domine Salutem. Jure forſan quis nunc mirabitur, quod Nos a Te religioſum munus expetamus, ſed erunt nimirum, qui ita mirentur, indocti Naturæ tuæ, & Magnitudinis animi & religionis. Cur enim Nos ad eum Principem, qui ſemper pro Religione ſua pugnat, dubitabimus beneficium petere quod ad noſtram pertineat? Adde amicitiam noſtram; adde conſuetudinem tuam gratificandi Nobis, quæ omnia faciunt ut in maximo quodam deſiderio noſtro & Florentinæ Gentis ad tuam operam refugiamus, ut quod jure (niſi noſmet fallimur) petimus, tuo munere conſequamur. Res eſt hujuſmodi. Rediens ab Hyeruſalem, & a Chriſti Sepulchro Frater Georgius Drachiſie Jacenſis homo Ungarus, Religione Divi Franciſci clarus, ſecum adferebat Brachium Joannis Baptiſtæ ſiniſtrum, ut id ad nos perduceret, ac dono daret, quod noviſſet ita rem eſſe Nobis gratiſſimam facturum. Raguſiam cum adveniſſet, incidit in ægritudinem, & venit in vitæ ſuæ dubitationem. Quare Brachium apud Nicolaum de Bona, & Bartholum Gotiis Raguſeos Cives depoſuit, & quidem ea conditione, ut ſi mori eum contigiſſet, ipſi poſſeſſionem Brachii liberam inirent, ſin ſuperviveret, & morbo liberaretur, redderent illi depoſitum, ut quod animo intenderat poſſet perficere, atque hunc ad nos Joannis Baptiſtæ Brachium deferre. Quod ita eſſe publicis etiam quibuſdam ſcriptis ad id factis declaratur. Cum deinde convaluiſſet, huc ſe contulit, & cum rem omnem, ut ſe ſe habuerat, narraviſſet, tamen ſe donare Civitatem Floren-

Digitized by Google

ventinam eo munere velle adſeruit, & adhibitis Notariis publicis, ea mandari ſcriptis voluit. Nos ex ea donatione in jus ejus Brachii legitimum venimus. Egimus noſtram cauſam cum Raguſeis, eoſque pro noſtra amicitia ſumus hortati, ut inducant tandem nos in ejus Brachii poſſeſſionem; ſed ſunt adhuc in abnuendo pertinaciores. Putavimus tua auctoritate, quæ omnibus in rebus, atque in univerſo Orbe permaxima eſt, facile illos commoveri poſſe. Te igitur majorem in modum plurimum rogamus, invicte Princeps, ut nomen atque auctoritatem tuam cum Raguſeis interponas, ut nos Sancti Joannis Brachium (nobis debitum) recuperemus. Nos certe nihil eſt, quod majus a quoquam petere poſſimus beneficium. Vivit noſtra Civitas ſub Numine potiſſimum Joannis Baptiſtæ, & certe is magnus Propheta. Si affeceris opera tua nos iſto munere, perpetuo atque æterno beneficio obligaveris tibi iſtam urbem, quæ tamen tot tantaque merita a te jam conſecuta eſt, ut vix addi ad cumulum quidquam poſſit. Vale. Ex Palatio noſtro die X. Maji Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo primo.

(Priores Libertatis) Pop. Florentini,
(Vexilliferi Juſtitiæ)
Barth. Scala.

Extra. Glorioſiſſimo Principi, & Excellentiſſimo Domino, Domino Bayaſit Ottoman Conſtantinopolis, totius Aſiæ, & Græciæ Imperatori, Domino beneficentiſſimo.

Innocentius vero Pontifex binis litteris ad Rectorem & Conſilium Civitatis admonuit ac præcepit, ut ſacratiſſimum illud Brachium Joanni Camerinenſi ſuo Internuncio ad ſe deferendum traderent, ſibi curæ futurum, ut illud Florentiam tranſmitteret. Alteram ex Pontificiis epiſtolis hic ſubjicio.

Ad Pontifices ad Raguſinos.

Innocentius Papa VIII. Dilecti filii Sal. & Apoſtolicam bened. Sperabamus dilectum filium Joannem Camerinen., quem ad vos, ut ei ſiniſtrum B. Joannis Baptiſtæ Brachium penes quoſdam Concives veſtros a Fratre Georgio Draghiſcich Ordin. Minor. S. Franciſci depoſitum, ad nos deferendum conſignaretis, ſpecialiter cum litteris ſuper hoc noſtris miſeramus, propediem cum eodem Brachio affuturum. Et nos ejuſdem Brachii loco litteras ab ipſo Joanne accepimus, quibus ſignificat, vos illud ei hactenus nec conſignare voluiſſe, nec etiam cognita difficultate, & inobedientia veſtra ſuper hoc negotio, ut credebat, conſignaturos. Quod profecto non ſine ſumma animi moleſtia intelleximus, neque poſſumus ſatis non mirari, vos, qui ſemper Sedi Apoſtolicæ & Rom. Pontificibus obedientiſſimi, & obſequentiſſimi fuiſtis, a veſtro laudabili inſtituto deviaſſe, & efficaciſſimis hortationibus, & mandatis noſtris non obtemperaſſe. Et propterea has ſecundas litteras ad vos deſtinare voluimus hortantes & requirentes iterum paterno affectu devotionem veſtram, vobis diſtricte præcipiendo mandantes, ut viſis præſentibus Brachium ipſum, quod tantopere Nos deſiderare per alias noſtras litteras ex rationibus & cauſis in eis contentis oſtendimus, eidem Joanni ſine ulteriori dilatione ad nos perferendum tradatis. Quod ſi, ut ſperamus, & optamus, atque, ut juſtum eſt, feceritis, non diſcedetis a continuata hactenus & laudabili veſtra conſuetudine, & ab eo, quod decet Catholicum Populum; ſin autem in iſta inobedientia, quod abſit, perſeverabitis, cogitare debetis, nos facere non poſſe, quin hujus Sanctæ Sedis, ac noſtri honoris aliis magis opportunis remediis rationem habeamus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VII. Sept. MCCCCXC. Pontificatus noſtri Anno ſexto. Hie. Balbanus.

Extra. Dilectis filiis Rectori & Conſilio Civitatis Raguſii. Accepta Die 25. Septembr. 1490.

Sed inſignia hæc lipſana adhuc in Æde Cathedrali Raguſina præcipuo honore coluntur. Extant præterea Innocentii epiſtolæ duæ ad Raguſinos datæ eodem anno, ac die, Raguſinis facultatem confirmat negotiationis cum Turcis, aliiſque populis a Fide Chriſtiana alienis exercendæ, modo ad eos non deferant arma, aut alia bellica inſtrumenta, quibus ad Chriſtianos oppugnandos abutantur.

De ædificatione Cœnobii Virginum S. Claræ

Marinus Zupanus de Bona bis mille & quingentos argenteos teſtamento reliquerat, ex quibus ædificari jubebat templum & Collegium Virginibus S. Claræ ſub titulo SS. Apoſtolorum. Si vero hujuſmodi ædificatio ultra ſex annos prorogaretur, ex illa pecunia duo millia Venetias tranſferri jubebat, & tribus vel quatuor piis Scholis S. Joannis, S. Marci, de Miſericordia, & Caritatis diſtribui quingentos in ſingulas, atque apud illas collocari, ponique in fœnore. Reliquos autem quingentos Præfectis ærarii publici tradi voluit, quos in emptionem bonorum ſtabilium impenderent. Annuos vero fructus ex illa totius pecuniæ ſumma perceptos in pauperes erogari juſſit. Sed cum neque intra præſcriptum ſexennium, neque intra biennium ex indulgentia Innocentii additum res perfici potuiſſet, Curatores teſtamenti ab eodem Pontifice poſtularunt, ut tres inſuper anni ad templum & Cœnobium conſtruendum ſibi prorogarentur; quibus Pontifex hiſce litteris aſſenſus eſt.

Litteræ Innocentii VIII. PP.

Innocentius PP. VIII. Dilecti Filii, Sal. & Apoſtolicam Bened. Alias Nobis expoſito, quod quondam Marinus de Zupan. de Bona Civis Raguſin. ſuo ultimo, quod condiderat, teſtamento inter alia ordinaverat, quod duo millia & quingenti ducati in fabricam & erectionem unius Monaſterii Monialium Ordinis S. Claræ ſub invocatione Apoſtolorum, quæ ſub cura Fratrum Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatorum degerent: quod ſi dictum Monaſterium infra ſex annos hujuſmodi non ædificaretur, duo millia Ducatorum inter S. Marci, S. Joannis, de Miſericordia, ac Caritatis Civitatis Venetiarum Scholas pro rata dividerentur: itaque cuilibet ex dictis Scholis quingenti ducati aſſignarentur, ex quibus Deputati Regimini earumdem Scholarum impreſtita Venetiis emerent, ſi per Theologos declararetur, illa cum ſana conſcientia emi poſſe, ſin minus, bona immobilia: quingenti vero Ducati reſtantes Officio Theſaurarii Raguſin. traderentur, ex quibus ſimiliter bona immobilia emerentur. Quorum omnium fructus, redditus & proventus inter pauperes indigentes diſtribuerentur, prout in dicto Teſtamento plenius aſſerebatur contineri. Nos tunc certis de cauſis moti ſexennium prædictum ad biennium tunc proxime futurum prorogavimus. Nuper autem Nobis humiliter ſupplicare curaſtis, ut cum plures legitimæ cauſæ intervenerint, propter quas præfatum Monaſterium cum Eccleſia in dicto termino fabricari non potuerit, & pro illius perfectione majori pecunia opus ſit, ac duo millia Ducatorum præfatis Scholis hactenus aſſignata non fuerint, nec declaratum appareat, an dicta

Digitized by Google

ta Impreſtita licite emi poſſint, dignaremur biennium prædictum, quo dictum Monaſterium melius perfici poſſit, ad aliquod aliud tempus etiam prorogare. Nos veſtris hujuſmodi ſupplicationibus inclinati biennium præfatum ad triennium ab illius fine computandum Apoſtolica auctoritate præſentium tenore extendimus & prorogamus; præmiſſis, ac voluntate dicti Teſtatoris, nec non Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIII. Aprilis milleſimo quadringenteſimo nonageſimo primo, Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Sed poſt triennium huic prorogatum ædificationi, ex legata pecunia conſtructum non fuit, & fortaſſe ne inchoatum quidem Templum ac Monaſterium. Hujus conditi ac perfecti laus debetur Martino Imperio civi Raguſino; niſi forte, ut mihi venit in mentem ſuſpicari, Martinus Imperius idem ſit atque Marinus de Bona, cui *Imperii* alterum cognomen fuerit. Certe paucis poſt annis ex teſtamento & pecunia Martini Imperii Monaſterium illud & Templum exædificatum fuit pro Virginibus illuc recipiendis, quæ ad Inſtitutum ac diſciplinam S.Claræ aggregari vellent, ut declarat epiſtola Alexandri VI. anno 1501. Romæ apud S.Petrum data, & inſcripta *Dilecto Filio Vicario Ven. Fratris noſtri Archiepiſcopi Raguſini*. Huic commendat Collegium Virginum Raguſienſium S. Claræ ante aliquot annos apud S. Petri Novi conditum, & quæ pro illis Virginibus alendis, eiſdemque attribuenda Æde S. Petri Senatus poſtulaverat, concedit, jubetque ea, quæ ad rectam inſtitutionem ac disciplinam pertinent, illis præſcribere, in hanc ſententiam.

Alexandri VI. P. Litteræ pro novo Cœnobio Raguſino S.Claræ.

Dilecto Filio &c. Injunctum nobis deſuper &c. Dudum ſiquidem per nos accepto, quod Eccleſia S. Petri Majoris Raguſin. quæ de jure patronatus laicorum exiſtebat, & quam quondam Franciſcus de Gradis ipſius Eccleſiæ Rector, dum viveret, obtinebat, per obitum ejuſdem Franciſci, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacaverat & vacabat tunc, & pro parte dilectorum filiorum Rectoris & Conſilii Civitatis Raguſin. nobis expoſito, quod ipſi Rector & Conſilium ex ordinatione quondam Martini Quperii (Imperii) Civis Raguſini, unum Monaſterium Monialium Ordinis Sanctæ Claræ Regularis Obſervantiæ nuncupatarum illarum partium, dum viveret, conſtrui facere tenebantur, & tam pro adimplenda pia voluntate dicti Martini, quam etiam ad hoc ut puellæ virgines, & aliæ mulieres ſub regulari Obſervantia dicti Ordinis Sanctæ Claræ divinis officiis vacare poſſent, locus ejuſdem Eccleſiæ commodus & honeſtus exiſtebat pro erectione unius Monaſterii Monialium Regularis Obſervantiæ dicti Ordinis Sanctæ Claræ.

Nos tunc dictorum Rectoris & Conſilii in ea parte ſupplicationibus inclinati tibi aliis noſtris litteris dedimus in mandatis, quatenus per te vel alium, ſeu alios in dicta Eccleſia, quæ ſine cura erat, dummodo illa ad prophanos uſus non reduceretur, & ad hoc dictorum patronorum expreſſus accederet aſſenſus, nomen & titulum beneficii ſupprimere & extinguere, ac dictis Rectori & Conſilio apud eamdem Eccleſiam, in qua aliquando divina officia celebrarent, unum Monaſterium cum Oratorio, Eccleſia, Campanili, humili campana, cœmeterio, refectorio, dormitorio, hortis, & hortalitiis, ac aliis officinis neceſſariis conſtrui, & ædificari faciendi licentiam & facultatem concedere, & illud poſtquam ſufficienti clauſura munitum foret, in Monaſterium Monialium dicti Ordinis Sanctæ Claræ, quæ inibi ſub Regulari Obſervantia, & ſub cura dicti Vicarii Provincialis Altiſſimo famularentur ſub invocatione SS. Apoſtolorum, ſine alicujus præjudicio erigere, illique ſic erecto ſtructuras & ædificia, ac bona omnia dictæ Eccleſiæ perpetuo applicare & appropriare, dictumque Monaſterium ſic erectum cum illius Abbatiſſa pro tempore, ac Conventu, Monialibus & perſonis, curæ, directioni & viſitationi & correctioni dicti Vicarii ſubjicere & ſubmittere, & ab aliorum quorumlibet viſitatione, correctione & ſuperioritate prorſus eximere & liberare; necnon dicto Vicario Provinciali, ut Monaſterium ipſum ſub ejus cura reciperet, & aliquas Moniales alicujus alterius Monaſterii dicti Ordinis Sanctæ Claræ Regularis Obſervantiæ, & ejus curæ commiſſi, quas ad hoc voluntarias inveniret, ex eorum Monaſterio ad dictum Monaſterium ſic erigendum, poſtquam erectum foret, ut præfertur, transferret, & eis Abbatiſſatus, & alia officia in hujuſmodi Monaſteriis conſueta ad tempus, de quo ſibi videretur, committeret, ac quod in eodem Monaſterio recipiendas Moniales in ritu, moribus & Regulari Obſervantia dicti Ordinis Sanctæ Claræ inſtruerent, eis injungeres, & quod per eas cum effectu fieret, procurare mandares, & nonnulla alia tunc expreſſa facere auctoritate noſtra curares, prout in eiſdem litteris plenius continetur.

Et deinde, ſicut exibita nobis nuper pro parte eorumdem Rectoris & Conſilii petitio continebat, cum tu ad earumdem litterarum executionem, illarum forma ſervata, procedens, in dicta Eccleſia nomen & titulum ſuppreſſiſſes, & eiſdem Rectori, & Conſilio hujuſmodi Monaſterium conſtruendi licentiam earumdem litterarum vigore conceſſiſſes, ipſi Rector & Conſilium dictum Monaſterium alias juxta voluntatem dicti Martini conſtrui & ædificari fecerunt, ſeu ſaltem pro majori jam parte dictum Monaſterium conſtructum exiſtit; & quia bona per dictum Martinum ad hoc relicta non ſufficiebant, ipſi Rector & Conſilium magnam partem pecuniæ ex bonis dilectorum filiorum Communitatis Raguſin. expoſuerunt: tuque dictum Monaſterium poſtquam convenienti clauſura munitum fuerat, in Monaſterium Monialium dicti Ordinis Sanctæ Claræ earumdem litterarum vigore erexiſti.

Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, præfatus Martinus voluerit, quod in dicto Monaſterio novo Moniales viverent ſub Regulari Obſervantia, & in eodem ſecundum primævam inſtitutionem dicti Ordinis Sanctæ Claræ, quibus non licet habere bona in communi, attenta conditione dictæ civitatis, quodammodo impoſſibile foret, quod in dicto Monaſterio novo Moniales pro tempore degentes ſub ita arcta & ſtricta Regulari obſervantia viverent; ſed cupiunt ipſi Rector & Conſilium, ut voluntas dicti Martini in reliquis adimpleatur, ut in dicto Monaſterio novo per illius Moniales pro tempore illi modi & ritus obſerventur, qui obſervantur in Monaſterio Sanctæ Claræ Raguſin. dicti Ordinis Sanctæ Claræ: & ad hoc ut in dicto Monaſterio novo Moniales honeſte vivant, & inſtitutionibus regularibus inſtituantur, opus ſit aliquas Monia-

les ex dicto Monaſterio Sanctæ Claræ transferre ad ipſum Monaſterium novum, & niſi ipſæ Moniales cenſuris cogerentur, ſe transferre forte recuſabant; pro parte Rectoris & Conſilii prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur Rectorem & Conſilium præfatos, & eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi &c. mandamus, quatenus ſi eſt ita, quatuor ex Monialibus dicti Monaſterii Sanctæ Claræ ad hoc idoneas, quas ipſi Rector & Conſilium ſuper hoc requiſiverint, illis tamen, ac dicto Monaſterio novo, & aliis introducendis ſeu recipiendis Monialibus ſub cura & viſitatione & correctione dicti Vicarii Provincialis alias remanentibus, ut ad præfatum Monaſterium novum ſe transferant, ita quod una ex illis quatuor transferendis Monialibus per triennium ipſi Monaſterio novo Abbatiſſa exiſtat, & tam ipſas, quam alias tres Moniales prædictas ad permanendum inibi per triennium hujuſmodi pro inſtitutionibus regularibus inibi inſtituendis; ita tamen quod ſi poſt dictum triennium noluerint in dicto Monaſterio novo remanere, poſſint ad dictum Monaſterium Sanctæ Claræ redire, cenſuris & aliis juris remediis, eadem auctoritate noſtra cogas & compellas, contradictores &c. Nos enim Abbatiſſæ & Monialibus dicti Monaſterii pro tempore exiſtentibus, ut quæcumque legata eidem Monaſterio novo facienda ac bona mobilia & immobilia illi quomodolibet donanda ſeu relinquenda acceptare, ac jam forſan relicta & illi applicata retinere, necnon bona hujuſmodi in communi juxta ſecundam inſtitutionem dicti Ordinis Sanctæ Claræ habere libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpeciali gratia concedimus & pariter indulgemus. Non obſtantibus voluntate dicti Martini & aliis præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii Sanctæ Claræ, & Ordinis prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDI. IV. Non. Junii, Pontificatus noſtri anno IX.

Hoc Cœnobium anno 1495. fundari cœperat, ut docet Waddingus ad eumdem annum. *Sub hoc tempus Rector & Conſilium Raguſii Monaſterium Apoſtolorum* (nam ædes S. Petri novi vocabulo Apoſtolorum vulgo appellari ſolebat) *Ordinis S. Claræ Regularis Obſervantiæ ſub obedientia Vicarii ex ordinatione & teſtamento quondam Martini Imperii fundabant. Perficiendo & Monialibus alendis cum neceſſarii ſumptus deficerent, obtinuerunt a Pontifice, ut Parochialis Eccleſia de Obrovo, & Rectoratus Eccleſiæ S. Petri Majoris, quæ de jure patronatus laicorum erant, eidem Monaſterio unirentur.* De Monaſterio eodem idem Waddingus ad an. 1501. cum epiſtola Pontificia ad Vicarium Generalem Archiepiſcopi data fuit. *Martinus Imperius civis Raguſinus facultates ſuas reliquit Communitati Urbis pro conſtruendo Monaſterio Clariſſarum ſecundum primævam Inſtitutionem S. Claræ ſub cura & regimine Fratrum Regularis Obſervantiæ. Cum autem Rector & Conſilium Civitatis judicaret locum maxime idoneum pro iis piis ædibus conſtruendis ſitum contiguum Eccleſiæ S. Petri Majoris, quæ de jurepatronatus erat quorumdam laicorum, & tunc vacabat per obitum Franciſci de Gradis ultimi Rectoris, rogavit Pontificem, ut, conceſſa Monialibus prædicta Eccleſia, concederet etiam facultatem contiguum Monaſterium exſtruendi, & primas Inſtitutrices ex Monaſterio S. Claræ illuc transferendi; iiſque liceret, in reliquis obſervato rigore primæ Regulæ S. Claræ, poſſeſſiones & bona immobilia habere, cum ea in urbe difficile poſſent ex mendicitate vitam tranſigere. Cuncta Pontifex hoc anno 1501. conceſſit. Vivunt in hoc Cœnobio ſub invocatione S. Petri Virgines 20., cui ædificando cum non ſufficerent a Martino legata, Rector & Conſilium quæ deerant ſuppleverunt.* Hoc Collegium poſt terræmotum anni 1667. conjunctum fuit cum Collegio Virginum ejuſdem Franciſcani Inſtituti, quod a S. Clara cognominatur.

Donatus Tribunienſis Epiſcopus multa de rebus Cœnobii Dominicani, cum ex ejus præfectura ad Tribunienſem Eccleſiam regendam acceſſit, de ſupellectili ſacra & domeſtica, de bonis tum mobilibus tum immobilibus conceſſu Præpoſiti, & Fratrum mutuo acceperat, quibus ad cultum & perſonam Epiſcopalem pro dignitate ſuſtinendam uteretur. Poſt ejus obitum perfidi quidam homines & ſcelerati omnia diripuerant, occultabant, ac detinebant. Qua de re Præpoſitus & Fratres Dominicani queſti ſunt apud Alexandrum VI. qui per litteras imperavit Cœnobiarchæ Monaſterii Lacromenſis, & Franciſco de Gradis Canonico Eccleſiæ Raguſinæ, ut vel uterque vel alteruter iniquos raptores, anathematis pœna propoſita, jubeant omnia Cœnobitis Dominicanis reſtitui.

Alia ejuſdem pro Dominicanis,

Alexander Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Monaſterii S. Mariæ de Lacroma extra muros Raguſin. & Franciſco de Gradis Canonico Eccleſiæ Raguſin. Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

*Significarunt nobis dilecti filii Prior & Fratres Domus Sancti Dominici Raguſin. Ordinis Prædicatorum, quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorſus ignorant, calices, cruces, miſſalia, breviaria, fructus, redditus, proventus, terras, domos, molendina, poſſeſſiones, vineas, hortos, campos, prata, paſcua, nemora, ſilvas, arbores, arborum fructus, ligna, pontes, piſces, piſcarias, aquas, aquarum decurſus, vini, bladi, frumenti, hordei, avenæ, lini, lanæ, ceræ, olei, auri, argenti monetati, & non monetati quantitates, taſſas *, ſcyphos, cocclearia, diſcos, ſcutellas, vaſa aurea, argentea, ærea, cuprea, ſtannea, ferrea, lignea, pannos, laneos, lineos, ſericeos, veſtes, tunicas, foderaturas, mantellos, caputia, zonas, annulos, perlas, & alia jocalia, lectos, culcitras, linteamina, mappas, manutergia, domorum utenſilia, equos, jumenta, boves, & alia animalia, libros, ſcripturas publicas & privatas, teſtamenta, codicillos, & alia documenta, debita, credita, legata, depoſita, jura, pecuniarum ſummas, & nonnulla alia mobilia, & immobilia bona, eiſdem Priori & Fratribus pro reparatione & conſervatione dictæ domus, illiuſque Eccleſiæ, ornamentis Eccleſiaſticis, & aliis pro divino cultu inibi neceſſariis, in eleemosynam pie erogata, & cetera, quæ apud bonæ memoriæ Donatum Epiſcopum Tribunienſem, antequam ad Eccleſiam Tribunienſem aſſumeretur, dictæ domus Fratrem, exiſtebant, & per ipſos*

* i. e. pateras.

ipſos Priorem, & Fratres, poſtquam ad dictam Eccleſiam Tribunienſem aſſumptus fuit, ejus uſibus ad illius vitam, prout juxta ſtatuta dicti Ordinis poterant, deputata, & apud ipſum Epiſcopum tempore ſui obitus exiſtentia, temere & malitioſe occultare, & occulte detinere præſumunt, non curantes ea Priori & Fratribus præfatis exhibere in animarum ſuarum periculum, ipſorumque Prioris & Fratrum, & domus non modicum detrimentum, ſuper quo iidem Prior & Fratres Apoſtolicæ Sedis remedium implorarunt. Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus omnes hujuſmodi occultos detentores, calicum, crucum, & aliorum bonorum prædictorum, ex parte noſtra publice in Eccleſiis coram populo per vos, vel alium, ſeu alios moneatis, ut infra competentem terminum, quem eis præfixeritis, ea Priori & Fratribus præfatis, a ſe debita reſtituant, & revelent, ac de ipſis plenam, & debitam ſatisfactionem impendant, & ſi id non adimpleverint, infra aliam competentem terminum, quem eis ad hoc peremptorie duxeritis præfigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis ſententiam proferatis, & eam faciatis, ubi, & quando expedire videritis, uſque ad ſatisfactionem condignam ſolemniter publicari; quod ſi non ambo his exſequendis potueritis intereſſe, alter veſtrum ea nihilominus exſequatur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Secundo, Quarto Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Cum a finitimis Turcis civitati, ac Reipublicæ ingens & fere quotidianum periculum immineret, idem Pontifex rogatu Rectoris, Conſilii, & Communis Raguſini pleniſſimam delictorum veniam omnibus & ſingulis conceſſit, qui a primis veſperis feriæ ſecundæ poſt diem Dominicam Pentecoſtes uſque ad occaſum ſolis diei ſequentis Ædem Cathedralem rite confeſſi & expiati caſte pieque viſerent, & ſubſidium aliquod pro Civitate, ac ditione Raguſina contra hoſtes Chriſtiani nominis tuenda conferrent.

et pro civitate, ac ditione Raguſina.

Alexander Papa VI. univerſis & ſingulis Chriſtifidelibus præſentes Litteras inſpecturis Sal. & Apoſtolicam Bened. Cum Civitas Raguſin. in ultramarinis partibus conſiſtens proxima ſit dominio Turchorum Chriſtiani nominis inimicorum, & ſicut nobis fide digna relatione innotuit, dilecti filii Rector & Conſilium, ac Communitas & incolæ dictæ Civitatis ad perferenda onera, quæ eis tam pro defenſione dictæ Civitatis, ne illa occupetur ab ipſis Turchis, qui ad eam maxime anhelant & aſpirant, quam alias incumbunt perferenda, congruis facultatibus non abundent, ſed ſint Chriſtifidelium ſuffragia pro præmiſſis plurimum opportuna, nos, quibus cura Dominici Gregis meritis licet inſufficientibus commiſſa eſt, cupientes quantum cum Deo poſſumus per Theſauri cæleſtis, qui propterea non diminuitur, providam diſpenſationem providere in præmiſſis tam eidem Civitati, Rectori, & Conſilio præfatis, ut incumbentia onera commodius perferre poſſint, ac etiam cupientes, ut Eccleſia Raguſina, quæ ſub invocatione Dei Genetricis Beatæ Mariæ Virginis fundata & dedicata eſt, congruis frequentetur honoribus, ac Chriſtifideles eo libentius devotionis cauſa confluant ad eamdem, quo ex hoc ibidem dono cæleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refertos, de Omnipotentis Dei gratia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi; omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis tam his qui a primis Veſperis feriæ ſecundæ diei Feſtum immediate ſequentis Pentecoſtes uſque ad occaſum Solis diei ſequentis eamdem Eccleſiam perſonaliter viſitaverint, & inibi pro præmiſſis manus adjutrices porrexerint, quam eis, qui non valentes prædictam Eccleſiam die dictæ Feriæ ſecundæ uſque ad occaſum Solis hujuſmodi, ut præfertur, viſitare, ad eamdem Eccleſiam de bonis ſuis, prout eis conſcientia dictaverit pro præmiſſis pia ſuffragia miſerint, aut pro quibus etiam ignorantibus, & poſtmodum ratum habentibus eorum nominibus ad Eccleſiam prædictam erogata fuerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem & indulgentiam miſericorditer in Domino elargimur, & concedimus, Præſentibus poſt dictam diem ipſam feriam ſecundam ſequentem minime valituris. Volumus autem, quod ſi alias dictam Eccleſiam viſitantibus, & pro præmiſſis manus adjutrices porrigentibus, ſeu alias aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura per nos conceſſa fuerit, eædem præſentes litteræ nullius ſint roboris, vel momenti. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVI. Januarii. MCCCCLXXXXVI. Pontificatus Noſtri Anno quarto. L. Podocatharus.

Joannes Archiepiſcopus Raguſio abſens

Interea Joannes Archiepiſcopus aberat; & anno 1495. Gubernatoris titulo Urbis Præturam geſſit, ut conſtat ex tabulis Romanis. (Div. Cam. Tom. 51. pag. 34.) Cum abeſſet, & conſecrationis munus impertiri oporteret cuidam altari in inſula Melita, eo rogatus advenit Chriſtophorus Modruſſiæ Corbaviæque Epiſcopus, qui illius aræ dedicationem rite confecit, ut ex monumento quodam ediſcimus nuper in conſecrato ejuſdem altaris marmore comperto; quod eſt hujuſmodi.

Reverendiſſimus in Chriſto Pater & Dominus, Dominus Chriſtophorus de Raguſio Epiſcopus Modruſienſis, & Corbavienſis conſecravit hoc altare, in quo recondidit reliquias infraſcriptas, videlicet S. Stephani Protomartyris, S. Stephani novi, S. Joannis Eleemoſynarii, Anno Domini 1494. die vero XVI. menſis Januarii Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & D. N. Alexandri Div. Prov. Papæ VI. anno ſecundo rogatus a Ven. Vicario, & Capitulo Raguſino ad laudem Dei. Amen. Et tunc conſecravit gratis ultra LXX. altaria portatilia contemplatione amicorum.

Hinc duo animadverte, quæ ad quartum Hiſtoriæ noſtræ Tomum ſpectant, alterum, Chriſtophorum Epiſcopum patria Raguſinum fuiſſe, quod ibi in Epiſcopis Modruſienſibus omiſſum eſt; alterum, Corbavienſis Eccleſiæ titulum adhuc perſtitiſſe, licet ejus Sedes Epiſcopalis Modruſſiam translata jam fuiſſet ante annos plures, quam triginta. Raguſinus etiam patria fuit hoc tempore Michael electus Segnienſis, ut perhibent acta an. 1492. confecta die Sept. 16., quæ inſunt lib. Diverſ. Cancell. Raguſ., & dicitur Michael de Raguſio electus Segnienſis; ejus patria nobis ignota erat, cum de eo ſcripſimus in Tomo IV. hujus Op. p. 131.

Interea Reginaldus Canonicus Virdunenſis Procurator ejuſdem Archiepiſcopi, a quo ſpecialem mandatum habebat Vicarii generalis conſtituendi, ad id munus Stephanum Canonici-

Digitized by Google

cum & Archidiaconum Ecclesiæ Corcyrensis delegerat: sed postquam Stephanus annos aliquot Vicarii officio functus fuisset, eum Joannes, incertum quam ob caussam, exauctoratum ab omni administratione amovit, & anno 1496. Romæ cum esset, in ejus locum substituit Magistrum Georgium de Argentina ex Ordine Fratrum Minorum, eique rerum gerendarum potestatem amplissimam concessit, ut ex ejus diplomate constat.

Vicarium suum Generalem exauctorat.

Universis & singulis præsentes Litteras, sive præsens publicum Instrumentum inspecturis, lecturis pariter, & audituris Joannes Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Ragusinus salutem in Domino, & præsentibus fidem indubiam adhibere. Sollicitudo nobis commissi regiminis Ecclesiæ nostræ Ragusinæ nos admonet, ut, cum ipsius Ecclesiæ negotia propter alia nobis incumbentia onera præsentialiter exequi & exercere non valeamus, Vicariatus & procurationis officium ipsius Ecclesiæ personis providis & circumspectis committamus. Eapropter de fidelitate, probitate, industria, sufficientia, aliisque virtutibus, quibus illorum Summus Largitor personam Religiosi & egregii viri Magistri Georgii de Argentina Ord. Min. Sacræ Theologiæ professoris eximii insignivit, non immerito confisi spem summam in eodem habentes, quod ea, quæ sibi duxerimus committenda, fideliter & expedite faciet, & exequatur; sponte & ex nostra certa scientia revocando primitus, & destituendo Ven. Virum Dominum Stephanum Antonii Archidiaconum, & Canonicum Curzolanum Vicarium nostrum dudum a Ven. Viro Domino Reginaldo Canonico Virdunensi tunc Procuratore nostro ad hoc speciale mandatum habente constitutum & deputatum, ac deinde per nos confirmatum, approbatum, & gratificatum, nec non de novo in hujusmodi Vicariatus officio etiam constitutum & deputatum, ac ab eodem forsan substitutos, & substituendos speciali ac directa protestatione, quod, si quid per eos, seu eorum aliquem in & circa negotia nostra infrascripta fieri contigerit, id nullius sit roboris vel momenti, & pro infecto habeatur, omnibus melioribus modo, via, jure, causa, & forma, quibus melius & efficacius possumus & debemus, facimus, constituimus, creamus, & deputamus eumdem Dominum Georgium nostrum in spiritual. Vicarium, & Officialem generalem, Procuratorem, actorem, factorem, negotiorumque nostrorum infrascriptorum gestorem & nuncium specialem & generalem ita tamen, quod specialitas generalitati non deroget, nec e contra, absentem tanquam præsentem solum & in solidum specialiter & expresse ac nostri, & dictæ Ecclesiæ Ragusinæ nominibus, & pro nobis dicto Domino Stephano Vicario, & aliis ab eo forsan substitutis, vel substituendis sic, ut præmittitur, revocatis, revocationem hujusmodi intimandum, insinuandum, & notificandum, ipsisque & eorum cuilibet, ne de negotiis nostris infrascriptis se de cætero quomodolibet intromittant, inhibendum, nec non Ecclesiam nostram Ragusinam in spiritualibus & temporalibus regendum, & gubernandum, ejusque curam, regimen, & administrationem gerendum, & exercendum, omnesque, & singulas causas, lites, quæstiones, & controversias, tam beneficiales, quam prophanas, civiles, criminales & mixtas inter quascumque Personas Ecclesiasticas & seculares, de & super quibusvis beneficiis Ecclesiasticis, ac rebus & bonis, ac alias quomodocumque hactenus ortas, & in posterum oriendas, etiam appellationum, quarum cognitio ad nos ratione dictæ nostræ Ecclesiæ de jure, vel consuetudine, aut alias qualitercumque etiam ex mandato, & commissione S. Sedis Apostolicæ spectat, & pertinet, cum omnibus, & singulis emergentibus, dependentibus, incidentibus, & connexis, etiam simpliciter & de plano sine strepitu & figura judicii, sola facti veritate inspecta, prout sibi Domino Georgio Vicario placuerit, et visum fuerit expedire, audiendum, cognoscendum, decidendum, et fine debito terminandum, jurisdictionemque nostram inibi exercendum, sententias tam definitivas, quam interlocutorias juxta juris dispositionem, et casus exigentiam ferendum, et promulgandum, easque exequendum, et debitæ executioni demandandum, et demandari faciendum, ac Capitulis et congregationibus quibuscumque vice nostra interessendum, et illis omnibus, in quibus hoc requiritur, decretum et auctoritatem nostram apponendum, et præstandum, ac consentiendum, vel dissentiendum, Judices, advocatos, procuratores fiscales, ac Causarum Notarios et Scribas, nec non Judices Causarum civilium, et criminalium, pheudatarios, Clientes, servientes, et alios quoscumque Ministros et Officiales, ac etiam Confessores et Pœnitentiarios in et per totum Archiepiscopatum hujusmodi nostrum, præsertim in Ecclesia, Civitate, et Diocesi Ragusina ponendum, recipiendum, faciendum, creandum, instituendum, deputandum, et ordinandum, ipsosque toties, quoties opus fuerit, mutandum, deponendum, et amovendum, ac eisdem Confessoribus et Pœnitentiariis potestatem absolvendi, ac aliis Ministris, ac Officiariis sua eis commissa officia exercendi dandum et concedendum, dictamque nostram Ecclesiam Ragusinam, ac alias Monasteria, Prioratus, Capellas, et alia pia loca ubilibet constituta, et eorum personas, in quibus nobis tam de jure, quam consuetudine ratione dictæ nostræ Ecclesiæ Visitationis officium incumbit, et spectat, tam in capitibus quam in membris, visitandum, eorumque defectus, crimina, excessus, & delicta supplendum, demonstrandum, & corrigendum, ac quæ reformanda fuerint, & reformatione indiguerint, in melius reformandum, & emendandum, procurationes debitas, ac alia subsidia, jura, & debita exigendum, & recuperandum, ac contradictores & rebelles quoscumque ad hoc & alia per Censuras Ecclesiasticas, & alia juris remedia cogendum & compellendum de subditorum nostrorum, & aliorum quorumcumque in Civitate, & Diocesi nostris ..... tam secularium, quam Regularium, in quibus nobis jurisdictio competit, criminibus, excessibus & delictis, ac habilitatibus & inhabilitatibus inquirendum, audiendum, & cognoscendum, ipsosque delinquentes etiam per edictum publicum in casibus a jure permissis, si opus fuerit, citandum, monendum, excommunicandum, denunciandum, aggravandum, reaggravandum, interdictum Ecclesiasticum, causa legitima præcedente, ponendum, & observari mandandum ac faciendum, & contra criminosos & delinquentes quoscumque tam per viam denunciationis, quam accusationis & inquisitionis etiam usque ad invocationem auxilii brachii secularis inclusive procedendum, & procedi faciendum,

dum, ac ipsos criminosos & delinquentes, nec non quoscumque Officiales, beneficiatos, Clericos, & Laicos, ac alios nobis subditos delinquentes a suis officiis vel beneficiis, aut alias perpetuo vel ad tempus juxta excessuum qualitatem, quantitatem, vel enormitatem suspendendum, amovendum, privandum, ipsosque incarcerandum, & alias corrigendum, condemnandum, puniendum, & mulctandum, nec non ipsos excommunicatos ab omnibus censuris absolvendum, interdicta toldendum, & relaxandum, absolutionem, & relaxationem committendum, electiones, postulationes & praesentationes quarumcumque personarum idoneas ad quascumque Ecclesias, Monasteria, Prioratus, Dignitates, personatus, administrationes, officia & beneficia alia quacumque, etiam de jurepatronatus, canonice factas, & celebratas, quarum confirmationes, admissiones, & institutiones ad nos ratione dictae Ecclesiae Ragusinae spectant, confirmandum, admittendum, & instituendum, ac de personis inhabilibus, & non idoneis, aut alias non canonice factas & celebratas cassandum, & repellendum, electosque postulatos & praesentatos ad Ecclesias, Monasteria, Prioratus, Dignitates, personatus, administrationes, officia, & beneficia hujusmodi instituendum, & de illis investiendum, proclamationes, & edicta consueta emittendum, & faciendum, ac cum electis, postulatis, & praesentatis hujusmodi, ac aliis subditis nostris super criminibus, excessibus, & delictis quibuscumque, ac cum illegitimis, & de illegitimo ..... natis, super defectibus natalium, quas patiuntur, nec non cum in gradu prohibito contrahentibus super defectu ..... in matrimoniis contrahendis editorum, & aliis quibuscumque, cum & super quibus secundum juris ordinem & dispositionem dispensare possumus, & secundum quod nobis a jure permissum est, quemodolibet dispensandum, fundationibus, beneficiorum Ecclesiasticorum, & licitis concordiis, compositionibus, tractatibus, aliisque scripturis publicis & privatis, quae decreto ordinario indigent, decretum hujusmodi, & nostram ordinariam auctoritatem interponendum, quascumque Apostolicas & alias nobis directas litteras, processus, & mandata cum ea, qua decet, reverentia recipiendum & exequendum, Resignationes quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum curatorum, & non curatorum nostrarum Civitatis & Dioecesis praedictarum simpliciter & ex causa permutationis factas & fiendas recipiendum, & admittendum, ac si resignata, & alia quacumque beneficia Ecclesiastica, etiamsi Canonicatus, & Praebendae, Dignitates & personatus, administrationes & officia, seu Clericatus & simplicia fuerint, per resignationem hujusmodi, aut per obitum ultimorum possessorum, & privationem, seu alias qualitercumque vacantia, & vacatura, etiam illa, quae ad nostras collationem, provisionem, praesentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem, sive jure devolutionis, aut alias qualitercumque ad nos spectantia, & pertinentia, tam ea permuta ..... & aliis personis idoneis conferendum & assignandum, & de illis providendum & disponendum, translationes quascumque, quas de jure facere possumus, faciendum, nec non quoscumque Praelatos ordinarios, Abbates, Priores, Presbyteros, Clericos & Beneficiatos ad Provincialia, & Synodalia Concilia, Capitula, & Congregationes, quoties opus fuerit, convocandum, incitandum, & compellendum, ac Concilia hujusmodi indicendum, & illis interessendum, & inibi ordinationes & statuta quaecumque licita & honesta pro informatione Praelatorum ordinariorum, Presbyterorum, Clericorum, & Beneficiatorum necessaria proponendum, praestandum, consentiendum, & dissentiendum, & faciendum, nec non hactenus observata confirmandum, & illis, in quibus nostra auctoritas ac noster consensus & dissensus exigitur, hujusmodi nostram auctoritatem, & consensum, & dissensum interponendum, praestandum, consentiendum, & dissentiendum, & generaliter omnia alia & singula faciendum, dicendum, gerendum, exercendum, & procurandum, quae in praemissis, & circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna, & quae nos ipsi faceremus, si praemissis omnibus & singulis praesentes, & personaliter interessemus, etiamsi talia forent, quae mandatum exigerent magis speciale, quam praesentibus est expressum. Promittentes insuper medio nostro corporali juramento, quod propterea ad Sancta Dei Evangelia manum nostram dexteram ad pectus ponendo, praestitimus, Nos ratum, gratum, atque firmum perpetuo habituros totum id, & quidquid per dictum Dominum Georgium Vicarium nostrum actum, dictum, factum, gestum, procuratumve fuerit in praemissis, seu aliquo praemissorum, nec non eumdem ab omnibus, & singulis clausulis necessariis & opportunis sub hypotheca & obligatione omnium & singulorum bonorum nostrorum mobilium & immobilium, praesentium & futurorum, cum qualibet juris & facti renunciatione ad hoc necessaria, pariter & cautela. In cujus rei testimonium praesentes litteras, sive praesens publicum instrumentum exinde fieri, et per notarium nostrum publicum infrascriptum subscribi, et publicari mandavimus, sigillique nostri justimus et fecimus appensione communiri. Datum et actum Romae in domo habitationis nostrae sub anno Nativitatis Domini MCDLXXXXVI. Indictione XIV. die vero Dominica prima mensis Martii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Alexandri Divina providentia Papae VI. anno IV. praesentibus ibidem praefato Domino Reginaldo, & Venerabili Viro Domino Andrea de Nagis Canonico Parmensi familiaribus nostris, testibus ad praemissa vocatis specialiter, atque rogatis. Volumus autem & dicto Domino Magistro Georgio tenore praesentium concedimus, quod eamdem mercedem, & simile salarium habeat a nobis, & percipiat, prout & quemadmodum praefatus Dominus Stephanus ante revocationem hujusmodi percipiebat, & habebat, perciperetque & haberet, si revocatus non esset.

Ego Simon Velman Clericus Trajectensis Dioecesis publicus Apostolica & Imperiali auctoritate Notarius, quia Vicarii Constitutioni, & alterius revocationi praefatis, dationi, omnibusque aliis, & singulis praemissis, dum sicut praemittitur, per praefatum Reverendissimum Dominum Archiepiscopum fierent, & agerentur, una cum provocatis testibus praesens interfui, eaque sic fieri vidi & audivi, ac in notam sumpsi, ideo hoc praesens publicum Vicariatus instru-

ſtrumentum, manu alterius fideliter ſcriptum, manu propria ſubſcripſi, ſignoque & nomine meis ſolitis, & conſuetis ſignavi, & publicavi, & in hanc publicam formam redegi rogatus, & requiſitus in fidem & teſtimonium omnium, & ſingulorum præmiſſorum, cum approbatione verborum, videlicet Clauſulæ Volumus autem *&c. in ultima linea appoſitæ, uſque in finem, quæ per errorem ſcriptorum omiſſa fuerant, & ego illa manu propria appoſui ad finem &c.*

Verum Georgius Vicarii munus onuſque ſubire recuſavit: Stephanus vero, cum ſiquid apud Joannem offenderat, idonea excuſatione ſe purgaſſet, in priſtinum dignitatis gradum reſtitutus fuerit oportet; ſiquidem eodem anno Joannes ei tamquam Vicario ſuo litteras quaſdam Apoſtolicas tradi juſſit, quas evulgaret, & Canonicis explicaret; ipſeque Stephanus, cum eas promulgavit, ſe Joannis Archiepiſcopi Raguſini in ſpiritualibus & temporalibus Vicarium generalem appellat. Epiſtolæ Pontificiæ, quam ſubjicio, hæc eſt ſententia. Redditus ſive penſiones, quas Canonici e ſuo quiſque Sacerdotio percipiebant, inæquales erant, aliæ majores, aliæ minores; ex quo quædam inter Canonicos æmulatio, & contentio exiſtere ſolebat, cum unuſquiſque pinguiores ſibi concupiſceret, & pro illis contenderet. Joannes Archiepiſcopus ut omnem hujuſmodi aviditati, ac diſſenſionibus viam præcluderet, auctor fuit Alexandro VI. ut juberet, omnes Capitulares proventus in unam maſſam redigi, ex qua duodecim pro numero duodeno Canonicorum partes fierent, & pariter æqualiterque in ſingulos diſtribuerentur; penſiones autem ſiquis tunc perciperet, quæ duodecimam totius maſſæ partem excederent, nihil ex illis diminuendum eſſet, & ſuas quiſque quoad viveret integras retineret: cum vero illas per obitum, vel per voluntariam ceſſionem vacuas & caducas relinqueret, qui in ejus locum ſubrogaretur, duodecima parte contentus eſſe deberet; huic quod ſupereſſet inter alios Canonicos, quorum redditus partem duodecimam maſſæ Capitularis non æquarent, pro rata portione divideretur, ac deinceps idem fieret, quoties idem caſus contingeret, donec ad penſionum æqualitatem perveniretur. Quod Joannes prudentiſſime ſuggeſſit, Pontifex approbavit, & ſecundum ejus ſententiam ac poſtulationem fecit, cujus exſequendæ poteſtatem duobus Epiſcopis Tribunenſi & Mercanenſi, ac Vicario Generali Archiepiſcopi demandavit. Litteras Pontificias Canonici, ad quorum manus pervenerant, more Capitulari in Ædem Cathedralem convocati ex mandato Archiepiſcopi Stephano Vicario obtulerunt, quas ſumma cum reverentia ſuſceptas coram ipſis Canonicis, Rectore Civitatis, & Conſilio minori, qui ſimul convenerant, recitari juſſit, ſententiam illarum expoſuit, rationem redigendi omnes proventus Capitulares in unam maſſam, ex eaque duodecim portiones conficiendi, & ſingulas in ſingulos diſtribuendi a Pontifice præſcriptam explicavit; deinde Canonicis tempus præfinivit, intra quod Pontificia mandata exſequi, eiſque aſſenſum, & obedientiam præbere deberent. En vero Pontificiæ epiſtolæ exemplum.

De redditibus Eccleſiæ Cathedralis Raguſinæ pro Canonicis

Litteræ Alexandri VI.

Alexander Epiſcopus Servus Servor. Dei Ven. Fratribus Mercanen. & Tribunen. Epiſcopis, ac dilecto Filio Vicario Ven. Fratris noſtri Archiepiſcopi Raguſin. in ſpiritualibus Generali ſal. & Apoſtolicam Bened. Cunctis Orbis Eccleſiis meritis licet inſufficientibus diſponente Domino præſidentes circa illarum præſertim Metropolitan. inſignium ſtatum proſperum & tranquillum ſollicitis ſtudiis vigilantes, eas ſic cupimus utilis proviſionis noſtræ ope dirigi, ut Eccleſiæ ipſæ, & illarum perſonæ vitivæ proſperitatis & quietis jugiter proficiant incrementis. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte Ven. Fratris noſtri Joannis Archiepiſcopi Raguſin. Referendarii noſtri petitio continebat, quod ſi fructus, redditus, & proventus omnium Præbendarum ſuæ Eccleſiæ Raguſinæ in unam ſummam, ſive maſſam redigerentur, & ſumma ipſa in duodecim partes divideretur, & ſtatueretur, quod tunc de cætero omnes Præbendæ dictæ Eccleſiæ æquales eſſe, & ad eam ſummam Florenorum, ad quam hujuſmodi duodecima pars aſcenderet, aſcendere & illam excedere non deberent, quodque ipſius Eccleſiæ Canonici, qui nunc ſunt, quoad viverent, obtentis per eos præbendis etiam, quarum fructus, redditus, & proventus duodecimam partem prædictam tranſcendunt, potirentur & gauderent; illis vero, ac aliis dictæ Eccleſiæ Canonicis etiam, qui Præbendas ad dictam duodecimam partem fructuum, reddituum, & proventuum non aſcendentes obtinent, cedentibus vel decedentibus, aut Præbendas ipſas alias quomodolibet dimittentibus, Præbenda, quam talis cedens vel decedens, aut dimittens obtinebat, inter eum, qui loco illius ſic cedentis, decedentis, vel dimittentis ſurrogabitur, & alios ipſius Eccleſiæ Canonicos, quorum Præbendæ ad dictam duodecimam partem non aſcenderent, æqualiter dividerentur, ſicque obſervaretur uſquequo omnes Præbendæ dictæ Eccleſiæ ad æqualitatem, & dictam duodecimam partem totius menſæ fructuum, reddituum, & proventuum Præbendarum ejuſdem Eccleſiæ reducerentur, profecto æmulationibus, & variis inconvenientibus ex inæqualitate prædicta provenientibus opportune obviaretur. Quare parte dicti Archiepiſcopi, qui etiam Urbis Gubernator exiſtit, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Præbendas prædictas ad æqualitatem ſic, ut præfertur, ſtatuendo, & ordinando reducere, ſtatumque & ordinationem hujuſmodi obſervari mandare, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ad ea, per quæ cunctorum Chriſtifidelium tranquillitati conſulitur, & ut quos par labor, & conditio conjungit, paria exinde emolumenta percipiant, libenter intendimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Vos, vel duo, aut unus veſtrum de conſenſu expreſſo, quorum intereſt, fructus, redditus, & proventus hujuſmodi omnium Præbendarum prædictarum in unam ſummam, ſive maſſam redigere, & ſummam ipſam in duodecim partes dividere, & ad quam ſummam, aut ad quem valorem unaquæque portio earumdem duodecim aſcenderet annuatim, ſi portiones ipſæ æquales forent, declarari, & quod de cætero omnes Præbendæ prædictæ æquales eſſe, & unaquæque earum ad dictam ſummam, ad quam duodecima pars hujuſmodi aſcendet, aſcendere, & illam nullatenus tranſcendere debeat, quodque ipſius Eccleſiæ Canonici, qui nunc ſunt, quoad vixerint, obtentis per eos Præbendis etiam duodecimam partem prædictam tranſcendentibus potiri

xi & gaudere debeant, & illis cedentibus, aut decedentibus, aut obtentas per eos Prabendas hujuſmodi alias quomodolibet dimittentibus, prabendæ, quam talis cedens, aut decedens vel dimittens inter eum, qui loco cedentis, decedentis, vel dimittentis ſurrogabitur, & alios ipſius Eccleſiæ Canonicos, quorum Prabendæ ad dictam duodecimam partem tunc non aſcenderent, æqualiter dividi, & donec omnes Prabendæ extiterint, ſic obſervari debere, ſtatuere, & ordinare auctoritate Noſtra curetis, & ſi Statutum & Ordinationem, & Reductionem hujuſmodi per vos vigore præſentium fieri contigerit, per vos, vel alium, ſeu alios Statutum, Ordinationem, & Reductionem hujuſmodi obſervari faciatis. Contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac legitimis ſuper biis habendis ſervatis Proceſſibus, illos, quoties opus fuerit, iteratis vicibus aggravare curetis. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Eccleſiæ juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis & Conſuetudinibus contrariis quibuſcumque, ſeu ſi dilectis filiis Canonicis dictæ Eccleſiæ, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per Litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſexto XVIII. Kal. Julii, Pontificatus noſtri anno quarto.

Rogatus Pontifex a Rectore & Senatu decrevit etiam, ut in Ædе Cathedrali Clerus ſecundi Ordinis numerum duodenum ne excederet, totuſque ex decem Preſbyteris, ac duobus Diaconis conſtaret, qui *ſuperpelliceo* induti Divinis rebus inſervirent. Hos vero ab Archiepiſcopo, vel ejus Vicario eligi juſſit, requiſito tamen conſenſu duorum Procuratorum Capituli, & Eccleſiæ. Inſuper penſiones, quæ illis e menſa Capitulari ſuppeditari ſolebant, augeri voluit, & per Archiepiſcopum, vel Vicarium ſingulis pro rata portione diſtribui.

et pro Capellanis ejuſdem Eccleſiæ.

Alexander Epiſcopus Serv. Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. In eminenti Apoſtolicæ dignitatis ſpecula meritis licet inſufficientibus ſuperna diſpoſitione locati, ad ea, prout ex commiſſi nobis Paſtoralis Officii debito convenit, noſtræ conſiderationis aciem diligenter extendimus, per quæ in ſingulis Eccleſiis, præſertim Metropolitanis inſignibus continue benedicatur Altiſſimus, illique debitæ laudes per idoneos, & devotos Miniſtros aſſidue perſolvantur, ac Miniſtris eiſdem, ut divinis obſequiis comodius intendere valeant, de alicujus ſubventionis auxilio opportune provideatur, prout id conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum Rectoris & Conſilii Civitatis Raguſinæ nobis nuper exhibita petitio continebat. Quod in Eccleſia Raguſina quæ in partibus illis plurimum inſignis exiſtit, conſueverant eſſe duodecim Cappellani, qui Miſſas & alia Divina officia in dicta Eccleſia celebrare debent, ac per Capitulum & Canonicos ipſius Eccleſiæ eligi, & deputari, eiſque pro eorum ſervitiis tercenti & quinquaginta Iperperi, vel circa moneta ipſius partis, centumque & decem Ducatos de Camera vel circa non excedentes, de fructibus, redditibus, & proventibus menſæ Capitularis dictæ Eccleſiæ ſingulo anno aſſignantur. Verum quia ſæpenumero propter multitudinem dictorum Canonicorum eligentium, ac favores, minus idonei Capellani deputantur, qui in dicta Eccleſia deſervire, & Divinis intereſſe non curant, & etiam cum habitu minus honeſto incedunt, ſi ſtatueretur, quod de cætero perpetuis futuris temporibus eſſent in dicta Eccleſia duodecim Capellani ad deſerviendum debite in omnibus Officiis divinis cum ſuperpelliceis, quorum decem eſſent Præsbyteri, computato uno Cantore inter ipſos decem, & duo in Diaconatus ordine conſtituti, & qui omnes per Archiepiſcopum Rhaguſinum pro tempore exiſtentem, ſeu eo abſente per illius Vicarium in Spiritualibus Generalem cum conſenſu duorum Canonicorum Procuratorum Capituli prædictorum, ac etiam Procuratorum dictæ Eccleſiæ pro tempore exiſtentium deputarentur, & eligerentur, & alii quinquaginta Iperperi ſimiles, ultra dictos tercentos & quinquaginta ipſis Capellanis de melioribus denariis fructuum, reddituum, & proventuum dictæ menſæ quolibet anno aſſignarentur, & omnes quadringenti Iperperi in uno ſacco per dictos Procuratores pro tempore dictæ Eccleſiæ in eorum Procurationis Officio tenendi conſervarentur, & ipſis Capellanis deſervientibus ſecundum eorum ſervitium per præfatum Archiepiſcopum, ſeu in ejus abſentia, per ejus Vicarium etiam cum conſenſu dictorum duorum Canonicorum, Procuratorum Capituli, & etiam Procuratorum pro tempore Eccleſiæ hujuſmodi, & punctaturæ, quæ de die in diem de dictis Capellariis fierent ſecundum modum conſuetum, dictis Archiepiſcopo, ſeu in ejus abſentia Vicario darentur, & per eumdem Archiepiſcopum, ſeu Vicarium ſimiliter de conſenſu Procuratorum Capituli, & etiam Procuratorum pro tempore hujuſmodi Eccleſiæ diſtribuerentur, & ex hoc perfecto decori, & venuſtati dictæ Eccleſiæ, divinique cultus incremento plurimum conſuleretur? Quare pro parte eorumdem Rectoris, & Conſilii Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignarenmur. Nos igitur, qui Eccleſiarum quarumlibet, præſertim Metropolitanarum inſignium decorem & venuſtatem, divinique cultus in eis incrementum noſtris potiſſimum temporibus, ſupremis deſideriis affectamus, Rectorem & Conſilium præfatos, & eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus, decernimus, & ordinamus, quod deinceps perpetuis futuris temporibus dicti duodecim Capellani ad deſerviendum in dicta Eccleſia in dictis Officiis cum ſuperpelliceis, quorum decem ſint Præſbyteri computato uno Cantore, & duo in Diaconatus Ordine Conſtituti, per Archiepiſcopum, & eo abſente, per Vicarium ſuo tempore exiſtentem præfatum cum conſenſu duorum Canonicorum Procuratorum Capituli, ac etiam Procuratorum Eccleſiæ hujuſmodi, ut præfertur, eligi, ſeu deputari debeant, & quod alii quinquaginta Iperperi ultra dictos trecentos quinquaginta de melioribus denariis fructuum, reddituum, & proventuum prædictorum ſingulo anno aſſignentur, quodque omnes quadrin-

Digitized by Google

dringenti Iperperi prædicti in dicto sacculo per Procuratores Ecclesiæ hujusmodi serventur, & ipsis Capellanis deservientibus secundum eorum servitium, & punctaturas hujusmodi persolvantur, consignentur, & distribuantur modo & formâ prædictis. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus dictæ Ecclesiæ, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCDLXXXXVII. VII. Kal. Febr. Pontificatus nostri anno quinto. Da. de Arianis.

Joannis Archiepiscopi acta quædam.

Anno 1497. Joannes Archiepiscopus Ragusium redierat, ut docet ejus diploma hoc eodem anno confectum. Sacellum S. Catharinæ Virginis & Martyris prope mœnia Civitatis ab sole oriente constructum anno 1348. ex testamento religiosæ cujusdam feminæ generis patricii, cui *Bosxæ* nomen, *de Vetrano* cognomen, Patres Dominicani sibi legatum possidebant. Anno hujus sæculi sexagesimo tertio cum Senatus urbem ab ea regione dilatare, & pomœrii particulam intra mœnia complecti decreviſſet, ædiculam S. Catharinæ ibidem sitam, ne obstaret, dirui oportuit. Post aliquot annos Patres illi religiosissimi, ne cultus B. illius Virginis ac Martyris apud cives obsoleſceret, ac suprema piæ matronæ voluntas frustraretur, aram S. Catharinæ cum omnibus, quibus dotata fuerat, proventibus in templum S. Dominici transferendam, & loco idoneo collocandam censuerunt. Hanc autem translationem Archiepiscopali diplomate confirmandam curarunt; id est; *Joannes de Ancona Dei et Apost. Sedis gratia Archiep. Ragus., SS. D. Papæ Referendarius Domesticus, & Assistens. Dilecti nobis &c. Sane pro parte vestra &c. Nos igitur &c. Dat. Ragus. in Palatio nostro Archiep. sub anno a Nativ. Domini* 1597. *Indict.* 15., *die vero* 12. *Mens. Augusti.* Intra finem hujus anni, vel proximo ineunte, Romam cum esset profectus, nunquam postea Ragusium revisit. Joannis Sacchi Archiepiscopi mentionem perhonorificam sæpissime factam invenio in Codice supra laudato Joannis Brochardi Magistri Cærimoniarum,

Anno 1498. *die sexta mensis Martii funus Cardinalis Januensis immediate secuti sunt Gubernator Urbis a dextris cum Duce Brunsuicensi Oratore nostro a sinistris; Archiepiscopus Ragusinus a dextris cum Oratore Regis Hispaniarum a sinistris.*

Eodem anno die 4. mensis Junii recesserunt ex Urbe Rex. Patres Domini Johannes. Archiep. Ragusinus SS. D. N. Papæ Referendarius Domesticus, Adrianus Castellensis de Corneto Protonotarius Apostolicus, ejusdem D. N. Secretarius, & Clericus Cameræ Apostolicæ, ac Vener. Dominus Guilelmus Centellis Canonicus Valentinus D. N. Cubicularius Thesaurarius Perusinus, Oratores & Nuncii Apostolici ad Christianissimum Regem Francorum destinati ad condolendum de obitu defuncti patris, & congratulandum ipsi de honore suo ac alia facienda.

Hujus legationis neque Spondanus, neque Odoricus Raynaldus in Annal. Eccles. meminere. Licuit tamen ex Cod. CII. Bibl. Nanniana Venetæ mandata exscribere, quæ Pontifex Joanni injunxit ad Regem legato, quæque hic libenter subjicimus, ut legationis ejusdem consilium & scopus appareat, tum quædam scitu non injucunda adnotentur ad illius temporis historiam spectantia.

Alexandri VI. P. mandata Joanni Archiep. ad Regem Francorum legato.

Alexander PP. Sextus. Instructiones datæ vobis Vener. Fr. Jo. Archiep. Ragusino, & dilectis Filiis Hadriano Castellens. Protbonot. ac Apostolicæ Cameræ Clerico & Secretario Nostro Domestico, & Raymundo Centelles Protbonot. & Thesaurario Perusino nostris & Apostolicæ Sedis ad (1) *Ludovicum Francorum Regem Christianissimum Nunciis & Oratoribus.* 1

Post datam suæ Majestati sanctam benedictionem nomine ejus Sanctitatis, & præsentationem Brevis referetis suæ Majestati, quod nos audito obitu claræ mem. (2) *Caroli Regis prædecessoris sui, sicuti per alias nostras in forma Brevis litteras suæ M. significavimus, plurimum doluimus ac vehementer animo commoti sumus considerantes eximias ipsius virtutes, ac Catholicum animum, singularemque fidem & devotionem erga nos & hanc sanctam Sedem in multis quidem spectatam, sed præcipue in ejus* (3) *ad Urbem adventum perspectam & cognitam; cum* (4) *armatus tot millibus tantisque copiis tanto tamque felici successu rerum nos & ipsam Sedem tam reverenter tamque humiliter veneratus sit, obedientiamque nobis supplex personaliter exhibuerit, & nos tam constanter post ejus in Regnum reditum pari pietate & benevolentia secerit prosequutus. Addetisque nos non tam ejus morte tristatos esse, quam assumptione sua concordi omnium Regni Principum, Procerum, Baronum ac populorum consensu & plausu factâ lætatos, cum ob claras animi sui dotes, excelsum & invictum animum attendamus, persuadeamusque nobis ejus Maj. pro suis immensis egregiisque naturæ donis, ac Progenitorum suorum institutis non minori nos & ipsam Sedem affectione, & observantia prosequuturam, quam fecerit ipse Carolus & alii prædecessores sui: quod certe etiam ab omnibus claro testimonio & una omnium voce ita fere Nobis nunciatur; & proinde etiam significabitis nos sicuti singulari lætitiâ affecti sumus, ita ad congratulationem hujusmodi vos Nuncios nostros misisse; quod neque per Prædecessores nostros, neque per nos est hactenus factum.* 2 3 4

Præterea quia post assumptionem nostram ad Pontificatum fuit nobis semper cordi, sicuti ex Pastoralis officii debito tenemur, (5) *ad expeditionem aliquam in Turcos Crucis Christi præcipuos hostes devenire, & in hoc sanctæ mem.* (6) *Callixtum III. avunculum nostrum, ac Pium* (7) *secundum Prædecessores nostros inter alios Pontifices, qui talem expeditionem facere conati sunt, quantum nobis Dominus concederet, imitari, ac nos ipsos ultro etiam in ea expeditione offerre; in qua quidem expeditione hactenus & ipsis Prædecessoribus nostris, & Nobis multa impedimenta contigere, ac Nobis præcipue in hoc, nostro desiderio tempora valde fuerint adversata, ut non licuerit Nobis illam sicuti cupiveramus ad optatum effectum perducere, eumque assumptio suæ Maj. nobis & toti Christianæ Reipubl. quasi quoddam sidus ad eam obeundam expeditionem refulserit; persuademus nobis hoc tempore suæ Maj. præsidiis ac favoribus ipsam feliciter expeditionem ac opportune posse procedere; præsertim cum existimemus Italiam in pace ac concordia quieturam; & siquid restat, existimemus facile nos composituros esse, & omnium Potentatuum Italiæ viros nobis in hac expeditione affuturos. Faciet suæ Maj. in* 5 6 7

hoc

hoc rem tanto Rege dignam (8) quamplurimorumque majorum ſuorum Galliæ Regum veſtigia imitabitur, qui in ſimili expeditione, & omnes prope Regni ſui opes ultro obtulerunt, ac Rom. Pontifices ſæpe a vexationibus & oppreſſionibus protexerunt, pleraſque etiam Eccleſiæ Terras de perfidorum hoſtium manibus . . . . . Proſpiciat quanta ſit fides in hujuſmodi Regnicolis collocanda; quod etiam multi alii Reges expertes ſunt; nec etiam ſibi perſuadeat ex Regni victoria, etiamſi illa potiretur, tantam ſibi gloriam acceſſuram, quantam ex hac expeditione contra gentes Turcorum pro Fidei defenſione Maj. ſuæ ſperare licet; quæ procul dubio eum immortalem reddet. Apprehendat ergo Celſitudo ſua cum benedictione Domini arma & ſcutum, & in Fidei Catholicæ adjutorium veſtigia Prædeceſſorum
9 ſuorum imitando exurgat; cauſamque Regni (9) Siciliæ juſtitiæ ſubjiciat, ſi jus aliquod in eo Maj. ſuæ competit, ſicut etiam Carolo Regi obtulimus. Ita eidem Nos libenti animo juſtitiam adminiſtraturos offerimus, quæ æqua lance ſibi per Nos adminiſtrabitur, & ad quam veſtra juſtitia amplectendam hortabimur Maj. ſuam.

10 Si de Ducatu (10) Mediolanenſi aliquid Maj. ſua in medium deducet, reſpondebitis, Nos omnem acceſſum dignitatis & gloriæ Maj. ſuæ vehementer, & non minus quam noſtrum & Romanæ Sedis optare; verum animadvertat, quod cum Progenitores ſui Aurelianenſes Duces, & ipſe quinquaginta annis jam elapſis vel circa per Dominum Sfortiadum Ducatum poſſideri paſſi ſint, qui etiam ab Imper. ſe de dicto Ducatu inveſtitos affirmant, & pro Ducibus ejuſdem Ducatus præcipue & ubique apud Chriſtianiſſ. Reges Franciæ habiti ſunt, convenientius & utilius Chriſtianæ Reipubl. & Maj. ſuæ honori congruentius eſſe judicabit, cum diutina patientia per ſe & ſuos hactenus habita pacifice pertranſire, quam nutantibus hoc tempore Fidei Catbol. & Chriſtianæ Religionis fundamentis, utpote longo Turcorum bello & maxima potentia quaſſatis contentionem nunc de dicto Ducatu quinquaginta annis elapſis non motam, & nova bellorum fomenta excitare. Nos certo confidimus dilectiſſimum filium Mediolani Ducem Maj. ſuam cum omni obſervantia & reverentia proſequuturum, ac omnibus in rebus boni affinis & filii ſuæ Celſitudinis officia præſtiturum, ac Coronæ ſuæ regali devotionem & reverentiam, quam expoſcet, non minus quam Prædeceſſores ſui in Ducatu exhibiturum. Et quoniam pacem & quietem univerſalem Chriſtianorum ob cauſam aliquam & præcipue hujus Ducatus turbari Nobis admodum moleſtum eſſet, omnem operam noſtram ad compoſitionem & pacem inter Maj. ſuam, & prædictum Ducem offerimus, ſiquid in ea re Nos efficere potuerimus. Quod ſi Maj. ſua reſpuendum cenſuerit, & ad invadendum dictum Ducatum animum induxerit, diligenter advertat, quot urbium excidia, populorum clades, animarum perditiones tanta belli moles & Italiæ & Galliæ nationi ſit allatura, & quod plus calamitatis & infamiæ, quam honoris & gloriæ ex hujuſmodi novis bellorum motibus ſit ſuſcepturus; nec primitias Regni ſui Chriſtianæ religionis deſtructioni cauſam præſtare patiatur. Quod ad jus ſuper Ducatum attinet, Imperatoris partes eſſe de illo diſcernere nemo ambigit; noſtrarum partium eſt inter quoſcumque Principes & præcipue inter Maj. ſuam & Ducem prædictum, quem Regiæ Coronæ ſuæ ſcimus eſſe deditiſſimum, quo poſſumus ſtudio & diligentia curare.

Si de (11) rebus Genuæ verba faciet, reſpondebitis, Nos nequaquam dubitare, quin Dux Mediolani pro Dominio Genuæ & Saonæ & adjacentium Terrarum, quæ a Francorum Regibus in feudum obtinet, feudatarii obſequia præſtet. 11

Quantum (12) ad Florentinos attinet, ſi de eis verba faciet, reſpondebitis, quod cum ad univerſalem pacem Italorum & Chriſtianorum omnium mentis noſtræ ſtudium dirigamus, omnem cauſam, quæ pacem ipſam impedire poſſet, de medio tollendam duximus; & propterea populum illum Noſtri & Apoſtolicæ Sedis devotiſſimum in libertate & auctoritate ſua protegere Nobis plurimum curæ eſt, ac libenter audimus, quod Majeſtas ſua eorum quoque ſaluti nobiſcum intendere velit. 12

De (13) civitate Piſana, ſi quando ſermo per Maj. ſuam fiet, dicatis Nos prompto animo paratos, ut Florentini in eorum jure reintegrentur, ut omnia belli ſemina penitus evellantur. Et proinde Maj. ſuam hortamur, ut cum Venetis & aliis, cum quibus opportunum judicaverit, operam dare velit, quo Florentina Reſpublica Civitatem ſuam prædictam Piſanam, quam propter adventum Caroli Regis in Italiam amiſerunt, auſpiciis ſuæ Maj., cujus illa Reſpubl. devotiſſima ſemper fuit, recuperare valeant; ſicque nobiſcum in ſanctam contra Turcos expeditionem adeſſe poſſint. 13

Quoad (14) Urſinos & Columnenſes, & alios Domicellos Eccleſiæ Rom. ſubjectos Maj. ſuam nomine noſtro monebitis, ut illos ſine licentia noſtra ad ſtipendia ſua non conducat, nec forſan conductos teneat; ne cum militibus Maj. ſuæ Dominia Noſtra, itinerantesque ad Romanam Curiam moleſtandi eis occaſio præbeatur. 14

De Præfecto (15) Urbis ſi mentionem fecerit, ſignificabitis Maj. ſuæ, quod Præfectus non ſolum publicam rapinam in terris noſtris contra Nuncios Noſtros, quos in carcere incluſit, & contra Legatum Turcorum Principis commiſit, illi quadraginta millia florenorum pro expenſis infraſcriptis, quem apud nos magna cum impenſa cuſtodiri faciebamus, & alias pecuniarum & bonorum magni valoris quantitates auferendo, verum etiam gentes noſtras & Bartholomæum Serram illarum ductorem, & ſanguine nobis junctum per terras noſtras iter facientes invadendo, ſpoliando, & captivos detinendo ſe in manifeſtam rebellionem erexit, & quod moleſte magis tulimus, falſis machinationibus famam noſtram maculare conatus eſt contra nos fingens quod cum Turcis ſentiremus; cum per ſententiam Cameræ Apoſtol. pro meritis exceſſuum ſuorum excommunicatus fuerit, ac propterea dignitatibus, pheudis ac bonis privatum eſſe; nolit Maj. ſua, cum de bonore noſtro agitur, eidem Præfecto favores præſtare. Nos enim itidem contra rebelles & boſtes Maj. ſuæ facere parati ſumus, & a pii Patris officio erga Maj. ſuam & ſuos nullo unquam tempore ceſſabimus. Poteſt namque ſua Maj. intelligere a Conſiliariis ipſius Caroli Regis, quod ipſe Carolus, cum hic perſonaliter eſſet, promiſit per propria ſcripta reſtitui Nobis omnino facere [per dictum Præfectum 40000. ducatorum, quæ poſtea nunquam ſoluta ſunt 15

Notæ.

1 Ludovicus Dux Aurelianenſis in Galliarum

rum regnum succeſſit Carolo VIII. abſque liberis vita defuncto an. 1498. quocum quarto conſanguinitatis gradu conjunctus erat; Remis ſolemni more rituque conſecratus VI. Kal. Junii illius anni, poſtea ipſis Kalendis Sextilibus regiam coronam ſumpſit, regnique poſſeſſionem apud S. Dionyſium ad urbem Pariſiorum; quare Pontificii legati, qui Roma diſceſſerant pridie Nonas Junias non ita commode lætiſſimæ Sextil. Calendarum pompæ intereſſe, ſuaque ipſi præſentia illam augere, atque ornare potuerunt. Nota Burchardi errorem, qui ſcribit miſſos ad Ludovicum legatos *ad condolendum de obitu patris ſui*.

2 Obiit VI. Id. Apr. an. 1498. apoplexia repente exſtinctus.

3 Id contigit anno 1495. quo Carolus VIII. Romæ cum eſſet cum exercitu, primum quidem de ſubmovendo ex Pontificatu Alexandro ob ingentia fœdaque vitia cunctis inviſo egit ſerio cum Cardinalibus, quos ſui conſilii fautores eſſe noverat; deinde compoſitis rebus, & fœdere inter Pontificem & Carolum icto, hic publicum obedientiæ officium Pontifici præſtitit die XIX. Januarii ejuſdem anni, totumque ſeſe Romanæ Eccleſiæ obſequiis de more devovit.

4 Nimium menſe Octobri an. 1494. cum ingenti exercitu in Italiam venerat, ut regno Neapolitano potiretur, quod, Ferdinando rege jam mortuo VIII. Kal. Febr. illius anni, ad ſe pertinere contendebat hereditario Andegavenſium Ducum jure, dum Alexander Pontifex aperte favebat Alphonſo II. Ferdinandi filio, eique illius regni poſſeſſionem Pontificia auctoritate contulerat.

5 Hanc bellicæ expeditionis curam adverſus Turcas conficiendæ ſerio ſuſcepit an. 1499. tum an. 1500. bellum Turcis indixit nomine Romanæ Eccleſiæ, eique gerendo ſe ducem affuturum teſtatus eſt, modo aut Galliarum, aut Hiſpaniarum rex ſocium ſe illi adjungeret; quin Pontificiam claſſem jam inſtruxerat an. 1502., cui Epiſcopum Paphenſem præeſſe juſſit; ſed protractis nimium conſiliis, diuque dilata claſſis profectione, omnis belli apparatus intercidit, & ſpes profligandi teterrimi hoſtis prorſus evanuit.

6 Calliſtus III., ante Pontificatum Alphonſus ex nobiliſſima familia Borgia, frater Iſabellæ Borgiæ, quæ Gotifredo Lenzolio nupta Rodericum Borgiam genuit, an. 1492. Innocentio VIII. in Romanam Sedem ſuffectum nomine Alexandri VI. Ingens vero emicuit Calliſti ardor in ſuſcipiendo fovendoque ſociali Chriſtianorum bello adverſus Turcas, quod magno Chriſtianæ Reipublicæ bono ſæpe, ac pluribus in locis feliciter geſtum fuit.

7 Idem arſit Pii II. Pontificis ſtudium in bellica expeditione contra Chriſtiani nominis hoſtes; & paratam Anconæ claſſem, auxiliaribus Venetorum copiis auctam, ipſe conſcenderat, Turcas omni ope conatuque aggreſſurus, niſi inopina mors ejus conſilia, & communem omnium ſpem, atque exſpectationem intervertiſſet.

8 Hæc enim præcipua laus Regum Gallorum fuit, iis præſertim temporibus, ut totis viribus ſe ſuaque omnia barbarorum minis, armiſque fortiter, ac diu objecerint pro religione tuenda.

9 Cum Alexander palam Friderico Regi Neapolitano faveret, qui in Alphonſi, ac Ferdinandi regum locum ſucceſſerat an. 1496. ejuſque partes tueretur, vix ſibi quis perſuadeat, hoc mandatum ſerio legatis injunctum fuiſſe, præſertim cum initum paullo ante fœdus cum Carolo VIII. ipſe Pontifex abrupiſſet, atque in illum Hiſpaniæ Reges eamdem ob cauſſam concitaſſet, tum Friderico illius regni jus liberrime contulit, eumque in ejuſdem poſſeſſione retinere adverſus Carolum viribus omnibus adniſus eſt. Sed, cum legati Pontificiis mandatis certe paruiſſent apud Ludovicum, hic anno 1500. per Robertum Epiſcopum Trecorenſem ſuum ad Pontificem oratorem Neapolitani regni debita ſibi jura perſequutus eſt; fruſtra tamen; ſiquidem Roberto Regis nomine orante, *Papa ſubriſit, & nihil reſpondit*, ait Burchardus apud Raynaldum Tomo 30. Annal. ad hunc annum; anno autem inſequenti & titulo *Regis Neapolitani*, & vectigali, quod Romano Pontifici a Regibus Neapolitanis impenditur, ipſum donavit.

10 Valentina filia Joannis Galeatii Vicecomitis Mediolanenſium Ducis nupſerat Ludovico Duci, Aurelianenſi & Ludovici XII. Gallorum regis avo, & præter dotem, quam marito detulit, jus quoque ſibi, ſuiſque filiis a Galeatio parente traditum acceperat in Mediolanenſem Ducatum, ſi forte Vicecomitum genus extingueretur. Mortuo itaque an. 1447. Philippo Maria poſtremo ejuſdem generis Inſubriæ Duce, ac Valentinæ fratre, Aurelianenſes Dynaſtæ jam tum in Inſubriam ſpectare cœperunt, quam ſibi hæreditario jure deberi contendebant; & Ludovicus ante, quam regnum adipiſceretur, Ludovicum Mariam Sfortiam, cognomento *Maurum*, Mediolani Ducem armis aggreſſus eſt an. 1495., ut, eo pulſo, totius Inſubriæ poſſeſſionem ſibi vindicaret, ſed infelici conatu. Verum, cum is Galliarum rex renunciatus fuiſſet, iterum adverſus Sfortiam bellum inſtruxit anno 1499., quo devicto, fugatoque ipſe victor Mediolani ſolemni pompa exceptus, & totius Inſubriæ Dux ſalutatus fuit. Hinc patet, aut nullum cum Legatis colloquium hac de re ab illo habitum, aut ab eo neglectas fuiſſe Pontificis cohortationes, qui, mutato repente conſilio, fœdus iniit cum Ludovico contra Mediolanenſem Dynaſtam, eumque ad occupandam Inſubriam valide juvit. Ceterum Joannes Galeatius primus Mediolani Dux regionem illam ſibi adſcivit, cum Imperatoris nomine Vicarium ageret in iis provinciis, & Ludovicus Maurus earumdem retinendarum poteſtatem ſibi fieri petierat a Maximiliano Imperatore, quippe quæ Romani Imperii juri ſubjectæ eſſent; quod a ſuperioribus Inſubriæ Ducibus prætermiſſum fuerat, cum ſupremum in eam dominium ſibi vindicarent.

11 Genuenſes preſſi armis Alphonſi Aragoniæ, & utriuſque Siciliæ Regis an. 1458. in fidem & clientelam Gallorum ſe tradidere, quorum Rex Carolus VII. Liguriam adminiſtrandam commiſit Joanni Lotharingiæ Duci; hinc attributum ſibimet a Gallicis regibus ſupremum totius Liguriæ imperium. Sed anno 1487. Joannes Galeatius Dux Mediolanenſis, factione Paulli Fregoſi adjutus Genuam, Saonam, totamque eram Liguſticam in ſui poteſtatem adegit, & Inſubriæ principatui adjunxit. Quare Carolus VIII. Rex Galliarum an.

1495.

Digitized by Google

1495. cum in Ludovicum Sfortiam Mediolani Ducem arma vertiſſet, ut Aurelianenſem Dynaſtam, Novariæ a Mediolanenſibus obſeſſum ab extremo libertatis & vitæ diſcrimine liberaret, hac lege pacem cum Sfortia ſancivit, ut is Genuam, eique ſubjectam Liguriæ provinciam Gallorum regum beneficentiæ acceptas referret: huc autem ſpectat Pontificis ad Legatos mandatum, quo ſuam fidem pro Mediolanenſi Duce interponi jubet apud Ludovicum Regem: hic tamen, Sfortia ab Inſubria ejecto, Mediolani potitus eſt an. 1499. & Genuenſes miſſa ad Regem legatione VII. Kal. Novemb. ſeſe jurejurando Galli regis dominio iterum ſubdiderunt.

12 Infenſi enim fuerant Florentini Carolo VIII. cum is ex Italia in Galliam rediit an. 1495., & contra pactorum fidem, quæ cum Rege ſanciverant, plurimos Gallorum ad Pontem ſacrum crudeliter obtruncaverant. Itaque veritus Alexander, ne Ludovicus injurias Carolo illatas ulciſci vellet, per legatos egit, ut a conſilio inferendi in illos belli dimoveretur, ſi forte hujuſmodi expeditionem moliretur; & re quidem vera nulla eos militari moleſtia laceſſivit.

13 Hæc præterea diſſidiorum cauſſa Florentinis cum Carolo intercedebat, quod Petrus Medices, qui Florentiæ dominabatur, Piſanam urbem, aliaſque Florentinæ ditionis arces Gallorum fidei, ac tutelæ permiſerat an. 1494., ipſeque Carolus Piſanos Florentinorum imperio ſubductos libertate donaverat, cum eodem anno in Italiam advenit. Tuetur itaque Pontifex Florentinorum partes, qui anno 1495. poſt Caroli ex Italia diſceſſum adempta ſibi oppida præter Piſas recuperarunt. Nihil tamen geſtum legimus a Ludovico hanc ob cauſſam adverſus Florentinos; Piſæ autem liberæ extiterunt; eaſque ſemel anno 1496. atque iterum anno 1498. a Florentinis obſeſſas inani conatu, demum, pacta ab iis cum Gallo & Hiſpano Regibus ingenti pecunia, an. 1508. in eorumdem poteſtatem redactas fuiſſe plures hiſtorici affirmant.

14 Notæ ſunt Columnenſium & Urſinorum Procerum factiones, quæ per hæc tempora Romanam urbem, & ſubjectas Pontifici provincias gravibus moleſtiis, ac damnis diu affecerunt. Sub Alexandro Pontifice Gallorum partes ſequi viſi ſunt; propterea eidem inviſi, quos ne ſuo patrocinio tueatur Ludovicus rex, per legatos orat; cum tamen anno 1496. aut 1497. opera Friderici Sanſeverini Cardinalis in gratiam Pontificis rediiſſent. Cæteri, quos Domicellorum nomine diſtinguit, erant Romanæ urbis & curiæ principes viri, atque clientes, qui Alexandro ejuſque conſiliis adverſabantur.

15 Erat is Joannes Robureus Juliani Cardinalis S. Petri frater, Pontifici infenſus, infeſtuſque quam qui maxime; quo auctore, dum Senogalliæ verſaretur, ferunt deprehenſum fuiſſe Buzardum quemdam, qui ad Turcas legatus Alexandri nomine Bajazethem adverſus Gallorum regem concitaverat, & penes illum rerum cum Turcis tractandarum capita comperta, de quibus mandatum a Pontifice acceperat. Ita Raynaldus in Annal. ad an. 1494. num. 28. ſed hæc falſa eſſe hic teſtatur Alexander in mandatis, & nunciorum nomine, quos a Præfecto carceri incluſos queritur; forte Buzardum ipſum intelligit. Quæ vero de legato Turcico ſcribit, referri fortaſſe queunt ad hiſtoriam Zizimi filii Mahometis II. Turcæ Imperatoris; is enim a Bajazethe ex Aſia pulſus, cum apud Rhodios Equites ſe recepiſſet, ab iiſdem Innocentio VIII. Pontifici traditus, ac commendatus fuerat, & ab Alexandro demum Gallo regi in poteſtatem conceſſus an. 1495. Eſt tamen veri ſimilius, alium quempiam legatum Bajazethis innui ad Alexandrum miſſum, quocum de iis ageret, quæ Pontifex adverſus Carolum VIII. Regem Gallorum moliri dicebatur.

Hæc rerum ſumma cum Ludovico rege ab Archiepiſcopo Raguſino agendarum. Guicciardinus in hiſtoria Italiæ ſub initium libri quarti affirmat tum Pontificis, tum Florentinorum legatos perhumaniter exceptos fuiſſe a Ludovico rege, quibuſcum ſerio diuque de propoſitis Italiæ negotiis tractavit. Sed de iis, quæ ex Joannis noſtri legatione conſecuta ſunt, cum ad hiſtoriam hanc minime ſpectent, ſatis eſt nonnulla in notationibue indicaſſe, ut ſenſus mandatorum dignoſci poſſit, quæ ab Alexandro Joanni ejuſque collegæ fuerant injuncta.

Anno 1499. jam Romam redierat; nam pagina 166. Cod. Burchardiani dicitur ipſe interfuiſſe *Conſiſtorio habito die XI. Menſis Martii, quo recepti ſunt Oratores Reginæ Franciæ, Ducisſæ Brittaniæ.*

Eodem anno die 24. menſ. Decembris Reverendiſſimi Domini Cardinales Ulixbonenſis, Urſinus, & Reverendus Dominus Archiep. Raguſinus iverunt ad aperiendas portas ſanctas ad Eccleſiam Lateranenſem, S. Mariæ Majoris, & S. Pauli, prout eis a Pontifice commiſſum fuerat, dum is Portam Auream S. Petri aperiebat.

Anno 1500. die 1. Januarii, finita Miſſa; Sanctiſſimus Dominus Noſter facta benedictione vocavit ad ſe Reverendiſſimum in Chriſto Patrem D. Johannem Archiep. Raguſinum, ejus virtutes laudavit plurimum, & fecit eum Cancellariæ Apoſtolicæ Regentem, & Reverendiſſimi Domini Cardin. Vicecancellarii Locumtenentem, qui Sanctitati ſuæ gratias egit, & pedes ejus deoſculatus eſt.

Eodem anno litteras gratulatorias de collata ſibi dignitate, ac munere ab Senatu Raguſino accepit. Dum vero Romæ conſtitit, diploma ab Alexandro impetravit, quo Canonici jubebantur linteati & cum inſignibus Capitularibus tum intra Ædem Cathedralem choro intereſſe, & pſalmodiæ operam dare, tum extra ad funera deducenda procedere. Datum eſt prid. Id. Aprilis an. 1502. in hæc verba.

Aliæ Alexandri VI. litteræ pro Canonicis Raguſinis.

Alexander Epiſcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Super univerſas Orbis Eccleſias noſtræ vigilantiæ divina diſponente clementia commiſſas eo diſponente, qui cunctis imperat, Creatore, meritis licet inſufficientibus conſtituti ad ea libenter intendimus, quæ ad ipſarum Eccleſiarum præſertim Metropolitan. decorem, & divini cultus augmentum cedunt, & in his noſtri Paſtoralis Officii partes ſalubriter, & utiliter impendimus efficaces, prout cauſæ rationales ſuadent, & in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Sane pro parte Ven. Fratris Noſtri Joannis Archiepiſcopi Raguſini Referendarii Noſtri, ac dilectorum Filiorum Rectoris & Conſilii Civitatis Raguſin. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dilecti Filii Canonici

nici Ecclesiæ Ragusinæ, seu saltem eorum major pars per quamdam consuetudinem, seu potius abusum, aut negligentiam, & incuriam Archiepiscoporum, qui eidem Ecclesiæ hactenus longo tempore successive præfuerunt, dum in Ecclesia prædicta divinis Officiis intersunt, superpellicia alba, seu juxta vulgare Cottas albas, & Almutia Zamphardas nuncupata, prout in ipsa Ecclesia Ragusina erat, & in aliis Ecclesiis Cathedralibus moris est, non deferunt ita, ut dum in ipsa Ecclesia cum aliis sæcularibus intersunt, seu deambulant, vix a laicis discernuntur, & etiam non semper Missis & Vesperis, & aliis divinis Officiis Dominicis diebus, & aliis Festivitatibus in dicta Civitate observari solitis intersunt, ex quo non solum, ut creditur, ad Dei offensam cedit, sed etiam apud sæculares hujusmodi eorum habitus scandalum generat. Verum si statueretur, & ordinaretur, quod ipsi Canonici in ipsa Ecclesia, ac etiam in processionibus & funeralibus publicis, ac Anniversariis Mortuorum superpellicia alba, seu Cottas albas, & juxta vulgare partium illarum Zamphardas nuncupatas Almutias hujusmodi ad instar aliorum Canonicorum Metropolitan., seu aliarum Ecclesiarum Cathedralium deferre, ac etiam Missis, & Vesperis Dominicis diebus, & festivitatibus hujusmodi interesse tenerentur, profecto hoc ad decorem dictæ Ecclesiæ cederet, & ut creditur, Divinæ Majestati gratum, & acceptum foret, ipsique Canonici in majori veneratione apud laicos haberentur, quam nunc habeantur, cum quodammodo laicorum Socii videantur, dum cum eis in habitu, quem deferre consueverunt, incedunt, Quare pro parte Joannis Archiepiscopi, & Rectoris ac Consilii prædictorum nobis humiliter fuit supplicatum, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Ecclesiarum quarumlibet, quæ Domus Dei sunt, decorem & pulchritudinem intimis desideramus affectibus, attendentes convenire, ut Ecclesiasticæ Personæ tamquam Lucernæ ardentes etiam in his, quæ foris sunt, exemplum bene vivendi aliis præbeant, hujusmodi supplicationibus inclinati, quod de cætero perpetuis futuris temporibus omnes & singuli Canonici dictæ Ecclesiæ Ragusin. nunc & pro tempore existentes, & quando in Civitate prædicta Ragusin. fuerint impedimento cessante legitimo, Missis & Vesperis Dominicis & aliis festivis diebus in ipsa Civitate observari solitis in ipsa Ecclesia, ac singulis processionibus publicis tam in dicta Ecclesia, quam extra eam pro tempore celebrandis & faciendis cum delatione superpelliciorum alborum, & Almutiorum ad instar Canonicorum aliarum Metropolitan., & Cathedralium Ecclesiarum interesse tenantur, ac quod tempore celebrationis divinorum Officiorum in ipsa Ecclesia tam in Choro, quam extra Chorum Ecclesiæ prædictæ Ragusin. nec non in funeralibus Defunctorum absque superpelliciis, sive Cottis albis, & Almutiis hujusmodi, nisi forsan eisdem funeralibus non ut Canonici, sed ut consanguinei, vel affines Defunctorum interfuerint, interesse non possint; alioquin Canonici prædicti & eorum singuli quoties in præmissis, vel aliquo eorum contrafecerint, sententiam excommunicationis latæ sententiæ, & trium Ducatorum pœnas in utilitatem dictæ Ecclesiæ convertendorum eo ipso incurrant. Quodque Procuratores dictæ Ecclesiæ pro tempore existentes dictos tres Ducatos a contrafacientibus exigere & in utilitatem dictæ Ecclesiæ convertere sub simili pœna Excommunicationis teneantur, Auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus & ordinamus. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, & dictæ Ecclesiæ Ragusinæ juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo secundo Pridie Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno decimo. Barotius,

Extra. Die nona Augusti MDII. lecta & intimata fuit hæc Bulla in minori Consilio DD. Canonicis præsentibus, audientibus, & intelligentibus, videlicet Domino Martino de Buchia Archidiacono, Domino Junio de Luca Archipresbytero, Domino Vito de Gozze, Domino Zore de Mlaskogna, Domino Francisco de Zamagno, Domino Andrea de Bobalio, Domino Petro de Gozze, Domino Michaele de Restis, & Domino Cæsare de Ragnina, præsentibus magnificis Dominis Rectore qu. Francisco de Bobulio, & suo Minori Consilio, ac Reverendo Patre Domino Andrea Vago Reverendissimi Domini Archiepiscopi Vicario; supravenit etiam lecta Bulla Dominus Joannes de Menze. Omnes usque ad unum obtulerunt se paratos obedire; solum se gravabant de gravitate pœnæ Excommunicationis, & Ducatorum trium. Assignatus eis fuit terminus trium mensium proxime futurorum ad providendum de Zamphardis.

Jacobus de Servolis de Gualdo Vicarius Generalis Rectorem & Abbatem Ecclesiæ S. Mariæ ab Angelo salutatæ de Gravosio, qui pagus duo fere millia passuum in occasum ab Ragusio distat, præfecit Nicolaum Barnecam, quem Patroni ejusdem Ecclesiæ nominaverant. Rector & Consilium minus, ut nimios & profusos luxus coerceret, tum dotem cujusque filiæ nubilis, tum sumptus, qui fieri deberent, in vestes, ornatus muliebres, atque in apparatus nuptiarum Senatusconsulto præfinierant. Hæc lex sapientissime & prudentissime constituta jampridem desuetudine antiquari & obsolescere cœperat. Nam plerique cum ad filias non tam bene moratas, quam bene dotatas respicerent, ut eas in matrimonium ducerent, dotes opulentiores, quam præscriptum fuerat, a parentibus exigebant, & recipiebant. Qui vero genere & fortuna inferiores erant, ut filias suas nuptui in domos nobiles & locupletes collocarent, quibuscum affinitatem jungere cupiebant, dotem illis multo majorem conficiebant, quam tenuitas rei familiaris ferebat. Omnes vero solemniis nuptiarum celebrandis extra modum sumptu & magnificentia prodibant. Quamobrem postulatum fuit a Julio II. Pontifice, ut, anathematis pœna proposita, interdiceret, nequis in posterum legem illam violaret de nuptiis constitutam: & Julius quidem hisce litteris assensus est.

Decretum Ragusinæ Reipublicæ,

Julius Episcopus Serv. Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Intenti quantum nobis ex alto conceditur circa singulorum Christifidelium prosperum & felicem statum, ut ea quæ propterea provida ratione facta dicuntur, in sui firmitate persistant, nostri Pastoralis Officii partes favorabiliter impartimur, prout locorum & personarum qualitatibus diligenter consideratis conspicimus in Domino salubriter expedire. Sane

et Julii II. PP. litteræ in luxum nuptiarum.

pro

pro parte dilectorum Filiorum Rectoris & Consilii, & Communitatis Civitatis Ragusin. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsi considerantes, quod hodiernis temporibus volentes uxores accipere potius ad amplam dotem, quam ad mores & Nobilitatem, ac alias animi dotes & virtutes uxorum, quas ducturi sunt, respectum habent, & etiam volentes eorum filias seu consanguineas vel affines nuptui tradere, quamvis aliquando humilis conditionis existant, ut illas in Domibus & Familiis nobilioris status & conditionis collocent, ampliores dotes, quam eorum statui, & conditioni conveniat, dant, seu constituunt, etiam ultra quam eorum facultates ad hoc sufficiant, ex quo eorum facultates plurimum attenuantur, & quandoque consumuntur; & quamvis Rector, Consilium & Communitas praefati volentes in praemissis pro felici statu & conservatione dictae Civitatis, & illius Civium, ac aliarum personarum opportune & salubriter providere, certa statuta & ordinationes, ac decreta in certis libris, seu Regestis desuper confectis contenta fecerunt, & ediderunt, & in illis maxime in libro Viridi Capitulo centesimo septuagesimo primo, & in libro Croceo secunda & vigesima, ac trigesima septima chartis contentis & descriptis exprimatur, quantum quilibet Civis Ragusin. tam pro dote, quam vestibus & ornamentis mulierum nubentium dare debeant, attamen hujusmodi Statuta, decreta, & ordinationes non observantur, sed per fraudem volentium ad invicem contrahere Statutis & Decretis praedictis derogatur, cum inter se de dotibus conveniant, & concordent, & illas, ac alia ornamenta, & vestimenta secreto, & aliis diversis exquisitis viis persolvant & exhibeant, ultra quam Statutis, Decretis, & Ordinationibus praedictis continentur. Quare pro parte Rectoris, Consilii, & Communitatis praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut quod omnes & singuli Cives Ragusin., qui de cetero matrimonia contrahent, & qui dotes persolvere habebunt, si contra Statuta, Decreta, & Ordinationes praedictas circa hujusmodi dotes edita fecerint, sententiam excommunicationis incurrant, perpetuo statuere, ordinare, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui singulorum Christifidelium commoditatibus, quantum cum Deo possumus, consulimus, Rectorem, Consilium, & Communitatem, ac Consilii & Communitatis praedictorum singulares personas a quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & Poenis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, authoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo statuimus, ordinamus, atque decernimus, quod omnes & singuli Cives Ragusin. qui de cetero matrimonia contrahent, videlicet tam Sponsus, quam Pater Sponsae, seu alii, qui dotem promittere & solvere habebunt, si contra statuta, decreta, & ordinationes in Libris, Capitulis, & chartis praedictis descripta, & annotata, & circa hujusmodi dotes, vestimenta, & ornamenta edita & facta, postquam praesentes litterae in Civitate praedicta, publicatae fuerint, quomodolibet publice, vel occulte fecerint, seu contravenerint, ac etiam mediatores, ut plus pro hujusmodi dotibus, & vestimentis, ac ornamentis detur, & persolvatur, quam in Statutis, Decretis & Ordinationibus praedictis per Rectorem, Consilium, & Communitatem praedictos, ut praefertur, editis continetur, ac etiam scientes, eos qui Decretis, Statutis & Ordinationibus praedictis contravenerint, nisi infra tres dies, postquam hoc ad eorum notitiam pervenerit, revelaverint, seu ad notitiam Rectoris, & Minoris Consilii dictae Civitatis deduxerint, sententiam Excommunicationis eo ipso incurrant, a qua praeterquam a Nobis, seu Rom. Pontifice pro tempore existente, canonice intrante, seu Sede praedicta, praeterquam in mortis articulo constituti absolutionis beneficium nequeant obtinere. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dictae Civitatis juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat &c. Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo quarto IV. Nonas Octobris, Pontificatus nostri anno primo. — P. Robioni,

Sed cum plerique legem illam violarent, ac passim seipsi in laqueos anathematum inducerent, ne quod privatae publicaeque utilitatis causa statutum fuerat, in perniciem animarum sibi verterent, Leo X. rogatu ejusdem Rectoris & Consilii decretum Julianum, & poenam in eo constitutam abrogavit anno 1520.

Anno 1203., cum Alexander Pontifex vita excessisset, & in urbe omnia metus & periculi plena essent, Cardinalium Collegium, quos penes summa erat auctoritas & potestas, Joanni ob ejus singularem virtutem & prudentiam urbis tutelam & custodiam tamquam Praefecto tradidere cum armatis militibus ducentis: quod munus egregie praestitit, Cum vero eodem anno Julius II. ad Romanam Cathedram evectus fuisset, is insequenti statim anno 1204., ut Saracenus in Hist. Ancon. Tomo 2. scribit, vel etiam posteriore 1205, Benincasa de Benincasis Episcopo Anconitano vita functo, Joanni patriam Ecclesiam decrevit (Jul. II. Brev. Tom. 2. pag. 216.), atque ita regendam dedit, ut Archiepiscopatum Ragusinum retineret; quam, ut ait Ughellius, *per tres annos* (vix unum) *sollertissime administravit, cum esset Archiepiscopus Epidaurensis, inque rebus gravissimis variis legationibus perfunctus est.* Carus vero in primis fuit civibus suis, qui ut Joanni suum in ejus merita obsequium testarentur, illius familiam patria nobilitate donarunt: is autem ante quam obiret, *Abbatiam S. Joannis in Pennochiara* extra muros Anconae sitam, qua fuerat ipse ditatus, Canonicis Lateranensibus possidendam concessit. Romae decessit anno 1505., cui marmoreum sepulcrum in Aede urbana S. Onuphrii duo Cardinales Praenestinus & Tusculanus ejus testamenti exsecutores faciendum curarunt, ejus effigie in morem decumbentis superposita, & cum gentilitiis ejusdem insignibus hoc elogium inscribendum, quod res ab eo praeclare gestas, & amplissimos honores eidem collatos breviter summatimque complectitur,

Joannis Archiep. obitus, sepulcrum, & elogium.

Digitized by Google

LABOR. ET. GLORIA. VITA. FUIT.
MORS. REQVIES.

IOANNI. SACCO. ANCONITANO. ARCHIEP. RAGUSINO. EPO. ANCON. PONT. MAX. INNOCEN. VIII. ET. ALEX. VI. REFEREN. Q. ET. ADSISTENTI. PONTIFICIÆ. LEGAT. HONORIFICENTISSIME. AD. FRACOR. REGE. MISSO. PRINCIPI. MORTE. ALEX. VI. ILLO TVMULTU. FORMIDABILI. AD. VRBE. RO. QVA. ANTEA. DIV. REXERTAT. COMUNI PATR. DECRETO. CV. VALIDO. PRESIDIO. GUBERNADA. PREFECTO. TOGATA. GALLIA BELLO. ARDENTE. IMINETEQ. HOSTE. POTENTISS. AB. IVLIO. II. BONONIE. ET. OMNI ROMANDIOLE. GUBERNAT. PREPOSITO. PLERISQ. CIVITATIB. RECEPTIS. PROVINCIA PACATA. HONOR. PLENO. PROBATO. POPULO. PATRIE. CARO. IN. SUMA MODERATIONIS. DOCT. ABSTINET. INTEGRITQ. INGENTE. LAVDE. ADEPTO OMNIV. MAG°. MERORE. SUMAQ. CURIE. PONTIFICIE. IACTURA. EXTINTO
VIXIT. AN. LVI. M. VIII. D. III.
ANT. EPS. PRENEST. CARD. S. PRAX. ET. IO. EPS. TUSCUL. CARD. ALEX. CUM. FRE CHERUBINO. FERRARIEN. HUIUS. CENOBII. PRIORE. EXEQVV. PONEND. CUR. M. D. V

Cum Sebastianus Dolci tradat in patria mortuum fuisse, & sepultum in Ecclesia Patrum Conventualium, Romanum verius *Cenotaphium*, quam sepulcrum appellari oporteret.

JULIANUS ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS LII.

Hic quoque Ecclesiam si minus sua præsentia, certe sui nominis splendore, & suarum virtutum fama longe lateque vulgata illustravit. Natus est Volaterris, urbe & colonia antiquissima Etruriæ, anno 1435. e clarissima gente de Maphæis. Ab ineunte adolescentia Ordini Minorum S. Francisci adscriptus tantos habuit progressus tum in aliis artibus liberalibus, tum præsertim in Philosophia & Theologia, ut apud doctissimos, & eruditissimos quosque illius ætatis viros magnam sibi existimationem & gratiam conciliaverit. Bessarion Cardinalis Nicænus eum plurimi fecit, atque studiorum suorum adjutorem esse voluit. Perfamiliaris fuit Paullo II. & Sixto IV. qui ejus doctrina consuetudineque mirifice delectabantur. Sacræ Romanæ *Pœnitentiariæ* præpositus plures annos huic muneri gravissimo summa cum laude præfuit, quocum Episcopalem duarum Ecclesiarum administrationem conjunxit: anno siquidem 1477. Sixtus IV. Foripompilii & Bertinorii Episcopatum ei contulit. At Julius II. eidem Metropolim Ragusinam decrevit prid. Kal. April. anni 1505. ad quam ne accederet, Præfectura Sacræ *Pœnitentiariæ*, itemque Bibliothecæ Vaticanæ, aliaque Romanæ Curiæ negotia gravissima impedimento fuerunt. Ad eam regendam & munera Episcopalia obeunda usus est opera vicaria Georgii II. Episcopi Mercanæ ac Tribuniæ; itemque ad curandos proventus ecclesiasticos Procuratorem constituit Joannem Hieronymum de *Vulterra*: utriusque nomen in variis codicibus tabularii Archiepiscopalis reperitur. Dum Julianus huic Ecclesiæ præsidebat, Cœnobium ac Templum Benedictinum S. Michaelis in insula Pachina sive Jupana sibi commendatum habuit, ex quo aureos centenos singulis annis percipiebat: utrumque vero voluntaria cessione postea dimisit ita, ut sibi tamen illius fructus & proventus retineret. Hoc sacerdotium Julius II. contulit Stephano de Tudisio Clerico Ragusino, qui monasticum habitum sumere, & sub Regula S. Benedicti votis solemnibus Deo se obstringere decreverat. Pontifex Abbati Melitensi commendavit, ut ejus solemnem professionem exciperet, eumque in ejusdem loci possessionem induceret, diplomate hujusmodi dato anno 1505.

Julii II. diploma pro Stephano de Tudisio Monacho Benedictino.

Julius Episcopus Servus Servorum Dei Dilecto Filio Abbati Sanctæ Mariæ Insulæ Melitæ Ragusin. Diœcesis Sal. & Apostolicam bened. Sollicitæ considerationis indagine, prout Pastoralis Officii sollicitudo requirit, circa statum Ecclesiarum & Monasteriorum omnium prospere dirigendum operosæ diligentiæ studium libenter intendimus, ut ipsis, ne in spiritualibus & temporalibus detrimenta sustineant, de cœlestis provisionis remedio salubriter succurratur, ac Personis Ecclesiasticis præsertim nobilitate generis pollentibus, ut in suis opportunitatibus suscipiant relevamen, & alias cupientibus vitam ducere regularem, ut eorum primum propositum possint ad laudem Divini Nominis adimplere, Apostolici subsidii favorem libenter impertimur. Cum itaque Monasterium S. Michaelis in insula Pachinæ Ordinis S. Benedicti Ragusinæ Diœcesis, quod de jure Patronatus laicorum Nobilium ex privilegio Apostolico, cui hactenus in aliquo derogatum non est, existit, & quod Ven. Frater noster Julianus Archiepiscopus Ragusinus ex concessione & dispensatione Apostolica in Commendam nuper obtinebat, Commendam hujusmodi, ex eo quod dictus Julianus Archiepiscopus illi hodie in manibus nostris sponte ac libere cessit, nosque cessionem ipsam duximus admittendam, cessante adhuc eo, quo, dum eidem Juliano Archiepiscopo commendatum fuit, vacabat, modo vacare noscatur, & sicut accepimus, dilectus Filius Stephanus de Tudisio Clericus Ragusin. ob melioris vitæ frugem cupiat in dicto Monasterio una cum dilectis filiis illius conventus sub regulari habitu virtutum Domino famulari, Nos volentes eumdem Stephanum, qui, ut asserit, in vigesimo primo, vel circa, suæ ætatis anno constitutus, & de nobili genere procreatus, ac unicus ex Patronis laicis dicti Monasterii filius existit, in hujusmodi suo laudabili proposito confovere, ut se commodius sustentare valeat, & alicujus subventionis auxilio providere, ac cupientes eidem Monasterio, ne longa vacationis exponatur incommodis, de persona sua secundum cor nostrum utili & idonea, per quam circumspecte regi, ac salubriter dirigi valeat, provideri, nec non de meritis & idoneitate ipsius Stephani apud Nos, de Religionis zelo, nobilitate generis, vitæ munditia, honestate morum, Spiritualium providentia, & temporalium circumspectione, aliisque virtutum donis multipliciter commendati certam notitiam habentes, ipsumque Stephanum a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus

Digitized by Google

bus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, nec non omnia & ſingula beneficia eccleſiaſtica cum cura & ſine cura, quæ dictus Stephanus etiam ex quibuſvis diſpenſationibus Apoſtolicis obtineat, & expectat, ac in quibus & ad quæ jus ſibi quomodolibet competit, quæcumque, quodcumque, & qualiacumque ſint, eorumque fructuum, reddituum, & proventuum veros annuos valores, ac hujuſmodi diſpenſationum tenores, nec non verum & ultimum dicti Monaſterii vacationis modum præſentibus pro expreſſis habentes, Diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus Monaſterium prædictum, cujus fructus, redditus, & proventus centum Florenorum auri de Camera ſecundum communem æſtimationem valorem annuum, ut dictus Stephanus etiam aſſerit, non excedunt, quovis modo, & cujuſcumque perſona vacet, etiamſi ejus proviſio ex quavis cauſa ad Sedem prædictam ſpecialiter vel generaliter pertineat, dummodo tempore datæ præſentium non ſit eidem Monaſterio de Abbate proviſum, aut alteri commendatum canonice non exiſtat, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis eidem Stephano per eum, quamdiu dictus Julianus Archiepiſcopus vixerit, ſeu omnes & ſingulos fructus, redditus & proventus reſervavimus, conceſſimus, & aſſignavimus, prout in illis plenius continetur, tenendum, regendum, & gubernandum, alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium, & pretioſorum mobilium dicti Monaſterii eidem Stephano penitus interdicta, commendare, & deinde cedente, vel decedente dicto Juliano Archiepiſcopo, ſeu reſervationi fructuum ſibi conceſſæ prædictæ renunciante, aut liberam perceptionem fructuum prædictorum eidem Stephano dimittente, vel etiam ante, ſi ipſe Stephanus voluerit, eumdem Stephanum, ſi ſit idoneus, & aliud Canonicum non obſiſtat in dicto Monaſterio, ſive ibi ſit certus Monachorum numerus, ſive non, in Monachum, & in Fratrem recipere, ſibique regularem habitum juxta ipſius Monaſterii conſuetudinem exhibere, ac ipſum ibidem ſincera in Domino caritate tractari facere, nec non ab eo Profeſſionem regularem per Monachos dicti Monaſterii emitti ſolitam, ſi illam in tuis manibus emittere voluerit, & admittere, eaque per ſe recepta & admiſſa de meritis & idoneitate hujuſmodi ſe diligenter informare, & ſi per informationem eamdem dictum Stephanum ad regimen, & adminiſtrationem dicti Monaſterii utilem & idoneum eſſe reperieris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, de perſona ejuſdem Stephani præfato Monaſterio providere, ipſumque illi in Abbatem præficere auctoritate noſtra procures, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Monaſterii ſibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo, ac facientes ſibi etiam hujuſmodi Commenda durante a Conventu præfatis obedientiam & reverentiam debitas & devotas, nec non a dilectis filiis Vaſſallis, & aliis ſubditis ejuſdem Monaſterii conſueta ſervitia, & jura ſibi ab eis debita integre exhibere, contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii, & Ordinis prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis & conſuetudinibus contrariis quibuſcumque, aut ſi pro alio, vel alias in dicto Monaſterio ſcripta Apoſtolica forſan ſint directa, ſeu ſi Conventui, Vaſſallis, & ſubditis præfatis, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nos enim cum eodem Stephano, ſi cum de perſona ſua eidem Monaſterio per ſe vigore præſentium provideri, ipſumque in Abbatem præfici contigerit, ut præfertur, ætatis legitimæ non fuerit, ut eidem Monaſterio in Abbatem præfici, ac illi præeſſe, illudque in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus regere, & gubernare libere & licite valeat, defectu ætatis præmiſſæ, quem ipſe Stephanus ad hoc etiam tunc gratietur, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus ſupradictis, cæteriſque contrariis nequaquam obſtantibus auctoritate Apoſtolica tenore præſentium de ſpeciali dono gratiæ diſpenſamus, ſibique, ut a quocumque maluerit Catholico Antiſtite gratiam & communionem dictæ Sedis habente, munus benedictionis recipere, ac eidem Antiſtiti, ut illud ſibi impendere licite poſſit, licentiam concedimus per præſentes. Volumus autem, quod idem Antiſtes, qui præfato Stephano munus benedictum impendet, poſtquam illud ſibi impenderit, ab eo noſtro, & Rom. Eccleſiæ nomine fidelitatis debitæ ſolitum recipiat juramentum juxta formam, quam ſub Bulla noſtra mittimus introcluſam, ac formam juramenti, quod ipſe Stephanus præſtabit, nobis de verbo ad verbum per ejus patentes litteras ſuo ſigillo ſignatas per proprium Nuncium quantocius deſtinare procuret, ac quod per hoc Archiepiſcopo Raguſino pro tempore exiſtenti, cui monaſterium ipſum ordinario jure ſubeſſe dignoſcitur, nullum impoſterum præjudicium generetur, quodque dicta durante Commenda divinus cultus, ac ſolitus Monachorum, & miniſtrorum numerus in ipſo Monaſterio nullatenus minuatur, ſed illius, ac Conventus prædictorum congrue ſupportentur oncra antedicta, ac quod quamprimum dictus Julianus Archiepiſcopus deceſſerit, ſeu renunciaverit, aut dimiſerit, ut præfertur, præfatum Stephanum habitum ſuſcipere, & profeſſionem hujuſmodi emittere, & poſtquam de perſona ſua eidem Monaſterio proviſum, ipſeque illi in Abbatem præfectus fuerit, ut præfertur, quæ, ut præfertur, obtinet, & ſi illa interim aſſequatur, in quibus jus ſibi competit, & quæ ex tunc vacare decernimus, beneficia hujuſmodi omnino dimittere teneatur, alioquin juri ſibi competenti hujuſmodi cedere omnino teneatur; & inſuper quoad Commendam hujuſmodi ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper bis a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quingenteſimo quinto Idibus Novembris, Pontificatus noſtri anno ſecundo. —— C. Balbus.

Julius idem Virginibus S. Claræ novi Cœnobii non ita pridem ſub titulo SS. Apoſtolorum inſtituti facultatem conceſſit veſcendi carnibus, & caligas pedibus induendi; id quod Patres Franciſcani rigidioris diſciplinæ, ſub quorum regimine erant, illis interdixerant. Pontificium diploma in hanc ſententiam datum eſt.

Ejuſdem alterum pro Virginibus S. Claræ.

Julius Epiſcopus Servus Servorum Dei Dilectis in Chriſto Filiabus Abbatiſſis & Monialibus Monaſterii novi Raguſini per Prioriſſam ſoliti guber-

gubernari Ordinis S. Clarae sal. & Apostolicam bened. Religionis vestrae zelus, & devotionis sinceritas promerentur, ut illa vobis benigno favore concedamus, per quae sincera & quieta mente possitis Domino in ejus beneplacitis famulari. Sane pro parte vestra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet nuper dilecti Filii Communitas Civitatis Ragusinae vigore licentiae Apostolica auctoritate eis concessae Monasterium vestrum novum Ragusinum Ordinis S. Clarae pro Monialibus in eo Altissimo famulari volentibus construi, & aedificari fecerint, illudque in Monasterium Ordinis S. Clarae eligi, vosque curae, & directioni dilectorum Filiorum Fratrum Ordinis Minorum de Observantia nuncupatorum ita quod in eodem Monasterio vestro, prout aliae Moniales alterius Monasterii dictae Civitatis ejusdem Ordinis S. Clarae vivunt, viveretis, subjici obtinuerint, ipsaeque Moniales alterius Monasterii carnibus vescantur, & calceamentis utantur, tamen Fratres praedicti ad arctiorem Regulam, plusquam oporteat, vos astringere volentes, regimen & administrationem vestri recipere recusant, nisi abstineatis ab esu carnium, & pedibus nudis incedatis juxta primam institutionem Regulae ejusdem S. Clarae, licet vos credatis sana conscientia, postquam vobis concessum extitit, ut secundum morem aliarum Monialium praedicti Monasterii, quae caligis utuntur, & carnibus vescantur, vivere possitis, carnibus vesci, & caligis uti licite posse. Quare pro parte tam vestra quam Communitatis praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur vos, & singulas a vobis a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae estis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis, & Priorissae, ac Monialibus dicti Monasterii pro tempore existentibus, quod carnibus vesci, & calceamenta deferre prout aliae Moniales antiqui Monasterii Civitatis & Ordinis S. Clarae hujusmodi vesci, & deferre consueverunt, libere & licite valeatis, Auctoritate Apostolica tenore praesentium de speciali gratia concedimus pariter & indulgemus. Mandantes eisdem Fratribus sub Excommunicationis sententiae poena, quam contrafacientes incurrant eo ipso, quatenus curam & regimen vestri recipiant, & vos carnibus vesci, & calceamenta deferre permittant, prout aliae dicti antiqui Monasterii Priorissa & Moniales vescuntur & deferunt. Non obstantibus constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dictorum Monasteriorum & Ordinum juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat &c. Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo sexto IV. Kal. Maji, Pontificatus nostri anno tertio. V. Filioleri.

Cum autem per haec tempora Bernardus Gundula ex Lacromensi ad Coenobium Melitense gubernandum de communi Monachorum Melitensium consensu arcessitus annos sex & viginti huic Monasterio summa cum laude praefuisset, ac dubitare postea inciperet, rite ne an legitime in Abbatem electus fuisset, Pontifex ipse, quem Bernardus rogaverat, ut omnem sibi dubitationem eximeret, litteris datis ad Vicarium generalem Archiepiscopi absentis jussit Bernardum Pontificia auctoritate illi Coenobio regendo Abbatem iterum eligi, atque praeponi.

Ejusdem litterae pro Abbate Melitensi.

Julius Episcopus Serv. Serv. Dei Dilecto Filio Vicario Ven. Fratris nostri Archiepiscopi Ragusini in Spiritualibus generali Sal. & Apostolicam bened. Sollicitae considerationis indagine, prout Officii Pastoralis sollicitudo requirit, circa statum Ecclesiarum & Monasteriorum omnium prospere dirigendum operosae diligentiae studium libenter impendimus, ut ipsis, ne vacationis cujusvis praegraventur incommodis, de salubris provisionis remedio succurratur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Bernardi Gondolae Monachi Monasterii de la Croma Ordinis S. Benedicti Congregationis S. Justinae de Padua Ragusinae Dioecesis petitio continebat, quod alias Monasterio Beatae Mariae in Insula Melitae Ordinis & Dioecesis praedictorum certo modo vacante, Dilecti Filii Conventus ejusdem Monasterii Beatae Mariae pro futuri inibi Abbatis electione celebranda votis omnibus, qui voluerunt, potuerunt, & debuerunt electioni hujusmodi commode interesse, die ad eligendum praefixa, ut moris est, convenientes in unum praefatum Bernardum, Ordinem ipsum expresse professum, in aetate legitima constitutum, in eorum, & dicti Monasterii B. Mariae Abbatem concorditer elegerunt, ipseque Bernardus de licentia Superioris sui electioni hujusmodi, illius sibi praesentato Decreto, consentiens, ac de Monasterio de la Croma ad praefatum Monasterium B. Mariae se transferens electionem praedictam per tunc Archiepiscopum Ragusin., seu ejus Vicarium in spiritualibus generalem ordinaria auctoritate confirmari obtinuit, ac electionis, & confirmationis praedictarum vigore possessionem, vel quasi regiminis, & administrationis ac bonorum ipsius Monasterii B. Mariae extitit assecutus, illudque per viginti sex annos, vel circa laudabiliter rexit, & gubernavit, ac pacifice tenuit, & possedit, prout regit & gubernat de praesenti. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, dictus Bernardus dubitet electionem, & confirmationem praedictas ex certis causis viribus non subsistere, & sicut accepimus dictum Monasterium B. Mariae adhuc, ut praefertur, vacare noscatur, Nos cupientes eidem Monasterio B. Mariae de persona secundum cor nostrum utili, & idonea, per quam circumspecte regi, & salubriter dirigi valeat, provideri, & de meritis, & idoneitate dicti Bernardi apud Nos, de religionis zelo, vitae munditia, honestate morum, Spiritualium providentia, & temporalium circumspectione, aliisque virtutum meritis multipliciter commendari certam notitiam non habentes, ipsumque Bernardum a quibusvis excommunicationis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, nec non verum & ultimum dicti Monasterii B. Mariae vacationis modum, etiam si ex illo quaevis generalis reservatio etiam in corpore juris clausa resultat, praesentibus pro expressis habentes, Discretioni tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus de meritis & idoneitate dicti Bernardi auctoritate nostra te diligenter informes, & si per informationem hanc eumdem Bernardum ad regimen & administrationem dicti Monasterii B. Mariae utilem & idoneum esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, de persona ipsius Bernardi praefato Monasterio B. Mariae, cujus fructus, redditus, & proventus quinquaginta ducatorum auri

de

de Camera ſecundum communem æſtimationem valorem annuum, ut idem Bernardus etiam aſſerit, non excedunt, quovis modo, & ex cujuſcumque perſona vacet, etiamſi ex quavis cauſa ejus proviſio ad Sedem Apoſtolicam ſpecialiter, vel generaliter pertineat, dummodo tempore dato præſentium non ſit eidem Monaſterio B. Mariæ de Abbate canonice proviſum, dicta auctoritate noſtra provideas, ipſumque illi in Abbatem præficias, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Monaſterii B. Mariæ ſibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo, ac faciendo ſibi a præfatis Conventu obedientiam & reverentiam congruentes, necnon a dilectis filiis Vaſſallis & aliis ſubditis dicti Monaſterii B. Mariæ conſueta ſervitia & jura ſibi ab eis debita integre exhiberi, contradictores autem noſtra appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, & Monaſteriorum etiam Congregationis & Ordinis prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alias roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuſcumque. Aut ſi Conventui, Vaſſallibus, & ſubditis præfatis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a dicta Sancta Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nos enim eidem Bernardo, ſi de perſona ſua dicto Monaſterio B. Mariæ per te vigore præſentium providere, ipſumque illi in Abbatem præfici contigerit, ut præfertur, ſi nondum munus benedictionis ſuſcepit, ut a quocumque maluerit Catholico Antiſtite gratiam & communionem dictæ Sedis habente munus benedictionis recipere, & eidem Antiſtiti, ut illud ſibi impendere licite poſſit concedimus per præſentes. Volumus autem, quod idem Antiſtes, qui præfato Bernardo munus prædictum impendet, poſtquam illud ſibi impenderit, ab eo noſtro, & Rom. Eccleſiæ nomine fidelitatis debitæ ſolitum recipiat juramentum, juxta formam, quam ſub Bulla noſtra mittimus incluſam, ac formam juramenti, quod ipſe Bernardus præſtabit, nobis de verbo ad verbum per ejus patentes litteras ſuo ſigillo ſignatas per proprium Nuncium quantocius deſtinare procuret. Quodque per hoc Ven. Fratri noſtro Archiepiſcopo Raguſino, cui Monaſterium ipſum ordinario jure ſubeſſe dignoſcitur, nullum impoſterum præjudicium generetur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexto VII. Idus Maji, Pontificatus noſtri anno tertio. P. Filiolevi.

Julianus Archiepiſcopus Romæ obiit anno 1510., eique apud S. Petrum in Monte aureo Marcus Cardinalis Vigerius, quocum conjunctiſſime vixit, honorificum monumentum poſuit, ac titulum fecit.

Julianus Archiep. obiit.

D. O. M.
Juliano Municipi Volaterrano
Archiepiſcopo Raguſino
Ex Ordine Min. aſſumpto
Philoſopho Theologoque clariſſimo
Beſſarioni Cardinali Niceno
Studiorum Adjutori
A Sixto IV. & Paullo II. Pont. Max.
Quibuſcum conjunctiſſime vixit
Dignitatibus honeſtato
Pœnitentiariæ Apoſtol. Annos XXV. Regenti.
Vixit Annos ſeptuaginta quinquē Menſ. ſeptem;
Marcus Vigerius Savonenſis, Card. Senogallienſis,
Amico & Contubernali jucundiſſimo
Sacello communicato poſuit
Anno MDX.

RAYNALDUS ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS LIII.

Raynaldus Gratianus illuſtri genere natus eſt Cotineolæ, quod eſt oppidum Galliæ Togatæ, ſive Æmiliæ, frequens, ac nobile. Poſt primam ætatem politioribus litteris excultam in ſodalitatem Fratrum Minorum S. Franciſci nomen dedit. Tyrocinio peracto, confectoque Philoſophiæ curriculo, cum perſpicax in eo acutumque ingenium eluceret, ſublimiorum ſtudiorum cauſſa Lutetiam miſſus ad rerum divinarum ſcientiam animum applicuit, in qua ita excelluit, ut judicio doctiſſimorum hominum ſummus Theologus illius ætatis haberetur. Reverſus in Italiam ad primarias ſui Ordinis ſcholas regendas adhibitus fuit. Nec ſolum ingenio & doctrina, ſed etiam prudentia & rerum gerendarum induſtria plurimum valuit. Argumento eſt, quod eum Julius II. de graviſſimis rebus Internuncium miſit ad Ferdinandum Regem Hiſpaniæ, apud quem omnia, quæ habebat a Pontifice, mandata e ſententia confecit; illudque in primis, ut Rex juberet Cæſarem Borgiam, cui Gundiſalvus Prorex Neapolitanus favere videbatur, vinctum in Hiſpaniam tranſmitti. Pontificia legatione perfunctus anno 1506. in Comitiis Generalibus Miniſter Generalis totius Ordinis Franciſcani renunciatus eſt; quam ſupremam præfecturam quadriennio geſſit. Cum Franciſcanis, quos *Conventuales* vocant, plus nimio obſequi videretur, omneſque ſectatores Inſtituti Franciſcani in unum corpus ſub eodem jure, eademque regulari diſciplina redigere vellet, ob hanc, vel aliam cauſſam, ſexennio nondum expleto, quo univerſale illius Ordinis regimen definiri ſolet, ſummam illam dignitatem, atque adminiſtrationem depoſuit; eique Philippus Porcatius ſubſtitutus fuit; *Ne autem*, ait Waddingus Tomo VIII., *omnino inglorius remaneret Raynaldus, eum fecit Pontifex Archiepiſcopum Raguſinum; etſi, ut alias dixi, ſodalitates, quas in præjudicium Obſervantium procuraverat, indignabundus revocavit.* Ob bene geſtam legationem Hiſpanienſem, & præclara ejus merita idem Julius II. ei contulerat primarium Sacerdotium Ædis maximæ Cotineolenſis S. Stephani, quem Archipreſbyteratum vocant, ejuſque cum inſtituto monachali Franciſcano conjungendi poteſtatem fecerat. Hoc ille, antequam Archiepiſcopus renunciatus fuiſſet, ſe abdicavit. Cæterum in diplomate, quo D. Stephani lipſana ſe donaſſe teſtatur Eccleſiæ Cotineolenſi an. 1515., titulum Archipreſbyteri Cotineolenſis, quam ob cauſſam neſcio, retinuit; ita enim incipit; *Raynaldus Gratianus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Raguſinus, & Plebis S. Stephani de Cottignola Archipreſbyter &c.* Pontifex vero, ut declararet quanti faceret virum omni laudum genere cumulatum, Marco Gratiano Clerico fratris ejus filio, quamvis annum ætatis undevicefimum vix attingeret, illud ſacerdotium mandavit, ut eſt in litteris Pontificiis inſcriptis Nicolao Barbarario Præpoſito Ædis Cathedra-

Raynaldus Gratianus ex Ord. Minor.

Miniſter Generalis totius Ord. Franciſc.

et Archipreſbyter Cotineolenſis,

Digitized by Google

lis Faventinæ, quem jubet poſſeſſionem ejuſdem Sacerdotii Marco ex juris formula tradere: *Cum igitur poſtmodum Parochialis Eccleſia Archipreſbyteratus nuncupatus Oppidi Cottineolæ Faventinæ diœceſis per liberam reſignationem dilecti filii Raynaldi de Gratianis Ordinis Min. Profeſſoris, de illa, quam tunc ex diſpenſatione Apoſtolica obtinebat, in manibus noſtris ſponte factam &c. Dat. an.* 1510. *tertio Kal. Julii.*

Poſt abdicationem Sacerdotii Cotineolenſis eodem anno 1510. Nonis Junii ad ſedem Archiepiſcopalem Raguſinam evectus, ac deinde Epiſcopali conſecratione initiatus fuit. An vero ſtatim Raguſium ad gubernacula Eccleſiæ ſibi traditæ acceſſerit, mihi non eſt compertum; ante annum hujus ſæculi decimum quartum nullum habeo monumentum, ex quo ejus Raguſina præſentia, & commoratio dignoſci poſſit. Cum Julius de cogendo Generali Concilio cogitaret, quod anno 1511. denunciavit, diemque Epiſcopis ad conveniendum Romam in Baſilicam Lateranenſem edixit, noluit, opinor, Pontifex Raynaldum ab Urbe diſcedere, ne auguſtiſſima illa Synodus tali ac tanti viri auctoritate, doctrina, conſilio careret. Sed cum nec primæ, nec ſecundæ Seſſioni, quæ habitæ fuerunt anno 1512. menſe Majo, Raynaldi nomen ſubſcriptum reperiatur, hinc ſuſpicio eſſe poteſt cum Raguſii fuiſſe, & fere biennium in ea civitate commoratum eſſe, ex qua Romam cauſſa Concilii adeundi redierit anno 1512. ad exitum vergente: ſed nullum extat, ut dixi, ejus præſentiæ veſtigium ante annum 1513. Certe intra finem anni 1512. erat Romæ, & Seſſioni tertiæ habitæ eodem anno tertio Nonas Decembris, & quartæ ejuſdem anni ac menſis, quintæque anni proximi & menſis Februarii ſub Julio II. itemque ſextæ & ſeptimæ menſe Aprili & Junio ſub Leone X. interfuit; his enim inter Archiepiſcopos ſubſcriptus legitur *Reverendus Pater & Dominus Raynaldus Raguſinus*: ab octava & reliquis abfuit. Hoc igitur anno 1513. Raguſium adierit, vel redierit oportet, ejuſque a Concilio abſentiæ cauſſam conferendam cenſeo in profectionem, & commorationem Raguſinam. Extant certe Leonis litteræ Archiepiſcopo Raguſino inſcriptæ *die Junii xxiv.* anni 1513. quibus numerum conſtituit Virginum, quæ in Monaſterium S. Angeli Raguſinum ſub cura Fratrum Prædicatorum de Obſervantia recipi in poſterum deberent pro ejuſdem Monaſterii redditibus, ac proventibus, quæ iis Virginibus alendis ſatis eſſent; unde vel Raguſinus reditus, vel proximus ab urbe diſceſſus eodem menſe hujus anni 1513. comprobatur.

fit Archiep. Raguſin. an. 1510.

Anno 1514. menſe Decembri Raguſii fuiſſe declarat ejus decretum & ſententia ſecundum Patres Dominicanos. Hi ſacellum S. Lucæ jam inde a primo in urbem adventu poſſidebant ex donatione duorum fratrum de Vulpeto, quod horum ære ſumptuque propter illorum Cœnobium exſtructum fuerat, eamque donationem Franciſcus Archiepiſcopus anno 1245. xv. Kal. Maji Indict. III. confirmaverat, ut docent monumenta ejuſdem Cœnobii. Anno 1430. Senatuſconſultum factum eſt de dilatandis, & proferendis mœnibus Civitatis, qua in Orientem ſpectant, & validiorum operum, ac propugnaculorum molitione firmandis ad repellendas Turcarum impreſſiones, quæ ne fierent ab hac parte, quæ debilior videbatur, periculum erat. Hæ munitiones perutiles ac opportunæ fuerunt Cœnobio Dominicano ibidem ſito, & barbarorum oppugnationi atque injuriis magis expoſito. Tunc Senatu decernente, & Archiepiſcopo aſſentiente, dirui placuit ædiculam proximam S. Lucæ, cum anguſtior eſſet, quam pro frequentia civium ad eam venerationis cauſſa confluentium, atque alteram eidem S. Evangeliſtæ prope ab iiſdem ædibus Dominicanis ex parte Orientis de publico exſtruere aliquanto majorem & elegantiorem, quæ itidem ex decreto Senatus & Archiepiſcopi Patribus S. Dominici tradita fuit. De hac Raynaldus litem Fratribus intendit, eamque illis adimere, atque juriſdictioni Archiepiſcopali ſubjicere volebat. Sed cum Patres jus antiquiſſimæ poſſeſſionis duorum Antiſtitum & Senatus auctoritate munitum opponerent, urgerentque, Raynaldus, ut erat æqui bonique ſervantiſſimus, non ſolum ab omni contentione ac litigio deſtitit, ſed etiam poſſeſſionem illius ſacelli, omniaque jura eidem annexa Patribus Dominicanis adjudicavit, & confirmavit. Extat ejus decretum in hæc verba,

Ejus ſententia;

et decretum ſecundum Patres Dominicanos Raguſienſes.

Rainaldus Gratianus de Cotignola Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratia Archiepiſcopus Raguſinus. Dilectis Nobis in Chriſto Fratri Franciſco Puteo Priori, & Fratribus Conventus Sancti Dominici de Raguſio Ordinis Prædicatorum Salutem. Sane pro parte veſtra nobis expoſitum fuit, quod alias Eccleſia Sancti Lucæ ſine cura tunc extra, nunc autem intra Civitatem Raguſii prope portam delle Ploçce poſitam per Joannem, & Vitalem filios Stephani de Vulpetto tanquam Patronos dictæ Eccleſiæ fuit vobis conceſſa, quodque dicta conceſſio per Dominum Joannem Archiepiſcopum prædeceſſorem noſtrum de anno Domini 1245. *xv. Aprilis fuit confirmata, & continuo ab illo tempore in dicta Eccleſia in Feſto Sancti Lucæ ſingulis annis Veſperam, & Miſſam Majorem celebraſtis, & eleemoſynam a Fraternitate in illa Eccleſia pro tempore exiſtente, Candelas quoque illa die, ſicut ad vos, & Conventum veſtrum pertinentia recepiſtis; quodque, & Capellanorum pro tempore in eadem Eccleſia deputatorum electioni ſemper Prioris Conventus veſtri prædicti pro tempore exiſtentis conſenſus intervenit. Cum autem ut aſſeruiſtis præfata Bulla confirmationis per Prædeceſſorem noſtrum ut præfertur facta, perdita, aut forte vobis ſublata fuerit, nobis humiliter ſupplicaſtis, ut prædictam Eccleſiam ad vos, & Conventum veſtrum pertinere, nec non conſuetudinem celebrandi divina in Vigilia, & Feſto Sancti Lucæ ac candelas ibidem offerendas colligendi, & ad electionem Capellanorum pro tempore futurorum interveniendi declarare, & decernere dignaremur. Nos igitur cupientes, prout ex officio tenemur, unumquemque in ſuo jure conſervare, & ob devotionis affectum, quem erga vos, & veſtrum Conventum, ac univerſam Religionem veſtram in Domino gerimus, hujuſmodi veſtris ſupplicationibus inclinati, attento quod de veritate dictæ Bullæ, & contentis in eadem per teſtes fide dignos, & de conſuetudine accipiendi candelas in præfato Feſto Sancti Lucæ per publicam famam, & legata eidem Eccleſiæ facta per libros diſtributionum Cancellariæ publicæ Raguſinæ, fuimus debite informati, Vos Patrem Priorem, & Conventum veſtrum in dictam Eccleſiam Sancti Lucæ jus habere per præſentes decernimus, & declaramus, confirmantes vobis*

con-

consuetudinem, celebrandi divina in Vigilia & in Festo prædicti Sancti Lucæ, sicut per antea consuevistis, & eleemosynas a dicta Fraternitate recipiendi, nec non ut ad electionem Capellani, qui pro tempore instituendus erit, interveniatis, Et insuper pro pace servanda inter vos, & Capellanos dictæ Ecclesiæ volumus, ut prædicti Capellani in dicta Ecclesia, & in Festo Sancti Lucæ candelas de catero offerendas colligant, & in signum recognitionis, & recompensationis portionis illarum, quas in dicto Festo colligere consueveratis, vobis, & Conventui vestro unam libram illarum in præfato Festo singulis annis præsentare debeant & teneantur; jure tamen nostro, & successorum nostrorum in præfatis reservato. In quorum omnium & singulorum fidem, & testimonium præmissorum præsentes litteras, sive hoc præsens publicum Instrumentum confirmationis, & declarationis nostrarum hujusmodi in se continentes, sive continens, exinde fieri, & per Notarium publicum Secretarium nostrum infrascriptum subscribi & publicari & in hanc publicam formam redigi mandavimus, nostrique rotundi sigilli, quo in talibus utimur, jussimus & fecimus appensione communiri. Actum & datum Ragusii in Palatio nostro Archiepiscopali anno ab Incarnatione Domini 1514. Indictione secunda die vero XXII. Mensis Decembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini Nostri Leonis Divina Providentia Papæ X. anno ejusdem II. præsentibus ibidem Venerabilibus Viris Fratre Bernardino de Bagnacavallo, & Fratre Matthæo de Monte Alcino Ordinis Minorum, testibus ad præmissa habitis, vocatis specialiter, atque rogatis.

Hoc rempore nonnulla comperio diplomata a Leone X. variis de rebus data pro Ecclesia Ragusina: is enim præfinivit eum numerum adolescentulis in Collegium Virginum S. Claræ excipiendis, cum illius institutum amplexari cuperent, qui ex annuis ejusdem Collegii proventibus ali & sustentari posset; idque Virgines ipsæ a Pontifice postulaverant. Datum est diploma prid. Kal. Apriles anni 1514. in hanc formulam.

Leonis X. diploma pro Virginibus S. Claræ.

Leo Papa Decimus. Venerabilis Frater, Sal. & Apostolicam Bened. Pro parte dilectorum filiorum Rectoris, & Consilii Civitatis Ragusinæ nobis nuper expositum fuit, quod superioribus temporibus Communitas, & homines dictæ Civitatis erexerunt, & dotaverunt unum Monasterium monialium Sanctorum Apostolorum nuncupatum Ordinis Sanctæ Claræ regendum sub cura Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci de observantia nuncupatorum, & in eodem nonnullas moniales posuerunt, & insuper ordinaverunt quod deinceps perpetuis futuris temporibus tot moniales in eodem poni, & esse deberent, quot commode substentari & vivere possent certo numero aliter non expresso, & quod decedente una ipsarum, loco ipsius una alia Virgo major natu de descriptis & nominatis in cedulis consignatis certis Procuratoribus pro illarum receptione deputatis interveniente Ordinarii auctoritate poneretur. Cum autem sicut eadem Expositio subjungebat, si ultra prædictas aliæ moniales in dicto Monasterio reciperentur, Monasterium prædictum, ac aliæ ejus moniales in spiritualibus & temporalibus sustinerent incommoda, & detrimenta, & forsan successu temporis ejus regularis observantia dissolveretur, & deinde aliqua scandali materia posset verisimiliter exoriri, si in eodem plures moniales ponerentur, quam ejus facultates supperetent, & substentari non possent, & forte minus idoneas in eo intrudi contingeret, unde pro majori prædictorum roboris firmitate, pro parte ipsorum Rectoris & Consilii nobis humiliter supplicatum existit, ut Fraternitati tuæ committere & mandare dignaremur, ut hac re bene considerata auctoritate nostra statueres, & decerneres, quod deinceps nulla monialis in dicto Monasterio aliter, quam ut præfertur, poni, recipi, & admitti possit, & debeat, ac Abbatissæ & Monialibus pro tempore existentibus ne aliquam monialem præter & contra tenorem Statuti, & Ordinationis, & Decreti hujusmodi recipere seu in eo retinere audeant, vel præsumant sub Excommunicationis, & aliis sententiis, censuris, & pœnis ecclesiasticis. Quocirca Fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut re hac bene intellecta, matureque considerata in præmissis facias prout tibi cum Deo melius expedire videbitur, contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die ultimo Martii MDXIIII. Pontificatus nostri anno secundo. F. Castilionens.

Extra. Venerabili Fratri Archiepiscopo Ragusino.

Anno 1517. Prioratum sive Præfecturam S. Andreæ de Pelago Ordinis Benedictini Hilario Gozzeo Monacho per patronos laicos collatam idem Pontifex confirmavit, cum de legitima possessione ille dubitaret; & Hilarium rite ac legitime in possessionem illius Sacerdotii immitti jussit, diplomate hoc eidem Hilario inscripto IV. Kal. Apriles.

Alterum de Præfectura S. Andreæ in Pelago.

Leo Episcopus Serv. Servorum Dei Dilecto Filio Hilario de Goze Priori Prioratus Sancti Andreæ de Pelago Ordinis S. Benedicti Ragusinæ Diœcesis Salutem & Apostolicam Bened. Religionis zelus, vitæ, ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, super quibus apud nos fide digno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod alias Prioratu S. Andreæ de Pelago Ordinis S. Benedicti Ragusinæ Diœcesis, qui de jure Patronatus laicorum videlicet dilectorum Filiorum Nobilium familiæ de Cerva ex privilegio Apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, seu de antiqua & approbata, hactenusque pacifice observata consuetudine existit, tunc per obitum quondam Jacobi de Cerva olim ipsius Prioratus Prioris extra Rom. Curiam defuncti vacante, dicti Patroni existentis in pacifica possessione, vel quasi juris præsentandi personam idoneam ad dictum Prioratum, dum pro tempore vacat, te ad dictum Prioratum sic vacantem loci Ordinario infra tempus debitum præsentarunt, ipseque Ordinarius te ad præsentationem hujusmodi in dicti Prioratus Priorem instituit, tuque præsentationis & institutionis hujusmodi vigore dicti Prioratus possessionem assequutus fuisti. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, tu dubites, præsentationem, & institutionem hujusmodi ex certis causis viribus non subsistere, & sicuti accepimus, dictus Prioratus adhuc, ut præfertur, vacare noscatur, Nos tibi, qui, ut asseris, ipsum Ordinem expresse professus existis, præmissorum meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere volentes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque ecclesiasticis sen-

ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet inodatus exiſtis ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, horum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, Prioratum prædictum, qui conventualis eſt, & cujus fructus, redditus, & proventus quinquaginta Ducatorum auri de camera ſecundum comunem æſtimationem valorem annuum, ut aſſeris, etiam non excedunt, ſive, ut præmittitur, ſive aliis quovis modo, aut ex alterius cujuſcumque perſona, ſive per liberam dicti Jacobi, vel cujuſvis alterius reſignationem de illo in Rom. Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico & teſtibus ſponte factam, aut conſtitutionem fel. record. Joannis Papæ XXII. Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit Execrabilis, *vel aſſequutionem alterius Beneficii Eccleſiaſtici quavis auctoritate collati, vacet, etiam ſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranenſis ſtatuta Concilii ad Sedem Apoſtolicam devoluta, ipſeque Prioratus diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter reſervatus exiſtat, eique cura immineat animarum, ſuper eo quoque intra aliquos lis, cujus ſtatutum præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo tempore dato præſentium non ſit in eo alicui ſpecialiter jus quæſitum, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis Apoſtolica Tibi auctoritate conferimus, & de illo etiam providemus. Et nihilominus Ven. Fratribus noſtris Epiſcopis, ac Dilecto Filio Vicario Ven. Fratris noſtri Archiepiſcopi Raguſini in Spiritualibus Generali per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe vel alium, ſeu alios, Te, recepto prius a Te noſtro & Rom. Eccleſiæ nomine fidelitatis debitæ juxta formam, quam ſub Bulla noſtra mittimus introcluſam, ſolito juramento, vel Procuratorem ſuum tuo nomine in corporalem poſſeſſionem Prioratus, juriumque, & pertinentiarum prædictorum inducant auctoritate noſtra, & defendant inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac faciant Te, vel pro Te Procuratorem prædictum ad Prioratum hujuſmodi, ut eſt moris, admitti, Tibique de illius fructibus, redditibus, proventibus, juribus & obventionibus univerſis integre reſponderi, Contradictores auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus piæ memoriæ B. Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, ac Prioratus & Ordinis prædictorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de Prioratu hujuſmodi ſpeciales, vel aliis Beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus generales dictæ Sedis vel Legatorum ejus litteras impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quibus omnibus Te in aſſequutione dicti Prioratus volumus anteferri, ſed nullum per hoc eis quoad aſſequutionem Prioratuum aut Beneficiorum aliorum præjudicium generari, ſeu ſi Ven. Fratri noſtro Archiepiſcopo Raguſino, & dilectis Filiis Conventus dicti Prioratus, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede Indultum, quod ad receptionem vel proviſionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, quodque de Prioratibus hujuſmodi, vel aliis Beneficiis Eccleſiaſticis ad eorum collationem, proviſionem, præſentationem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem conjunctim vel ſeparatim ſpectantibus nulli valeat provideri per Litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem; & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali, cujuſcumque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam effectus hujuſmodi gratiæ impediri valeat, quomodolibet, vel differri, vel de qua cujuſque toto tenore habenda ſit in noſtris Litteris mentio ſpecialis. Nos enim ex nunc decernimus nullum, & inane, ſi ſecus ſuper bis a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attemptari, Nulli ergo omnino hominum liceat &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo IV. Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri anno quinto. Cyprianus,*

Joannes de Sacchis Archiepiſcopus Bernardum Abbatem Melitenſem eo munere, eaque dignitate, cum ſe indignum præbuiſſet, privatum in ordinem coegerat. Cœnobium Melitenſe jam annos aliquot Rectore & Præſide carebat, cum Julius II. illud Congregationi Monachorum Caſſinenſium annexuit, ac ſubjecit, & ſingulis annis unum de civibus Raguſinis eligi juſſit, qui Monachis Melitenſibus præſideret, cujus Præfectura unius anni ſpatio definiretur. Quod Julius decreverat, idem Leo confirmaverat; ſed Petrus de Albis Clericus Raguſinus, idemque unus de Cubiculariis, ac de familia Pontificis, cum ſacerdotium illud monaſticum ad ſe pertinere diceret, conjunctionem illam diſſolvi volebat, eique vehementer obſtabat. Quapropter Leo X. rogatu Rectoris & Conſilii eandem conjunctionem iterum confirmavit, poſtquam Petrus eidem repugnare deſtitit, & jus illius Præfecturæ retinendæ vel obtinendæ ultro dimiſit: quod ſubjectum Pontificis diploma teſtatur.

Tertium de Melitenſi Cœnobio, ejuſque Præfectura.

Leo Epiſcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Paſtoralis Officii Nobis ex alto conceſſi debitum feliciter exequi cupientes ad ea libenter intendimus per quæ in Monaſteriis quibuſvis regularis diſciplinæ norma ſervetur, divinus cultus augeatur, caritas vigeat, humilitas perſeveret, ac omnis bene vivendi inſtitutio valeat ſalubriter adimpleri. Dudum ſiquidem Monaſterium S. Mariæ Inſulæ Melitæ Ordinis S. Benedicti Raguſinæ Diœceſis tunc ex eo quod Ven. Frater noſter Archiepiſcopus Raguſinus dilectum filium Bernardum tunc ipſius Monaſterii Abbatem ad ſui præſentiam legitime vocatum ſuis culpis ac demeritis exigentibus regimine & adminiſtratione dicti Monaſterii, cui tunc præerat, per ſuam definitivam ſententiam, quæ nulla provocatione ſuſpenſa in rem tranſierat judicatam, ordinaria auctoritate privaverat, & amoverat, realiter ab eodem vacans, & quod alias fel. recor. Julius Papa ſecundus Prædeceſſor noſter per quaſdam ſuas, quas nos per Noſtras in forma Brevis approbavimus, de cætero per Abbatem, ſive Priorem actualem, Civem, vel ſubditum dumtaxat Civitatis Rhaguſinæ regi & gubernari voluerat, & conceſſerat Congregationi Monachorum Montis Caſinenſis dicti Ordinis per Abbatem actualem Civem vel Subditum dictæ Civitatis, qui per Conventum dicti Monaſterii eligi deberet juxta ritus & mores

nuves dicte Congregationis, regendum & gubernandum per reliquas noſtras Litteras univimus, anneximus, & incorporavimus, prout in illis plenius continetur. Et deinde ſicuti exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Rectoris & Conſilii dictæ Civitatis petitio continebat, quod orta dudum inter eos, & dilectum filium Petrum de Albis Clericum Ragusinum Cubicularium ſecretum & familiarem noſtrum continuum commenſalem, ſuper dicto Monaſterio, quod ſic vacans Rector & Conſilium eidem Congregationi, ut præfertur, unitum, annexum, & incorporatum fuiſſe, dictumque Petrum unioni, annexioni, & incorporationi prædictis ſe oppoſuiſſe, & tunc opponere, impediviſſeque, & impedire, ac feciſſe & facere, quominus unio, annexio, & incorporatio prædictæ ſuum debitum conſequutæ fuiſſent, & conſequerentur effectum, Petrus vero præfatus Monaſterium ipſum ad ſe de jure ſpectare aſſerebat, materia quæſtionis, Nos cauſam hujuſmodi, non obſtante quod ad Romanam Curiam legitime devoluta, & apud eam de juris neceſſitate tractanda & finienda non eſſet, dilecto filio Magiſtro, Paulo de Capiſucchis Capellano noſtro, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditori ad dicti Petri inſtantiam audiendam commiſimus, & fine debito terminandam, ipſeque Paulus Auditor in cauſa hujuſmodi ad nonnullos actus extra tamen concluſionem dicitur proceſſiſſe. Cum autem lite hujuſmodi coram eodem Paulo ſic indeciſa pendente, dictus Petrus liti & cauſæ hujuſmodi, ac omni juri ſibi in dicti Monaſterii regimine & adminiſtratione, vel ad alia quomodolibet competenti hodie in manibus noſtris ſponte & libere ceſſerit, Noſque quaſcumque ſpeciales, vel generales reſervationes, annexiones, & incorporationes, ſuppreſſiones, & extinctiones perpetuas, & temporales, nominationes, acceſſus & regreſſus, ac reſervandi, uniendi, annectendi, & incorporandi, ac nominandi, & aliis conferendi, commendandi, ſupprimendi, accedendi, regrediendi, & alias facultates, litteras, mandata, & indulta, & gratias quaſcumque etiam cum proviſionibus, commendis, & aliis diſpoſitionibus ex tunc quibuſvis perſonis cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtentibus, & quacumque etiam Imperiali, Regali, Reginali, Ducali, ſive Epiſcopali, Archiepiſcopali, Patriarchali, vel majori dignitate, auctoritate, præeminentia, nobilitate, & excellentia, ac etiam Cardinalatus honore fulgentibus, & familiaribus noſtris continuis, commenſalibus etiam deſcriptis, & antiquis, & in eorum ac Eccleſiarum Cathedralium, vel Metropolitanarum, ac Patriarchalium, & Primatialium, Monaſteriorum, Menſarum, Capitulorum, Dignitatum, & aliorum Beneficiorum quorumcumque cum cura & ſine cura ſæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium, locorum piorum, Univerſitatum, Studiorum, & aliorum quorumcumque, aut in nullius favorem, ac eorum, nec non jurium ceſſorum, vel ablatorum, aut ſpoliorum, damnorum paſſorum & obſequiorum etiam Nobis & Romanæ Eccleſiæ, vel Sedi Apoſtolicæ, aut pro Fide Catholica impenſorum, ſeu quorumvis aliorum excogitabilium, ac urgentiſſimarum, & neceſſario exprimendarum cauſarum conſideratione, contemplatione, inſtantia, intuitu, ratione, vel reſpectu, ac motu proprio & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & cum quibuſvis antelationum prærogativis, declarationibus, conceſſionibus, favoribus, ſuſpenſionibus, & gratiis, & reſtitutionibus, modificationibus, exceptionibus, & annullativis, irritativis, ac derogatoriarum derogatoriis, vel non prædictam & alias quaſcumque conceſſas, & concedendas gratias ſuſpendentibus, ac illis derogantibus, nec non mentis & intentionis, ac perpetuæ voluntatis noſtræ fuiſſe & eſſe de non revocando aut ſuſpendendo gratias eaſdem, & illis non derogando quomodolibet atteſtationibus, ac in priſtinum & in validiſſimum ſtatum reponentibus, reſtituentibus, & plenarie reintegrantibus, ac per modum pacti initi contractus, ac perpetui ſtatuti, nec non gratias ipſas, ut de actu vacantibus exiſtere, & ex tunc vere & non ficte etiam quoad poſſeſſionem dicti Monaſterii plenum eſſe ſortitas effectum decernentibus & declarantibus, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis per Nos & Sedem prædictam, aut ejus Legatos in genere vel in ſpecie etiam nominatim de dicto Monaſterio conceſſas, ſeu conceſſa, & alias quomodolibet emanatas, ſeu emanata, etiamſi in illis, quod illa nonniſi certis modis & formis inibi expreſſis, ac verbis & ſignis inibi appoſitis, & cum diverſarum Litterarum Apoſtolicarum expeditione & intimatione, etiam diverſis temporibus facienda, ac de conſenſu eorum, quorum intereſſe concernebant, aut etiam nullatenus ſuſpendi, moderari, revocari, aut eis in aliquo derogari poſſit, & quoties ſuſpenderentur, aut illis derogaretur, quoties de novo, & ſub quacumque data per illos, quorum intereſſe concernebat, eligendi conceſſa, & facta eſſent, & eſſe cenſerentur, expediri poſſent, & ſic & non aliter per quoſcumque Judices & perſonas judicari deberet, caventur expreſſe, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis ac de verbo ad verbum inſertis, ac modi & forma hujuſmodi pro individuo obſervatas habentes ad effectum præſentium omnino ſuſpendendo, & in dicti Monaſterii vacatione effectum ſortiri, aut locum ſibi vindicare non poſſe, nec debere decernendo ceſſionem hujuſmodi duxerimus admittendam; & ſicuti eadem petitio ſubjungebat, a nonnullis aſſeratur Monaſterium ipſum alias, quam ut præmittitur, vacaviſſe, & vacare, Nos Rectorem & Conſilium prædictos, & eorum ſingulos a quibuſvis ſuſpenſionis, excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione & cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, cauſamque hujuſmodi ad nos advocantes, & litem ipſam penitus extinguentes, eorumdem Rectoris & Conſilii in hac parte ſupplicationibus inclinati, volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod litteræ, ac unio, annexio, & incorporatio prædictæ, ac noſtra & ſingula in dictis poſterioribus litteris noſtris contenta, & inde ſecum quæcumque ad datam præſentium valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant in omnibus & per omnia, etiamſi Monaſterium prædictum, cujus fructus, redditus, & proventus centum ducatorum auri de Camera ſecundum communem exiſtimationem valorem annuum, ut Rector, & Conſilium præfati aſſerunt, non excedunt, quovis modo, & ex cujuſcumque perſona vacet, etiamſi ejus proviſio ex quavis cauſa ad Sedem prædictam ſpecialiter & ge-

Digitized by Google

& generaliter pertineat, & ſuper regimine & adminiſtratione hujuſmodi inter aliquos alios lis, cujus ſtatum præſentibus hujuſmodi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa. Non obſtantibus ſel. recor. Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris noſtri, & allis Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii, Congregationis, & Ordinis prædictorum etiam juramento confirmatis, Apoſtolica, & quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſtitutionibus, nec non omnibus illis, quæ in dictis poſterioribus litteris noſtris volumus non obſtare, cæteriſque aliis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Domini MDXVII. IV. Kal. Junii, Pontificatus noſtri anno quinto. Cyprianus.

Haud multis vero poſt annis juſſu & auctoritate Rectoris & Senatus religioſiſſimi Cœnobia Benedictina ditionis Raguſinæ ad priſtinam Inſtituti Benedictini diſciplinam revocata cum fuiſſent, ſedulam in id operam dantibus tum Hieronymo Beneſſa, tum Chryſoſtomo Calvino doctiſſimis & ſanctiſſimis Monachis, omnia præter Lacromenſe in unius Congregationis corpus coaluerunt, cui ſupremo imperio præſidebat Abbas Melitenſis; eademque ab omni alia Congregatione Benedictina ſegregatur. Paullo poſt idem Leo præfinivit dotem, quam Collegiis ſacrarum Virginum Ordinis Benedictini afferre, & contribuere deberent adoleſcentulæ, quæ illi Inſtituto nomen dare cuperent, vetuitque plures recipi, quam iis alendis & ſuſtentandis annui cujuſque Collegii proventus ſufficerent.

Quartum pro Virginibus Benedictinis.

Leo Epiſcopus Servus Servorum Dei dilecto filio Vicario Ven. Fratris noſtri Archiepiſcopi Raguſini in ſpiritualibus generali Sal. & Apoſtolicam bened. Honeſtis ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis, Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Rectoris & Conſilii Civitatis Raguſinæ petitio continebat, quod dilectæ in Chriſto filiæ Abbatiſſæ, & Moniales Monaſteriorum S. Mariæ de Caſtello, ac Sancti Andreæ, & Sancti Marci, nec non Sancti Simeonis, & Sancti Thomæ Raguſin. Ordinis S. Benedicti nollent recipere aliquas puellas in Moniales dictorum Monaſteriorum, niſi eis ducentorum ducatorum, & quandoque major ſumma pecuniarum perſolvatur, quod profecto Civibus dictæ Civitatis minus honeſtum, & in Abbatiſſarum, & Monialium earumdem animarum periculum cedere videtur. Quare pro parte Rectoris & Conſilii prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Abbatiſſæ, & Moniales prædictæ de cætero in ſingulis Monaſteriis prædictis tot puellas, quot ex eorumdem Monaſteriorum bonis, ſeu proventibus poterunt abſque penuria inibi ſuſtentari, recipere debeant, quodque ipſæ Abbatiſſæ & Moniales ad id cogi valeant, & ultra nonaginta ducatos auri, & conſueta veſtimenta a ſingulis ex puellis inibi recipiendis petere, aut quovis titulo ſeu colore recipere nequeant, ſtatuere, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Rectorem & Conſilium prædictos, ac ejuſdem Conſilii ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis Abbatiſſis & Monialibus præfatis, & aliis, qui fuerint evocandi una cum dilectis filiis dictorum Monaſteriorum Procuratoribus, procedens, quod Abbatiſſæ & Moniales præfatæ de cætero perpetuis futuris temporibus in ſingulis Monaſteriis prædictis tot puellas, quot ex eorumdem bonis ſive proventibus poterunt abſque penuria inibi ſuſtentari, recipere debeant, quodque ipſæ Abbatiſſæ & Moniales ad id cogi, & compelli valeant, & ultra nonaginta ducatos auri, & conſueta veſtimenta a ſingulis ex puellis inibi recipiendis petere, aut quovis titulo vel colore recipere nequeant, de dictorum Procuratorum, vel majoris partis eorum conſenſu ſtatuere, & ordinare auctoritate noſtra procures. Et nihilominus ſi Statutum, & ordinationem hujuſmodi pro te fieri contigerit, illa perpetuo inviolabiliter obſervari facias. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus Apoſtolicis, & Provincialibus, & Synodalibus Conſtitutionibus & Ordinationibus, nec non Monaſteriorum, & Ordinum prædictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis contrariis quibuſcumque; aut ſi Abbatiſſis & Monialibus præfatis, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo VII. Idus Auguſti, Pontificatus noſtri anno quinto. Cyprianus.

Virgines autem S. Claræ, quæ ſe Fratrum Minorum, quos *Conventuales* vocant, regimini eximi, tradique in curam & diſciplinam Fratrum Minorum cupiebant, quos *Obſervantes* appellant, Leo ultro ſolatus illorum conſilium & voluntatem approbavit diplomate iiſdem inſcripto ſub exitum anni 1518.

Quintum de Virginibus S. Claræ ſub Fratrum Minorum regimine conſtituendis.

Leo Papa X. Dilectæ in Chriſto filiæ ſal. & Apoſtolicam bened. Exponi nobis nuper feciſtis, quod licet vos & Monaſterium veſtrum ſub cura & regimine Fratrum Ordinis Minorum Conventualium nuncupatorum Provinciæ Dalmatiæ juxta morem dicti Ordinis fueritis, tamen pro ſpirituali conſolatione veſtra, & ut rem gratam dilectis filiis Rectori & Conſiliariis, & toti populo Civitatis Raguſinæ facere volentes, in loco Capitulari ad ſonum campanæ legitime congregatæ, & in præſentia tunc Vicarii Ven. Fratris noſtri Archiepiſcopi Raguſini, & eorum Notario & teſtibus fidedignis expoſuiſtis de cætero nolle amplius eſſe ſub cura dictorum Fratrum Conventualium, ſed curæ & regimini dictorum domus S. Franciſci Raguſinæ dicti Ordinis de Obſervantia, de quorum odore bonæ famæ, & vitæ ſanctimonia ſatis bene informatæ eratis, ſubjici ſummopere deſiderare ac velle, quod unus ex Fratribus dictæ domus S. Franciſci de Obſervantia in Capitulo eorumdem Fratrum de Obſervantia pro tempore, & in ipſo Capitulo electus tunc declarari Capellanus Eccleſiæ veſtri Monaſterii, ac Confeſſor veſter, & curam animarum veſtrarum habere, & confeſſiones audire, & Sacramenta Eccleſiaſtica vobis miniſtrare debe-

Digitized by Google

debere eo modo, quo tunc Confeſſor & Capellanus ex Fratribus Conventualibus facere conſueverat, ac Miniſter Fratrum de Obſervantia Provinciæ Raguſinæ juxta dictum morem pro tempore exiſtens officium, ac modos, ritus & ceremonias, quos & quas dictus Miniſter Fratrum Conventualium Provinciæ Dalmatiæ hujuſce eatenus in vobis tam in receptione Monialium veſtri Monaſterii, & profeſſionis emiſſione, quam aliis ad ejus officium pertinentibus quoad ſpiritualia exercere conſueverat, exercere poſſet ea tamen conditione, quod vos ſub regula ſub qua, & modo vivendi quo tunc eratis, perpetuo remanere ſine aliqua innovatione vivendi, quodque Confeſſor & Capellanus, & Miniſter, & cæteri Fratres de Obſervantia dictæ Provinciæ Raguſinæ novas leges, ſeu vivendi modum aut formam vobis imponere nequeant, nec de bonis temporalibus veſtris, & Monaſterii veſtri quoquo modo ſe intromittere, cum illorum adminiſtratio ad Procuratores dicti Monaſterii per Rectorem & Conſilium Civitatis hujuſce deputari ſolitos de antiqua conſuetudine pertineat ad Rectorem & Conſilium hujuſce, ut requiſiti ipſi præmiſſorum omnium confirmationem a nobis & Sede Apoſtolica impetrare, & eiſdem Fratribus de Obſervantia Provinciæ Raguſinæ hujuſce ſub pœnis & cenſuris, ut curam veſtram ſuſcipere debeant, per nos mandari, obtinere vellent, conſtituentes etiam certos procuratores veſtros ad præmiſſa peragenda, & obtinenda, prout in inſtrumento publico deſuper confecto, quod diligenter inſpici & legi fecimus, plenius continetur. Quare tam pro infraſcripti Procuratoris veſtri, quam Rectoris & Conſilii hujuſce parte nobis humiliter fuit ſupplicatum, ut præmiſſis omnibus pro illorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicæ Confirmationis adjicere, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque attendentes, quod litteris concordiæ eorumdem Fratrum Conventualium & de Obſervantia caveatur, quod ſi Fratribus Domorum Fratrum Conventualium Fratribus de Obſervantia adhærere volentibus, adhærere certo modo tunc expreſſo permittere hujuſce pio & honeſto deſiderio veſtro, ac Rectoris, Conſilii, & Communitatis hujuſce libere annuimus, & propterea omnia præmiſſa auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus & confirmamus, præſentiſque ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes & ſingulos defectus juris & facti, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Et nihilominus pro priori cautela vos a cura & regimine dictorum Fratrum Conventualium Provinciæ Dalmatiæ perpetuo eximimus, & totaliter liberamus, voſque curæ & regimini dictorum Fratrum de Obſervantia Provinciæ Raguſinæ hujuſce modis & formis ſupradictis, cum ad hæc dilecti filii Petri de Albis Clerici Raguſini Familiaris & Camerarii noſtri, Procuratoris veſtri ad hoc a vobis ſpeciale mandatum habentis, expreſſus accedat aſſenſus, perpetuo ſubjicimus, ac eidem Miniſtro Provinciæ Raguſinæ, & Fratribus dictæ domus S. Franciſci de Obſervantia ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna mandamus, quatenus curam, regimen, & adminiſtrationem animarum veſtrarum & Monaſterii veſtri modo præmiſſo recipiant, illamque exerceant, ut animas veſtras Deo lucrifaciant. Quocirca dilectis filiis Archidiacono & Archipreſbytero Eccleſiæ Raguſinæ, ac Vicario præfati Archiepiſcopi in ſpiritualibus generali per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, & duo, aut unus eorum per ſe, vel per alium, ſeu alios, præſentes litteras, ac omnia & ſingula in eis contenta, ubi ea, quando opus fuerit, ac pro parte veſtra ſuper hoc fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, vobiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes litteras, & omnia & ſingula in eis contenta inviolabiliter obſervari; non permittantque vos ſuper illis prædictos Miniſtrum & Fratres Conventuales Provinciæ Dalmatiæ hujuſce, ſeu quoſcumque alios cujuſcumque qualitatis, ſtatus, & conditionis fuerint, quomodolibet moleſtari, contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris opportuna remedia compeſcendo. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis & conſuetudinibus Monaſterii & Ordinis prædictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, & quavis firmitate alia roboratis, nec non privilegiis & indultis Apoſtolicis illis & vobis forſan conceſſis, quibus quoad præmiſſa, & illorum firmitatem ac validitatem latiſſime derogamus, contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter, & diviſim ab Apoſtolica Sede ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi & excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſce mentionem. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris MDXVIII. die VII. Decemb. Sanctiſſimi Domini noſtri Domini Papæ Leonis X. anno ſexto.

Extra. Dilectis in Chriſto Filiabus Franciſcæ Abbatiſſæ & Monialibus Monaſterii S. Claræ Raguſini Ordinis ejuſdem Sanctæ.

Queis litteris acceptis, *Alviſius Cervinus Abbas Monaſterii S. Jacobi de Viſgniza extra muros Raguſii, & Reverendiſſimi in Chriſto Patris D. Raynaldi Gratiani de Cotignola Archiepiſcopi Raguſini in ſpiritualibus Vicarius generalis* cum Marino de Buccia Archidiacono, ac Vito de Gozze Archipresbytero in clauſtrum Monaſterii cum conveniſſent, præſentibus Antiſtita, ac ceteris Virginibus, eaſdem publice legi, & hoc decreto promulgari juſſerunt.

In hanc rem Vicarii Archiepiſcopalis decretum.

Univerſis & ſingulis has noſtras litteras præſentes, ſive hoc noſtrum publicum & autenticum inſtrumentum viſuris, lecturis, pariter & audituris, quoſque infraſcriptum tangit negotium, ſeu tangere poterit quomodolibet in futurum, quibuſcumque nominibus cenſeantur, aut quacumque præfulgeant dignitate, Nos Alviſius Cervinus Abbas Monaſterii S. Jacobi de Viſgniza extra muros Raguſii, & Reverendiſſimi in Chriſto Patris D. Rainaldi Gratiani de Cotignola moderni Archiepiſcopi Raguſini in ſpiritualibus Vicarius generalis, & Marinus de Buccia Archidiaconus, ac Vitus de Gozze Archipreſbyter Eccleſiæ Raguſinæ, Judices & executores ad infraſcripta a Sede Apoſtolica ſpecialiter deputati ſalutem in Domino, & noſtris hujuſce, imo vero Apoſtolicis firmiter obedire mandatis. Litteras SS. in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Leonis divina providentia Papæ X. ſub annulo Piſcatoris ſigillatas, ſanas ſiquidem & integras, non vitiatas, non cancellatas, neque in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni vitio prorſus & ſuſpicione carentes, ut in eis prima facie apparebat, nobis perſonaliter conſtitutis in Clauſtro Monaſterii S. Claræ per principales, in eiſdem

Digitized by Google

dem litteris Apoſtolicis principaliter nominatas, coram Notario publico, & teſtibus infraſcriptis præſentatas, illa, qua decuit reverentia, accepimus hujuſce ſub tenore. — Leo Papa X. &c. — Poſt quarum quidem litterarum Apoſtolicarum præſentationem & receptionem nobis & per nos, ut præmittitur, factas, fuimus per dictas Dominas Franciſcam Abbatiſſam, & Moniales principales in præinſertis litteris Apoſtolicis principaliter nominatas debita cum inſtantia requiſiti, quatenus ad executionem dictarum litterarum Apoſtolicarum, & contentorum in eiſdem providere dignaremur juxta traditam, ſeu directam per eas a Sede Apoſtolica prædicta nobis formam. Nos igitur Alviſius Abbas & Vicarius, Marinus Archidiaconus, & Vitus Archipresbyter Judices, & executores, attendentes requiſitionem hujuſce fore juſtam, & rationi conſonam, volenteſque mandatum Apoſtolicum ſupradictum nobis in hac parte directum reverenter exequi, ut tenemur; idcirco Auctoritate Apoſtolica nobis commiſſa, & qua fungimur in hac parte, litteras Apoſtolicas, buiuſceque noſtrum proceſſum, ac omnia & ſingula in eis contenta vobis omnibus & ſingulis ſupradictis, quibus præſens noſter proceſſus dirigitur, intimamus, inſinuamus, & notificamus, ac ad veſtram, & cujuslibet veſtrum notitiam deducimus, & deduci volumus per præſentes, voſque nihilominus, & veſtrum quemlibet in ſolidum tenore præſentium requirimus, monemus primo, ſecundo, tertio, & peremptorie communiter, vel diviſim, ac vobis & veſtrum cuilibet in ſolidum in virtute S. obedientiæ, & ſub infraſcriptis ſententiis diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus infra ſex dierum ſpatium poſt præſentationem ſeu notificationem & requiſitionem pro parte dictarum Dominarum Abbatiſſæ & Monialium principalium vobis ſeu alteri veſtrum deſuper factas immediate ſequentes, quorum ſex dierum duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos dies vobis univerſis & ſingulis ſupradictis pro tertio & peremptorio termino, ac monitione Canonica aſſignamus, præmemoratas litteras Apoſtolicas, & hunc noſtrum proceſſum, & omnia ac ſingula in eis contenta, ubi, & quando opus fuerit, & pro parte moderna, & pro tempore exiſtentium Abbatiſſæ & Monialium dicti Monaſterii ſuper hoc fueritis requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſdemque Dominabus Abbatiſſæ & Monialibus in & circa in eiſdem litteris, & proceſſibus efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciatis eaſdem præinſertas litteras Apoſtolicas, & proceſſus noſtros, ac omnia & ſingula in eis contenta inviolabiliter obſervari, non permittentes eas per Miniſtrum ſuper illis, & Fratres Conventuales Ordinis Minorum Provinciæ Dalmatiæ, ſeu quoſcumque alios, cujuſcumque ſtatus, qualitatis, vel conditionis fuerint, quomodolibet moleſtari. Inhibentes ſub ſententiis, cenſuris, & pœnis infraſcriptis dictis Miniſtro & Fratribus Conventualibus, ac vobis omnibus & ſingulis ſupradictis, quibus præſens noſter proceſſus dirigitur, omnibuſque aliis, & ſingulis, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtant, & quacumque eccleſiaſtica vel mundana præfulgeant dignitate, ne præfatis Dominabus Abbatiſſæ & Monialibus dicti Monaſterii nunc & pro tempore exiſtentibus, quominus præinſertis litteris Apoſtolicis, & præſenti noſtro proceſſu ac in eis contentis omnibus & ſingulis gaudere poſſint & valeant, impedimentum aliquod præſtetis, ſeu præſtent, quovis quæſito colore vel ..... publici vel occulti directe vel indirecte. Quod ſi forte præmiſſa omnia & ſingula non adimpleveritis, ſeu neglexeritis, aut recuſaveritis, ſeu recuſaverint contumaciter adimplere, ſeu quæcumque in contrarium fueritis, ſeu fuerint, aut alias præmiſſis mandatis, ac monitionibus noſtris hujuſce, imo vero Apoſtolicis non paruerit, ſeu paruerint realiter, vel cum effectu, nos in vos omnes & ſingulos ſupradictos, & quemlibet, qui fueritis ſeu fuerint in præmiſſis culpabiles, & generaliter in contradictores quoslibet, & rebelles ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc ſingulariter in ſingulos prædicta ſex dierum Canonica monitione præmiſſa excommunicationis, in Capitula vero, Conventus, & Collegia quacumque in iis forſan delinquentes ſuſpenſionis a divinis, & in ipſorum delinquentium & rebellium Eccleſias, Monaſteria, & Capellas interdicti Eccleſiaſtici ſententias feſimus in his ſcriptis, & etiam promulgamus. Cæterum cum ad executionem præmiſſorum ulterius faciendam nequeamus quoad præſens perſonaliter intereſſe, pluribus aliis arduis legitime prægrediti negotiis, univerſis & ſingulis Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, tam Cathedralium, quam Collegiatarum Canonicis, Parochialiumque Eccleſiarum Rectoribus, ſeu loca tenentibus eorumdem, Plebanis, vicePlebanis, Archipreſbyteris, Vicariis quoque perpetuis, Altariſtis, Capellanis, Preſbyteris, Curatis & non curatis, cæteriſque viris eccleſiaſticis in quibuſcumque Dignitatibus, gradibus, vel officiis, Clericis, Notariis, & Tabellionibus quibuſcumque publicis per Civitatem, & Diœceſim Raguſinam, ac alias ubilibet conſtitutis, & eorum cuilibet ſuper ulteriori executione dicti Mandati Apoſtolici, atque noſtri facienda, auctoritate & tenore præſentium plenarie committimus vices noſtras, donec eas ad nos ſpecialiter & expreſſe duxerimus revocandas, quos nos etiam, & eorum quemlibet eiſdem auctoritate & tenore præſentium requirimus, & monemus primo, ſecundo, & tertio & peremptorio termino, ac monitione Canonica aſſignamus communiter, & diviſim, eiſque nihilominus, & eorum cuilibet in virtute S. Obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna, quam in eos, & eorum quemlibet, niſi fecerint, quæ mandamus, ferimus in his ſcriptis, diſtricte præcipiendo mandantes, quatenus infra ſex dies poſt præſentationem, ſeu notificationem præſentium, & requiſitionem a parte dictarum Dominarum Abbatiſſæ & Monialium principalium eis ſeu eorum alteri deſuper factas immediate ſequentes, quos dies ipſis, & eorum cuilibet pro omni dilatione, terminoque peremptorio ac monitione Canonica aſſignamus ita tamen, quod in his exequendis alter alterum non expectet, nec unus pro alio ſeu per alium ſe excuſet. Ad vos omnes & ſingulos ſupradictos, quibus hujuſce noſter proceſſus dirigitur, nec non ad Eccleſias hujuſce perſonaſque, & loca alia, de quibus ubi, quando, & quoties expediens fuerit, perſonaliter accedat, & præfatas litteras Apoſtolicas, hujuſceque noſtrum proceſſum, ac omnia & ſingula in eis contenta vobis omnibus & ſingulis ſupra dictis coram, & diviſim legant, intiment, & fideliter publicare procurent præinſertas litteras Apoſtolicas & hunc noſtrum proceſſum, ac omnia & ſin-

& singula in eis contenta, ubi & quando opus fuerit, & pro parte moderna & pro tempore existentium Abbatissæ & Monialium dicti Monasterii super hoc fueritis requisiti solemniter publicantes, eisdemque Dominabus Abbatissæ, & Monialibus in & circa contenta in eisdem litteris & processibus efficacis defensionis præsidio assistentes faciant easdem præinsertas litteras Apostolicas, & processus nostros, ac omnia & singula in eis contenta inviolabiliter observari, non permittentes eas super illis per Ministrum & Fratres Conventuales Ordinis Minorum Provinciæ Dalmatiæ, seu quoscumque alios cujuscumque qualitatis, status, & conditionis fuerint, quomodolibet molestari. Et generaliter omnia alia, & singula nobis in hac parte commissa plenarie, & integre exequentur juxta prædictarum litterarum Apostolicarum, & præsentis nostri processus vim, formam, & tenorem, ita tamen, quod dicti subdelegati, & quicumque alius seu alii nihil in præjudicium dictarum Dominarum Abbatissæ & Monialium principalium valeant attemptare quomodolibet in præmissis, neque in processibus per nos habitis, aut sententiis per nos latis absolvendo & suspendendo aliquid immutare. In cæteris autem, quæ eisdem Dominabus Abbatissæ & Monialibus in præmissis nocere possint, & quomodolibet obesse, præfatis subdelegatis nostris, & quibuscumque aliis potestatem omnimodam denegamus. Et si contingat nos super præmissis in aliquo procedere, de quo nobis potestatem omnimodam reservamus, non intendimus propterea commissionem nostram hujusce in aliquo revocare, nisi de revocatione ipsa specialem & expressam in litteris nostris fecerimus mentionem. Per processum autem hujusce nostrum, nolumus, nec intendimus nostris in aliquo præjudicare collegis, quominus ipsi, & eorum alter servato tamen hoc nostro processu in hujusce negotio procedere valeant, prout eis visum fuerit expedire. Præfatas quoque litteras Apostolicas, hujusceque nostrum processum, ac omnia & singula hujusce negotium tangentia volumus penes dictas Dominas Abbatissam & Moniales remanere, & non per vos, aut aliquem vestrum, seu quemcumque alium ipsis invitis, & ad eorum voluntatem quomodolibet detineri. Contrarium vero facientes præfatis nostris sententiis, prout in his scriptis lata sunt, ipso facto volumus subjacere. Mandamus tamen copiam fieri de præmissis eam petentibus, & habere debentibus, petentium quidem sumptibus & expensis. Absolutionem vero omnium, & singulorum, qui præfatas nostras sententias, aut earum aliquam incurrerint, seu incurrerit quoquo modo, nobis, & superiori nostro tantummodo reservamus. In quorum omnium, & singulorum fidem & testimonium præmissorum præsentes litteras sive præsens publicum instrumentum processum hujusce nostrum in se continentes, sive continens, exinde fieri, & per Notarium publicum infrascriptum subscribi, & publicari mandavimus, sigillique præfati Reverendissimi Domini Archiepiscopi moderni Ragusini ob carentiam nostri proprii jussimus, & fecimus appensione communiri. Datum & actum Ragusii in Claustro præfati Monasterii S. Claræ sub anno a Nativitate Domini MDXIX. Indictione VII. die vero tertia mensis Decembris, præsentibus ibidem Ven. viris D. Nicolao Barneo Juris utriusque Doctore, & D. Marino de Benedictis Artium Magistro, & Presbyteris Ragusinis testibus ad præmissa vocatis, habitis, & rogatis.

Et ego Joannes Zuppana Clericus Ragusinus publica imperiali auctoritate Notarius, & Curiæ Archiepiscopalis Ragusinæ Scriba, & Cancellarius juratus, quia dictarum litterarum Apostolicarum præsentationi, receptioni, monitioni, & requisitioni processuum, sententiarum, & censurarum fulminationi, subdelegationi, præsentisque processus petitioni, & decreto absque aliis & singulis, dum sic, ut præmittitur, per præfatos Reverendissimos Patres D. Aloisium Vicarium, D. Marinum Archidiaconum, ac D. Vitum Archipresbyterum, Judices & executores præfatos, ac coram eis fierent, & agerentur, una cum suprascriptis testibus, præsens interfui, eaque omnia & singula sic fieri vidi & audivi, ac in notam sumpsi, ideoque hoc præsens publicum instrumentum manu mea propria scripsi, & subscripsi, & in hanc publicam formam fideliter redegi, signoque & nomine meis solitis, & consuetis una cum præfati Reverendissimi D. Archiepiscopi moderni Ragusini sigilli de mandato præfatorum DD. Judicum & executorum appensione signavi in fidem omnium & singulorum præmissorum rogatus & requisitus.

Raynaldi Archiep. Ragusio discessus.

Raynaldus cum paucos annos ad gubernacula Ecclesiæ sedisset, in Italiam discessit anno, ut reor, 1516., cum Leo mandata pro Virginibus Clarissis superius relata exsequendi munus Vicario generali Archiepiscopi commiserit: anno certe 1519. Achilli de Crassis Episcopo Bononiensi Vicarii generalis operam navabat, ut docent tabulæ, quæ apud Gratianos Cotineolenses asservantur; in quibus ipsemet fidem facit ab se creatum Doctorem fuisse ex facultate sibi tradita a Leone X. Marcum fratris sui filium Archipresbyterum oppidi Cotineolensis: *Anno 1519. VIII. Id. Maji nos Raynaldus Gratiani de Cotignola Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Ragusinus, necnon Reverendi in Christo Patris & D. Domini Achillis Grassis S. Mariæ Transtyb. Presb. Card. Episcopi Bononiensis Suffraganeus & Vic. Gen. &c.* Dum aberat, ecclesiasticam administrationem commendavit Matthæo de Vivariis ex Ordine Franciscano Metropolitæ Amidensi, sive Amidæ, quæ civitas est Archiepiscopalis Mesopotamiæ; cujus vicaria opera in Episcopali munere etiam ante discessum utebatur, ut docet Ferrarius apud Petrum Rodulphium lib. 2. Histor. Seraph. Relig. *Anno 1517. Episcopus Amidensis Suffraganeus Ragusinus F. Matthæus de Vivariis*: idem confirmat Vaddingus Tomo VIII. Annal. eamdemque operam illi navasse legitur etiam Aloysius, sive Ludovicus Tubero Cervarius Abbas S. Jacobi de Visniza; is, qui suorum temporum Commentarios diligentissime scripsit; ita enim ex laudatis litteris Leonis anni 1518. ejusque Aloysii decreto; tum *in Matricula S. Georgii Gravosii* notatum reperio: *Nos Aloysius Abbas S. Jacobi extra muros, necnon Vicarius generalis Reverendissimi D.D. Raynaldi Gratiani, Judexque Ordinarius, & Cognitor causarum &c.*

Terræmotus Ragusii.

Illis temporibus ingentem ex terræmotu calamitatem Civitas & Respublica accepit. Anno 1520. IV. Kal. Maji, quem in diem inciderant solemnia Christi redeuntis in cœlum, maximus terræ motus, & horribilis extitit, qui plurima tum in civitate, tum extra in villis circumjectis ædificia dejecit, vicosque fere integros prostravit, & mutare visus est

Digitized by Google

Mons Vergatus, ac propendere in ruinam & exitium urbis, cui a tergo supereminet; sed beatissima Virgo Deipara, quæ cum S. Blasio se quibusdam piis hominibus spectandam præbuisse dicitur, suppositâ dextera eum sustinuit, ne radicitus evulsus collaberetur. Civitas ope divina gravissimo periculo exempta solitas Deo, Superisque gratias egit, & Sacellum prope Cœnobium Franciscanum ad honorem cultumque Christi ascendentis in cœlum ædificavit, quod singulis annis memoriæ tam insignis beneficii divinitus accepti recolendæ caussa, publica supplicatione, pio gratoque animo invisere solet. Tristitiam horum malorum aliquantum imminuit mors Selimi regis Turcarum, de cujus obitu, quo ingenti metu Christiani omnes, & periculo levati fuerunt, Rector & Senatus lætissimum nuncium ad Leonem miserunt, isque subjectis litteris & gratias quam amplissimas egit, & illorum erga Sedem Apostolicam egregium studium & eximiam voluntatem collaudavit.

Leonis X. litteræ de obitu Selimi regis Turcarum,

Leo Papa X. dilectis filiis sal. & Apostolicam benedictionem. Non potuit nobis gratior nuntius afferri eo, quem ad nos multa diligentia a vobis missus Damianus Alegretti nobis attulit de morte Selimi Turcarum Tyranni, quem quidem ordine omnia & prudenter exponentem libentissime audivimus, gratiasque de ea re Deo optimo maximo egimus, qui suæ Religioni & Christifidelibus imminentem crudelissimum, potentissimumque hostem submovit, nosque omnes securos ab illo, atque tutos fecit. Ea diligentia devotionem vestram valde in Domino commendamus, quæ quidem cum nobis semper grata fuerit, tum vero hoc tempore accessit sane jucundissima. Hortamur autem vos, ut quæ posthac ex Oriente ad vos perferrentur, ea ad nos, quemadmodum hactenus feciſtis, perferenda curetis. Ea enim certa putabimus, quæ a vobis acceperimus. Reliqua ab eodem Nuntio vestro intelligetis, quem vobis remittimus, & commendamus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VIII. Decembris MDXX. Pontificatus nostri anno octavo. — Bembus. —

Extra. Dilectis filiis Rectori & Consilio Civitatis Ragusii.

Cum vero pars Cœnobii S. Mariæ de Castello terræmotu corruisset, visum est illud spatii, quod ex ea ruina vacuum fuerat, converti ad laxandam & explicandam plateam, quæ ante Basilicam Cathedralem admodum angusta erat; itemque ut aqua e proximis montibus ad commodum & levamen Civium derivaretur, tam per agros & fundos, qui ad Monasterium Lacromense & S. Claræ, aliaque pia loca spectabant, traduci oportuit. Utrumque, quod ex decreto Senatus factum fuerat, ut ratum haberet, Leonem Pontificem rogarunt, polliciti compensatum iri, quidquid detrimenti ex agrorum & soli diminutione Monasteria illa cepissent. Illud quoque postulatum est, ut Præsidibus Monasteriorum & Ecclesiarum liceret ex fundis ecclesiasticis partem aliquam aut vendere, aut in perpetuam emphyteusim tradere, ut pecunia inde confici posset ad restituenda vel restauranda sacra ædificia, quæ eodem terræmotu vel collapsa vel labefactata fuerant. Et Pontifex suis ad Archidiaconum, & Archipresbyterum ac Primicerium litteris jussit his omnibus postulatis indulgeri, in hanc sententiam,

Leo Papa X. Dilecti filii sal. & Apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Communitas Ragusina, quod alias ipsi volentes pro publica utilitate tam sæcularium quam regularium personarum Civitatis Ragusinæ aquam ad fontem dictæ Civitatis conduci facere, aquas ipsas per certas petias terrarum ad S. Clare, & de Lochruma Monasteria Monialium, & forsan loca pia spectantium duci fecerunt, & cum pars cujusdam domus Monasterii Monialium S. Mariæ de Castello prædictæ Civitatis prope Cathedralem Ecclesiam existentis ex terræmotu, qui præsenti anno in die Ascensionis Domini in ea Civitate fuit, diruta fuisset, pro decore ipsius Cathedralis Ecclesiæ, quæ platea carebat, ad usum plateæ illam cœperunt ea tamen intentione, ut Monasteriis & Ecclesiis, ac locis prædictis congruentem darent recompensam, prout dare parati existunt; & quia ex hujusmodi terræmotu quamplurima ædificia Ecclesiarum, & Monasteriorum dictæ Civitatis & Diœcesis Ragusinæ partim diruta, partim vero adeo concussa fuerunt, ut ruinam minentur, sitque formidandum, nisi celeri reparatione succurratur, quod ædificia ipsa brevi tempore solo æquata erunt, illaque per illos, ad quos illorum reparatio pertinet, reparari, & restaurari non possint, nisi eis aliqua bona Ecclesiarum, & Monasteriorum hujusmodi in emphyteusim perpetuam pro justo & rationabili canone concedendi, aut illa pro justo pretio vendendi, & pretium inde proveniens in reparationem & restaurationem hujusmodi convertendi licentia concedatur. Quare pro parte Communitatis prædictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut Ven. Fratri Archiepiscopo, & dilectis filiis Ragusinæ & aliarum Collegiatarum Ecclesiarum Capitulis, nec non Monasteriorum Abbatibus, & Abbatissis, illorumque vel Prioratuum tam virorum quam mulierum, quorumvis Ordinum in Civitate, & Diœcesi prædictis consistentium Conventibus, seu Prioribus ac Priorissis, aliisque personis beneficia Ecclesiastica sæcularia & regularia in eisdem Civitate & Diœcesi obtinentibus, tot bona immobilia & proprietates, quot de eorumdem Communitatis consilio ad eorumdem ædificiorum Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, & Beneficiorum prædictorum reparationem fuerint necessaria, emphyteusim perpetuam concedi, seu libere vendendi, & alienandi licentiam, & facultatem concedere, aliasque in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur de præmissis certam notitiam non habentes hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestræ auctoritate Apostolica tenore præsentium committimus, & mandamus, quatenus earumdem Ecclesiarum Capitulis, & Monasteriorum Abbatibus, & Abbatissis, & aliis Prioribus, aut Beneficia hujusmodi obtinentibus pro ædificiorum Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac Beneficiorum hujusmodi reparatione adeo necessaria, ut ea non facta, ruina manifesta verisimiliter formidari posset, tot bona & proprietates, quot pro hujusmodi necessaria reparatione fuerint necessaria, in emphyteusim perpetuam pro justo & rationabili canone concedendi, seu pro justo, & rationabili pretio libere vendendi, & pretium, quod inde proveniet, seu censum hujusmodi in reparationem, et restaurationem ædificiorum hujusmodi, et non in alios usus convertendi, dummodo Monasteriis et Beneficiis prædictis remanant bona, ex quorum fructibus possint

diplama ad quædam senatus postulata.

Digitized by Google

sint Moniales et Rectores Beneficiorum sustentati, ac eidem Communitati solum pro aquæductu hujusmodi, et partem domorum pro platea Ecclesiæ Cathedralis, et residuum, data prius Monasteriis, & aliis Ecclesiis, & locis piis congrua recompensa, pro publica utilitate perpetuo retinendi licentiam auctoritate nostra concedatis. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinibus Apostolicis, ac quibusvis statutis, & consuetudinibus, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum in Villa nostra Manliana sub annulo Piscatoris die X. Decembris MDXX. Pontificatus nostri anno octavo. — Bembus.

Extra. Dilectis filiis Archidiacono, & Archipresbytero, ac Primicerio Ecclesiæ Ragusinæ.

Raynaldus Archiepiscop. se abdicat, & obit Cotinealæ.

Interea hoc anno 1520. Raynaldus voluntaria cessione nuncium Ecclesiæ Ragusinæ remiserat; & post obitum Achillis Crassi Episcopi Bononiensis anno 1523. extincti, in patriam secessit. Mortuus est Cotinealæ anno 1529. & in æde S. Stephani, quæ princeps est totius oppidi honorifico loco sepultus fuit, eique post triennium ejus fratres germani amantissimi, ac mœstissimi ad latus Aræ maximæ monumentum e marmore exstruxerunt, in quo ipsius corpus humili tumulo exceptum condiderunt, & hunc titulum tabulæ marmoreæ inscribendum curarunt.

Ejus tumulus.

Raynaldo Gratiano Theologorum ultimo, quos natura elaborarat, totius Ordinis Minorum Generali Ministro, inde ob egregia ejus in utraque Hispania pro Religione facinora, ab Julio II. Pont. Max. in Ragusinum Archiepiscopum delecto.

Fratres pientissimi ære proprio posuerunt. M.D.XXXII.

Ante annos fere quatuordecim cum faber quidam, cui nescio quid operis imperatum fuerat, parietem a tergo ejus monumenti seu consilio, seu casu perfodisset, arca detecta est, eaque reserata, corpus Gratiani inventum aridum illud quidem, & exsuccum, sed plane integrum, atque intactum, ne ipsis quidem vestibus pontificalibus ulla ex parte vetustate tineave abrasis, vel exesis: id quod cum miraculo simile visum esset, litteris mandari, & subscriptione duorum scribarum Communis Cotinealensis confirmari, signoque obsignari placuit. In Cœnobio Cotinealensi Patrum Minorum S. Francisci, quos *Conventuales* vocant, inter effigies Ministrorum Generalium totius Ordinis pictus in tabula ovali visitur Raynaldus pontificali habitu atque vestitu cum pallio super imposito; circa effigiem grandiusculis litteris inscriptum legitur: *F. Raynaldus Gratiani e Cottineola Generalis XXXXI. electus Romæ MCCCCCV., qui post quadriennium creatus fuit Episcopus Ragusinus.* Et infra tabulam subjecta est inscriptio. *F. Raynaldus Gratiani Generalis XXXXI. liberalium artium cognitionem assecutus Parisium se contulit, ut solidioribus litteris vacaret; quibus comparatis Bononiæ & Venetiis Theologiam eximie professus est. A Julio II. in pretio habitus missus est Orator in Hispaniam; inde Romam reversus in Supremum Ordinis Ministerium electus est. Præcepit observari simul cum Farinerii Constitutiones a F. Francisco de Ruvere, mox Sixto IV. editæ. Ab eodem Pontifice postea Ragusinæ Ecclesiæ Præfectus Suffraganeus. Vita functus est Cottineolæ MDXXIX. tumulatusque apud M. C.* Sed adverte, & verissimum fuisse Archiepiscopum Ragusinum, nec apud Minores Conventuales sepultum, sed in æde S. Stephani, ut ante annos non ita multos compertum est ex ejus corpore ibidem invento. Cæterum falsa illa opinio ante inventionem illius corporis apud bonos illos Patres vigebat. Basilicæ Cathedrali Ragusinæ reliquit non levia sui erga illam memoris, beneficique animi monumenta, videlicet Crucem argenteam, quæ Archiepiscopo per vias urbis incedenti præferri solet, & donum ejus esse declarat nomen Raynaldi litteris majusculis insculptum; itemque mitram pretiosam, & chirothecas pontificias, quæ adhuc suis temporibus servata fuisse ait Seraphinus Razzius. Joannes Baptista Capassius in libro de Vitis Philosophorum, auctoribus Jovio, & Jonsio, scribit Marcum Musurum, eruditione & humanioribus litteris Græcis ac Latinis optime excultum, a Leone X. Archiepiscopum Ragusinum creatum fuisse. Idem affirmat Nicolaus Papadopoli in Historia Gymnasii Patav. Tom. I. sect. 2. cap. 6., additque Marcum *Manuelli Rhallæ homini Græco Archiepiscopo Epidaurensi in Dalmatia* suffectum fuisse, & Romæ mortuum an. 1517. Sed neutri locus esse potest in Catalogo nostrorum Antistitum, non Rhallæ, quippe Juliano Archiepiscopo vita functo an. 1510. successor illico datus est Raynaldus in Sedem Ragusinam, neque Musuro, cum anno 1519. Raynaldus adhuc hanc Ecclesiam obtinebat: hinc reor, virum utrumque non Epidauri Dalmaticæ Archiepiscopos, sed alterutrius Epidauri Peloponnesiacæ Episcopos *titulares*, ut ajunt, extitisse; nisi velis, & Rhallam, & Musurum, cum Raynaldus jam de Ragusino discessu, deque Archiepiscopatu abdicando cogitaret, nominatos quidem a Pontifice Archiepiscopos fuisse, morte tamen ante præreptos, quam & Raynaldus Ragusio discederet, & decretam illis Ecclesiam possent ipsi adire; unde contigit, Jovium, qui primus id memoriæ prodidit, audita Pontificis nominatione, & vulgi fretus sermonibus utrumque Ragusiensi Archiepiscopatu donaverit, veluti electi revera, & rite consecrati fuissent. Addere & id possumus, Manuelem ac Marcum ante Raynaldum, electos fortasse fuisse Ragusii Antistites, sed gravi intercedente causa, dignitate utrumque se abdicasse: id tamen quis tuto affirmet, cum & Ragusini Scriptores, & tabulæ Romanæ eorum nomina penitus sileant?

et pia largitas.

Rhalla & Musurus expuncti ex albo Archiepisc. Ragusii.

PHILIPPUS ARCHIEP. RAGUSIN. LIV.

Philippus Trivultius Archiep. Ragus. an. 1521.

Ex antiquissima & nobilissima gente Trivultia Mediolanensi, ex qua plurimi principes viri sago togaque illustres, Episcopi & Cardinales prodierunt. Parentes habuit Joannem Trivultium Mediolani Senatorem, & Angelam Martinengam primariæ nobilitatis feminam Brixiensem, fratres vero Augustinum Cardinalem, & Petrum Archiepiscopum Rhegiensem in Calabria. Ab Leone X. designatus fuit Archiepiscopus Ragusiensis, successor futurus Raynaldi. Collatum illi Archiepiscopatum confirmavit Adrianus VI. eumque Ragusinæ Ecclesiæ præfecit, ut est in tabulis Consistorialibus. 1521. 13. *Martii providit Ecclesiæ Ragusin. in Dalmatia de persona Philippi Trivultii.* Erraverunt itaque Scriptores & Catalogi Ragusini, qui primordia Archiepiscopatus Trivultiani con-

Digitized by Google

conferunt in annum 1527. eosque erroris coarguunt non tolum tabulæ modo laudatæ, sed etiam epistola Adriani VI. anni 1522. prid. Kal. Septemb. ad Episcopos Suffraganeos Ecclesiæ Ragusinæ, quibus illum commendat, eique ut debitam obedientiam præstent, monet ac jubet.

Adriani VI. litteræ ad Suffraganeos Ecclesiæ Ragusinæ de ejus electione;

Adrianus Episcopus Servus Servorum Dei Ven. Fratribus universis Suffraganeis Ecclesiæ Ragusinæ sal. & Apostolicam bened. Dudum fel. rec. Leo Papa X. prædecessor noster Ecclesiæ Ragusinæ tunc ex eo, quod Ven. Frater noster tunc suus Raynaldus Archiepiscopus Ragusinus regimini, & administrationi illius, cui tunc præerat, in manibus dicti Prædecessoris & libere cesserat, & dictus Prædecessor cessionem ipsam duxerat admittendam apud Sedem Apostolicam, Pastoris solatio destitutæ, de persona dilecti filii Philippi electi Ragusini sibi & Fratribus suis, de quorum numero licet absentes tunc eramus, ob suorum exigentiam meritorum acceptа, de Fratrum eorumdem consilio Apostolica auctoritate providit; ipsumque in Archiepiscopum præfecit, & Pastorem, curam, & administrationem ipsius Ecclesiæ sibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris, cum dictus Prædecessor antequam ejus litteræ desuper confoerentur, sicuti Domino placuit, rebus fuisset humanis exemptus, plenius continetur. Quocirca Universitatem vestram monemus, & hortamur attente per Apostolica scripta vobis mandantes, eidem Philippo electo tamquam membra capiti obsequentes exhibeatis ei obedientiam, & reverentiam debitas, & devotas, ita quod mutua inter vos, & ipsum gratia gratos sortiatur effectus, & nos devotionem vestram possimus propterea in Domino commendare. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDXXII. Pridie Kal. Septembris, Pontificatus nostri anno primo. — B. de Rubeis. —

Intra finem ejusdem anni Philippus Ragusium venit, omnique honore pro eo, ac talis viri excellentia, & generis nobilitas postulabat, exceptus fuit. Certe anno proximo mense Februarii Ragusii erat, cum ei Achilles de Crassis Cardinalis Bononiensis ex mandato Adriani Pontificis potestatem fieri significavit illos omnes absolvendi ecclesiasticis censuris, qui arma & alia, contra quam licebat, ad hostes christiani nominis detulerant; modo tamen ante promitterent, se nihil tale in posterum ausuros.

et Card. de Crassis ad Philippum de vetita armorum delatione ad Turcas.

Reverende in Christo Pater, uti Frater amantissime, salutem. Sanctissimus Dominus noster ad supplicationem & expositionem nostram vivæ vocis oraculo hodie nobis facto contentatur, quod Paternitas vestra debita monitione præcedente de cætero in futurum, de præterito dumtaxat absolvat illos, qui prohibita infidelibus præstiterint. Poterit igitur eadem Paternitas vestra, quandocumque occurrerit, hoc modo, & sub hac forma tales ad beneplacitum suum absolvere, & pro concessis hujusmodi debitam, & congruam pœnitentiam illis injungere, de qua quidem facultate per eumdem SS. D. N. tibi attributa tenore præsentium manu nostra subscriptarum fidem facimus, & attestamur. De novis autem, ac ..... superioribus diebus, Paternitatis vestræ nomine, dono recepto eidem rursus gratias agimus, nosque offerimus, & commendamus, quæ bene valeat. Romæ XI. Februarii MDXXIII. Tanquam Frater A. de Grassis Cardinalis Bononiensis.

Extra. Reverendo in Christo Patri ut Fratri nostro amantissimo Domino R. Archiepiscopo Ragusino dignissimo.

Ceterum paullo post idem Adrianus censuit potestatem permittendam esse Ragusinis non solum exercendæ cum Turcis mercaturæ, sed etiam iisdem arma & alia vendendi, quæ per *Bullam in Cœna Domini* ad illos deferri prohibentur, non cupiditate lucrandi, sed necessitate cogente, ut salutem ac libertatem ab infensissimis hostibus tuerentur. Datum est diploma eodem anno die Martii vicesima.

Adriani Papæ diploma pro Ragusinis.

Adrianus Papa VI. Dilecti Filii sal. & Apostolicam bened. Exponi nuper nobis feciſtis, quod vos qui in confinibus Turcarum habitatis, & ipsorum Turcarum Tyranno, ne penitus vos opprimat, ac destruat, tributum annuum multorum millium Ducatorum persolvere cogimini, istis Turcis in vestris confinibus habitantibus, vel cum triremibus ad portus vestros accedentibus, ac isthac transitum facientibus funes, salnitrum, ac alia pro ipsis triremibus opportuna, nec non victualia, & arma, ac alia etiam juxta Bullam, quæ in Cœna Domini legitur, prohibita, dum illi hæc a vobis petunt, ne Civitatem vestram occupent, vosque ejus Cives & incolas in omnimodam servitutem redigant, prout verisimiliter eos facturos timetis, si hujusmodi res eis per vos negarentur, quominus eis præmissa, dum illa postulant, subministretis, recusare ea, vel illis denegare non audetis. Quare cum sicut nobis similiter exponi feciſtis, vos ob securitatem vestrarum conscientiarum, licet non lucri cupiditate sed justo timore, cum ut plurimum gratis, & sine pretio præmissa dare cogamini, res prohibitas hujusmodi concesseritis, cupiatis a censuris contra talia Infidelibus ministrantes per dictam Bullam fulminatis, si quas forte incurriſtis, absolvi, nobisque humiliter supplicari feciſtis, ut vobis & Civibus vestris super his, prout alias Rom. Pontifices prædecessores nostros feciſſe asseritis, absolutionis beneficium quoad præteritum, & ut in futurum præmissas res modo, quo præfertur, hoc est justo metu exhibentes, Censuras prædictas minime incurratis, concedere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos conscientiæ vestræ securitati consulere volentes hujusmodi vestris supplicationibus inclinati, vos & quemlibet vestrum a quibusvis excommunicationis, aliisque sententiis, censuris, & pœnis, quas occasione præmissorum quomodolibet incurriſtis, & excessibus hujusmodi, dummodo justo timore, ut nobis exponi feciſtis, prohibitas res hujusmodi dictis Turcis dederitis, absolvimus, & ut præmissas res alias in dicta Bulla Infidelibus exhiberi prohibitas ipsis Turcis nequaquam cupiditate lucri, ut præfertur, super quo uniuscujusque vestrum conscientiam in conspectu Dei, qui cordium inspector est, oneramus, sed justo metu & in constantes viros cadente in futurum exhibendo, dictas censuras in foro conscientiæ dumtaxat nequaquam censeamini incidisse, vobis per præsentes concedimus, & indulgemus. Non obstantibus quoad hæc dicta Bulla, & aliis Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Volumus autem, quod Confessor, quam quilibet vestrum ad hoc duxerit eligendum, pœnitentiam salutarem vobis, & vestrum cuilibet injungat, quam vos omnino implere teneamini, & quod vos præmissas & alias res per dictam Bullam Cœnæ prohibitas non aliter

ter

sex quam maxime, qualem præfinimus, coacti, & absque lucri cupiditate dictis Turcis ministretis. Alioquin absolutio quoad præteritum & concessio prædictæ quoad futuram nullius sint roboris vel momenti. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XX. Martii MDXXIII. Pontificatus nostri anno primo. — Theodoricus Hezius. —

Extra. Dilectis filiis Rectori & Consilio Civitatis Ragusii.

Hanc eamdem potestatem ab Adriano traditam Clemens VII. confirmavit suis litteris datis anno 1525. 15. Kal. Septemb., & *Dilectis Filiis Rectori & Consilio Civitatis Ragusii* inscriptis.

Pestis Ragusium invecta.

Anno 1526. quidam sarcinator solvens Ancona cum suis centonibus & scrutis pestem Ragusium invexit, quæ menses fere viginti urbem ac ditionem Ragusinam depopulata est; ad viginti millia capitum extincta ferunt. Senatus ut sibi suæque saluti consuleret, ad pagum Gravosæ in Cœnobium Dominicanum se recepit. Diutina urgente pestilentia, templum S. Rocho civitas vovit, quod post redditam sanitatem rea voti dissolvit, & ære publico templum Divo sospiti exstructum est. Eodem circiter anno, vel sequenti Romam profectus est Philippus: nam certe Romæ versabatur, cum Carolus Borbonius dux exercitus Cæsariani, admotis ad Urbem copiis, Romam obsedit; eoque, dum inter primos mœnia conscendit, glande plumbea trajecto, milites urbem captam fœde diripuerunt. Tantæ cladis & calamitatis Philippum non spectatorem modo, sed etiam participem fuisse tradit Seraphinus Razzius, & in vincula conjectum, & verberibus cæsum, neque antea dimissum, quam ingenti pecunia vitam & libertatem redemisset. Idem confirmat, & fusius enarrat Dominicus Bernínius in Tomo IV. suæ Hist. Anno 1528. Ragusium rediit; ædes Pontificias magna ex parte labantes refecit, atque in pristinum nitorem, cultumque restituit. Assidua cura & vigilantia in salutem concrediti sibi gregis incubuit; atque ad pietatem virtutesque omnes Christiano homine dignas populum hortari solebat crebris & aptissimis ad animos erudiendos ac permovendos concionibus, quarum honorificam mentionem fecit P. Clemens de Aranea Congregationis Dominicanæ Ragusinæ egregius illius ætatis concionator in suo *Declamatorio*, quod typis mandavit, & inscripsit *Reverendissimo Domino D. Philippo de Trivultiis Mediolanensi, Archiepiscopo Ragusino. Claræ enim*, inquit, *tuæ virtutes ultra vestræ Domus Trivultiæ in utrisque viris gloriam, honestate vitæ, ac doctrinæ claritate, necnon, quod nostris temporibus rarius est in Archiepiscopis, gratia declamationis ad populum te, nostramque Ragusinam civitatem clariorem ostendunt; & quamvis ego sim minimus Apostolorum, tamen nec me a tuis charis alienum feciſti, immo & pluries coram te ad populum declamare voluisti.* Ecclesiasticæ disciplinæ & severitatis custos & cultor studiosissimus fuit. Ut alia, quæ in hanc rem proferri possent, exempla præteream; agebatur de affinitate familiæ Tudisiæ cum familia de Sorgo jungenda; sed designato matrimonio, cujus vinculo adolescentula lectissima de Tudisiis cum adolescente paris nobilitatis de Sorgo jungenda erat, nescio quid impedimenti canonici obstare videbatur: non erat illud quidem certum satisque compertum, sed dubium & controversum. Plerique ac fere omnes Theologi pro matrimonio stabant; sed cum illorum sententiæ, quamvis optimis rationibus nixæ, non omnem dubitationem tollere viderentur Archiepiscopo, is assentiri noluit, & maluit in eam partem, quæ tutior esset, peccare, quam committere, ut periculo vel levissimo lædendi sanctissimas Ecclesiæ leges suam conscientiam exponeret. *Et Reverendissimus Dominus Philippus de Trivultiis* (ut in Codice Tabularii Archiepiscopalis) *votum suum dare noluit.*

Philippi Archiep. acta quædam.

Cum pleraque Cœnobia Benedictina ditionis Ragusinæ commendata fuissent Abbatibus extraneis, Senatus anno 1528. ut est apud Razzium, a Clemente VII. per suos Oratores impetravit, ut ad veteres Dominos ac Cœnobiarchas redirent: & tunc restituta fuit Congregatio Melitensis, eique attributa duo Cœnobia, videlicet Melitense, & S. Jacobi de Viscgniza cum duabus illis Præfecturis, quas vocant Prioratum S. Andreæ in Pelago, & S. Michaelis in Insula Jupana; de quo multa disseruimus in Andrea II. Archiepiscopo Ragusino XI.

Monasterium Viscgnizense et S. Andreæ de Pelago attributa Abbati Melitensi.

Equidem Viscgnizense Monasterium S. Jacobi an. 1527. jurisdictioni Archiepiscopi Ragusini subjectum erat, penes quem eligendi Præsidis facultas erat, licet Innocentius IV. an. 1254. in tutelam Apostolicæ Sedis illud recepisset, uti suo loco monuimus. Extant vero litteræ Michaelis Clementis de Restis Vicarii Archiepiscopalis ad Maurum Abbatem & Monachos Ecclesiæ ac Congregationis Melitensis, quibus eidem Mauro possessionem Viscgnizensis Monasterii, & alterius S. Andreæ in Pelago attribuit; unde conjicias Congregationem Benedictinam Melitensem a Nicolao V. institutam, non fuisse omnino disjunctam per hæc tempora, & aliquam nomine saltem conjunctionis speciem retinuisse. Litteras hasce subjicimus ex Lib. Diverſ. Notariæ Ragus.

Die XXVII. Mensis Junij 1527.

Michael Clementis de Restis Canonicus Ragusinus, nec non Reverendissimi D. Philippi Trivultii dignissimi Archiepiscopi Ragusini in spiritualibus Vicarius Generalis Venerabili Domino Mauro Abbati, ac Officialibus aliis, & Monachis Ecclesiæ, ac Congregationis Melitensis Ragusinæ Diocesis Salutem in Domino sempiternam. Quoniam boni pastoris est circa curam gregis sibi ab Altissimo concessi sedulo invigilare, & eo magis, quo populis devotionem, animabus salutem, Divinoque cultui augmentum conferre sperat. Vacantibus itaque duobus Monasteriis, altero sub invocatione Divi Jacobi de Viscgniza extra mœnia Ragusina morte D. Aloysii Corvini, dum in humanis ageret dicti Monasterii Abbatis, extra Ragusium in Curia (s. Romana) *defuncti, ac omnium ipsius Monasterii Monachorum, altero vero sub invocatione S. Andreæ de pelago extra muros dictæ Civitatis ejusdem ..... amba Ragusinæ Diocesis morte D. Hilarii de Gozze, dum viveret, dicti Monasterii Prioris dignissimi, ac omnium ejusdem loci Monachorum Regulam Divi Benedicti in omnibus profitentium. Quorum collatio, provisio, & omnimoda dispositio ..... vacant ad Nos virtute dicti ordinarii nostri Officii spectare, & pertinere dignoscitur. Volentesque Divinum cultum sub eodem vexillo, quo pie fundatorum animæ ea Monasteria voverant, in quantum cum Deo possumus, ibidem exci-*

excitare, & augere. Conſiderantes Reverentiarum Veſtrarum ac totius Congregationis vitæ ac morum honeſtatem, aliaque laudabilia probitatis, ac virtutum merita, quibus merito una omnium voce commendamini. Viſum eſt Nobis, & Sacræ Congregationi noſtræ Eccleſias ipſas, ut ſupra vacantes, addicere, annectere, & incorporare, & perpetuo Divini Nominis invocatione, a quo bona cuncta procedunt, Eccleſias Veſtras ſic, ut præmittitur, vacantes cum plenitudine juris Canonici, ac omnibus aliis melioribus, modo, via, jure, cauſa, & forma, quibus melius poſſumus, ac de jure, vel ex conſuetudine fieri poteſt; cum omnibus, & ſingulis eorum, & cujuslibet ipſarum pertinentiis, juribus, & actionibus Vobis & veſtræ Congregationi præſentium tenore conferimus, providemus etiam ..... Teque Reverendum D. Maurum Abbatem, & vice totius dictæ Congregationis coram Nobis perſonaliter conſtitutum in corporalem poſſeſſionem dictarum Abbatiæ, & Prioratus Eccleſiarum, juriumque earum, & pertinentiarum per annuli noſtri traditionem inducimus, & inveſtimus. Recepto primitus a te, & pro tuo nomine dictæ Congregationis præſtito Juramento quo ſupra Matris Eccleſiæ ..... mandatis, eiſdemque Abbatiæ, & Prioratui, ac ipſis Eccleſiis S. Jacobi, & S. Andreæ ſecundum earum Statuta, regulas, Canones, & Sancti .... deſervietis, & deſerviri facietis in Divinis, juraque & libertates earumdem Eccleſiarum manutenebitis, & pro poſſe defendetis. Nihilque quod ad dictas Eccleſias vel earum alteram pertineat, alienabitis, ſeu diſtrahetis. Imo alienata & diſtracta ad jus, & proprietatem earumdem reducetis, & reduci procurabitis pro poſſe. Quo circa univerſis, & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis, & præſertim Monachis dictarum Eccleſiarum deputandis, ſeu pro tempore futuris, aliiſque Notariis, & tabellionibus publicis quibuſcumque per Civitatem, & Dioceſim Raguſinam, ac alias ubilibet conſtitutis tenore præſentium committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel eorum alter, qui ſuper hoc fuerit requiſitus, ad prædictas Eccleſias accedant, ſeu accedat; voſque dictis nominibus, vel per Curatorem veſtrum in corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem Eccleſiarum prædictarum, juriumque earum, & pertinentiarum ponant, & inducant, ac inductos defendant, amoto exinde quolibet illicito detentore; vobiſque de ipſarum Eccleſiarum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus univerſis integre faciant, quantum in eis fuerit, & plenarie reſponderi. Contradictores quoslibet per Cenſuram Eccleſiaſticam compeſcendo. In quorum omnium & ſingulorum fidem, ac teſtimonium præſentes litteras per Notarium Publicum infraſcriptum fieri, & publicari mandavimus ſigillique noſtri juſſimus, ac fecimus appenſione muniri. Datum Melitæ in Cortivio Eccleſiæ, ſive Monaſterii Melitenſis. Præſentibus ibidem Reverendo Patre Fratre Franciſco Epiſcopo Mercanenſi Tribunenſique electo, Preſbytero Luca Parrochiano de Terſteno, D. Franciſco Pangratii de Beneſſa, D. Andrea Nic. de Reſtis, ac D. Marino Benedicti de Gondula, Teſtibus ad præmiſſa vocatis, habitis & rogatis. Sub Anno a Nativitate Domini Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo ſeptimo. Indictione XV. Die vero XXVII. Menſis Junii.

Et ego Franciſcus Syl. de Ma. Piceni Publicus Apoſtolica auctoritate Notarius, & modo Juratus Notarius & Cancellarius Inclitæ Civitatis Raguſii &c.

Neſcio quid injuriæ ſeu contumeliæ a quodam, ut ajunt, presbytero Philippus acceperat, de qua civitas univerſa ſummopere doluit, & Rector ac Senatus Clementem VII. admonendum cenſuit, qui ita reſcripſit, ut intelligerent ſe quoque gravi moleſtia affectum fuiſſe, & juſtæ ſatisfactionis ſumendæ munus, & auctoritatem in Procuratorem ac Miniſtros Ordinis Minorum de Obſervantia contuliſſe.

Clem. VII. litteræ pro Philippo Archiep.

Clemens Papa VII. Dilecti filii ſal. & Apoſtolicam bened. Graviter & moleſte tulimus ea, quæ nobis per veſtras litteras ſignificaſtis, Ven. Fratri Philippo Archiepiſcopo veſtro accidiſſe. Eum enim & pro dignitate Archiepiſcopali, & pro nobilitate generis & animi ſui, & quod dilecti filii noſtri A. Card. Trivultii frater germanus eſt, peculiariter diligimus, ut debemus. Veſtram igitur pietatem in dolendo, diligentiamque in nobis id ſignificando plurimum commendamus. Quid vero pro qualitate caſus decreverimus, ac Procuratori & Miniſtris Ordinis Minorum de Obſervantia hic ordinaverimus, Devotiones veſtræ plenius & particularius ab eis intelligent. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die V. Novembris MDXXXII. Pontificatus noſtri anno nono. — Bloſius.

Extra. Dilectis filiis Rectoribus & Conſilio Civitatis Raguſinæ.

Hoc Pontifice e vivis ſublato, Paullus III., ubi ad Pontificale faſtigium evectus eſt, de ſummo Pontificatu ſibi collato perhonorificas, & peramantes litteras dedit ad Rectorem, & Conſilium Reipublicæ Raguſinæ, quas hic ſubjicimus dilectionis & honoris teſtes, qua Romani Pontifices Rempublicam hanc ſummopere complexi ſunt, atque proſecuti.

Paulli III. litteræ ad Remp. Raguſinam.

Paulus Papa III. Dilecti filii ſal. & Apoſtolicam bened. Inter cæteros Chriſtianitatis inſignes populos, præſertim ab Italia remotiores, quibus noſtram ad Pontificatum aſſumptionem nunciare de more inſtituimus, occurrit in primis in noſtro animo & benevolentiſſimo veſtra Civitas, quæ licet circumdata Turcis, tamen opportunitate ſitus & cultu veræ Religionis univerſis Chriſtifidelibus uſum, commercium, & charitatem continuo exhibet. Quod, etſi ex nobis ipſis facere parati fueramus, ſumus etiam a dilecto filio noſtro Auguſtino Card. Trivultio veſtri amantiſſimo, & nobis probatiſſimo admoniti, libentiuſque ejus cauſa id facimus, quod noſtra ſponte faciebamus libenter. Itaque aſſumptionem noſtram, licet ex aliorum litteris jam forſan vobis notam, his & noſtris vobis ſignificantes, vos hortamur, ut Deo gratias in Eccleſiis veſtris agatis, preceſque offeratis ad nos in tanto onere digne ſuſferendo coadjuvandos, utque vos noſtro tempore ſolitam pietatem, ac ſtudium erga Rempublicam Chriſtianam & Chriſtifideles iſthuc delatos continuetis. Nos enim viciſſim erga vos in quavis honeſta gratificatione, & exhibitione noſtræ benevolentiæ nulli Prædeceſſorum noſtrorum cedere intendimus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXV. Octobris MDXXXIV. ſuſcepti a nobis Apoſtolatus officii anno primo. — Bloſius.

Extra. Dilectis filiis Rectoribus & Conſilio Civitatis Raguſinæ.

Paullo poſt Philippo Archiepiſcopo poteſtatem fecit idem Pontifex ſolemne ſacrificium in Ædæ Cathedrali ſub veſperam Sabbati Sancti cele-

Aliæ plures ad Philippum Archiep.

celebrandi eo more rituque, qui tunc apud Cœnobitas Ordinis Servorum B. M. V. inde usque ab antiquissimis temporibus deductus vigebat; tum anno 1537. pridie Kalend. Augusti eum syngrapha pontificia & fide publica communiuit, qua fretus tutusque ab omni periculo ad Concilium generale paullo ante indictum se conferre posset (Brevian. Paulli III. an. 1537. Tomo 2. pag. 219.); & eodem anno IV. Kal. Decemb. suam Philippo auctoritatem impertivit, ut Rectorem & Magistratus Ragusii vinculis anathematum exsolveret, quibus seipsos illigaverant propter laicum quemdam homicidam e sacrario extractum, & supremo supplicio affectum: tum suis ad eumdem Philippum litteris facultatem Ragusinis concessit diruendi sacras ædes, & loca pia suburbana pro munienda tuendaque civitate. Datæ sunt in hanc sententiam anno 1539.

Paulus Papa III. Ven. Frater sal. & Apostolicam bened. Cum sicut dilecti filii Rector & Consilium Civitatis Ragusin. nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro communienda eorum Civitate adversus quoslibet hostium insultus, qui contra eos quomodolibet fieri possent, omnes Burgos dictæ Civitatis dirui & solo æquari fecerint, coganturque etiam Ecclesias & Hospitalia in eisdem Burgis consistentia, quibus metu censurarum hactenus pepercerunt, ne eisdem hostibus receptui aliquando esse possint, dirui facere, nobis humiliter supplicari fecerunt, ut eis, quod Ecclesias & Hospitalia in dictis Burgis consistentia dirui, & solo æquari facere possint, licentiam & facultatem concedere, aliasque in præmisse opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eorum in hac parte supplicationibus inclinati Fraternitati tuæ per præsentes committimus, ut, si ita sit, eisdem Rectoribus, & Consiliariis, quod Ecclesias & Hospitalia in dictis Burgis consistentia diruere, & solo æquare, seu dirui & solo æquari facere libere, & licite possint, & valeant, ita tamen, quod prius & ante ipsam demolitionem & ruinam loco singularum diruendarum Ecclesiarum singula Altaria, ad quæ Missæ & alia divina officia in Ecclesiis diruendis hujusmodi celebrari solita celebrentur, & alia illorum onera consueta congrue supportentur; nec non loco Hospitalium etiam, ut præfertur, diruendorum, alia Hospitalia, in quibus pauperes recipi & nutriri, & si in dictis Burgis aliqui Conventus, aut Collegiatæ Ecclesiæ existant, alia loca, ubi Conventus & Collegia hujusmodi manere possint, intra mœnia dictæ Civitatis construant, erigant, & ædificent, licentiam & facultatem auctoritate nostra concedas. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod cineres Defunctorum in Ecclesiis diruendis hujusmodi sepultorum, ac superficies terræ earumdem diruendarum Ecclesiarum ad alias Ecclesias intra dictam Civitatem consistentes omnino deferantur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die X. Februarii MDXXXVIIII. Pontificatus nostri anno quinto. — Blosius.

Extra. Ven. Fratri Archiepiscopo Ragusino.

Extant præterea binæ ejusdem Pontificis epistolæ in eamdem sententiam, altera anno 1540. IV. Non. Octobris, altera anni sequentis III. Kal. Novemb. utraque inscripta Archiepiscopo & Archidiacono Ecclesiæ Ragusinæ, ut Rectori & Consilio Civitatis ex mandato & auctoritate Pontificis facultatem largiantur ædem hospitalem pro pauperibus ægrotis recipiendis & curandis construendi sub titulo *Domus Christi* in eo loco, cum opportunior non suppeteret, quod appellatur Hospitale Magnum, senibus quibusdam mulieribus ibi degentibus alio translatis, &, vetere diruto, novum ibidem sacellum ædificandi.

Conquesti sunt hoc anno 1542. Patres Dominicani Ragusienses apud Paullum Pontificem, quod Laurentius Michaelis de Luccaris Patricius Ragusinus sibi hæreditatem eripuisset, quam iis reliquerat Petrus Laurentius de Luccaris. Itaque Pontifex ad Episcopum Stagnensem, & Marcum Palmottam Canonicum Ragusinum litteras dedit, ut de hac causa quæstionem agerent vel ambo, vel alteruter, & lis definite dirimeretur. Hæ Paulli litteræ ex Tomo VII. Bull. Dominic. pag. 145.

Litteræ Paulli III. pro Dominicanis Ragusien.

Paulus Episcopus, Servus Servorum Dei Ven. Fratri moderno Episcopo Stagnensi, in Civitate Ragusina commoranti, & dilecto filio Marco Palmotta Canonico Ecclesiæ Ragusin., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Sua Nobis dilecti filii Prior, & Fratres Domus Sancti Dominici Ragusin. Ordinis Prædicatorum petitione monstrarunt; quod postquam quondam Petrus Laurentius de Lucharis, dum viveret laicus Ragusin., cupiens terrena in cœlestia, & transitoria in æterna felici commercio commutare, condens de bonis suis in ejus ultima voluntate testamentum, quod in quadam sua possessione, sive prædio tunc expresso una Ecclesia sub invocatione B. Petri Apostoli, ac una Domus pro Fratribus dicti Ordinis sub certis modis, & forma similiter tunc expressis, de ejusdem suis bonis construerentur, quodque certus numerus Fratrum cum uno Converso pro celebratione Missarum, & aliorum divinorum officiorum pro suæ, & suorum progenitorum animarum salute ibidem residere deberent, inter alia disposuerat, & quandam aliam magnam suam possessionem, similiter tunc expressam, pro alimentis Fratrum, & Conversi hujusmodi deputaverat, ac deinde eosdem Priorem, & Fratres suos hæredes universales instituerat, dictisque Fratribus Sancti Dominici hæreditatem, & alia præmissa non acceptantibus, dicta bona hæreditaria cum eisdem qualitatibus, modis, & formis Guardiano, & Fratribus Domus Sancti Francisci Ragusin. Ordinis Minorum legaverat, Laurentius Michaelis, etiam de Lucharis laicus Ragusin. exposito per eum Venerabili Fratri Antonio Episcopo Albanensi majori Pœnitentiario nostro, quod dictus Petrus Laurentius testator, postquam, ut præfertur, disposuerat, quodque Ecclesia, & Domus prædictæ alibi, quam in possessione per eum ad id deputata prædicta construi non possent, inhibuerat, ac per duodecim annos, vel circa postmodum supervixerat, possessionemque pro fabrica Domus, & Ecclesiæ prædictarum per eum, ut præmittitur, deputatam minime construi procuraverat, quinimo possessionem prædictam post sex, aut septem annos alienaverat, & deinde post quatuor annos nullo alio per eum condito testamento ab humanis excesserat, propterea pro parte ipsius Laurentii Michaelis eidem Episcopo Pœnitentiario humiliter supplicato, ut sibi asserenti se nobilem, & pauperem, ac ejusdem testatoris proximum existere, bona hæreditaria hujusmodi pro sua sustentatio-

Digitized by Google

tatione sibi concedere dignaretur, idemque Antonius Episcopus Pœnitentiarius hujusmodi supplicationibus inclinatus Venerabili Fratri nostro Archiepiscopo Ragusin., vel ejus Vicario in spiritualibus generali suis litteris inter alia dederat in mandatis, quatenus, vocatis eisdem Fratribus Sancti Dominici Ragusini, & aliis, qui forent evocandi, si ita esset, præfato Laurentio Michaelis hæreditatem præfati testatoris pro sustentatione sua, ac sublevandis ejus necessitatibus, attentis præmissis applicarent, & concederent, voluntatem dicti Testatoris, quatenus opus foret, ad præmissa, commutando, prout eisdem litteris dicitur plenius continetur; præfatus Laurentius Michaelis literarum prædictarum vigore fecit eosdem Priorem, & Fratres Sancti Dominici coram præfato Archiepiscopo, sive illius Vicario in spiritualibus generali, ad judicium evocari, idemque Archiepiscopus, sive præfatus ejus Vicarius dictis litteris pro parte ipsius Laurentii Michaelis coram eis exhibitis, aliter non verificatis, neque illarum forma servata in causa, sive negotio hujusmodi perperam procedens, eosdemque Priorem, & Fratres Sancti Dominici super spolio de bonis hæreditariis prædictis per dictum Laurentium Michaelis laicali potentia suffultum, contra eos bonorum prædictorum jure hæreditario pacificos possessores facto, & in actis causæ hujusmodi deducto, audire recusans, definitivam, ut dicebat, per quam bona hæreditaria dicti Petri Laurentii Testatoris eidem Laurentio Michaelis, ut dicitur, adjudicavit, voluntatemque dicti Testatoris in ea parte commutavit, sententiam promulgavit nullam, & iniquam, a qua pro parte dictorum Prioris, & Fratrum Sancti Dominici ad Sedem fuit Apostolicam appellatum, & de nullitate protestatum, dictusque Archiepiscopus, sive præfatus ejus Vicarius pro responsione Apostolorum terminum juris eis assignavit, & deinde fructus dictorum bonorum usque ad decisionem causæ hujusmodi sub sequestro retineri debere ordinavit, temere attentando. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes, quod decreveritis per censuram Ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellatis veritati testimonium perhibere. Quod si non ambo his exequendis potueritis interesse, alter vestrum illa nihilominus exequatur. Datum Romæ apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicæ MDXLII, Septimo Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno octavo. — D. de Soana.

Philippus Archiep. graviter offendit apud Senatum & populum Ragusinum.

Philippus annos fere sexdecim Ecclesiam Ragusinam sapienter recteque administravit, nec ullas, quæ sunt optimi Episcopi partes, ab se desiderari passus est. Verum in eo graviter apud Senatum ac populum offendit, quod nimis aperte studiosum se fautoremque Gallorum ostenderet. Summa illis temporibus fuit ac fere perpetua inter Franciscum I. Galliæ Regem & Carolum V. Imperatorem Regemque Hispaniarum disjunctio, acerbisque inimicitiis incensa contentio; & cum uterque alterius fortunæ gloriæque invideret, infestioribus animis quam armis pugnabant. Philippus sive propter injurias ab Hispanis militibus in Urbis direptione acceptas, sive quod innata inclinatione voluntatis in Gallicam nationem propendebat, non solum tacito quodam sensu studioque, sed palam etiam aperteque, quacumque in re posset, contra Hispanos Gallis & eorum Regi operam navabat. Rex Gallorum clandestinam belli societatem adversus Carolum cum Solimano Turcarum Rege coierat. Philippus vero, ut, quantum in ipso erat, Gallicanas partes juvaret, tabellarios & litteras ab Gallia Ragusium ad se missas Constantinopolim transmittebat, inde vero receptas in Galliam remittebat. Siquid vero accideret, quod scire utriusque regis interesset, utrumque admonendum curabat. Litteras Senatus Veneti ad Provisorem Generalem Dalmatiæ missas, quibus hic de fœdere Venetorum cum Carolo Imperatore & Hispanis contra Turcas icto certior fiebat, de mandato Archiepiscopi interceptas fuisse ajunt, & Constantinopolim ad Oratorem Francisci Regis apud Solimanum perlatas. Quæ omnia tam nota & manifesta omnibus erant, ut celari non possent; & nihil propius esse videbatur, quam ut per Italiam & alias regiones vulgarentur, neque Archiepiscopum modo, sed etiam Ragusinos tamquam conscios & participes hujusmodi impudentiæ ac temeritatis in summam invidiam apud Christianas gentes adducerent; atque in hos arma iramque Hispanorum & Venetorum converterent. Præterea Ragusinis quæstuosum erat & perutile cum regno Neapolitano & cum Hispania commercium, quod propter imprudentiam Archiepiscopi abruptum si esset, id magno detrimento rei publicæ & privatæ futurum fuisset. Quare tota civitas in summa sollicitudine metuque versabatur. Suppliciter quidem sæpe a Senatu admonitus Archiepiscopus & rogatus fuerat, ne Regum ac Principum negotiis se immisceret, ex quarum gestione a viro ecclesiastico aliena ingens Reipublicæ periculum, magnum ejus nomini dedecus immineret. Nequid gravius in eum decernerent, auderentque, obstabat auctoritas & metus Solimani Regis Turcarum, qui Philippum in sua fide ac tutela esse monuerat Ragusinos; caverent propterea ne quid molestiæ illi exhiberent; & proventibus sane copiosis Quinqueclesiarum, quam urbem ad suam ditionem in regno Hungariæ adjunxerat, eum liberaliter donaverat. Hæc Seraphinus Razzius in Catal. Archiep. & Hist. Ragus. lib. 2. cap. 13.

Ejus responsio ad Canonicos duos Corcyrenses, et obitus.

Sed annus 1543. cum adhuc inter Gallos & Hispanos bellum ferveret, vitam Philippo ademit, & omni sollicitudine metuque Ragusinos liberavit. Obiit autem Ragusii post Junium mensem anni ejusdem, vel sub initium insequentis, ut ejus litteræ declarant ad Ludovicum & Angelum Canonicos Corcyrenses scriptæ die XXVII. Junii anni 1543. qui veluti Pontificio nomine delegati quæstionem ab eo petierant controversiæ cujusdam Ragusii inter Patres Dominicanos & Laurentium de Luccaris coram Archiepiscopo habitam, & in tabulas relatam. Respondet Archiepiscopus se ad illos quæstionis hujus exemplum libenter missurum, simulque de inurbanis ab Ludovico & Angelo acceptis litteris graviter conqueritur. Harum litterarum formam hic exhibeo ex ipso Philippi exemplari descriptam.

Venerabilibus Dominis Ludovico & Angelo Commissariis Apostolicis Canonicis Cursolanis nostris carissimis. Venerabiles Domini, per litteras

teras vestri Notarii intelleximus, qualiter ad vos mittere deberemus processum agitatum jam coram nobis inter Fratres Ordinis S. Dominici Ragusinæ Civitatis, & Laurentium de Luccaris, & quod plus sub præcepto nobis mandant, ut pareamus vobis Delegatis Apostolicis, Jam Prior S. Dominici Ragusinæ Civitatis, ut inexpers & homo parvi judicii minatus est Notario nostro, ac illi protestatus est, si dictum processum illi non transcriptaret, quod volebat dapna & interesse. Idem casus est cum vestro Notario. Officii utriusque vestrum erat; Venerabiles Domini, ad nos scribere litteras manu vestrorum subscriptas, ac etiam sine præcepto hæc a nobis civiliter expetere, quod quidem feciſſemus libenter; quippe qui non molestum nobis est, quod quæ judicavimus, revideantur ab hominibus probis & integræ conscientiæ, prout vos estis, & quia vident magis oculi quam oculus: si bene aliter senseritis, non nobis obprobrium esset; & nunquam negleximus parere mandatis Sanctissimi, prout vos in vestris litteris ostenditis, scribendo ad nos litteras præceptorias per manus Notarii: quod quidem nec per vos condecens erat, sed minus per eum: addito Metropolitano vestro scribere litteras nomine Notarii vestri. Istud pertinet ad Sanctissimum, vel ad aliquem Reverendissimum, vel ad aliquem Ducem: & scimus quod hoc non facerent, sed proprio nomine scriberent, Propterea hinc in antea civilius agendum est .... ut quocumque sit processum coram nobis agitatum parati sumus mittere, dummodo substituatis in hac Civitate Ragusina hominem aliquem probum, quem vobis videbitur, qui coram Notario altero quam nostro audiat, & collationet hunc processum: ne per partem calumnialiter ea & inutiliter ibi opponatur, quod non fuerit bene transcriptum. Et hoc per vos facto, nos mittemus ad vos dictum processum: addito, quod adversarii solvant labores scripturarum, ut decens est. Et bene valete.

Ragusii XXVII. Junii MDXLIII.

Philippus Trivultius
Archiepiscopus Ragusinus.

Ragusini ut lætitiam, quam e depulso ab ejus morte periculo gravissimo perceperant, dissimularent ac tegerent, ei funus quam ampliſſimum fieri decreverunt; & piis Sodalitatibus, viris religiosis, Capitulo Cleroque præeuntibus, Senatu populoque prosequente, illatus est in Ædem Cathedralem. Post Missæ sacrificium, quod unus de Provincia Ragusina Episcopus fecit, solemni ritu ac cerimonia decantatum, honorifice conditus fuit; cum præterea quatuor Abbates mitra ornati ad ejus exsequias cohonestandas convenissent. De spoliis illius opulentissimis, quorum Inventarium ex auctoritate Senatus jussuque publico legitime confectum est, cum Trivultiis consanguineis controversia fuit. Nominis sui memoriam Sacello ædium Archiepiscopalium in insula Jupana inscriptam reliquit.

PHI TRIVULTIUS MEDIOLANENSIS
ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS.

PAMPHILUS ARCHIEP. RAGUS. LV.

Pamphilus Archiep. e gente Strasolda nobilissima,

Illustris est apud Carnos, sive Forojulienses, & opibus clara rebusque gestis & honorum insigniis gens Strasolda in plures familias divisa, ex qua Pamphilus originem & nobilitatem generis duxit, Nicolaus de Ragnina Patricius Ragusinus in suis Annalibus apud Seraphinum Razzium tradit Pamphilum ab ineunte adolescentia rei bellicæ operam dedisse, atque in armis tractandis, ordinibus ducendis maximam partem ætatis suæ contrivisse. Annos natus quinque & quadraginta sagum militare cum toga ecclesiastica commutavit. In maxima gratia erat apud Paullum III. qui eum, antequam clericus fieret, copiis Pontificiis præfecerat, ut territorium Romanum a prædonibus & grassatoribus tunc maxime infestum purgaret, tutumque viatoribus præstaret. Cum inter Protonotarios Romanæ Ecclesiæ adlectus fuisset, nihil habuit antiquius, quam ut operam suam omnem Pontificis voluntati, & imperiis impenderet; eique studium, quo incensus erat, pro Ecclesiæ utilitate, adeo probavit, ut in iis cogendi œcumenici Concilii curis, & sollicitudinibus, quibus Pontifex agitabatur, Pamphilum selegerit, quem aptissimum consiliorum suorum adminiſtrum hanc ob causam mitteret ad Regem Poloniæ, illiusque regni Episcopos, ut ipsos ad id operis promovendum urgendumque hortaretur & ad Concilium sua etiam præsentia, suisque studiis recte sapienterque dirigendum invitaret. Meminit hujus legationis Odoricus Raynaldus in Annal. Eccles. ad an. 1536., & Pontificias litteras protulit ad Sigismundum Regem datas *Romæ apud S. Petrum X. Septembris MDXXXVI. anno* 11., in quibus, cauſſis indicendi Concilii propositis, & laudata Regis eximia religione ac pietate, hæc postea subdit: *Mittimus ad te dedita opera dilectum filium Pamphilum a Strasoldo Sedis Apostolicæ Protonotarium, & intimum Camerarium, ac Nuntium nostrum præsentium latorem, ut Majestati tuæ hoc sanctum, & salutare opus particulariter significet, deindeque cum Metropolitanis, & Episcopis tuorum Regni & Dominiorum idem agat, & exsequatur &c.* At præter litteras Regi deferendas habuit etiam Pamphilus in mandatis totius negotii tractandi rationem, & legationis obeundæ formam certis legibus descriptam, quo suæ ac Pontificis dignitati ea, qua par erat, vitæ honestate, ac consiliorum prudentia & gravitate prospiceret: quæ quidem in commentariolum relata, & ex archivo familiæ Strasoldæ exscripta hic subjicio.

Legatis Pontificius ad Regem Poloniæ.

Suæ legationis mandata.

Instructio data Dom. Pamphilo a Strasoldo Prothonotario Apstolico & Sanctissimi D. N. Dom. Pauli PP. III. pro intimatione, & publicatione Concilii generalis ad Sereniss. Poloniæ Regem, & ejus Regni Prælatos Nuntio destinato die .... Mensis Septemb. 1536.

Hæc sunt, quæ Dom. Pamphilus a Strasoldo Prothonotarius Apostolicus, & Sanctissimi D. N. Dom. Pauli Papæ tertii ad (1) *Sereniss. Poloniæ Regem, & ejus Regni Prælatos Nuntius destinatus procurare & præparare habet ante suum ab Urbe discessum. In primis procuret ducere secum familiam, quæ habitu & moribus clericalem modestiam præseferat, & præstet, ut ubique de se bonum odorem relinquat. Ferat secum Brevia ad Sereniss. Regem & (2) Sereniss. Reginam, ad Archiepiscopos, Episcopos, Universitates generalium Studiorum Regni Poloniæ, Ducatus Lituaniæ, & Provinciæ Livoniæ in X. jam sibi datum Catalogum omnium supradictorum.*

1

2

Habeat item secum uniuscujusque generis dictorum Brevium exempla.

Ferat

Ferat pro numero Brevium ſibi datorum totidem copias Bullæ Indictionis Concilii ſigillo D. Auditoris Cameræ, & ſubſcriptione alicujus Notarii publici authenticatas, e quibus illa, quam Regi præſentare habet, ſit in membrana impreſſa, & aliquantum honeſte compaginata. Deſcribat e libro taxarum Cameræ Apoſtolicæ numerum Abbatiarum prædicti Regni, & Ducatus, ac etiam (3) Livoniæ, quæ in ſpiritualibus & temporalibus ad Archiepiſcopum Righeuſem ſpectat, & juxta illarum numerum totidem ſimiliter authenticas Bullæ copias ferat prout inferius ordinabitur diſtribuendas. 3

Non obliviſcatur ferre ſecum jam datum itinerarium, & catalogum Prælatorum Regni Poloniæ, e quibus facile & recte negotium ſibi commiſſa legationis favente Domino exequatur.

Et quia civitas Saltzburgenſis non admodum diſtat ab itinere, quo in Poloniam itur, idcirco ferat ſecum Brevia & Bullæ authenticas copias (4) ad Reverendiſſ. D. Cardin. Saltzburgenſem, ac omnes ejus Suffraganeos, necnon totidem Bullas ſimiles, quot in Salzburgenſi provincia Abbates reperiuntur, prout inferius ordinabitur, diſtribuendas. 4

Ferat etiam Breve ad (5) Georgium Marchionem Brandemburgenſem, qui in Moravia, qua iter in Poloniam eſt, aliquod Dominium habet, & illic commorari ut plurimum conſuevit. 5

In primis D. Pamphilus implorato pie & ſancte Divino auxilio, & habitis ſecum his, quæ pro conditione hujus ſancti operis, & SS. D. N. commiſſione prius in urbe procuranda, & præparanda erunt quanto diligentius poterit, habita tamen bonæ valetudinis conſervandæ ratione, ad Reverendiſſ. Cardin. Saltzburgenſem recta ſe conferat, cui Brevia & authenticas Bullæ copias tam ad dictum Cardin., quam ad ejus Suffraganeos directas præſentabit, & totidem Bullas, quot in eorum Diœceſibus Abbatiæ inveniantur, quæ omnia prædictus Rev. D. Cardin. juxta Brevis formam ſibi a SS.D.N. ſcripti diſtribuenda procurabit; ut autem id maturius fiat, D. Pamphilus etiam ſuam diligentiam & preces adhibebit.

Exhibebit etiam præfato Rev. D. Card. formam litterarum fidei, quas facturi ſunt omnes illius Provinciæ Epiſcopi & Abbates ſuper præſentatione dictarum Bullarum ſibi facta; non tamen ſimiles litteras fidei a præfato Rever. D. Card. requirat, ſed oret Dominationem ſuam Reverendiſſ. ut ad SS. D. N. de præſentatione hujuſmodi ſibi facta reſcribat, & Suffraganeorum & Abbatiarum ſuæ Provinciæ litteras fidei mittat.

Quod ſi præfatus Rev. D. Card. adeo procul a civitate ſua abeſſet, ut ad eum nonniſi magno diſpendio D. Nuncius declinare poſſet, tum præſentet Breve, & prædictas Bullæ Copias ejus Vicario generali, ac ab eo non ſolum petat, ut quæ SS. D. N. præfato Rev. D. Card. ſcribit, fideliter & diligenter exequatur, verum etiam fidei litteras ſuper præſentatione hujuſmodi ſibi facta præfato D. Nuncio det.

A Rev. D. Card. Saltzburgenſi abſolutus Viennam Auſtriæ pergat, & inde per Moraviam iter faciens Breve præſentabit una cum Bullæ copia Marchioni Brandemburgenſi Georgio, qui ſi forte longe a ſua Reſidentia abeſſet, tunc D. Nuncius mittat ad eum Breve, & Bullæ copiam una cum ſuis litteris, quibus ſe excuſet, quod non potuerit a deſtinato in Poloniam itinere ad D.S. deflectere. Et quia per Olomucium Moraviæ civitatem tranſire habet, viſitabit illic omnino Rev. P. D. Stanislaum Furlo Epiſcopum ejus loci, virum præclarum & doctum, cui Breve & Bullam præſentabit, & tot alias Bullæ copias, quot intellexerit in ejus Diœceſi eſſe Abbates. Cracoviæ viſitabit Rev. P. D. Epiſcopum, (6) non tamen illi Brevem, aut Bullas ullas præſentabit; ea de cauſa executionem ſuæ commiſſionis a Regia Majeſtate incipere in mandatis habeat, ſicut ratio poſtulat; getere ſe ſumen dicat ad præfatum Epiſcopum Breve & Bullas tam pro ſe, quam pro Abbatibus ſuæ Diœceſis, quas Dominatio ſua poſt præſentationem Regiæ Majeſtati, & Archiepiſcopis Regni factam ſit ſuo tempore brevi habiturus: utatur erga dictum Epiſcopum omni humanitate, & affabilitate, cum ſit vir omni laude dignus, & multæ auctoritatis in Regno Poloniæ, a quo etiam accepto viarum ductore facile, & tuto ad Sereniſſ. Regem & Reverendiſſ. Archiepiſcopos (7) Gneſnenſem & Leopolienſem deducetur. 6 7

Poſtea ad Sereniſſ. Regem recta pergat, neque interim alicui quicquam præſentet.

In præſentatione autem Brevis & Bullæ Regiæ Majeſtati facienda declaret optimam mentem SS. D. N. quam habet ſuper dicti Concilii celebratione, & Eccleſiæ Dei reformatione juxta tenorem Bullæ & formulam ſibi datam.

Poteſtque, ſi vult, etiam addere, gaudere plurimum Sanctitatem ſuam & gratias agere Deo, quod in hoc deſiderio augendæ & ornandæ Eccleſiæ Dei talem Regem habeat cum ſua voluntate conformem.

Habet Sereniſſ. Rex apud ſe D. (8) Joannem Valentinum Medicum & Canonicum Cracovienſem non pauca apud præfatum Regem & Reginam auctoritatis & gratiæ, cum quo D. Nuncius juncta amicitia facile poterit tam apud Regem, quam apud Reginam commiſſionem ſuam exequi. 8

Poſt hujuſmodi præſentationem Regiæ Majeſtati factam, ac acceptis a Majeſtate Sua ſuper hac re ad SS. D.N. reſponſoriis litteris D.Pamphilus Sereniſſ. Reginam viſitet, eique Apoſtolicum Breve, qua decet reverentia, præſentet, parvulis additis verbis prædicti Brevis ſententiæ conſonis; non tamen Bullam Concilii præſentet, aut Concilium ſicuti Regi intimet, vel litteras Fidei aut quidquam tale hoc dare petat. Poterit autem apud eam uti etiam opera Rev. Mag. Marci Veneti Ord. Minorum Conventualium, qui in ea Provincia Miniſter ſui Ordinis prædictæ Reginæ admodum carus, atque, ſi recte memini, ejus confeſſor eſt. Viſitabit etiam Sereniſſ. Regis (9) Filium jam in Regem a Rege acceptatum, apud quem non eſt opus aliis verbis uti, niſi SS. D. N. Celſitudinem ſuam cum Benedictione Apoſtolica ſalutare, & ſe offerre, feliceſque ei ſucceſſus a Domino precari. 9

Quod ſi Regina, aut etiam Regis filius longe diſtarent a Curia, id quod nunquam vel rariſſime contingere dicunt, procedat D.Nuncius ante omnes alios ad Gneſnenſem Primatem Regni Poloniæ, & Legatum natum, apud quem omnia tractabit, ſicuti apud Reverendiſſ. D. Card. Saltzburgenſem, excepto quod ab eo quadam dexteritate petet litteras facientes fidem præſentationis Brevium, aut Bullarum hujuſmodi ſibi factam, & ſimiles litteras a Suffraganeis, & Abbatibus ſuæ Provinciæ expeditas quanto citius poterit ad SS. D. N. mittat.

Verum

Verum quia facile fieri posset, ut Rex in Livonia esset, ut Archiepiscopus Gnesnensis plurimum distaret, & Leopolienſis sibi proximior esset, tunc habebit præsentare Brevia, ac Bullas prædicto Archiepiscopo Leopolienſi, servando semper formam sibi datam.

In Lituania constitutus prædictus D. Nuncius, si cognosceret posse inde in Livoniam proficisci, fiat pro suo judicio & consilio Regis & aliorum Episcoporum, quos judicare poterit huic Sanctæ Sedi esse benevolos, & Brevia & Bullas Archiepiscopo Rigensi tam in spiritualibus quam in temporalibus Livoniæ Domino juxta formam solitam præsentet.

Aliter si videret, iter in Livoniam vel nimis longum & difficile, vel etiam forte non tutum esse, tractabit cum Archiepiscopo Leopolienſi aut alio magis propinquo Episcopo, interponendo etiam ad hoc, si necesse erit, consilium & auctoritatem Regiæ Majestatis, ut honestis expensis ipsius Nuncii unus aliquis ferat Brevia & Bullas ad Archiepiscopum Rigensem prædictum tam pro ipso, quam pro Suffraganeis & Abbatibus suæ Provinciæ, ad quem idem Nuncius scribat causam, quare non potuerit illuc personaliter accedere, & per eum, quem mittet, fidem præsentationis in scriptis accipiat, relicto ordine, ut medio illius Episcopi, cujus opera in Livoniam prædicta Brevia & Bullas D. Nuncius destinaverit, ad SS. D. N. litteræ fidei super præsentatione hujusmodi mittantur, casu quo D. Nuncius jam in reditu esset.

Oportebit autem si forte Brevia & Bullas prius Leopolienſi aut etiam Rigensi Archiepiscopis D. Nuncium præsentare contigisset, quam Gnesnensi, excusare se postea apud eumdem Gnesnensem, quod quia post præsentationem factam Regi, prædictis Leopolienſi & Rigensi vicinior erat factus, idcirco ne bis ad eosdem magno viæ dispendio sibi redeundum esset, hanc occasionem tam opportunam non passus sit frustra præterire.

His, ut præmittitur, executioni, auctore Domino, demandatis, D. Pamphilus Nuncius cum Dei nomine ad pedes suæ Sanctitatis felici itinere reverteatur, ab eo pro re bene & prudenter .... ut speratur, benigne excipiendus.

Quæ suprædictum est, acceptis Regiæ Majestatis responsoriis fidei litteris, *intelligendum est*, si dederit; *aliter enim non sunt petendæ, sicut nec ab aliis, quam Ecclesiasticis.*

Sigillum Annuli Piscatoris. Fabius Vigil.

Notæ.

1 Sigismundus Jagellonius Dux Glogoviensis, Alexandri Regis Poloniæ frater, huic successit in regnum, electus Petricoviæ an. 1507., & sollemni more coronatus ab Archiepiscopo Gnesnensi 9. Kal. Februar. Ad hunc Poloniæ regem missus a Pontifice Pamphilus noster.

2 Erat hæc Bona Sforcia Joannis Galeatii Ducis Mediolanensis filia, quæ Sigismundo nupsit an. 1518., quo etiam Cracoviæ regia insignia accepit.

3 Jam tum in Livonia grassari coperat hæresis Lutherana, præsertim Torpati, cum vita decessisset ante annos aliquot ab hac Pamphili legatione Joannes a Blankenelde Episcopus Torpatensis, & in provincia Gnesnensi vicarius, vir avitæ religionis vindex fortissimus, cui Jodocus a Reck successit æque, ac Joannes, religione præstans, Vid. Raynald. ad an. 1531.

4 Præerat hoc anno 1536. Salisburgensi Ecclesiæ Matthæus Langius, anno ante ab ipso Paullo III. Pontifice renunciatus Episcopus & Cardinalis Albanensis, cum a Clemente VII. in Cardinalium collegium jam cooptatus fuisset titulo S. Angeli. Vid. Hansizium Germ. Sacr. Tomo 2.

5 Georgius cognomento *Pius*, filius Friderici ex illa Marchionum Brandemburgensium stirpe, qui Prussiæ Duces postea appellati usque ad an. 1594., quo stirps eadem defecit. Georgius vero Onolsbachiensem ditionem tunc tenebat; Albertus ejus frater minor natu, primus Prussiæ Dux an. 1525.

6 Samuel Maciejovvschi electus Episcopus Cracovienſis an. 1536.

7 Cricius Archiepiscopus Gnesnensis summa hoc tempore auctoritate pollebat in Polonia.

8 Joannes hoc ipso anno 1536. Cracovienſis Ecclesiæ Præposituram adeptus fuerat.

9 Sigismundus Augustus in regni societatem a Sigismundo patre adscitus an. 1530.

Bene gestæ a Pamphilo legationis testimonium esse potest ingens Sigismundi Regis studium, quo de Concilio cogendo sollicitus anxiusque fuit, utque citissime celebraretur, oratores suos ad Pontificem misit an. 1540. ut in Raynaldo legimus ad hunc an. num. 13., qui tamen fallitur, cum ad an. 1537. affirmat, Pamphilum jam Ragusiensem Antistitem in Poloniam profectum.

Interea vix Trivultius obierat, cum Ragusini statim litteras supplices Romam miserunt, ut is Præsul sibi a Paullo III. daretur, qui nullarum partium esset, sed æque erga omnes nationes bene affectus, ne iterum se in easdem sollicitudines, molestias, & pericula conjiceret, quibus sub Trivultio diu multumque conflictati fuerint. Pontifex justissimis postulatis morem gessit, & Pamphilum Strasoldum, virum integerrimæ fidei, ab omni partium studio alienissimum, Ragusinis Archiepiscopum dedit, quem per omnes sacrorum Ordinum gradus ad Sacerdotii Episcopalis apicem evexit; eique potestatem fecit retinendi, quæ antea obtinebat, Sacerdotia. Ita enim in Tabulis Consistorialibus scriptum invenio: *30. Januarii 1544. providit Ecclesiæ Ragusinæ vacanti per obitum bonæ memoriæ Philippi de Trivultiis extra Rom. Curiam, de persona Reverendi D. Pamphili Strasoldi cum retentione &c.* Mense Majo Roma profectus Lauretum venit, atque in Basilica Lauretana primum sacrum obtulit, ut Razzius docet. Navi devectus ad Insulam Lacromam appulit, ubi cum apud Monachos Benedictinos aliquot dies substitisset, ad urbem accessit. Venienti Rector & Senatus, Clerus populusque obviam processit; & magna omnium gratulatione novum Archiepiscopum ad Ædem Cathedralem deduxit; ejusque adventum Magister Gymnasii publici latina & elegantiori oratione gratulatus est, Sed ejus eximiis virtutibus, & sapientissimo regimine haud diu frui licuit Ecclesiæ Ragusiensi; nam tertio vel quarto mense, quam venerat, Romam regredi debuit, missus ab Senatu, ut suam, & Ecclesiæ suæ causam ageret; nam de spoliis, quæ Philippus intestatus decedens reliquit, litem intenderat Augustinus Cardinalis Trivultius, frater Philippi. Eam Paullus III. composuit,

Eligitur Antistes Ragusinensis.

& par-

& pareem illorum ſpoliorum ſatis copioſam, ipſi Pamphilo, & Eccleſiæ Raguſinæ adjudicavit, ut Razzius docet; nam Archiepiſcopales reditus admodum diminuti erant, quos non amplius quadringentis nummis argenteis, ut ex tabulis conſtat, Pamphilus ad triennium locaverat. Lis illa per compoſitionem dirempta cum fuiſſet, Pontifex in Germaniam Pamphilum miſit, ut Dynaſtas ac Proceres illarum partium ad Concilium Tridentinum jam indictum evocaret. Huic legationi immortuum eſſe tradit P. Sebaſtianus Dolci; Romæ diem ſupremum obiiſſe ſcripſit Seraphinus Razzius. Sed de anno emortuali, qui fuit 1545., Æræ vulgaris, nulla eſt inter ſcriptores controverſia.

A Pontifice legatus in Germaniam, obiit.

JOANNES ANGELUS ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS LVI.

Generis nobilitas tum paterni, tum materni.

Paternum genus illi fuit clarum in primis ac nobile ex Mediceis Mediolanenſibus, quibus erat communio ſtirpis & ſanguinis cum Mediceis Florentinis, Magniſque Ducibus Etruriæ. Nihilo minus illuſtre genus maternum ex ampliſſima familia Sorbellonia, Mediolanenſi, copiis & opibus affluente. Parentem habuit Bernardum omni laude cumulatum, matrem vero Cæciliam matronam lectiſſimam & ornatiſſimam. Natus eſt pridie Kalendas Aprilis anno 1499. Politioribus litteris Mediolani, Philoſophiæ, & jurisprudentiæ Ticini, deinde Bononiæ operam dedit, & Doctoris nomen atque inſignia ſumpſit. Romam profectus, & clericali militiæ adſcriptus, ſub Clemente VII. inter Protonotarios Apoſtolicos locum obtinuit. Multis & honorificis præfecturis ac magiſtratibus egregie functum Paullus III. Pamphilo Strafoldo in Sedem Archiepiſcopalem Raguſinam ſubrogavit, ut ſcriptum eſt in Tabulis Conſiſtorialibus: 14. *Decemb.* 1545. *Providit Eccleſiæ Raguſin., tunc per obitum b. m. Pamphili apud Sedem Apoſtolicam defuncti, vacanti, de perſona Magiſt. Jo: Angeli Medicei Clerici Mediolanen., Sanctitati ſuæ de numero Participant. Notar., ipſumque ibi in Rectorem præfecit cum retentione officii Notariatus, & omnium obtentorum.* Annos octo Archiepiſcopatum retinuit, & abſens Eccleſiam Raguſinam per ſuos Vicarios gubernavit. Interea graviſſimis muneribus, præfecturis, & legationibus obeundis, operam perutilem Sedi Apoſtolicæ præbuit; eumque idem Paullus III. ob illuſtria præſtantiſſimi viri merita in Collegium Cardinalium cooptavit, tituloque S. Priſcæ inſignivit, ut docent Acta Conſiſtorialia: 8. *April.* 1549. *credvit in Cardinalem Joannem Angelum Medicei Archiepiſcopum Raguſinum.* 30. *April.* 1549. *Sanctitas ſua excepit Cardinalem Raguſinum, & dedit illi Pileum.* 10. *Maji clauſit os eidem, & aperuit.* Raguſienſes, cum de Archiepiſcopo ſuo ad Cardinalium numerum aggregato fauſtiſſimum nuncium accepiſſent, incredibili exultarunt lætitia. Solemne triduum inſtitutum fuit, & publicis ſupplicationibus, hymnis & canticis, effuſis in pauperes largitionibus, plauſibus, clamoribuſque, & ſpectaculis nocturnorum ignium, ad gratias Superis agendas, debitumque Archiepiſcopo ſuo Cardinali honorem tribuendum, ingenti omnium Ordinum frequentia celebratum eſt. Romam miſſi ſunt cum magnificis donis, qui ei nomine Senatus populique, dignitatem ampliſſimam collatam gratularentur. Hæc legatio & congratulatio tot ac tantis exuberantis lætitiæ ſignificationibus teſtata, ut honorifica, ſic jucundiſſima Joanni Angelo fuit, qui, ut ſui grati erga civitatem, de ſe bene meritam, animi voluntatem declararet, ab ea cognominari voluit *Cardinalis Raguſinus*, & Palatium ſuum patere Raguſinis, qui Romam venirent, præſertim viris Eccleſiaſticis, quos victu cæteriſque rebus quam liberaliſſime, commodiſſimeque tractari volebat. Nihil magis optabat, quam ad ſuam Eccleſiam, cum primum liceret, regendam accedere, & propterea Pallium, quod ad eam diem petere neglexerat, cum plurimis graviſſimiſque negotiis implicitus illuc adire poſſe diffideret, ſuppliciter a Pontifice poſtulavit; eique anno poſt ſuſceptum Archiepiſcopatum quinto traditum atque impoſitum fuit, ut conſtat ex Tabulis Conſiſtorialibus: 4. *Julii an.* 1550. *Reverendiſſimo Domino Carolo de Medicis fuit conceſſum Pallium Dominationi ſuæ pro ſua Metropolitana Eccleſia Raguſien., & fuit commiſſa Expeditio D. Cardinali Piſano; & cum abſolutione pro eodem Cardinali, ex eo quod Pallium infra tempus a jure ſtatutum non petierat.* Sed nec tunc, nec poſtea, quo cogitabat, proficiſci potuit; aliud ex alio impedimentum interceſſit, quod ei facultatem Eccleſiæ ſuæ adeundæ præripuit.

Abſens Eccleſiam per ſuos Vicarios gubernavit.

In Collegium Cardinalem cooptatus.

Cupidus Eccleſiæ ſuæ adeundæ, pallium ſuſcepit.

Anno 1547. Margarita de Bona nobilis mulier, ſed exiguis opibus prædita, quæ ſibi dotem conficere poſſent, pecuniam quamdam a Matthæo Blaſii de Ragnina, cui proneptis erat, legatam Patribus Dominicanis ſibi deberi prætexerat tum ob inopiam rei familiaris, tum quia ſuo ipſorum juri ceſſiſſe illos ajebat, qui per annos fere ſexaginta legati acquiſitionem neglexerant. Jamque Canonicorum quorumdam judicio, qui ſupremi Romanæ Eccleſiæ Pœnitentiarii auctoritate ad id delecti fuerant, legatum ipſa obtinuerat. Quod cum ægre ferrent Dominicani Cœnobitæ, Pontificem appellarunt, ut nova de hac cauſa inſtitueretur quæſtio, & aliorum judicum ſententia lis decerneretur. Iis aſſenſus eſt Pontifex, & dato diplomate, quod ſubjicio, Stagnenſem Epiſcopum, & Abbatem Monaſterii Lacromenſis delegavit, qui rem totam denuo cognoſcerent, ac juſte riteque definirent.

Litteræ Paulli III. pro Dominicanis Raguſin.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri moderno Epiſcopo Stagnenſi in Civitate Raguſina reſidenti, & dilecto filio Abbati Monaſterii Sancti Benedicti de Lacruma ejuſdem Raguſin. Civitatis, vel Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Sua Nobis dilecti filii Prior, & Fratres Domus S. Dominici Raguſin. Fratrum Prædicatorum, vel alterius Ordinis, petitione monſtrarunt, quod tunc noſtro, & Sedis Apoſtolicæ majori Pœnitentiario pro parte Margaritæ filiæ Lucæ Nicolai de Bona mulieris Raguſin. expoſito, quod alias poſtquam Matthæus Blaſii de Raguina, dum in humanis ageret, cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, in ſuo, quod de bonis ſuis condiderat, teſtamento, centum octoginta ducatos auri ipſis Priori, & Fratribus pro ſuffragiorum per eos recitandorum eleemosyna, & ut domus pro eis emeretur, legaverat: iidemque Prior, & Fratres per annos circiter ſexaginta legatum hujuſmodi petere ſcienter neglexerunt, ac quod ipſa Margarita, quæ dicti Matthæi pro-

Digitized by Google

preceptis, & innupta erat, ac unde se juxta suæ qualitatis exigentiam dotari posset, non habebat, cupiebat legatum hujusmodi sibi in suarum dotium augmentum applicari, ipse major Pœnitentiarius supplicationibus ejusdem Margaritæ inclinatus certis Canonicis Ecclesiæ Ragusin., & eorum cuilibet dedit in mandatis, ut si ita esset, legatum prædictum dictæ Margaritæ in suæ dotis augmentum applicaretur, dicti Testatoris voluntate in, & quoad hoc commutando, ut in dicti Majoris Pœnitentiarii literis desuper confectis, plenius dicitur contineri. Et, licet ipsi Canonici ad executionem ipsarum litterarum, nisi eis clare, & per dictam Margaritam narratis, & expositis constaret, providere non debuissent, vel eorum alter debuisset, nihilominus ad earumdem litterarum executionem procedentes, vel eorum alter procedens, ipsis Priori, & Fratribus aliter non vocatis, neque citatis, ipsum legatum præfatæ Margaritæ applicaverunt, seu eorum alter applicavit in non modicum, sed maximum eorumdem Prioris, & Fratrum præjudicium. Quare pro parte Prioris, & Fratrum prædictorum, asserentium se dictum legatum petere per tempus dictum minime negle-xisse, sed contra hæredes dicti Testatoris super ipso legato, illud eis assignari, & tradi petendo, coram certis Judicibus sæcularibus litigasse, & unam sententiam in eorum favorem, & contra ipsos hæredes obtinuisse, ac eosdem hæredes nihilominus legatum hujusmodi tradere, & assignare hactenus distuliſſe, & denegasse, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut literas prædictas, tamquam tacita veritate, & falsa expressa obtentas, subreptitias, & obreptitias fore, ipsique Margaritæ minime suffragari debere decerni, illiusque, ac earum vigore secuta quæcumque per aliquem probum virum revocari mandare, aliasque sibi in præmissis justitiæ ministerio subvenire, paterna diligentia curaremus. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes, quod decreveritis per censuram Ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellatis veritati testimonium perhibere. Quod si non ambo his exequendis potueritis interesse, alter vestrum nihilominus exequatur. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quingentesimo Quadragesimo Septimo, Undecimo Kal. Maji, Pontificatus nostri Anno decimotertio.

M. de Luciso.

Vicarii Joannis Angeli Archiepiscopi.

E Vicariis, qui pro Joanne Archiepiscopo Ecclesiam Ragusinam interea gubernabant, unus fuit Thomas Cervinus Episcopus Mercanensis & Tribunensis, sæpe nominatus in Decretis Senatus Ragusini, velut in eo, quod conditum fuit 13. Maji anno 1549. *Dominus Rector cum ejus Consilio, & interventu Domini Thomæ Cervini Vicarii Ragusini Archiepiscopi & Cardinalis nostri debeat per viam processus inquirere &c.* Alter fuit ante Cervinum, de quo Tabulæ Archivi Episcopalis Catharensis, *Benedictus Sulinus de Firmo J. V. D. & Reverendissimi Domini Joannis Angeli Medicis Archiepiscopi Rag. Vic. Gen.* Quo tempore, cum Canonici Ragusienses ab iis insignibus Capitularibus deferendis, quam ob causam nescio, sese abstinerent, quas induere jussi fuerant ab Alexandro VI. in obeundis ecclesiasticis muneribus, Rectoris Consilique jussu Alexandri Pontificis litteræ iterum lectæ fuerunt in Capitulari conventu, monitique Canonici, ut Pontificio decreto obtemperarent; idque in publicas tabulas relatum.

Die XXVIII. 1550. Indict. VIII. Ad instantiam Magnifici Domini Rectoris Ser Marini Jacobi de Ghetaldis, & sui Consilii præsens Bulla, idest Alexandri VI., lecta & intimata fuit Reverendo Domino Natali de Bona Canonico & Vicario Reverendissimi D. Joannis Angeli Medicis Cardinalis, & Archiepiscopi Ragusini, Domino Nicolao de Gozze Archipresbytero, Domino Patatino de Gundula, Domino Simeone Joannis de Menze, & Domino Martino Joanne de Bucchia Canonicis ibi præsentibus, & auscultantibus. Præsentibus etiam ad hunc actum Ser Michaele Val. de Sorgo, & Ser Joanne Mart. de Gundula Procuratoribus Ecclesiæ S. Mariæ. Franciscus Parisius Notarius.

Ex quibus Natalem quoque de Bona vicariam operam Joanni Angelo Archiepiscopo præbuisse cognoscimus.

Eam cum adire non posset, permissu Pontificis, Sebastiano Portico tradidit.

Cum is gravioribus in dies curis, & occupationibus urgeretur, quæ omnem Ragusinæ profectionis spem adimebant, religioni habuit diutius retinere Pontificatum illius Ecclesiæ, quam neque invisere, neque regere per se ipse poterat. Itaque illum deponere, & permissu Pontificis Maximi tradere Sebastiano Portico Lucensi constituit; quo consentiente tum reditus ecclesiasticos, tum jus conferendi Sacerdotia, itemque ad Ecclesiam illam regrediendi, si forte per cessionem vel mortem ipsius Sebastiani vacaret, sibi reservavit. Julius III. ejus postulatis annuit, & omnia, quæ petebat, approbavit, ut apparet ex Tabulis Consistorialibus: 1. Martii 1553. *Prov. Ecclesiæ Ragus. vacanti per cessionem Reverendissimi Joan. Angeli Cardinalis Medicis in manibus suæ SS. sponte factam, & per eamdem admissam, de persona Sebastiani Portici Clerici Lucen. J. V. D. ipsumque illi in Archiep. præfecit & Pastorem, reservatis eidem Joanni Angelo fructibus &c. juribus, obventionibus & emolumentis mensæ Archiepisc. Ragusinæ, nec non collatione Beneficiorum .... de ipsius Sebastiani consensu, nec non regressu per cessum vel decessum dicti Sebastiani &c.*

Ragusini vehementer offensi, Sebastianum Porticum respuerunt.

Jam Sebastianus Anconam venerat, ut illinc Ragusium trajiceret; cum Seraphinus Zamagna Patricius Ragusinus ab Senatu Orator ad Pontificem missus Anconam appulit, ejusque iter remoratus est: negavit siquidem illum a Ragusinis in civitatem receptum iri, antequam ipse, quæ ab Senatu habuerat, mandata Pontifici exponeret. Ragusienses ægerrime tulerant Ecclesiam suam ab Joanne Angelo Cardinali relictam, seque insciis alteri demandatam fuisse; utrumque sibi dedecori ducebant, cum ab eo neglecti despectique esse viderentur. Præterea Ecclesiam suam liberam, & nulla pensione gravatam, ab omnique onere immunem tradi omnino volebant. Hæc Seraphinus Zamagna gravi liberaque oratione questus est apud Julium, urgebatque in primis canonicam illam sanctionem, quæ vetabat Episcopum populis nolentibus & invitis obtrudi. Sed neque Pontificem, neque Cardinalem ab eo, quod decreverant, abducere potuit. Biennium hæc contentio tenuit,

Digitized by Google

nuit, cum utraque pars obfirmata in propositio ſuſceptoque conſilio permaneret: quo tempore id eveniſſe puto, quod narrat Zacharias Boverius ad an. 1561. in Annal. Capuc., Raguſienſes ſcilicet Archiepiſcopum ſibi poſtulaſſe Jacobum patria Melphictenſem, ſtudioſiſſimum Ordinis Capuccinorum aſſeclam, virumque tum vitæ ſanctimonia, tum doctrina illuſtrem, qui aliquot annos Apoſtolicum munus Raguſii exercebat uberrimo cum animarum lucro: at, Jacobo contra obnitente, Raguſienſium vota irrita ceſſerunt. Victor tamen paullo poſt ſententiam adversus Sebaſtianum; nam Paullus IV., poſt breviſſimum Marcelli II. Pontificatum, Julio ſubrogatus, ſecum ipſe reputans egregiam Raguſienſium erga Romanam Eccleſiam fidem, atque obſervantiam, & illuſtria in rem Chriſtianam merita, Sebaſtianum e Raguſina translatum Eccleſiæ Fulginatenſi, quamvis invito Joanne Cardinali, VIII. Id. Julii 1555. Epiſcopum præfecit; qui ne omnino jure ſuo decedere videretur, titulum Archiepiſcopi Raguſini retinuit; Raguſienſibus vero, quem poſtulabant, Præſulem dedit Ludovicum Beccatellum Eccleſiæ Ravellenſi ademptum, ut docent tabulæ Conſiſtoriales, menſe Septembri an. 1555.

Joannes Angelus ad Eccleſiam Fulginatem transfertur, et ad ſummum Pontificatum evehitur.

Sebaſtianus primo Epiſcopatus anno nondum exacto e vivis exceſſit, eique idem Joannes Angelus Cardinalis Mediceus ſubrogatus illam Eccleſiam abſens per Vicarium a ſe conſtitutum Joannem Bernabonem Fulginatem Protonotarium Apoſtolicum adminiſtravit. Tertio poſt anno eam reliquit, tradiditque Joanni Antonio Sorbellonio conſobrino ſuo, qui Epiſcopali conſecratione inſignitus idibus Maji an. 1559. ad Eccleſiam Fulginatem acceſſit. Hæc ex Ughello. Ipſe vero intra finem anni 1560. ad ſummum Pontificatum evectus res præclariſſimas geſſit litteris ac memoria dignas, ac præſertim Concilium Tridentinum a Paullo IIII. inchoatum, redintegratum a Julio III., ab ſe renovatum abſolvit ingenti rei chriſtianæ bono. Rector & Senatus Raguſinus litteris officioſiſſimis ſuæ obedientiæ ac lætitiæ teſtibus ſummum Pontificatum eidem gratulatus eſt, quibus ille haſce litteras reddidit paternæ caritatis ac ſingularis benevolentiæ plenas.

Pii IV. litteræ ad Senatum Raguſinum,

Pius Papa IV. Dilecti filii ſal. & Apoſtolicam benedictionem. Litteras veſtras, in quibus lætitiam expreſſionis, quam vobis attulit hoc, quod nuper ſine meritis noſtris Omnipotenti Deo, & ſuæ tantum benignitatis abundantia per Ven. Fratrum noſtrorum miniſterium, admirabilemque conſenſum nobis agere placuit, ſicut eximiorum filiorum noſtrorum grato libentique legimus animo, in quibus cum magnopere delectati ſumus veſtræ erga nos pietatis conſtantia, tum quod veſtra ſignificatis vera, & Ven. Fratris noſtri Ludovici Archiepiſcopi veſtri diligentia, vitæque exemplo perfectum fuiſſe, ut religio apud vos iis, quæ eam contaminare poſſent, rejectis, pura integraque maneret, & divinæ Majeſtati hoc nomine gratias agimus, & vos plurimum in Domino laudamus, hortantes Devotiones veſtras, ut pari cura, & ſtudio ad cives veſtros in veræ & Orthodoxæ fidei, & Religionis cultu, ac S. Matris Eccleſiæ gremio continendos, ejuſdem veſtri Antiſtitis nobis probatiſſimi piam mentem adjuvare perſeveretis, ſicut pro veſtra nobis perſpecta virtute, gravitate, conſtantia facturos vos eſſe confidimus. Quod vero ad noſtram attinet erga vos voluntatem, perſuaſum vobis eſſe cupimus, cum reliquos omnes populos fidei noſtræ, & paſtorali cuſtodiæ à Deo commiſſos in filiorum loco a nobis diligi, tum vos & Civitatem iſtam jam inde ex quo ejus Pontificatum geſſimus, non communi quodam, ſed præcipuo amore in noſtræ charitatis viſceribus inhæſiſſe, & quoniam bene de ea merendi divinæ Bonitati placuit poteſtatem nobis augere, paratos nos fore ſemper, quantum cum Domino licuerit, ad annuendum precibus, & deſideriis veſtris, atque ipſius Civitatis. Negotium veſtrum, quod hic dilectus filius Alexander de Jacobo fel. recor. Pauli IV. Prædeceſſoris noſtri tempore procurabat, dilecto filio & conſanguineo noſtro Carolo Diacono Cardinali Borromæo vocato commiſimus, ſicut ex ipſius Alexandri litteris cognoſcetis. Reliqua, quæ ut ſciremus curaſtis, libenter audivimus, eoque nomine vobis gratias agimus, ac veſtram diligentiam laudamus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die III. Februarii MDLX. Pontificatus noſtri anno primo. — Antonius Florebellus Lavellinus.

Extra. Dilectis filiis Rectori, & Conſiliariis Raguſinis.

Quinque ipſos annos Eccleſiæ univerſali præfuit, & intra annum 1565. e vita deceſſit. Sebaſtianum Porticum, qui titulum Raguſini Archiepiſcopi geſſit, catalogo Archiepiſcopali, cum ceteri Scriptores non inſeruerint, neque ego adſcribendum putavi.

LUDOVICUS ARCHIEP. RAGUS. LVII.

Vitam Ludovici Beccatelli eximiis virtutibus præditam, laudatiſſime & religioſiſſime actam, Italice ſcripſit, & Artimiſio ac Vincentio filiis fratris Ludovici, lectiſſimis adoleſcentibus inſcripſit Antonius Gigantius, qui totam ejus vivendi agendique rationem penitus perſpectam, & plane cognitam habuit; quippe cum ejus domeſticus atque intimus familiaris, illique ab epiſtolis fuerit; & per annos tres ac viginti numquam ab ejus latere diſceſſit. Totum ejus ab ineunte ætate, ſtudiorum, actorum, & rerum præclare geſtarum ordinem ſeriemque articularim diſtincteque perſequitur; ſed uberius, & fuſius, quam hujus loci, ac noſtri inſtituti ratio patitur. Idcirco quæ ille longa & copioſa narratione expoſuit, paucioribus verbis complecti, & quamdam veluti eorum Epitomam conficere decrevi.

Genus Ludovici clarum ac nobile.

Beccatella familia in primis inter Bononienſes antiqua eſt, ac nobilis. Pomponius ejus familiæ princeps Prudentiam Mamellinam æque clari generis feminam duxit uxorem, ex qua Ludovicum ſuſcepit, inter omnes, quos genuit liberos, natu maximum. Editus eſt in lucem anno 1502. VI. Kalendas Februarii. Ab incunabulis in ſinu optimorum parentum educatus, pueritiam egit ex eorumdem graviſſima, & optima diſciplina. Elucebat in eo vel puerulo rara indoles animi & ingenii, æque in litteras, ac ſingularem erga Deum religionem propenſa; neque illi defuit vel diligentia parentum, vel ſolers cura magiſtrorum, qui eum ingenuis artibus, & bonis moribus imbuerent, atque ad omne Chriſtiani officii munus erudirent. Politioribus litteris & Philoſophicis ſatis inſtructus cum eſſet, juſſus eſt a parente ad ſtudia juriſprudentiæ animum appellere, quæ

Digitized by Google

viam illi ad opes, honoresque munirent: iis enim sperabat nobilissimam familiam, quæ ob civiles discordias, & communium temporum casus ab excitata fortuna ad inclinatam ac prope jacentem desciverat, in pristinam amplitudinem atque opulentiam restitui posse. Sex ipsos annos legum scientiæ tribuit, magistris usus Carolo Ruino, Joanne Grotto, Ludovico Gozzadino, qui jurisperitorum illius civitatis facile principes habebantur. Eodem tempore versabatur Bononiæ studiorum caussa Joannes a Casa Florentinus, cui summa erat cum Ludovico amicitia & familiaritas, quam ingeniorum morumque similitudo conciliaverat. Verum uterque subtiles illas & spinosas disputationes pertæsus, in quibus juris disciplina versatur, innata quadam animi incitatione ad studia amœniora prospectabat. Itaque per speciem exercendi se in quibusdam difficilioribus de jure civili quæstionibus, quam certamini publico exponere debebant, uterque bona venia parentum suorum Bononia in Etruriam profecti, in villam paternam Joannis, cui nomen est Mugello, secesserunt. In eo solitario secessu, codicibus legum sepositis, cum totos se lectioni atque imitationi Ciceronis, & optimorum Latinitatis auctorum tradidissent, jucundissimis latinæ scriptionis & eloquentiæ studiis menses septemdecim impertierunt. Sed cum latinas litteras sine Græcarum cognitione mancas quodammodo & imperfectas esse animadverterent, consilium cœpere migrandi Patavium; qua in civitate longe doctissima studia linguæ utriusque maxime florebant. Ergo Ludovicus Bononiam reversus, ne patrem a se deludi velle videretur, ei palam & sincere, quid sui consilii esset, ostendit. Pomponius quamvis ægre ferret a susceptis jurisprudentiæ studiis filium avelli, tamen, ut erat, cum æquitas postulabat, indulgens in liberos, non solum Ludovici ingenio & voluntati obsequendum censuit, sed etiam pecuniæ suppeditavit quod satis esset in profectionem, & commorationem Patavinam. Paterna concessione & indulgentia lætus, cum Joanne de Casa, amico & contubernali suo, Patavium se contulit. Annum ætatis vicesimum septimum agebat, cum illuc venit; eaque in urbe latinas litteras græcasque sic arripuit, quasi diuturnam sitim explere cupiens; ibique cum Petro Bembo, Triphone Gabriellio, Benedicto Lampridio, & aliis doctissimis viris, utriusque linguæ scientissimis, amicitiam junxit. Sed ne integrum quidem annum in hisce studiis exegerat, cum eum mors parentis in patriam revocavit, ut matris viduitatem solaretur, simulque rebus ac rationibus domesticis provideret; nec tamen interea exercitationes litterarias intermisit, & Romulum Amasæum frequens adibat, qui Græcam Latinamque humanitatem in Gymnasio Bononiensi tradebat. Anno 1529. Clemens VII., cum Bononiam venisset, ut Carolo V. augustale diadema more majorum & solemni ritu imponeret, eo secum duxit Cosimum Gerrium Pistoriensem, juvenem excellentis ingenii, eximiæque virtutis, quem Episcopum Fanensem designaverat. Is haud minori, quam Ludovicus, bonarum artium studio flagrabat, quarum addiscendarum caussa, ipse quoque Patavium ire statuerat; utque Ludovicus, quocum summam familiaritatem contraxit, comes itineris, & socius domicilii Patavini esse vellet, magnopere orare & obsecrare institit. Homini amicissimo quod petebat negare non potuit, & rebus domesticis utcumque compositis, viduæ matris cura tutelaque consanguineis, expertæ probitatis & fidei, commendata, cum Cosimo Patavium rediit. Uterque maximos in litteris politioribus progressus habuit; eruditorum & eloquentium virorum amicitiis floruit, præsertim Petri Bembi, Nicolai Leonici, Lazari Bonamici, qui domum eorum assidue frequentabant, ubi familiares & litterarii congressus, doctissimæque disputationes haberi solebant. Quatuor ipsos annos Patavii cum Gerrio transegit; nisi quod singulis annis, cum majores a scholis vacationes feriæque indicebantur, Bononiam, ut matrem reviseret, cum eodem Gerrio redibat, & mensibus æstivis atque autumnalibus, in villam quamdam peramœnam agri Bononiensis, quæ Predaltina vocatur, secedere consueverant, ibique a frequentia hominum, strepituque urbis remoti, tempus omne ad studia paullisper intermissa, tum lectione, tum exercitatione inter se recolenda, conferebant.

Cum Joannae de Casa amicitiam jungit.

Patavium se confert.

Patavium rediit, & studia intermissa repetiit.

Ob patris mortem in patriam revocatur.

Anno 1535. Caspar Cardinalis Contarenus, vir eximiæ sanctitatis & doctrinæ, cum de Ludovici ingenio, eruditione, probitate, ex communi fama & sermone, multa & præclara inaudisset; ut eum apud se familiarem, ac studiorum suorum adjutorem haberet, tum suis, tum interpositis principum virorum litteris ac precibus impetrare vix potuit. Gerrio Patavii relicto, a quo divelli ægerrime ferebat, Romam profectus est, quem Cardinalis diu multumque expetitum perhumaniter accepit, magnaque benevolentia complexus est. Sed vix integrum annum ei litterariam operam navaverat, cum Ludovicum urbis & aulæ tædere cœpit; Patavium, libertatem amissam, jucundissimam Gerrii, & doctorum virorum consuetudinem respectabat; quorum bonorum desiderium diutius ferre cum nequiret, simulavit tristes nuncios ad se perlatos esse de incommoda matris valetudine, seque ab ea in patriam revocari. Cardinalis cum obstare non posset, quominus debitum pietatis officium matri ægrotanti præstaret, facultatem abeundi, seque ad tempus deserendi vel invitus concessit. Bononiæ apud matrem dies non ita multos commoratus cum esset, Patavium ad Gerrium veterem amicum se retulit. Aula & Roma valere jussis, quodcumque ex utraque emolumentorum atque bonorum sperare poterat, otio litterario, & eruditorum virorum consuetudini posthabere statuit. Litteras officii ac reverentiæ plenas ad Contarenum Cardinalem scripsit, suppliciter postulans, ut se ab aulico famulatu strepituque missum faceret. Sed tantum abfuit, ut missionem impetraret, ut sui desiderio magis magisque animum Cardinalis inflammaverit; qui aliis atque aliis epistolis, manu sua amantissime scriptis, instare atque urgere institit, ne se desereret, ejus societatem atque operam jucundiorem sibi atque utiliorem esse, quam ut ea carere posset; quocirca nullam moram interponeret, quin statim Romam rediret. Optimo Cardinali, suique studiosissimo, verbis quam humanissimis, & gravissimis Romam revocanti, ac tantum non pro imperio jubenti, obsequendum censuit, vel ipso Gerrio suadente; præsertim cum ipse etiam Patavium relinquere atque ad gubernandam Ec-

Romæ Cardinali Contareno litterariam operam navavit.

Patavium remigrat.

Romam cum Contarenus vel invitum revocat.

Digitized by Google

eccleſiam ſibi traditam ſe transferre decreverat. Uterque Patavio profectus Bononiam adiit, & Ludovicus, matre ſalvere ac valere juſſa, Fanum uſque Gerrium comitatus eſt; ab eoque digreſſus Romam pervenit anno 1536. Incredibile dictu eſt quantam ex ejus reditu voluptatem Cardinalis cœperit; & quo magis declararet quanti eum faceret, nullum ſingularis erga illum benevolentiæ officium prætermiſit. Ut ſecum arctiori familiaritate Ludovicum conjungeret, eum ſibi ab epiſtolis eſſe, & omnium rerum & conſiliorum participem fieri voluit; in omnique negotio ſeu domeſtico ſive publico auctorem, & actorem adhibebat. Vix ab ejus reditu annus interceſſerat, cum eum ab urbe revocavit mors immatura Gerrii ſui amiciſſimi, Epiſcopi Fanenſis, qui moriens Ludovico matrem, & fratres commendatos voluit; quibus ille, quantum in ipſo erat, nulla re defuit, omnia fraternæ curæ & pietatis officia præſtitit. Cum Paullus III. longinquam ab Urbe profectionem ſuſcepturus eſſet, ut apud Nicæam Provinciæ urbem cum Carolo Imperatore, & Franciſco Galliarum Rege ageret de pace inter utrumque componenda, & Cardinalem Contarenum in ſuo comitatu eſſe voluiſſet, hic Ludovicum in eo itinere ab ſe abeſſe noluit, cui adminiſtrationem curamque familiæ ſuæ commendavit; quo in munere ea fide, ſedulitate, prudentia ſe geſſit, ut ſibi & Cardinalis benevolentiam auxerit, & omnium domeſticorum amorem conciliaverit. Anno 1539. Reginaldus Cardinalis Polus, de Anglis ad fidem orthodoxam revocandis Legatus decretus tum ad Cæſarem, tum ad Regem Galliæ, a Cardinali Contareno, quocum erat ei ſumma neceſſitudo, Ludovicum ſocium ejus legationis poſtulavit, atque impetravit; hujus ſiquidem conſilio ac ſolertiæ ad rem bene gerendam plurimum fidebat. Sed ea legatio effectu caruit. Anno 1541. cum ipſo Cardinali Contareno legato Apoſtolico ad Conventum Ratisbonenſem profectus, rei Catholicæ adverſus hæreticos non parum profuit. Anno proximo idem Cardinalis Ludovicum ſocium ſibi eſſe voluit, & conſiliarium in legatione Bononienſi, in qua nihil propemodum, niſi ex illius ſententia & conſilio geſſit. Sed vix a ſuſcepta legatione quinque menſes effluxerant, cum optimus & ſapientiſſimus Cardinalis, morte ſublatus, triſte ſui deſiderium bonis omnibus reliquit. Tum vero Ludovicus, tali ac tanto Patrono amiſſo, aulicis & publicis negotiis nuncium remittere decrevit, ſeque ad domum paternam retulit, præſertim cum mater jam fere decrepita ejus ſolatio, & ſubſidio indigeret; ac ſtatuerat eloquentiæ ac bonarum artium ſtudia retenta animo, intermiſſa temporibus, repetere. Verum haud diu ipſi quieto eſſe, & jucundo illo otio litterario frui licuit. Nam non multo poſt e domeſtica ſolitudine in ſolem ac pulverem eum revocavit Marcellus Cardinalis Cervinus, idemque Epiſcopus Regii Lepidi, qui eum juſſit ad urbem illam proficiſci, ut graviſſimas, quæ Vicario generali cum Canonicis erant & Clericis, acerbiſſimaſque diſſenſiones componeret; id quod mira dexteritate, ac tanta prudentia perfecit, ut magnam exiſtimationem & benevolentiam apud Capitulum, & Clerum inferioris ordinis ſibi conciliaverit. Quocirca, cum Vicarius generalis hoc munere ſe abdicaſſet, Canonici & Clerici, ut Ludovicum ſibi Vicarium daret, maximis precibus Cardinalem Epiſcopum exorarunt. Tum primum, ut juriſdictionis eccleſiaſticæ capax fieret, tonſuram, & ſacros Ordines minores ſuſcepit. Munus Vicarii generalis, quod menſes undeviginti pro dignitate ſuſtinuit, & ſumma cum fide ac ſolertia geſſit, translato Cardinali Cervino ad Eccleſiam Eugubinam, anno circiter 1544. depoſuit. Cum vitæ privatæ quietæque miro deſiderio teneretur; ecce tibi nuncius a Cardinali Morono, qui eum ſibi ab epiſtolis eſſe, ejuſque conſilio atque opera ad Legationem Bononienſem uti volebat. Dum operam ſuam Legato aſſiduam ac diligentem præbebat, matri morienti ad extremum uſque ſpiritum aſſedit, & quæ filii amantiſſimi erant, ſuprema pietatis officia præſtitit. Per idem tempus a Paullo III. juſſus eſt Venetias ſe conferre, ut quorumdam Cœnobitarum acerbiſſime inter ſe diſſidentium diſcordias ſedaret; quos ſumma lenitate & prudentia uſus, in priſtinam concordiam reduxit, tanta totius Civitatis approbatione, ut ei Dux & Senatus ſingularibus verbis gratias agendas eſſe duxerint. Cum idem Cardinalis Moronus ad Imperatorem de rebus graviſſimis legatus decretus fuiſſet, Ludovicum difficillimæ illius legationis ſocium ſibi adjutoremque deſtinaverat; ſed a Paullo Perufium accitus eſt, juſſuſque Patavium proficiſci, ut Ranuccium fratris filium, qui tum in eo Gymnaſio litteris operam dabat, in ſuam curam ac diſciplinam reciperet, nec ſolum litterariis præceptis, ſed etiam bonis moribus imbueret, atque ad omne Chriſtiani hominis officium erudiret. Sed vix ſex menſes Patavii tranſegerat, cum eum Pontifex Tridentum miſit anno 1545., ut tribus Cardinalibus Legatis Sedis Apoſtolicæ, & Concilii Tridentini Præſidibus, nimirum Joanni Mariæ de Monte, Marcello Cervino, & Reginaldo Polo ab arcanis, & epiſtolis eſſet. Nec multo poſt, cum neſcio quid gravioris momenti rebus gerendis interceſſerit, Præſidum miſſu Romam profectus eſt, ut Pontifici quo loco res eſſet exponeret, eumque conſuleret quid illis faciundum eſſe judicaret, & quam celerrime potuit, Pontificiis monitis ac mandatis inſtructus, Tridentum rediit. Cum vero Ranuccius Patavio Romam regreſſus, ad Cardinalium numerum aggregatus fuiſſet, eique legatio Picæna decreta eſſet, Pontifex Ludovicum Tridento revocatum, ei conſiliarium adjutoremque adjunxit; in quem Cardinalis totum Legationis onus rejecit, atque ad omnia ſeu decernenda, ſeu gerenda, ipſe quidem nomen atque auctoritatem, Ludovicus vero conſilium atque operam conferebat. Idem Cardinalis Legatus, ut eximiis Ludovici erga ſe meritis aliquam gratiam referret, Epiſcopatum Ravellenſem in Regno Neapolitano ei demandandum a patruo curavit anno 1549. Epiſcopali conſecratione ſuſcepta, ad regendam Eccleſiam ſibi traditam ſtatim proficiſci ſtatuerat; ſed profectionem retardavit mors Paulli III., & Julius III., ei ſubrogatus anno 1550., Pontificiam apud Venetos Legationem Ludovico mandavit, quam biennium pro dignitate ſuſtinuit, & ſuam fidem atque integritatem, prudentiam, agendique induſtriam ſapientiſſimis illis Patribus ita probavit, ut Pontifex, rogatu Ducis ac Senatus, ei Venetam legationem in alterum biennium prorogaverit; quo

Cardinali Morono legato Bononienſi Epiſtolarem operam navat.

Contareno vix functo in patriam redit, ibique moritur.

Fit Epiſcopus Ravellenſis.

Tridentum miſſus ad Cardinales Præſides Concilii Tridentini.

exple-

Digitized by Google

expleto Romam reversum Pontifex Vicarium generalem constituit, simulque sartis tectis curandis Basilicæ Vaticanæ præfecit. Cardinali Morono Legato in Germaniam profecturo ad comitia, quæ Augustæ Vindelicorum de gravissimis rei Christianæ negotiis habenda erant, ei Ludovicum adjunxit, ut ei auctor esset in consiliis capiendis, adjutorque in rebus gerendis; antequam Pontifex eum dimitteret, bono animo esse jussit, sibi cordi esse, ut laborum atque itinerum Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ caussa susceptorum eum non pœniteret; nam reducem, ut graves auctores sunt, illum in Cardinalium Collegium cooptare decreverat. Sed vix iter ingressi fuerant, cum mors repentina Julii III. utrumque revocavit, & spem Ludovico injectam præcidit.

A Paullo IV. Archiepiscopus Ragusiensis creatur.

Erat tunc Romæ Seraphinus Zamagna Patricius Ragusiensis orator a Senatu missus, ut electionem Sebastiani Portici, de qua supra diximus, rescindendam curaret, simulque rogaret Pontificem, ut Ludovicum Beccatellum Metropoli Ragusinæ præficeret. Quod neque ab Julio III., neque a Marcello II. paucorum dierum Pontifice impetrare potuit, Paullus IV. perbenigne concessit, & Ludovicum vinculo, soluto, quo astrictus erat Ecclesiæ Ravellensi, Archiepiscopum Ragusiensem declaravit an. 1555. XIV. Kal. Octobris, ut est in tabulis consistorialibus: *Cum D. Joannes Angelus Card. libere in manibus suæ Sanctitatis omnia jura .... quæ habebat in Ecclesia Ragusina vacante per translationem Sebastiani ad Ecclesiam Fulgin., & Sanctitas sua cessionem hujusmodi duxisset admittendam, ideo absolvit Reverendissimum Patrem Dominum Ludovicum Episcopum Ravellensem a vinculo, quo dictæ Ecclesiæ tenebatur, & ad Ecclesiam Ragusinam transtulit, ipsumque illi in Archiepiscopum præfecit, & Pastorem &c.* Illum Pontifex suis litteris commendatitiis eximiarum ejus virtutum, & præclare factorum testibus ornavit, quæ inscriptæ sunt Senatui Ragusino; & earum partem e tabulis Vaticanis editam a Joanne Fantuzzio in Tomo 2. sui operis de Scriptoribus Bononiensibus pag. 17. hic subjicimus. *Etsi Ven. Fratris Archiep. vestri consilio, & opera uti in animo habebamus ad eas res, quas ad Dei Omnipotentis gloriam, & Sanctæ ipsius Ecclesiæ utilitatem agere, ipso Deo auctore, constituimus, propter spectatam ipsius multis in rebus magno Sedis Apostolicæ commodo integritatem, pietatem, atque prudentiam multaque alia cœlestis gratiæ munera: tamen Ecclesiæ vestræ Pastore orbatæ commodum nostro & Sedis Apostolicæ commodo antepositimus, fratrisque plurimum a nobis in Domino dilecti præsentiæ opportunitate nos privare maluimus, quam non vobis, Cleroque ipsi ac populo maxime idoneum, & nobis probatum Præsulem, ac Pastorem dare &c.* Datæ sunt VI. Id. Octobris ejusdem anni. Intra finem illius mensis Ludovicus Roma discessit, & Anconam profectus, navigium conscendit IV. Nonas Novembris; sed propter adversam tempestatem non ante septimum & tricesimum ab discessu Anconitano diem, Ragusium appulit. Urbem ingredienti obviam processit Clerus populusque, qui eum solemni pompa faustisque acclamationibus in Ædem Cathedralem deduxit. Ecclesiam Pastoris præsentia, & providentia jamdiu destitutam, plurimis incommodis affectam reperit, quæ opportunis remediis indigebant. Cle-

Ragusium venit.

rus a recta disciplina desciverat; pietas Christiana elanguescebat, proventus mensæ Archiepiscopalis, propter neglectam agrorum culturam, decreverant. Nihil studii operæque prætermisit, ut Presbyteros & Clericos a nimia vivendi licentia, dissolutisque moribus ad veterem honestatem, ac vivendi rationem a sacris Canonibus præscriptam revocaret, civium animos ad Deum studiosius colendum, æternæque vitæ cogitationem excitaret.

Ejus de Paræciis in urbe instituendis consilium.

Nulla unquam Ragusii Paræciarum divisio fuerat instituta; una quippe Cathedralis Ecclesia sacrum baptismatis fontem servat; parochialia jura ad Archiepiscopum pertinent, isque octo presbyteros præficit animarum curæ, qui vicariam parochi operam in urbe exerent; catechesis vero Christianæ doctrinæ a presbyteris, per ipsum delectis, traditur in Cathedrali, aliisque urbis Ecclesiis. Cum hanc ecclesiasticiregiminis formam & incommodam civibus & parum salutarem Ludovicus cognovisset, agi cœpit cum Provisoribus urbanis de paræciis aliquot instituendis, qui saluberrimam Archiepiscopi cogitationem maxime probaverunt; atque is eorum sententia & auctoritate fretus sui consilii specimen Senatui exhibendum proposuit, in quo commoda & utilitates urbanæ per paræcias divisionis, & paræciarum numerum ac fines, re etiam cum quibusdam e Canonicorum collegio communicata, ipse accurate prudenterque descripsit; integram autem pulcherrimæ utilissimæque hujus institutionis formam hic subjicimus, quæ uberiori Ragusinæ Ecclesiæ profectui, & animarum subsidio quantum esset profutura, vel ipse sui conspectus manifeste declarat.

Illustrissimi Domini mei.

1 *Post peractam civitatis visitationem, præterito jam Julii mense significavi DD. VV. utili animarum regimini opus esse in primis, ut urbs hæc adeo nobilitate ac celebritate illustris paræciis, in quas dividatur, non careat: Parochi enim sui Præsulis administri & adjutores sunt in animarum procuratione. Quæ paræciarum instituendarum consuetudo ab ipsis Ecclesiæ initiis induci cœpta ubique perstat inter Christianos; &, sicubi uspiam, eam retinere potissimum juvat in hac urbe frequentissima, licet ambitu angusta, in qua Archiepiscopus ipse & natione & lingua civibus advena aliorum maxime indiget auxilio.*

2 *Parochi, inquam, sui Præsulis adjutores sunt; & ex iis quisque commissæ sibi civium parti commodius prospicit, quos semel saltem quovis anno ad divinam Eucharistiam sumendam excipit; unde eorum vitam, utrum Christianæ legi, & Ecclesiæ præceptis sit conformis, inspicere facile potest.*

3 *Præterea provident, nequis suæ ipsorum curæ subjectus absque sacramentorum ope e vita decedat.*

4 *Noscunt etiam egenos, quos pudor prohibet a quærenda vicatim stipe, tum alios, qui eorum subsunt paræciis, quorum inopiam Archiepiscopo produnt iisque qui possunt opitulari; hinc promptius erogatur subsidium, quam si certi non essent Parochi constituti; tum quippe constat satis experientia, & male & negligenter pauperum egestati subveniri.*

5 *Hinc in plebejorum matrimonia apertius licebit invigilare, qui male plerumque nubunt gravi feminarum pernicie, quæ decipi miserrime solent.*

6 Omit-

Digitized by Google

6 Omitto ea, quæ in publicis aut pestilentiæ, aut caritatis calamitatibus multo utilius præstari civitatibus possunt a parochis ita institutis, per quos civium necessitas tutius exploratur, & certius Magistratibus innotescit.

7 De hisce Parochorum sententiam quæsivi, & sanæ mentis quisque consilium hoc maximè probat, cui nihil est quod opponatur; nisi si diabolus zizania serat in quorumdam animis, quos aut avaritia, aut privatæ sui utilitatis cogitatio occupat, queisque rerum confusio in proprium commodum optime vertitur.

8 Quoniam vero hac de cum Provisoribus collocutus sum voluntati ... iens DD. VV., eorum desiderio satisfacere vo... totius consilii rationem hoc commentariolo complexus, ut res ipsa perficiatur, & binc majores mihi animi addantur ad ea præterea exsequenda, quæ aggredi mihimet proposui spiritali ac temporario hujus Ecclesiæ statui profutura.

9 Nequis autem opponat, hujusmodi Paræciarum divisione pias quasdam exercitationes auferri & alia rectè instituta pro animarum ope, certo sciant, velim, DD. VV., nullum ideo pietatis opus interverti; quin unicuique liberum erit, quæ ei lubent, religionis exercitia, & ubilibet confessionem agere, dummodo tempore Paschali suo se sistant Parocho sacram Eucharistiam sumpturi.

10 Et ut rem quodammodo disponamus, & ab aliquo ordiamur principio, quibusdam e Canonicorum collegio adjutoribus, duodecim intra urbem Paræcias descripsi, quas necesse esset instituere, & quamdam veluti ideam effinxi, quam hæc scriptiuncula expressam conspiciant DD. VV. atque perpendant addentes quidquid, aut disjungentes, quod videatur utilius fore. Provisum est, ut capaciores & commodiores Ecclesiæ deligantur.

11 Paræciis constitutis, Parochi iis præficientur, quos curabimus, ut aptiores sint, quam fieri possit, muneri huic; eisque aut proventus aliquos, aut certas eleemosynas, ut par est, tribuere oportebit.

12 Oro itaque DD. VV., ut opus hoc adeo necessarium pio caritatis intuitu inspicere velint, & jubeant confici, ut in navi quodammodo consistens nautis optime instructa illam ad portum salutis, Deo opitulante, deducam. Spiritus Sanctus tum in hoc, tum ceteris in consiliis DD. VV. semper adsistat.

Paræcia Urbanæ.

1 Paræcia Ecclesiæ Cathedralis Marianæ ab ortu contermina Palatio, quod complectitur, ab occasu viæ a D. Barbara nuncupata, hac tamen secluſa, a Boreali parte viæ sutoriæ, ab Austro viæ, quæ recta ad Monasterium S. Simeonis producitur usque ad D. Barbaræ Ecclesiam, hac disjuncta.

2 Paræcia Ecclesiæ S. Joannis contermina ab ortu mœnibus urbis, ab occasu viæ Pobianæ, hac secluſa, a Boreali latere, & ab Austro mœnibus itidem urbis.

3 Paræcia Ecclesiæ S. Stephani contermina ab ortu viæ Pobianæ, ea comprehensa, ab occasu viæ Sciscoevichiæ, a Boreali parte ædibus Archiepiscopalibus, ab Austro mœnibus urbis.

4 Paræcia Ecclesiæ S. Luciæ; ejus fines in ortum via ejusdem Ecclesiæ intra fines ipsos contenta, in occasum domus Ecclesiæ Marianæ de Castello sub ipsa, ut appellant, mortuorum campana, domo eadem per rectam ad D. Simeonis viam comprehensa, in Borealem partem Ecclesia S. Petri, & domus hæredum Orsati Sorgo super Incunam, in Austrum Campana & mœnia urbis.

5 Paræcia S. Barbaræ; cujus fines ab Oriente sole domus S. Mariæ de Castello sub campana mortuorum, nosocomio etiam campana Petri Clobucichii per viam rectam comprehenso, ab occidente via S. Mariæ de Castello, quam continent, a Boreali parte Fornices per viam eundo, quæ proxime ad S. Jacobum de puteis procurrit, & in viam sutoriam desinit, ab Austro Ecclesia S. Mariæ de Castello, ea secluſa.

6 Paræcia Ecclesiæ omnium Sanctorum incipiens in ortum a Monasterio S. Mariæ de Castello usque ad viam sutoriam; ab occasu contermina est nosocomio Domus Christi, & D. Marci ac S. Andreæ Monasteriis usque ad urbis mœnia, nosocomio tamen, & Monasteriis secluſis; a parte Boreali per viam sutoriam finitur, ab Austro mœnibus urbis & Monasterio S. Mariæ de Castello.

7 Paræcia Ecclesiæ S. Jacobi finit in ortum cum via S. Barbaræ, hac contenta, in occasum cum Ecclesia S. Claræ, & partim cum Ecclesia omnium Sanctorum, in latus Boreale cum majori platea, & in Austrum per viam sutoriam.

8 Paræcia Ecclesiæ S. Blasii, ab ortu finitur Palatio Rectoris, hoc excluso, ab occasu via S. Barbaræ, hac excluſa, a Boreali parte per majorem plateam, ab Austro per viam sutoriam.

9 Paræcia Ecclesiæ SS. Petri & Laurentii; ejus fines via aurificum ab ortu, quam comprehendunt, ab occasu via S. Franciſci, a latere Boreali cum via Priechia per viam communem, ab Austro cum majori platea.

10 Paræcia Ecclesiæ S. Nicolai Confessoris contermina in ortum horreis publicis & Ecclesiæ S. Jacobi, ab occasu viæ ædiculæ S. Viti, ab Austro viæ Priechiæ.

11 Paræcia Ecclesiæ Sanctæ Transfigurationis, quam in ortum finit via S. Viti supra Priechiam, ea excluſa, ab occasu via Ecclesiæ, ea itidem excluſa, in partem Boream urbis mœnia; ab Austro via Priechia.

12 Paræcia Ecclesiæ Ascensionis ab ortu cum via S. Transfigurationis, hac incluſa, finitur, ab occasu cum via S. Franciſci, a Boreali parte cum mœnibus urbis, ab Austro cum via Priechia.

Paræciæ extra Urbem.

13 Paræcia Ecclesiæ S. Antonii ad Plozzam extra urbem ab ortu finitur cum Ecclesia D. Urſulæ ad montem, qui in Brenum vergit, Ecclesia ipsa comprehensa, ab occasu cum molendinis positis sub monte, iis secluſis, a latere Boreali cum villa Bosanchia quatuordecim solummodo domibus comprehensis, qui adjacent latifundio Marini Gozzii, & Petri Gerusæ, ab Austro cum mari.

14 Paræcia Ecclesiæ S. Andreæ extra urbem, quæ ab ortu contermina est portæ urbis & molendino in fovea sito per viam, quæ recta in montem ascendit, molendinis omnibus comprehensis, iis etiam, qui sub monte siti sunt, ab occasu latifundio Joannis & Stephani Marini Gozzii per viam, quæ recta pergit ad mare, & canali ad montem usque SS. Sergii & Bacchi, ab Austro Ecclesiæ S. Mariæ de Danziis, & Castellum S. Laurentii, hoc secluso.

DD. VV. obsequens

Ludovicus Archiepiscopus Ragusinus.

Et

Et Ludovici quidem consilium perhonorifico Senatus decreto probatum fuit, ut constat ex lib. Excell. Consilii Rogat. *Die 10. Novembris 1556. Martis, prima pars de acceptando erectionem 12. Parochiarum factam per Reverendissimum D. Archiepiscopum nostrum D. Ludovicum Beccatellum secundum formam sui memorialis per 27. contra 13.* Sed, quam ob caussam nescio, ejus perficiendi facultas nunquam patuit.

Ejus præclare facta.

Inter hæc Mensæ Archiepiscopalis curam non negligebat; illius fundos sedulis agricolis locavit, ac præsertim agros insulæ Jupaniæ, cum essent inculti, & mapalibus carerent, villa ibidem exstructa, cultissimos fructuosissimosque reddidit. Quinque ipsos annos hanc Ecclesiam sine ullius offensione, magnoque omnium Civitatis ordinum approbatione gubernavit. Summam illius eruditionem, rationem atque prudentiam rei ecclesiasticæ gerendæ, sollicitam Christianæ institutionis curam, flagrans ad omnia religionis opera studium, effusam in egenos & miseros beneficentiam omnes suspiciebant, atque admirabantur, tantaque erat ejus affabilitas & comitas cum gravitate & auctoritate conjuncta, ut existimationem simul & benevolentiam omnium sibi conciliaret, ac difficile erat intelligere utrum eum magis revererentur, an diligerent. Lubet hoc in loco describere partem quamdam ex Italo in latinum sermonem versam epistolæ Joannis Baptistæ Amalthei, qui ab epistolis erat Reipublicæ Ragusinæ, missæ Venetiis VII. Kal. Novemb. an. 1560. ad Nuscimbenem Nascimbenium, qua illum invitat, hortaturque ad publicum docendi Ragusii humaniores litteras munus; est enim Ludovico, ac Ragusinæ civitati perhonorifica. *Stipendium*, inquit,

Joannis Baptistæ Amalthei Epistola.

constat nummis aureis ducentis majoris pretii, quos ducatos, & decem argenteis pro conducenda domo, quos scuta vocitant; ejusque summa triginta, ni fallor, supra ducentos argenteis nummis conficitur. Verum tamen est, augeri lucrum posse supra trecentos nummos argenteos præter stipendium; in more etenim civitatis positum est, patriciorum, aut popularium virorum funera publica plerumque oratione ab humaniorum litterarum doctore honestari, cui candelis aliquot, & uno saltem argenteo nummo, sæpe autem quatuor, aut quinque, aut decem, modo pluribus, modo paucioribus gratificantur propinqui; sileo vero privatorum largitiones, privilegia, & publica munera plurimi æstimabilia. Optima est cæli temperies; delicatissimis carnibus, vinis, piscibus, ac fructibus adeo abundat regio, ut quinquaginta, aut sexaginta nummi argentei tuo victui, & famulo uni, unique famulæ alendis sufficiant.

Perhonorificum munus est, quippe principis Magistri, cui duo alii subsunt, in libera republica, eaque illustri, tutissima, quietis ac tranquillitatis plena, in qua suus virtuti honos est, & ingens illius existimatio, omnesque hujusmodi Magistros diligunt, colunt, & summa benevolentia complectuntur.

Suavissima vero, & nobilissima tibi erit Ragusiensium ex ordine patricio consuetudo, atque advenarum, quos inter, ut aliquos nominem, forte fortuna tibi fama cognitus est Ludovicus Beccatellus Archiepiscopus Ragusinus, cujus eximiæ dotes quemquam tui similem egregium hominem huc ad veniendum libenter impellerent. Bernardinum Paternum nosces, & Cæsarem Buzzacarenum Medicos, ac viros illustres, Franciscum Parisium, Marinum Sfondratum Cardinalis vita jam functi consobrinum, & Guillelmum Dondinum, Italos omnes, & ab epistolis Reipublicæ, in quibus germanos Italiæ mores, & Italam humanitatem perspicies. Quid porro de ipsis Ragusiensibus patriciis scribam? quorum sic existimes velim summam esse bonitatem, liberalitatem, magnificentiam, affabilitatem. Ego etiam, & frater meus tui erimus, qui Reipublicæ inservimus. Dies festi plures, quam in Italia, aguntur, multi feriati, & menstrua per autumnum studiorum vacatio conceditur. Mirum porro, quantum æstivo tempore villæ quædam delectent, & amœna loca aucupio, venatui, piscationi opportuna &c.

Anno 1560. Romam adiit, quo illum gravissima Ecclesiæ suæ negotia expedienda impellebant. Pius IV., Paullo IV. suffectus, antea Angelus Cardinalis Mediceus, & Archiepiscopus Ragusinus, Ludovicum perhumaniter excepit, & negotiis, quorum causa venerat, e sententia confectis, cum ad suam Ecclesiam redire maxime cuperet, Pontifex discedere vetuit, & cum ad Concilium Tridentinum jamdiu intermissum revocandum & absolvendum jam suos Legatos Tridentum præmisisset, eos Ludovicum sequi jussit, quingentis aureis ultro nec petenti traditis, ut haberet, unde necessarios sumptus in profectionem & commorationem Tridentinam faceret.

A Pio IV. Tridentum ad Concilium mittitur Ludovicus.

Contigit hoc tempore, clerum Ragusinum secundi ordinis, qui Ædi cathedrali inserviebat, gravi sui detrimento, & Ragusiensis Ecclesiæ dedecore ea pensione haud raro caruisse vel partim, vel omnino, quam illi erogari decreverat Alexander VI. e mensa Capitulari. Huic incommodo ut occurreretur, ab ipsis Canonicis statutum fuit, ut certo anni die pecunia Clero eidem debita persolveretur; siqui vero Canonici injunctam e suis proventibus portionem non contribuerent, pecuniaria multa pœnam denegatæ pensionis luerent, ipsumque multæ pretium ex illorum sacerdotio detractum Procuratoribus Capitularibus, qui minoris cleri pensionem exigunt, mercedis cujusdam, seu muneris loco deberetur. Canonicorum decretum Pontifex confirmavit, ejusque assensum ac voluntatem Raynutius Presbyter Cardinalis S. Angeli Ragusiensi Capitulo hisce litteris significavit.

Raynutii Card. S. Angeli litteræ ad Canonicos Ragusinos.

Raynutius miseratione divina S. Angeli Presbyter Cardinalis dilectis in Christo Archidiacono, Canonicis, & Capitulo Ecclesiæ Ragusinæ sal. in Domino. Ex parte vestra nobis oblata petitio continebat, quod cum ex antiqua, & per continuam observantiam approbata consuetudine, cujus initii memoria hominum non existit, Ecclesiæ Ragusinæ per certum numerum Presbyterorum, qui Capellani nuncupantur, & qui per Canonicos pro tempore existentes ejusdem Ecclesiæ ponuntur, & amoventur, deservire consueverit, & pro Capellanorum hujusmodi mercede certæ pecuniæ de vestra mensa Capitulari constitutæ sunt, quæ per diversos Canonicos exigi, & persolvi solent. Vos nuper provide attendentes, quod sæpe contingebat, quod pecuniæ præfatæ cum difficultate, & non sine maximo scandalo, & Ecclesiæ detrimento, ac ipsorum Capellanorum incommodo a præfatis Canonicis exigebantur, & volentes hujusmodi incommodis, & incon-

inconvenientibus providere capitulariter, ut moris est, congregati statutistis & ordinastis, quod de cætero perpetuis futuris temporibus pecuniæ præfatæ quadam die ad hoc constituta pro annuo servitio dictis Capellanis persolvi debeant, & si aliquis Canonicorum pecunias per eum tunc debitas ea die in Capitulo pro satisfactione dictis Capellanis facienda non reportaverit, tali exactione perpetuo privatus existat, & de sua prebenda de melioribus pecuniis quadraginta Perperi monetæ istarum partium vel alia summa pro pœna extrahantur, & Procuratoribus ipsius Capituli, qui pecunias præfatas pro solutione dictorum Capellanorum exigere debeant, applicentur ac alias prout in statuto, & ordinatione hujusmodi, quæ de communi consensu per vos etiam medio juramento approbata fuerunt, dicitur latius contineri. Cum autem, sicut eadem subjungebat petitio, quia firmiora sunt ea, quibus Apostolicæ Sedis intercedit auctoritas, vos cupiatis statutum & ordinationem hujusmodi pro illorum subsistentia firmiori Apostolicæ confirmationis munimine roborari, supplicari fecistis humiliter, vobis super his per Sedem eandem de opportuno remedio misericorditer provideri. Nos igitur dictorum statuti, & ordinationis tenorem, ac si de verbo ad verbum inseretur præsentibus pro sufficienter expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Domini Papæ, cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, & de ejus speciali mandato super hoc vivæ vocis oraculo facto, statutum & ordinationem præfatos, Ordinario illis non contradicente tenore præsentium approbamus & confirmamus, illisque perpetuæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos tam juris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus, eaque, ac consuetudinem ponendi, & amovendi Capellanos præfatos, ut præmittitur, in viridi observantia existentem perpetuo inviolabiliter observari. Sicque per quoscunque tam Ecclesiasticos, quam seculares Judices & personas cujuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis existant, & quacumque etiam Pontificali præfulgeant dignitate, vel auctoritate, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, quidquid secus scienter vel ignoranter contigerit attemptari, decernimus, non obstantibus Apostolicis, & tam provincialibus, quam synodalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, dictæque Ecclesiæ etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis per nos, vel alios Rom. Pontifices in præjudicium præsentium quomodolibet forsan concessis, confirmatis & innovatis, quibus omnibus illorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserterentur præsentibus, pro sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub sigillo Officii Pœnitentiariæ Nono Kalendas Octobris, Pontificatus Domini Pii Papæ Quarti anno secundo. — F. Donatus.

Extra. Vide in libro Diversorum Not. Ragus. sub die ultima Decembris 1562. pag. 217., ubi RR. DD. Marinus de Caboga Archidiaconus, Dominus Nicolaus Gozzius Archipresbyter, & idem Dominus Marinus; ac Dominus Michael de Bona Canonicus tamquam Procuratores Capituli DD. Canonicorum Ecclesiæ S. Mariæ declaraverunt, se nolle, quod per impetrationem præsentium litterarum aliquod præjudicium inferatur Bullæ, quam magnificus Dominus Rector & Consilium obtinuerunt a fel. recor. Alexandro Papa sub datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1496. sexto Kal. Februarii, Pontificatus sui anno quinto, ut ibi latius continetur in instrumento, ad quod habeatur relatio.

Ludovicus anno 1561. mense Octobri Tridentum pervenit. In angustissimo illo summorum ac principum virorum conventu, multa & egregia sapientiæ, integritatis, & eruditionis specimina dedit; ejusque doctrina atque opera Præsides Cardinales in privatis congressibus sæpissime utebantur; præsertim vero cum de iis agebatur, quæ ad reformandos Cleri & populi mores pertinebant, nullius offensionem veritus, quam coram Deo putabat esse utiliorem Ecclesiæ, sententiam libere fideliterque dicebat. Erat Tridenti Joannes Strozzius Orator Cosimi Magni Ducis Etruriæ apud Patres Tridentinos, qui Ludovicum nihil minus cogitantem nomine ejusdem Ducis rogavit, ut administrationem Archiepiscopatus Pisani susciperе vellet, quem Joannes Cardinalis Mediceus Archiepiscopus vita functus intra finem anni 1561., gubernatore destitutum reliquerat; spemque haud dubiam illius potiundi fecit. Præterea summis precibus ab eo postulavit, ut Fridericum alterum Cosimi filium admodum adolescentem, non ita pridem titulo & insignibus Cardinalis ornatum, in suam disciplinam reciperet, bonis litteris ac moribus imbuendum. Ægre tulit Ludovicus se ab Ecclesia Ragusina sibi carissima divelli; & pro spe oblata tam illustris opulentique Sacerdotii obtinendi, ac tam honorifico de se judicio, cum maximas gratias egisset, respondit se sui juris non esse, sed e summi Pontificis voluntate nutuque pendere; proinde cum illo agendum esse, quidquid ille jusserit, id vero sine mora facturum. Pontifex non solum Ducis voluntati morem gessit, sed etiam Ludovico potestatem fecit ejus nominandi, quem sibi in Sedem Ragusinam subrogari vellet; simulque suis Legatis Tridentinis mandavit, ut Ludovicum quamprimum Florentiam dimitterent; quem Dux & Cardinalis perofficiose ac peramanter acceperunt. Antequam Ragusinum Archiepiscopatum deponeret, quatuor insignes viros & sacerdotio dignos, & tanto muneri aptos selegit ac nominavit, videlicet *Cyrillum Commendatorem S. Spiritus, Angelum Justinianum ex Ordine S. Dominici, Franciscum Martellum, & Chrysostomum Calvinum Monachum Benedictinum*; Ragusinis potestatem optionemque fecit, ut ex his, quem maxime vellent, eligerent. Illi vero cæteris Calvinum prætulere, quem etiam ante aliquot annos sibi Archiepiscopum dari cupiebant, illumque summopere a Romano Pontifice postulaverant.

Jubetur suscipere administrationem Archiepiscopatus Pisani, spe illius potiundi oblata.

Ludovicus cum Cosimo Duce, & Friderico ejus filio, cum in exitu jam esset annus 1563., Pisas migravit. Sex menses ibidem transegit, quos partim ad regendam illam Ecclesiam, partim ad Fridericum bonis artibus ac disciplinis instituendum contulit. Interea titulum dignitatemque Archiepiscopi Ragusiensis retinebat.

Non

Non deerant Romæ, qui ejus commodis atque ornamentis adversarentur, eique desponsam Ecclesiam Pisanam inviderent; horum opera retardari constabat litteras Pontificias, quibus Ludovico dimittendi, Chrysostomo Calvino suscipiendi Sacerdotii Ragusini potestas fieret. Vehementer illi dolebat, quod Ecclesia Ragusina tamdiu Pastoris præsentia & providentia careret, idque sibi religioni habendum putabat; & parum abfuit, quin abjecto ejus abdicandæ consilio, re adhuc integra, quamprimum ad ejusdem administrationem resumendam se conferret; præsertim cum spem adipiscendi Archiepiscopatus Pisani Angelus Nicolinus ademisset, qui eumdem anno 1564. mense Junio obtinuit. At Cosimus Magnus Etruriæ Dux, ne Ludovicus longius ab sua ditione discederet, cujus consilium & operam in quibuslibet arduis, ac difficilioribus negotiis expediendis, sibi opus esse censebat, Præposituram Ecclesiæ Pratensis opulentam in primis ac nobilem eidem contulit; cujus in Ludovicum liberalitatem hisce carminibus ornavit Marius Columna Romanus, elegans illius ævi poeta; eisque titulum præfixit.

Ad Cosmum Medicem de ipsius liberalitate in Ludovicum Beccatellum Archiep.

Quis celebrare novam digno nunc carmine possit,
Quem tibi, Cosme, parit laudem tam grata voluntas?
Quod fessæ requies tam tempestiva senectæ,
Et tempestatum portus, quas pertulit olim,
Sancto homini & docto per te, Dux magne, paratus;
Cujus summa fides pietasque & maxima longe
Religio & morum candor gratissima Divum
Concilio apparent, castæ cui rite Camœnæ
Et Phœbus pater ipse favet &c.

Natum dignitatemque Archiepiscopi Ragusini retinuit.

Præpositus Ecclesiæ Pratensis eligitur.

At postquam Ludovico facultas quidem relinquendæ, Calvino adeundæ Ragusiensis Ecclesiæ data est, ad gubernacula Ecclesiæ sibi traditæ alacer ac lætus accessit; seque aulicis curis, & negotiis solutum esse magnopere gavisus est; ut liberius sibi litteris, Deo, reique Christianæ & Ecclesiasticæ vacare posset. Annos fere septem Clero populoque Pratensi summa vigilantia & sedulitate præfuit; & nihil prætermisit, quod ad disciplinam clericalem vel restituendam, vel stabiliendam, ad laicorum mores reformandos, ad Christianam pietatem excitandam, divinumque cultum augendum pertineret. Sæpius quidem litteris perofficiosis tum amicorum, tum Cosimi Ducis, & Friderici Cardinalis, alias Romam, alias Florentiam invitatus fuit, spe amplissimarum dignitatum objecta, numquam tamen ab statione Pratensi, & sui gregis custodia abscedere voluit; nisi quod interdum Bononiam solebat digredi ad revisendos consanguineos & amicos, eoque functus officio, Predalbinum in villam paternam secedere; cujus amœnitate, otio, solitudine mirifice delectabatur, ibique paucos dies commoratus cum fuisset, ad suam Ecclesiam se referebat. Postremis annis valetudine parum prospera usus est, neque tamen hujus incommodis se prægredi patiebatur, quominus omnia sui sacerdotii munera & officia exsequeretur. Extremo vitæ anno, qui fuit æræ vulgaris 1572., apoplexia percussus, & motu, sensuque fere omni lateris dexteri amisso, menses quinque lectulo affixus exegit, idemque apoplecticus ictus, cum in eum Septembri mense vehementior ingruisset, intelligendi quidem integram reliquit, sed audiendi, videndique facultatem eripuit. Demum Idibus Octobris, post Ecclesiæ Sacramenta pie suscepta, placide animam efflavit. Funebri ac solemni pompa elatus, invectusque in Ædem S. Stephani, primariam oppidi Pratensis, ibidem honorifice sepultus est.

Ejus obitus.

Sebastianus Dolci in Fastis, Ludovicum adscribit tertio Ordini S. Francisci, *ut in Provinciæ tabulis adnotatum a Jacobo de Luccaristano Provinciali Ministro, & dein Mercanensi Episcopo.*

Statura fuit mediocri, grato placidoque aspectu, corporis habitudine subpingui, valetudine tenui, crebris, dum adolesceret, sed levibus morbis obnoxia, quos somno & inedia curabat, ætatis vero maturitate plane discussit. Erat natura paullo fervidior, atque ad iram proponsior, ut plerique homines vividi, & solertis ingenii; sed accurata meditatione, & pertinaci exercitatione patientiæ ita seipsum edomuit, ut inditos iracundiæ igniculos, statim atque excitarentur, compesceret. Animus & vultus in utraque fortuna semper idem, neque rebus adversis dejici, neque prosperis efferri solebat. Divitias contempsit, in victu cultuque frugalitatem non incomptam amavit. Proventus Ecclesiasticos numquam quæsivit, oblatos non illos quidem omnino respuit, sed ut acciperet, si non cogendus, certe hortandus fuit: nihil enim esse in vita magnopere expetendum censebat, nisi honestatem ac laudem. Quamvis autem neque paternis, neque Ecclesiasticis bonis abundaret, tamen erga omnes, præsertim familiares ac domesticos liberalis erat, & munificus. Amabat æquitatem, oderat lites, & si quæ ad suum tribunal delatæ fuissent, eas sine partium dispendio ex æquo & bono componere malebat, quam forensibus disceptationibus committere, & jure summo dijudicare. Litteras præsertim politiores Græcas Latinasque, & homines litteratos summopere coluit, qui ejus erudita consuetudine & familiaritate mirifice delectabantur: in his fuerunt doctissimi quique & principes viri illius ætatis, Petrus Bembus, Jacobus Sadoletus, Reginaldus Polus, Fridericus Fregosius, Gaspar Contarenus, Bernardinus Maphæus, Joannes a Casa, M. Antonius Flaminius, Cosimus Gerrius, Aloysius Priolus, Petrus Aretinus, Petrus Victorius, Paullus Sacratus & alii plures, quos tam arcta sibi amicitia devinxerat, ut nisi eorum morte dirimi potuerit. Extant binæ Prioli epistolæ ad Ludovicum inter epistolas typis vulgatas Reginaldi Poli; altera Londino scripta fuit idib. Decemb. anno 1556. ubi tum Priolus aderat Reginaldo Pontificis legato ad regem Britanniæ; quam ita exorditur. *Domine plurimum mihi reverende, & summa observantia dignissime. Ita enim videntur mihi esse merito nuncupandi Episcopi omnes, nedum Archiepiscopi, qui in suis Ecclesiis commorantur.* Tum se ad illum mittere scribit epigrammata duo Italica Joannis Francisci Stellæ; de restituto Londini principe Monasterio S. Benedicti, & indicta per Hispaniam Cœnobiorum ejusdem Ordinis visitatione certiorem facit; quæ nuncia Chrysostomo Calvino, & Melitensi Benedictinæ sodalitati gratissima fore confidit; illum denique a Legato plurimum diligi, & plurima salute

Habitudo corporis & animi.

Cultus litterarum & hominum litteratorum.

imper-

Digitized by Google

impertiri teſtatur. In altera vero poſt Reginaldi obitum miſſa Londino idibus Juniis anni 1559. deſiderium ſuum redeundi in Italiam Ludovico ſignificat, cupere ſe tamen magis ipſum inviſere, & una cum Chryſoſtomo reliquum ſuæ vitæ tempus Raguſii tranſigere, eorumque frui conſuetudine, quorum cauſſa Raguſienſe domicilium amœnioribus Italiæ locis præferret libentiſſime; tum mirari, & de hoc ſæpe cum Reginaldo collocutum eſſe, providum ſupremi Numinis conſilium, & paternam erga Ludovicum curam, qua impediverit, ne ab Eccleſiæ ſuæ regimine diſtraheretur in alia utiliora divinæ gloriæ, at periculoſiora munera, quibus ſuſtinendis cæteroquin aptiſſimus eſſet: gratias egit de epiſtola conſolatoria ab illo accepta, cujus lectione animi ſui triſtitia & mœror mirifice levatur; & aliam ad ſe delatam *Chryſoſtomi ſuaviſſimi* epiſtolam innuit, *eximia viri pietate & benevolentia plenam, ac brevibus quidem monitis, at ſpiritali ſucco fluentibus*, quæ & ſcire ſe cupit, quo modo exſequatur, & exſequi poſſe.

Apud Summos Pontifices, præſertim Julium III. & Marcellum, præcipuum gratiæ, & benevolentiæ locum obtinuit; & cum uterque Ludovicum in Collegium Cardinalium cooptare decreviſſet, mors utriuſque hanc illi proximam a ſumma dignitatem intercepit. Quin Philippus II. Rex Hiſpaniarum, cum unum e ſingulis nationibus Cardinalem fieri optaret, ex Italica Ludovicum Beccatellum deſignavit, ut tradunt Chriſtophorus Cardinalis Madrucius Epiſcopus Tridentinus, & Philippus Gerrius Epiſcopus Aſſiſienſis, qui tum in Aula regia Hiſpanienſi verſabantur. Eximia ejus fuit erga Deum religio; erga parentes, præſertim matrem, pietas ac reverentia; his quippe, ſecundum Deum, bonam indolem & ſolertem educationem acceptam ferebat. Dum adhuc laicus eſſet, nullum fere diem intermiſit, quin preces canonicas pie attenteque recitaret; ſæpe autem, ac præcipue ſolemnioribus diebus animæ noxas ſacra confeſſione expiabat, & Sacroſanctæ Euchariſtiæ myſteria percipiebat. Poſtquam vero Sacerdotio initiatus fuit, ſemel ſaltem ſingulis hebdomadis rem divinam faciebat; quod ferme inſolitum erat illis temporibus; religioni vero habuit vel unam diem præterire, quin ſacrificio intereſſet. E plurimis ſelectiſque codicibus tum Græcis tum Latinis Bibliothecam confecerat ſane copioſam, quam loco hæreditatis Artemiſio, & Vincentio fratris filiis, lectiſſimis adoleſcentibus, teſtamento legavit. Ut vero gratum animi ſui ſenſum Coſimo Magno Etruriæ Duci ſignificaret, qui litteratorum hominum ſtudiis mirifice delectabatur, & inſtructiſſimam veteſtiſſimorum Codicum Bibliothecam Florentiæ jam inſtitutam augere magis magiſque pretioſis antiquitatis monumentis ſollicite curabat, eidem tres codices e ſua libraria ſupellectili ademptos dono obtulerat anno 1569. quos Bandinus commemorat in Catalogo Codd. Græcor. Bibliothecæ Mediceæ Laurentianæ. Ex hiſce primus complectitur *D. Baſilii varia*, & eſt viceſimus ſeptimus numero in loculo IV.; alteri decimotertio loculi LIX. inſunt *diverſorum ſcriptorum opera varia*; tertius vero, qui eſt ordine decimus quintus in loculo LXXXV., continet *Plotini Enneades VI. & Maximi Tyrii Diſſertationes XI.* ſingulis autem hæc verba inſcripta ſunt: *Ludovicus Beccatellus Bononienſis Archiepiſcopus Raguſinus & Præpoſitus Pratenſis Mediceæ Bibliothecæ dicavit MDLXIX.* Multa ingenii & eruditionis ſuæ monumenta reliquit, tum Latina, tum Itala; & ex iis quidem typis edita fuit Vita Italica Franciſci Petrarcæ, tum Petri Bembi, Reginaldi Poli, & Caſparis Contareni; cetera manu ſcripta ſervantur in Bibliotheca Familiæ Beccatellæ Bononienſi, quæ ſunt hujuſmodi, partim Italo ſermone ſcripta, nimirum *Notationes in Hiſtoriam ſuperioris Æthiopiæ*, *Ratio & tempus corrigendi ſcripta Franciſci Petrarcæ*, *Liber de ratione ſuipſius cognoſcendi*, *Commentarii Hiſtorici de rebus in Italia geſtis a Caroli Magni ætate uſque ad an. 1560.* *Liber de Rethorica*, *Narrationes rerum a Contareno & Quirino Venetis patritiis geſtarum*, *Narrationes de quorumdam in Romano conclavi Pontificum electione*, *Volumina decem epiſtolarum* vel ſuo vel alieno nomine ſcriptarum, *varia &* multa *Carmina Etruſca*; partim vero latine, ſcilicet, *de Deo & Angelis bonis & malis*, *de Fortuna, & caſu*, *Introductio in Ariſtotelis moralia*, *Cenſura de quibuſdam libris Ariſtotelis, & de Amicitia ad Antonium Gigantem*, *Tractatus de immortalitate animæ*, *Scholia in epiſtolis D. Paulli ad Rom. & in Actibus Apoſtolorum*, *Orationes variæ*. Scripſit præterea latina lingua *Chronologiam univerſalem a Nini regno uſque ad Chriſtum & exinde uſque ad an. 1550.*, & Italica, librum cui titulus, *utrum nubere magis expediat, an non*, & alterum *de civili & Chriſtiana liberorum inſtitutione*, tum *Chronicon Raguſinæ Civitatis*, & *Hiſtoriam Concilii Tridentini*; ſed ubi lateant, incompertum eſt, ait Joannes Maria Mazzuchellius in hiſtoria Italorum litteris illuſtrium. Quanti porro fierent doctiſſimi viri ſcripta, & litterarii labores, teſtatus eſt Marius Columna hoc latino epigrammate in libellum neſcio quem ex hiſce a Ludovico deſcriptum.

Felicem vitam Muſis & Apolline digno
Depictam calamo cupiat qui cernere, librum
Te legat aureolum; ſed, ſi pietate boniſque
Moribus ornatus felicem degere vitam,
Omnia metiri & modulo deſideret apte,
Auctoris magni, qui te conſcripſit, honeſtos
Aſſiduus mores & facta imitetur, ametque;
Tunc erit & verbis & re tum denique felix.

Quædam etiam ſuperſunt opellæ Ludovico honoris cauſſa inſcriptæ; nam Aldus Manutius libellum illi dicavit an. 1556. *de elegantiis utriuſque linguæ Latinæ & Etruſcæ*, Achilles Bocchius ſeptimam ſupra ſeptuageſimam e *Symbolicis* ſuis *Quæſtionibus* ejus nomine ornavit, & Benedictus Varchius decimam quintam *Lectionum* ſuarum eidem inſcripſit.

Nunc reliqua, quæ ad ejus Archiepiſcopatum Raguſienſem pertinent, huc rejecta, ne ſeriem rerum, quas e Gigantio majori ex parte retulimus, interrumpere cogeremur.

Ludovici Archiepiſcopi adventum in Urbem, quem Gigantius in menſem extremum anni 1555. rejecit, revocari oportet ad menſem Majum vel Aprilem ejuſdem anni, ſi ſtandum eſt auctoritate *libri Decretorum* Senatus, quem citat Sebaſtianus Dolci; in quo dicitur ab Rectore Civitatis, permiſſu Senatus, Ludovicus ad prandium invitatus fuiſſe *die 16. Maji, anno 1555. D. Rector poſſit vocare Archiepiſcopum ad prandium, attento quod in itinere ſummam*

Religio & pietas.

Ejus Bibliotheca, & opera ſcripta.

Adventus Ludovici Romam an. 1555. in quem menſem inciderit.

Digitized by Google

mam cum eo contraxit familiaritatem. Ex quo fit adventum Ludovici retrahendum esse ad mensem Aprilem, vel Majum ejusdem anni 1555, cum cæterequin Gigantius tradat, neque ante mensem Octobrem creatum fuisse Archiepiscopum, neque ante mensem Decembrem ejusdem anni 1555. Ragusium pervenisse. Vereor ne in illo *Libro Decretorum*, vel in mensem, vel in annum irrepserit mendum; & vel anno retento 1555. Decembrem pro Majo substitui oporteat, vel Majo retento, annus 1556. proximus post ejus adventum, inscribi debeat. Neque enim Ludovicus creari potuit Archiepiscopus Ragusiensis, antequam Paulus IV. vinculum dissolveret, quo Sebastianus Porcius Ecclesiæ Ragusinæ astrictus fuerat, eumque ad Sedem Fulginatem transferret *anno* 1555. ut est apud Ughellum, VIII. Idus Julii. Si ergo hoc anno ac die, Sebastiano Ecclesia Fulginei, Ludovico Metropolis Ragusina decreta fuit; hic mense Majo, & anno 1555. neque Ragusii esse, neque a Rectore ad prandium invitari potuit. Si vero cum Seraphino Razzio in annum superiorem 1554. Ludovici electionem retrahimus, contra quam docent Gigantius, & Ughellus, tunc ejus adventus referri potest ad mensem Aprilem vel Majum anni 1555. & sua quidem auctoritas *Libro Decretorum* constabit; sed Gigantii & Ughelli fides concidat necesse est. Ex his duabus epochis, altera ab Gigantio tradita, altera libro Decretorum inscripta, quæ inter se cohærere nequeunt, utram velis, alteri præferas per me licet. Cæterum inscriptio ædibus Archiepiscopalibus rusticanis affixa in insula Jupana, quam Tauridem appellat, nuper, postquam hæc scripseram, accepta, retinere jubet annum Archiepiscopatus ab eo suscepti 1555, qui cum anno secundo 1557. ab ejus in Dalmatiam adventu recte conjungitur.

Ludovicus Beccatellus Bononiensis
Archiepiscopus Ragusinus
Tauridis insulæ salubritate allectus
Ecclesiæ fundum situ ferme obductum
Vite multiplici consita exhilaravit
Suoque commodo & successorum consulens
Priscis ædibus restauratis novas addidit
Cum horto & duplici Cisterna
MDLVII.
Anno ab ejus in Illyricum adventu II.

Ludovicus in regenda Ecclesia ita se gessit, ut partes omnes optimi ac diligentissimi Episcopi cumulate expleverit; ita omnibus satisfecit, ut cum multa in eo, quæ laudarent, nihil quod reprehenderent, reperirent. Ab omni fastu & moribus imperiosis abhorrebat; in victu, vestitu, supellectili, ornatuque palatii mediocritatem illam tenuit, quæ est inter nimium & parum, quæ dignitatem Episcopalem neque excedit, neque dedecet. Ædes Pontificias hospitibus illustribus ac præsertim litteratis patere volebat, & quotidie fere aliquos viros primarios, vel amicos ad mensam invitabat, lautam illam quidem, non tamen sumptuosam. Benignum se atque affabilem erga omnes præbuit; sed comitatem ita cum gravitate miscebat, ut neque facilitas de auctoritate, neque severitas quidquam de suavitate detraheret. Clari disciplina, & recta institutio maxime illi cordi fuit, quam suis sapientissimis decretis, & probatissimis exemplis restituit ac firmavit. Schulam in Palatio Clericis aperuit, quibus ipse divinas litteras statis diebus interpretari solebat; quorum gratia præclaros Commentarios in Epistolam S. Pauli ad Romanos, itemque in acta Apostolorum confecit. Singulis festis diebus cum Canonicis choro interesset, & divinæ Psalmodiæ, cæterisque sacris functionibus operam dabat. Patrimonii Ecclesiastici quod supererat, large effuseque erogabat in pauperes; quorum causa parum abfuit, quin apud quosdam primarios senatores offenderet; quippe administrationem atque distributionem piorum legatorum, quæ ad pauperum inopiam sublevandam relicta fuerant, ad se atque ad successores suos Archiepiscopos revocare decreverat, quod per ecclesiasticos rectius & fidelius, quam per laicos homines, administrari ac distribui posse existimabat. Huic decreto vehementer ab illis, quos dixi, senatoribus reclamatum est; tantaque fuit repugnandi contentio & obstinatio, ut, ne in apertam discordiam erumperet, ab eo conando, quod sine gravissima offensione obtinere non poterat, deslitere oportuerit. Neque illud efficere potuit, quod sapientissime constituerat, ut Civitatem in plures parœcias divideret, quo melius consultum esset commodis utilitatique plebis Christianæ; cum unica esset in Æde Cathedrali Parœcia, & unicus Parochus, qui curam animarum gereret, cui tamen non deerant e Clero adjutores, quorum opera vicaria uteretur.

benignitas erga pauperes.

Ludovici modestia & parsimonia.

affabilitas.

cura Clericalis disciplinæ & doctrinæ.

Antequam Ludovicum Ragusio discedentem in Italiam prosequamur, inserenda hic videtur epistola Card. Reginaldi Poli ad Senatum Ragusinum, qua celeberrimi nobilitate, pietate, ac doctrina viri propensus in Ragusienses animus, ejusque præclara de Ludovico existimatio innotescit. Plures eo tempore Ragusini mercaturæ faciendæ causa in Angliam navigabant, præsertim ut emptos inde pannos asportarent, qui textili opere, & pigmentorum bonitate nunc etiam plurimi fiunt; cum vero nescio quid dissidii intercessisset, quod difficiliorem redderet negotiationem mercatoribus Ragusiensibus, Senatus ad Polum scribendum censuit, quippe cui summa inerat apud Regem auctoritas, nequid detrimenti caperent, eorum mercibus, ac navigiis, qui Londinum appellebant, nihil grave ac molestum inferretur. In eamdem sententiam Ludovicus ipse Polo conjunctissimus hujus gratiam & opem per litteras popposcit; & utrique Polus humanissime respondit, se studium suum, operamque omnem præstiturum, ut eorum voluntati, & justæ postulationi satisfaciat; quid autem jam egerit, eos ex ipsis Ragusiensium litteris, qui Londini degunt, facile intellecturos. Poli litteræ ad Ludovicum fortasse perierunt; eas tantum exscribo, quæ Senatui redditæ sunt, ex Tomo V. epist. Card. Regin. Poli pag. 81.

Regin. Card. Polus Rectori Consiliariisque Ragusinis.

Litteræ Card. Poli ad Senatum Ragus.

Reddiderunt mihi cives vestri, qui hic mercaturæ gratia commorantur, epistolam, qua eorum causam quod ad pannos hinc asportandos attinet, mihi diligenter commendatis: quibus ego libenter & studium meum sum pollicitus, & quoties opus erit, præstabo, cum in hac re, tum in, cæteris, in quibus me aliquid eis prodesse posse intelligam. De pannis autem exportandis quid actum, & constitutum nunc fuerit, ex ipsorum litteris cognoscetis. De eadem re accepi

Digitized by Google

cepi etiam Archiepiſcopi veſtri litteras, paterni erga vos amoris ac ſtudii plenas, quæ quidem apud me tantum valuerunt, quantum valere debet hominis mihi amiciſſimi, & in Chriſto conjunctiſſimi commendatio pro eorum commodo ſuſcepta, qui a Deo ipſius curæ & fidei commendati ſunt, in quo ſane cum recordarer pii deſiderii veſtri, quo adducti antea ſæpe apud Summos Pontifices egiſtis, ut is vobis Paſtor præficeretur, qui veſtri curam præſens gereret, vobis quidem gratulatus ſum, quod his præſertim tam corruptis, & periculoſis temporibus eum habeatis, qui vos tanquam filios paterna caritate complectens, muneri ſuo erga ſalutem veſtram optime ſatisfacere & poſſit & velit, cujus pietate, doctrina, atque exemplo ut vobis magno cum fructu frui liceat, opto, ac Deum precor. Bene valete. Londini die 11. Julii MDLVIII.

Anno itaque 1560., & ipſo ſanctiſſimo die, qui religione & cultu anniverſario Sacroſancti Corporis Chriſti conſecratus eſt, poſt ſolemnem ſupplicationem Raguſio diſceſſit, Romam profecturus, ut novo Pontifici Pio IV. debita ſubmiſſionis ac reverentiæ officia præſtaret, ſimulque Eccleſiæ ſuæ quædam negotia expediret. Simonem Mencium Canonicum admodum juvenem, poſthabitis ſenioribus, Vicarium generalem, ſumma rerum gerendarum poteſtate præditum reliquit. Incredibile dictu eſt, quam iniquo animo tulerint Canonici eum ſibi prælatum ac præpoſitum, quem neque maturitas ætatis, neque excellentia doctrinæ, neque exercitatio uſuſque rei eccleſiaſticæ adminiſtrandæ commendabant; præſertim cum elatius ſe gerere, inſolentiuſque cæpiſſet, & quædam indebita ſibi arrogaret, veluti primum in conventu Canonicorum, ſupra Primates Capituli, ſubſellium; ex quo factum eſt, ut perpetuæ & acerrimæ illi fuerint contentiones cum Canonicis, potiſſimum vero cum Archidiacono, & Archipresbytero, qui ejus arrogantiæ & conatibus vehementius reſiſtebant. Eo res adducta eſt, ut ad inimicitias apertas, diſcordiaſque implacabiles ſpectaret. His obviam ire cenſuit Senatus; & cum Vicario, ejuſque patriciæ nobilitati faveret, atque injuriam eidem fieri judicaret, Archidiaconum & Archipresbyterum, pecunia mulctatos, in exilium ejecit. Ut eos revocaret, atque in integrum reſtitueret, Pius IV. paternis, & graviſſimis litteris anno 1564. x. Kalend. Julii datis Senatum admonuit. Romam itidem citatus eſt Simon Mencius Vicarius, quem opinio erat auctorem fuiſſe utriuſque exſilio afficiendi, ut rerum ab ſe geſtarum rationem redderet. Hæc Seraphinus Razzius, ſed quem exitum habuerint hujuſmodi turbæ & contentiones, declarare omittit. Dubitari non poteſt, quin Senatus ſi non ſtatim, certe non multo poſt pro ſua erga Sedem Apoſtolicam obſervantia, Pontificiis monitis ac mandatis paruerit.

Romam diſcedens Vicarium reliquit Simonem Mencium.

Interregnum Archiepiſcopale quinque annorum.

Quinque ipſos annos Raguſienſis Eccleſia Paſtoris ſui præſentia, atque adminiſtratione caruit, iis diſcordiis, quas dixi, moleſtiſque concertationibus conflictata. Quamvis enim Ludovicus conſilium cepiſſet Archiepiſcopatus dimittendi, transferendique in Chryſoſtomum Calvinum, quem Raguſini tribus aliis ab eo propoſitis prætulerant, neutri tamen a Sede Apoſtolica poteſtas facta fuit, alteri quidem deponendi, alteri vero ſuſcipiendi ejuſdem Sacerdotii ante annum 1565.; ut ſupra dictum eſt. In vita Gabrielis Palæoti Card. & Archiep. Bononienſis a Franciſco Bruno concinnata, & a Martenio & Durando typis vulgata in Tomo VI. Collect. vet. Monum. reperio, Ludovicum, cum Tridenti eſſet per hunc tempora inter Concilii Patres, cum Gabriele egiſſe, ut Raguſinum Archiepiſcopatum, de quo dimittendo cogitabat valetudinis cauſa, ipſe ſuſciperet, quippe tanto muneri maxime idoneus. Sed Gabriel, qui de ſe quam demiſſiſſime ſentiebat, nullis precibus, officiiſve adduci potuit, ut Ludovico aſſentiretur. Ipſa Bruni verba in medium affero: *Ludovicus Beccatellius Bononienſis magna integritate & ſapientia præditus, Archiepiſcopus Raguſinus, qui cum valetudinis cauſſa eccleſiæ illius adminiſtratione levari cuperet, in unum Gabrielem oculos conjecerat, cui conſcientiæ fide haud commotus illam tunc gubernandam traderet; ſed Gabriel neque precibus neque argumentis ullis unquam in Beccatellii ſententiam atque officia flecti potuit, utpote cui regendi eccleſias pondus res ipſæ, quas in Concilio præ manibus habebat, formidandum oſtendebant: gratiſſimo tamen memorique animo ejus erga ſe propenſam voluntatem æſtimans, ipſo demortuo fratris filium Ludovicum Beccatellium virum rectiſſimis ſtudiis atque ingenio eleganti, liberalique præditum, inter ſuos intimos familiares habuit.*

Interea Beccatellius & Calvinus de rationibus & commodis Eccleſiæ Raguſienſis aſſidue cogitabant; illud præſertim illis cordi erat, ut exigua quædam colonia Presbyterorum Societatis Jeſu Raguſium deducta, ſedem ſtabilem in ea civitate collocaret, & pro ratione ſui Inſtituti vineam illam Dominicam excoleret. Utrique enim ſatis perſpectum erat, quam uberes fructus ex eorum induſtria, & laboribus Apoſtolicis Chriſtiana pietas percipere poſſet; anno ſiquidem 1559. Mutius Calinus Jadrenſis, itemque Ludovicus Raguſinus Archiepiſcopi ab Jacobo Lainio ſecundo Præpoſito Generali Societatis, aliquot operarios evangelicos poſtulaverant, qui Diœceſim ac Provinciam utriuſque Apoſtolicis excurſionibus luſtrarent. Datus fuit P. Nicolaus Bobadilla, unus e decem ſociis S. P. Ignatii, vir magnæ doctrinæ, ſolidæ perfectæque virtutis, qui poſt egregiam ac perutilem operam Eccleſiæ & Archiepiſcopo Jadrenſi navatam, Raguſium venit, & ſuis catechiſmis, concionibus, vitæque probatiſſimæ exemplis, adeo civium animos permovit, ſibique conciliavit, ut miram Societatis cupiditatem omnibus injecerit. Itaque Primoribus civitatis viſum eſt ad Senatum referre de ſtabiliendo in Urbe domicilio Presbyteris ejuſdem Societatis. Res in conſultationem deducta eſt; & in libro *Concilii Rogatorum* hæc notata invenio.

Ludovicus & Chryſoſtomus Calvinus cogitant de domicilio Raguſii ſtabiliendo Presbyteris Soc. Jeſu.

Die 6. Menſis Junii 1560.

Prima pars eſt de deliberando pro conducendo D. Doctorem Bobadigliam cum aliquo numero ſociorum ſuæ Religionis.

Secunda pars de differendo, & interim D. Rector debeat cum eo loqui, ut eum roget ne recedat, donec præſens Conſilium ſtatuat quid agendum.

Die 7. Menſis Junii 1560.

Prima pars de dando libertatem D. Rectori Conſiliariiſque, ut hoc tempore procurent obtinere Doctorem Bobadigliam Theologum Hiſpanum, ejuſ-

Digitized by Google

ejusque socios duos, causa reformandi Cleri, in civitate nostra.

Secunda pars est de differendo.

Demum eodem anno, ac mense, paucis post diebus, de communi sententia decretum factum est de postulandis aliquot Societatis operariis, qui cum P. Bobadilla Cleri populique moribus reformandis operam darent; & de Collegio eisdem in civitate fundando. Pro illis obtinendis extant tres epistolæ in Codicem Decretorum relatæ datæque eodem anno, dieque, ideſt Idibus Junii, in eamdem fere sententiam; prima ad Pium IV. Pontif. Max., altera ad Cardinalem S. Georgii, tertia denique ad Jacobum Lainium Præpositum Generalem Soc. Jesu. Sed paucitas operarum vetuit plures, quam duos, Ragusiensibus dare, videlicet ipsum Bobadillam, & Lucam Salernitanum cum uno Fratre rei domesticæ curatore. Recusato lauto domicilio, quod in ædibus Curiæ ultro offerebatur, cum sociis se recepit in Monasterium S. Jacobi extra Urbem, invitatu Chrysostomi Calvini Abbatis; cujus rogatu, præter ministeria apostolica Civitati, oppidisque ditionis Ragusinæ, ad mores civium & incolarum corrigendos, Christianamque pietatem excitandam impensa, tribus Cœnobiis Congregationis Benedictinæ Melitensis plurimum operæ in Monachos ad normam religiosæ disciplinæ, atque sanctimoniæ instituendos, & erudiendos derivarunt. Hæc Franciscus Sacchinus P. II. Hist. Soc. Jesu lib. 1. ad an. 1560. his verbis expositit: *Nicolaus Bobadilla Jadrensi Ecclesiæ & Archiepiscopo opera utiliter navata, Epidaurum, ubi fuerat ab ejus Reip. Antistite rogatus, excurrit. Ejus non multis concionibus auditis, & cætera juvandi proximos ratione perspecta, ac dexteritate, Collegium Societatis instituere, communi consilio Respublica decrevit; eaque de re ad Lainium litteras dedit. In iis litteris ait jamdiu sibi fuisse in votis Collegium instituere Sacerdotum ejusmodi, ex quibus & cæteri sacri viri exempla, & populares præcepta Christiane vivendi caperent: habere enim persuasum, oportere in Epidaurensi Republica Christianam sanctitatem florere vel maxime, ut, quoniam adeo vicinos habet Christi hostes, adversus eorum corruptelas tuta sit; & vera etiam innocentia morum eos arguat, & pudore suffundat. Quales optabat Sacerdotes dudum se fando audivisse, modo ex Bobadilla vita, actionibusque vidisse Sacerdotes esse Societatis Jesu. Quare aliquot sibi concederet, tres minimum operi inchoando. Satis intelligebat Lainius peropportunam fore societati sedem Epidauri, tum propter Illyrica linguæ usum late patentem, tum etiam, ut inde ad Turcarum quoque provincias pedetentim aditus captaretur. Sed operarum angustiæ non permisere nisi duos Sacerdotes concedi, ipsum Bobadillam, & Lucam Salernitanum cum uno vitæ domesticæ adjutore. Volebat hos Civitas in Curiæ ædibus diversari; sed Bobadilla, cum quartana permolesta implicitus esset, Monasterium S. Jacobi, quod est Religiosorum S. Benedicti, prætulit. Erat in eo Abbas Chrysostomus, doctrina vir & pietate notus, & nostri Ordinis, cujus in Tridentino Concilio, cui ipse quoque interfuerat, specimen ceperat, studiosus in paucis. Hic tria, quæ ibi sunt Ordinis Monasteria, in quam optimam revocare formam meditatus, Lainium enixe rogavit, ut ea per quempiam Sociorum quandoque inspicienda, præceptisque formanda susciperet, atque ad id opus, Bobadillæ consilio & laboribus uti cupiens, eum apud se habuit, miraque ægrum pietate tractavit; nec sane Bobadilla, quamvis affecta valetudine, vel civitati, vel Monasterio deerat. Ad cætera Societati consueta munera, quæ P. Lucas quoque strenue obibat, ubi sanctiores dies recurrerent, verba ad populum faciebat in primario Templo, ac ter in hebdomada, in Monasterio, Abbatis Chrysostomi rogatu, juvioribus ejus Monachis, quos idem multos adscripserat, Magistri sententiarum librum quartum interpretabatur; eosdemque ad pietatis disciplinam ascetica B. P. Ignatii formula excolebat. Cæterum ne hic quidem Collegii institutio fortita est exitum.*

Duo dati sunt Nicolaus Bobadilla, & Lucas Salernitanus.

Dum Bobadilla & Salernitanus in vinea Dominica Ragusiensi excolenda naviter laborabant, Beccatellus Archiepiscopus, & Calvinus ejus successor designatus, consilium rationemque instituendi Collegii Ragusini apud Pium Pontificem, & Lainium urgere non desistebant; sed tunc ob paucitatem sociorum nihil effici potuit; nec vero ante initium proximi sæculi millesimi sexcentesimi statio Ragusii paucis sociis assignata fuit, qui Societatis nostræ muneribus obeundis operam darent. Hæc vero post varios casus rerumque vicissitudines, anno demum 1684. in Collegium justæ formæ ac magnitudinis excrevit. Nec tamen interea desitum est binos, vel ternos e societate operarios Ragusium mitti, quorum evangelicis ministeriis Archiepiscopus & Parochi ad plebem Christianam divinis præceptis erudiendam, & sacris confessionibus expiandam uterentur.

Porro Ludovicus Beccatellus post depositum Archiepiscopatum, annos fere octo Ecclesiam Pratensem sapienter pieque administravit; atque ut decreta Concilii Tridentini in ea paullatim vigerent, vimque suam apud omnes obtinerent, mira dexteritate & prudentia effecit. Obiit XVI. Kal. Novemb. an. 1572., & in æde primaria oppidi Pratensis sepultus est. Antonius Gigantius, qui per annos tres ac viginti ei familiaris, & ab epistolis fuit, titulum eidem fecit, & lapidi sepulchrali inscripsit.

Beccatellus annos fere octo Ecclesiæ Pratensi præfuit.

Ejus obitus, et Epitaphium.

Regi gloriæ immortali

Et memoriæ Ludovici Beccatelli Patricii Bononiensis, qui a Paullo III. Episc. Ravellen. creatus, a Julio III. ad Venetum Senatum legatus missus, eo munere ultra quadriennium summa cum laude obito, mox in urbem Vicarius adscitus, a Paullo IV. ad Ragusinorum id postulantium Archiepiscopatum traductus, a Pio IV. ex Tridentina Synodo evocatus, in qua doctrina ejus & sanctitas quasi lumen aliquod elucebat, in gratiam Magni Etruriæ Ducis, qui ob illius egregias virtutes sibi mitti Florentiam fuerat deprecatus, Pratensi Ecclesiæ præpositus est; ubi post octo annos, vita decedens, maximum sui omnibus reliquit desiderium. Vir prisci moris, innocentiæ, pietatis, litterarum omnium peritissimus, virtutum, earumque præditorum amantissimus, in amicos officiosus, in egenos benefícus, in omnibus tum privatis, tum publicis muneribus optime de Christiana Republica meritus, honores ut minime ambivit, ita pie, prudenter, integre administravit. Vixit an. LXX.

Digitized by Google

m. VI. d. XX. obiit XVI. Kal. Novemb. MDLXXII. Antonius Gigantius Foroſempronienſis Domini, ac patris optimi annorum trium & viginti alumnus, officii & gratitudinis ergo P.C.

Aliud ipſe ſepulcrum ſibi paraverat Bononiæ an. 1569., cujus hic extat titulus in Eccleſia D. Stephani.

Sepulchrum D. Ludovici Beccatelli Archiepiſcopi Raguſini.

Et omnium ejuſdem gentis Clericorum. MDLXIX.

Ac ibidem ad ædiculam S.Martini, quam forte refecit, aut ſacris ornavit muneribus, hæc illi dicata inſcriptio legitur.

Ludovicus Beccatellus Archiepiſcopus Raguſinus MDLXIX.

Inter Beccatellum & Chryſoſtomum, duo Epiſcopalium munerum Curatores.

Sunt qui duos Archiepiſcopos inter Ludovicum Beccatellum, & Chryſoſtomum Calvinum interjiciunt, F. Joannem de Raguſio Præſidem Cœnobii Dominicani Raguſini, qui Archiepiſcopatum Antibarenſem anno 1559. opera Ludovici Beccatelli adeptus cum eſſet, triennio poſt illum depoſuit, eumque ad regimen Eccleſiæ Raguſinæ translatum ferunt, & anno 1563. e vita migravit; alterum vero F. Jacobum de Amalphi ex Ordine Capuccinorum, anno 1563. eidem Joanni ſuffectum. Neutrum Archiepiſcopum fuiſſe arbitror; abeſt enim uterque ab omnibus Scriptoribus & Catalogis Raguſinis. Utrumque, primum Joannem, deinde Jacobum, poſt diſceſſum Beccatelli, adſcitum fuiſſe exiſtimo, qui abſentis vice fungeretur, & munera Epiſcopalia obiret. Joannes Gundula Jacobum de Amalphi *Coadjutorem* vocat,

CHRYSOSTOMUS ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS LVIII.

Vir magnus, excellenti ingenio, ſingulari doctrina, Græcis, hebraicis, latiniſque litteris eruditus, maximis clariſſimiſque virtutibus, ac præſertim ſumma in Deum ſuperoſque religione præditus. Gemiliani, quod oppidum eſt Calabriæ frequens ac nobile, ab illuſtri & divite familia ortum duxit, & *Calvini* cognomen traxit. Poſt primam ætatem politioribus litteris, & philoſophicis diſciplinis excultam, in Cœnobio Caſſinenſi, vel invitis parentibus, qui in eo maximam ſpem familiæ ſuæ magis illuſtrandæ locupletandæque collocarunt, Inſtitutum S. P. Benedicti amplexus ad ejus ſanctiſſimas leges totum ſe finxit, atque conformavit. Armellinus in Bibliotheca Benedictino-Caſſinenſ. annum, quo *Caſſinenſis Monaſterii* alumnus effectus eſt, 1530. fuiſſe perhibet, & diem VII. Calendas Auguſti; ſed ambigua eſt locutio, hic ne annus ſit, quo in Ordinem Benedictinum admiſſus, an vero is, quo inter Monachos Caſſinenſis Monaſterii fuerit cooptatus. Tyrocinio perfunctus, Deoque ſolemnibus votis obſtrictus, ad ſacra Theologiæ ac divinarum litterarum ſtudia animum appulit; in quibus mirum in modum excelluit, iiſque tradendis præpoſitus fuit. Ex Monte Caſino Præſidum juſſu Venetias migravit, atque in Cœnobio S. Georgii majoris, tum privatim quæſtiones theologicas alumnis ſui Ordinis explicuit, tum publice in Templo Evangelium, & ſacras litteras interpretatus eſt; ad quem audiendum ingentes hominum cujuſque ordinis concurſus fieri ſolebant. Venetiis cum eſſet, ad Græcam Nicolao Leontio, ad Hebraicam linguam addiſcendam Elia Teutonlo, ſcientiſſimis linguæ utriuſque magiſtris uſus eſt. Magnum jam erat nomen Chryſoſtomi, non ſolum apud ſuos, ſed etiam apud extraneos, & excellens de illius multiplici, & exquiſita doctrina opinio longe lateque pervulgata. Anno 1545. cum tres ex Ordine Benedictino Theologi mittendi eſſent ad Concilium Tridentinum, quod Paullus III. indixerat, unus de illis, & princeps fuit Chryſoſtomus Calvinus, qui, ut pro dignitate in auguſtiſſimo illo Conventu locum teneret, in Comitiis Benedictinis, Abbas omnium ſuffragiis creatus eſt, licet nondum id ætatis eſſet, qua huic titulo atque honori ſuſtinendo maturus judicari ſolebat. Singularem cum apud Cardinales Præſides, tum apud cæteros Patres Tridentinos, integritatis, doctrinæ, prudentiæ exiſtimationem ſibi conciliavit: id quod Franciſcus Serdonatus in oratione funebri de laudibus Chryſoſtomi, his verbis declaravit: *Ita ſe geſſit in Concilio, ut omnes, qui ibi adfuerunt, præclarum judicii teſtimonium ipſi dederint, ut dicerent ei neque in conſiliis de Chriſtiana Rep. capiundis diligentiam, neque in periculis ab ea propulſandis animum, neque in ſententia ſimpliciter referenda fidem, neque in hominum a Catholico & vero Dei cultu abhorrentium voluntatibus pro recta religione lædendis libertatem, neque in falſis hæreticorum opinionibus refutandis doctrinam, neque in eorum ſententiis infirmandis, ac diluendis vim, neque in perferendo labore induſtriam, neque in Catholicorum commodis augendis gratam animi benevolentiam defuiſſe.* Interfuit autem tum Seſſioni V. anno 1546. ſeptimæ vero, & octavæ anni 1551., & nonæ ac decimæ ejuſdem anni habitis Bononiæ. Chryſoſtomus Venetias anno 1547. ſe retulit, ut Razzius docet; & biennio poſt, Senatus Raguſini rogatu, miſſus eſt a Paullo III. Raguſium, ut Monaſteria Congregationis Benedictinæ Melitenſis in priſtinum ſtatum reſtitueret, ac bonis artibus & ſtudiis excoleret, quam ante aliquot annos, ut eſt apud eumdem Razzium, Jacobus Beneſſa Præſes ejuſdem Congregationis, interpoſita tum Pontificis, tum Senatus auctoritate, Abbatis extranei *Commendatarii* poteſtate exemerat. *Suſceptam provinciam*, ut ait Serdonatus in oratione ſupra laudata, *ita conſilio, & ratione adminiſtravit, ut ex ea multum laudis rebus ſuis acceſſerit; nam quos labores exceperit, quos ſudores diurnos, nocturnoſque impenderit, difficile eſt mente, nedum oratione conſequi. Verum omnia ex eventu patent; tantum enim diligentia, & induſtria profecit, ut cito illa Societas & numero hominum, & eorumdem divina eruditione aucta ſit; itaque neminem operis, quod ibi factum eſt, pœnitere poteſt.* Ex ejus diſciplina doctiſſimi & ſanctiſſimi viri prodierunt, inter quos ſingulari commemoratione digni ſunt tres Epiſcopi Stagnenſes, D.Baſilius Gradius, D.Chryſoſtomus Araneus, & D.Joannes Baptiſta Georgius. Poſt obitum Hieronymi Beneſſæ Congregationem Melitenſem ſapientiſſime adminiſtravit, & cum Præſes generalis eſſet, ſimul Abbas erat Cœnobii S. Jacobi prope ab Urbe ſiti; ibique Nicolaum Bobadillam, ut diximus, cum ſociis accepit. Aliquot annos geſſit etiam Præfecturam Cœnobii Peklinenſis an. ſcilicet 1453. 1454. 1455. ut in lib. Diverſ. Notar. Raguſ.

Abbas creatus Concilio Tridentino interfuit.

Raguſium accerſitus Congregationem Melitenſem Præſidis Generalis titulo adminiſtravit.

Chryſoſtomus Calvinus Congregationi Benedictinæ Caſinenſi adſcriptus.

Magna

Digitized by Google

Magna ei fuit consuetudo & familiaritas cum Aloysio Priolo, qui eum optimum, & suavissimum virum, ejusque sodalitatem sanctam appellat in litteris ad Archiepiscopum Beccatellum superius allatis, & cum ipso Ludovico Beccatello, quam morum & studiorum similitudo, eadem in utroque excellens doctrina, idem divini cultus propagandi, & Christianæ pietatis augendæ studium conjunxerat. Tanti autem Ludovicus Chrysostomum faciebat, ut cum Ecclesiæ Ragusinæ nuncium remittere statuisset, hunc etiam cum tribus aliis præstantissimis viris proposuerit Ragusinis, ut quem voluissent, sibi in Archiepiscopum eligerent; illi vero sine ulla cunctatione cæteris Calvinum præposuerant; quem ante aliquot annos, post obitum Philippi Trivultii, nondum illum quidem de facie notum, sed illustri fama, atque omnium sermone celebratum, a Paullo III., ut Metropoli Ragusinæ præficeret, summis precibus postulaverant. Sed quod a Paullo III. impetrare non potuerant, a Pio IV. facile obtinuerunt, qui cum Chrysostomum Calvinum, & Archiepiscopatum Ragusiensem plurimi faceret, alterum altero dignissimum esse existimavit. Itaque anno 1564. xv. Kal. Decembris Archiepiscopum creavit, & anno proximo xv. Kal. Junii Pallium eidem imponi jussit: in quo erravit Arnaldus Wion, qui ejus electionem retulit in annum 1560. Antequam Ragusium accederet, an. 1565. jussus est a Pontifice Catharum se conferre, ut de criminibus jactis in vitam moresque Paulli Bisantii, expetiti a Catharensibus Episcopi, quæstionem haberet; post diligentem inquisitionem adhibitam, calumniatorum fraude comperta, illum non modo ab omni culpa immunem esse declaravit, sed etiam summis laudibus, & honore verborum affecit. Ita Paullus, superatis obtritisque adversariorum calumniis, a Paullo IV. Catharensibus expetentibus datus est Episcopus, & Ecclesiæ sibi traditæ possessionem adivit.

Expetitus olim a Ragusinis, ac demum impetratus Archiepiscopus.

Inito Archiepiscopali Chrysostomi regimine, Ecclesia Cathedralis Ragusina insignis Indulgentiæ munere donata fuit a Pontifice Pio V., cujus litteras lubet hic exscribere ex Cancellaria Curiæ Archiep. Ragus. ad nos transmissas.

Pii V. litteræ pro Ecclesia Cathedr. Ragusina.

Pius PP. V. Universis Christifidelibus præsentes litteras inspecturis Sal. & Ap. benedictionem. De salute gregis Dominici curæ nostræ Divina dispositione commissi sollicite cogitantes, illa Fidelibus singulis gregis ejusdem libenter concedimus, per quæ ad pia & meritoria opera exercenda invitentur, ut per eorum exercitium suorum abolita macula delictorum ad æternæ beatitudinis gaudia facilius pervenire mereantur. Cupientes igitur ut Ecclesia Ragusina ab eisdem Christifidelibus congruis frequentetur honoribus, & devotius visitetur, ipsique Christifideles eo libentius ad eamdem Ecclesiam devotionis causa confluant; quo ex hoc dono cælestis gratiæ plenius conspexerint se refectos, precibus quoque dilectorum Filiorum Rectoris & Consilii, necnon Communitatis dictæ Civitatis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui dictam Ecclesiam in tribus diebus Pentecostes a primis Vesperis usque ad occasum Solis tertii singulis annis in perpetuum visitaverint devote, & ibi pro pace inter Christianos Principes conservanda, ac hæresum extirpatione, & S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint; vel si infirmi aut alias impediti, & moniales, & alii regulares non valentes personaliter d. Ecclesiam visitare præmissa per alium adimpleverint, quoties id fecerint, toties plenariam omnium & singulorum peccatorum suorum indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus & elargimur; attento quod similis indulgentia p. fel. rec. Alexandrum VI. primo, & deinde Julium II. Romanos Pontifices prædecessores nostros, ut præfertur, dictæ Ecclesiæ ante revocationem indulgentiarum cum clausula porrigendi manus adjutrices per nos facta concessa fuerat. Et ut Christifideles indulgentiæ hujusmodi & peccatorum remissionis facilius participes esse possint, V. Fratri Archiepiscopo Ragusino nunc, & pro tempore existenti, seu ejus Vicario in spiritualibus Generali deputandi annis singulis durante præfata indulgentia tot Presbyteros idoneos confessores, qui diebus Pentecostes, ut præfertur, & octo diebus ipsum Festum præcedentibus ad præfatam Ecclesiam confluentium eorumdem confessionibus diligenter auditis eis pro commissis per eos excessibus, & peccatis, & in singulis Sedi Apostolicæ reservatis casibus (exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legitur) absolutionis beneficium Apostolica auctoritate impendere, & pro commissis pœnitentiam salutarem injungere, necnon vota quæcumque per eos emissa pro tempore (visitandi tamen limina Apostolorum, & S. Jacobi in Compostella, ac Religionis & Castitatis votis duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare auctoritate Apostolica libere & licite valeant, auctoritatem & facultatem concedimus. Præsentibus, quas sub quibusvis similium vel dissimilium Indulgentiarum revocationibus, annullationibus, suspensionibus vel limitationibus per Nos & quoscumque Romanos Pontifices pro tempore existentes, etiam in favorem Cruciatæ Sanctæ, Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon S. Joannis Hierosolymitani, & quorumvis aliorum hospitalium, & piorum locorum faciendis, nisi de illis eorumque toto tenore de verbo ad verbum insertio facta, & illorum data apposita fuerit minime comprehendi, sed specialiter ab illis exceptas esse & censeri debere decernimus perpetuis futuris temporibus, Cæterum quia difficile foret has litteras originales ad singula quæque loca, ubi expediens fuerit, deferre, volumus ut eorum transumptis etiam impressis & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, notariique publici manu subscriptis eadem omnino fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die v. Februarii MDLXVIII. Pontificatus nostri Anno tertio.

Cæsar Glorierius.

In Archiepiscopatu quam moderate, & abstinenter secum ipse, quam æquabiliter & prudenter erga populos sibi commissos Chrysostomus se gesserit, Franciscus Serdonatus in ea, quam dixi, oratione funebri luculenter expositi: *In victu*, inquit, *ac vestitu, & omni cultus genere quam parcus esset, omnes nostis, neque etiam egregiis vestibus & pretiosis usus, neque profusis epulis delectabatur; sed naturam optimam ducem secutus, parvoque contentus,*

Chrysostomi in Archiepiscopatu virtutes, & præclare facta.

omnibus in rebus ſimplex, & ſincerus erat, & ſupervacuum omne fugiebat. Omnes ejus virtutes nominatim perſequitur, quæ Epiſcopalem ſtatum maxime decent, utilemque hominum generi faciunt, videlicet prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, temperantiam, eximiamque ejus erga Deum fidem, ſpem, charitatem. Monitum illud præceptumque Pauli Apoſtoli, *ne cui cito manus imponeret*, accuratiſſime ſervavit: *In optandis*, ut ait Serdonatus, *& deligendis iis, qui ſacris ab eo initiarentur, quos Eccleſiis præficeret, quos ad Dei aras perduceret, quos Sacrorum haberet participes atque adminiſtros, diligentiſſimus fuit; cum enim Sacerdotes Chriſtianæ ſtabilitatis ac felicitatis firmamentum eſſe putaret, in iiſque proram, & puppim noſtræ tranquillitatis, & Petri naviculæ conſiſtere judicaret, eos indignos tanto honore ducebat, qui caſte & pure non viverent, qui ſalutari doctrinæ non ſtuderent, qui ab omni labe non abhorrerent, qui tota mente, toto animo, toto corde mundi, & incorrupti non eſſent.* In egentes ac miſeros maxime liberalis fuit; & Ludovicus Beccatellus, ut eſt apud eumdem Serdonatum, *ſæpius gloriari ſolitus erat, & litteris huc ad amicos ſcriptis non ſemel teſtatus eſt, per ſe hujus provinciæ pauperibus optime eſſe conſultum, poſtea quam huic Eccleſiæ optimum hunc virum impoſuiſſet.* Lenitatem cum ſeveritate miſcebat; id quod ſummopere commendavit Franciſcus Serdonatus. *Qua in re ita ſeveritatem comitati miſcuit, ut in plurimorum controverſiis dijudicandis ab omnibus deligeretur; idque conſequeretur, ut eos ipſos, quos contra ſtatuerat, æquos placatoſque dimitteret: itaque etſi gratiæ cauſa nihil faceret, omnia tamen grata eſſent, quæ faceret; cumque natura eſſet lenitate dulcis, voluntatem etiam, & ſtudium ad eam adjunxit, ut qui ſciret D. Paulum pluribus in locis, Epiſcopis id præcepiſſe, ut in ſpiritu lenitatis populos inſtruerent; itaque non parum ea ratione profecit, nam probibendo a delictis magis, quam vindicandis, populum in officio continebat.* Nec ſane defuerunt qui eum nimis mitem, nimis conniventem eſſe arguerent, & nimiam indulgentiam ei vitio darent; præſertim cum Concionatorem quemdam, qui in Æde Cathedrali temere, petulanter, contumelioſe in Capitulum & Clerum invehebatur, nec pauca a Fide Catholica diſcrepantia effutiebat, admodum leniter ac remiſſe admonuiſſet, ut ab ejuſmodi maledictis, & contumeliis deſiſteret; non vero, ut debuerat, impoſito perpetuo ſilentio, eum ſuggeſtu prohibuiſſet. Ille adeo cœptis non abſtinuit, ut apertius etiam atque acrius Canonicos & Clericos probris & conviciis e ſuperiore loco proſcinderet. Romam vero profectus, multa de inquinatis, ut ajebat, illorum moribus ad Gregorium XIII. per ſummam calumniam detulit; nec ipſi pepercit Archiepiſcopo, ob cujus incuriam & inertiam, multa in Clerum & plebem vitia irrepſiſſe dicebat. Ad fidem fictis criminationibus conciliandam teſtem adhibuit Raguſinum quemdam patricii ordinis virum, qui tum Romæ verſabatur; hic enim nihilo minus, quam ille, neſcio quam ob cauſſam, Capitulo & Clero infenſus erat, præſertim Mario Cabogæ Archidiacono, viro graviſſimo, qui unus palam aperteque concionatoris calumnias, etroreſque refellere auſus fuerat. His Pontifex permotus, Viſitatorem Apoſtolicum mittere ſtatuit, qui diligenter in Clerum populumque inquireret; & ſi quos aberrare comperiſſet, ad rectum Chriſtianæ legis, & diſciplinæ eccleſiaſticæ tramitem revocaret. Is fuit Epiſcopus Feltrenſis, qui Raguſium profectus an. 1573. in rem præſentem cum veniſſet, nihil correctione dignum invenit. Ita calumniatorum fraus & malitia patuit, illaque nefaria in Canonicos & Clericos conſpiratio diſſlata eſt. Concionator vero ille, cum manifeſtis pravarum opinionum indiciis teneretur, mature ſibi fuga conſuluit. Hæc Seraphinus Razzius.

Epiſcopus Feltrenſis Viſitator Apoſtolicus.

Nimiæ lenitatis, & indulgentiæ accuſatus.

Chryſoſtomus tam operoſi regiminis difficultatibus, & moleſtiis oppreſſus, tum graviore in dies valetudine, ætateque urgente, cum ſibi minus idoneus eſſe ad ſuſtinendum opus Epiſcopale videretur, Archiepiſcopatu ſeſe abdicare, ſeque ad ſolitudinem Melitenſem referre ſtatuerat: quod cum vulgo innotuiſſet, magnus animorum motus eſt factus, & tum primores Senatus, tum cives inferiorum ordinum ad eum coeunt, rogantes obteſtanteſque, ut alia omnia cogitaret; ſe quodlibet potius, quam alium Præſulem, ipſo vivente paſſuros. Itaque licet invitus, & religioſæ quietis, vitæque privatæ avidiſſimus, Patrum tamen auctoritati, & civium precibus cedere debuit. *Cum enim ſentiret*, ait Serdonatus, *corpus ſuum jam ob ſenectutem ita infirmum ac debile factum eſſe, ut eoſdem, quos antea ſolitus erat, labores ſuſtinere non poſſet, ut divinas litteras interpretari ægre admodum valeret, & denique mortem ab ſe non longe abeſſe intelligeret, quamvis officio & pietate ſatisfaceret omnibus, ſibi ipſe tamen minime ſatisfaciens, Archiepiſcopatum deponere, ſeque illo munere abdicare cogitavit, & de turba & negotiis, in litterarium otium & Melitenſem ſolitudinem conferre ſtatuit ..... Sed cum vos amore, & liberalitate certantes, ſummis precibus, & lacrymis ab eo contenderetis, ne gregem deſereret, qui, vivente illo, nullum alium paſtorem pati poſſet, charitate ductus nihil vobis denegandum ſtatuit, Sanctiſſimumque illum Turonenſium Præſulem Martinum imitatus dixit; Si adhuc populo ſum neceſſarius, non recuſo laborem; & in hoc ſupremo magiſtratu tamquam in extremo pietatis actu, quoad Deo, & vobis placeret, ſibi perſeverandum decrevit,*

Chryſoſtomus de abdicando Pontificatu cogitat.

Non ita multis poſt menſibus in morbum extremum incidit, quo intra paucos dies extinctus eſt, anno ætatis 80. Æræ vulgaris 1574. XIV. Calendas Martias, ut teſtimonio R. P. Bernardi Sorgo Abbatis Melitenſis ſcripſit Armellinus in Bibliotheca Benedictino-Caſſinenſi; ſed oratio in ejus funere habita ſertur anno 1575. XV. Calend. itidem Martias; qui non emortualis Chryſoſtomi, inſequens vero obitus annus credi poteſt, cum anniverſarium funus celebraretur in Æde Cathedrali, uti quotannis in templo Benedictino D. Jacobi adhuc illi parentant ſolemnibus ſacris Monachi ejuſdem Monaſterii. Si tamen pia ejus mors conſignanda ſit hoc anno 1575., menſis quidem Februarius fuerit, quo deceſſit, dies autem ante decimam ſextam menſis illius: hinc natalem quoque Chryſoſtomi annum licet conjicias, nimirum nonageſimum quartum, aut quintum circiter ſupra milleſimum quadringenteſimum. In Regeſtis Caſſinenſibus ejus memoria hoc ornatur elogio: *Archiepiſcopus Raguſinus pie-*

Pie moritur.

Digitized by Google

pietate & religione insignis: fuit ad Concilium Tridentinum. Piam ejus mortem Serdonatus his verbis descripsit: *Sanctissimum illum spiritum, animamque innocentissimam Deo redditurus, quæ ad sacra spectabant, efflagitavit; ut viaticum Eucharistiæ sibi præberetur petiit, & præcipue proxima præterita nocte, ut corpus suum sacro oleo ungeretur postulavit; ac deinceps omni convocata familia, tamquam novus Jacob, omnes optimis ominibus, & ut ita loquar, benedictionibus prosecutus est, & Deum oravit, ut omnia illis tranquilla & placida traderet, & alacer ac lætus, & immortalitatis spei plenus, ex hac vita migravit, ut ad Christum servatorem suum, cui per tot annos militaverat, proficisceretur.* Elatus est funere quam amplissimo, invectusque in Ædem cathedralem, Clero populoque prosequente, & exequias funebri pompa concelebrante. Ante aram Deiparæ Virginis, communi Archiepiscoporum sepulchro conditus fuit. Ejus virtutes & laudes oratione elequentissima exposuit Franciscus Serdonatus Florentinus, qui per eos annos, liberali, & honorifico stipendio a Senatu conductus, Ragusinis adolescentibus præcepta Rhetorices tradebat. In ea viros illustres ac litteratos, quorum amicitiis claruit, his verbis commemoravit: *Floruit etiam illustrium & doctorum virorum amicitiis; nam & Reginaldus Polus Anglus Cardinalis amplissimus, & totius Christianæ Reip. lumen clarissimum, in quo uno nihil desiderari potuisse videtur ex iis, quæ a mortali homine, & Christiano viro requiruntur, & cujus judicium in amicis deligendis prope singulare semper fuit, hunc nostrum Chrysostomum valde amavit, & quocumque tempore ac loco illi potestas ejus præsentis fuit, omnium moderatorem consiliorum suorum habuit. Marcellus Cervinus, vir omnibus perfectis artibus, omnique doctrinæ genere eruditissimus, & de Christiana Rep. optime meritus, qui Pontifex etiam maximus factus est, magnopere Chrysostomum dilexit; & nisi tam cito diem suum obiisset, suæ voluntatis specimen in hunc sanctissimum senem præbuisset; cumque præsentem sanctissimis suis consiliis voluisset, & ejus opera ad rem Christianam constituendam profecto usus esset. Gaspar Contarenus, & ipse Cardinalis, vir doctrina & moribus præstantissimus, cujus prudentia, & virtus in maximis, & difficillimis rebus est spectata, magna benevolentia ipsum prosecutus est, fuitque ipsi cum eo magnus usus, & summa utriusque officiis constituta necessitudo. Guilelmus Sirletus, & ipse Cardinalis & Calaber, præstanti dignitate, vir omni liberali doctrina politissimus, Chrysostomum semper in ore, & amore habuit, quem scio ex illius morte non mediocrem dolorem percepturum. Ludovicus Beccatellus, vir numquam satis laudatus, quanti sanctissimum hunc Patrem fecerit, omnes nostis; cum in hoc grege curando, pascendo, & instituendo plures annos, illum suarum omnium actionum, sententiarum, voluntatum, rerum denique omnium socium, comitemque habere voluerit; & postremo cum ad alia negotia vocaretur, ideoque Archiepiscopatum deponere cogitaret; cum sibi successorem, cum sciret se id summa hujus sanctissimi Senatus voluntate facere posse, delegerit, quo nullum majus argumentum benevolentiæ, qua Chrysostomum complectebatur, afferri potest .... Denique ut in pauca conferam, quicumque hac nostra tempestate fuerunt sanctitate vitæ, & doctrinæ præstantia viri insignes, aut cum eo familiaritatem habuerunt, aut de ipso audientes eum amarunt, & laudarunt, vel potius admirati sunt.*

Viri summi ac principes, quorum amicitia claruit.

In Supplemento Domni Placidi Romani, Diaconi Cassinensis, ad opus Petri Diaconi Cassinen. de Viris Illustribus Cœnobii Cassinatis, hæc leguntur.

Chrysostomus de S. Gemiliano Calaber, Monachus Casinensis factus sub Chrysostomo Neapolitano Abbate, postea Archiepiscopus Ragusinus creatus est; vir sanctitate insignis; reformator Monasteriorum Insulæ Melitæ prope Ragusium, in scientiis doctissimus: sed & in græca lingua valde eruditus. Transtulit diversos tractatus (& S. Dorothei Sermones) *a græco in latinum sermonem. Claruit temporibus supradicti Imperatoris* (Caroli V.). *Obiit Ragusii temporibus nostris, & sepultus est in suo Archiepiscopatu.*

Queis Muratorius Tomo VI. Script. Rer. Ital. hanc notam adjecit.

Chrysostomus fuit electus Archiepiscopus, sedente Ludovico Beccatello Bononiensi, die 21. Octob. 1564., ut ex Actis Consist.

Errat tamen in anno dimissi a Beccatello, & a Chrysostomo initi Archiepiscopatus, qui fuit 1565., ut superius dictum.

VINCENTIUS ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS LIX.

Vincentius Porticus Archiepiscopus a Gregorio XIII. Ragusiensibus datus.

Post obitum Chrysostomi Calvini, Senatus per litteras mandavit Joanni Gundulæ suo apud Sedem Apostolicam Oratori, ut nomine Reipublicæ a Gregorio XIII. Archiepiscopum peteret, neminem quidem nominatim, sed quem Pontifex maxime idoneum aptumque huic gravissimo muneri judicaret. Ille nominavit, præfecitque Metropoli Ragusinæ Vincentium Porticum, ut docent Tabulæ Consistoriales: *9. Martii 1575. providit Metropoli Ragusinæ Pastoris solatio destitutæ, de persona R. D. Vincentii Portici Lucen. Prælati, noti in Curia & probati, cum retentione Decanatus Ecclesiæ Lucensis, & aliorum compatibilium.* Post duos menses ac decem dies jussit ei Pallium imponi: *20. Maji mandavit dari Pallium Archiepiscopo Ragusino præsenti cum ceremoniis consuetis.* Natus est Lucæ, quæ civitas est nobilissima Italiæ, & sedes augustissima Reip. Lucensis, patre Hieronymo Portico, viro patricio, & amplissimis in sua Civitate magistratibus atque honoribus functo. Ante aliquot annos Lucæ adhuc extabat nobilissima Porticorum familia; de qua hæc scribit Hieronymus Lagomarsinus in adnotationibus ad Volumen IV. epistol. Julii Pogiani pag. 400. *Ex eadem Vincentii hujus Portici nobilissima apud Lucenses familia habui olim adolescens in Ciconinio Pratensi collegio contubernalem, postea vero in Societate Jesu etiam sodalem Franciscum Mariam, hominem summo ingenio, excellenti doctrina, singulari prudentia, sanctissimisque moribus præditum, qui, Senis in Etruria collegii S. Vigilii rector cum esset, die 26. Jul. anno 1748. ætatis suæ 57. desiit vivere: cujus fratrem Hieronymum, ex inclyta Matris Dei sodalitate, nulla laude Francisco Mariæ concedentem, suspexi, dum viveret, atque amavi. Eorum fratres, hæc ipsa dum scribimus, tres supersunt, Hippolytus sacerdos, Josephus Eques Hierosolymarius, Guilhelmus paterfamilias; qui grandis jam natu, carensque virili prole,*

Alexandrum Caſtracanium, patricium Faneuſem, Lucam, unde majores illius orti ſunt, arceſſitum, generum ſibi, & fortunarum gentiliſque nominis hæredem, tradita ei in matrimonium filia Maria, fœmina lectiſſima, optavit atque inſtituit. Vincentius latinis litteris imbutus, primum in Bononienſi, deinde in Ferrarienſi Gymnaſio gravioribus diſciplinis, ac præſertim juriſprudentiæ operam dedit; in qua ſic excelluit, ut a viris ſapientiſſimis, & juriſperitiſſimis magni habitus fuerit. Reverſus in patriam, cauſſis forenſibus aliquot annos impendit, in quibus agendi ſuam fidem ac diligentiam, vim ac perſpicuitatem dicendi, communium & municipalium legum intelligentiam ita omnibus probavit, ut, ſi qua gravior ac difficilior controverſia exiſteret, ad illum non modo cives, ſed etiam advenæ eam deferrent, ejuſque domus quaſi quoddam juriſprudentiæ oraculum quotidiana hominum frequentia celebraretur. Ejus auctoritatem principes illius ætatis Juriſconſulti, Aldobrandinus, Alciatus, Ronchegallus, & alii etiam plurimi faciebant, eaque in ſuis ſcriptis ad ſuas deciſiones confirmandas utebantur. Ad Conſilium publicum Civitatis admiſſus cum eſſet, nihil fere, niſi ex illius ſententia decerni ſolebat. Nullus ex primariis Magiſtratibus fuit, quem ille ſumma cum laude non geſſerit, nullus honor, quem non aſſecutus fuerit. Orator Reipublicæ ad Sedem Apoſtolicam deſignatus, Romam commigravit; quo in munere cum eas, quibus præditus erat, virtutes explicuiſſet, acumen ingenii ad difficillima quæque expedienda, intelligendi celeritatem, decernendi conſilium, agendi induſtriam, tantam ſibi cum apud omnes, tum præſertim apud Pium IV. exiſtimationem ac benevolentiam conciliavit, ut ejus prudentia ac dexteritate ad civiles Urbevetanas diſcordias ſedandas Pontifex uti decreverit; atque idcirco, ut alium ad ſe oratorem mitterent, ſibi vero Eccleſiæque Vincentium donarent, ab Senatu Lucenſi poſtulavit atque impetravit. Tunc Eccleſiaſticæ militiæ nomen dedit, & Protonotarii Apoſtolici titulo præditus, profectuſque ad Urbem veterem, cives illos inter ſe diſſidentes in priſtinam concordiam reduxit. Deinde Anconitanæ urbi, poſtea toti Picenæ Provinciæ magna cum laude præfuit; ubique inſignis juſtitiæ ſuæ, æquitatis, prudentiæ, beneficentiæ memoriam, animis illarum gentium altius infixam reliquit, quam ut brevi tempore deleri poſſet. E Picena Provincia Romam evocatum, Pius V. Oratorem deſignaverat ad Philippum Regem Hiſpaniarum, qui in Italiam ad viſendas urbes ditionis Hiſpanæ, reſque publicas curandas & componendas, venire conſtituerat; ſed cum graviora negotia conſilium profectionis Italicæ alio avertiſſent; idem Pontifex Polonam legationem ad Sigiſmundum Regem non minus honorificam, ſed magis laboriosam, Vincentio decrevit; eique mandata de magnis rebus ad Maximilianum Imperatorem ex itinere perferenda dedit. Quin, uti affirmat Spondanus ad an. 1571. juſſus quoque fuit ad Baſilium Ruſſorum & Moſcorum Imperatorem, qui maxime equitatu pollebat, & ſeptemtrionalem plagam Turcico imperio in extrema Europa & Aſia circumpoſita confinem late tenet, ire, ut eum pariter ad bellum cum Turca communi hoſte gerendum incitaret; etenim poſt relatam ad Echinadas inſulas de Turcis victoriam an. 1571. a fœderata Chriſtianorum claſſe, Pii Pontificis cogitatio omnis & cura eo converſa erat, ut conjunctis omnium fere Regum, ac Principum armis communis hoſtis imperium penitus deleretur. At ubi de barbaris, ac pluſquam ferinis & inhumanis Moſci moribus plane cognovit, atque in animum revocavit quam alienus a Romana Eccleſia eſſet, & quoties etiam miſſis legatis imminente a Polonis periculo promiſſam fidem fregiſſet; reſcripſit Portico non eſſe cur ad eum proficiſceretur. Verum de Polona Vincentii Portici legatione ſelectiſſima habeo monumenta quædam ex litteris Julii Pogiani, & ex adnotationibus Hieronymi Lagomarſini; nam in Tomo IV. epiſtol. hæc Julius de Vincentio ſcribit ad Stanislaum Hoſium Cardinalem Varmienſem an. 1568. quo Porticus Roma Poloniam verſus diſceſſit: *Neque vero gratior mihi facultas offerri potuit dandi ad te litteras, quam hujus Vincentii Portici, nobilis in primis & clari viri, quem a Pio quinto pontif. max. ad Poloniæ regem legatum eſſe, & ipſi Pontifici, & provinciæ veſtræ, & tibi, & maxime Portico gratulor: cujus ſummam iſtic legationis difficultatem ſapientia ac bonitas tua, cui is plurimum confidit, valde levabitur. Reliqua præſtabit Portici virtus, multis illa ſcilicet conſtans animi atque ingenii bonis, probitate, integritate, religione, doctrina, prudentia, uſu magnarum rerum; quibus nimirum reliquas gratulationis meæ partes, Deo adjuvante, comprobabit.* Tum ad epiſtolæ calcem: *Plura prohibeor tempore, præſertim proficiſcente, & jam poſcente litteras Portico;* quibus extremis verbis ſubjicit Lagomarſinus: *Roma Porticus diſceſſit ſive illo ipſo die 18. Febr. quo die Pii V. Juperius a nobis allatæ ad Sigiſmundum Auguſtum litteræ datæ conſpiciuntur (ad quem eundem diem Pogiani has ad Hoſium, nullo in exemplari noſtro notatas tempore, retulimus), ſive certe non multo poſt. Proſtat quidem in Tab. Eccl. Rom. pag. 453. Cardinalis Sirleti ad eumdem Hoſium epiſtola, in qua hæc leguntur:* " Interea nolui, reverendum dominum Porticum ſine litteris meis ad te venire, eſt enim mihi amiciſſimus ex multis annis, eſt optimis moribus; juris humani & Pontificii atque canonum notitiam habet non vulgarem; quibus rebus motus ſanctiſſimus Dominus noſter mittit nuncium in Poloniam &c. Romæ xv. Martii 1568.„ *Sed ſive ea epiſtola ad Porticum, Roma jam ante multos dies profectum, cumque adhuc eſſet in itinere, tranſmiſſa a Sirleto eſt, ad Hoſium perferenda, ſive notatio illa temporis mendoſa eſt, legendumque non xv.* Martii, *ſed xv.* Kal. Martii *vel* x. Kal. Martii. Hanc legationem Vincentii commemorat Laderchius in Annal. Eccl. Tom. xxiii. pag. 114. ad hunc ann. 1568. *Hoc anno*, inquit, *quem toties ſupra memoravimus, Julio Rugerio Romam revocato, in ejus locum apoſtolicum ſuum nuncium Vincentium Porticum, Lucenſem, Pius in Poloniam miſit;* & litteras affert a Pontifice creditas Vincentio, quas ad Sigiſmundum Auguſtum Poloniæ regem deferret.

Quæ geſſerit ante Archiepiſcopatum.

Orator ſuæ Reip. ad Pium IV.

Internuncius Pontificius ad Sigiſmundum Poloniæ Regem.

Chariſſimo in Chriſto filio noſtro Sigiſmundo Auguſto Poloniæ Regi illuſtri. Pius PP. V. Chariſſime &c. Redeunte ad nos dilecto filio Julio Rogerio, qui apud majeſtatem tuam noſtri & Sedis apoſtolicæ nuncii officio functus eſt, in ejus locum noſtrum & ejuſdem Sedis oratorem & nuncium

Pii V. litteræ ad Regem Poloniæ.

Digitized by Google

cium delegimus ex prælatis dilectum hunc filium Vincentium a Porticu, Sedis apostolicæ protonotarium, virum nobis probatissimum atque gratissimum, cujus opera, consilio atque doctrina uti consuevimus in nostris & hujus sanctæ Sedis negotiis: a quo majestas tua plane edoceri poterit de nostra erga te paterna voluntate, & de cura, quam, pro commisso nobis officio, habemus salutis regni tui, & quidem tanto majorem, quanto vehementius illud perturbatum esse videmus tum externo bello, tum intestinis hæreticorum sectis. Non esse hortandam majestatem tuam, satis scimus, ut eum advenientem benigne excipiat; id enim, pro sua erga Sedem apostolicam pietate & reverentia, facturam esse, certum habemus, ut & hoc tempore & in posterum, quibuscumque de rebus tecum aget, parem ei fidem habere velis, ac si nos ipsos audires: quod erit nobis gratissimum. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo piscatoris, die 18. Februarii 1568. Pontific. nostri an. 3.

Ejusdem ferme exempli ad cæteros quoque Polonici regni proceres, tam ecclesiasticos quam laicos, a Pontifice epistolas Vincentio traditas fuisse, diserte in Vaticanis tabulis asseritur.

Res a Vincentio in Polonia gestæ.

Porticus in Poloniam cum advenisset, egregie de Apostolica Sede, & re Christiana meritus est; nam illius jura vindicavit, catholicæ fidei plurimum profuit, quam propemodum labantem sustinuit, atque in pristinum statum restituit, hæreticorum conatus infregit, effecitque apud Sigismundum regem, ut decreta sacrosancti Concilii Tridentini edicto regio ab omnibus recipi servarique juberentur; quare Spondanus in Annal. ad an. 1571. num. 25. scribit, Porticum *egregiam operam pro reformatione morum, & incremento religionis catholicæ* in Polonia præstitisse. De illo ista Gabutius in vita Pii V. lib. 3. cap. 10. pag. 108. *Post Rugerium Pius Vincentium Porticum, integrum virum, quem deinde Epidaurensem Archiepiscopum vidimus, internuncium pontificium apud Poloniæ regem constituit. Hujus autem opera Pontifex ibi multa, eaque præclara ita gessit, ut magnam integritatis, animi magnitudinis, ac liberalitatis laudem sit consecutus.* Sed rerum a Vincentio gestarum summo rei Christianæ in Polonia bono luculentissimum testimonium esse possunt ea litteræ, quas Anna Sigismundi soror ad Pontificem misit dignitatis ac benevolentiæ in Porticum plenas, ut Pium permoveret ad conferendum illi summum Cardinalatus honorem, quasque Franciscus Goubau inter Apostolicas Pii V. litteras retulit lib. v. epist. 2. eas vero ex adnotationibus Lagomarsini huc transcribimus, quippe Vincentio nostro perhonorificas.

de quo litteræ Annæ regis Poloni sororis ad Pontificem.

Anna, Sigismundi Augusti, Poloniæ Regis, soror, Pio Papæ V. Sanctissime ac beatissime pater, ac domine clementissime. Quotiescumque mecum ipsa considero, quam aperte ac sæpe Sanctitas tua clementem planeque paternum erga me animum suum per litteras mihi testatum esse voluerit, toties me, scilicet immeritam, corripit tremor quidam, atque obmutesco, nec, quibus verbis illi gratias agam, invenio. Velim equidem, clementissime pater, re ipsa præstare id, quod in sacrosanctæ Sedis apostolicæ gratiam apprime cupio, atque ita, quæ in me beneficia confers, large compensare, sed facultas haud respondet voluntati. At vero propensionem ac promptitudinem animi mei plurimis in rebus perspicere potuit reverendus Internuntius, qui pro munere suo de religione solicitus mihi nonnulla communicavit ... Quod reliquum est, id ego per hanc, quæ mihi sese offert, Sanctitati tuæ respondendi occasionem, tum pro conscientiæ meæ rationibus, tum etiam pro eo, quod christianæ religioni, in hoc regno jam reflorescenti, atque adeo ecclesiæ Dei præstare debeo, aperte non fateri non queo: nempe si mihi liceret Sanctitatem tuam in hasce regni sedes adducere, ut suis ipsamet oculis intueri posset, quos fructus in hisce hominum moribus tractandis, ad hujus tranquillitatem regni, & ad imminentes rerum difficultates tollendas, protulerit ac proferat in dies ipsius Internuntii apostolici splendor virtutis, ac dignitas egregia, cum vitæ integritate, modestia prudentiaque conjunctæ, haud dubie Sanctitas tua, pro ardenti suo religionis atque hujus regni felicitatis studio, & meis & regiæ majestatis & Catholicorum, ac demum piorum omnium, id videre cupientium, votis responderet, summæ dignitatis ornamenta in ipsum Internuntium conferendo: quod omnino, præsertim hoc tempore, & christiana religio & regni quies videntur exposcere. Illud quidem vulgatum esse cognosco, id solum ad majorem hominum salutem ecclesiæque incrementum ab omnibus vehementer optari.....Datum Varsaviæ prid. non. Apr. 1571.

Ex litteris vero Decii Azzolini Cardinalis ad Internuntium Pontificium apud Regem Poloniæ datis an. 1585. id etiam intelligimus, publicas Internuntiorum ædes magnifice & commode a Vincentio partim sartas fuisse suis sumptibus, partim a fundamentis Cracoviæ exstructas.

Interea Pius Pontifex, ut majori regni Polonici utilitati consuleret, celeberrimum ea tempestate virum, & Cardinalis dignitate insignem Joannem Franciscum Commendonum cum potestate Legati a latere ad Sigismundum Augustum misit, Porticum vero in suo munere consistere jussit, nec illum pro supplicibus Annæ votis in Cardinalium senatum, quod illa optaverat, tum censuit cooptandum; unde non levis dissensionis origo, qua offensum in Commendonum Vincentii animus paruit, veluti in eum, qui sibi aditum ad expetitum honoris gradum hac legatione occlusisset, & in molestum, qui suas actiones inspiceret, ac præpediret, speculatorem. Et sane Commendonus ab inita statim legatione Portici actiones cœpit improbare. Hactenus agebatur de divortio Sigismundi Augusti cum ejus conjuge Catharina Austriaca; & de re tam gravi ad Commendonum jam antea Porticus scripserat litteris datis Lublino idibus Januariis an. 1569. quibus illum monuit *Archiepiscopum Gnesnensem cum lacrymis & efficacissimis rationum momentis palam in Senatu orasse Regem, & ab eo postulasse ut uxorem ad se revocaret. Ejus orationem*, inquit, *tres ex Senatoribus plane ad rem sunt prosecuti; unus adolescens verbum nescio quod protulit de sobole procuranda, servandaque regiæ familiæ posteritate; sed nemo ei animum intendit. Ego hac oblata occasione, quæ meæ sunt partes, exsequar suo tempore. Faxit Deus, ut quod opto eveniat; ideo omnia jam paravi, quæ, ut fieri potest, duritiam emolliant &c.* Et hisce quidem Commendonus respondit egregia epistola ad Porticum missa Vindobona, ubi tum morabatur, 10. Kal. Febr. ejusdem anni.

Litteræ Commendoni ad Vincentium.

Peti-

Digitized by Google

Petitio facta in Senatu de reditu Reginæ plurimam, ſi res ita conſiſtant, laudem illius caritati promeretur, qui, Regina ipſa & Imperatore ſilentibus, tamen ad id petendum ex ſeſe voluit adduci. Utinam vero nova hinc exordium ne ſumant, & petitionem illam aliæ non conſequantur de regia ſobole ac poſteritate, tum aliæ quæ inde profecturæ ſunt; de quibus opus non eſt, ut ad te ſcribam, & id repetam, de quo diu Romæ collocuti ſumus. Ipſemet ades, & prudentia tua perſpicies ac plane cognoſces, quo modo, a quonam, quo tempore, & quem in finem hæc poſtulatio facta fuerit, & utrum hoc inſerviendi reipublicæ ardore nonnulli eo fortaſſe ſpectent, ut ignem incendant, & late ſinant exardeſcere. Principiis obſtandum eſt, immo ipſa turbarum impedienda initia; hoc caput eſt rei totius. Interea certo ſcias, nihil eo utilius, ac Deo & Regi gratius a te impendi iſthic poſſe ob multas & magnas tanti negotii conſecutiones. Ego quidem noſco, quis animi affectus Regem perturbet, & pro eo, quo illum proſequor veræ dilectionis obſequio, tanto magis doleo, quanto graviorem morbo ipſo & periculoſiorem medicinam eſſe ſentio, quæ illi paratur, quippe in everſionem, & totam integram totius regni ruinam. Verum qui primi communi caſu obruerentur, ipſi auctores eſſent & fautores conſiliorum tam exitialium; quod juſto Dei judicio expertus eſt Eboracenſis in Anglica calamitate; idque, ſi nonnulli velint iſthic recte meminiſſe, libere a me dictum eſt in Petricovienſi hac ſuper re Epiſcoporum conventu, & Regi ipſi iteratum; cui etiam Mariæ Reginæ de Henrico Rege ac patre ſuo fidenter enarravi, quos illa mecum in Anglia communicaverat: tot enim, & tam infauſta Regis connubia cum perpenderet animo, nihil ſibi a Deo optabilius eſſe ajebat ſæpe ſuſpirans, quam ut aliquot illius annorum curſum proſpicere poſſet. Sed Regi noſtro, ita quippe cum appello pro devota, qua in ipſum feror, obſervantia, hanc gratiam Deus elargitus eſt, ut exemplum Anglici Regni præ oculis habeat. Equidem cum hujuſmodi eſſe iſthic rei ſtatum intellexiſſem, parum abfuit, quin ſcriberem ad Regem. Tuis tamen litteris certior factus, pauca quædam, eaque nullius momenti innuta fuiſſe ſolummodo ab adoleſcente Senatore, ſatius duxi tibi uni hac epiſtola ſententiam meam exponere, a quo valde ſpero iſtiuſmodi exordia prudentiſſime præpeditum iri: etenim Divinæ gloriæ, & maximæ Regis utilitati conſulitur; cum is ſecus e tranquillo quietis portu, quo deduci deberet, in ærumnoſiſſimam curarum turbarumque procellam miſere perstrabatur a Deo & mundanis fluctibus impendentem ob eas cauſſas, quæ optime tibi ſunt perſpectæ &c.

Verum Commendonus, Polonæ legationis munere jam ſuſcepto, quid ſibi in Portico hanc ob cauſſam poſtea diſplicuerit, quadam ejus ad Card. Ruſticuccium epiſtolæ, quam affero, particula non obſcure ſignificat. Die enim 19. Nov. an. 1571. Vienna ſcribens, *Ab Internuncio Poloniæ*, inquit, *litteras hodie accepi datas VII. idus hujus menſis, quibus me certiorem facit, ſibi a Rege poſtremis hiſce diebus reſponſum traditum eſſe brevi, ut ajunt, Pontificis epiſtolæ per Maggium ante plures menſes ad Regem ipſum delatæ; cui quidem reſponſo videtur ipſe plurimum acquieſcere, & bene de re tota ſperare, ut tu quoque ex ejus litterarum exemplo hiſce incluſo cognoſces. Verum aut ego id non aſſequor, quod Internuncius aliquantum obſcure ſcribit, aut a Rege quempiam miſſum iri ſignificat, qui illius nomine divortii faciendi facultatem poſtulet a Pontifice, & hoc quam ægerrime fero; cum in ea ſemper ſententia fuerim, hujuſmodi negotium Romam non eſſe deducendum; ſi enim ibi producatur, ea procul dubio ſequentur, quæ in Anglia conſecuta ſunt. Quin hoc nimirum ſpectant ii, qui Regem conſulunt, queiſque ſatis non eſt, ſi ſponte ſua divortium faciat, ſed præterea curant, ut ante ab Apoſtolica Sede repulſam ferat, quo facilius regnum illud a Catholica religione deficiat. Hoc ipſum, cum ego illic eſſem, per obſequii ſpeciem in Romanum Pontificem aggreſſus eſt Archiepiſcopus Gneſnenſis; hoc unum innuebant bona reſponſa, quæ Internuncius ab Rege ſe accepiſſe ſcribebat, ſcilicet in re hac ſalvam fore Pontificiam auctoritatem; & hoc etiam epiſtola heſterna indicare videtur. At intelligere ſatis nequeo, quid ſibi velint hæc illius verba,* cum utriuſque partis ſatisfactione; *utrum fortaſſe ſignificent, regem & reginam communi conſenſu tori diſſolutionem eſſe poſtulaturos; quod ego de regina nunquam crediderim; etſi autem abeundi licentiam ab Imperatore jam petii, omnino tamen cum eo ante colloqui volo de re tota, quam abſcedam .... Utinam ne memet ego decipiam, & res ipſa eo jam via hac progreſſa ſit, immo ita conſtituta, ut meum in Poloniam iter fruſtra ſit futurum &c.*

et de Vincentio ad Card. Ruſticuccium.

Poſteaquam vero Varſaviam advenit, hæc iterum de Portico ad Ruſticuccium die 16. Januarii anni 1572.: *Te divinaſſe puto, qui epiſtolam per me ad Internuncium miſeris cum mandato, ut omnia mecum communicaret, quod ego hercle neceſſarium non duxeram; ſed ſentio, ne id quidem ſatis eſſe, & gravi afficior animi angore; nam, ſi rem ingredi volo, vereor ne in pejus ruat, & fruſtra loquar; cum non totam ſolum rei ſummam me celet, ſed etiam mihimet aperte dixerit, liberum ſibi non eſſe illam mihi patefacere: perſpicue autem cognoſco id ſatagi, ut negotium in Conventum adducatur, &, niſi proviſum fuerit, abſque remedio ullo adducetur.* Tum ad eumdem die 16. Aprilis illius anni: *Cum Internuncius ad me retulerit, ſe iſthic egiſſe de pecunia in Proceres regni diſtribuenda Fœderatorum nomine, quod poſtremis ad te litteris ſignificavi, ut ipſi privato jure exercitum comparent adverſus Turcas, & de re hac ipſa ad Venetos ſcripſiſſe, clare cum eo ſum collocutus, ut oſtenderem, quantum detrimenti modo afferat negotii hujus propoſitum &c.* Sed multo gravior diſſidii cauſſa cum Portico extitit Commendono poſt Sigiſmundi Auguſti obitum; nam de Rege eligendo diu multumque inter Poloniæ Proceres decertatum eſt, & alii, quibuſcum Porticus conſentiebat, Annæ Sigiſmundi ſorori favebant hac conditione interpoſita, ut Herneſto Rodulphi II. Imperatoris fratri nuberet, alii Henricum Valeſium Ducem Andegavenſem & Caroli IX. Galliarum Regis fratrem ad regnum poſcebant. Hinc Commendoni epiſtola ad Cardinalem Ruſticuecium plena querelarum in Porticum, Solicoviæ ſcripta die 2. Octobris ejuſdem anni; qua totam Internuncii rationem in re hac gerenda graviſſime improbat hiſce verbis.

Audivi poſtea ab ipſo Laſkio, Internuncium litteras ad ſe miſiſſe, quibus enixe ſuadebat, ut Annæ partes impenſius proveherent, etiam atque etiam

etiam orans nequid mecum de hoc communicaret; quod Laskii animum graviter offendit, quin etiam ſuſpicionibus quibuſdam perſtrinxit; præſertim cum deprehenderit, Internuncium hinc diſſimulare, quod negotium cum adminiſtris Cæſaris tranſigatur, illinc rem aliter eſſe ex ipſorum litteris prodi ..... Atque ita rem quidem totam circumagunt, ut de Herneſto nihil modo proponatur, quippe fertur nomen familiæ Auſtriacæ eſſe nimis peroſum, ſed Annæ ſolum electio, ipſa vero ſpondeat nulli præterquam Herneſto nupturam, &, ut negotium facilius cedat, primariis ex ordine ſenatorio viris innuatur interea, ipſos, cum Anna ad regiam dignitatem fuerit evecta, per vices regnum moderaturos; & hujuſmodi quidem eſt Internuncii actio; quod ex ejus litteris ſua ipſius manu deſcriptis cognovi, ac multus inde animo ſuſpectus incidit, hocce conſilium ab eo afferri, qui Pontificii Internuncii munus gerit, ex quo id fieri neceſſe eſt, ut hæreticus quiſpiam e Senatoribus illico regni gubernacula obtineat, & religio ſus deque vertatur .... Sin id agit pro Herneſti cauſſa, & verbis huic modo, modo alteri illudit, ne hæc quidem agendi ratio videtur dignitati conveniens ..... Miſi ego, qui illum ad me vocaret, ut eſſe quoſdam monerem, qui litteras intercipiunt, quique in ipſum, & in me nonnullos ad odium commovent, queis perſuaſum eſt, nec injuria, ſi de ſpecie rerum advertimus, omnia me permittente, ſin minus jubente, tractari; unde tum apud illos, qui ſuas actiones me celari ſciunt, tum præſertim quos ipſe rogat, ut mecum ſileant de re tota, ejus exiſtimatio plurimum imminuitur. Quærere etiam ab eo velim, utrum prior illa Pontificis juſſio revocata ſit, qua conſtrictus fuerat, ut non modo ſingula mecum communicaret, ſed illud præterea exſequeretur, quod ego licet e Regno abſens illi ſignificaviſſem; ſecus admonebo, maxime cavendum ſibi, quamvis nec conſuli a me, nec dirigi exſpectet, ne contumaciæ, & minoris, quam par eſt, erga Pontificem fidei, & erga eum, qui Pontificiam perſonam ſuſtinet, obſervantiæ arguatur; ſui æque, & mei muneris eſſe, pro Pontificis mandato Auſtriacæ familiæ inſervire, non ita vero, ut quidquam Pontificem lateat, multoque minus ut noſmet tricis omnibus involvamus, nec ita, ut ſuſpicentur alii, conſentire nos rei cuipiam, quæ Pontifici minus probetur, aut manum conferre, aut in privatum commodum officii noſtri partes convertere, quod totum illi debitum eſt: benignitas autem Pontificis, & animi magnitudo ea eſt, quæ Internuncii ſui labores & geſta optime noſcat, ac velit pro meritis remunerari, modo ne ad id oblique alieno cujuſpiam ſtudio adigatur. Denique de rebus omnibus libere & ſingillatim ita loquar cum illo, ut cognoſcam quid agere, quid reſpondere conſtituerit, & perturbatum negotii ordinem quiete abſque ulla violentiæ diſcordiæque offenſione componam. Patientia multis in rebus neceſſaria eſt; & Toletus optime novit, quantum me illa uti animo oportuit in præterito regni conventu: profecto pernicioſa nimis res eſt ambitus Cardinalatus in Internunciis, quibus ad hanc dignitatem via patuit Principum interceſſione &c.

Hæc Commendonus de Portico ad Ruſticuccium: reliqua jam ab eodem de illius actis deinceps ſcripta ad Cardinalem Comenſem perſequamur. Etenim litteris die 18. octobris an. 1572. Solicovia datis, *Quid Internuncius ſentiat, ignoro,* inquit; *nollem in ejus perniciem ſcribere, & vereor ne magis ſilendo noceam; etenim eadem ejus agendi ratio fuit in proximo conventu, & negotia, quæ mihi & illi communia, aliter, atque ego, aggredi & gerere pergit, tum nihil mecum communicat ex iis, quæ de divortio, de concordia in cauſſa religionis, aliiſque rebus graviſſimis, & ingenti diſcrimini obnoxiis tractata ſunt: eo quidem adductus eſt, ut fateretur, ſe jurejurando adſtrictum eſſe, ne rerum arcana cuiquam patefaciat; ſed, quamvis aperto Pontificis mandato omnia mihi, velut ipſi Pontifici, ſignificare debuerit, nunquam aſſequi potui, ut ab illo ſacramenti ſolutionem per litteras poſtularet. Interea diſſolutus eſt conventus, & Pontifex (Pius V.) vita deceſſit. Idem a te mandatum modo accepit Pontificis nomine (Gregorii XIII.) at fruſtra. Ego ad illum ſcripſi, ut huc adveniret gravem ob cauſſam, quæ moras ferre non poterat; nec venit hactenus; & ephebum miſit cum literis, quibus ſe mihi de pluribus adventus ſui impedimentis excuſat, primum de quadam pecuniæ ratione ab ſe Annæ nomine componenda, de litteris pro eadem in Italiam mittendis, tum de veſtimentorum defectu, iiſque ſimilibus cauſſis .... Profecto huic reſponſioni parum acquievi, cum permirum mihi videatur, intanta, qua ſumus, locorum propinquitate duobus fere abhinc menſibus nec ſponte ſua, nec tam ſollicite vocatus huc advenerit, præſertim cum in itinere bis tantummodo & penes eccleſiaſticos viros ſit illi pernoctandum .... Plures ad me aliorum epiſtolas mittit, quæ iſthuc perferantur, nullam unquam e ſuis. Equidem hujuſmodi rerum neglectus ad inſanabilem morbum illas perducit, cujus contagione omnes deinceps Internuncii Sedis Apoſtolicæ graviter afficiantur. Si iterum cum imperio illum arceſſam, aut ægritudinem ſimulabit, aut minime veniet, aut, ſi venerit, quo detegi ſe magis ſuaſque actiones perſentiet, eo propius hiſce Principibus accedet, quoque impenſius res cum illis tractaverit, eo facilius & commendatitias litteras ab illis obtinere, & majori illorum gratia foveri poterit: nec cum illo recte agi exiſtimo, ſi in apertam diſſenſionem erumpam; quod parum prodeſſet, & aliorum animos maxime offenderet. Pontifex ſapientia plurimum pollet, & probe noſcit cum impedimenta, quæ Dei obſequio opponuntur hac Internuncii cum Ciro conſpiratione, tum dedecus, quo legationem noſtram inſpergi video, ſive in regno conſiſtam, ſive hinc diſcedam, ex actibus iis, quibus nobiſcum utitur, tum remedii adhibendi neceſſitatem. Quod ad me attinet, nemini detrimentum afferri cupio; libenter abibo, etſi manſionem non abnuo; & obedientiæ unice intendo, quæ optima mihi regula eſt actionum mearum.* cum ad Card. Comenſem.

Et Kalendis Decembris ejuſdem anni ad eumdem Cardinalem Solicovia iterum ſcribens, ab Internuncio novi nihil ſe accepiſſe affirmat ab ipſa ferme die viceſima menſis Octobris. *Hiſce tamen diebus,* ſubdit, *per litteras ex Annæ aula ſcriptas IX. Kal. Decembr. intellexi, ipſum miſiſſe, qui illam oraret, ut ad aulam ſemet arceſſeret, tum a quibuſdam ex Senatoribus, qui Auſtriacis favent, enixe agi, ut in regno conſiſtat, quo Annæ cauſſa, eo fautore, firmiter vigeat, Andegavenſi repulſo, & Archiepiſcopus in illorum parte contineatur, qui, ut dixi, hac ſpe illectus eſt, ſe Rectorem regni fu-*

futurum. Hoc ego curo, & pro viribus curabo, ne Internuncius egredi e regno cogatur; ita enim fieri convenit: at, si is hac ratione negotia gerit, ego autem pro acceptis a Pontifice mandatis, Austriaci & Galli suspicentur necesse est alia mihi atque illi Pontificis mandata deferri, aut ejus administris id culpæ vertant, præsertim mihi; existimant enim Internuncii actiones a me dirigendas esse, quod ipse negat, & jussa Pontificis callide celat; admonitiones vero nostræ nihil conferunt, præterquam in Austriacos diffidentiam de me. Ego quidem libentissime feram, eorum querelas & offensiones in me potius, quam in Pontificem cadere, quod etiam accidit in nuperrima legatione Augustana; mihi quippe sat est, communi utilitati & Deo inservire per infamiam & bonam famam, & gratissimum erit, siqua licet cum nostri nota tota rei tractatio in Dei obsequium convertatur.

Hæc aliaque ejusdem generis legato Commendono in Portico displicuerunt; qua re factum est, ut Gregorius XIII. haud ita multo post e Polonia in Italiam redire Porticum jusserit, eumque in posterum tempus ab omni publicarum ejusmodi rerum administratione prohibuerit. Ex Polonia autem quando revocatus fuerit, ex Commendoni binis ad ipsum Cardinalem Comensem litteris cognoscemus; ad quem die 8. Jul. an. 1573. Schernovicio Romam hæc scripsit: *Privati ad publicum conventum congressus incipient Kal. Septemb. quo tempore dubium est, an Rex (Henricus Andegavensis) huc (in Poloniam) pervenerit, & cum eo Episcopus Monisregalis, quem optime ad hoc munus (Internuncii) Pontifex elegit .... Ad Porticum misi litteras breves Pontificis & epistolam tuam de illius revocatione; & quoniam eas ita præcipis tradi, ut ignorationem Pontificiæ voluntatis non simulet, ipsum auditionum assessorem meum Varsaviam dimisi dedita opera, qui Annam invisat meo nomine, & ex tuo mandato Pontificis jussum dextere eidem significet, ipsasque litteras suis ipsius Portici manibus tradat.* Aliis deinde litteris diei decimæ mensis ejusdem, *Hic insertam*, inquit, *accipies epistolam assessoris mei Varsavia scriptam*; subditurque ea ipsa epistola hujusmodi. *Heri mane epistolam & breves Pontificis litteras statim ac Varsaviam perveni, Internuncio obtuli, qui, ut eas legit, Voluntas, inquit, Pontificis mihi legis instar semper fuit. Hoc unum displicet, non posse me adeo, ut vellem, celeriter hinc proficisci quatuor ob causas; prima est, ut duodecim equos mihi necessario coemam; altera pecuniæ defectus, cum Pontificium stipendium propter impedimenta quædam hoc anno non acceperim; tertia, ut multa vendere necesse sit ex domestica supellectile, quæ in Italiam nequeunt asportari; quarta ephebi morbus, quem solum hisce in locis nollem relinquere; ait tamen, se nihilominus discessurum certe prima Sextilis hebdomada, & mense Septembri Romæ futurum .... Mihi a Barone dictum est, quempiam ad Annam detulisse, te illi adversatum: nunc autem suspicio est, Internuncium tui opera & Cardinalis Varmiensis revocatum fuisse ita, ut malum altius insedisse videatur; tanta vero, quam intueor, rerum mutatio, & excusationum varietas, mihi facile suadent, hæc omnia ex animi molestia exoriri, quam Anna persensit de revocatione Internuncii; cum, ut ego reor, ei quidam dixerint, Barense negotium, Internuncio absente, ruiturum, ipsiusque (cum rege Henrico) connubium alicui discrimini obnoxium fore.*

Porticus ex legatione Polona revocatur Romam.

Itaque Porticus sua legatione perfunctus Romam pervenit ipso anno 1573. eumque Gregorius XIII. Pio V. subjectus, ne præclara cæteroquin ejus merita in Christianam & Ecclesiasticam rempublicam neglexisse omnino videretur, licet propter mutuas cum Commendono offensiones nonnihil ab eo alienus animi esse debuerit, primum quidem amplissimo Sacerdotio Ecclesiæ Lucensis donavit, quem vocant Decanatum; deinde vero Metropoli Ragusinæ Archiepiscopum præfecit.

et Ecclesiæ Ragusinæ Archiepiscopus eligitur.

Anno 1575. Ragusium venit ingenti omnium civium lætitia & gratulatione; solemni pompa & frequentissimo comitatu, in Ædem Cathedralem deductum Franciscus Serdonatus copiosissima atque ornatissima oratione laudavit. Erat frater Sebastiani Portici ejus, quem ante Beccarellum a Pontifice designatum Archiepiscopum Ragusini ob eas, quas supra exposui, causas respuerant. Vincentium tamen pro sua erga Sedem Apostolicam observantia, qua dignum erat, reverentia & submissione excepere runt; quamvis quod fratrem antea repudiassent, id satis causæ videretur esse, ne Vincentium reciperent, veriti scilicet, ne propter fratris repulsam minus erga se propitium habituri forent. Suscepto Archiepiscopatu, antequam ex Italia discederet, nihil prius sibi faciendum decreverat, quam ut mores Cleri ac populi reformaret, quos nimia sui decessoris indulgentia depravatos fuisse inaudierat. Id ut perficeret, operarios evangelicos ab Everardo Præposito Generali Societatis Jesu, precibus etiam Senatus interpositis, postulavit. Pro egregiis tum Archiepiscopi, tum Reipublicæ Ragusinæ in nostram Societatem meritis, datus est utrique, cum Emerico de Bonis, Julius Mancipellus, vir plenus apostolici spiritus, qui Africam, Græciam, Germaniam, Poloniam, & Asiam excursionibus evangelicis, cum ingenti rei Christianæ incremento, & gentium illarum utilitate peragravit. Hanc Ragusinam expeditionem, & fructus ex ea perceptos Franciscus Sacchinus Parte IV. lib. III. Hist. Soc. Jesu his verbis exposuit: *Pari studio Epidaurienſis Respublica auxilia postulavit, instititque Vincentius Porticus, recens ad eum Archiepiscopatum evectus, vir & pro sua dignitate omni dignus obsequio, & pro eximio studio, quo Nuncius Pontificius Societatem in Polonia foverat, omnia meritus. Ergo Sacerdotum egregium par, Emericus de Bonis, & Julius Mancinellus cum comite in eam lecti Provinciam. Hi cum Archiepiscopo & legato ab Republica ad Pontificem misso, navi conscensa, quotidiano Litaniarum usu invecto, nautis ac rectoribus piaculari grano donatis, perque eam opportunitatem ad venerationem divinæ Matris, ac frequentem precandi usum excitatis, felicem cursum tenuerunt. Magna voluntate a summis, mediis, infimis accepti, illud primum, tempore admonente, pietatis incitamentum admovere. Pridie Kalendas Septembris, cum paulo ante pervenissent, inter Canonicos, & Clerum, numero amplius sexaginta, post sacrum maximum, mensturam distributionem Sanctorum fecere, adhibita explicatione accommoda utilitatis, quam ex eo religionis genere par esset decerpere. Atque Archiepiscopus, ut in sibi subjectis monasteriis, quæ numero*

Ragusium venit cum duobus Presbyteris e Soc. Jesu.

Digitized by Google

ro quinque ſunt, ea conſuetudo induceretur, imperavit. Quin etiam ubi emanavit in vulgus, adeo eſt libenter excepta, ut ultro Franciſcanus Pater in ſuum quoque Cœnobium ab ditione Archiepiſcopi liberum, ac privati cives permulti, magno cum animi ſui fructu, & gaudio, in ſuos domos induxerint. Piacularia grana Monaſteriis ex ditione Archiepiſcopi, ejus nomine diſtributa, atque accepta perlibenter, addita cohortatione loco apta. Duo ſunt extra mœnia, pauperum utriuſque ſexus, ætate feſſorum receptacula, ubi gratuito attinentur, collata etiam ad alimentum ſtipe. Hos item ſæpius inviſendo, adhortandoque ad cultum pietatis, Patres plurimum recrearunt. Primo Septembris Dominico die, cuncti magno cum ſenſu pietatis, atque uberi fletu ad Sacroſanctum Euchariſtiæ epulum acceſſere, permultis etiam e nobilitate ad ſpectandum affuſis, ut quorum oculis ea rerum ſpecies nova accidebat. Id fuit ſanctioris exordium inſtituti: nam decrevere in poſterum idem divinum convivium ſingulis menſibus frequentare, ſinguliſque diebus aliquantum ſpatium matutinæ precationi in Templo pariter impendere, atque Litanias ſub veſperum exequi. Interim Conciones ad populum ſacris quibuſque diebus perpetuatæ, ſolido fecundoque pietatis plauſu: a quibus numquam Illuſtriſſimus Rector & Senatus, quantumvis gravis cauſa interveniret, abduci ſe paſſi, egregio tum ſuæ religionis documento, tum publicæ ſtudio. Illud non mediocriter proderat, quod media in concione aliqua, ex populo opportunioribus, conſcientiæ quæſtio tractabatur: quamquam id munus inter hebdomadam etiam Julius Mancinellus ex inſtituto obibat. Ad hæc ſemel quaque hebdomada omnes, cum ſuis quiſque Auditoribus, Ludi Magiſtri in Templum primarium, multi præterea e nobilitate ac populo, ad catecheſim conveniebant. Ibi mirus puerorum animis ardor injectus (geſtientibus ad ſpectaculum parentibus;) neque ab ea ſchola voluit Archiepiſcopus præſentiam umquam ſuam abeſſe; cum & pias imagines, & cereos agnos, aliaque munuſcula diſtribuens, ſtimulos currentibus adderet. Illud etiam novum & mirum accidit vulgo. Juvenum nobilium inſignem manum ad frequentem Divinorum Myſteriorum uſum pellexere. Bis ſingulis hebdomadis ad Emericum conveniebant, qui eos (uti fit in ſodalitatibus B. Virginis) piorum librorum lectione, opportunis adhortationibus, collocutionibus, cæteriſque de more piis exercitiis ad omnem pietatem informabat. Tribus in Templis, quo latius pateret, ſodalitas Sanctiſſimi Dei Nominis inſtituta, ad temere jurandi uſum abolendum: nam dicta impia, atque execrationes neceſſe non erat arcere: quod ne nomina quidem in gentis lingua dicuntur ineſſe talium ſcelerum, invidenda felicitate. Neque intra urbem ſtetit labor & fructus; ſed cum Archiepiſcopo ad vicinas profecti Inſulas, nova lux iis quoque allata; ubi tantum piacularia profuere grana, ut poſtea per inſulanos ſparſa, paucos cerneres, quorum e manibus precatoria ſerta non penderent.

Conciones ab illis habitæ.

Severitas Vincentii in Clericos ac præſertim Archidiaconum.

Vincentius dum lenitatem Calvini deceſſoris ſui, in hominum vitiis nimio plus conniventis, ut ipſi videbatur, vitare ſtudet, ipſe ad nimiam ſeveritatem declinare viſus eſt; & cum a Pontifice extraordinaria & ſumma poteſtate ad corrigendum & puniendum armatus fuiſſet; eam fervidius, quam cautius, ad minitandum denunciare, atque ad terrorem aliis incutiendum, in quoſdam de Clero exercere cœpit. Sed gravior ejus animadverſio, & ſeveritas acerbior in Marcum Cabogam Patricium Raguſinum, & Archidiaconum Baſilicæ Cathedralis, incubuit. Hunc virum, haud magis ſenili canitie, quam ſumma apud omnes auctoritate verendum, qui poſt obitum Calvini Vicarius Capitularis fuerat, malevolorum hominum calumniis appetitum, primo in carcerem conjecit, deinde cum litteris multiplicium & falſarum criminationum plenis, Romam deduci juſſit, judicandum, damnandumque. Ille vero ad ſummum Pontificem adiit, ab eoque ſupplex impetravit, ut judices ſibi conſtitueret, apud quos ſuam cauſſam ageret; & coram quibuſdam Cardinalibus & Præſulibus Curiæ Romanæ adeo perſpicue ſingula, quæ ſibi objecta fuerant, crimina diluit, calumniatorum fraudes & mendacia detexit, & præterea honorificis ſummorum virorum teſtificationibus, quas ſecum attulerat, ita ſuam innocentiam probavit, ut omnium ſententiis abſolutus fuerit. Hæc Seraphinus Razzius. Itaque Raguſium regreſſus, priſtinum dignitatis, & honoris locum recepit. Vincentii acerbitas in reprehendendo, ſeveritas in puniendo mirum quantum animos omnium exacerbaverit. Civitas plena querelarum erat, & parum aberat, quin Cleri, populique indignatio, & contra Archiepiſcopum concitatio, in apertam ſeditionem erumperet; quod ne accideret, Gregorius XIII., de turbis Raguſinis per litteras admonitus, mature providendum cenſuit, Viſitatore Apoſtolico Raguſium miſſo, qui placaret iratos, ac diſſidentes cum Archiepiſcopo in concordiam reduceret. Is fuit Sebaſtianus Porticus, non ille quidem frater Vincentii, quem ante aliquot annos Archiepiſcopum deſignatum Raguſienſes recipere noluerant; hic quippe anno 1556., ut docet Ughellus, peſtilentia extinctus, Romæ diem ſupremum obierat; ſed alius ejuſdem nominis & cognominis, atque ex eadem gente Patricia Lucenſi, ac propterea conſanguineus Vincentii Archiepiſcopi, qui poſtea urbis Romanæ Gubernator fuit. Hunc Pontifex idoneum eſſe judicavit, qui quos diſcordia alienaverat, cum Vincentio conſanguineo ſuo reconciliaret. Sebaſtianus ergo cum veniſſet Raguſium, ſumma lenitate & prudentia exaſperatos animos emollivit, effecitque, ut cum Archiepiſcopo in gratiam redirent. Deinde ut Cleri, & populi mores, ſi qua in re delinquerent, emendaret, Synodum diœceſanam convocavit, cui ipſe præfuit; & multa quidem ad Chriſtianam & Eccleſiaſticam diſciplinam reſtituendam ac ſtabiliendam ſapientiſſime decrevit; *ob lites tamen, neſcio quas obortas, nulla ſupereſt, exceptis fragmentis quibuſdam, Decretorum editorum memoria*, ut docet Sebaſtianus Dolci. Poſt diſceſſum Sebaſtiani res quietæ aliquantiſper, tranquillæque fuerunt. Gregorius XIII. Aræ ſacroſanctæ Crucis, quæ in Baſilica Cathedrali ſumma veneratione colitur, hoc Privilegium conceſſit, ut, quoties ad eam ſacrum pro mortuis fieret, toties una anima e flammis piacularibus eximeretur ſimiliter ac ſi Romæ fieret in Templo atque ad altare S. Gregorii. Intra finem anni 1578. Vincentius adhuc hanc Eccleſiam regebat, & opera vicaria utebatur Simeonis Mencii Epiſcopi Mercanenſis, ut conſtat ex Codice Statutorum Raguſienſium: *Anno 1578. ſub die 28. Novembris,*

Turbæ hinc Raguſienſes,

quas Sebaſtianus Porticus Viſitator Apoſtolicus pacavit & Synodum congregavit.

Digitized by Google

bris, mandato Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini D. Simeonis Mencii, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopi Mercanenſis, & Tribunienſis; nec non Reverendiſſimi in Chriſto Patris, & Domini D. Vincentii Portici Lucenſis Archiepiſcopi Raguſini in ſpiritualibus Vicarii Generalis, ad inſtantiam Magnifici & Illuſtriſſimi Rectoris, & ejus Minoris Conſilii.

Sed gratia & concordia ſemel diſrupta, licet refarta fuerit, facile tamen diſſolvitur, nec ſtabilis eſſe ſolet. Partim e memoria veterum, partim ex interventu novarum offenſionum, diſcordia recruduit; quam auxit fama vulgo credita, Vincentium per litteras ſive nuncios clandeſtinos auctorem fuiſſe Anconitanis, ut ne merces Raguſienſium reciperent; nam ex partibus Orientis delatæ cum eſſent, eadem, quæ in illis regionibus graſſabatur, contagione infectas eſſe. Certe Anconitani ſive a Vincentio, ſive ab aliis, ſeu vere, ſeu falſo admoniti, omnem cum Raguſinis mercatoribus negotiationem interciderant; id quod Raguſino commercio plurimum detrimenti afferebat. In eo præterea graviter offendit, quod cum quidam mercator opulentus ac pius amplam & copioſam pecuniam pauperibus teſtamento legaſſet, ejuſque in egentes ac miſeros erogandæ curam quibuſdam ſuis amicis commendaſſet, quibus maxime fidebat; Vincentius totam illam pecuniæ ſummam, pro poteſtate ſtatim ad ſe deferri juſſit; & quibus ipſe vellet, pauperibus diſtribuendæ arbitrium ſibi uni arrogavit. Interceſſit Senatus, & Archiepiſcopum admonendum curavit, ne putaret ſui juris eſſe ſupremam illius, qui legitime teſtatus deceſſerat, voluntatem irritam facere, quæ apud omnes gentes ſancta & inviolabilis haberi debet. Hæc graviſſima Senatus auctoritas & interceſſio nihil profuit, utramque viſus eſt contemnere; nec pecuniam quibus ex teſtamento commiſſa fuerat, reddere voluit, ſed eam omnem uſque ad ultimum obolum quibus libuit pauperibus diſpertiit. His atque aliis de cauſſis Raguſienſes prorſus ab ſe alienavit; & cum ſe pleriſque ac fere omnibus inviſum eſſe cerneret, tacito diſceſſu, ſeu potius fuga, Romanum iter arripuit anno 1579., & inſcientibus Raguſinis, nec Senatu præmonito, Archiepiſcopatum voluntaria abdicatione depoſuit. Hæc Seraphinus Razzius. Sebaſtianus Dolci ad Fulginatem Eccleſiam Vincentium translatum docet. Verum inter Epiſcopos Fulginates apud Ughellum, nullus Vincentio locus eſſe poteſt. Nam Sebaſtiano Portico, qui Romæ deceſſit anno 1556., ſucceſſor datus fuit Angelus Mediceus Cardinalis; huic vero Joannes Sorbellonus itidem Cardinalis anno 1559., qui anno proximo ad Eccleſiam Novarienſem migravit, & ſedem Fulginatem reliquit Clementi Dolevæ Cardinali. Hunc excepit Thomas Orphinus an. 1568., Thomam vero Hippolytus Benus an. 1576., qui præfuit ſex annos. Tres alii deinceps illam Eccleſiam adminiſtrarunt, Troilus Boncompagnus, Conſtantinus Bargellinus, M. Antonius Bizzonius ab anno 1582. uſque ad initium ſæculi proximi decimi ſeptimi. Ita nihil loci relinquitur, cui Vincentius Porticus interſeri queat, quem obiiſſe ante an. 1590. declarat epitaphium infra deſcribendum. Quo anno, quove loco diem ſupremum confecerit, compertum non habeo. Poſt Archiepiſcopatum depoſitum Anagninam Præfecturam geſſit, quam adhuc retinebat anno 1586., ut licet cognoſcere ex litteris Cardinalis Azzolini ad ipſum ſcriptis VII. Id. Decembris illius anni. Anno inſequenti Sixtus V. per litteras ipſius Cardinalis Vincentium Romam vocavit, ut de Poloniæ rebus illum conſuleret; & tanta de illo exiſtimatio Annæ animo inſederat Poloniæ Reginæ, ut ad Pontificem ſcribens eo anno 1586. & de munere aureæ roſæ ad ſe miſſæ gratias agens hæc ſua manu epiſtolæ adjecerit: *Ob hoc erga me collatum opus humillimas Sanctitati veſtræ gratias habeo, cui plurimum reverendum Porticum commendo.* Fuit etiam Gubernator Urbis Romanæ, quo tamen anno mihi eſt incompertum: & ex litteris ejuſdem Azzolini, quas inter epiſtolas Julii Pogiani retulit Lagomarſinus in loco ſuperius laudato, ſuſpicari poſſumus Sixtum Pontificem de cooptando Vincentio in Cardinalium Senatum cogitaſſe; datæ autem ſunt 13. Kal. Januarii an. 1586. Hieronymus Porticus, frater Sebaſtiani & Vincentii, Lucæ in Ædc S. Romani Cenotaphium honorarium utrique poſuit, & elogium inſcripſit. Uterque in eo appellatur Archiepiſcopus Raguſinus, Sebaſtianus quidem deſignatus ac decretus, Vincentius vero non ſolum deſignatione, ſed re ipſa Archiepiſcopus; Sebaſtianus Fulginas Epiſcopus vocatur, Vincentius non item.

Vincentius novarum offenſionum, & diſcordiarum cauſſam præbuit.

Romam profectus Archiepiſcopatum depoſuit.

Ejus elogium.

D. O. M.

Sebaſtiano Anconæ Guber. Epiſcopo Fulgin. Archiepiſcopo Raguſino; & Vincentio Portico Archiepiſcopo Raguſino, Urbis Veteris, Campaniæ, Piceni, Anconæ, Almæ Urbis Guber. & Vicegerenti, Stat. Eccles. Viſitat. gener. apud Maximil. Imper. Sigiſ. II. Polon. Regem Pii IV. & V. Gregorii XIII. Sixti V. Pontif. juſſu Nuncio. Horumque duor. Conſul. fratribus amantiſſ. patriciis Lucen., longe majores honorum gradus, niſi immatura morte obiiſſent, conſecuturis, Hieronymus Porticus frater poſuit VII. menſis Auguſti Anno MDXC.

HIERONYMUS II. ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS LX.

Natus eſt Firmi, quæ civitas eſt Archiepiſcopalis in Picæno, ditionis Pontificiæ, pervetus ac nobilis. Familia Matthæucia ortum & cognomen ei dedit. *Erat Referendarius utriuſque ſignaturæ;* annum ætatis triceſimum quintum vix attigerat, cum eum Gregorius XIII. ob inſignes ejuſdem virtutes Archiepiſcopum Eccleſiæ Raguſinæ præfecit: *anno 1579. 2. Junii* (ut eſt in Tabulis Conſiſtorialibus) *providit Metrop. Raguſinæ per ceſſionem Vincentii Portici in manibus ſuæ Sanctitatis factam, & admiſſam vacanti, de perſona R. D. Hieronymi Matthæucii Clerici Firmani, Sanctitatis ſuæ Referendarii.* Deinde: *3. Auguſti Pallium conceſſit R. D. Raguſino præſenti, tradendum per Cardinalem Eſtenſem Archidiaconum.* Eodem anno, menſe Novembri Raguſium venit; ejuſque adventus ingenti omnium Civitatis ordinum gratulatione plauſuque celebratus fuit; nam præclara de illius virtute ac probitate fama præcurrerat. Et ſane optime poſuit initia ſui Archiepiſcopatus, quæ proſperi ſine ulla offenſione progreſſus, exituſque ſpem faciebant. Elucebat in eo ſumma vitæ integritas, & continentia in victu omni atque cultu, aſſidua Chriſtianæ inſtitutionis cura, rerum humana-

Hieronymus Matthæucius Archiep. Raguſinus.

Ejus virtutes.

manatum contemptio, divini cultus augendi ſtudium, effuſa in egentes ac miſeros liberalitas, mira erga omnes affabilitas & benignitas; quibus ille rebus efficiebat, ut ab omnibus coleretur pariter atque amaretur. Sed præclaris cœptis, inteſtinum malum, diſcordia, & animorum disjunctio intervenit; cui cauſſam præbuerunt multiplices ultro citroque illatæ & acceptæ offenſiones, ac præſertim graviſſimæ de immunitate Eccleſiaſtica controverſiæ, quam Archiepiſcopus a Senatu, & magiſtratibus violatam fuiſſe querebatur; qua de re accuſatorias, & plenas acerbitatis litteras ad Curiam Romanam ſcripſit. His ut reſponderet, ac de quibus accuſabatur, Senatum purgaret, rerumque omnium, quas decreverat, aut fecerat, rationem redderet, miſſus eſt Romam Joannes Gondula. Hujuſmodi diſſidia acrioribus in dies contentionibus exaſperata, eo demum creverunt, ut publicæ tranquillitatis cauſſa, Senatus ultro miſſionem Hieronymo dederit; quam ille veluti expetitam libenter accepit; & Capitulo Cleroque in Ædem Cathedralem convocato, poſtquam rem divinam feciſſet, omneſque ad virtutem ac pietatem colendam cohortatus eſſet, ſupremum vale dixit; atque inter omnium fletus & lacrymas denunciavit, ſibi ex decreto Senatus diſceſſum imperatum fuiſſe, neque amplius faciem ſuam eſſe viſuros. Romam profectus anno 1583., quem a Gregorio XIII. acceperat, eidem reddidit Archiepiſcopatum Raguſienſem; & eodem mandante Pontifice, Eccleſiam Sarnenſem, ſub Metropolita Salernitano, regendam ſuſcepit. *Hieronymus Matthæucius Firmanus*, ut docet Ughellus Tomo VI., *Epidauri Archiepiſcopus, die* 8. *Auguſti* 1583., *Sarnenſis factus eſt Epiſcopus, cum retentione tituli prioris dignitatis*. Anno 1589. apud Venetos Internuncii Pontificii munere fungebatur; & pluribus legationibus Apoſtolicis obeundis tum in Italia & Gallia, tum in Belgio, & Pannonia multam operam & perutilem Sedi Apoſtolicæ præbuit. A Sarnenſi ad Viterbienſem Eccleſiam migravit anno 1594., quam annos ipſos quindecim gubernavit. Viterbii deceſſit; conditus eſt in Æde Cathedrali; eique Titulus ſepulcralis inſcriptus eſt hujuſmodi:

Dimiſſus a Senatu Romam redit.

Epiſcopatum Sarnenſem, deinde Viterbienſem adminiſtravit.

Mors, & Epitaphium.

D. O. M.

Hieronymo Matthæucio Firmano, Raguſinorum Archiepiſcopo primum, deinde Sarnenſi, demum Viterbienſi Epiſcopo, Legatione apud Venetos, Urbis Prætura, ſumma exercituum Eccleſiaſticorum adminiſtratione in Gallia & Belgio, Pannonia, ac Ferrarienſi bello, maxima cum laude probitatis, & induſtriæ perfuncto, animo in laboribus, ac rebus adverſis perferendis infracto, in ſecundis, quas tantum vix umquam aſpexit, moderato. Obiit XIII. Kal. Febr. MDCIX. ætatis vero ſuæ LXV.

His temporibus, dum huic Eccleſiæ præſidebat Hieronymus, Raguſini negotiatores, qui ſæpius Januæ verſabantur, Templum ſuæ nationis, quod in ea civitate poſſidebant, Patribus Dominicanis cuſtodiendum tuendumque ſub certis quibuſdam conditionibus tradiderunt anno 1581. Rem paullo altius repetendam cenſeo. Jam inde ab antiquiſſimis temporibus commercium cum Januenſibus inſtituerant, & merces vel invehendi, vel exportandi, vel commutandi cauſſa ſæpiſſime ad eam urbem appellere ſolebant. Dum autem rebus, quas intulerant, diſtrahendis, & rebus, quas referrent, comparandis operam dabant, hujuſmodi negotiatio ſane quæſtuoſa neceſſitatem diuturnæ in ea civitate commorationis illis afferebat. Quocirca Templum ſive Sacellum nationi ſuæ, ut ſunt Raguſini ſtudio religionis, ac pietatis mirifice dediti, in eadem Urbe ædificandi conſilium coeperunt, quod populares ſui frequentarent, dum commercii cauſſa Januæ morabantur; eoque ad Deum colendum, res divinas peragendas, & ſacra myſteria percipienda feſtis præſertim diebus convenirent. Itaque Ducis ac Senatus permiſſu Sacellum, exiguum illud quidem, ſed opere ornatuque eleganti ſub titulo & auſpiciis Deiparæ Virginis in Cœlum Aſſumptæ, ac D. Blaſii Civitatis, & Reipublicæ Raguſinæ Patroni, ære communi conſtruxerunt. Altaris faſtigio inſculpta eſt hæc inſcriptio.

Januæ Sacellum Nationis Raguſinæ exſtruitur.

D. O. M.

Glorioſæ Virgini Mariæ Miſeric.

ac Divo Martyri Blaſio ſacrum.

Extremas illius vocis *Miſeric.* litteras vel brevitas loci mutilavit, vel vetuſtas exedit; legendum forte *Miſericordi*, vel *Miſericordiæ*.

Deinde poſt annos plurimos, ne huic Ædiculæ, dum mercatores aberant, debitus deeſſet cultus honoſque, eam Patribus Dominicanis S. Mariæ de Caſtello tradiderunt: horum quippe Templo proxima erat, & ab hujus latere janua aperta fuit, quæ oſtio illius Ædiculæ e regione reſponderet, ut tranſitus ultro citroque pervius foret. Sacellum autem illud traditum fuit, & acceptum in has conditiones, ut quælibet navis Raguſina, quæ ad portum Januæ applicaret, viris illis religioſis quatuor libellas monetæ Januenſis contribuerent, jure omni per Raguſinos abdicato ſibi vindicandi quidquid vel candelarum, vel alterius generis munerum oblatum eſſet, eoque in Fratres translato. Illi vero Cœnobitæ, ſiquis Raguſinus in ea civitate diem ſupremum obiret, ei funus honorificum faciendum curarent, ac pro illius expiatione majus & ſolemne ſacrificium, itemque aliquot minora ſacra ad aram Pontificiis privilegiis inſignitam peragerent; deinde trina ſingulis hebdomadis ſacra fieri voluerunt, unum pro mortuis, duo pro nautis & vectoribus nationis Raguſinæ; ſingulis autem annis tum ſanctiſſimo illo die, quo Beatiſſimæ Virginis ad cœlum ſublatæ commemoratio colitur, tum tribus diebus SS. Blaſii, Hieronymi, & Nicolai nomini, cultuique conſecratis Miſſæ ſacrificium ſolemni ritu, ac cærimonia decantare iidem Patres jubentur. Arculam vero nummariam, in qua pecuniæ religionis cauſſa oblatæ ſervarentur, penes Cuſtodes & Præfectos illos, quos Præſes, & Primores Cœnobii deligerent, eſſe voluerunt, eorumque poteſtati & arbitrio ſic permiſerunt, ut tamen ex ea in commodum utilitatemque ſuæ nationis, quod opus eſſe videretur, ſuppeditarent. Hæc omnia acta tranſactaque ſunt anno 1581. VII. Kal. Octobr. & eorum, quæ inter utramque partem convenerant, factum eſt, ut vocant, Inſtrumentum tabulæ marmoreæ inſcriptum, quod in ipſo ſacello extat, viſiturque.

Cum autem Raguſini plurima & maxima beneficia ab Auguſtino Juſtiniano ſemel atque iterum Duce Genuenſium accepiſſent, ut ſuos erga illum memores gratoſque animos declararent, in eodem ſuæ Nationis ſacello locum ſepulturæ eidem ejuſque conjugi Mariæ Paſquæ conceſſerunt; ſepulcrum autem cum inſignibus

Digitized by Google

gentilitiis familiæ Juſtinianæ faciendum curarunt anno 1598. & cum Maria uxor ante biennium obiiſſet, illuc poſt conditum ſepulcrum illata fuit. Inſcriptio circa ſepulcrum figuræ quadrangulæ inciſa eſt. Sed anno primo Principatus Auguſtini deeſt nota una chronologica D, quæ notis alphabeticis ibidem inſcriptis MXCII. ante X interenda eſt: caſus vero nominativus, ad quem referri debet verbum *Poſuit*, repetendus eſt ex prioribus verbis Inſtrumenti, *Inclyta Raguſeorum Gens*. Anno autem 1600. addita eſt donatio ſepulcri & eidem tabulæ lapideæ inſcripta. Præterea in ipſo aditu ac veſtibulo Sacelli alterum ſepulcrum extat figuræ ovalis, & inſcriptio circum inciſa.

Nunc ipſum Inſtrumentum, ſepulcrum utrumque, & ſuam utrique appoſitam inſcriptionem ſubjicio.

D. O. M.

Inclyta Raguſeorum gens, quam olim Alexander ille Magnus tot terra marique privilegiis donavit tituliſque præclaris fidei, & fortitudinis inſignivit, nunc maritimis itineribus illuſtris, ſed Chriſtiana pietate clarior, Sacellum hoc Deiparæ, ac Divo Blaſio tutelari dicavit, & auxit, publica fide pollicita, ſe pro qualibet ejus navi Genuæ appellenti quatuor ejus monetæ libras Patribus hujus Conventus S. Mariæ de Caſtello collaturam, omni munerum jure, legataque cera ſe abdicans, ea tamen lege, ut Patres hi Raguſeos ſingulos, qui pie obierint Genuæ, propriis omnino ſumptibus hument fuſius honorifice exequentes ſacro eadem die ad aram privilegiis inſignitam ſolemni pompa peracto, aliiſque Miſſis ad ſublevandas eas animas adjunctis. Cæterum ſingulis hebdomadibus in ejus altari ſemel pro defunctis, bis pro navigantibus ejuſdem Gentis celebrent: Quotannis vero in feſtivis aſſumptæ beatæ Mariæ, ſeu Octava, Sanctorum Blaſii, Hieronymi, Nicolai diebus, Miſſam ibi decantent. Cui rei annuente Generali Magiſtro Ordinis Prædicatorum Sixto Fabri Lucenſi Patres omnes aſſenſere, eiſdem Raguſeis arculam oblationum hoc loco concedentes, quæ deputatorum arbitrio reſervata, ei quoque nationi ſit commodo. Quæ publico inſtrumento Jo. Auguſt. Parmarii Notarii rata ſunt omnia ſub anno MDLXXXI. die XXV. Septembris. Denique Raguſei beneficiorum memores, eorum protectori, ac Patrono Illuſtr. D. Jo. Auguſtino Juſtiniano, ejuſque uxori, non autem poſteris ullis, ſepulchri locum hoc eodem in ſacello impartiuntur. Anno Salutis MDC. Menſe Decem. die VII.

Inſcriptiones ſepulcrales.

Illuſtr. Jo. Auguſtino Juſtiniano Duci Reip. Genuen. Sereniſſimo anno MXCII. & XCIII. ac Mariæ Paſquæ ſuæ amantiſ. uxori, quæ obiit an. XCVI. ætatis vero ſuæ an. LX. poſuit an. MXCVIII. die 11. Mart.

S. D. Marci Antonii Micheli Q. D. Jacobi Heredumq. & ſucceſſorum ſuorum.

In medio figuræ ovalis.

Fui, non ſum; Eſtis, non eritis. MDCXXXVII.

Per hæc quoque tempora Macarius quidam ex nobiliſſima, & antiquiſſima familia Græca Meliſſena, quam affinitate cum Comnena conjunctam ferunt, titulum honorarium *Archiepiſcopi Raguſini*, neſcio qua ex cauſſa aſſumptum gerebat, qui cum fratre Theodoro, antequam Eccleſiaſticæ militiæ nomen daret, copiis auxiliariis e Græcia collectis, Joanni Auſtriaco contra Turcas præclaram operam navavit; de quo Carolus Dufreſnius Tomo XXV. de Familiis Auguſtis Byzantinis pag. 145. Collect. Venetæ: *Memorantur*, inquit, *Theodorus Meliſſenus, qui ſe Æni, Xanthi, Sami, Mileti, & aliorum in Thracia, & Peloponneſo oppidorum Deſpotam titulo tenus inſcribebat, & Macarius Meliſſenus Raguſinus Archiepiſcopus, fratres, qui Joanni Auſtriaco in bellis contra Turcas ſe adjunxerunt, adductis peditum viginti quinque millibus, ac equitum tribus millibus, ex ſuis, vel certe Græcorum provinciis coactis, quarum ope belli pondus biennio ſuſtinere. Verum hoſtis potentiſſimi viribus cedere coacti, conceſſerunt Neapolim, ubi obtentis a Philippo II. Hiſpaniarum Rege penſionibus ſubſtitere; & tandem mortem obiere, ac Theodorus quidem XVI. Martii 1582., Macarius vero XII. Septembris anno 1585. Utriuſque Epitaphium legitur lingua Græca exaratum in Eccleſia SS. Petri & Pauli Græcorum, quod ab Ugbello deſcriptum eſt.*

Macarius Meliſſenus Raguſini Archiepiſcopi titulum geſſit.

RAPHAEL ARCHIEP. RAGUS. LXI.

Oriundus ex Barulo Apuliæ oppido, cui Bonello cognomen fuit. Gregorius XIII. ei decrevit Metropolim Raguſinam, & pallium conceſſit, ut docent Tabulæ Conſiſtoriales. 1583. 7. *Octob. providit Eccleſ. Raguſ. per translationem D. Hieronymi ad Eccleſiam Sarnenſem vacanti de perſona Raphaelis Bonelli presbyteri Barolitani J. V. D. &c. 26. Octob. conceſſum eidem de more pallium*. Huic Eccleſiæ annos quinque præfuit; nec exemplo minus, quam doctrina profuit. Apud Canalitas Paræciam SS. Sergii & Bacchi inſtituit, ac dotavit ex pecunia Marini Stephani Gradii, quam teſtamento legaverat, ut Chriſtianæ illorum gentium inſtitutioni, utilitatique ſerviret. Conciones de rebus ſacris, diviniſque præceptis ad pietatem excitandam, populum erudiendum, & permovendum accommodatas compoſuit, primum Romæ, deinde rurſus Venetiis editas, & inſcriptas Michaeli Bonelli Cardinali Alexandrino. Editioni Venetæ præpoſitus eſt titulus *Archiepiſcopi Raguſini*.

Raphael Bonellus Archiep. Raguſ.

Ejus doctrina, & virtutes.

Anno 1586. Romæ erat, quo anno fortaſſe ſuperiori advenerat, ut Eccleſiæ ſuæ negotia cum Pontifice tractaret; idque conſtat ex litteris, quibus Decius Azzolinus Cardinalis eum Raguſium redeuntem Reipublicæ commendavit Pontificis nomine; ſunt enim hujuſmodi. *Redit ad regimen Eccleſiæ ſuæ Archiepiſcopus Raguſinus, &, cum Pontifex ſatis intellexerit de illius bonitate, diligentia, & optimo vitæ exemplo, quo eidem præeſt, mihi commiſit, ut ad Amplitudines veſtras illuſtriſſimas ſcriberem, ſibi pergratum fore, ſi vos benevolentiæ & honoris officiis eum complectemini, eique in omnibus, quæ ſui muneris ſunt, obtemperabitis; quod pro certo habet, a vobis pro veſtra religione ac pietate præſtitum iri; vobiſque memet offero atque commendo. Romæ VI. Kal. April.* 1586. Egerat Raphael, cum Romæ eſſet, ut, quod Collegium Canonicorum præſertim expetebat, pileolus, quo utuntur Clerici in obeundis Eccleſiaſticis muneribus, alii, ac communi figuræ conformaretur; verum illius ſententiæ ac petitioni aſſenſum non eſt; & Raguſium reverſus, quænam eſſet Pontificis de re hac voluntas, Canonicis & Clero ſignificavit. Ii tamen ſuis ad Pontificem litteris iterum ut Archie-

Romam advenit.

Digitized by Google

chiepiſcopi & totius Cleri poſtulationi annueret, etiam atque etiam orarunt; quibus hæc Azzolinus Cardinalis Pontificio nomine reſcripſit, epiſtola inſcripta Archidiacono & Canonicis Raguſienſis Eccleſiæ. *Reddita huc fuerunt litteræ veſtræ de pileolis clericorum. At ſatius fuiſſet fortaſſe, ſi Archiepiſcopus, ut immutarentur, adeo non inſtitiſſet; parum enim ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſive hæc potius, ſive illa forma conducit. Certe optimum erit, ſi Amplitudines veſtræ, quæ id ægre ferunt, juſſibus obedient Antiſtitis veſtri hac in re, quam Magiſtratus probavit, cui acquieſcunt ceteri, quæque communi Clericorum uſui eſt conformis, præſertim cum ea forma imaginem crucis præferat, qua pileoli fiunt honorabiliores. Jubet itaque Pontifex, ne Archiepiſcopi juſſui obſiſtatis; & ita litteris veſtris ſcriptis x. Kal. April. ut reſponderem, mihi commiſit. Deus Amplitudines veſtras proſperas ſervet. Romæ XIII. Kal. Maii* 1586. Extat alia Azzolini epiſtola ad ipſum Archiepiſcopum, quam cum ſuperioribus duabus excerpſi ex notis Lagomarſini ad litteras Pogiani in Vincentio Pollico Archiepiſcopo laudatis, qui falſo putavit de Vincentio ipſo, & ad Vincentium ſcriptas fuiſſe. Eam, quæ tertia eſt & breviſſima, hic ſubjicio: *Seraphinus nondum Pontificem adiit, ut de iis, quæ ad me ſcribis, ipſum doceret. Cum venerit, is libenter hominem audiet. Interea ad Eccleſiæ tuæ regimen incumbe ea prudentia ac ſollertia, quas loci natura poſtulat; & omnia, quæ honeſta poſces, certo ſcias tibi Pontificem conceſſurum. Romæ prid. Non. Junii* 1586. Quin eodem anno interfuit ſollemni conſecrationi templi SS. Viti & Modeſti, quam die Martii viceſima peregit Henricus Cajetanus Card., ut diſcimus ex inſcriptione parieti ejuſdem templi adfixæ: *D. O. M. MDLXXXVI. &c. die xx. Martii. ejuſdem. anni. Henricus. S. R. E. tt. S. Pudentianæ. Præsb. Card. Cajetanus. et. Patriarcha. Alexandrin. Aſſiſten. ſibi. Raphaele. Bonello. Archiep. Raguſino. Camillo. Daddeo. Ep. Brugnaten. Curtio. Cinquino. Diac. et. Xpharo. Bubalo. Subdiac. Cancif. Baſil. S. M. M. conſecravit. ad. honorem. SS. Viti. Modeſti &c.*

Seraphinus Razzius Raguſium venit.

Anno 1587. Seraphinus Razzius Florentinus, ex Ord. Prædicatorum, Raguſium appulit, ut cum titulo ac poteſtate Vicarii generalis Congregationi Dominicanæ Raguſinæ præeſſet; qui poſtea *Hiſtoriam Raguſii* ab urbe condita uſque ad exitum ſæculi decimi ſexti perductam Lucæ typis commiſit anno 1595. Se mirifice delectatum eſſe ait familiaritate æque ſancta, & docta Raphaelis Archiepiſcopi; ex qua jucundiſſimos & ſaluberrimos fructus vix, inquit, guſtari cœperam, cum iter, quod illi Romam neceſſarium erat, hanc mihi ſummam voluptatem, utilitatemque ademit. Romam igitur reverſus eſt eodem anno, quo Razzius Raguſium venit; ut more majorum ſacra Limina viſeret coleretque, & Summo Pontifici rationem adminiſtrationis ſibi traditæ redderet, ſimulque apud Sedem Apoſtolicam graviſſima quædam Eccleſiæ ſuæ negotia curaret. Anno ſequenti 1588. regrediens, ex magna jactatione maris, metuque naufragii morbum letalem contraxit; quo intra decimum ab ſuo reditu diem extinctus eſt, pridie nonas Aprilis, & qua dignus erat, exſequiarum pompa & celebritate in Æde Cathedrali ſepultus fuit. Petrus Subdiaconus Raguſinus hos illi verſiculos inſcripſit.

Obitus Raphaelis & elogium.

Heu quantum rigidi potuerunt tempora fati!
Heu quam lanificæ ſtamina veſtra Deæ!
Pontificum ſplendor, ſanctorum lucida morum
Regula, fons ſacri corruit eloquii,
Antiſtes Raphael, vivit ſed fama, recepit
Cœlum animam, hæc gelidum tumba cadaver habet.

De ſingulari religione, cæteriſque virtutibus Raphaelis Bonelli tantam, ex breviſſimi temporis conſuetudine cum eo juncta, exiſtimationem Seraphinus Razzius animo conceperat, ut illius vitam dignam putaverit, quam ad exemplar poſteritatis, litteris ac memoriæ ſempiternæ mandaret. Sed ejus deſcribendæ curam laudemque Razzio, ut ipſe ait, præripuit quidam ex intimis familiaribus Raphaelis, qui ex iis, quæ ipſemet viderat, vitam hujus præſtantiſſimi Archiepiſcopi latino ſermone conſcripſit. Idem vero Razzius eam ſibi apud omnes doctrinæ, probitatis, prudentiæ famam conciliaverat, ut Vicarius Capitularis cunctis Canonicorum ſuffragiis creatus fuerit: quod munus æque laborioſum atque honorificum ut ſuſciperet, ſummis tum Capituli, tum Senatus precibus vix adduci potuit, & maxima omnium approbatione ſapientiſſime geſſit. Id Razzius ipſemet teſtatur, *cum Raguſina*, inquiens, *Eccleſia menſes quatuor, & dies ſeptemdecim vacaſſet*, in libro, cui titulus, *Commentaria ſcripta Raguſii an.* 1587. & 1588., qui ms. ſervatur in Florentina D. Marci Bibliotheca, ubi & perbreves Commentarii de Archiepiſcopis Raguſinis, & liber de natura & proprietate Apum, Raguſinæ Reipublicæ inſcriptus, dicuntur includi ab Echardo in Bibliotheca Scriptorum Ordinis ſui, iſque autumat y poſtremum hoc opus a Razzio confectum fuiſſe an. 1588. cum Raguſii degeret vir præſtantiſſimus, & de Raguſienſi Eccleſia, ac Republica optime meritus.

Ejus vita ab ejus familiari latine deſcripta.

Seraphinus Razzius Vicarius Capitularis.

PAULLUS ARCHIEP. RAG. LXII.

Patria Romanus, quem alias Alberum, alias Albertum, alias Alvarum cognominatum invenio. Inter Præſules Romanos, *Referendarii* locum munuſque obtinebat, eratque Domeſticus Sixti Papæ V., qui Paullum quamvis invitum ac repugnantem oneri Epiſcopali humeros ſubjicere juſſit. 21. Auguſti 1588. *providit Eccleſiæ Raguſinæ vacanti per obitum ultimi Archiepiſcopi Bonelli de perſona R. P. D. Referendarii Alvari Clerici Romani, Sanctitatis ſuæ Prælati Domeſtici, cum retentione compatibilium.* Poſt conſecrationem Epiſcopalem, & pallium ſuſceptum, menſes fere novem in Urbe commoratus eſt, ob quædam negotia ſive domeſtica, ſive eccleſiaſtica expedienda, poſtquam abſens poſſeſſionem Eccleſiæ ſibi traditæ per Archidiaconum Nonis Decembris adiiſſet. Diu multumque expectatus, demum menſe Majo anni 1589. Raguſium advenit. In Tabulis anni 1591. X. Kalendas Auguſti confectis nominatur *Paullus Alberus Archiepiſcopus*. Sub ejus Pontificatu compoſita eſt illa controverſia, quæ ſuperioribus Archiepiſcopis cum Senatu fuit acerrimis ac diuturnis contentionibus agitata. Sub quatuor clavibus occluſæ diligentiſſime cuſtodiuntur Divorum Reliquiæ, quarum ditiſſimum eſt Sacrarium Ædis Cathe-

Paullus Alberus Archiep.

Digitized by Google

De clavibus Sacrarum Reliquiarum lis composita.

dralis. Has quatuor Senatores, qui ætate pariter atque auctoritate cæteris præstabant, apud se habebant, & suam quisque magna cum fide servabat. Harum custodiam juris ecclesiastici esse sibique deberi contendebant Archiepiscopi, penes quos summa est rerum omnium, quæ ad Religionem, ac Dei Divorumque cultum pertinent, potestas atque auctoritas. Dum Paullus Ecclesiæ Ragusiensi præsidebat, ea lis & contentio referbuit, quæ ad Sedem Apostolicam delata cum esset, Sixtus V. ita componendam censuit, ut e quatuor illis clavibus una quidem Archiepiscopo traderetur, tres vero reliquas terni Senatores, unam quisque separatim ab alia retinerent.

Hæc e Mss. Ragusinis. Ceterum ex viro rerum Ragusiensium scientissimo audivi, tribus tantummodo clavibus sacrosanctas illas Reliquias occludi, ex hisce duas penes ærarii sacri Præfectos, unam penes Procuratores S. Mariæ & servatas semper fuisse, licet invitis, & contra obnitentibus Archiepiscopis, & etiamnum servari, cum illarum custodia ad jus regium pertineat; nisi forte una ex illis Sixti V. sententia tradita fuerit Paullo Archiepiscopo, qui, tertio anno a Pontificatu nondum elapso, voluntaria cessione illum dimisit.

Ossa Nobilium quorumdam in ædem S. Stephani transferuntur.

Anno ante, quam is se Ragusinæ Ecclesiæ regimine abdicaret, Junius Gradius Patritius Ragusiensis, facta sibi jampridem a Gregorio XIII. potestate, ossa nobilium quorundam virorum, & præsertim, ut fama erat, Stephani Regis Bosnæ intus in ædem S. Stephani transtulit, cum extra jacerent sub dio tumulata, & sepulchri lapidi hunc titulum inscripsit.

Junius Gradus Matthæi filius pietate motus ossa ex sepulchris ante hanc Ædem positis jam pene vetustate dirutis, in quibus etiam Stephani Regis Bosnæ, cujus uxor Margarita hanc Ædem Divo Viri cognomini posuerat, condita fuisse fama ferebat, cœli & hominum injuriis obnoxia, in hoc sepulchrum sua impensa factum, annuente Summo Pontifice Gregorio XIII. transferenda curavit anno MDLXXX.

Ad dexterum vero januæ principis latus tumulus extitit, cui hæc inscriptio inerat vetustissima.

Anchora, spes, portus miseris, Gervasius ortus
Nobilis urbana prudens de stirpe Petrana
Abbas, Protector, laris istius quoque Rector,
Qui venerabatur pro cunctis, hic tumulatur.
Ipsius atque mei sis memor Alma Dei.

Sed falso dicitur a Gradio, templum S. Stephani regiis Margaritæ impensis fuisse exstructum; nam multo ante Stephani regis ætatem conditum erat, uti legitur in Constantino Porphyrogenito. De Stephano & Margarita Bosnæ & Chrobatiæ Banis seu Ducibus nonnulla diximus in Nicephoro II. Archiepiscopo Ragusino.

Patres Dominicani Ragusienses instructissimam omni librorum genere ac copia Bibliothecam suo, totiusque civitatis commodo in dies ornabant, augebantque; sed vel Præsidum negligentia, vel nimia commodandi libros facilitate, vel etiam illorum fraude, qui studii causa illuc convenire simularent, plures inde auferri deperdique codices, ac libros detectum est. Quare, ut ne in posterum quamvis ob causam libraria hæc supellex ingens sane, ac prædives quidquam detrimenti pateretur, diploma a Pontifice impetrarunt, quo, gravissimis pœnis indictis, cujuscumque libri e Bibliotheca asportatio omnino vetatur. Est autem hujusmodi e Tomo V. Bull. Domin. pag. 470.

Diploma Sixti V. pro Bibliotheca Dominic. Ragus.

Sixtus Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Officii nostri debitum exigit ita providere, ut Monasteria &c. nulla &c. etiam in corporalibus detrimenta sustineant &c. Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus S. Dominici Ragusin. &c. petitio continebat, quod cum sæpenumero accidat, tam dictæ domus Fratres, quam etiam alias sæculares personas ex dictæ domus Bibliotheca libros extrahere &c. unde plures ex illis deteriorari, & amitti contingit &c. eis in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur &c. Nos igitur &c. hujusmodi supplicationibus inclinati, omnibus, & singulis ejusdem Domus Prioribus, & Fratribus, ac Prælatis, aliisque personis tam ecclesiasticis, quam sæcularibus, quavis dignitate fungentibus, ne de cetero perpetuis futuris temporibus aliquos libros ex dicta Bibliotheca sub excommunicationis latæ sententiæ pœna ipso facto incurrenda, una pro trina canonica monitione facta, extrahere, amovere, sive alicui mutuo dare audeant, seu præsumant, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, districtius prohibemus, decernentes, ipsos libros nunc, & pro tempore existentes in dicta Bibliotheca perpetuo conservari debere, irritum quoque & inane &c. Non obstantibus &c. Nulli ergo &c. Siquis autem &c.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quingentesimo Octuagesimo Nono, Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

AURELIUS ARCHIEPISCOPUS RAGUSIN. LXIII.

Aurelius Archiep. ex Ord. S. Francisci.

Cognomento Novarinus, patria Cremonensis, assumptus ex Ordine Fratrum Minorum, quos Conventuales vocant. Hanc Ecclesiam ei decrevit, & Pallium dedit Clemens VIII., qui *anno 1591. 31. Julii admisit cessionem Ecclesiæ Metropol. Ragusinæ a R. P. Alvaro Archiepiscopo in manibus suæ Sanctitatis sponte factam, eidemque Ecclesiæ sic vacanti providit de persona religiosi Viri Magistri Aurelii Novarini, Ord. Min. Convent. ipsumque sui Superioris testimonio, & aliorum, ob doctrinam, providentiam, & vitæ integritatem insigniter commendatum, eidem Ecclesiæ Archiepiscopum præfecit & Pastorem.* Eodem anno, 13. *Septembris concessum Pallium pro Electo Ragus.* Hanc Sedem tenuit annos circiter decem, nec minus piis exemplis, quam egregiis institutis illustravit. His temporibus nihil propius factum est, quam ut Respublica & Ecclesia Ragusiensis Lagustam sive Augustam Insulam amitteret, quæ a Corcyra Melæna decem fere milliarium intervallo in meridiem, a Melita duplo minus in occasum distat; quippe Insulares illi Ragusinum imperium pertæsi, Oratores miserunt ad Philippum Paschalicum Provisorem generalem Dalmatiæ, ut Insulam in fidem ac ditionem Venetorum reciperet, eamque ad Diœcesim Corcyrensis Episcopi adjungeret. Paschalicus pro sua æquitate ac prudentia utrumque abnuit, hortatusque est populos illos, ut in antiqua erga Rempublicam, & Ecclesiam Ragusiensem fide, atque obedientia manerent; iisdemque ab Senatu Ragu-

sino

Digitized by Google

sino excogitatæ tentatæque defectionis veniam impetravit. Aurelius in tabulis Archivi Ecclesiæ & Civitatis memoriam sui nominis inscriptam reliquit. Anno 1601. Ragusinam Metropolim cum Ecclesia Episcopali S. Marci in Calabria citeriori commutavit, quam in provincia Cusentina, sed Archiepiscopali jurisdictione exemptam collocavit Michael Antonius Baudrandus in Catalogo Archiepiscopatuum & Episcopatuum totius Orbis.

Aurelius migrat ad Ecclesiam Episcopalem S. Marci.

His temporibus Ragusii, Cathari, & in aliis finitimis locis Deus excitavit spiritum quorumdam piorum hominum nationis, & linguæ Illyricæ, ex utroque Clero, Ecclesiastico & Regulari; eorumque animis mirum ardorem, & cupiditatem injecit Religionis Catholicæ tuendæ ac propagandæ apud gentes infideles, atque ab orthodoxo Numinis cultu alienas. Quid sibi consilii & voluntatis divino instinctu afflatis inditum esset, Clementi Papæ VIII. significandum curarunt; ab eoque facultatem, & protectionem Apostolicam, ad suscipiendum & exercendum opus Evangelicum, suppliciter petierunt. Pontifex illorum precibus libentissime annuit; eosque & præclara illorum studia suis litteris plurimum commendavit Archiepiscopis & Episcopis illarum partium, itemque Præsidibus Ecclesiarum & Monasteriorum; ut scilicet pios eorum conatus adjuvarent; & modo Sacerdotio initiati essent, idoneique ad Christianam doctrinam tradendam, & sacra mysteria impertienda, ac nulli Ecclesiæ sive curationi animarum addicti, illos litteris commendatitiis, & Sacerdotii, quo præditi erant, testibus instructos, in eam expeditionem Apostolicam nulla mora, nulloque impedimento interposito dimitterent. Ampliſſimam vero illam delictorum veniam largitus est tum ipsis opus illud & ministerium Evangelicum suscepturis, tum omnibus & singulis, qui favorem illis, operam, & subsidium præberent, quæ ad sacra Palæstinæ loca, voti ac religionis causſa, proficiscentibus impertiri solet.

Clemens VIII. P. favorem præstat Missionariis Illyricis.

Clemens Papa VIII. Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis Salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum nonnulli Christifideles Presbyteri, & Clerici, tam sæculares, quam Regulares, Ragusini, Ascrivien., & aliorum locorum linguæ Illyricæ, Christianæ fidei, & pietatis juvandæ, & conservandæ studio promoti, & animarum salutis zelo accensi, ad partes infidelium voluntarie accedere intendant; Nos pium, & laudabile opus hujusmodi plurimum in Domino commendantes, ac promovere cupientes, Venerabiles Fratres Nostros Archiepiscopos, & Episcopos, nec non dilectos filios quarumvis Ecclesiarum, tam sæcularium, quam Regularium Prælatos, & quorumvis Ordinum etiam Mendicantium, & Congregationum Superiores, omni, quo possumus, affectu hortamur in Domino, quatenus eos omnes ad dictas partes accedere volentes, Viros tamen probatos, & qui Presbyteri fuerint, ad exercendam curam animarum, & ad Ecclesiastica Sacramenta ministranda idoneos, curæ animarum, & personali residentiæ non astrictos, libere & absque ulla prorsus contradictione proficisci permittant, litteraſque dimissoriales, & commendatitias, seu testimoniales concedant. Ut autem Presbyteri vel Clerici, eo libentius, & promptius præmissa efficere studeant, illis, ac omnibus & singulis aliis utriusque sexus Christi fidelibus, vere pœnitentibus, & confessis, qui ipsos Presbyteros, & Clericos ad partes infidelium hujusmodi accedentes, seu proficiscentes adjuvarint, seu eis consilium, auxilium, vel favorem præstiterint, de Omnipotentis Dei misericordia, ac B. B. Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, eam peccatorum indulgentiam, & remissionem, quæ proficiscentibus in Terram Sanctam, aut subsidium ad id præstantibus, concedi consuevit, Apostolica Auctoritate, tenore præsentium, concedimus, & elargimur. Non obstantibus nostra de non concedendis indulgentiis, ad instar, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque in contrarium quibuscumque. Volumus autem quod præsentium transumptis, etiam impressis, & manu alicujus Notarii Publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ in Monte Quirinali sub annulo Piscatoris die XII. *Maji* 1592. *Pontificatus Nostri Anno I.*

Vestrius Barbianus.

FABIUS ARCHIEP. RAGUSINUS LXIV.

Fabius Tempestivus Arch. Ragusien.

Ex Monte Falco, Umbriæ oppido, & perillustri Familia *Tempestiva* oriundus; quem Clemens VIII. Archiepiscopum Ragusiensibus dedit, ut est in Tabulis Consistorialibus. 1602. 12. *Augusti Providit Ecclesiæ Ragusinæ per translationem Aurelii ad Eccl. S. Marci, de persona Fabii Tempestivi de Monte Falco, Presbyteri Spoletini.* Administratione suscepta, eo potissimum spectabat, ut morem Synodi Diœcesanæ singulis annis cogendæ, jamdiu intermissum, longo intervallo revocaret; nam quæ habita fuerat sub Vincentio Porticeo, Præside Sebastiano Portico Visitatore Apostolico, propter lites nescio quas, ac dissensiones exortas, nihil perficere potuit; & quæ condita fuerant Decreta, cum firma & rata non essent, nec vim, neque auctoritatem obtinebant. Sed ne statim eam convocaret, aliud ex alio impedivit. Interea ædem suburbanam Deiparæ Virginis nascentis nomine consecratam, sed vetustate collapsam restituit, ornavit, ut declarat inscriptio eidem affixa.

Deiparæ nascenti Sacratam Ædem
Temporum injuria collapsam
Fabius Tempestivus
Primo sui Archiepiscopatus anno
Restituit, ac meliorem in formam redegit
Anno Domini
MDCIII.

Synodum Diœcesanam convocavit ac typis edidit Macerata.

Demum anno 1606. conventum diœcesanum indixit; & Præpositis Ecclesiarum, ac cæteris, quibus Synodi adeundæ, & sententiæ dicendæ jus erat, in Sacrario Cathedralis Basilicæ congregatis, plura sapientissime decrevit & constituit, quæ ad splendorem ac dignitatem divini cultus, ad honestatem ac disciplinam clericalem, ad rectam Christianæ plebis institutionem referuntur. Hanc Synodum Maceratæ typis mandavit sub hoc titulo: *Monita, Decreta, Constitutiones factæ & publicatæ ab Illustrisſ. & Reverendisſ. Domino Fabio Tempestivo Archiepiscopo Ragusino in sua prima Synodo Diœcesana habita in Metropolitana Ecclesia anno Domini* 1606, 19. *Maji*. In ea Synodo veteres omnes statarum precationum, psalmo-

Digitized by Google

diæ & liturgiæ formulas, quibus ad colendum Deum Divosque venerandos uti solebat Ecclesia Ragusiensis, abolevit & abrogavit. Hæc vero solum peculiaria, quæ vocant Officia, retinenda esse decrevit; videlicet *S. Blasii Ep. M. dupl. cum octava 3. Febr. Quadraginta Martyrum dupl.* 10. *Martii. Georgii Martyr. duplex* 23. *April. Viti & Modesti atque Crescentiæ Mm. dupl.* 15. *Junii, Sergii & Bacchi & Apuleii Martyr. semid. cum commemoratione S. Marci* 7. *Octob. Hilarionis Ab. duplex & commemor. S. Ursulæ & Soc.* 21. *Octobris. Zenobii Ep. M. & Zenobiæ M. semid.* 30. *Octobris.*

Operarios Evangelicos e Soc. Jesu impetravit.

Sub initium Archiepiscopatus a Claudio Aquaviva Præposito duos aut tres e Societate operarios postulavit, & Clemente VIII. jubente impetravit, qui per aliquot annos Ragusii, atque in ditione Ragusina, tum rei Christianæ, tum litterariæ puerorum institutioni perutilem operam navarunt. Hos Paullus V. suis ad Rempublicam & Senatum litteris summopere commendavit,

Quos Paullus V. Reip. & Senatui commendavit.

Paulus &c. Dilectis filiis Rectori & Consil. Reip. Ragusinæ &c. Sal. & Ap. Bened. Cum nullam aliam ad rem, nisi ad populos ad Christianam religionem, & Catholicam fidem erudiendos, & ad corruptos mores emendandos, omnes nostræ curæ, & pastorales vigiliæ dirigantur; numquam lætitia majore afficimur, quam cum intelligimus Religiosos ac præstantes Viros ardentissimo huic nostro desiderio, toto animo ac viribus inservire. Cum ergo accepimus felic. recordationis Clementem VIII. prædecessorem nostrum, aliquot Sacerdotes Religionis Soc. Jesu ad vos destinasse, qui concionibus, cohortationibus, aliisque piis exercitationibus, fortasse collapsam aliqua ex parte veterem disciplinam restituerent, & rudes & imperitos, si qui sunt, privatis & publicis institutionibus ad omnem religionem & virtutem informarent; Nos ejusdem Clementis consilium valde in Domino commendantes, piosque illorum conatus minime impediri cupientes, & quod cernimus in Reip. vestræ commodum, & animorum utilitatem dumtaxat redundare; summopere cupimus id, quod modo prædicti Sacerdotes exorsi sunt opus, non solum non retardari, verum etiam exædificari, & primo quoque tempore ad extremum perduci, Quare sic existimare debetis gratissimum nobis vos esse facturos, & magnam insuper lætitiam allaturos, si pios, ac diligentes hosce Operarios, quibuscumque poteritis, officiis prosequuti fueritis; & si ad eos labores, quos ex probatissimo ipsorum instituto ad proximorum utilitatem impendent, studium, & opem vestram contuleritis. Digni sunt enim, qui a vobis, & humanissime recipiantur, & jam recepti, omnibus grati animi significationibus retineantur, cum perspicuum sit eos vestram rem agere, & Dei gloriam, & salutem animarum quam diligentissime quærere. Quod si egregie præstiteritis, procul dubio nostram inibitis gratiam, nosque præterea rerum vestrarum adjutores, & defensores benignissimos habebitis.

Datum Romæ apud S. Marcum die 18. *Octobris* 1607. *Anno primo.*

Erat Vicarius generalis Archiepiscopi Chrysostomus Ægidius, qui Sororibus tertii Ordinis Dominicani, Templo & ædibus S. Jacobi excedere jussit; post trinam admonitionem cum non paruissent, solemne & publicum anathema inflixit. Patres Dominicani caussam Sororum suarum susceptam, delatamque ad Curiam Romanam obtinuerunt. Rem omnem in *Monumentis Congregationis S. Dominici* de Ragusio, his verbis descriptam invenio. *Anno* 1324. *Ecclesia & conterminæ Domus S. Jacobi, ubi initio constitisse Fratres diximus, Sororibus nostris tertii habitus datæ fuerunt incolendæ, quarum Fratres omnino curam susceperant: Ibi labore manuum, ac piis fidelium eleemosynis, in humilitate, ac paupertate, magna populi ædificatione, vitam ducentes, annis fere trecentis, sub Fratrum regimine convixere. At die tertia decima Junii an.* 1607. *Joannes Chrysostomus Ægidius, Vicarius generalis Archiepiscopi Ragusini, Fabii Tempestivi de Monte Falco, instante nobili cive Ragusino Francisco Resti, qui in eam Ecclesiam domosque successionis jus habere contendebat, eisdem sororibus sub anathemate mandavit eum locum, utpote alieni juris, omnino desererent; quibus perinde non obtemperantibus, valvis Ecclesiæ Cathedralis affixa pro more tabella, Fidelium communionem interdixit. Pro sororibus Fratres de injuria Romæ conquesti, juribus earum coram Innocentio Stoicino Episcopo Alexiensi jam comprobatis, a Petro Paulo Crescentio generali Cameræ Apostolicæ Auditore, ac in similibus causis ordinario Judice, anno* 1608, *die* 11. *Octobris, sententiam pro votis retulere; & aliud nil in hac causa litteris proditum invenio. Hoc veri dumtaxat habet nostra hac ætate, non Conventum Ragusinum, aut sorores nostras, sed nobilem familiam de Restis in eamdem Ecclesiam ac domos jus habere, Cæterum usque ad annum* 1614. *in Capitulo Congregationis nostræ Confessarium ex more illis datum reperi.*

Sorores tertii Ordinis Dominicani, Ædem & Domum S. Jacobi, ex qua jubebantur excedere,

ex Sententia Auditoris Cameræ Apostolicæ retinuerunt,

Paulus V. anno 1608. die 27. Novembris duos Cassinates Monachos, Felicem Passero, & Benedictum Sangrinum Congregationis Melitensis Visitatores constituit,

Visitatores Congregationis Melitensis a Paulo V. missi.

Motu proprio, & ex certa nostra scientia vobis, ut domos regulares, seu monasteria quæcumque Monachorum Ordinis S. Benedicti Congregationis Melitensis Civitatis Ragusinæ etiamsi fortasse exempta, ac nobis, & apostolicæ sedi immediate subjecta existant, tam in capite, quam in membris visitare, ac eorum statum, vitam, mores, regulas, ritus, & instituta diligenter inquirere, ac evangelicæ, & apostolicæ doctrinæ, sacrorumque canonum, & generalium conciliorum decretis inhærendo quacumque mutatione, correctione, emendatione, revocatione, & renovatione indigere cognoveritis, reformare, mutare, ac de novo etiam condere, condita sacris canonibus non repugnantia confirmare, abusus quosque tollere, regulas, institutiones, & ecclesiasticam, & regularem disciplinam, ubicumque illæ exciderint, modis congruis restituere, & reintegrare, Concilii Tridentini decreta, si nondum introducta sint, proponi, & custodiri præcipere, ipsosque monachos ad debitum, & honestum vitæ modum revocare, & quidquid statueritis, & ordinaveritis observari facere, ac inobedientes per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia cogere, & compellere, aliaque etiam in præmissis necessaria, & opportuna facere, mandare, & ordinare, ac exequi libere, & licite valeatis, auctoritate apostolica tenore præsentium facultatem concedimus, & impartimur &c.

Res bene cessit. Visitator uterque ejus Congregationis Præsides electi, & Benedictus Abbas S. Mariæ Melitensis renuntiatus fuit die 9. Ju-

Junii 1609. quippe summa cum laude munus suum exsecuti sunt, omnibus cari, & in primis Reipublicæ Ragusinæ proceribus.

Ædificatio Cœnobii Dominicani Brenc. Per eos annos Congregatio Dominicana Ragusiensis, in territorio Brenensi, novum Cœnobium & Templum adepta est. Utrumque sub nomine & auspiciis S. Vincentii Ferrerii cœpit ædificari anno 1613., ac primum lapidem solemni precatione initiatum posuit Fabius Tempestivus Archiepiscopus: *In Brenensi districtu, ut est in eisdem Monumentis supra laudatis, ad quinquies mille passus Ragusio ad Orientem distante, Maura filia Blasii Gozzii, vel de Gozziis, Conventui Ragusino prædium insigne dimisit anno 1539, ut pestis tempore se reciperent eo Fratres. Hi vero Congregationis amplificandæ, atque numerum hominum augendi, qui in Turcarum provincias finitimas in Christianorum ibi degentium solamen expedirentur, studiosissimi, in eo loco Templum & Cœnobium sub protectione & nomine Divi Vincentii Ferrerii, quibus primum lapidem injecit solemniter Fabius Tempestivus Ragusinus Archiepiscopus, erexerunt; atque brevi, ad justi Cœnobii speciem ædificio redacto, anno 1621. a Capitulo generali in Conventum erectum est.*

Anno 1613. Paullus Pontifex precibus Ragusini Senatus annuens Archiepiscopo Ragusiensi potestatem fecit illius impedimenti amovendi, quod ex quarto gradu consanguinitatis & affinitatis oritur in matrimoniis celebrandis; cum enim fere inter omnes viros patricios, ipsosque cives, aliosque Ragusinæ ditioni subjectos aliqua esset communio sanguinis & generis, id postularunt a Pontifice, ne cogerentur filias suas nuptum in extraneas civitates collocare, vel ex finitimis populis uxores filiis suis tradere. Pontificiæ epistolæ hujusmodi est exemplum.

Paulli V. litteræ ad Fabium Archiepisc. de matrimoniis Ragusin. *Paulus Papa V. Venerabilis Frater Sal. & Apostolicam bened. Exponi nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Magistratus Reipublicæ Ragusinæ, quod ipsi cupiant, ne tam Cives, & Nobiles Ragusii, quam alii eorum subditi cum circumvicinis populis matrimonia contrahere cogantur, & ad conservandam eorum Rempublicam etiamsi aliquo a jure prohibito gradu invicem conjuncti sint, matrimonia inter se contrahere libere posse. Quare pro ipsorum parte Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus sibi in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eos specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, quatenus deposita omni spe cujuscumque muneris, aut præmii, etiam sponte oblati, a quo te omnino abstinere debere monemus, quotiescumque infra quinquennium proximum dumtaxat, ex justa & rationabili causa contigerit occasio cum eisdem Civibus, & Nobilibus, aliisque eorum subditis quarto consanguinitatis, vel affinitatis gradu invicem coniunctis, vel se attinentibus, & impedimento hujusmodi, quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæteriſque contrariis nequaquam obstantibus, dummodo mulieres propter hoc raptæ non fuerint, matrimonium inter se servata forma Concilii Tridentini per verba de præsenti contrahere, & illud in facie Ecclesiæ solemnizare & in eo postmodum remanere libere & licite valeant, de speciali dono gratiæ dispensare, nec non prolem exinde suscipiendam legitimam nuncupare Apostolica auctoritate tenore, super quo tibi per præsentes liberam facultatem impartimur, te harum serie commonendo, ut manus a munere, præmioque præfatis omnino cohibeas, alioquin a regimine & administratione tuæ Ecclesiæ, ejusque fructuum perceptione, ac Pontificalium exercitio tandiu sis suspensus, donec a Sede Apostolica relaxationem suspensionis hujusmodi per satisfactionem condignam merueris obtinere, & nihilominus dispensationes a te faciendæ nullius sint roboris, vel momenti, Præsentibus post lapsum dicti quinquennii minime valituris. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die XXI. Maii, MDCXIII. Pontificatus nostri anno octavo.*

J. Cobellutius.

Anno 1615. Roma regrediens, quo se ad Sacra limina visitanda, & rationem administrationis suæ reddendam contulerat, Anconæ litteras dedit VI. Id. Novembris ad Ambrosium Gozzeum, Episcopum Mercanensem & Tribunensem, quo Vicario generali utebatur. Caput autem litterarum erat, sibi a Procuratoribus Collegii Virginum S. Michaelis Ordinis S. Dominici significatum fuisse, Presbyterum minus idoneum confessionibus earum excipiendis præpositum esse; alterum in ejus locum substitui jubet, qui & doctrina & prudentia ad munus illud gravissimum obeundum necessaria præditus esset. Ragusium reversus anno proximo vivere desiit mense Februario.

Fabius obiit Ragusii.

VINCENTIUS II. ARC. RAG. LXV.

Vincentius Lanterius Archiep. Rag. Natione Ligur, ortu Ventimiliensis, cognomento Lanterius, Presbyter Congregationis S. Philippi Nerii, Paullus V. 18. *Maii*, 1616. *providit Ecclesiæ Ragusinæ vacanti per obitum Fabii Tempestivi, de persona Vincentii Lanterii Presbyt. Ventimiliensis.* Ad hunc eodem anno pridie Kalend. Junias Senatus litteras gratulatorias dedit, ut in Schedis Bibliothecæ Aletianæ annotatum vidit Sebastianus Dolci. Sub initium Archiepiscopatus litem habuit cum Cœnobiarcha Lacromensi. Inter Montem Vergatum, qui Ragusio supereminet, & alios montes, qui magis ad Septemtrionem vergunt, vallis quædam peramœna, cui nomen *Giuncheto*, vineis consita, & pomorum cujusque generis ferax, tria circiter passuum millia in longitudinem a Valle Umblensi usque ad Brenensem porrigitur; duo ferme in latitudinem extenditur; aliquot pagis, & villis Nobilium Virorum habitatur. In ea visuntur quatuor Ædiculæ sacræ, videlicet Sanctissimæ Trinitatis, S. Nicolai, Christi Domini ad Cælum ascendentis, & S. Martini. Hanc vallem tum ex donatione Bodini Regis, tum ex sententia Boleslavi judicis an. 1112. quam Gerda, itidem judex, biennio post confirmavit, Monachi Lacromenses possidebant; & penes Abbatem jus erat tum Sacella illa ritu Episcopali visitandi, tum Rectores eisdem, suum cuique præficiendi. Erat tunc Abbas Flavius Patavinus, cui Vincentius Archiepiscopus acriter ob-

De jure visitandi Ædiculas quasdam litem habuit cum Cœnobiarcha Lacromensi.

Digitized by Google

obſtabat, ne jure ſuo Ædes illas viſendi luſtrandique uteretur. Ille ad Sedem Apoſtolicam appellavit, impetravitque a Paullo V. litteras, quas *inhibitorias* vocant, quibus jubebatur Archiepiſcopus ab incepto deſiſtere, illique omni in eas eccleſiaſtica juriſdictione interdictum erat. Tunc quidem hoc litigium deferbuit; ſed poſt annos amplius triginta acrius exarſit, & tunc etiam Archiepiſcopus cauſſa cecidit.

Bartholomæus Caſſius Presb. Soc. Jeſu Evangelia e latino in Illyricam convertit.

Vincentius Bartholomæum Caſſium cum duobus aliis Presbyteris e Soc. Jeſu, anno 1619, Raguſium evocavit, quos a Mutio Vitteleſco Præpoſito Generali ad vineam illam Dominicam excolendam depopoſcit, atque expetiit. Et Bartholomæus quidem undecim ipſos annos in eorum gentium Chriſtianam inſtitutionem utilitatemque impendit; & cum linguam Illyricam optime calleret, e latino in Illyricum convertit, ac typis commiſit Rituale Romanum, Evangelia, & Epiſtolas, quæ diebus feſtis inter Sacrificium recitari ſolent, Catecheſim Ven. Roberti Cardinalis Bellarmini, Speculum Pœnitentiæ, Hiſtoriam Ædis Lauretanæ, Vitam S. P. Ignatii, itemque S. Franciſci Xaverii, pias quaſdam Commentationes; quæ omnia magno uſui fuerunt, ſuntque etiamnum in univerſa Dalmatia ignaris latini Italicique ſermonis.

Gregorius XV. virtutes ac religionem Raguſienſium meritis laudibus affi-cit.

Cum Reſpublica & Senatus Gregorio XV. in locum Paulli V. ſuffecto Summum Pontificatum gratulati fuiſſent; Pontifex litteras reddidit plenas amoris & officii, Eorum pro tuenda contra Turcas hoſtes finitimos, atque immaniſſimos non ſolum libertate, ſed etiam Religione, fervens ſtudium, militarem virtutem, invictam conſtantiam, & ſingularem adverſus Sedem Apoſtolicam fidem atque obſervantiam verbis ampliſſimis laudat; ſuum illis patrocinium & auxilium pollicetur.

Dilectis Filiis Rectori & Conſiliariis Reipublicæ Rhacuſinæ.

Epiſtola Pontificis.

Gregorius Papa XV. Dilectis Filiis ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Exercituum Deus, & miſericordiarum Pater omnino credendus eſt Rempublicam veſtram communire: nam cum Turcarum tyrannis, & Mahometis impietas finitimas veſtræ regioni provincias jampridem oppreſſerit, vos non ſolum libertatis arcem in urbe veſtra, ſed religionis etiam templum erexiſtis, ac tam præclara miſerentis Dei beneficia armorum vi, & pietatis ſtudiis glorioſe tutamini, atque etiam quotidie augetis; iſtis artibus noſtram jampridem benevolentiam conciliaviſtis; nunc vero cum in Apoſtolica ſede regnare nos, licet impares meritis, Deus juſſerit, & laudibus veſtris ſemper favebimus, & tanquam unice dilectos filios atque in ipſis barbarorum hoſtium faucibus poſitos peculiari vos ſemper ſollicitudine tuebimur, ac patrocinio noſtro complectemur. Jam vero gratulationis veſtræ officio plurimum delectati ſumus, cum vos non tam de libertate & maritimæ & militaris rei peritia, quam de ſingulari ac perpetua in Apoſtolicam ſedem pietate, atque obſervantia gloriemini; huic porro, quod Deus ipſe jecit, fundamento dum Reſpublica veſtra innitetur, fruſtra eam, ut ſperamus, imminentia pericula terrebunt; & ſi adverſus vos impiorum caſtra conſtiterint, fortitudo & laus veſtra Dominus erit, qui civitatem iſtam cuſtodiens, & tonans voce magnitudinis ſuæ facile inimicorum copias profligabit. Apoſtolicam vobis Benedictionem peramanter impartimur, eam veſtro nomini gloriam exoptantes, ut quantum loco proximi commoramini, tantum moribus ab impia finitimorum Turcarum immanitate diſtare prædicemini. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XXI. Auguſti MDCXXI. Pontificatus noſtri anno primo.

Anno 1627. cum in ſacra Congregatione cautum fuiſſet de luſtranda Raguſina Provincia, hi Epiſcopatus recenſiti ſunt Metropolitæ Raguſino ſubjecti, nimirum Mercanenſis & Tribunienſis, Roſſanenſis ſeu Rhizinienſis, Corcyrenſis, & Stephanenſis; ſed de Stephanenſi vide, quæ in Chryſoſtomo Epiſcopo Mercanenſi & Tribunienſi fuſe diſſeruimus; de Rhizinienſi vero jam diximus in Hugone Archiepiſcopo Raguſino.

Vincentius ab Raguſienſi ad Sedem Veralanam regendam migravit.

Vincentius interea hanc Eccleſiam gubernavit annos duodecim; & cum alia ſui paſtoralis regiminis veſtigia, tum nominis ſui memoriam reliquit inſcriptam tabulis Raguſinis, in quibus nominatur *Reverendiſſimus in Chriſto Pater & Dominus D. Vincentius Lanterius Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Raguſinus*. Anno 1628. ad Eccleſiam Verulanam in Hetruria regendam tranſivit; de quo Ughellus Tom. I. Ital. Sac. *Vincentius Lanterius Ligur Ventimilienſis Archiepiſcopus Raguſinus ad hanc Sedem translatus 1628. die 14. Junii ab Urbano VIII. In feſto Viſitationis B. Mariæ Verulas ſolemniter ingreſſus, Eccleſiaſticam diſciplinam, quam ipſe olim apud Patres Oratorii S. Philippi, cujus alumnus fuerat, didicerat, Clerum edocuit, populumque ad pietatis cultum revocavit &c.*

Eximium de ſua virtute, & flagrantiſſimo tutandæ Chriſtianæ religionis ardore, præſertim in Turcarum ditione, teſtimonium acceperunt ab Urbano VIII. Pontifice Patres Dominicani Raguſienſes anno 1624. Cum enim duo Cœnobia exſtruere illis opus eſſet, & operi manus jam admoviſſent, tum rei frumentariæ quantitatem certam in Apulia emere quidem vellent, at inde aſportare non poſſent abſque graviſſimis portoriis, quibus ſolvendis haud pares erant propter & Cœnobii paupertatem, & ædificiorum impenſas, Pontificem orarunt, ut a Philippo Hiſpaniarum Rege, & Apuliæ, totiuſque regni Neapolitani domino ſe portorio levari, ſibique pro perficiendis Cœnobiis aliquam pecuniæ ſummam erogari obtineret. In hanc rem miſſus in Hiſpaniam F. Deſiderius Nenchius, quem præclara ſodalium ſuorum commendatione Pontifex proſecutus eſt, hiſce ad Regem literis datis.

Urbani VIII. literæ ad Regem Hiſpaniæ pro Dominic. Raguſ.

Clariſſimo in Chriſto filio noſtro Philippo Hiſpaniarum Regi
Urbanus PP. VIII.
Cariſſime in Chriſto Fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Raguſinus Dominicanorum Fratrum Conventus arx eſſe videtur Chriſtianæ Religionis in Turcarum ſævientium finibus conſtituta, quam Pontificis Maximi patrocinio, & Catholicorum Principum beneficiis armari par eſt. Nunc autem ab ea familia allegatur ad majeſtatem tuam dilectus filius Religioſus Sacerdos F. Deſiderius Nenchius ſubſidium aliquod Auſtriaci pietate dignum a regali magnanimitate petiturus. Ex fertiliſſimis Apuliæ campis triticum aſportare Raguſium Dominicani Cœnobitæ cupiunt, & cum paupertatem colant, a ſe nullum exigi vellent ob eam rem

ve-

vectigal. Porro autem cum duo Monasteria extruere in ea regione cœperint, sentiunt se piis tanti Regis eleemosynis egere. Ea certe moliuntur, tanquam castra pietatis, unde in finitimis Turcarum Provinciis immittere possint Sacerdotes gladiis salutis armatos, ne illas Christianorum misere servientium reliquias infernalis prædo crudelius populetur. Causæ jus satis hortatur Majestatem tuam, ut beneficium aliquod ab eo Conventu deberi sibi velit. Testamur tamen solatia nostra fore ea auxilia, quæ illi præbebit pietas Majestatis tuæ, cui Apostolicam Benedictionem amantissime impartimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VIII. Junii MDCXXIV. Pontificatus nostri Anno primo.

THOMAS II. ARCHIEP. RAG. LXVI.

Thomas Celsius Archiep. Rag.

Pistorii in Hetruria ortus ex gente Celsia clara in primis ac nobili. Archiepiscopatum Ragusinum ei detulit Urbanus VIII. anno 1628. mense Septembri, ut tradit Salvius in Histor. Pistor. T. III. & Pallium eidem petenti concessit; 2. *Octobris, petitum est Pallium pro Electo Ragusino præsente, mandavitque Sua Sanctitas Priori Diaconorum ut traderet ex more*. Senatus per litteras v. Id. Novemb. datas, Summo Pontifici singulares gratias egit, quod sibi pastorem dedisset virum haud generis nobilitate, quam eximiæ integritatis, doctrinæ, & omnium virtutum laude clariorem. Anno proximo v. Kalendas Septembris Ragusium advenit; & Pontificatus initium ab Urbe ac Diœcesi lustranda fecit. Sacram Ædiculam Christi Domini redeuntis ad Superos, Cœnobio ac juri Franciscano annexam, Fratribus nequidquam obnitentibus, pro potestate Episcopali adire, visitare, inspicere voluit. Jam inde ab anno hujus sæculi undevigesimo, tres vel quatuor Presbyteri Societatis Jesu, cum Fratre rei domesticæ curatore, sedem precariam concessu Rectoris & Senatus obtinebant; cum Marinus Gundula Patritius Ragusienſis, antequam solemni professione se Deo, & Societati obstringeret, pecuniam omnem, quæ ad se pertinebat ex avito patrimonio, anno 1624. fœnori dedit, cujus annui fructus, partem in alimenta Sociorum Stationis Ragusinæ impenderentur, partim in fœnore ad sortem augendam reponerentur; quæ cum eo crevisset, ut ad Socios minimum duodecim alendos satis esse videretur, tum demum Statio illa temporaria, coempto solo, ædibus constructis, in formam justi ac stabilis Collegii verteretur.

Diœcesim lustravit.

Collocatio pecuniæ ad Collegium Ragusinum Societatis Jesu fundandum.

Thomam ad Ecclesiam Verulanam translatum fuisse tradunt Joannes Gundula, & Sebastianus Dolci. Uterque fallitur; & Verulanam translationem Vincentii Lanterii Thomæ Celsio per errorem affingunt. Episcopatum Verulanum Lanterii Ughellus usque ad annum 1650. perduxit, ab obitu Celsii decimum septimum; & Lanterio Alexandrum Argolum proxime subrogavit; ex quo fit nihil loci inter Verulanos Episcopos esse posse Thomæ Celsio. Huc adde, quod Tabulæ Consistoriales Metropolim Ragusinam anno 1634, non per translationem, sed per obitum Thomæ Celsii vacasse docent. Thomas itaque anno 1633. e vita decessit.

Obitus Thomæ Celsii.

De Thoma Celsio apud Scriptores Pistorienses hæc litteris Italicis tradita invenio. Anno 1576. natus est Pistorii, Joanne Celsio parente, viro clarissimo. In Gymnasio Pisano juris utriusque lauream adeptus est. Cum se Romam contulisset, Auditoris munere functus est apud Cardinalem Vicarium Urbis, eique controversiis ecclesiasticis cognoscendis ac dirimendis operam navavit. Anno 1607. cooptatus fuit in Collegium Canonicorum Ædis Metropolitanæ Florentinæ; ex quo illum Urbanus VIII. ad Sedem Archiepiscopalem Ragusinam evexit. Anno 1633. Romam venit ad sacra limina colenda; regrediens ad suam Ecclesiam, ex itinere patriam & consanguineos revisit; ibique dum Ragusium cogitat, letali morbo correptus, ad superos migravit. Sebastianus frater amplissimum ei funus faciendum curavit; & monumentum posuit hoc titulo inscriptum,

Ejus patria & studia & munera.

D. O. M.

Thomæ Celsio Archiepiscopo Ragusino, Viro ornatissimo, qui Roma ad Ecclesiam revertens, e natali solo ad Cælum divertit IV. Non. Decembris 1633, ætatis suæ anno 57. Sebastianus Celsius J. C. Senator Florentinus, & Magni Ducis Consiliarius Fratri optimo sepulcrum posuit, & anniversaria constituit.

Elogium sepulchrale.

Antiquitas & nobilitas Familiæ Celsiæ.

Antiquitatem, & nobilitatem familiæ Celsiæ, quæ cognomen traxit ex vico suæ ditionis non ignobili Pistoriensis agri, ab urbe tria passuum millia disjuncto, cui nomen *Celle*, testatam posteris esse voluit idem Sebastianus frater Thomæ in Æde primaria ejusdem vici, quam a majoribus conditam restauravit, & annuis reditibus auxit. In ea siquidem hanc Epigraphem tabulæ marmoreæ incidi jussit:

D. O. M.

Plebaniam S. Pancratii de Celle Signoretto Cellensi Jerardi filio, ejusque posteris in perpetuum Patronatum an. 1062. a Leone Pistoriensi Episcopo concessam, una cum decimis decem & septem Villarum ad ipsam pertinentibus; avitæ pietatis hæres Senator Sebastianus Cellensis, Consiliarius & aulicus Auditor Cosmi II. Magni Ducis, & unus ex tutoribus adlectus Ferdinando II., Plebaniæ Patronus, prope jam collapsam restauravit, ac redditibus adauctam dotavit 1617.

Huic Inscriptioni hanc notam subjicere libet ex Ludovico Antonio Muratorio, Tomo I. Antiquitatum Estensium & Italicarum. *In more quoque fuit eisdem conferre in beneficium Decimas, Curtes, Castra, aliaque hujusmodi ad Ecclesias pertinentia. Quare cum Nobilis Cellesiorum Pistoriensium Familia olim advocatiæ munere fungeretur ad defensionem Pistoriensis Episcopatus, verisimile prorsus videtur Signorettum Jerardi filium, qui ejusdem familiæ propagator perhibetur, ea de causa antiquitus, hoc est anno 1062. a Leone Episcopo Pistoriensi donatum Decimis, & Primitiis Plebis, & Ecclesiæ S. Pancratii, & S. Joannis Baptistæ, quæ est ædificata prope Celle, & complectebatur decem, & septem villas, quarum prima dicitur Celle. Par est credere hanc etiam donationem annumeratam inter præmia Nobilis Viri, qui pro Pistoriensis Episcopatus tutela nulli labori parcebat. Deo autem dante, si quando edam alterum Tomum Antiquitatum Estensium, & Italicarum, concessionis hujus charta prodibit, quam olim ex Archivio ejusdem Episcopatus descripsi &c.*

ANTONIUS III. ARCHIEP. RAG. LXVII.

Civis & Clericus Ecclesiæ Faventinæ in Æmi-

Digitized by Google

Antonius Severolus Archiep. Rag.

Æmilia, cui *Severolo* cognomen fuit. Eum Urbanus VIII. Metropoli Raguſinæ Archiepiſcopum præfecit: 1634. 3. *Aprilis providit Eccleſiæ Raguſinæ vacanti per obitum Thomæ Celleſii de perſona Antonii Severoli Clerici Faventini, cum diſpenſatione ſuper eo, quod ſex ante menſibus in Sacris Ordinibus non eſt conſtitutus.* Diœceſim ritu Epiſcopali luſtravit, ut licet intelligi ex monumentis paroeciæ S. Stephani in Inſula Jupana, in quibus memoriæ commendatum eſt, plures ab eo ibidem ſacro Chriſmate inunctos fuiſſe anno 1636. xv. Kal. Junii. Poſt triennium, relicta Raguſienſi, Sedem Nazarenam in Calabria itidem Archiepiſcopalem adeptus eſt; de quo Ferdinandus Ughellus Tom. VII. It. Sac. *Antonius Severolus Faventinus, ex vetuſta & nobili progenie natus, cujus proceres, & geſta per ſexcentos ipſos annos, non minus patriam, quam Italiam illuſtrarunt, ſibique ac ſuis immortalem gloriam pepererunt. Is juris utriuſque laureatus, eximia fama virtutum Romæ claruit; ab Urbano VIII, Raguſinorum Archiepiſcopus creatus, quinque in ea Cathedra exegit annos, & ad hanc Eccleſiam Nazarenam ab eodem translatus eſt anno 1639 3. Octobris &c.* In Additionibus idem Ughellus: *In ſuis nedum paſcendis ovibus, ſed alienis etiam perluſtrandis adhibitus .... dum ad majora properaret, diutino diſtentus morbo, ad cæleſtes manſiones evolavit anno 1666.*

Translatus ad Eccleſiam Nazarenam,

BERNARDINUS ARCH. RAG. LXVIII.

Bernardinus Larizza Archiep. Rag.

Hunc quoque Urbanus VIII. genere Apulum ex familia Larizza, Archiepiſcopum Raguſinis dedit. 1640. 16. *Januarii, providit Eccl. Raguſinæ vacanti per translationem Antonii Severoli ad Eccleſiam Nazarenam, de perſona Bernardini Larizzæ &c.* Hoc ipſo anno Diœceſim ritu Epiſcopali peragravit; & plures ab eo ſacro Chriſmate initiati in monumentis illarum Eccleſiarum reperiuntur. Ex poteſtate ſibi facta ab Urbano VIII. in oppido atque inſula Calamatæ (quæ una eſt de tribus, quas Plinius *Elaphites* vocat) Paroeciam novam inſtituit, eique primum Parochum præfecit F. Marium ex Ordine Franciſcano indidem oriundum, qui eam ex bonis maternis dotavit, & ſuis popularibus per multos annos, quoad vixit, verbis & exemplis plurimum profuit. Bernardinus ſeptimo poſt ſuſceptum Archiepiſcopatum anno Raguſii obiit an. 1647. Biennio ante, cum ſub initium belli Cretici claſſis Turcica Ægæum mare, & Ionium, nec longe ab oſtio ſinus Adriatici pervagaretur, & quocumque appelleret, cladem terroremque inferret, Innocentius X. Raguſienſium vicem ſollicitus pro ſua in eos paterna providentia & caritate arma & alia bellica ſubſidia Raguſium tranſmiſit, amantiſſimis ad eos hiſce litteris ſcriptis.

Ejus obitus.

Innocentii X. litteræ ad Raguſinos.

Innocentius Papa X. Dilecti Filii Nobiles viri ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Et proſpectamus ipſi nos ſolliciti, & veſtra nobis litteræ detulerunt, quibus ſeſe objici periculis ſentiat veſtra Reſpublica, late jam Turcica claſſe pervagante maria, ejuſque armis vim undique inferentibus. Ideo quia veſtrum conſtans religionis ſtudium, & qua præſtatis, fortitudinem jampridem novimus, paterna charitate ſummopere ducimur, ut vos omni præſidio tectos, cautumque veſtræ ditioni eſſe quam maxime cupiamus. Militaria armamenta, quæ tempus tulit, tranſmitti ad vos juſſimus, veſtram incolumitatem perpetuo optantes, quam & Deus ipſe exercituum firmatam e Cælo, ut ſperamus, eſſe velet, & nos ab eo ſummis precibus vobis apprecamur, unaque benevole impertimur Apoſtolicam Benedictionem. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XII. Sept. MDCXXXXV. Pontificatus noſtri anno primo.

Gaſpar de Simeonibus.

Extra,

Dilectis Filiis Nobilibus Viris Rectori & Conſiliariis Reip. Raguſinæ.

POMPEJUS ſive POMPONIUS ARCHIEP. RAGUSINUS LXIX.

Pompejus Mignucius Archiep. Rag.

Nobiliſſimo genere natus in oppido diœceſis Aſculanæ Provinciæ Picenæ, ex familia illuſtri, & perantiqua, quam alii *Minuciam*, alii Mignuciam vocant. Ordinem Equeſtrem Hieroſolymitanum adeptus, duo ampliſſima illius Ordinis Sacerdotia Polenſem S. Joannis, & Gradiſcanum S. Nicolai obtinuit. Hunc Raguſini Archiepiſcopum ab Innocentio X. acceperunt, qui 16. *Septembris an.* 1647. *providit Eccleſiæ Raguſinæ vacanti per obitum Bernardini Larizza, de perſona Pompeji Mignuccii &c.* Eodem anno tertio Kalendas Octobris conſecrationem Epiſcopalem ſuſcepit. Ne integrum quidem triennium præfuit. Cum Innocentius ob nefariam, & ſacrilegam cædem Chriſtophori Giardæ Epiſcopi Caſtrenſis in Hetruria, Caſtro funditus everſo, deletoque, Sedem illam Epiſcopalem ad oppidum Aquæpendentis, quod *Aculam*, ſive *Aquulam* Philippus Ferrarius vocat, *Aquas Taurinas* olim appellatas fuiſſe docet Michael Antonius Baudrandus, tranſtuliſſet, Pompejum Mignucium, Raguſinis ademptum, huic Eccleſiæ ibi conſtitutæ præfecit; ut ſedem illam tum claritate generis, tum ſplendore virtutum illuſtraret, & memoriam exſecrandi ſceleris aboleret. *Prudentiam fidemque ſuam* (ut eſt in Additionibus ad Ughellum Tom. I.) *in novo adminiſtrando Epiſcopatu, tanta præſtitit gratia, ut ſucceſſoribus deinde forma veri Paſtoris futurus eſſet. Decceſſit digniſſimus Præſul an.* 1655.

Sedem Epiſcopalem ex oppido Caſtri ad oppidum Aquæpendentis tranſlatam obtinuit.

FRANCISCUS III. ARCHIEP. RAG. LXX.

Franciſcus Perottus Archiep. natione Umber,

Sunt qui Franciſcum ex eadem Perotta familia, ex qua prodiit Nicolaus Perottus Archiepiſcopus Sipontinus ſæculi decimi quinti vir doctiſſimus, oriundum fuiſſe dicunt, illique eamdem, quæ Nicolai fuit, patriam adſcribunt, videlicet *Sentinum*, ſive *Saxoferratum*, oppidum Umbriæ non ignobile. Alii vero natione quidem Umbrum, ſed patria Callienſem, vel Pertienſem fuiſſe opinantur; utraque civitas Callium, & Pertia Umbriæ finibus continetur. Idem Innocentius X. poſt Pompejum Sede Archiepiſcopali amotum, *anno* 1650. 27. *Junii providit Eccleſiæ Raguſinæ vacanti per translationem Pompeji ad Aquæpendentem, de perſona Reverendi D. Franciſci Perotti &c.* Quem Canonici poſt diſceſſum Pompeji Vicarium Capitularem elegerant, eumdem ſibi operam munuſque Vicarii generalis navare voluit. Is fuit Sabinus Florianus ex Ordine Franciſcano, Epiſcopus Mercanenſis, & Tribunienſis, vir eximiæ doctrinæ & integritatis, qui vocat ſe in ſuis edictis, atque interdictis *Vicarium gene-*

Digitized by Google

neralem Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini D. Franciſci Perotti Archiepiſcopi Raguſini. Franciſcus itaque anno 1650. Metropolim Raguſinam adminiſtrandam ſuſcepit; & biennio poſt, cum diœceſim luſtraret, jus viſitandi, inſpiciundique Eccleſias Juncheti, vel invitis Monachis Lacromenſibus, ad quorum juriſdictionem ſpectabant, ſibi arrogavit. Cum Fulgentius Monachus obſiſteret ac repugnaret, eum anathemate feriit, & Eccleſias illas interdicto ſuppoſuit. Res ad Sedem Apoſtolicam delata fuit, quæ hujus cauſſæ cognitionem delegavit duobus Præſulibus Curiæ Romanæ. Hi ſecundum Monachos judicarunt; & irritam Viſitationem illam, irritum anathema Fulgentio Monacho inflictum, irritum denique fuiſſe interdictum Archiepiſcopale declararunt. Archiepiſcopo autem, ſi quid tale in poſterum conaretur, tum ingreſſu ad Eccleſiam, tum omni Epiſcopali functione interdictum eſſe voluerunt.

Jus viſitandi Eccleſias Juncheti ſibi arrogavit.

Cum ante annos fere ſexdecim tres illi Presbyteri Societatis Jeſu, qui rei Chriſtianæ, & litterariæ puerorum inſtitutioni operam dabant, propter nonnullas interpoſitas offenſiones, relicta ſtatione Raguſienſi abiiſſent; anno 1654. cupiditas illos revocandi Raguſinos inceſſit; & rurſus poſtea a Præpoſito Generali, jubente Alexandro VII, tres alios impetrarunt, duos Presbyteros Orſatum Ragninam Patritium Raguſinum, & Adalbertum Grebennium, qui Evangelicis miniſteriis utilitati illarum gentium inſervirent, unum Clericum Michaelem Schenderichium, qui pueros latinis litteris, & bonis moribus imbueret.

Tres e Societate Jeſu Operarii Raguſium revocati.

Cum iter neceſſarium Franciſco Archiepiſcopo Romam eſſet, ſub initium anni 1664. tacito diſceſſu ex urbe profectus, in Jupanam Inſulam trajecit; ibi dum ventos propitios ad ſolvendum expectabat, litteras dedit v. Kalendas Februarias ad Cæſarem Gothoſpadam Priorem Cœnobii Lacromenſis; eumque de ſua Romana profectione admonitum, Vicarium generalem conſtituit, qui ſui abſentis vice fungeretur; ſiquidem Sabinus Florianus Epiſcopus Mercanenſis, cujus opera vicaria annos circiter decem uſus fuerat, ante triennium obierat. Dum Romæ vel ſua privata, vel publica Eccleſiæ negotia curabat, e vivis exceſſit.

Franciſcus Romæ obiit.

PETRUS IV. ARCHIEPISCOPUS RAGUSIN. LXXI.

Ex Hiſpanienſi nobiliſſima gente *de Torres* oriundum ferunt. Dum Reges Hiſpaniæ Regnum utriuſque Siciliæ obtinebant, ex hac ſtirpe antiquiſſima cum familiarum facta eſſent divortia, una ex his apud Tranum, quæ civitas eſt Apuliæ, ſedem omnium rerum ac fortunarum ſuarum collocavit. In hac civitate natus eſt Petrus, quem Alexander VII. in locum Franciſci Raguſienſis Metropolitæ ſubſtituit: 12. *Januarii* 1665. *providit Eccleſiæ Raguſinæ vacanti per obitum Franciſci Perotti, de perſona Petri de Torres &c.* Hujus Archiepiſcopatus in ea tempora funeſtiſſima incidit, cum Civitas univerſa magno terræmotu corruit; & quod reliqui ea clades fecerat, incendio conſumptum eſt. Anno 1667. VII. Id. Aprilis die quarta majoris hebdomadæ, qua memoria recolitur humanæ ſalutis morte Chriſti reparatæ, hora ejus dici tertia, terra ingenti concuſſa motu eſt. Cum pleraque loca ditionis Raguſinæ, veluti Stagnum, & alia, tum vero ipſum Raguſium caput ac ſedes Reipublicæ, tectis ac templis frequens, exornata magnificis ædificiis, & variis ac ſumptuoſis generibus operum, ſic ruinis oppreſſa concidit, ut ex multis millibus incolarum evaſerint vix mille, in quibus non pauci Nobilium virorum. Caſu tignorum ac tabularum in focos, ignem cum titionibus accenſis ventus deinde vehemens coortus detulit quaquaverſus, eoque reliquiæ diutæ Urbis partem maximam arſere. Abs re autem non erit, nec lectori ſane injucundum, triſtiſſimam tanti caſus deſcriptionem huic loco intexere, quam Benedictus Stay doctiſſimus æque Philoſophus, ac poeta elegantiſſimus, & civis Raguſienſis inſeruit eximio operi de Philoſophia Lucretiano ſtylo, ac carmine ab ſe concinnato. Extat ad calcem lib. IV. operis ejuſdem integra hæc narratio, in qua poeſis energia & nitor nihil detrahunt hiſtoricæ veritati.

Terræmotus Raguſinus

a Benedicto Stay deſcriptus.

Tempus erat, vernis quo primas floribus herbas
Pingebat natura, diemque ferebat ad Arcton.
Jamque ea lux aderat, caſum qua fata parabant.
Horrentes cœlum nebulæ tegere undique viſæ,
Imber vicina tenuis de nube pluebat,
Æquoris inſueto ſubſederat unda receſſu:
Præterea auditi gemitus ſunt edere magnos
Montes, atque cavis alte mugire cavernis.
Ecce tremit moto ſubſultans cardine tellus;
Nec mora; deficiente ſolo jam prodita peſſum
Labitur omnis, & immani reſoluta ruina
Urbs ima conſedit humo: ſe pulveris ingens
Protinus in cœlum nubes agit, atraque lucem
Involvit noctemque refert. Quæ in turbine tanto
Mens animuſque fuit rerum in vertigine tanta
Deprenſis? iterum tellus concuſſa videtur
Jam trepidare (animum quoque nunc ita concuſit horror)
Sub pedibuſque labare ſolum, ruere ardua tecta
In caput. Illa fuit quæ mens, cum ſaxa domorum
Alta ſolutarum pluerent ſuper, imaque tellus
Hiſceret, obrueret fragor aures, lumina caligo,
Effugiumque malo ſeptis urgente ruinæ
Conſtruerent? mentem præſens vis ipſa pericli
Subdidit hanc miſeris, jamjam omnia victa fragore
Succidere horriſono, terram, mare, ſidera verti.
Corripuit ſtupor altus, & omnes abſtulit una,
Sopivitque animi ſenſus formidine tanta,
Ut, quod in adverſis ſit rebus, tollere palmas
Scilicet in cœlum, ſuperoſque expoſcere pacem,
Nos neque poſſemus noſtri meminiſſe, neque ullas*
Aut oculis lacrymas, aut pectore fundere vota.
At neque ſancta Deum ſi templa fuiſſet adire
Mens nobis, tali in fortuna ut debuit eſſe,
Uſquam inventa forent totam quæſita per urbem.
Omnia namque ſolo miſere proſtrata jacebant
Omnia templa, theatra, lares, & publica tecta
Undique præcipitata immani everſa ruina.
Ante alia illud in his miſerandum magnopere unum
Rebus erat, multis plenam modo millibus urbem
Vidiſſe & populo ferventia ſtrata viarum,
Urbis poſt lacerum ſimulachrum & nomen inane
Aſpicere, & cæcis quod jam ſerpentia ſæcla
Incolerent, ſæcla & volucrum nocturna latebris.
At quid, prohSuperi! tanta de gente, quid illo
Factum eſt de populo? ſtrata jacet urbe ſepultus
Scilicet, atque animas lapidum ſub mole, ſub ipſis
Exhalat tumulis: tantum reſonare querelæ
Undique, confuſus ferri ſuper æthera clamor.

* Cives ineſſigi publica calamitati ſuperſtites, quos Poeta hac enarrare fingit filiis & nepotibus.

Quis

Quis memoret tantas tam parvo in tempore cædes?
Præcipites dominos tota cum gente penates
Contexere, suos everſaque Curia Patres
Incubuit ſuper, & gentem quoque templa virorum
Sacrificam ſubita tumularunt verſa ruina;
Obtritumque viis circum omnibus undique vulgus
Emoriebatur: nullo diſcrimine læti
Corporaque ægra ſenum, juvenumque valentia, ſexus
Fœmineus, melioreque virum, imbelleſque puellæ
Et pueri infanda correpti morte peribant.
At nos relliquiæ fatorum & cladis acerbæ
Quidnam agere? amiſſis rebus patriaque ſuiſque
Mœrentes alii Divos expoſcere mortem
Certabant; alii contra non vulneris ictu
Expertes, tamen huc atque illuc vociferantes
Vitai nimium cupidi mortem fugitabant,
Et terram effuſo ſignabant ſanguinis imbre,
Interdum tamen a tergo velocior inſtans
Mors veniebat ob exhauſtas vel denique vires,
Vel quia murorum deprenſos deſuper ingens
Mactabat caſus: nonnulli membra trahentes
Poſt ſeſe lacera & laniatos ictibus artus
Reptabant per ſaxa, ſuoſque in opem vocitabant;
Demum opis expertes, deſerti, ut bucera ſæcla
Triſtem exhalantes animam inter ſaxa cadebant.
Qui fuerant autem juvenili robore freti
Viribus intactis, & amor pietaſque ſuorum
Queis mœſtum deſiderio cor fixerat acri,
Ibant huc illuc, evolvebantque ruinas,
Et collapſarum certabant ſaxa domorum
Eruere, amiſſam prolem, ſeniumque parentum
Cum gemitu & lacrimis & luctiſono ululatu
Quærentes ſub eis, iterumque iterumque vocantes.
Flamma vorax totam dein ingens orta per urbem
A conſanguineis disjunxit denique mœſtos
Corporibus, ſanctoque ingratis, proh ſera fata!
Vulſit ab officio. Noſtris hoc denique deerat
Ærumnis, urbis quoque conficeretur ut ipſum
Triſte cadaver, & in miſeras quoque dira ruinas
Sæviret fortuna; cremantur corpora paſſim
Exanimum & pariter viventium; namque ſub ipſis
Lapſi qui domibus vitarant funera leti
Sub tignis, ſub fornicibus, ſub pariete fracto,
Subque cavis circum occluſi obſtructique ruinis,
Poſterius tamen hos leti vis corripiebat
Sævior, heu! vivos diſſolvens ignibus artus.
Ardebant, collapſa licet, tamen aurea tecta,
Auratæque trabes, veterum monumenta parentum,
Templorum decora, atque antiquæ inſignia gentis.
Quin etiam lapides flamma liquefacta per ipſos
Auri atque argenti vis ingens, divitiæque
Manabant rivis ferventibus, atque fluebant
Latronum in prædam: nam protinus undique lapſi
Illi vicinis e montibus adveniebant,
Et collecta domum ſpolia ampla impune ferebant.
Denique in excidio tanto, infandaque ruina
Queis ſuperare datum eſt, alias pars quærere terras
Exſilio, pars ingenti telluris amore
Commoti campis habitare patentibus urbem
Juxta, & ſtramineos paſtorum ut turba penates
Incolere; e ſaxis fugiebant namque domorum
Edita tecta metum propter, quia crebra tremores
Mugituſque ſuos repetebat terra minaces
Ex imo; donec non longo tempore ab ipſis
Surgeret Urbs, Urbiſque prior fortuna ruinis.

Inter eam ſtragem & tumultum, ea fuit prima Archiepiſcopi cura, ut Virgines Deo ſacratas, quarum monaſteria corruerant, huc illuc diſperſas colligeret, eaſque in navigium impoſitas commendaret P. Orſato Ragninæ Preſbytero Societatis Jeſu, qui eaſdem Anconam traduceret; & permiſſu Epiſcopi Anconitani, ad quem litteras dederat, Collegio Virginum S. Sebaſtiani ad tempus cuſtodiendas traderet. Ubi ab ea clade & conſternatione reſpiratum fuit, omnium cogitationes curæque converſæ ad reficienda publica & privata ædificia, civitatemque in priſtinum ſtatum reſtituendam; quæ veluti renata ab ſecunda origine, longe magnificentior, pulchrior, ornatior, & vicorum ac viarum deſcriptione commodior extitit. Virgines Deo ſacræ Anconam tranſvectæ.

Præcipua vero Raguſienſium cura & ſollicitudo in ſacras ædes reficiendas converſa fuit; atque in id opus a Pontifice impetrarunt, ut quidquid ſacræ ſupellectilis ex auro & argento inter urbis ruinas defoſſum ſupereſſe ab teterrima illa clade repererant, ad Eccleſiarum reædificationem impenderetur. Pontificiæ hac de re litteræ hujuſmodi ſunt Petro Archiepiſcopo inſcriptæ an. 1668.

Clemens PP. IX.

Ven. Frater, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Nuper pro parte dilectorum filiorum Magiſtratuum Reip. Raguſinæ nobis expoſitum fuit, quod cum poſt miſerandam calamitatem, qua Ædes ſacræ Civitatis Raguſinæ conflagrarunt atque corruerunt, ſuperſint multæ res argenteæ, vid. ſtatuæ, vaſa ſacra, aliaque utenſilia majorem partem corrupta, atque ad priſtinos uſus inepta, nunc vero urgeat neceſſitas reædificandi Eccleſias collapſas, ſeu partem earum, & præſertim Metropolitanam Raguſinam, ipſi exponentes licentiam vendendi res argenteas præfatas earumque pretium in reædificationem dd. Eccleſiarum convertendi a nobis concedi plurimum deſiderant. Nos igitur eorumdem exponentium deſiderio hac in re quantum cum Domino poſſumus favorabiliter annuere volentes, & earum ſingulares perſonas a quibuſvis Excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis a jure vel ab homine quavis cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de VV. Fratr. noſtrorum S. R. E. Cardinalium Conc. Trid. Interpretum conſilio, Fraternitati tuæ per præſentes committimus & mandamus, ut veris exiſtentibus narratis præfatas res argenteas ad effectum reædificandi tantummodo Eccleſias, ad quas eædem res argenteæ reſpective pertinent, alienare auctoritate noſtra Apoſtolica pro tuo arbitrio, & conſcientia permittas, dummodo in eiſdem Eccleſiis, quibus ſtatuæ argenteæ, ut præfertur, alienandæ donatæ reperiuntur, apponatur aliqua perpetuo durabilis de ſingulis donatoribus reſpective memoria, & quatenus adſit aliquod inſigne reliquiar. conſervetur, ac ſalva ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium, non obſtantibus quibuſvis etiam ultimis voluntatibus, quas quoad præmiſſa ſufficienter & expreſſe commutamus, ac fel. rec. Paulli II. & aliorum Rom. Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, neconon dd. Eccleſiarum etiam juramento, confirmatio- Clem. PP. litteræ ad Archiep. Rag. de Eccleſiis reædificandis.

Digitized by Google

tione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis &c. Quibus omnibus & singulis illorum tenores &c. derogamus cæterisque contrariis quibuscumque Dat. Romæ apud S. M. Maj. sub annulo Piscatoris die 19. Octobris 1668. Pontif. nostr. an. 2.

At Petrus Archiepiscopus sacrarum Virginum commodis & decori præterea prospicere satagebat, quæ cum Ancona Ragusium revectæ jam essent, suis quæque monasteriis restitutæ fuerunt: etenim cum numero pares non essent iis incolendis, nec tutum fore videretur, ut inter collabentia illa licet partim refecta suarum ædium rudera immorarentur, Petrus a Pontifice impetravit, ut octo, quot ante urbis cladem Ragusii erant, illarum collegia in duo tantum Monasteria conjungere liceret, alterum S. Mariæ, cui Virgines Benedictinæ, alterum S. Claræ, cui Dominicanæ cum Franciscanis, quarum illud propriam erat, includerentur; quod ipsius Petri decretum testatur hic descriptum.

Petri decretum pro sacris Virginibus Ragusinis.

Petrus de Torres Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Ragusinus.

Universis & singulis præsentes litteras audituris, lecturis, & inspecturis, illis præsertim, quorum interest, intererit, aut interesse potest, quosque infrascriptum negotium tangit, seu tangere potest quomodolibet in futurum, salutem in Domino sempiternam.

Cum octo Monasteria Monialium hujus nostræ Ragusinæ Metropolis aut terræmotu diruta fuerint, vel incendio conflagraverint Mense Aprili 1667. quorum quinque sub regula S. Benedicti erant unita totidem Ecclesiis diversis, nimirum sub invocatione S. Mariæ de Castello, S. Andreæ Apostoli, S. Thomæ Apostoli, S. Marci Evangelistæ, & Simeonis Prophetæ; tria vero alia, nimirum unum sub regula S. Dominici Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli, & duo sub regula S. Claræ, quorum alterum erat conjunctum Ecclesiæ S. Petri Apostoli, alterum Ecclesiæ S. Claræ, cumque quasi major pars Monialium prædictorum respective Monasteriorum, vel flammis suffocata, vel ruinis oppressa diem suum obierit, Sacra Congregatio negotiis Episcoporum, & Regularium præposita justis ex causis mota voluit prædicta octo Monasteria in duo uniri, nobisque mandavit, ut in duo uniremus, omnes nimirum Moniales Ord. S. Benedicti in unum, & cæteras in alterum, prout in litteris ad nos datis sub die 24. Maji 1669. continetur. Nos igitur auctoritate delegata, qua fungimur in hac parte, & omni meliori modo, quo possumus, Monasteria Ord. S. Benedicti prædicta sub invocatione S. Andreæ Apostoli, S. Thomæ Apostoli, S. Marci Evangelistæ, S. Simeonis Prophetæ cum omnibus juribus, & pertinentiis suis ex nunc in perpetuum unimus, incorporamus, & annectimus per præsentes Monasterio ejusdem Ordinis sub invocatione S. Mariæ, & unum facimus, & declaramus: ita ut liceat Abbatissæ prædicti Monasterii S. Mariæ nunc & pro tempore existenti, seu per se, seu per Procuratorem unum, vel plures Procuratores corporalem, realem, & actualem possessionem bonorum mobilium, immobilium, censuum, locorum montium, afflictuum quorumcumque, jurium quomodocumque pertinentium ad prædicta Monasteria supra nominata Ord. S. Benedicti apprehendere, illorumque fructus, reditus, & proventus hujusmodi percipere, & habere, ac in suos, prædictæque Ecclesiæ S. Mariæ, Monasterii, ac prædictarum Monialium sic unitarum S. Benedicti usus, & utilitatem convertere, ac perpetuo retinere.

Similiter tria alia Monasteria, unum S. Dominici sub invocatione S. Michaelis Archangeli, & unum S. Claræ sub invocatione S. Petri cum omnibus juribus, & pertinentiis suis ex nunc in perpetuum unimus, incorporamus, & annectimus per præsentes Monasterio, & Ecclesiæ S. Claræ sub invocatione ejusdem, & unum facimus, & declaramus; ita ut liceat Abbatissæ prædicti Monasterii S. Claræ nunc, & pro tempore existenti, seu per se, seu per Procuratorem unum, vel per plures, corporalem, realem, & actualem possessionem bonorum mobilium, censuum, locorum montium, afflictuum, quorumcumque jurium quomodocumque pertinentium ad prædicta duo Monasteria sub invocatione S. Michaelis Archangeli, & S. Petri apprehendere, illorumque fructus, reditus, ac proventus hujusmodi percipere, & habere, ac in suos, prædictæque Ecclesiæ S. Claræ, Monasterii, ac prædictarum monialium sic unitarum S. Dominici, & S. Claræ usum, & utilitatem convertere, ac perpetuo retinere; quæ omnia & singula, nec non præsentes litteras nostras, & in eis contenta, vobis & singulis Abbatissis, Monialibus prædictorum Monasteriorum, & vestrum cuilibet notificamus, & ad notitiam deducimus, & deduci volumus per præsentes, ne umquam de præmissis ignorantiam aliquam valeatis prætendere, seu allegare, præcipiimusque omnibus, & singulis Monialibus, ut suæ Abbatissæ obedientiam, & reverentiam exhibeant, vobisque, & vestrum cuilibet sub pœnis arbitrio nostro reservatis, etiam sub pœna excommunicationis majoris præcipimus, & mandamus, ne ullo umquam tempore alicui, seu alicui, seu aliquibus vestrum publice, vel occulte, directe, vel indirecte, quovis quæsito colore, vel ingenio aliqua vestrum præstet impedimentum, consilium, opem, vel favorem, quominus omnia, & singula prædicta suum effectum sortiantur, ita tamen volumus in vestros usus respective posse converti fructus, ut quæ superfuerint ex vestris alimentis, debeant applicari fabricæ Ecclesiarum, & Monasteriorum prædictorum. Reservantes nobis assignationem taxæ pro vestro alimento, & ad formam litterarum S. Congregationis debeat reddi nobis ratio administrationis ab administratoribus; & ita harum tenore decernimus, definimus, & declaramus, ac omnimodo omnia, & singula præmissa servari præcipimus. Ragusii in ædibus Annunciationis B. M. V. die XV. Augusti 1669.

Petrus Archiepiscopus Ragusinus.

Joannes Budich Canc. Archiepiscopalis.

Ex pecunia legata Michaelis Miolcæ civis Ragusini illic extructum fuit Cœnobium ac Templum sub nomine & auspiciis S. Catharinæ Senensis, ubi antea fuerat Monasterium *S. Petri Novi*, sive SS. Apostolorum Petri & Paulli, quod Virgines S. Claræ incolebant. Nam cum ante terræmotum duo essent Collegia harum Virginum, utrumque postea in unum redigi placuit. Hæc ex Monumentis Mss. *Congreg. S. Dominici de Ragusio*, in quibus hæc memoriæ prodita reperio: *Monasterium S. Michaelis sororum nostrarum corruit anno 1667. Superstites paucæ admodum sorores cum alterius Instituti sororibus conversatæ sunt; quibus extinctis, numquam enim illarum Monasterium fuit instauratum, nullæ fuerunt Ragusii Ordinis nostri sorores; donec a Congregatione Presbyterorum*

Sæculo decimo octavo incuntæ Cœnobium Virginibus Dominicanis extructum.

rum, ære ad hoc opus legato Michaelis Mioscæ Ragusini Civis, pro iisdem erectum fuit Monasterium D. Catharinæ Senensi dicatum; ubi ante terræmotum Monasterium SS. Apostolorum Petri & Pauli fuit, quod sorores S. Claræ incolebant. Igitur die 3. Februarii anno 1706. duæ ex sororibus S. Mariæ a Castello Ord. S. Benedicti, Summi Pontif. dispensatione præhabita, ad novum S. Catharinæ Monasterium cum octo puellis, quarum plures sanguine nobiles, moribus ingenuæ, velo statim donatis, se contulerunt. Hæ proinde nostro habitu assumpto, admissisque aliis numero supra viginti, magna populi ædificatione in Regulari disciplina, in qua a Fratribus nostris instructæ fuerunt, constitutæ quamvis extra Ordinis obedientiam, nam Archiepiscopo in omnibus subjacent, Ordini devinctissimæ, perfectum Altissimo famulatum exhibent.

Collegium So. Jesu Ragusii condirum.

Anno 1684. statio Ragusina Presbyterorum Societatis Jesu formam nomenque Collegii adepta est; & cum Templo admodum angusto, & parum commodo, idonoque ad functiones Instituti nostri obeundas uterentur, intra finem hujus sæculi Templum satis amplum, eleganti opera & structura ædificari cœpit. Primum lapidem solemni precatione & ritu locavit Antonius Primus Episcopus Mercanensis.

Tres Ragusini illustres.

Ingentem per hæc tempora mœrorem attulit Ecclesiæ & Civitati Ragusinæ obitus illustrium virorum Bernardi Sorgo, Stephani Gradii, & Petri Rosdarii ex ordine patricio, quorum eximias dotes & perhonorifica munera feliciter gesta testantur sepulcrales inscriptiones. Decessit Bernardus Patavii, & in Basilica Antoniana sepultus fuit prope columnam, quæ dexteræ parti altaris D. Josepho sacri adjacet, hoc tituli columnæ ipsi inscripto. *D. O. M. Bernardus Sorgo de RHAGUSIO, Principum proles, virtute, nobilitate, legationibus clarus, onustus meritis, immature obiit An. D. 1681. die 12. mensis Martii, cujus ossa, gloriæ non vacua, hic quiescunt, ætatis suæ XXXIV.*

Biennio post vita functus est Romæ Stephanus Gradius vir apprime excultus gravioribus disciplinis, & humanioribus litteris. De hoc, ejusque editis libris satis in catalogo Scriptorum Ragusiensium; quanta ejus caritas in patriam fuerit, cognosci potest ex litteris ab eo scriptis ad Jo. Baptistam Nannium patricium Venetum, & D. Marci Equitem ac Procuratorem, quæ in Nanniana Bibliotheca servantur, cum eo tempore gravissimæ turbæ de Narentanis salinis excitatæ fuissent adversus Ragusinos, & præterea bellum hi sibi metuerent ab Imperatore Turcarum, Stephano Illyricæ Nationis in urbe Præsidi, cum viveret, monumentum posuit jam defuncto, & titulum fecit in templo Hieronymiano Georgius Georgicæus Spalatensis & ejusdem templi in ipsa urbe Archipresbyter, eademque inscriptione Joannis Lucii, ac Joannis Pastritii laudes complexus est, qui Illyricæ Nationi & ipsi præfuerant, ac in eodem Stephani sepulcro quiescunt.

D. O. M.

Illyricæ Nationis in urbe Præsidibus, Joanni Lucio Nobili Tragurienſi qui Dalmatiæ, Croatiæ, patriamque historiam illustravit & conscripsit: Ob. III. Id. Jan. MDCLXXIX. Stephano Abb. Gradio Patritio Ragusino, Bibliothecæ Vaticanæ Præfecto, S. Inquisitionis Consultori, Christinæ Sveciorum Reginæ Academico: Ob. VI. Non. Maii MDCLXXXIII. Joanni Abb. Pastritio Spalatensi in Collegio Urbano de Propaganda Fide Theologiæ Polemicæ Lectori emerito, Academiæ de Conciliis institutori, omnigena eruditione exoticisque linguis ornatiss. Ob. XIII. Kal. April. MDCCVIII. Georgius Georgicæus Spalatensis hujus Templi Archipresbyter viris pietate ac doctrina clariss. Mon. D. S. Pos. MDCCXL.

Petrus demum Rosdarius, cum Romæ vitam finiisset, in eodem D. Hieronymi templo tumulatus fuit amplissimo funere, hac inscriptione lapidi insculpta.

D. O. M.

Petro Rosdario Prot. Apostolico J. U. D. Patrit. & Canonico Ragusino, variarum linguarum necnon Conciliorum & sacræ eruditionis peritissimo, morum suavitate & integritate vitæ conspicuo, Principibus viris æque ac popularibus charo, post præclare gesta Epidauri in munere Generalis Vicarii Archiepiscopi Ragusini, Genuæ in Legatione ob angustiis (sic) temporum difficillima, Romæ in promovendis publicis negotiis Ragusinis apud Summ. Pontif. de patria optime merito. Anno ætatis XXXIX. in ipso dignitatum limine morbi vi terris erepto desiderium chari capitis non sine dolore ferentes FF. Amantiss. Fratri posuere anno Domini MDCLXXXV.

Petrus de Torres dimissa Eccl. Ragusina, primum Episcopus Potentiæ, deinde Archiep. Tranensis.

Petrus Torres annos fere quindecim, calamitosis ac difficillimis temporibus, Ecclesiam Ragusinam summa sapientia & pietate gubernavit, in partem societatemque Ecclesiastici ac laborioſi regiminis adscito Antonio de Primis ex Ordine S. Francisci, Episcopo Mercanensi ac Tribunensi, quem sibi Vicarium generalem constituerat. Sub initium anni 1688. Ecclesiæ suæ nuncium remisit, & primum ad Sedem Episcopalem Potentiæ, quæ civitas est Lucaniæ perantiqua, migravit; deinde post quinquennium Metropolim Tranensem in patria regendam suscepit, ibique mortales exuvias deposuit IV. Kal. Novemb. an. 1709.

VINCENTIUS III. ARCHIEPISCOPUS RAGUS. LXXII.

Vincentius Lucheſinus Archiep. Rag.

E patritia Lucheſina familia Lucensi. Nomen dederat in sodalitatem Servorum B.M.V., in qua tum naturalium, & divinarum rerum doctrina in primis floruit, tum per omnes inferiorum magistratuum gradus ad supremam totius Ordinis Præfecturam ascendit. Virum omni laude cumulatum ad Sedem Archiepiscopalem Ragusinam designaverat Innocentius XI., quo vita functo ante, quam Vincentius solemni consecratione inauguraretur, is de abdicando se ab hoc munere cogitabat ea animi firmitate, qua alios antea sponte sibi oblatos Episcopatus reculavit. Verum reluctantem licet, atque invitum ad eamdem hanc Ragusiensem Sedem evexit Alexander VIII. in Innocentii locum suffectus, ut docent Tabulæ Consistoriales: *29. Novemb. 1689. providit Ecclesiæ Ragusinæ vacanti per translationem Petri Torres ad Ecclesiam Potentinam, de persona Joannis Vincentii Lucheſini Presb. Ordinis Ser. B. M. V.* Eodem anno tertio Id. Decemb. consecrationem Episcopalem suscepit, & eodem die litteras ad Senatum, Canonicos, & Clerum dedit, sui proximi adventus prænuncias, hortantes obsecrantesque, ut omnes pro sui status ratione honeste pieque viverent. In Templo Virginum S. Claræ, D. Philippo Benitio amplificatori, quasque

Digitized by Google

ſique alteri parenti ſodalitatis religioſæ Servorum B. M. V., quam ipſe ſummo cum imperio adminiſtraverat, aram elegantem exſtruxit, & plurimis Divorum reliquiis locupletavit. Patribus Dominicanis poteſtatem fecit recipiendi Domicilii & Sacelli S. Mariæ de Carmelo, quod in pago *Vallis nucis* Dominicus Razzius civis Raguſinus illis tradidit, ut ibidem Chriſtianæ incolarum inſtitutioni ſalutique operam impenderent; id quod in Monumentis Mſs. Dominicanis ſæpe laudatis memoriæ proditum eſt his verbis: *Joannes Dominicus Razzi civis Rag. Domum & Capellam S. Mariæ de Carmelo a Stephano parente ſuo exſtructam, pluresque agros in Pago Vallis nucis Rag. Diœc., ad ſepties mille paſſus Raguſio ad Occidentem, in amœni collis edito, diſtante, 25. Apr. an. 1690. PP. Dominicanis donavit, ut exſtructo ibi Cœnobio, ſpirituali paganorum cultui operam darent. Fratres locum acceptaverunt, habitis facultatibus, præſertim Archiepiſcopi Raguſ., in hæc verba ſupplici Fratrum libello reſcribentis: Die 10. Julii anno 1690. Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus D. F. Joannes Vincentius Lucheſinus Patricius Lucenſis, Ord. Ser. Deip. Exgeneralis, S. R. Inquiſitionis Qualificator, Dei & Ap. Sedis gratia Archiep. Raguſinus, viſo ſupplici libello &c. conceſſit licentiam &c. Igitur præter pias fidelium eleemoſynas, ope Imperatricis Eleonoræ, præſertim vero Raguſini Conventus, veteri Eccleſia duplo in ampliorem formam prolata, F. Alberti de Thaddæis opera, qui primo datus fuit in Vicarium, S. Roſæ Virginis Limanæ parvum Cœnobiolum exſtructum eſt. Inde arcendis, ſi cauſſa eſſet, prædonibus, Philippi Baronis Saponaræ ſubſidio anno 1709. Turris in medio Cœnobii erecta fuit, hujuſmodi inſculpto lapidi monumento: Illuſtriſſimi Domini Domini Philippi Lib. Bar. Saponaræ, Peditum Tribuni, Conſiliarii Aulici & Bellici S. M. Cæſareæ, ſuique apud hanc Remp. Raguſinam Reſidentis, ſubſidio Roſeæ hæc Turris erecta eſt anno D. MDCC.*

Templum & Domicilium in Valle Nucis PP. Dominicanis traditum recipiendi poteſtatem fecit.

Nondum a ſuſcepto Archiepiſcopatu quinquennium exegerat, cum eum Innocentius XII. a Metropoli Raguſina ad regimen Eccleſiæ Aſſiſienſis tranſire juſſit. In Additionibus Ughellianis hoc elogio decoratur: *F. Joannes Vincentius Lucheſinus Nob. Lucen. Ord. Servorum B. M. V., qui optimis diſciplinis, & multiplici ſcientia inſtructus, cum ipſe, quæ virtutum fluenta ebiberat, in alios diffudiſſet, ſacrarum litterarum magiſterio decoratus, plures egregie peregit in ſuo Ordine præfecturas, donec ad generalem pervenit. Conſultor etiam adhibitus in ſacra Indicis librorum Congregatione, & Qualificator in ea univerſalis Inquiſitionis. Hinc infulas promeritus, ad Raguſinum Archiepiſcopatum aſſumptus fuit 28. Novemb. 1689. quod onus cum integra fama ſuſtineret, ad proximiorem S. Romanæ Sedi Eccleſiam, ſcilicet ad Aſſiſienſem vocatus eſt 13. April. 1693. Obiit an. 1698.* In Æde Patavina Servorum B. M. V., cum Patres illi religioſiſſimi Clementi X. Pontif. Max. ob Philippum Benitium Divorum faſtis adſcriptum, grati animi cauſſa, monumentum poſuiſſent, in eo nomen Joannis Vincentii inſcribi voluerunt, quod is, dum univerſo Servorum Ordini præſidebat, plurimum ſtudii operæque contuliſſet, ut B. Philippo cultus honoreſque Divorum decernerentur.

Ejus elogium apud Ughellum.

Inſcriptio in Æde Patavina Servorum B. M. V.

Clementi X. Pont. Max., quod innuens precibus Auguſtiſ. Cæſaris Leopoldi, & Sereniſſimi Hetruriæ M. Ducis Coſmi III., ac totius Orbis Chriſtiani, præcipuoque ſtudio Nerii Card. Corſini, Protec. Servorum B. M. V., & Palutii Card. Alterii, S. R. E. Camerarii, poſt quatuor ſæculorum vota, anno reparatæ ſalutis 1674., ſatagente Joanne Vincentio Lucheſino Vic. gen. Apoſtolico, & electo Generali, B. Philippum Benicium Florentinum ampliatorem, & fere alterum Conditorem ejuſdem Ordinis Servorum Deiparæ, inter Sanctos retulerit, idem Ordo perenne hoc grati animi monumentum.

Tavina Servorum B. M. V.

PLACIDUS ARCHIEP. RAG. LXXIII.

Civis Meſſanenſis, Clericus Regularis Theatinus, *Scoppa* cognominatus, inſigni doctrina, & virtute præditus, qui cum Philoſophiam alumnis ſui Ordinis traderet, auditorem habuit Joſephum Mariam Thomaſium, ut docent litterariæ Ephemerides Italiæ Tom. XVIII. virum ob ſingularem ſapientiam & ſanctitatem toti Orbi celeberrimum, atque notiſſimum, quem Clemens XI. jure meritoque in Collegium Cardinalium cooptavit. Rector & Senatus Raguſinus ab Innocentio XII. litteris ſupplicibus Præſulem poſtularunt, quem magis opportunum atque utilem fore judicaret. Pontifex reſpondit ſibi cordi in primis eſſe Eccleſiam Raguſinam, ſiderent ſibi, eum ſe illis Præſulem ac Paſtorem dare, cujus integritatem, prudentiam, doctrinam perſpectam habebat. Itaque anno 1693. 8. *Junii providit Eccleſiæ Raguſ., per translationem Lucheſini ad Eccleſiam Aſſiſienſem vacanti, de perſona Placidi Scoppa.* Annos fere ſenos hanc Eccleſiam ſumma cum laude, communique omnium approbatione adminiſtravit, nullum vigilantiſſimi, & diligentiſſimi Paſtoris officium prætermittens. Anno 1699. tertio Idus April. Archiepiſcopalem Raguſinam cum Sede Epiſcopali Venuſina in Apulia commutavit.

Placidus Scoppa Theatinus Archiep. Rag.

& poſt ſexennium Epiſc. Venuſinus.

THOMAS ANTONIUS ARCHIEP. RAGUSINUS LXXIV.

Vigheblani apud Inſubres familia Scotta, ex qua duxit originem, dives eſt, & nobilis. Duos fere annos Raguſini Rectore, & Paſtore animarum caruerant, cum Clemens XI. anno 1701. 24. *Januarii providit Eccleſiæ Raguſ. vacanti per translationem Placidi Scoppæ ad Eccleſiam Venuſinam, de perſona Thomæ Antonii Scotti &c.* Nulla ei defuit virtus, quæ in Epiſcopo deſiderari poſſit, non innocentia & ſanctitas vitæ, non doctrina rerum ſacrarum, non aſſidua & diligens cura gregis ſibi concrediti, non charitas erga pauperes & liberalitas, non denique benefica voluntas omnibus gratificandi; quibus ille virtutibus id aſſecutus eſt, ut morte repentina ſublatus, anno Archiepiſcopatus ſeptimo magnum ſui deſiderium reliquerit. Ejus cadaver poſt ſolemnia funeris juſte perſoluta depoſitum fuit ad tempus in templo S. Dominici; poſtea vero quam Ædes Cathedralis, quæ terræmotu corruerat, magnificentius & elegantius reſtituta fuit, illuc translatum eſt, conditumque in Sacrario, cui titulum fecit Joannes Aletius, qui Reipublicæ ab Epiſtolis, & arcanis conſiliis erat.

Thomas Antonius Scottus Archiep. Rag.

Ejus mors repentina,

D. O. M.

Thomas Antonius Scottus Viglevanenſis, olim

& epitaphium

Digitized by Google

Ticinenſis Eccleſiæ Vices gerens, Raguſio Archiepiſcopus ſero datus, cito ereptus, bonorum Mæcenas, pauperum Tutor, animarum Paſtor optimus, imo Pater, Eccleſiæ ſuæ brevis amor, magnus dolor, immortale ſolatium: Obiit IV. Id. Martii MDCCVIII.

Dum Thomas Antonius Eccleſiam Raguſinam regebat, anno 1706. nocte proxima poſt diem ſanctiſſimum Pentecoſtes Baſilica S. Blaſii immani incendio conflagravit. Ornatum erat princeps & ſummum altare magnifice ſplendideque pro eo ac requirebant ſolemnia illius diei, & plurimis Divorum ſimulacris ex auro & argento egregie factis pulcherrime cælatis refertum. His intermedia locum tenebat honorificentiorem effigies argentea & aurea Divi Blaſii. Mira res dictu viſuque. Cum omnia illa ſigna & ſimulacra ardore vique ignea liquefacta, metallis permiſtis & confuſis, in unam alteramve maſſam coaluiſſent, una inventa eſt ſtatua S. Blaſii a flammis prorſus intacta, ac ne levi quidem fumi afflatu infuſcata. Res omnibus, qui aderant, miraculo fuit, ac certe eſſe debuit; nulla enim, niſi divina virtute, inter medios ignes, qui cætera omnia vel abſumpſerant, vel eliquaverant, ſervari potuerat; quippe vim flammarum infregit præpotens ille Deus, qui tres pueros ab ignita fornace Babylonica illæſos vindicavit. Itaque cum intra novem annos Baſilica Blaſiana magnificentiori ſtructura ornatuque, & ambitu ampliori reſtituta fuiſſet, Inſcriptio perelegans, & perbrevem admirandi facti narrationem complectens tabulæ marmoreæ inciſa, & parieti ab cornu Evangelii affixa eſt, quo illuſtrius ac teſtatius foret tantæ ac tam inſolitæ rei ad poſteros monumentum.

Statua Blaſiana argentea ab igne mire ſervata.

D. O. M.

Simulacrum hoc argenteum D. Blaſii Martyris deflagrato ejus vetere Templo A. D. MDCCVI. e ruderibus & cinere erutum cæteris omnibus ſignis atque ornamentis ex auro, argento, ære, obtritis colliquefactis, Senatus Rhacuſinus Inclyto Patrono hanc Ædem prioribus ampliatis veſtigiis cum auguſtiorem excitaſſet, rurſus in Ara Maxima, tanquam ſua in ſede & publica ſecuritatis arce ſtatuendum cenſuit colendumque A. S. MDCCXV.

ANDREAS V. ARCHIEPISCOPUS RAGUS. LXXV.

Andreas de Robertis Archiep. Rag.

De quo, & ejus vita ante Archiepiſcopatum Raguſinum in Additionibus Ughellianis Tom. VII. & in Epiſcopis Policaſtrenſibus: *Andreas de Robertis, Petri & Hippolytæ Fortunatæ de Giſonibus filius, antiquę generis nobilitati novum addidit præclaris virtutibus decus. Neapoli atque Romæ, cum amœnioribus æque, ac ſeverioribus litteris egregiam navaſſet operam, in alma urbe utriuſque juris lauream accepit; ubi in Eminentiſſimi Conſtantii aula diu commoratus, vacante per obitum Innocentii XII. Sede Apoſtolica, Conclavis Dapifer creatus eſt. Hinc per quinquennium complures Urbis eccleſias Viſitator Apoſtolicus perluſtravit, gravem ei demandante provinciam Eminentiſſimo Paraciano Congregationis Præfecto &c.* Cum itaque eximiis virtutibus, & rebus præclare geſtis ad ſublimem Hierarchiæ eccleſiaſticæ gradum viam ſibi aperuiſſet, Clemens XI. anno 1708. 3. *Octob. providit Eccleſiæ Raguſinæ vacanti per obitum Thomæ Scotti, de perſona Andreæ de Robertis Presbyteri Salernitanę Diœceſis &c.* in qua ſcilicet ſolum natale ſortitus fuerat. Sebaſtianus Dolci non ſolum *de Robertis*, ſed etiam *Campano-Ciſonenſem* cognominat. Suſcepto Archiepiſcopatu nihil prius ſibi faciendum putavit, quam ut Civitatem ac Diœceſim ritu Epiſcopali luſtraret. Itaque anno 1709. a Capitulo Ædis Cathedralis & Clero luſtrationis initium fecit. Acta hujus viſitationis deſcribi juſſit, quæ hic ſubjicienda cenſeo; in his quippe pleræque tum urbis, tum Diœceſis Eccleſiæ, Paroeciæ, Ædiculæ nominatim percenſentur. Hinc ſcilicet cognoſci poteſt, quæ ſit circumſcriptio & magnitudo Diœceſis Raguſinæ, quæve loca complectatur.

Acta luſtrationis Epiſcopalis.

In Capitulo Cathedralis Eccleſia ſunt tres Dignitates, Archidiaconus, Archipresbyter, & Primicerius. Olim fuerunt octo Prebendæ Canonicorum, nunc vero una diminuta eſt, & unicuique Canonico datur una Præbenda. Incedunt Canonici cum cotta & almutia. Olim erat Præbenda Theologalis, nunc vero non eſt. Horas Canonicas ex debito quotidie perſolvunt; olim decem habebant, nunc ſex tantum Capellanos, quibus ex Capitulari maſſa ſolvuntur ſcuta centum; & hi tenentur intereſſe choro, & unitim cum R. D. Canonicis recitare divinum officium, & decantare Miſſam Conventualem per turnum, exceptis diebus, in quibus cantat Archiepiſcopus, ſive alia Dignitas. Manutenentur per Ven. Confraternitatem RR. Sacerdotum S. Petri in Cathedra quatuor Manſionarii, & unicuique ex dictis ab eadem ſolvuntur ducati quindecim ſingulis annis; & hi pariter tenentur recitare divinum officium in choro. Capitulum Canonicorum indultum habet Apoſtolicum pro recitando Matutinum poſt Veſperas dici præcedentis, regiſtratum in libro Diverſorum Curiæ Archiepiſcopalis.

Eccleſiæ Civitatis.

Eccleſia S. Nicolai ad Priekas anno 1709. inſerviebat etiam pro Collegiata S. Blaſii principalis Patroni Reip. Ibi Franciſcus Volanti Plebanus erat Collegiatæ, & Marinus Freſchi Eccleſiæ S. Nicolai Rector. Utriuſque erat commendabilis ſupellex. Per Procuratores Collegiatæ ſex Capellani aluntur, qui tenentur quolibet die decantare Miſſam, intereſſe Veſperis & Completorio tantum in choro decantandis per ipſos. In Eccleſia S. Nicolai eſt Confraternitas Laniorum, quæ per proprium Capellanum certis diebus ſolemniter Miſſam decantari curat.

Eccleſia & Monaſterium S. Mariæ de Caſtello habet penes ſe Capellam S. Sergii, ad cujus altare majus tenentur cantare Veſperas, & Miſſam in die dicti Sancti RR. Sacerdotes S. Petri in Cathedra. In Eccleſia S. Mariæ ſunt quinque Capellani pro decantandis Miſſis per turnum, & Organiſta, qui ſolvuntur a RR. Monialibus, quæ ſtatutis horis omnes interſunt choro, divinumque officium recitant. Viginti ſeptem tunc erant, ex quarum numero quinque nondum Profeſſæ. In Monaſterio erant puellæ in educatione quinque, & Converſæ ſeptem. Qualibet Monachanda dat pro dote ducatos centum, qui ponuntur ad zeccam publicam; & quolibet anno Monaſterium percipit fructum ducatorum trium.

Eccleſia S. Catharinæ Senenſis. Ejus Monaſterium tunc habebat octo Profeſſas & octo novitias; quæ omnes ſtatutis horis divino interſunt officio; de mane & Veſpere faciunt orationem mentalem. Sumptibus Excellentiſs. Senatus, & aliorum Benefactorum extructum fuit Monaſterium.

Digitized by Google

rium. Monachandæ ferunt ducatos centum, qui ponuntur ad zeccam publicam. Semel in hebdomada debent confiteri, & communicare.

Capella S. Viti est de jurepatronatus Nobilium de Pozza. Ad altare S. Viti adest onus celebrandi quotidie.

Ecclesia B. M. V. de Carmelo habet Confraternitatem, quæ regitur per officiales, qui quolibet anno mutantur. In hac Ecclesia est Rector, ac ejus electio est de jure Archiepiscopali.

Capella S. Christophori in Pusterna de jurepatronatus Nobilium de Saraca.

Ecclesia S. Luciæ regitur per Castaldum, & duos officiales, qui quotannis mutantur.

Ecclesia Annunciationis B. V. prope Plocias est Rectoralis, & de jure Patronatus Excel. Senatus Rag. Ad altare B. V. onus celebrandi quotidie.

Ecclesia alia Annunciationis B. V. Abbatialis, & Rectoralis de jurepatronatus Nobilium de Bona. In hac Ecclesia olim aderat onus celebrandi bis in hebdomada per Abbatem & Rectorem; sed quatuor abhinc annis non celebratur, obtenta ad id dispensatione per Dominos Patronos, pro restauratione Ecclesiæ in terræmotu dirutæ.

Ecclesia S. Joseph, olim nuncupabatur S. Jacobi ad Puteos, regitur per Confraternitatem Fabrorum lignariorum. In hac Ecclesia est Rectoratus de jurepatronatus Illustrissimorum Thesaurariorum; & Rector tenetur bis in septimana celebrare. Ibi Altare, quod dicitur Bonæ mortis.

Ecclesia S. Dominicæ, in qua duo Rectores, quorum alter ab Excellentiss. Minori Consilio, alter a Familia de Darsa eligitur, qui alternatim tenentur in Festo OO. SS. primas Vesperas, & missam decantare, Ibi est Confraternitas Cæmentariorum, cum onere pro certis celebrandis, & decantandis Missis.

Hospitalis Domus Christi pro infirmis, quæ regitur a tribus Dominis Procuratoribus, ab Excelso Senatu Rag. electis.

Ecclesia S. Margaritæ, ubi D. Abbas Junius Maria Resti est Rector cum nullo celebrationis onere.

Ecclesia S. Stephani Protomar., & Collegiata, in terræmotu diruta; quæ Collegiata est jurispatronatus Illustriss. DD. Thesaurariorum S. Mariæ. In hac Ecclesia unicum stat Altare B. V.

Ecclesia S. Claræ cum Monasterio Monialium, In ea Altare B. Aloysii Gonzagæ, in quo adsunt multæ Reliquiæ, cum onere quotidianæ celebrationis, ex legato Rever. quondam Aloysii Aligreti; & eleemosynam suppeditat Confraternitas RR. Sacerdotum S. Petri in Cathedra. Hæ Moniales habent quatuor famulas Conversas, quæ a Monasterio non exeunt.

Ecclesia B. M. de Sigurati, ubi Confraternitas Fabrorum Ferrariorum.

Ecclesia S. Rocchi, ubi ejus Confraternitas.

Ecclesia Ascensionis Domini de jurepatronatus hujus Excel. Senatus, in qua est Confraternitas SS. Conceptionis.

Extra Urbem in Diœcesi.

Ecclesiæ Diœceseos.

In Insula Melitensi Ecclesia Parochialis de Babinopoglie. Ecclesia S. Petri in Blatta, Capella S. Joannis Baptistæ, Capella S. Andreæ, Ecclesia Ascensionis Domini, Capella S. Michaelis; Ecclesia Parochialis in Blatta, Ecclesia Parochialis SS. Viti & Modesti, Ecclesia S. Mariæ de Coritta, Ecclesia S. Mariæ Gratiarum, Ecclesia S. Martini in Progiura, Ecclesia S. Antonii in Maranovich, Ecclesia S. Michaelis de Okukglie, Ecclesia S. Mariæ de Samarie.

In Continenti Ecclesia Parochialis de Topolco, Ecclesia S. Annæ, Capella S. Michaelis, Ecclesia SS. Trinitatis, Capella S. Stephani.

In Continenti Ecclesia Parochialis de Oselie, Capella S. Viti, Capella S. Joannis, Ecclesia S. Rosarii, Ecclesia S. Petri, Ecclesia S. Nicolai.

In Continenti Ecclesia Parochialis de Liuaz, Ecclesia S. Martini, Capella S. Rochi, Capella S. Eliæ, Ecclesia S. Spiritus, Ecclesia omn. Sanctorum, Cap. S. Nicolai, Cap. S. Annæ, Ecclesia S. Michaelis, Cap. Nativit. B. M. V., Cap. S. Viti.

In Continenti Ecclesia Parochialis de Dolle, Ecclesia omn. Sanctorum, Ecclesia S. Georgii, Ecclesia Assumpt. B. M. V.

In Continenti Ecclesia Parochialis de Slano, Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ, Ecclesia omn. Sanctorum, Ecclesia S. Rochi, Cap. S. Joannis, Cap. S. Ursulæ, Cap. Annunciat. B. M. V., Ecclesia S. Petri, Cap. S. Mariæ Misericordiæ, Ecclesia SS. Trinitatis Miglcore, Cap. S. Stephani, Ecclesia S. Joannis in Dubravizza, Ecclesia S. Francisci.

In Continenti Ecclesia Parochialis de Canosa, Ecclesia S. Annæ, Ecclesia S. Mariæ ad Nives, Ecclesia S. Michaelis, Ecclesia S. Nicolai, Ecclesia S. Rochi, Ecclesia Annunciat. B. M. V., Ecclesia S. Hieronymi.

In Continenti Ecclesia Parochialis de Klisevo, Ecclesia S. Stephani in Rigiza, Ecclesia S. Nicolai de Maravignaz, Cap. S. Joannis Baptistæ, Ecclesia S. Simonis in Mircero, Ecclesia Nativ. B. M. V. in Gromacia, Ecclesia S. Crucis in Gliubac.

In Continenti Ecclesia Parochialis Vallis Nucis; Ecclesia S. Rosæ Ord. Prædic., Capella S. Rochi, Cap. S. Georgii, Capella S. Nicolai, Cap. S. Mariæ ad Nives,

In Continenti Ecclesia Parochialis de Malsi, Cap. S. Francisci, Cap. Nativ. B. M. V., Ecclesia Assumptionis in Verbizza.

In Continenti Ecclesia Parochialis de Osonick, Cap. S. Eliæ, Capella S. Annæ.

In Continenti Ecclesia Parochialis Epidauri, Cap. S. Mariæ Lauretanæ, Cap. B. M. V., Cap. SS. Annunciationis, Cap. S. Annæ, Cap. S. Rochi, Ecclesia SS. Petri & Pauli, Cap. S. Eliæ, Cap. S. Demetrii, Cap. S. Martini, Ecclesia Nativit. B. M. V. Ecclesia S. Georgii, Ecclesia S. Nicolai, Cap. S. Joannis Baptistæ, Cap. S. Dominicæ, Ecclesia SS. Rosarii, Cap. S. Francisci, Cap. S. Lucæ.

In Continenti Ecclesia Parochialis de Gradda, Ecclesia S. Thomæ Apostoli, Ecclesia S. Nicolai de Radoucichi, Cap. S. Lucæ, Cap. Assumptionis, Cap. S. Nicolai de Sailoje, Cap. Nativitatis B. M. V. de Sokolo, Ecclesia S. Thomæ Apostoli de Dobrasc, Ecclesia S. Petri, Ecclesia S. Barbaræ, Ecclesia S. Michaelis in Marzine, Ecclesia S. Rochi in Marzin, Ecclesia Ascensionis, Capella SS. Rosarii, Cap. Visitationis B. V., Cap. B. V. de Plano.

In Continenti Ecclesia Parochialis de Plocize, Capella S. Annæ de Poglize, Cap. S. Georgii in Misalich, Capella S. Joannis de Prievor, Cap. S. Andreæ de Buni, Cap. S. Viti in Vodovaglia, Cap. S. Joannis de Vataschi, Cap. S. Pauli de Pauglie-Bardo, Ecclesia Nativ. B. M. V., Cap. S. Eliæ in Poglize, Cap. SS. Cosmi & Damiani, Cap. S. Nicolai, Cap. S. Joachim, Cap. Ascensionis Domini, Ecclesia S. Nicolai in Vetaglina.

In Continenti Ecclesia Parochialis de Pridvorie, idest Supra Palatium, Ecclesia Assump., Cap. S. Eliæ, Cap. S. Annæ, Cap. S. Georgii, Cap. S. Joannis, Cap. S. Nicolai de Sluna, Cap. S. Thomæ, Cap. S. Michaelis, Cap. S. Mariæ in Plano.

In Continenti Eccleſia Parochialis de Straucia, Cap. S. Stephani, Cap. S. Nicolai, Cap. S. Lucæ, Capella Aſcenſionis Domini.

In Continenti Eccleſia Parochialis de Molini, Cap. Spiritus Sancti, Cap. S. Joannis Baptiſtæ, Cap. Aſſumptionis, Cap. S. Nicolai, Cap. SS. Roſarii, Cap. S. Petri, Cap. Aſcenſionis Domini, Eccleſia SS. Coſmæ & Damiani, Cap. S. Stephani, Cap. S. Roſæ, Cap. S. Lucæ, Cap. S. Rochi, Cap. S. Michaelis.

In Continenti Eccleſia Parochialis S. M. Magdalenæ Breni, Eccleſia Aſſumptionis in Poſtragne, Cap. S. Dominicæ, Cap. S. Georgii, Cap. S. Franciſci, Eccleſia S. Lucæ, Eccleſia S. Matthæi, Cap. S. Eliæ, Eccleſia S. Annæ de Berguto.

In Continenti Eccleſia Parochialis de Umbla, Capella S. Petri, Cap. S. Spiritus, Cap. S. Nicolai, Cap. SS. Roſarii, Eccleſia S. Stephani, Eccleſia Aſcenſionis Domini, Eccleſia B. M. V. de Vodizze, Cap. SS. Coſmæ & Damiani.

In Continenti Eccleſia Parochialis Gravoſii, Cap. Annunciationis B. M. V., Eccleſia SS. Trinitatis, Cap. S. Hieronymi, Cap. S. Nicolai, Cap. S. Mariæ de Monte Carmelo, Cap. SS. Roſarii, Cap. Conceptionis B. M. V., Cap. S. Crucis, Eccleſia Aſſumptionis B. M. V., Eccleſia S. Georgii, Cap. S. Clementis, Cap. S. Hilarionis, Cap. B. M. V. Lauretanæ, Cap. S. Rochi, Cap. Viſitationis B. M. V., Cap. S. Nicolai, Cap. S. Annæ, Cap. S. Blaſii, Cap. S. Gregorii, Eccleſia S. Mariæ gratiarum.

In Suburb. Eccleſia Parochialis de Pille, Cap. S. Felicis, quæ olim Abbatia, Eccleſia S. Mariæ de Danze, ubi Icon B. V. magnæ devotionis, ad cujus cuſtodiam ſunt quædam Moniales Tertiariæ S. Franciſci, Cap. S. Georgii, Cap. S. Crucis, Cap. Nativitatis, Cap. S. Joannis Baptiſtæ, Cap. Præſentationis B. M. V., Cap. S. Annæ, Cap. SS. Trinitatis, Cap. S. Antonii, Cap. S. Foſcæ, Cap. S. Annunciationis, Eccleſia S. Antonii Ab., Cap. Aſſumptionis, Cap. S. Nicolai, Eccleſia S. Lazari, Cap. S. Jacobi Apoſtoli.

In inſula Calamata Eccleſia Parochialis, & nulla præter ipſam; ceteræ enim ſunt dirutæ.

In inſula Media Eccleſia Parochialis, Cap. S. Joannis, Cap. S. Mariæ Magdalenæ, Cap. S. Andreæ, Cap. S. Mariæ de Palatio, Cap. S. Spiritus, Eccleſia SS. Trinitatis, Eccleſia S. Catharinæ, Eccleſia S. Annæ, Cap. S. Matthæi, Eccleſia S. Crucis.

In inſula Jupana Eccleſia Parochialis de Pakliena, Oratorium S. Thomæ Apoſtoli, Cap. S. Georgii, Eccleſia Parochialis de Luca in dicta Inſula, Cap. S. Michaelis, Eccleſia S. Michaelis, Eccleſia dicata S. Spiritui.

Controverſia fuit Andreæ cum Patribus Dominicanis, cujus initium & exitum his verbis expoſitum reperio in monumentis Mſs. Congreg. Dominic. Raguſien. *Andreas de Robertis Ciſonenſis Archiep. Raguſ. ad Conventum noſtrum Raguſii acceſſit, Epiſcopum Cathar. F. Franciſcum Parcich per comitatem inviſurus. Verum Fratres ægre ferentes contra antiquum morem, immo & contra Apoſtolicam inhibitionem erecta Cruce ad noſtrum Conventum acceſſiſſe, Crucifero ſtatim, in foribus ut ſiſteret, innuerunt. Rem proinde ut advertit, de injuria ſe vindicaturus Archiepiſcopus, Eccleſiam interdicto noſtram ſuppoſuit, atque in tres ex Patribus Cœnobii Excommunicationis cenſuram tulit.*

Controverſia Andreæ Archiep. cum Dominic.

Sed cauſſa ad Sacr. Congregationem delata, hujuſmodi tandem decreto expedita fuit: In cauſſa Raguſina delationis Crucis, & interdicti, & cenſurarum vertente inter Archiep. ex una parte, & Patres Dominicanos ex altera; Sacra Congregatio EE. & RR. S. R. E. Cardinalium negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſita, partibus auditis, referente Eminentiſs. Cardin. Corſino cenſuit & declaravit licuiſſe, & licere eidem Archiep. ingredi Conventum præfatorum Patrum Dominicanorum cum Cruce erecta, Interdictum vero & cenſuras fuiſſe nullas &c. Romæ 26. Martii 1711. G. Card. Carpineus, F. A. Nicænus Secretarius.

Anno 1713. v. Kal. Decemb. Clemens XI. Andream, vinculo, quo adſtrictus erat Metropoli Raguſinæ, diſſoluto, Eccleſiæ Policaſtrenſi in Provincia Salernitana Epiſcopum præfecit. Andreas ad Eccl. Policaſt. tranſfertur.

JOANNES BAPTISTA ARCHIEPISC. RAGUSINUS LXXVI.

Picænas e monte Granario, cognomento Conventatus, Presbyter Congregationis S. Philippi Neriis in Diœceſi Firmana, qui anno 1703. e typis Romanis emiſit *Orationem Hiſtorico-dogmatico-moralem de ſecunda Filii Dei nativitate*, & inſcripſit Card. Urſino Archiep. Beneventano, qui poſtea, Benedicti XIII. nomine aſſumpto, ſummum Pontificatum obtinuit, Clemens XI. *an.* 1714. 27. *Febr. providit Eccl. Raguſ. vacanti per translationem Andreæ de Robertis ad Eccleſiam Policaſtrenſem de perſona Joannis Baptiſtæ Conventati Presb. Firmanæ Diœc. Congreg. Oratorii S. Philippi Nerii &c.* Eumdem Innocentius XIII. poſt annos ferme octo ad Eccleſiam Epiſcopalem Terracinæ, quæ civitas eſt Latii, olim *Anxur* appellata, regendam migrare fecit. Joannes Baptiſta Archiep. an. 1714.

RAYMUNDUS ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS LXXVII.

Ortu Raguſinus, cognomento Gallanus, ex Ordine Dominicano. Hic primus e civibus Raguſinis aditum ad Sedem Archiepiſcopalem, veteri Senatuſconſulto intercluſum, longo intervallo, ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus reſeravit. Nihil enim periculi Patres illi ſapientiſſimi e popularibus ſuis, præſertim illis, qui e familiis religioſis deſumpti eſſent, ſibi, ſuæque Reipublicæ metuebant; quin plurimum utilitatis ex eorum prudenti piaque adminiſtratione obventurum confidebant. Erat Vicarius Apoſtolicus Conſtantinopoli, idemque Archiepiſcopus Ancyranus, quem Clemens XI. Archiepiſcopum deſignavit; & collatum illi Sacerdotium confirmavit Innocentius XIII. an. 1722. Conſtantinopoli in patriam regreſſo Romam iter neceſſarium erat, ut more majorum a Pontifice Max. & approbationem Archiepiſcopatus ſibi traditi, & Diploma Pontificium præſens acciperet. Excuſatione ſenectutis, valetudinis, egeſtatis uſus poſtulavit, ut lege ac neceſſitate urbis adeundæ eximeretur; idque ut impetraret, auctoritatem preceſque interpoſuit Cardinalis Spinulæ, qui Innocentio XIII. ab arcanis conſiliis erat; eique epiſtolam ſcripſit, ex qua præclara ejus in rem Chriſtianam merita cognoſci poſſunt, & quæ laudabiliter geſſit, dum Conſtantinopoli munere Vicarii Apoſtolici fungebatur. Hanc Epiſtolam ex Itali-

Raymundus Gallanus ex Ordine S. Dominici Archiep. Raguſ.

Ad Cardinalem Spinulam ſcribit, ut urbis adeundæ lege eximeretur.

co

Digitized by Google

eo in Latinum conversam huic loco innectendam censui.

Ejus Epistola.

Postquam Constantinopoli multos annos, titulo Archiepiscopi Ancyrani insignitus, & munere Vicarii Apostolici functus, inter assiduas aerumnas, & gravissima pericula, atque incommoda exegeram; valetudine attrita, provectaque ad annum fere septuagesimum aetate, cum me jam vires deficerent, a Sacra Congregatione missionem ac reditum in patriam postulavi; jamdiu enim cupiebam meo me Coenobio Ragusino restituere, & vitae quod supererat, cum Fratribus mihi carissimis tranquille placideque traducere. Nondum Constantinopoli discesseram, cum de Ragusina Ecclesia mihi a Clemente XI. anno superiori vita functo decreta nuncius ad me pervenit. Onus impositum, quamvis multo gravius esset, quam ut corporis mei atque animi imbecillitas sustinere posset, minime tamen detrectandum putavi, ne in patriam & cives meos ingratus, atque inofficiosus viderer, qui delatum mihi honorem insolito omnium Ordinum plausu approbarunt, & summopere gavisi sunt, quod in hac nobilissima Sede Metropolitana, quam per annos circiter quadringentos alienigenae occupaverant, tandem aliquando civem suum collocatum viderent. Quapropter licet mire cupidus essem solitariae ac religiosae quietis, hanc tamen summis civium meorum erga me studiis, & benignissimae voluntati postbabendam esse existimavi.

Cum veniissem Ragusium, incredibilis me totius Civitatis laetitia & gratulatio excepit, qua mihi ad gravissimum onus subeundum magnam alacritatem injecit. Inops cum essem, & plane imparatus tum a pecunia, tum ab omnibus rebus, ad ea paranda, quae ad supellectilem, ornatum, cultumque Episcopalem pertinent, quantum pecuniae mihi opus erat, Senatus publico erario mutuum dari jussit. Senectus, paupertas, valetudo male affecta me a profectione Romana suscipienda deterrebant. Necessitate coactus per eum, quem mihi Romae constitui, Procuratorem, etiam atque etiam rogavi, ut Pontificium collati Archiepiscopatus Diploma mihi absenti mitteretur; neque enim sine salutis & vitae periculo, & magno dispendio, me tam longo itineri sive terrestri, sive maritimo committere possum. Quod postulabam, vondum impetravi. Consilium cepi auctoritatem opemque nostrae Eminentiae implorandi, ut Beatissimo Patri persuadeat justam esse, quominus Romam venire possim, ac legitimam excusationem, meque urbis adeundae lege ac necessitate eximendum curet. Ne vero indignus videar, cujus humillimis precibus Sanctitas sua benigne indulgeat, quae Constantinopoli, religionis caussa, pro mea tenuitate gesserim ac pertulerim, paucis exponam.

Ejus praeclare facta dum Constantinopoli munere Vicarii Apostolici fungebatur.

Quamdiu Constantinopoli personam sustinui & munus Vicarii Apostolici, omni studio, operaque ad divinum cultum augendum, & fidem Catholicam tuendam, ac stabiliendam incubui, nullis peperci laboribus, & periculis, nullis sumptibus & incommodis. Nihil antiquius habui, quam ut legatos Principum Christianorum mihi conciliarem, & partam apud eos gratiam assiduis officiis conservarem, ut mihi & Catholicis Turcicae ditionis auxilio essent, ac praesidio.

Auctoritate Ragusini Oratoris interposita, Fratribus Franciscanis Bosnensibus Templi ac Coenobii Foinicensis reficiendi facultatem impetravi.

Cum Patriarcha Pechiensis Constantinopolim veniisset, ut Fratres ejusdem Ordinis Franciscani, conflictis in eos criminibus, ex universa Serbia expelleret, fretus interpositione Legati Regis Moscoviae, illius calumnias dissipavi, conatus omnes infregi.

Ad Christianos Macedoniae atque Albaniae, acerbissimis exactionibus, & tributis eximendos, saepius opem & patrocinium Legatorum Regis Galliae, neque umquam frustra imploravi.

Si quis Christianorum in urbe ac diaecesi Scodrensi diem supremum obiisset, statim aderant Turcae, qui se illius consanguineos, falsis testibus productis, ac legitimos haeredes profiterentur, & quidquid bonorum reliquisset, interverterent, ad seque transferrent. Curavi effecique, ut Magistratus, quem Muphtim vocant, constituta lege, Turcis omnibus omni ad Christianorum haereditates aditu interdiceret; qua lege, non solum Scodrensibus, sed Christianis omnibus cautum est, qui sunt sub Imperio Turcarum, in quo fraus ubique, & avaritia dominatur.

Flagrante bello postremo Peloponnesio, domus mea perfugio & solatio fuit Christianis captivis, Constantinopolim abductis; quibus nullum a me pietatis officium defuit; ac saepe vestes mihi detraxi, ut nobilium virorum nuditati subvenirem; quidquid vero pecuniae habebam, insumpsi ad illorum egestatem sublevandam, vel ut captos e servitute barbarica, & periculo deserendae fidei redimerem.

Auctoritate operaque interposita Oratoris Casarei, ab Rege Turcarum Diploma impetravi, quo Christianis Chiensibus potestas fiebat, tum Templi publici obtinendi, tum sacras functiones ritu Latinorum palam ac libere peragendi, tum denique illa privilegia recuperandi, quibus antea fruebantur. Idem beneficium praestitissem Catholicis Armenis, nisi quorumdam avaritia obstitisset.

Antequam Constantinopoli discederem, nunciatum mihi fuit, in quadam Aedicula, quae Graecis & Latinis est communis, aram Latinorum per quemdam Episcopum Schismaticum eversam fuisse, eumque id agere, & conari, ut Catholicis Templum S. Mariae Rotacensis eriperet; Oratoris Galli patrocinio fultus curavi, ut Visirius juberet Episcopum illum suis sumptibus aram reficere, eumdemque tota ex Albania expelli.

Sedi Apostolicae, Sacrae Congregationi de Propaganda, reique Christianae, annos ipsos undeviginti, Constantinopoli operam assiduam navavi; quos quidem annos dies calamitatis & miseriae verissime appellare possum; & nulla fere dies a calumniis, insidiis, periculis, vexationibus mihi vacua fuit. Saepenumero me, post sacras functiones, e Templo prodeuntem Turcae, strictis gladiis, & igneis balistis in meum pectus intentis, aggressi sunt; & nihil propius est factum, quam ut interficerent; neque ex eorum manibus, nisi numerata pecunia, evadere potui. Saepissime colaphis caesus, pugnis calcibusque conscissus, contumeliis, maledictis, ignominiis omnibus appetitus, necesse habui, non solum omnia sine querimonia sufferre, sed etiam pro injuriis illatis argentum solvere. Numquam vero propius in capitis & vitae discrimen adductus fui, quam cum quidam ex militia praetoriana, de Christiano captivo, quem ipse emerat, transfuga, domum meam recepto, atque ad partes Christianorum transmisso, nomen meum detulit ad Magistratus Galatiae & Constantinopolis; ad quorum tribunalia abreptus cum fuissem, capitali sen-

ten-

Digitized by Google

tentiæ, extremoque supplicio ut me surriperem, pecuniam non modicam persolvi oportuit. Quinquies pestilentia domum meam invasit, quæ duos Presbyteros Sacello domestico præpositos, duos famulos, & Fratrem laicum rei familiaris curatorem, mihi præripuit.

Ad ea, quæ mihi opus erant, sive ad meum victum & vestitum, sive ad familiam alendam, sive ad alios sumptus, non exiguos & necessarios, quos vel ad Christianorum inopiam sublevandam, vel ad explendam Turcarum avaritiam fieri opertebat, magna ex parte ministraverunt, *ut Apostolus ajebat*, manus istæ, *idest mea industria, mea frugalitas, mei labores in aliorum utilitatem impensi; neque enim, ut meæ & meorum indigentiæ consulerem, ac personam Archiepiscopi & Vicarii pro dignitate sustinerem, sufficiebant ducenti argentei, quos sacra Congregatio suppeditabat.*

Antequam Constantinopolim accederem, ex mandato Sacræ Congregationis, Vincentio Zmajevichio Archiepiscopo Antibarensi, Albaniam, Macedoniam, Serbliam peragratione Apostolica lustranti, assiduam & laboriosam operam præbui, discriminum periculorumque omnium comes ac particeps, inter ferocissimas gentes, partim ab Ecclesiæ communione segregatas, partim capitales Christianorum hostes, a quibus nihil tutum, nihil non metuendum. Concilio Albano, quod post illas provincias peragratas Alexium convocavit, ipse quoque cum aliis Episcopis interfui; & Acta decretaque sacri illius conventus mea manu litteris mandavi.

Tot ac tantis aditis susceptisque periculis, laboribus, arumnis, ego quidem nusquam alio spectavi, nisi ad incrementum divini cultus, ad solatium atque utilitatem Christianorum, qui Turcico dominatu premuntur; si quid tamen apud Sedem Apostolicam merui, hoc unum præmii loco suppliciter peto, ut ne cogat senectutem, valetudinem, egestatem meam incommodis, periculis, sumptibus itineris Romani objicere. Quod ut mihi a Sanctissimo Patre impetrare velit, Eminentiam vestram oro atque obsecro &c.

Anno 1722. ut docet Sebastianus Dolci, possessionem commissæ sibi Metropolis adivit. Haud magis sapientissimis institutis, quam exemplis sanctissimis profuit. Diœcesim Episcopali more rituque perlustravit; & cum multas, quæ in Clerum & populum irrepserant, pravas consuetudines extirpavit, tum pestiferam illam opinionem ex animis fere omnium evulsit, quæ vulgo invaluerat, scilicet Ragusinos non teneri lege illa universali, qua vetitum & cautum est, ne quis libros fidei ac moribus perniciosos, qui nominatim percensentur in Romano *Indice Librorum prohibitorum*, vel legat, vel apud se retineat; hanc quippe legem in Civitate ac ditione Ragusina ex iuris formula & præscripto promulgatam non esse ajebant. Hunc errorem, qui quotidie latius serpebat, omnibus & singulis eripuit, pœnisque gravissimis propositis, exitialem illam librorum vetitorum, & proscriptos retinendi ac legendi licentiam libertatemque coercuit; ut ipse in suis ad Sacram Cardinalium Congregationem litteris testatur his verbis: *Cum visitationis munus peragerem, scandalosam quamdam, & in praxi perniciosam opinionem in hac Civitate irrepsisse animadverti; qua plerique seducti opinabantur latam legem de librorum proscriptione, Ragusinam Diœcesim, ex defectu legitimæ promulgationis, non arctare, sicque passim libros quoscumque, etiam suspectos, nonnulli legebant; unde qualis in juventutem præcipue morum corruptela pedetentim subinduci cæpit, vos ipsi perpendite. Hinc delatum ad me fuit, per ora aliquorum oblocutiones injuriosas de jejuniis, de carnis maceratione, aliisque hujusmodi Christianis exercitationibus circum vagari; hancque audaciam a prava dictorum librorum, & maxime ab Auctoribus Gallis editorum lectione natam esse. Ut hujus malo obviam irem, publico edicto, librorum in Romano Indice contentorum prohibitionem, gravioribus etiam pœnis propositis, promulgandam curavi; quamvis hoc idem in Synodis Diœcesanis indictum fuerit a meis prædecessoribus. Hoc exemplum imitata est hæc Respublica, quæ Senatusconsulto impium Thalmud Hebræorum publice comburi jussit.*

Diœcesim lustravit.

Anno 1724. Benedicto XIII. ex Ordine Prædicatorum, primum in Collegium Cardinalium cooptato, deinde ad summum Christiani Orbis Sacerdotium evecto, suis ad eum litteris, Pontificatum gratulatus est; a quo iisdem litteras benignissimas recepit,

Benedicto XIII. Pontificatum gratulatur.

Beatissime Pater.

Etsi mira illa, & diuturna nostræ Dominicanæ Familiæ felicitas plures, eosque celeberrimos enixa Viros, illorum tum sanctimonia vitæ, tum claritas doctrinæ, altissimum secundæ a Deo Potestatis fastigium decoraverit, ea tamen post illustrem Pii V. Pontificatum videbatur quasi omnes in eo ornando augendoque vires effudisse, & quem Sanctissimo Pontifici ac Principi parem exinde sufficeret, successorem non habere; en tandem aliquando, Pater Beatissime, te manifesto cælestis Flaminis favore, beneficioque singulari, licet invitum, & diu repugnantem, videns ac venerans in supremo Regalis Sacerdotii throno constitutum, habet profecto quod, etiam supra Pii Pontificatum, abs te audeat expectare accessurum suæ pristinæ dignitati ac splendori. Hinc omnino jure universa incredibili gaudio perfunditur Ecclesia; nec minorem voluptate spem concipit, ut brevi tua virtute, tuæ innocentissimæ vitæ illustribus exemplis excitata, te imitetur; & suis pristinis reformatis moribus, tuis, hoc est optimis, vivat; & te Rectore non sit habitura, quod aureis illis temporibus, quibus non tam inanibus in titulis, & fuco ascititii splendoris, sed in una simplicitate morum, & solida pietatis cultu, & nervis severioris disciplinæ, vis omnis & dignitas, & decor Christi Sponsæ vigebat, invidere possit.

Sed ante reliquas Ecclesia hæc Ragusina a te plura etiam expectat, utpote in finibus sævissimorum Barbarorum posita, quo magis in dies premitur metu tam malæ vicinæ, eo majori fiducia erigitur a tuis ingentibus curis, quas omnium incolumitati, omnium Parens amantissimus, impendis, non modo illam te non excluſurum, sed etiam pro tua excelsa pietate ac clementia facturum, ut quemadmodum hactenus Christi, ejusque Vicariæ majestatis audientem dictis, fidissimamque se præstiterit, ita in posterum futura sit Arx servandæ in his regionibus fidei, tuis beneficiis omnium munitissima, & a barbarorum aviditate, incursionibusque secura. Cujus ego vota & preces humiliter deferens, meque, & illam sacris pedibus Sanctitatis tuæ, quos toto cordis affectu & devotione deosculor, libentissime non minus, quam summa cum reverentia subjiciens, precor Deum Opt. Max.

Digitized by Google

Max., ut te suæ Ecclesiæ bono, suæ gloriæ incremento conservet.

Ragusii die 6. Julii 1724.

Sanctitatis Vestræ Humill. addictiss. & obsequentiss. Servus Raymundus O. P. Arch. Ragus.

Benedictus PP. XIII.

Benedicti XIII. ad eum Responsio.

Venerabilis Frater, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Omnium Ecclesiarum sollicitudinem, Christique vicariam in terris potestatem gerere, munus est tantis difficultatibus, ac periculis obsitum, tantoque metu Angelicis etiam Virtutibus suscipiendum, ut vicem potius nostram dolere, quam libenti animo gratulationes admittere debeamus. Non leve tamen curis nostris lenimentum de Fraternitatis tuæ observantia, reverentiaque, tuo Ordine ac virtute dignissima, profectum est. Eximia enim fiducia nos erexit, ut plurimum subsidii in obsecrationum tuarum suffragio collocaremus, quod cum lætitiæ tuæ significationibus conjunctum esse non dubitamus; præsertim cum Sacri Ordinis Prædicatorum, cui nomen dedimus, arctissima necessitudo religiosum hoc pietatis officium a Fraternitate tua vehementius reposcat. Quod dum imbecillitati nostræ de obsequentissimis tuis studiis pollicemur, gratum tibi animum testantes, Fraternitati tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Dat. Romæ ap. S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die xx. Septemb. MDCCXXIV. Pontif. nostri anno I.

Hic subjici libet Raymundi Epistolam ad Sacram Congregationem de statu Ecclesiæ Ragusinæ.

Raymundi Litteræ ad Sacram Congregationem de Ecclesia sua.

Quam libentissime ad Sacra Apostolorum limina visitanda & ad Catholicæ fidei fundamentum, columnasque veritatis, imminente præsertim Anno Jubileo, Eminentiss. Patres, convolarem, & mandata felic. recor. Xisti Papæ V. in hac parte, labente jam primo triennio, humillime exequerer; sed me decrepitæ ætatis, septuagenario majoris, incommoda, navigationisque, ac itineris labores deterrebant; verum quæ ego præsens peragere prohibeor, meo sane nomine, Adm. R. Canonicus D. Georgius Matthæi, quem ad id muneris, signatis tabulis, ad S. Sedem destinavi, perficiet, vobisque his literis universum Ecclesiæ meæ statum aperiet; ut quæ ad salubre illius regimen conducere possint, vestra auctoritate, ac prudentia opportune provideatis.

Civitas Ragusina Adriaco mari exposita, horribili terræmotu anno 1667. funditus concussa, ejus mox ædificiis, tum istius Sedis Apostolicæ beneficentia, tum optimatum suorum providentia, excitatis, pristinæ quidem speciei, non tamen opibus fortunæ, restituta est. Olim siquidem ob institutam ad utrumque orbis latus navigationem, & mercium ex Oriente, & Occidente confluentium copiam florentissima, nunc vero, his commodis diminutis, modicis dumtaxat adjacentis soli fructibus contenta, antiqui Ragusii, vix cum nomine, retinet dignitatem. Mille tercentis domibus, septemque circiter millibus incolarum instruitur; in eaque est Sedes Metropolitana, & Cathedralis, Assumptioni B. V. M. nuncupata; propter quam Archiepiscopale Palatium nulla indigens reparatione; itemque Collegiata sub titulo S. Blasii Patroni principalis Reipublicæ dicata. Utraque modernæ ac præstantis structuræ, partim de publico, partim reditibus piorum legatorum, Apostolica indulgentia in hunc usum remissis, magnifice restaurata est; quamvis in utraque multa adhuc desiderentur, quæ ad interiorem ornatum cultumque sacrorum spectant.

In præfata Cathedrali ad presens decem Canonici, ex quibus tres dignitates numerantur quarum major Archidiaconatus simul cum canonicatu conjuncta. Nulla hic Pœnitentialis, nulla Theologalis Præbenda existit; omnes autem hæ Præbendæ Presbyterales sunt. His sex Capellani & quatuor Mansionarii adaucti diurna pariter, atque nocturna officia persolvunt. Nulli ibidem dignitati animarum cura est annexa; quam nihilominus quinque Presbyteri specialiter deputati, ad nutum amovibiles, exercent. Præter Fontem Baptismalem, Chorum, ac modicam supellectilem adest sacrarium pro asservandis Sanctorum Reliquiis, quarum non mediocris numerus est, idemque ex ære publico, præclaro ornatu nobilitatum. Inter sacros hos cineres, qui pene omnes aureis, aut argenteis thecis sunt inclusi, eminet pars Ligni salutiferæ Crucis, pars capitis, brachii, & crus Sancti Blasii, itemque pars aliqua brachii S. Joannis Baptistæ, manus adhuc integra S. Birgittæ, aliæque multæ insigniores Reliquiæ. Verum Sacer Panniculus, quo involutus fuit Puer Jesus, recens, & integer post tot sæcula perseverat, & non modo civium, sed exterorum etiam admirationem, & uberes devotionis lacrymas excitare consuevit. Ad promovendum ferventiorem cultum erga hæc Virginalis Partus insignia multum conducere arbitror, ut quotannis præcipua Divini Officii celebritate laudes Christo Domino, quod bis circumtegi passus sit, instaurentur. Idipsum S. Sedem Apostolicam pro clavis, lancea, & Syndone, divino ejus tactu dedicatis, alicubi indulsisse novimus; hancque ob causam ipsius S. Sedis benignitatem, ut mei muneris esse existimo, votis omnibus interpellare propediem non intermittam.

Divini Verbi prædicationis munus in Cathedrali, ubi etiam Catechismus traditur, singulis annis, diebus Quadragesimæ & Adventus Domini, per Sacerdotes idoneos Reip. impensis accitos exsolvitur; quod idem fit, & frequentius in reliquis Religiosorum Virorum Ecclesiis, quorum tria sunt in civitate monasteria, Dominicanum scilicet, Franciscanum, & Societatis Jesu, totidemque Sanctimonialium. Extat item non longe a mœnibus monasterium Monachorum sub regula S. Benedicti; & præter hoc undecim dictorum Regularium per totam Diœcesim divisæ vel Grancia, vel Cœnobia.

Nondum autem erectum est Seminarium, nec spes ulla effulget fore, ut aliquando erigatur, cum adeo exigua sint Beneficia, ut quævis eorum fructuum taxatio necessarios sumptus nunquam suppetere possit. Mensa vero Archiepiscopalis, cujus reditus vix summa scutorum biscentum quinquaginta moneta Romanæ constituunt, ægre Archiepiscopi modicæ familiæ alendæ, nedum Seminario instituendo, servandoque, par esse potest. Juventuti nihilominus ad omne religionis, & bonarum artium studium informandæ Patres Societatis Jesu pro eorum instituto sedulam navare operam non negligunt; quo singulari beneficio fit, ut hæc civitas, quamvis barbarorum Imperio contermina, politiori tamen morum elegantia non careat.

Confraternitates hic septem, canonice institutas habemus. Duæ ex his in Cathedrali Ecclesia erectæ sunt: altera nempe Sacerdotum Secularium; reliquæ in Oratoriis regularium fundatæ sunt; unica ex his, scilicet Sacerdotum Secularium, correctioni ac visitationi Ordinarii subest;

cæ-

cęterę ſub immediata protectione hujus Reip., exemptæ, exiſtunt. Omnes autem piorum Legatorum adimplemento, funeribus curandis, aliiſque hujuſmodi operibus incumbunt.

Extant etiam in civitate, & extra illam per Diœceſim diffuſæ Domus mulierum de Pœnitentia, quas Bizoccas vocant, collegialiter, & honeſte viventium, tum ex eleemoſynis, tum ex labore manuum, ſine ullo tamen voto.

Tota vero Diœceſis, quæ ad centum triginta circiter milliaria in longitudinem protenditur, viginti ſex Parochiales Eccleſias ſubje continet, quarum fructus ita exigui ſunt, ut quotidianum victum Rectoribus ſuis vix aliquæ, ſed aliquæ non ſufficiant. Hinc eſt, ut, quia Sacerdotes doctrina, prudentia, aliiſque requiſitis præditi, ad illas regendas non concurrunt, vacante aliqua, cogatur Archiepiſcopus ex minus idoneis aliquem œconomum, vel Parochum ad ipſius curam præeligere; quamobrem credi non poteſt quantum inde damni proveniat; quippe cum imperitus ſit Paſtor, & oves ſuas nec Sacrarum Concionum, nec Doctrinæ Chriſtianæ alimonia reficere, nec conſilio, aliiſque ſubſidiis juvare valet. Lacrymabile profecto eſt, non modo pueros, ſed etiam adoleſcentes, imo & viros, ſeneſque ſic ignorantes eſſe, ut ne prima quidem fidei rudimenta calleant. Ad hæc, aliud accedit incommodum, quod cum aliquæ Parochiæ amplæ ſint & pluribus in locis ruſticorum Domibus refertæ ſcateant, hæcque loca nimium diſtent ab Eccleſia, viæque etiam aſperrimæ, ac difficillimæ ſint, pauci propter ea diebus Feſtis, plerique bis, terve, ad ſummum, multi ſemel dumtaxat in anno ad ſacrum audiendum, & ſacramenta ſuſcipienda ad Rectorem conveniunt; quodque magis dolendum, fieri nullatenus poteſt, ut huic incommodo opportune occurratur. Beneficia enim nulla ſunt quę parochialibus his Eccleſiis ad augendum earum fructus ad mentem Sac. Con. Trid. uniri poſſint; Parochialem vero alteri ſimili unire, attenta illarum invicem diſtantia, perniciosum eſſet; ut novas potius Parochias, ad animarum periculum ſubmovendum, inſtituere neceſſarium eſſe omnino putem, etiam per diſmembrationem illarum fructuum, ſi regionis incolarumque inopia hujuſmodi inſtitutionem, vel exiguitas diſmembrationis paterctur.

Hæc cum ita ſint, EE. Patres, difficile dictu eſt, quanto in diſcrimine animarum ſalus verſetur; quantiſque præter ceteras meas ſollicitudines, mœroris ac timoris ſtimulis hac de cauſa angatur conſcientia mea; exploratum ſiquidem mihi eſt, ſummam Epiſcopalis curæ in eo ſitam eſſe, ut Eccleſiis regendis habiles præſignentur Rectores; tuncque feliciter commiſſi Gregis ſalutem promoveri, cum & Paſtores cuſtodire ſciunt, & Grex Paſtorum vocem & audit frequenter, & ad audiendum commode convenire poteſt. Hæc prudens vobis expoſui, Emin. Domini, ut ſiquid opis, ſiquid conſilii in hiſce anguſtiis afferre poſſitis (multum autem poteſtis) pro veſtra pietate, animarum harum ſaluti ſedulo proſpiciatis.

Ut vero hujuſce rei calamitatem in propatulo habeatis, unius dumtaxat Eccleſiæ Parochialis ſtatum exponam. Plurimis abhinc annis vacavit Eccleſia S. Viti Inſulæ Melitenſis, quam, cum exiguos admodum fructus valorem ſcutorum novem monetæ Romanæ non excedentes habeat, ſitque ob aſperitatem montium, & itinerum incommoda, itemque ſitu eſt ardua, nemo adhuc regendam ſuſcepit. Quare & minis & precibus, ac propoſitis etiam præmiis compelli oportet ſacerdotes, & velut deportare ad eam Inſulam, ut ſaltem ſinguli per turnum ad bimeſtre illam adminiſtrent. Hinc adverſum me querelæ, & lamenta Sacerdotum; & quandoque neceſſe fuit de tenui mea menſa aliquo pecuniarum ſubſidio pauperi cuidam Sacerdoti illuc deſtinato ſubveniri, ne inſulam deſerere cogantur. Quidnam quaſo in populo proficient hujuſmodi Sacerdotes, quos unica vis ægre præeſſe cogit?

Cum viſitationis munus peragerem, ſcandaloſam quamdam, ac in praxi perniciosam opinionem in hac civitate irrepſiſſe animadverti, qua plerique ſeducti opinabantur latam legem de librorum proſcriptione Raguſinam Diœceſim ex defectu legitimæ promulgationis non arctare; ſicque poſſim libros quoſcumque etiam ſuſpectos nonnulli legebant, unde qualis in juventutem præcipue morum corruptela pedetentim ſubinduci cœperit, vos ipſi pervidetis. Hinc delatum ad me fuit per ora aliquorum injurioſas oblocutiones de jejuniis, de carnis maceratione, aliiſque hujuſmodi Chriſtianis exercitationibus circumvagari, hancque audaciam a prava dictorum librorum & maxime ab auctoribus Gallis editorum lectione natam eſſe. Ut huic malo obviam irem publico edicto librorum in Romano Indice contentorum prohibitionem, gravioribus etiam pœnis propoſitis, promulgandam curavi; quamvis hoc idem in Synodis Diœceſanis indictum fuerit a meis prædeceſſoribus. Hoc exemplum imitata eſt hæc Reſpublica, quæ Senatuſconſulto impium Thalmud Hebræorum publice comburi juſſit. Hoc remedio exiſtimo proſcriptam eam opinionem, quæ hic adeo invaluerat. His litteris ſtatum meę Eccleſiæ, meique in vos teſtimonium expoſui. Reliquum eſt, ut me, EE. VV., fauſta omnia a Deo Opt. Max. enixe precantem veſtra auctoritate, & benignitate tueamini; dum ego qua maxima poſſum veneratione ſacram veſtram Purpuram deoſculor.

Raguſio 20. Octobris 1724.

Humill. Addictiſs. & Obſeq. Servus F. Raymundus Gallani Arch. Raguſ.

Turcam ad fidem Chriſti convertit & Romam ad Benedictum XIII. miſit.

Cum adoleſcentulum quemdam, ſuperſtitionibus Turcis innatum atque innutritum, ad Chriſtianam religionem traduxiſſet, eum Romam miſſum dono dedit Sanctiſſimo Patri Benedicto XIII., qui eum de divinis myſteriis ac præceptis erudiendum curaret, & ſua ipſe manu luſtralibus aquis ablueret. Id muneris ſibi gratiſſimum fuiſſe, eoque ſe magnopere gaviſum eſſe Pontifex, his ad Raymundum litteris datis, oſtendit.

Epiſtola Benedicti ad Raymundum.

Venerabili Fratri Raymundo Archiepiſcopo Raguſino Benedictus PP. XIII.

Venerabilis Frater, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Quamquam virtutis tuę præclaram, & paſtoralibus tuis meritis parem gerimus opinionem, eam tamen magis in dies augere, ac ſimul Pontificiam ſibi benevolentiam amplius demereri Fraternitas tua non prætermittit. Itaque in obſequentiſſimis litteris, & in luculento tuæ pietatis officio, quo Turcam adoleſcentem Chriſtianis inſtitutis imbuendum, & luſtralibus aquis expiandum ad nos miſiſti, animi erga nos tui obſervantiam, animarumque redimendarum ſtudium perſpeximus; atque ad cætera miſericordiæ opera, in quæ ſumptus liberaliter erogare conſueviſti, hanc etiam laudem adjunctam eſſe gaviſi ſumus. Salutari autem lavacro, poſtquam Chriſtianæ religionis myſteria adoleſcens ille didicerit, abluemus, ut quem nobis dono addictum eſſe vo-

voluisti, Redemptori omnium Christo renatum, in libertatem filiorum Dei vindicemus. Cæterum quam grato erga te animo, & quam propensa in Fraternitatem tuam voluntate simus, ubi se opportunitas suggeret, reipsa declarare vehementer optamus. Ac tibi, Ven. Frater, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XI. Maji MDCCXXV. Pontificatus nostri anno primo.

Raymundi obitus.

Anno quinto Archiepiscopatus, Christi 1727. VI. Kal. Aprilis ex apoplexia interiit; atque apud suos, in æde S. Dominici, honorifice conditus fuit. Cum Raymundus Archiepiscopi Ancyrani titulum gerebat, antequam ad Sedem Archiepiscopalem Ragusinam eveheretur, retum ac bonorum omnium, quæ tunc possidebat, hæredes instituit, futuros post suam mortem, Fratres Congregationis Ragusinæ S. Dominici; idque litteris suo chirographo & annulo obsignatis testatum esse voluit. Post solemnes exequias Canonici Ædis Cathedralis domum Archiepiscopalem ingressi, supellectilem omnem gemmeam, argenteam, æneam, ligneam, tum sacram, tum domesticam, & quidquid erat pecuniæ, nullo habito discrimine, veluti hæreditatem caducam, Ecclesiæ debitam, abstulerunt: qua de re cum Patres Dominicani apud Benedictum XIII. questi essent, sapientissimus Pontifex, quæ dum Ancyranus esset, & quæ dum erat Ragusinus Archiepiscopus acquisierat, dignosci, & alia ab aliis secerni jussit; & hæc quidem Canonicis, & Ecclesiæ Ragusinæ, illa vero Patribus Dominicanis adjudicavit; ex hac parte, quæ iis obtigerit, si quod ante susceptum Archiepiscopatum Ragusinum, ex altera quæ Canonicis sive Ecclesiæ obvenerit, si quod postea æs alienum contraxerat, dissolvendum esse. Antonio Righio Episcopo, qui paullo ante Ecclesiam Tribunicnsem dimiserat, imperavit, ut sententiam Pontificiam, minis interpositis pœnarum ecclesiasticarum, tuendam & exsequendam curaret.

De spoliis sive bonis Raymundi inter Fratres Dominicanos, quam Benedictus XIII. composuit.

Benedictus PP. XIII. Ad perpetuam rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Congregationis Ragusinæ Ordinis Prædicatorum, quod bonæ memoriæ Raymundus Gallani, dum vixit olim Ancyranus, & deinde Archiepiscopus Ragusin., in minoribus constitutus habitum per Fratres dicti Ordinis gestari solitum suscepit, & professionem per eosdem emitti consuetam, expresse emisit regularem, nonnullaque bona sua Congregationi prædictæ, ante suam Metropolitanæ Ecclesiæ Ragusinæ præfectionem acquisita donavit; in vim vero nostræ & Apostolicarum constitutionum, ipsi exponentes spolium bonorum memorati Raymundi Archiepiscopi ad ipsos spectare debere minime dubitant. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dilecti pariter filii Capitulum & Canonici præfatæ Ecclesiæ Ragusinæ statim, secuto memorati Raymundi Episcopi obitu, spolium de illius jocalibus, gemmis, supellectili, aliisque rebus fecerint; dicti vero exponentes, attenta eorum paupertate, cum supradictis Capitulo & Canonicis, pro ejusmodi, & aliarum rerum recuperatione, litigare nequeant, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur exponentes præfatos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusque excommunicationis, suspensionis &c. si quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendam, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnes & singulas donationes, per dictum Raymundum Episcopum favore Congregationis & Fratrum prædictorum factas, ut præfertur, Apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici, prætendi, vel censeri possint, supplemus. Nec non omnia bona cujusvis generis, per eumdem Archiepiscopum quomodolibet acquisita tempore Archiepiscopatus Ancyrani, ante ingressum ad eumdem Archiepiscopatum Ragusin., minime intrare, nec esse comprehensa sub spolio favore Ecclesiæ Ragusinæ, sed ad eamdem Congregationem juxta Apostolicarum Constitutionum dispositionem libere spectare declaramus; ac illa per Capitulum, & Canonicos supradictæ Ecclesiæ Ragusinæ restitui, & Fratribus Congregationis ejusdem libera & exempta ab oneribus, & debitis contractis post adeptam possessionem dicti Archiepiscopatus Ragusini, consignari harum serie mandamus. Quæ quidem onera, & debita adimpleri, & ex bonis post dictam possessionem Archiepiscopatus acquisitis, & fructibus inconsumptis ad præfatam Ecclesiam Ragusin. titulo spolii, vigore indultorum Apostolicorum spectantibus, dissolvi ordinamus. Decernentes præsentes litteras validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac præfatis exponentibus in omnibus, & per omnia suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Ven. Fratri Antonio Righi, olim Episcopo Mercanensi, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus per se, vel per alium seu alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte interesse habentium in præmissis, seu alicujus eorum, desuper requisitus fuerit, solemniter publicans, illisque efficacis defensionis præsidio assistens, faciat auctoritate præfata illos, & eorum quemlibet, præsentium litterarum, & in contentorum hujusmodi commodo, & effectu pacifice frui & gaudere &c. Non obstantibus &c. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus, pro plene & sufficienter expressos, ac de verbo ad verbum insertos habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die XXI. Augusti MDCCXXVII. Pontific. nostri anno quarto.

Pontificis sententiam integre prompteque exsecutus est Righius Episcopus, cujus exemplar decreto Senatus Ragusini descriptum extat in lib. *Diversf. Instrum. Publ.* Notariæ Ragusin. pag. 31. t. & hic a nobis subjicitur.

Die XVIII. Mensis Martii 1728. Mandato Illustriss. & Excell. Dom. Rectoris, ejusque Minoris Consilii hic infra erit registratum infrascriptum Decretum attentis debitis requisitis, cujus tenor est qui sequitur, videlicet

An-

Digitized by Google

Sententiæ pontificiæ exsequutio.

Antonius Righi Dei, & Apostolicæ Sedis gratia olim Episcopus Mercanensis, ac Tribunensis, nec non Judex, & Executor ad infrascripta a SS. Domino Nostro Specialiter Delegatus.

Cum Sanctissimus in Christo Pater, & D. N. D. Benedictus Divina Providentia PP. XIII. per suas litteras in forma Brevis ad futuram rei memoriam sub annulo Piscatoris signatas die XXI. Augusti currentis anni MDCCXXVII. nobisque legitime, ac juridice coram testibus præsentatas, ut in actis ad quæ &c. omnes, & singulas donationes per b. m. Fr. Raymundum Gallani Archiepiscopum olim Ancyranum, postea Raguſinum, favore Congregationis, & Fratrum Ordinis Prædicatorum Raguſin. ex bonis ante suam Metropolitanæ Ecclesiæ Raguſinæ præfectionem acquisitis factas auctoritate Apostolica confirmasset, & approbasset, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjecisset, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici, præsendi, vel censeri possint, supplevisset; nec non omnia bona cujusvis generis per eumdem Archiepiscopum quomodolibet acquisita tempore Archiepiscopatus Ancyrani ante ingressum ad eumdem Archiepiscopatum Raguſinum minime intrare, nec esse comprehensa sub spolio favore Ecclesiæ Raguſinæ, sed ad eamdem Congregationem juxta Apostolicarum Constitutionum dispositionem libere spectare declarasset: nobis insuper commisisset, ac mandasset earumdem Litterarum executionem cum auctoritate, ac potestate in iisdem litteris contentis, ac expressis, ad quas &c. Nos igitur Antonius Righi Episcopus, Judex & executor ut supra, debita cum instantia requisiti a prædictis RR. Patribus Ordinis Prædicatorum Congregationis Raguſinæ, volentesque Mandatum Apostolicum nobis in hac parte directum reverenter (prout tenemur) exequi, citatis, ac examinatis testibus, probatisque plene, ac legitime rei veritate, quod summa Realium sex mille, vel major, aut minor summa, quæcumque illa sit, quæ reperitur Constantinopoli in manu D. Dominici Pisani, vel cujuscumque alterius olim eidem Dominico Pisani, vel cuicumque alteri credita a præfato b. m. Fr. Raymundo Gallani Archiepiscopo tum Ancyrano, ab eodem acquisita fuerit tempore Archiepiscopatus Ancyrani ante ingressum ad Ecclesiam Raguſinam; visis litteris ejusdem Fr. Raymundi Archiepiscopi, in quibus profitetur se iisdem Fratribus, eamdem summam Realium sex mille Constantinopoli donasse, eaque ve per testes probata; visis litteris, ac rationiniis ejusdem Dominici Pisani de summa hujusce æris enunciantibus; visis denique omnibus, & singulis, quæ hac in re, & circa eam videnda, & considerandæ fuerunt, & sunt; Christi nomine invocato auctoritate nostra, imo verius Apostolica nobis in hac parte commissa, & delegata, qua fungimur; præfatam summam Realium sex mille, vel majorem, aut minorem ut supra minime intrare, nec esse comprehensa sub spolio favore Ecclesiæ Raguſinæ, sed ad suprascriptam Congregationem, & Fratres juxta Sanctissimi D. N. vigore Apostolicarum Constitutionum dispositionis ut supra declarationem ex duplici capite donationis confirmatæ ut supra, & approbatæ in litteris Apostolicis, nec non acquisitionis tempore Archiepiscopatus Ancyrani ante ingressum ad Ecclesiam Raguſinam spectare, & pertinere judicamus, declaramus, ac tenore præsentium decernimus. Reservantes de cæteris rebus, ac bonis ejusdem Archiepiscopi Gallani judicium simile, seu aliud, vel alia Decretum, vel Decreta, quotquot opus fuerit fieri probata rei veritate juxta præmissarum litterarum Apostolicarum formam, & tenorem. Non obstantibus in contrarium quibuscumque, prout in iisdem Apostolicis litteris minime obstare debere declaratur, & decernitur. In quorum omnium, & singulorum robur, fidem, & testimonium præsentes has litteras, seu præsens decretum fieri per infrascriptum nostrum Notarium, & coram infrascriptis testibus publicari mandavimus.

Datum, & actum Raguſii in Æde nostræ solitæ Residentiæ die XIV. Decembris anni MDCCXXVII.

Pontificatus Sanctissimi Domini Domini Nostri Benedicti PP. XIII. anno quarto.

L. S.

Antonius Righi Episcopus, & Judex qui supra.

Joannes Sciumanovich Not. ass.

Io Biagio Marghich fui presente.

Io Matteo Sivrich fui presente.

Ego Balthassar Sivrich Publicus, ac juratus hujus Illustriss. & Excellentiss. Rhacusinæ Reipublicæ in Cancellaria Coadjutor rogatus, & requisitus Suprascriptam Copiam ex ejus Originali manu mea propria fideliter extraxi, factaque diligenti collatione de verbo ad verbum, in omnibus concordare inveni, meliori semper salva.

In fidem subscripsi, meoque solito, quo in his, & similibus utor, signo munivi. Laus Deo &c.

Senatus Raguſini constantia in cultu publico heterodoxis negando.

Per eos annos Senatus Raguſinus insigne pietatis ac religionis exemplum posteris suis exteriſque omnibus Christianis Principibus imitandum præbuit. Sabbas Vladislavichius inter Dynastas Serblianæ nationis nobilissimus ac divitiis præpollens, idemque apud Imperatorem magnæ Russiæ gratiosus in paucis, palatium sibi cum horto satis amplo ac bene culto Raguſii coemerat. Hic Photiano dogmati & schismati addictus cum esset, postulavit supplicitter, ut sibi potestas daretur fani in horto suo exstruendi, in quo liceret more rituque Græcorum sacra fieri, quibus tum ipse, tum ejus familia intereſſet, ibique aniculæ matri suæ sepulcrum pararet. Id facillime ab se impetrari posse sperabat, non solum ob veterem amicitiam, quæ illi erat cum Senatoribus primariis, & summam necessitudinem multis officiis ultro citroque collatis & acceptis constitutam, sed fretus præsertim litteris commendatitiis Magni Russorum Imperatoris, quæ non tam rogandi, quam imperandi vim habituræ esse videbantur. Verum sua illum opinio ac spes fefellit: ejus postulata Senatus constantissime repulit, nec prece, nec gratia, nec metu potentissimi Regis adduci potuit, ut vel tantillum concederet, quod fidei orthodoxæ quoquo modo officere posset. Fuit enim semper sapientissimis illis, ac religiosissimis Patribus certum deliberatumque, nihil extranei cultus, alienique ab Ecclesia Romana & Catholica in suam ditionem admittere, ne illius contagio paullatim serpens latius manaret, ac sinceram incolarum fidem inficeret. Nec minus illustria dederant superioribus ætatibus documenta, quam sibi cordi esset avitam religionem ab omni cum heterodoxis commercio sejunctam ab omnique labe intactam tueri. Sex annua aurorum millia Græci schismatici spoponderant, aliasque perutiles conditiones obtulerant, modo vellet juberetque Se-

Digitized by Google

natus eos recipi, & vel in civitate, vel in aliis oppidis ditionis Raguſinæ ſtabile illis domicilium attribui. Anno 1657. cum terræmotus horribilis multa hominum millia tectorum ruinis obruiſſet, iidem Schiſmatici ad regionem deſertam a plebe, atque a cultura hominum frequentandam colendamque ſexcentas ſuorum familias ſe deducturos, binaque in ſingulos annos aureorum millia & quinquagena ſoluturos polliciti ſunt. Nihil his aut illis Senatus indulſit; & eadem, qua ſemper uſus fuerat, conſtantia animique firmitate omnia eorum promiſſa reſpuit, poſtulata rejecit, omnemque iiſdem ſpem domicilii apud Raguſinos obtinendi præcidit: quod & nuperrime factum, cum ſchiſmatici auctoritate & potentia freti Comitis Orlowi, qui Ruſſorum claſſi, & bellicæ in Turcas expeditioni præerat, iterum ſibi aditum in Raguſinam ditionem ut aperiretur totis viribus poſtularunt; ſed irrito conſilio; nam iterum a Raguſinis, licet hi graviſſimis obſepti eſſent difficillimiſque rerum ſuarum incommodis, fortiſſime repulſi ſunt.

Raymundi Archiepiſcopi eximias virtutes & præclara in rem Chriſtianam merita Patres Dominicani Raguſini hoc elogio complexi ſunt ſupra ſepulcrum incilo.

A latere ſiniſtro:

Raymundi Archiep. elogium.

Fr. Raymundo Gallano ſuo olim Alumno ac moderatori, mox Apoſtolico Albanenſium Conviſitat. Vicario Patriarch. Conſtantinop. ac Archiepiſcopo Ancyrano, demum Raguſino Archipraſuli, amoris, mœroris, obſequii argumentum mœtiſſimi Fratres Prædicatores

A latere dextro:

Religione confirmata, ſuperſtitione devicta, libertate captivis ære comparata, Divino cultu ampliſicato, libris damnatæ doctrinæ proſcriptis, omnibus benefaciendi voluntate, vitæ integritate, pietatis, pacis, virtutis ſtudio parta gloria parato ſepulcro igitur morte diu præviſa extinctus eſt. Vixit annos LXXV. Me. I. Di. XXII.

PHILIPPUS II. ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS LXXVIII.

F. Philippus II. Archiepiſc. Rag.

Ex Ordine Carmelitano, primum Venuſinus Epiſcopus, deinde Sidenſis, poſtea Raguſinus Archiepiſcopus; de quo Chriſtophorus Stay vir eruditiſſimus & eloquentiſſimus ex Actis Conſiſtorialibus hæc nobis pro ſua eximia humanitate deſcripſit: *Fr. Philippus Turbide Ordinis Carmelitarum natus in oppido de Tubela nullius ſeu Tiraſon. Diœc. in 40. ætatis ſuæ anno conſtitutus Profeſſor Metaphyſicæ in Studio ſive Archigymnaſio Almæ Urbis, & Definitor generalis perpetuus anno 1726. 31. Julii creatus Epiſcopus Venuſinus; 1727. 17. Martii idem, dimiſſa Eccleſia Venuſina, deſignatur Archiepiſcopus Sidenſis; 1727. 25. Junii idem fit Archiepiſcopus Raguſinus.* Ut duas ſuperiores, ſic etiam Raguſinam Eccleſiam dimiſit.

ANGELUS ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS LXXIX.

Angelus Archiep. Rag.

Civis Raguſinus, cui Franca familia ortum & cognomen dedit. Ordini Fratrum Minorum adſcriptus excellenti ingenio, atque doctrina floruit, & gradum nomenque Lectoris jubilati S. Theologiæ adeptus eſt. Conciones habuit æque fructuoſas atque elegantes, quas magna & aſſidua non modo plebis, ſed etiam præſtantium virorum frequentia cohoneſtabat tum in variis Italiæ urbibus, tum Raguſii in Æde Cathedrali. Provinciæ Franciſcanæ Raguſinæ præfuit; & a Senatu Orator miſſus eſt ad Carolum VI. Imperatorem. Dum Viennæ negotia Reipublicæ curabat, eum Benedictus XIV. Archiepiſcopum Metropoli Raguſinæ præfecit anno 1728. Poſt biennium Synodum Diœceſanam convocavit, eamque ſapientiſſimis decretis, præceptis, monitis refertam Ancoræ typis mandavit. Dum Eccleſiam hanc regebat, Benedictus XIV. Sodalibus S. Petri in Cathedra quaſdam leges præſcripſit ad ſuos conventus agendos, nequa inde ſuſpicio oriri poſſet, quæ tranquillitatem Reipublicæ perturbaret. Has vero Angelo Archiepiſcopo cum ſuis ad eum litteris miſit, eaſque ut iiſdem ſodalibus denunciaret, & ab omnibus ſervandas curaret, mandavit.

Ejus acta.

F. Angelus Franchi Ordinis Minor. Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratia Archiepiſcopus Raguſinus.

Leges Sodalibus S. Petri in Cathedra præſcribuntur a Benedicto XIV. P.

RR. Priori, & Officialibus Vener. Confraternitatis S. Petri in Cathedra & omnibus, & ſingulis Sacerdotibus ejuſdem Confraternitatis per præſentes notum facimus & denunciamus, qualiter hodie mane coram nobis perſonaliter comparens Dominus Antonius Aletti Vice Secretarius hujus Excel. Reip. nomine & pro parte Excelſi ejuſdem Reip. Senatus exhibuit nobis litteras Apoſtolicas in forma Brevis expeditas per nos recognitas a SS. Domino Noſtro Domino Benedicto PP. XIV. feliciter regnante nobis directas, quarum tenor eſt, qui ſequitur, vid. Extra Ven. Fr. Angelo Archiepiſcopo Raguſino. Intus vero:

Benedictus PP. XIV. Venerabilis Frater, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Non ſine gravi cordis noſtri dolore accepimus diſſidia inter dilectos filios Confratres Confraternitatis ſub invocatione Cathedræ S. Petri in iſta Civitate erectæ ſæpe excitari ſolita eo proceſſiſſe, ut ne quidquam vel minimum præjudicii ac detrimenti tranquillitati Reip. Raguſinæ afferri aliquando contingat, noſtri Apoſtolici muneris eſſe ducamus nonnulla ad pacem concordiamque inducendam providentiſſime decernere, quemadmodum ex aliis noſtris in ſimili forma Brevis litteris hac ipſa die ad futuram memoriam datis te intellecturum fore confidimus. Fraternitati itaque tuæ committimus & mandamus, ut ſtatim atque ad te redditæ fuerint laudatæ noſtræ litteræ, eaſdem iis, ad quos ſpectant, notas facias, ac denuncies, nec non omnia & ſingula in iiſdem contenta debitæ promptæque executioni etiam quatenus opus fuerit ſub Eccleſiaſticis cenſuris pœniſque Canonicis demandari, & ſervari cures, ſatagas, & adnitaris, ſalva ſemper Archiepiſcopali tua Juriſdictione, & auctoritate. Caterum de paſtorali obſtrictæ tuæ erga nos, & Apoſtolicam hanc ſanctam Sedem obedientiæ in exequendis Apoſtolicis Mandatis noſtris officio alacriter præſtando certi, ad proſperi ſucceſſus auſpicium Fraternitati tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XI. Auguſti MDCCXLVI. Pontificatus noſtri anno VI.

Cajetanus Amatus.

Deinde præſentavit nobis alias litteras Apoſtolicas in ſimili forma Brevis expeditas, per nos pariter recognitas, quarum tenor eſt qui ſequitur, videlicet.

Digitized by Google

Benedictus PP. XIV. ad futuram rei memoriem.

Injunctum imbecillitati nostræ in suprema Catholicæ Ecclesiæ procuratione gravissimum munus advigilandi non modo pro sacrarum rerum cultu, sed pro publicarum etiam rerum tranquillitate, e Pastorali nostra sollicitudine, & Apostolica auctoritate jure ac merito exigit, si quæ dissidio bene constitutum utrarumque ordinem quomodolibet invertere, & perturbare possent, statim opportuna, ac salutaria iisdem dissidiis componendis extinguendisque Apostolica providentiæ potestatisque nostræ remedia adhibere satagamus. Quoniam autem sicut accepimus, Confraternitas utriusque sexus Christifidelium de consensu B. M. Andreæ Archiepiscopi Ragusini, & cum beneplacito Consilii & Nobilium Civitatis Ragusinæ pro diversis piis operibus adimplendis sub invocatione Cathedræ S. Petri in Civitate Ragusina olim instituta reperitur, cujus deinde peculiaris quædam statuta Apostolica itidem auctoritate per Apostolicas fel. recor. Sixti IV, & Clem. VIII. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum litteras, quarum tenores his præsentibus nostris in forma Brevis litteris pro expressis & insertis haberi volumus, & in quibus uberius dicitur contineri, approbata, & confirmata fuerunt. Hujus vero Confraternitatis Confratres Presbyteri præsertim sæculares, penes quos reddituum ac bonorum privative residet administratio pro tempore existentes cum de rebus negotiisque quibuscumque ad memoratam Confraternitatem quomodolibet spectantibus per ipsos agendum deliberandumque esset, suos cœtus, sive conventus sive Congregationes in quodam prope Metropolitanam Ecclesiam loco, sive conclavi sive mansione habere solebant. Verum ob controversias & dissensiones pro ut pariter accepimus ab iisdem sæcularibus Presbyteris super eorundem reddituum dispensatione nuper excitatas timentes nos ne quidquam præjudicii aut detrimenti eapropter tranquillitati Reipublicæ Ragusinæ, quæ Orthodoxæ Religionis hostes adjacentes habet, importari posset, atque ex eo potissimum, quod Confratres Presbyteri sæculares hujusmodi sive multi sive pauci congregari soliti, non modo ad arcanum, & jusjurandum servandum obligantur ne quidpiam suarum consultationum deliberationumque cuiquam communicetur, verum cœtus etiam sive conventus, sive congregationes suas haud in designato loco, ut præmittitur, sed ubicumque iisdem Confratribus congregandis libet, celebrare audeant; unde nonnulli in suspicionem etiam venerunt non levem, quod ipsi Presbyteri Confratres hoc pacto de negotiis ad Rempublicam etiam pertinentibus interdum agere, atque ita iisdem negotiis sese immiscere tentent. Eapropter nos ut omnis injecta suspicio hujusmodi incussusque metus e medio penitus auferatur, etsi nullum Ecclesiasticæ libertati præjudicium aut detrimentum afferri cupimus, imo omnes Apostolatus nostri partes ad utramque vindicandam conferre adnitimur, tamen ad pacem, concordiam, tranquillitatemque conciliandam, servandam, confirmandamque par, equumque esse ducimus, ut justitia & pace, ac Sacerdotio & Imperio sese invicem osculantibus nonnulla de integro decernamus, pro ut tenore præsentium Apostolica auctoritate decernimus.

I. Ut nimirum deinceps singulis eorumdem Confratrum cœtibus sive conventibus, sive Congregationibus tam statis, quam quacumque ex causa toties quoties opus fuerit indicendis & habendis semper interesse debeant duo nobiles viri ex ordine Senatorio singulis mensibus sorte extrahendi.

II. Ut ipsi Confratres non alibi ad ipsorum libitum, & arbitrium, sed in solito prope Metropolitanam Ecclesiam, ut præmittitur, loco dumtaxat convenire & congregari possint.

III. Ut nobiles viri qui ut præmittitur in cœtibus, sive conventibus, sive congregationibus hujusmodi interesse tenentur, nudam simplicemque in ipsis præsentiam prestantes, solam quoque simplicemque agendarum deliberatarumque rerum notitiam habentes, nullas omnino in consultationibus, deliberationibusque per Confratres ineundis statuendisque, nullas in reddituum administratione & usu eorumque reddenda ratione, nullas commendationum in Confratrum electionibus, nullas denique in rebus negotiisque quibuscumque ad eandem Confraternitatem quomodolibet spectantibus partes sibi arrogent, atque ita sese gerant, ut nullum penitus omnimodæ Confratrum libertati præjudicium per ipsorum præsentiam inferri possit.

IV. Ut laudati duo nobiles viri in eorundem Confratrum cœtibus, sive conventibus, sive congregationibus ad inviolabile omnium & singularum rerum per ipsosmet Confratres vel disputatarum, vel deliberatarum, vel gestarum secretum servandum districte teneantur.

V. Ut omnes & singulæ resolutiones deliberationesque, quas ab iisdem Confratribus Presbyteris non in loco designato, sed alibi ad libitum congregatis deinceps capi ac statui ausum fuerit, nunc pro tunc, nullæ, irritæ ac inanes, & nullius prorsus momenti, & roboris re ipsa sint, & habeantur.

VI. Nolumus denique per hujusmodi providentiæ decreta quidquam vel minimum præjudicii aut detrimenti detractum aut illatum juri ad Archiepiscopum pro tempore Ragusinum super eadem Confraternitate juxta sacros Canones, ac præsertim Concilium Tridentinum competenti, sed jus ejusmodi semper illæsum & integrum esse, & fore atque intelligi debere volumus ac mandamus.

Decernentes eisdem præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque semper firma, & efficacia existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, & illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores & S. R. E. Cardinales, ac quosvis alios, quavumque præeminentia & potestate fungentes & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, nec non ejusdem Confraternitatis statutis, & consuetudinibus per laudatos Sixtum & Clementem prædecessores nostros, ut præmittitur confirmatis, quibus quoad hanc partem quatenus opus sit ad effectum hujusmodi dumtaxat derogamus cæterisque contrariis quibuscumque.

Præterea ut debitæ promptæque executioni eædem præsentes nostræ litteræ demandentur, Ven. F. Angelo Archiepiscopo Ragusino, salva semper ipsius auctoritate, & jurisdictione committimus, ut laudatas nostras litteras ipsis Confratribus intimari, & ab iisdem omnino observari faciat,

&

& curet, atque etiam, quatenus opus sit, sub Ecclesiasticis censuris, & canonicis pœnis arbitrio suo imponendis præcipiat ac mandet. Volumus autem ut sæpe dictarum nostrarum litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibita vel ostensa. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XI. Augusti MDCCXLVI. Pontificatus nostri anno VI.

Cajetanus Amatus.

Quas quidem litteras ea qua decet reverentia accepimus, nosque Apostolicis hujusmodi mandatis instante prædicto Domino Vice-Secretario pro illorum plena exequutione prompte ac humiliter parere cupientes, idcirco supradictis RR. Priori & Officialibus, vobisque omnibus & singulis memoratæ Confraternitatis Sacerdotibus præfatas Apostolicas litteras ac decreta omnia, & singula in iisdem contenta harum serie denunciamus & ad vestram notitiam deducimus, utque omnia & singula in ipsis Apostolicis litteris decreta, & ordinata sedulo observare, & attente exequi debeatis, ac hisce nostris, seu verius Apostolicis hujusmodi mandatis devoto obsequio parere studeatis, sub pœnis nostro arbitrio etiam censurarum reservatis districte præcipimus, & mandamus. In quorum &c. Datum in Parochia S. Mariæ Magdalenæ Breni ex ædibus nostris die 31. Augusti 1746.

F. Angelus Archiepiscopus Ragusinus.

R. de Angelis Cancellarius.

Ad infringendos & repellendos Schismaticorum conatus cum ipse omni vigilantia, studio, solertia incumberet, tum consilium & auxilium petiit a Benedicto XIV. qui suis litteris Rectorem ac Senatum Ragusinum admonuit, ut eis religionis integritas, & sedis Archiepiscopalis dignitas cordi esset, nequid detrimenti vel dedecoris, alterutri e commercio Schismaticorum obveniret. Ad ipsum vero Archiepiscopum scribens illum magnopere hortatur, ut apud Præfectos & Magistratus assidue instet; atque urgeat, ne Schismaticis facultatem stabilis domicilii in urbe, vel intra fines ditionis Ragusinæ collocandi permittant; & siquid ad fidem incolarum depravandam moliantur, eos exterminandos curet; ne sinat Calogeros intra suam provinciam ac diœcesim sacra mysteria suis gregalibus impertiri; virum ecclesiasticum seligat, singulari probitate, & prudentia præditum, qui Schismaticis, dum in urbe negotiationis caussa versantur, argumentis ad eorum captum accommodatis ostendat, quam longe aberrent a veritate, eosque errorum suorum convictos ad sinum Ecclesiæ reducat.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Ragusino Benedictus PP. XIV.

Benedicti XIV. litteræ duæ ad Angelum Archiep.

Venerabilis Frater, Salutem &c. Laudabile studium, quod pro gregis tibi crediti incolumitate adversus impios schismaticor. conatus tuum ostendisti, ac prudentiam solerti Episcopo dignam, dum ad Apostolatus nostri judicium submisse illos referre, præsidiumque nostrum implorare non distulisti, plurimum commendamus. Nos, quibus omnium Ecclesiar. habenda sollicitudo est, occurrentibus istic malis opportuna remedia præstare cunctati sumus, datis ad Senatum litteris, per quas Religionis incolumitati, & Sedis tuæ dignitati satis consultum speramus. Simul autem Fraternitatem tuam sedulo in Domino hortamur, ut semel bene cœpta perficiat atque apud istius religiosæ Reipublicæ moderatores pro viribus insistat, ne in eorum Catholica ditione nullo temporalis utilitatis obtentu schismaticos homines stabiles figere sedes, atque eorum hæresim radices agere sinant; sed eos adversum Catholicam Religionem quidpiam molientes a suis finibus arceant, Pseudomonachis vero, quos Calogeros vocant, suæ sectæ hominibus sacramenta profana schismaticorum ritu ministrare etiam pro imperio inhibeant. Quantum vero ad schismaticos, quorum moram ad breve tempus negotiationis caussa tolerandam judicabunt, curabit Fraternitas tua ecclesiasticum seligere virum moribus ac scientia probatum, qui potens & aptus sit eos in fide Catholica instruere, atque in sinum Apostolicæ Matris Ecclesiæ, ejuratis erroribus reducere. Quidquid autem in hujusmodi negotio occurret, nobis accurate renunciabis, quos rebus curandis vestris præsto fore persuasum esse volumus Fraternitati tuæ, cui Apostolicam interim Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ die 24. Decembris 1743.

Sed paullo post, cum ingravescente ætate molestiores præterea Schismaticorum turbas, & infensiores conatus experiretur, de Archiepiscopatu abdicando cogitavit; eaque de re Pontificem consuluit, tum de adolescente quodam quid sibi foret agendum, e schismatico errore ad veritatem Catholicæ religionis converso; verebatur enim, ne violentis adversariorum minis, & impia fraude rursum in animæ perniciem interitumque impelleretur. Reddidit ei Pontifex humanissimas litteras, & ad constantiam animique firmitatem servandam usque ad supremum vitæ spiritum adhortatus ab cogitatione abdicandi Archiepiscopatus dimovit. Pontificiæ epistolæ hoc est exemplum ex Italico in latinum sermonem conversæ.

Benedictus PP. XIV.

Venerabilis Frater, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Grave esse Episcopatus onus, tibi assentimur; & illud nos quoque fuimus experti: graviorem vero Ecclesiæ Ragusinæ regendæ curam esse eorum exemplo intelligimus, qui ab illa se abdicavere, & ab iis didicimus, qui sua nobiscum consilia hac de re communicarunt. Id autem nos minime movet, ut consilium tuum de remittendo huic Ecclesiæ nuncio probemus; cum neque gravis ætas, neque objecta rectæ Ecclesiarum administrationi discrimina quidquam vis habere queant Canonico jure, ut ab earum regimine Antistites cessent. Pulcre moritur miles, qui super cadentia mœnium propugnacula mortem oppetit; & in supremi Numinis conspectu pulcrior est Episcopi interitus, qui animis plenus Dei caussæ minime cedit. Confide igitur, Frater, temet illi commenda, persequere, quæ pro illius gloria hactenus es persequutus; certam spem habe, majora tibi in cœlis munera retribuenda fore, quam si privatam religiosi hominis vitam inter Cœnobiorum claustra egisses; & quidquid opis atque præsidii, absentes licet, tibi elargiri poterimus, ne vereare, quin a nobis in te proficiscatur, impensioribus tui caussa exhibitis penes Rempublicam officiis. Ad adolescentem quod attinet, quem ab Schismaticorum secta in sinum Catholicæ Ecclesiæ perduxisti, illum Romam mittas volo; ac nostra intererit, eidem victum, atque institutionem aliquo in collegio urbano præturare; quippe loeus ei recipiundo defit in Lauretano. Faciliori tamen itinere fac is Anconam

transvehat ad Innocentium Storanum illius Ecclesiæ Archidiaconum, cui mandata dedimus, ut adolescentem ipsum ad urbem deducendum curet. Tuis interea ad Deum precibus nosmet commendamus, teque Apostolica benedictione peramanter impertimur, Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem die 23. Maii 1744. Pontificatus nostri anno quarto.

Harum litterarum sententiæ acquievit Angelus; & cum annos fere viginti quatuor præfuisset, omnesque vigilantissimi, & sollertissimi Episcopi partes cumulatissime expleſſet, vita functus est anno ætatis octogesimo, ac tumulatus apud Fratres suos in sepulcro, quod sibi vivens in Odeo Templi Franciscani paraverat, hoc titulo inscripto,

Angeli obitus.

D. O. M.

Fr. Angelus Franchi Ordinis Minor. Archiepiscopus Ragusinus pulvis vivus suo pulveri mortuo paravit An. MDCCXXXVI.

HYACINTHUS ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS LXXX.

Huic etiam patria Ragusium fuit, & cognomen Milcovichius. Ad sodalitatem S. Dominici aggregatus plures annos vitæ religiosæ haud magis doctrinarum quam virtutum studiis impensos in Cœnobio Ragusinæ Congregationis exegit. E Ragusina in Provinciam Dominicanam Longobardiæ transmigravit, Theologiam per aliquot annos docuit, & magisterii Theologici nomen ac privilegia promeritus fuit. Genuæ apud Magistratum Sacræ Inquisitionis munere Vicarij functus est; Eugubii vero Quæsitor controversiis de fide & hæretica pravitate cognoscendis ac dijudicandis præfuit. Illum in patriam revocatum Senatus Ragusinus Episcopum Stagnensem nominavit; hanc Ecclesiam cum annos non ita multos administrasset, Benedictus XIV. ad Ecclesiam Archiepiscopalem Ragusinam evexit anno 1752. quam quinquennium tenuit, & eximiis virtutibus decoravit. Ordinis Ecclesiastici doctrina, vitæque integritas illi curæ fuit; per duos ipsos annos Clericis & Presbyteris junioribus ipsemet Theologiæ moralis, & Juris Pontificii præcepta tradidit; deinde hoc munus in utraque disciplina illos erudiendi Patribus Societatis Jesu demandavit. In aggregandis ad Clerum adolescentibus magnum delectum adhibuit; & neminem tonsura initiavit, de cujus indole, ingenio, moribus ac studiis non antea diligentissime inquisivisset; & siquis a recta piaque vivendi ratione descisceret, eum statim habitum clericalem exuere jubebat. Nihilo segniorem se præbuit in cortigendis ac puniendis æque Presbyteris ac Clericis, siquid gravius deliquissent. Seminarium Clericorum instituere decreverat, ex quo Sacerdotes doctrina & sanctitate præditos, atque idoneos curatores animarum educeret; ob eamque causſam nobili viro ac Presbytero Matthæo Cliasco auctor fuerat, ut Seminarium bonorum suorum heredem ex testamento relinqueret. Verum morte præreptus, quod summopere optabat, perficere non potuit; nec defuerunt qui post ejus obitum præclaris ejus cœptis & conatibus obstarent. Semel Parochos omnes congregari jussit apud Patres Societatis Jesu, ut piis commentationibus & exercitationibus ex præscripto S. Ignatii animum excolerent, & se perficerent, atque ad munus suum longe gravissimum fungendum aptiores fierent. Ab omni cupiditate accumulandi opes abhorruit; quas Schismatici & Hebræi Pontificatum ineunti ad ejus patrocinium sibi conciliandum ex more antiquo munera obtulerant, omnino repudiavit, pollicitus nullam illis ab se molestiam illatum iri, modo ipsi leges a Senatu præscriptas servarent, quibus interdictum est, nequid in contemptum ac perniciem Catholicæ & Christianæ religionis auderent. Parce & frugaliter victitabat, ut sibi multum suppeteret, quod pauperibus large effuseque donaret, erga quos prodigus etiam, non solum liberalis esse videbatur. Hujus Archiepiscopi prudentiam & singularem in omnibus vel gravissimis negotiis expediendis sollertiam Senatus Ragusinus quanti faceret declaravit, cum ei legationem Reipublicæ nomine apud Carolum Regem utriusque Siciliæ obeundam decrevit. Anno 1756. XII. Kal. Aprilis lateris dolore consumptus triste sui desiderium reliquit. Moriens se tumulari jussit in templo S. Dominici penes Fratres suos, apud quos sanctioris vitæ tyrocinia posuerat. Orbem aureum aureis radiis circumdatum ad Divinam Eucharistiam publicæ venerationi exponendam, quem fulcrum itidem aureum præclaro opere cælatum sustentat, Ædi Cathedrali donavit, Bibliothecam Fratribus suis Ragusinis, museum ex antiquis & selectis nummis conflatum Romano Minervitano Collegio, septingentos argenteos in fœnore positos Cœnobio S. Dominici Neapolitano, ad quod aggregatus fuerat, testamento legavit. In sacrario Ædis Dominicanæ hoc illi elogium incisum tabulæ marmoreæ attributum legitur.

Hyacinthus ex Ordine Dominicano Archiep. Ragusin.

Ejus gesta, virtutes, obitus,

D. O. M.

Hyacinthus Milcovichius Ragusin. pietate, doctrina, eloquio Dominicanæ Decus Familiæ, in Clarissim. Italiæ Urbib. Evangelii administer, Orthod. Fidei Proquæsitor, Derthonæ Genuæque apud Iguvios Quæsitor, Stagnen. Eccl. Antistes, Ragusii Archipræsul utinam diutissime, ad Carolum VII. utriusque Sic. Regem Oratoris munere pro Repub. expedite feliciterque functus, decessit ad XII. Cal. April. A. C. CIↃIↃCCLVI. de Cœnob. hoc, in quo tot virtutis insignibus olim tyro proluserat, munifice meritus Vixit A. LXVI. M. XI. D. XXIII.

& elogium

Tumulo inscriptum est:

Fr. Hyacinthi Milcovich Ord. Præd. Archiepiscopi Ragusini cineres.

ARCHANGELUS ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS LXXXI.

Duo primi superiores Antistites Ragusinis documento fuerunt, rem Christianam & Ecclesiasticam optime geri sub regimine civium suorum, qui e Dominicana & Franciscana familia tamquam e schola omnium virtutum ac virorum doctrina & sanctitate præstantium altrice prodiissent. Itaque Archangelum de Lupis disciplinæ Dominicanæ alumnum & divini verbi præconem eximium, omnibus fere suæ Congregationis magistratibus & muneribus egregie functum, sibi a Benedicto XIV. datum Archiepiscopum an. 1757. ingenti gratulatione & lætitia exceperunt. Erat in eo excellens doctrina, singularis erga Deum pietas, flagrans divini cultus augendi & humanæ salutis procurandæ studium. In Æde Cathedrali aram marmoream S. Joanni Nepomuceno ære suo exstruendam curavit. Synodum Diœcesanam ha-

Archangelus Archiep. Rag.

Digitized by Google

habuit, in qua multa ſapienter utiliterque decrevit. Hanc Eccleſiam annos circiter novem ſine ulla offenſione & ſumma omnium approbatione cum gubernaſſet, pie deceſſit anno 1766. VI. Kal. Septembris; & apud Fratres ſuos tumulatus eſt, hac illi inſcriptione appoſita. obiit.

Archangelo de Lugis Archiep. Raguſ. cæteriſque ex Ordine Præſulibus PP. PP. PP. A. D. MDCCLXVII.

NICOLAUS III. ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS LXXXII.

Nicolaus III. Arch. primum Nicopolitanus.

Ex oppido diœceſis Raguſinæ, cui *Malfii* nomen, oriundus, & e gente Pugliesia in primis nobili, quæ plures in familias diviſa opibus ac ſplendore Panormi præſertim & Cataniæ in Sicilia excellit. Clericali militiæ adſcriptus in Collegio Illyrico Lauretano, vel Firmano, Philoſophiæ, ac Theologiæ operam dedit; & in utraque facultate Doctoris nomen & inſignia promeruit. Reverſus in patriam, & Sacerdotio initiatus curam animarum ſuſcepit, & omnia, quæ ſunt optimi Parochi, munera diligentiſſime plures annos peregit. Archiepiſcopatum Nicopolitanum in Bulgaria plurimis difficultatibus & ærumnis implicitum, magnis incommodis & curis exercitum, periculis & inſidiis obſeptum inter Turcas & Schiſmaticos per annos circiter quatuordecim ſumma aſſiduitate & vigilantia geſſit, nullis laboribus, nullaque in re ſibi parcens, ut relliquias Catholicorum in illis partibus tueretur. Populos illos rerum divinarum ignaros, craſſis errorum ac ſuperſtitionum tenebris offuſos invenit, quos mira patientia & caritate Chriſtianis myſteriis & præceptis erudivit, pravas & ſuperſtitioſas ex illorum animis opiniones evulſit, recte credendi pieque vivendi rationem omnibus tradidit. Cæcitas & dementia quorumdam eo venerat, ut in edito colle aram exſtruxerint, in qua ſtatis diebus Numini neſcio cui arietem immolabant. Nicolaus ſupplicatione indicta incolas accolaſque convocavit, atque ad illum locum deduxit, ubi pro concione impium illud & ſacrilegum facinus vehementiſſimis verbis exſecratus aram everti, & ſerpentem prodigioſæ magnitudinis ſubter aram inventum occidi juſſit. Factum divinitus comprobatum videtur; nam ſtatim, uti Archiepiſcopus prædixit, imbres largiſſimi cœlo effuſi agros diuturna ſiccitate areſcentes, & agricolas ſpe copioſæ meſſis recrearunt. Cum ſemel ad quemdam Dynaſtam Valachiæ, quem *Goſpodarum*, vocant, ſe contuliſſet, non ſolum benigne, ſed etiam perhonorifice exceptus fuit, & cum Schiſmaticis Calogeris ſatis litteratis, ut eſt captus illorum, de vera religione diſſeruit ea vi argumentorum, & tanta eruditionis copia, ut alios quidem ad rectam in Deum fidem converſos, alios convictos & obſtupefactos dimiſerit. Nec vero effugere potuit calumnias Turcarum, quas ſæpe ad pecuniam emungendam comminiſci ſolent; & propter falſas criminationes in vincula conjectus ducentis aureis ſe redimere neceſſe habuit. Anno 1766. cum Blaſius de Paullis Epiſcopus & Vicarius Conſtantinopolitanus hoc munere ſe abdicaſſet, Sacra Congregatio de Propaganda Fide, quem in ejus locum ſubſtitueret, neminem Archiepiſcopo Nicopolitano aptiorem invenit. Sed cum Sedes Raguſina ob mortem Archiepiſcopi vacaret, Nicolaum expetitum a Senatu & populo Raguſino Clemens XIII. huic Metropoli Antiſtitem præfecit an. 1767. Romam profectus Pontifici & Sacræ Congregationi rerum ab ſe geſtarum rationem reddidit, ac valde probavit, & utrumque de ſtatu rei Chriſtianæ in Bulgaria accuratiſſime docuit. Summis laudibus, & multis beneficiis cumulatus ex Urbe diſceſſit. Raguſium venientem Capitulum & Clerus, totaque civitas obviam effuſa ingenti gaudio & honore accepit. Pontificatum bonis initiis orſus, quam de ſe animis omnium injecerat exſpectationem, non explevit modo, ſed etiam ſuperavit. Alienus ab omni faſtu & elatione, mira erga ſummos & infimos affabilitate, ſingulari omnibus benefaciendi ſtudio, indefeſſa curarum paſtoralium ſollicitudine civium omnium æque benevolentiam ac venerationem ſibi conciliavit. In primis illi cordi fuit cultura & diſciplina clericalis. Clerici in Theologia morali ut potiſſimum erudirentur, enixe ſtuduit. Multa egregie perfecit, decrevitque; præſertim cum anno 1776. quo ſollemnis Jubilæi ſupplicatio in univerſam Eccleſiam indicta fuit, non uſitatum, piiſſimumque morem induxit publice excolendi ſacris D. Ignatii exercitationibus Presbyteros Raguſienſes in Ædem Cathedralem collectos. Aſperiorem locorum difficultate diœceſis ſuæ partem inviſit, Sacerdotum quorumdam adjutus miniſterio, quorum flagrans erat ſtudium in ſalutem animarum, eoque ipſe flagrantiori incenſus Laguſtæ clerum in ea inſula frequentiſſimum octo continuos dies, cum ibi adeſſet, cæleſtis doctrinæ pabulo recreavit. Inter hæc inopinato quidem conſilio Archiepiſcopatum abdicavit an. 1777. ut vicariam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ curam ſuſciperet, quam ſumma omnium approbatione, & ingenti animarum lucro geſſerat ante adeptam Archiepiſcopi dignitatem.

deinde Raguſinus.

Quædam ejus acta.

& Archiepiſcopatus abdicatio.

GREGORIUS ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS LXXXIII.

Gregorius Lazari Monachus Benedict. Congreg. Melit. Præſes, Archiep. Rag.

Honeſtis, & ſatis opulentis parentibus Antonio Lazari, & Catharina Boſcovichia civibus Raguſinis ortus eſt in urbe anno 1723. Cum decimum ſextum ætatis annum attigiſſet, familiæ Benedictinæ nomen dedit politioribus litteris jam excultus; ibique adeo pietate, ac divinarum humanarumque rerum ſapientia profecit, ut Sacra Congregatio Epiſcoporum ac regularium Ordinum præſes de illius virtutibus monita ab Angelo Franco Antiſtite Raguſino, & a Cœnobiarcha Beccario, qui Monaſterium Lacromenſe ſui Ordinis auctoritate inviſerat, Gregorium regimini Cœnobii S. Andreæ in pelago ultro præpoſuerit an. 1741. Annos fere ſexdecim hac præfectura perfunctus, & in generali conventu Congregationis Benedictinæ Melitenſis Cœnobiarcha creatus principis S. Mariæ Melitenſis Monaſterii an. 1757. ſumma cum prudentiæ ac vigilantiæ laude præfuit decem annorum curſu; cum anno demum 1767. & totius Congregationis præfecturam, & Cœnobii Jacobæi in agro Viſcgniza adminiſtrationem cunctis Monachorum ſuffragiis adeptus eſt; ac utrumque munus ac dignitatem ad annum 1776. perhonorifice retinuit; quæ Pii VI. Pontificis juſſu in alterum pene quinquennium illi prorogata fuerunt. Habeo Pontificias litteras, quibus & Gregorii merita comprobantur, & dignitas confirmatur, in hanc ſententiam exaratas,

Digitized by Google

Pius PP. VI.

Pii VI. ad cum litteræ.

Dilecte fili, sal. & ap. bened. Religionis zelus, vitæ ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, super quibus apud nos fide digno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Nobiles viri Senatus Reipublicæ Ragusinæ, quod tu, qui (ut asseritur) Monachus expresse professus Ordinis S. Benedicti Congregationis Melitensis nuncupatæ, ac Præses dictæ Congregationis & Abbas Monasterii S. Jacobi Civitatis vel Diœcesis Ragusinæ existis, fere a decennio munus Præsidis & Abbatis ejusdem Monasterii obtines, in quo sane munere juxta regulas præscriptas seu approbatas die XVII. Novembris MDCCXLI. a Congregatione tunc existentium San. Rom. Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum confirmari minime potes absque speciali nostra & hujus Sanctæ Sedis dispensatione, seu indulto; verum quia in munere hujusmodi clara nimis argumenta præstitisti sollicitudinis & diligentiæ tuæ in regulari observantia conservanda, atque fovenda, simulque in sedula rerum Congregationis & Monasterii hujusmodi administratione, hinc dicti exponentes utilitatem & bonum Monasterii hujusmodi & Congregationis quam maxime exoptantes, te ad aliud quinquennium in officio Præsidis generalis & Abbatis Monasterii prædicti, quod actu exerces, per nos confirmari plurimum desiderant; nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur laudabilibus exponentium votis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, ac te specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, te in præfato Præsidis ejusdem Congregationis, atque Abbatis præfati Monasterii officio ad quinquennium ab ultima die memorati decennii computandum cum omnibus, & singulis privilegiis, auctoritate, facultate, præeminentiis, prærogativis, gratiis, & indultis ac honoribus & oneribus solitis & consuetis auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus; tibique idem Præsidis generalis, & Abbatis officium ad quinquennium hujusmodi prorogamus, & extendimus ac ampliamus. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, aliisque arbitrio nostro imponendis pœnis omnibus & singulis d. Congregationis Monachis & personis, cæterisque, ad quos spectat, & spectabit in futurum, ut te in dicto Præsidis generalis & Abbatis officio, ejusque libero exercitio juxta tenorem præsentium continuare sinant & faciant, tibique in omnibus idem officium concernentibus faveant & assistant, pareant & obediant respective: decernentes ipsas præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere ac fore, suosque plenarios effectus integros sortiri & obtinere; ac tibi in omnibus & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis & Congregationis hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ apud S. M. Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIV. Augusti MDCCLXXVI. Pontificatus nostri an. secundo.

I. Card. de Comitibus.

Hisce litteris auxit animum Gregorius, eoque ferventius curam sollertiamque omnem contulit ad explendas suorum munerum partes; nihil enim a se prætermitti passus est, quo Monachorum disciplina integra servaretur, ac floresceret, ipsique Monasteriorum redditus ac proventus in majus eorumdem commodum, & Congregationis ornamentum fierent copiosiores, sedula agrorum cultura, & provida bonorum administratione. Sed vix annum transegerat, cum, abdicato jam a Nicolao Pugliesio Archiepiscopatu Ragusino, cunctis Senatus suffragiis, summoque civium favore ac plausu ad hanc Ecclesiam regendam expetitus est; tanta enim erat apud omnes ordines de illius probitate sapientiaque existimatio, tam certa præbuerat suarum virtutum, & singularis in aliis regendis prudentiæ specimina dederat, ut nemo aptior huic oneri, nemo hoc honore dignior visus sit Reipublicæ Patribus. Quare mense Novembri anni 1777. Romam illico pergens ad Pontificem & perhonorifice exceptus & Episcopali consecratione donatus fuit: unde Ragusium reversus an. 1778. solemni pompa rituque suam Ecclesiam adivit IV. Id. Martias, cujus possessionem paullo ante acceperat per Marinum Ragninam ÆDis Cathedralis Archidiaconum.

Fit Archiepisc. Ragusinus.

Statim ab inito Archiepiscopatu pastoralem sollicitudinem ad sui gregis utilitatem convertit, & qua verbis, qua exemplo, instruere, hortari, monere, suaque præsentia invisere ac solari non destitit; quin & copiosa erogata pecunia ampliori Cathedralis Ecclesiæ decori ac ornamento providit. Sed hærebat animo sui Ordinis cura, & Melitensis Congregationis, cui hactenus præfuerat, quæque, magis magisque imminuto in dies Monachorum numero, ne brevi esset interitura, verebatur; itaque Senatus consensu, atque auctoritate id sibi a Pontifice postulandum censuit, ut Melitensem Præfecturam, quam gerebat, ita retineret, dum, rebus in meliorem spem constitutis, totius Ordinis bono, atque alumnorum incremento, tum Congregationis ejusdem firmitudini consultum foret. Annuit Pontifex, jussitque præterea, ut Pontificio nomine ac potestate Monasteria singula ditionis Ragusinæ inviseret; tempus tamen prorogatæ præfecturæ arbitrio Romanæ Sedis definiendum decrevit, ut in voluntate Pontificis esset, terminum eidem imponere, idque muneris in alium quempiam conferre. Hæc Pontifex litteris hujusmodi.

Pius

Digitized by Google

Pius PP. VI.

Præfectura Melitensis a Pontifice prorogatur.

Venerabilis Frater, Salutem & Apostolicam benedictionem. Alias nos, nempe die XXIV. Augusti MDCCLXXVI. opportune consulturi utilitati ac bono Ordinis S. Benedicti Congregationis Melitensis nuncupati & Monasterii S. Jacobi Civitatis Ragusinæ ad preces dilectorum filiorum Nobilium virorum Senatus Ragusini, hujus Ordinis prorogationem, ac restaurationem summopere exoptantium, non obstantibus præfati Ordinis ac Monasterii regulis præscriptis seu approbatis die XVI. Novembris MDCCXLI. a Congregatione tunc existentium sanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum, te ad quinquennium in munere Præsidis generalis, & Abbatis Monasterii præfati ob jugiter a te præstitam sollicitudinem ac diligentiam in regulari observantia conservanda, atque fovenda; simulque in sedula rerum Congregationis & Monasterii hujusmodi administratione cum omnibus, & singulis privilegiis, auctoritate, facultate, præeminentiis, prærogativis, gratiis, & indultis, ac honoribus confirmavimus. Cum autem nobis iterum exponi fecerint præfati dilecti Filii Nobiles viri Senatus Ragusini, quod cum nuper ad Ecclesiam Ragusinam promotus existas, unde Præsidis Generalis præfatæ Congregationis ac Abbatis præfati Monasterii munus in posterum fungi nequeas, & eadem causæ adhuc durent, quibus jam ad quinquennium præfatum officium tibi prorogavimus; propterea bonum & utilitatem Congregationis & Monasterii hujusmodi plurimum exoptantes, nobis humiliter supplicare fecerunt, ut sibi in præmissis nedum opportune providere, sed etiam eumdem in Visitatorem Apostolicum deputare, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur commendabilium eorumdem exponentium votis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, ac te specialibus favoribus, ac gratiis prosequi volentes, & a quibusvis suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existas, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, te in præfato Præsidis ejusdem Congregationis, atque Abbatis præfati Monasterii officio ad nostri beneplacitum cum omnibus & singulis privilegiis, auctoritate, facultate, præeminentiis, prærogativis, gratiis, indultis ac honoribus & oneribus solitis & consuetis auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus; tibique idem Præsidis generalis, & Abbatis officium prorogamus, ac extendimus, & ampliamus: teque in Visitatorem Apostolicum deputamus. Mandantes præterea in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, aliisque arbitrio nostro imponendis pœnis, omnibus & singulis dictæ Congregationis Monachis & personis, cæterisque, ad quos spectat, & spectabit in futurum, ut te in dicto Præsidis generalis & Abbatis officio, ejusque libero exercitio juxta tenorem præsentium continuare sinant, & faciant, tibique in omnibus idem officium & Visitatoris munus concernentibus faveant, & assistant, pareantque & obediant respective. Decernentes ipsas præsentes litteras firmas, validas, & efficaces existere ac fore; suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac tibi in omnibus & per omnia plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, Ordinis ac Congregationis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die III. Januar. MDCCLXXVIII. Pontificatus nostri anno tertio.

Pro D. Card. de Comitibus
Bernardinus Manicottus substit.

Præterea, quo impensius instaurandæ disciplinæ, & Ordini fere extincto in pristinam formam revocando ipsemet incumbere posset, quin tamen Episcopali muneri ne minimum quidem deesset, hoc ab eodem Pontifice impetravit anno insequenti, ut ipse tyronum sui Ordinis novitiorum moderator esset, quos sanctiora monasticæ vitæ instituta, & perfectiorem divini famulatus regulam ipsemet edoceret: Pontificis decretum hujusmodi est.

Die 3. Julii 1779.

Aliud Pontificis decretum ad Gregor. Arch.

Sanctissimus D. N. audita relatione infrascripti Secretarii, cupiens ea, quæ ad Divinum cultum, & Christianæ religionis augmentum, ac monastici Instituti conservationem & utilitatem ordinata sunt, paterna sollicitudine atque Apostolica auctoritate conservare, restaurare, ac iis, quibus melius fieri potest, modis augere etiam, & amplificare, hinc ne Congregatio Melitana Monachorum S. Benedicti Civitatis Ragusæ, quæ ad serviendum jugiter Deo in spiritu & opere instituta est, ab Monachorum inopia langueſcat, & jaceat, vel, quod Deus avertat, penitus intereat, sed reviviſcat, amplificetur, & creſcat in Domino, Archiepiscopi oratoris ipsius Congregationis olim Monachi, ac per litteras Apostolicas SS. in forma Brevis expeditas Abbatis Præsidentis, necnon Visitatoris Apostolici d. Congregationis, precibus benigne annuit, eidemque Archiepiscopo oratori concessit facultatem, ut munus Magistri Novitiorum ea ratione, quæ eidem ad bonum Congregationis simul, & spiritualem Diœcesis Ragusinæ utilitatem & beneficium magis commoda & opportuna videbitur, per se ipsum exercere possit & valeat cum faculate ipsi tantum, nec alteri cuiquam communicanda minuendi, seu breviandi tempus novitiatus a SS. Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, Concilio Tridentino, & statutis Ordinum vel Congregationis præscriptum, prout ei spiritus & prudentia suggesserit, & magis expedire in Domino judicaverit quibuscumque in contrarium non obstantibus.

L. S. *L. de Comitibus P.*
F. Carrara Secret.

In tot ac tam varias curas intentus nunquam defatigari visus est optimus Præsul, nec ullam tamen mentis aut corporis quietem quærere. Anno 1778. cum Episcopalem lustrationem insulæ

Insulæ Jupanæ lustratio.

sulæ Jupanæ indixisset, eo præmissis duobus Presbyteris, qui Christiana catechesi & sacris concionibus incolas de religione, & divinæ legis præceptis erudirent, ipse præsens lætos ac uberes susceptæ peragrationis fructus tulit: nam præter restitutam clero & populo morum disciplinam, & optimas eidem servandæ leges præscriptas, illius quoque agri bono & tutelæ adversus noxias tempestates sanctissime prospexit. Septemdecim fere abhinc annis tota insula crebris grandinibus aliisque e cœlo calamitatibus divexabatur, quæ segetes, & omnes late terræ arborumque fructus quotannis depopulatæ sunt, unde inopiam frugum, cæterarumque rerum, quæ ad victum pertinent & vitæ cultum, consequi necesse erat. Veriti itaque insulares, ne quo forte communis piaculi, aut anathematis vinculo essent obstricti, eamque ob causam vindicem in se supremi Numinis iram experirentur, a Romano Pontifice enixe impetrarunt, ut summa qua præditus est potestate plenam cujusvis Ecclesiasticæ pœnæ absolutionem impertiri sibimet concederet; ita enim, & debita suorum criminum pœnitentia cum Deo in gratiam reconciliati sperabant, tam gravem tamque diuturnam malorum pestem a pernicie insulæ propulsum iri. Gregorius Archiepiscopus adhuc in insula versabatur, cum Pontificium diploma eo perlatum est, quo expetitæ absolutionis facultas ipsi Archiepiscopo tribuebatur, sive cuipiam, quem is huic muneri destinasset; erat autem in hanc sententiam descriptum.

Pius PP. VI.

Ven. Frater, seu dilecte Fili, sal. & ap. bened. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Universitas & homines Insulæ Giuppanæ Ragusinæ Diœc. illiusque territorii incolæ, quod eorum agri, possessiones & bona quæcumque a copiosa nocivorum animalium multitudine, & præsertim a grandinibus, fulguribus, & tempestatibus, aliisque infortuniis ita infestantur, ut maximum inde Universitati, & hominibus, incolisque præfatis damnum proveniat; cum autem præmissa ob aliquam occultam maledictionem, aut censuras Ecclesiasticas a præfata Universitate, & hominibus, ac incolis, aut aliquibus ex eis forsan incursas evenire possint, ad divinam in primis clementiam confugiendum est. Nos divinam iram peccatis hominum promeritam quotidie crescentem tunc maxime placari posse censentes, cum in publicis necessitatibus contrito corde divinam opem supplices exoramus, Fraternitati tuæ, Frater Archiepiscope, seu discretioni tuæ, Fili Officialis, per præsentes injungimus, ut per te, vel alium in Dignitate Ecclesiastica constitutum a te deputandum, Universitatem, & homines, incolasque præfatas nostro nomine in Domino moneas, & horteris, ut præterita reminiscentes, ac præsentia & imminentia damna considerantes ad Deum devoto & contrito corde convertantur, ac peccatorum suorum veniam humiliter petentes, spiritualibus & temporalibus præsidiis ac assiduis charitatis operibus, & humilibus supplicationibus suam fidem Catholicam, & spem sanctam perveniendi ad gloriam æternam, ac charitatem in Deum, & proximos augere satagant. Porro ut divinam gratiam & peccatorum veniam, necnon, ut quod nunc maxime postulant, promereri valeant, cœlestes Indulgentiarum thesauros, quorum dispensatores in terris a Domino constituti sumus, illis elargiri decrevimus. Igitur eidem Fraternitati tuæ, Frater Archiepiscope, seu discretioni tuæ, Fili Officialis, committimus & mandamus, ut indicto triduano jejunio in insula præfata, illiusque territorio, & facta aliqua publica Processione arbitrio tuo indicenda, aliqua publica eleemosyna in pauperes erogata, exponentes præfatos a quibusvis maledictionis, aliisque censuris, pœnisque Ecclesiasticis etiam contentis in Bulla Cœnæ Domini legi solita, per eos aut eorum antecessores ignoranter forsitan incursis, Auctoritate Apostolica hac vice dumtaxat per te, vel alium a te deputandum, ut præfertur, absolvas, ac eos eorumque personas, agros, possessiones & bona quæcumque ex parte Omnipotentis Dei, & nostra benedicas, animalibus vero nocivis præfatis, seu spiritibus immundis eis in damnum exponentium utentibus, ne agros, possessiones, & bona præfata perturbent, infestent, aut eisdem nocumenta aliqua inferant, sed fugiant a facie Sacrosanctæ Crucis, quam illis ostendes, & maleficia sua ad gloriam Domini nostri J. C. relinquant, ex parte ejusdem & nostra præcipias, & mandes. Ac propterea omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, qui Dominica, aut alia die post expletum jejunium a te statuenda Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, & Ecclesiam a te præscribendam devote visitaverint, ibique pro avertendis hujusmodi calamitatibus, aut alias, prout unicuique suggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino auctoritate Apostolica concedas. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris 23. Decembris MDCCLXXVII. Pontificatus nostri anno tertio.

Pro Domino Cardinali de Comitibus
Bernardinus Manicottus substitutus.

Itaque iis omnibus rite expletis, quæ Pontifex jusserat, Gregorius habitu rituque pontificali innumeram pœne incolarum turbam, qui undique confluxerant, solemni absolutione impertiit; & cunctis animo faventibus conceptam deprecationis formulam in omnes aeris tempestates & noxias frugibus bestias pronuntiavit, totique insulæ, quam sacro pulvere Roma delato hac illac voluit inspergi, fausta omnia ac læta, præeunte sacerdotum ac ministrorum choro, bene precatus est. Ragusium reversus nihil unquam sibi potius duxit, quam ad sui Ordinis, suæque Ecclesiæ regimen se totum impendere, & omnium utilitati providere. In his sedulo sancteque persequendis eximiæ eluxere animi virtutes, & præclaræ ingenii dotes, quarum ope ac meritis adeptam sibi jamdudum sanctissimam existimationem fovit, auxitque.

Annos fere quatuordecim cum præfuisset huic Ecclesiæ, gravi morbo correptus pie sancteque vita decessit VI. Idus Januarias anni 1792., & in Æde Cathedrali consueto pro Archiepiscopis funere tumulatus fuit. Obitus Gregorii Archiep.

ALOY-

Digitized by Google

ALOYSIUS ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS LXXXIV.

Aloysius Archiep. Ragusinus an. 1792.

Stagni natus est nobilibus parentibus Antonio Spagnoletto, & Francisca Natalia, XVII. Kal. Januarias anni 1726. Pietate deinde, ac litteris sedulo excultus, & in ordinem ecclesiasticum rite adscitus sacra mysteria primo peregit jam Sacerdos XIV. Kal. Aprilis anni 1751. Nec multo post, quod animo jam ante conceperat, desiderium perfectioris vitæ ineundæ explevit, & in familiam Franciscanam Ragusinæ Provinciæ ut cooptaretur, suo merito obtinuit Nonis Julii ejusdem anni, Michaelis nomine, quod in sacro baptismate ei fuerat impositum, in Aloysium commutato. In ipso tyrocinio pietate, prudentia, ac doctrina cum sese omnibus probasset, eo absoluto Concionatoris munere probe perfunctus est, præsertim Ragusii, qua in urbe quater per sacros & Adventus Dominici, & Quadragenarii jejunii dies dicendi vi & copia non exiguos retulit fructus animorum. Regendis sui Ordinis Cœnobiis aptissimus præter ætatis, & initæ Franciscanæ sodalitatis tempus præstitutum, toti Provinciæ Ragusinæ præesse jussus fuit an. 1761., quo tempore generalibus Ordinis Comitiis Mantuæ interfuit cum dignitate, suamque Provinciam iterum administravit anno 1786. Atque hisce quidem & muneribus & meritis auctum jam fuerat nomen Aloysii, ejusque perspecta virtus, atque doctrina omnium in illum oculos animosque converterant. Quare cum Senatus Ragusinus de novo Archiepiscopo in locum Gregorii eligendo consuleret, unus fuit Aloysius, quem tantæ dignitati parem cunctis suffragiis approbavit pridie Idus Jan. an. 1792., & ut a Pontifice ejus electio rata firmaque haberetur, enixe petivit. Assensus est Pontifex, nulla mora interjecta, Aloysium perhumaniter excepit, Archiepiscopum Ecclesiæ Ragusinæ usitato ritu declaravit VIII. Kal. Aprilis ejusdem anni, & ab amplissimo Cardinali Francisco Xaverio Celada jussit consacrari. Ragusium reversus Aloysius solemni pompa, & effuso totius civitatis plausu sui demum Archiepiscopatus possessionem adiit XI. Kal. Junias; jamque egregia vitæ ac muneris ratione justam sui expectationem æquat, eumque se futurum ostendit, qualem & nobilissimæ hujus Ecclesiæ decus, & amplitudo sui Ordinis, & priorum Antistitum sanctissima recordatio exposcunt.

EPI-

Digitized by Google

EPISCOPI SUFFRAGANEI
METROPOLIS RAGUSINÆ.

EPISCOPI TRIBUNIENSES ET MERCANENSES.

Tribuniæ vocabulum priſcis Geographis ignotum.

QUæ regio inter Naronem & Sinum Catharenſem longe lateque protenditur, in qua ſita eſt Tribunia, eam antiquis geographicis civitatum ac gentium vocabulis refertam invenio: ex his quodnam ſit illud, quo deſignata fuerit civitas & provincia, quæ poſtea Tribunienſis appellata fuit, haud facile dictu eſt. Tribuniæ ſeu Terbuniæ nullus veterum Geographorum ante Conſtantinum Porphyrogenitum mentionem fecit. Plinius Tribulium cum Andetrio conjunxit lib. 3. cap. 22. *In hoc tractu*, ſcilicet Salonam inter, & Jaderam, *Burnum, Andetrium, Tribulium, nobilitatq; populi Romani prœliis caſtella*, nimirum militari in Dalmatiam Tiberii expeditione, de qua Dio Caſſius lib. 56., qui Andetrium *ad ipſas Salonas* conſtituit, *in munita apprime, ac inacceſſa rupe ædificatum, profundis convallibus, & in quibus eſſent torrentes, cinctum*: & in veteri quodam Sponiano marmore legitur, teſte Harduino in notis Plinianis, *Viam Gabinianam ab Salonis Andetrium* apertam, ac munitam fuiſſe. Andetrium vero, de quo fere omnes antiqui Geographi, ex communi ſententia idem eſt atque caſtellum illud, quod nunc Cliſſam vocamus, & ab ruderibus Salonæ quatuor, vel quinque paſſuum millibus diſtat in Boream. Hinc ſi occaſum inter & ſeptemtrionem pergas ad dextrum Verbæ amnis latus, pagum illic exiguum occurrit, cui *Tribuje* nomen corrupto vocabulo, idemque ſane Tribulium Plinii, a quo præter Titium amnem haud plurimum abſunt vetuſta quædam urbis rudera in Buchovizza planitie, ibique Burnum ſitum olim fuiſſe gravis eſt conjectura, quippe locus ultra Scardonam ad Titii dexteram ripam, & mille paſſus circiter viginti quatuor Nedino diſſitus, quos intra fines vetus Burnum continetur in Tabula Peutingeriana. Sane *Burniſtis* in Scardonitano Conventu locum tribuit Plinius lib. 3. cap. 21. eoſque Burni incolas eſſe non dubitamus, quod cap. 22. commemorat; neque recte ſuſpicatur Harduinus Burnum a Burniſtarum urbe, & agro eſſe diverſum: caſtellum enim erat ad veteris Liburniæ fines ultra Scardonam, quæ *Dalmatiæ initium*, ait Plinius, & ad Titium amnem, qui provinciæ utriuſque confinia dividit. Hoc igitur regionis tractu, quæ Salona inter occidentem, & boream procurrit in agrum Jadertinum, cum Andetrium, Tribulium, & Burnum tuto repereris, Tribulium Plinianum a Tribunia noſtra diſtingui oportet, quæ longiſſimo terrarum tractu in ortum abeſt ultra Epidaurum; & Topographus magni Regni Hungariæ profecto erravit, qui Tribulium, ſive Tribunium vetus a Tribunia nec ſitu, nec appellatione diſtinguit. Sed & noſtra corrigenda ſententia eſt, qua in Tomo I. hujus Operis part. 2. prolegom. cap. 5. §. 4. cenſuimus Tribulium Plinianum ultra Naronem rejiciendum inter urbes Illyrici proprii, & urbem illam eſſe, quam *Terbignem* vocant, ipſam nimirum Tribuniam, de qua nunc agimus. Tribuniæ, ſeu Terbuniæ vocabulum huic regioni & civitati a Serblis, gente Slavonica, illatum vel impoſitum fuiſſe exiſtimo, Conſtantinus Porphyrogenitus cap. 34. de Admin. Imperii, Terbunienſes genere Serblos, cum Canalitis populis ejuſdem nationis, in eam regionem Dalmatiæ ſuperioris conjecit, quæ inter Zachlumos, & Diocleenſes, ab occaſu in ortum porrigitur. Nam Serbli, inde uſque a Serblia ſeptemtrionali profecti, cum Dalmatiam omnem mediterraneam a Tilaro uſque ad Drilonem fluvium, expulſis Avaribus, ut ſæpius dictum eſt, conceſſu Heraclii Imperatoris occupaſſent, quatuor partes fecerunt, quarum una obtigit Arentanis ſive Narentanis a Narona civitate nomen adeptis, altera Zachlumis, tertia Terbuniatis & Canalitis, quarta demum Diocletanis, qui a Dioclea, urbe clara in primis, ac pervetuſta, nomen traxerunt. Tribunienſes & Canalitæ loca illa mediterranea incolebant, hi ad meridiem, illi ad ſeptemtrionem, quæ Zachlumitis & Diocletanis interjacent. Eos inter Raguſium & Catharum Porphyrogenitus locavit cap. 30. *A Decateris vero incipit Terbuniæ principatus, porrigitque ſe Raufium uſque; ac verſus montem Serbliæ* (mediterraneæ) *adjacet*. At plura de Terbuniatis, & Canalitis idem Porphyrogenitus cap. 34. *Terbunitarum, Canalitarumque eadem regio eſt; incolæ vero a Serblis non baptizatis* (ideſt Septemtrionalibus) *deſcendunt; qui illic habitarunt ab eo uſque Principe, qui a Serblia non baptizata ad Heraclium Imperatorem confugit, uſque ad Blaſtimerum Serblorum Principem, qui filiæ ſuæ maritum dedit Crainam Belæ Terbuniæ Zupani filium; eumque honoris ergo Principem appellavit, & ut ſui juris eſſet effecit; atque ex illo Phalimeres natus eſt, ex quo Tzutzeneres. Terbuniæ vero Principes ſemper Serbliæ Principi paruerunt; & regio ipſa lingua Sclavorum, locum munitum ſignificat, quandoquidem multæ in ea munitiones ſunt; eſtque ſub ea alia adhuc regio, quæ Canale nuncupatur. Canale vero viam plauſtri Sclavorum idiomate ſignificat; nam propter loci planitiem, ſervitutes omnes plauſtris præſtant. Habent autem tam Terbuniæ, quam Canale oppida, quæ habitantur, hæc, Terbuniam, Hormum, Rbiſena, Lucabete, & Zetlebe.*

Tribunienſes Porphyrogenitus in tertiam Serbliæ Dalmaticæ regionem conjecit.

Terbuniæ & Canalis poſitio & deſcriptio.

Hæc regio ante adventum Serblorum, iiſdem fere, quibus Dalmatia, dominis antiquitus paruit;

Digitized by Google

Antiquiores utriusque regionis domini Imperatores Romani, & Graeci.

runt, videlicet Græcis, Liburnis, Celtis. Gentio postremo e natione Celtica Rege Illyriorum a Romanis devicto, in fidem potestatemque Populi Romani concessit. Post Romanam Monarchiam constitutam, primum Romanis, deinde Constantinopolitanis Imperatoribus subjecta fuit; nisi quod quinto sæculo exeunte imperium Gothorum accepit retinuitque usque ad Justinianum, qui anno primo belli Gothici, Æræ vulgaris 533. Salonam, cum reliqua Dalmatia fere omni, præter regionem Prævalitanam, Gothis eripuit. Sæculo septimo Heraclius Imperator, ut Chrobatis inferiorem, sic Serblis superiorem Dalmatiam mediterraneam habitandam tradidit. Hanc Serbli quadripartito divisam incoluerunt, partem unam Arentani, alteram Zachlumi, tertiam Tribunienses cum Canalitis, quartam Diocletani. Quemadmodum Arentani, Zachlumi, & Diocletani, sic Tribunienses, & Canalitæ, suos e sua gente Rectores, seu Jupanos habebant, qui tum Regibus Serbliæ universæ, tum Imperatoribus Græcis annuum tributum pendebant. Sæculo nono, cum Michael cognomento Balbus, patria Amoreus, rerum potiretur, Imperium adeptus anno 820. ut Dalmatæ maritimi, & Chrobati, Serblique omnes, sic Tribunienses a Græcis defecerunt, atque in libertatem se vindicarunt, quam per annos fere quadraginta cum retinuissent, Basilio Macedone imperante, sub imperium Orientis redierunt. Jupani seu Rectores Tribuniæ ante sæculum nonum mihi sunt ignoti. Sæculo nono vergente quatuor a Constantino Porphyrogenito commemoratos invenio, *Belam*, *Crainanum*, *Phalimerem*, *Tzutzemerem*. Blastimerus Rex Serbliæ mediterraneæ, sive Mœsiæ superioris, ille qui bellum gessit cum Presiamo Rege Bulgarorum, ut est apud Porphyrogenitum cap. 32, dum rerum in Oriente potiebatur Basilius Macedo, anno circiter 870. filiam suam nuptum dedit Crainano filio Belæ Jupani Terbuniæ, eamque Archontis titulo decoravit. Sæculo igitur nono, & decimo principatum in Tribunia & Canali obtinuerunt *Bela*, hujus filius *Crainanus*, nepos *Phalimeres*, pronepos *Tzutzemeres*, ex Porphyrogenito; post Tzutzemerem, sæculo decimo & undecimo Boleslavus filius Prædimiri Regis Serbliæ, deinde Dragimirus filius Chuclimini itidem Regis Serbliæ, ut docent Presbyter Diocleates, & Maurus Orbinus, Dobroslavus filius Dragimiri, Rex Serblorum, anno circiter 1040. moriens, quinque filios ex se reliquit, qui cum divisum a patre regnum accepissent, Goyslavus & Prædimirus in Tribunia regnarunt, quibus interfectis, Tribunienses Domanecho principatum detulerunt; quem Rodoslavus frater Goyslavi & Prædimiri necavit, sibique Tribuniam vindicavit, & insuper Zentam ad suam ditionem adjunxit, quam eidem Michala seu Michael frater, Regnum Serblorum adeptus, eripuit; Tribuniam tamen retinuit; ibique mortuus est, & in Æde S. Petri *de Rascia* sepultus fuit. Hæc Presbyter Diocleas, & ex eo Maurus Orbinus. Hanc regionem deinde tenuerunt, vel ipsi Reges Serbliæ, vel horum fratres, aut filii usque ad Rodoslavum postremum e prosapia illorum Regum, sive Dynastarum, quorum primus e Serblia septemtrionali profectus ab Heraclio Imperatore sedes sibi suisque in Dalmatia superiori, itemque in Mœsia superiori impetravit. Rodoslavus Regnum in Serblis obtinuit anno 1157. Ab eo cum plerisque Procesibus defecit Desa filius Uroscii Jupani Rasciæ, is, a quo Gens Neemania præpollens opibus atque armis originem traxit; & Zentam primum & Tribuniam Rodoslavo, deinde Regnum totius Serbliæ ademit, quod ad filios & nepotes jure hæreditario transmisit. Reges ac Principes e stirpe Neemania Tribuniam in sua potestate retinuerunt. Ex his Stephanus frater Vulcani Regis, qui sæculo decimo tertio ineunte rerum in Serblia potiebatur, in suis ad Honorium III. litteris ad regios titulos, quos sibi adscripsit, unum adjunxit, sumptum e Tribunia: *Stephanus Dei gratia Servia, Diocliæ, Tribuniæ, Dalmatiæ, atque Ochlumiæ Rex coronatus*. Post Regnum Serbliæ cum familia Neemania extinctum sæculo decimo quarto, Tribunia ad alios ex aliis dominos migravit, qui finitimis in regionibus dominabantur, inter quos fuerunt Duces S. Sabæ, & Cernagoræ, sive Montis nigri, Comites Chelmenses, Comites Zentæ, itemque Bani, & Reges Bosinæ. Sæculo decimo quinto hos Tribuniæ Comites sive Toparchas fuisse invenio, Paullum Christichium, quem Stephanus Dabiscia Rex Bosinæ, ob insignia ejus erga se merita, Tribuniensi principatu donavit sæculo decimo quarto exeunte; Petrum sive Radoslavum anno 1415., hujus filium Paullum Jablanovichium an. 1430., Stephanum Thomassum Pauli filium, cui Proceres Bosnenses anno 1443. regnum detulerunt, & hujus ex thoro non legitimo filium, Stephanum itidem Regem Bosinæ an. 1458., quem Turcæ vita & regno spoliarunt anno 1463. Non desunt qui Tribuniam aliquando paruisse Reipublicæ Ragusinæ asserunt. Demum in potestatem Turcarum concessit, cui vel invita etiamnum subest.

Post adventum Serblorum Terbunienses & Canalitæ Rectores e sua gente habuerunt,

deinde Reges universæ Serbliæ, vel eorum fratres aut filios;

quibus extinctis, Tribunia ex aliis ad alios dominos migravit,

Nunc subest Turcarum Imperio.

Sunt qui Tribuniam in Comitatu Chelmensi, sive in Ducatu S. Sabæ, sunt qui in Bosina, sunt qui in Rascia constituunt; tum quia illis regionibus erat finitima, tum quia Reges seu Dynastæ earumdem regionum Tribuniam ad suum imperium alii aliis temporibus adjunxerant. Nunc his terminis definitur. Qua in occasum spectat, prope ad Chelmensem Comitatum initium ducit, & ad sinum usque Rhizonicum in orientem prorenditur; a septemtrione fines Herzegovinæ, a meridie Ragusinam ditionem attingit. Canalis regio est quæ nunc ad Rempublicam Ragusinam pertinet; Tribuniæ subest ad meridiem; & montibus ad Boream clausa inter Epidaurum, & sinum Rhizonicum millia passuum fere triginta in longitudinem porrigitur; ejus latitudo passuum millibus circiter quatuor patet. Hanc cum Tribunia Porphyrogenitus conjunxit, & utriusque Terbuniatis & Canalitis urbes omnino quinque attribuit; videlicet Terbuniam, Hornem, Rhisenam, Leucabetem, & Zetlebem. Terbunia & Rhisena, idest Rhizinium adhuc extant; reliquarum ne vestigia quidem supersunt.

Tribuniæ provinciæ descriptio,

& urbis situs, ac dignitas antiqua.

Tribunia civitas, a qua tota regio denominata est, cum totius gentis caput sit ac princeps, alias Terbunia, alias Triburia, alias Tribunium nunc vulgo *Trebigne* appellari solet. Urbem hanc alluit amnis Tribunius, qui nomen vel civitati dedit, vel ab ipsa accepit; Trebiscgniza indigenæ vocant. Hic Popovi vallem interfluit, ex qua egressus urbem ipsam præterluit in septemtrionem vergens, deinde Herzegovinam versus in lacum definit ad oppidum Bilechiam. Tribunia olim numero incolarum, copiis & divitiis florebat, & aliquando regiæ civitatis titulum dignitatemque obtinuit.

Digitized by Google

nuit. Nam cum Paullimirus Roma in Dalmatiam profectus anno circiter 870., ut avitum regnum recuperaret, ad portum Gravosæ appulisset, ingens ex tota fere Serblia concursus ad eum est factus, & magna omnium gratulatione lætitiaque Tribuniam deductus, ibi solemni pompa & plausu regium diadema suscepit, suamque & regni Serbliani sedem in eadem urbe constituit; atque ibidem vita functus perhonorifice sepultus fuit in templo S. Michaelis totius oppidi primario. Tiescimirus filius posthumus Paullimiri, cujus tutelam cum regni administratione mater suscepit, Tribuniæ itidem regnavit. Cum ab eo Serblia fere tota præter Tribuniam desciviſſet, ætatem regno maturam ideptus, cæsis victisque perduellibus, regnum recuperavit, atque apud Tribunienses, qui fidem illi servaverant, sedem regalem retinuit. Hæc Presbyter Diocleates & Maurus Orbinus. Ad hunc fortasse regium statum atque honorem, ad quem antiquitus evecta fuerat hæc civitas & provincia, respexit Callistus III., cum in suis ad Geraldum Archiepiscopum Ragusinum litteris *Tribuniæ regnum* nominavit. Post Tiescimirum nomen quidem & regium decus amisit Tribunia; sed tamen veteris amplitudinis & splendoris non parum sub Regibus Serbliæ & Dynastis illarum regionum, itemque sub Banis & Regibus Bosinæ eidem reliquum fuit. Verum postquam sub imperium ditionemque Turcarum cecidit, ab antiqua excelsaque fortuna ad inclinatam & prope jacentem sic descivit, vix ut deterioti statu esse possit.

Rei Christianæ apud Tribunienses initia, & Episcopatus.

Ut ceteri Dalmatiæ populi, sic etiam Tribunienses inde usque a principio Christiani nominis ab ipsis Apostolorum discipulis edocti verum Deum & Christum humanæ salutis vindicem coluerunt; & res Christiana in iis locis eadem, quas in finitimis regionibus, injurias & vexationes ab Ethnicis, hæreticis, & schismaticis illatas sustinuit, eumdemque alias adversum, alias prosperum cursum tenuit. Huc revoca, quæ diximus in proœmio ad historiam Ecclesiæ Zachlumiensis & Corcyrensis. Primordia Tribunensis Episcopatus ignota sunt; neque illius indicia, sive argumenta ante sæculum nonum apparent. Ab sæculo nono usque ad decimum quartum quatuor tantum Episcopos habeo, & quidem longo annorum intervallo alios ab aliis disjunctos, quos nominatim proferre possim. Ita quingentorum annorum Episcopos partim Episcopalia interregna Ecclesiæ Tribunensi ademerunt, partim vetustas & oblivio notitiæ posterorum præripuit. Ad initio autem sæculi decimi quinti continuatio seriesque Antistitum Tribunensium nullis lacunis interrupta ad nostram ætatem pervenit. Ædes cathedralis titulo cultuque S. Michaelis Archangeli consecrata fuit. Erant in urbe alia templa, sive sacella, quorum pleraque barbaries & superstitio Turcarum aut evertit aut inquinavit. Extat perantiquum ac celebre Monasterium, quod a Constantino nescio quo sive Imperatore Orientis, sive fratre Neemanis Regis Serblorum, sive Episcopo Tribunensi ædificatum ferunt. A monachis disciplinæ Basilianæ, rituque Græci cultoribus, habitatur.

Hujus diœcesis,

Diœcesis Tribunensis ab occasu Maccarensis, a septemtrione Bosinensis, ab ortu Rhizinensis, a meridie Stagnensis & Ragusini Episcopatus fines attingit. Quatuor dierum itinere, ut in litteris ad Sacram Congregationem superiori sæculo datis reperio, in longitudinem protenditur. Regio magna ex parte montuosa est, sterilis, inculta, præsertim cum bellum Peloponesium, quod Veneti cum Turcis gesserunt, locis illis late vastitatem intulerit. Castris, vicis, villisque non paucis frequentissime colitur. In ea valle, quæ urbi subest a meridie ad occasum vergens, & Tribunio amne interluitur, aliquot extant castella idoneo loco ad eam vallem muniendam constituta, & pagus incolis vicisque frequentissimus, quem *Popovum* vocant; ibique visitur Cœnobium alterum Basilianum ritus Græcanici. Catholici inter schismaticos & Turcas habitant ferme ad terna millia & septingentos. Viginti sunt Catholicorum Ecclesiæ, quibus annexa est procuratio animarum, sed propter vetustatem male materiatæ, & propemodum ruinosæ; at multo pauciores Parochi, quibus illarum administratio committitur, aliis plurium, aliis pauciorum. Episcopalis palatii in urbe ne vestigium quidem supereſt. Episcopus Ragusii domicilium sibi constituit; ex eaque urbe utilitati commodisque gregis sibi concrediti invigilat & consulit, opportuna subsidia eidem subministrat, & statis temporibus diœcesim lustrat: e diœcesi Tribunensi nullos stabiles ac certos proventus percipit, & præter centum argenteos annuos e scopulo Mercanensi, de quo infra, nihil aliunde illi ad victum cultumque suppeditat. Ecclesia Episcopalis Tribunensis alias Diocletano, alias Ragusino, alias Antibarensi Metropolitis paruit; nunc subest Ragusino. Episcopi Tribunienses simul & Mercanenses, quos vetustas & oblivio reliquos fecit, hi sunt.

ac Ragusino Metropolitæ subjectio.

I. Joannes an. circ. 870.
II. Constantinus an. circ. 1143.
III. Salvius an. 1245.
Nicolaus Episc. Mercanensis I. solum an. 1322.
IV. Bonifacius an. 1344.
V. Joannes II. post an. 1344.
VI. Joannes III. an. 1349.
VII. Matthias an. 1355.
VIII. Franciscus an. 1370.
Dessa Episc. Mercanen. II. ante an. 1378.
Ratkus Episc. Mercan. III. ante an. 1385.
IX. Joannes IV. & Mercan. IV. an. circ. 1389.
X. Jacobus, & Mercan. V. an. 1391.
XI. Joannes V. & Mercan. VI. an. 1417.
XII. Dominicus, & Mercan. VII. an. 1425.
XIII. Joannes VI. & Mercan. VIII. an. 1435.
XIV. Michael, & Mercan. IX. an. 1436.
XV. Basilius, & Mercan. X. an. circ. 1460.
XVI. Blasius, & Mercan. XI. an. 1464.
XVII. Blasius II. & Mercan. XII. ante an. 1481.
XVIII. Donatus, & Mercan. XIII. an. 1481.
XIX. Georgius, & Mercan. XIV. an. 1493.
XX. Georgius II. & Mercan. XV. ante an. 1499.
XXI. Augustinus, & Mercan. XVI. an. 1513.
XXII. Franciscus II. an. 1520.
XXIII. Franciscus III. & Mercan. XVII. an. 1527.
XXIV. Thomas, & Mercan. XVIII. an. 1532.
XXV. Jacobus II. & Mercan. XIX. an. 1563.
XXVI. Simeon, & Mercan. XX. an. 1575.
XXVII. Thomas II. & Mercan. XXI. an. 1606.
XXVIII. Ambrosius, & Mercan. XXII. an. 1609.

XXIX.

Digitized by Google

XXIX. Chryſoſtomus, & Mercan. XXIII. an. 1615.

XXX. Savinus, & Mercan. XXIV. an. 1647.

XXXI. Scipio, & Mercan. XXV. an. 1663.

XXXII. Antonius, & Mercan. XXVI. an. 1669.

XXXIII. Antonius II. & Mercan. XXVII. an. 1703.

XXXIV. Franciſcus Hieronymus, & Mercan. XXVIII. an. 1727.

XXXV. Sigiſmundus, & Mercan. XXIX. an. 1733.

XXXVI. Anſelmus, & Mercan. XXX. an. 1760.

XXXVII. Nicolaus II. & Mercanen. XXXI. an. 1792.

JOANNES EPISCOPUS TRIBUNIENSIS I.

Joannes Epiſc. Tribunienſium Paullimirum poſſeſſionem Regni Serbliani adeuntem excepit, ac Tribuniam deduxit.

SI qui ante hunc Epiſcopi Tribuniæ fuerunt, eorum acta & nomina vetuſtas obruit, oblivio abolevit. Hic nobis non aliunde, niſi ex teſtimonio Ludovici Tuberonis Abbatis Melitenſis, & Seraphini Razzii, cognitus eſt: uterque eum nominant *Joannem* Epiſcopum *Tribunenſem*, vel *Tribulienſem*, Tubero quidem lib. V. *Commentariorum ſui temporis*, Razzius vero lib. 1. cap. 7. *Hiſt. Raguſ.* Joannes Epiſcopus Tribunienſis, ut illi tradunt, Paullimiro Roma venienti anno circiter 875, cum ad portum Gravoſiæ appuliſſet, obviam proceſſit cum Optimatibus, & Proceribus Regni Serbliani, eumque ingenti Serblorum comitatu Tribuniam deduxit; qua in urbe magna omnium lætitia & gratulatione regium diadema ſuſcepit, avitamque poſſeſſionem Regni patrum ſuorum adivit. *Paullimirus*, ait Tubero, *poſtquam in Dalmatiam appulit in portu, qui circiter XIII. ſtadiis ab urbe Raguſa abeſt, quem incolæ Gravoſium nuncupant, eo loci a Joanne Tribunenſium Pontifice, Regnique Proceribus, qui officii cauſa obviam novo Regi frequentes progreſſi erant, lætis animis, ſummoque honore eſt exceptus, atque in oppidum Tribunium, quod ſane ea tempeſtate, pro captu Illyrico, ſatis erat opulentum, deductus, quo ibi, inſignibus de more acceptis, regnum iniret. Hinc enim Boſſinatum* (id eſt Serblorum) *Reges, qui eam partem Dalmatiæ obtinebant, imperium auſpicabantur, & fortunæ inſignia tunc excipiebant.* Eadem fere aliis verbis Razzius confirmat: uterque ex Commentario Presbyteri Diocleatis, quod *Regnum Sclavorum* inſcribitur. Sed unde nomen & Epiſcopatum Tribunienſem Joannis acceperint, cum Diocleates utrumque tacitum præterierit, mihi non eſt compertum. Si ergo Ludovico Tuberoni, & Seraphino Razzio fides habenda eſt, nec video cur haberi nequeat, hic primus fuit Epiſcopus Tribuniæ, cujus nomen proferre poſſimus. Cum Paullimiri adventus in Dalmatiam ad ſæculum nonum pertineat, huic etiam ſæculo Epiſcopatus Joannis innectendus eſt. Cæterum his temporibus Epiſcopatum Tribunienſem viguiſſe, aut certe inſtitutum fuiſſe conſtat ex Concilio generali Delmitano, quod poſt adventum Paullimiri habitum fuit anno 877, ut dictum eſt Tomo III. Illyr. Sac. in Georgio Archiepiſcopo Spalatenſi. In hoc enim Concilio, cum Dioclætana Eccleſia Epiſcopalis jure ac titulo metropolitico aucta fuiſſet, has illi Eccleſias attributas invenio in Actis ejuſdem Concilii apud Presbyterum Diocleatem, *Antibarium*, *Svacium*, *Scodram*, *Driviaſtum*, *Pollegum*, *Sorbium*, *Boſonium*, *TRIBUNIUM*, *Zaculmium*. Niſi ad hanc Synodum referenda ſint initia Epiſcopatus Tribunienſis, quem antea, ſi Razzio & Tuberoni credimus, ſtetiſſe oportet, priuſquam in poteſtatem Archiepiſcopi Dioclenſis migravit, intra fines Spalatenſis, vel Scodrenſis, vel etiam Raguſinæ, ſi hæc antiquior fuit ſæculo nono, Metropolis & Provinciæ continebatur. Siquidem ante Metropolim Dioclætanam nulla erat Sedes metropolitica in Dalmatia; niſi quæ apud Spalatum, quæque apud Scodram, vel fortaſſis apud Raguſium, in omnibus Eccleſiæ Dalmatiæ dominabantur. Epiſcopatus Tribunienſis ab Joanne ſuſcepti, ut tempus non eſt ſatis certum, ſic ejuſdem ab illo cum vita relicti annus eſt incertus. Paullimirus quidem vitam & regnum perduxit uſque ad annum circiter 914; & Tribuniæ in Æde Cathedrali S. Michaelis Archangeli honorifice tumulatus fuit; utrum vero Joannes, adhuc ſuperſtes, ejus regio funeri interfuerit, id quoque in incerto poſitum eſt.

Epiſcopatus Tribunienſis Metropoli Dioclætanæ attributus.

Ab Joanne primo Tribunienſium Epiſcopo, & initio ſæculi decimi, uſque ad ſæculum duodecimum, & Conſtantinum Epiſcopum Tribuniæ ingens annorum circiter quadraginta ſupra trecentos lacuna intercedit, quæ omnes longiſſimi hujus intervalli Epiſcopos, cum eorum actis & nominibus, abſorbuit. Vix dubitare poſſum, quin per eos annos res eccleſiaſtica Tribunienſis iterum ac ſæpius ad interregnum Epiſcopale redierit, propter multiplices, & varias converſiones, perturbationeſque rerum publicarum, & bella vel civilia, vel extranea, quæ Reges Serbliæ ac Dynaſtæ tum inter ſe, tum cum Regibus Bulgariæ, & Imperatoribus Græcis geſſerunt. Illis temporibus Eccleſia Tribunienſis ex aliis in alias Provincias migravit. Anno 1023. Benedictus VIII. in ſuis ad Vitalem Archiepiſcopum Raguſinum litteris Tribunium Provinciæ Raguſinæ adſcripſit, Epiſtolam longe antiquiorem Zachariæ Papæ, qui ab anno 741. uſque ad 752. Eccleſiæ univerſali præfuit, aſſervari ajunt in publico urbis Tabulario, ejuſque meminit etiam Calliſtus II. in ſuis ad Geraldum Archiepiſcopum Raguſinum litteris. Zacharias igitur, in ea, quam dixi, epiſtola Pallium ad Raguſinum Antiſtitem miſit, inſigne poteſtatis metropoliticæ. Cum illam videre mihi non licuerit, ſcire nequeo quas Eccleſias Pontifex eidem Antiſtiti attribuerit, atque inter illas an forte etiam Tribunienſem adnumeret; ſed ſæculo octavo nondum fortaſſis inſtitutus fuerat Epiſcopatus Tribunienſis. Poſt Benedictum VIII. Alexander II. in ſuis litteris inſcriptis *Petro Ven. Archiepiſcopo Dioclienſis, atque Antibarenſis Eccleſiæ*, datiſque anno 1062. hujus poteſtati metropoliticæ ſubjecit Eccleſiam Tribunienſem, quam Calliſtus II. *Venerab. F. Geraldo Raguſiæ Civitatis Antiſtiti* anno 1121. reſtituit in ſuis ad eumdem litteris. Idem confirmavit Cæleſtinus II, ut eſt apud Jacobum Luccarum in Annalibus Raguſinis lib. 1. pag. 19., qui Diploma Pontificium aſſervari ait in Tabulario S. Mariæ; ſed in eo erravit, quod Diploma illud confectum fuiſſe ſcripſit anno 1141., cum Cæleſtinus non ante annum 1143. Innocentio II. ſubrogatus fuerit. Ex Epiſtolis Papalibus, quas modo laudavimus, illud animadverti velim, Eccleſiæ Tribuniæ illis annis, quibus eædem Epiſtolæ con-

Poſt Joannem Series Epiſcopalis interrupta.

Eccleſia Tribunienſis alias Raguſino, alias Antibarenſi, alias iterum Raguſino Metropolitæ paruit.

ſcriptæ fuerunt, videlicet annis 23. & 62. ſæculi undecimi, & 43. ſæculi duodecimi, ſuos Epiſcopos non defuiſſe; quos, ut alios fortaſſe bene multos illis interjectos, nimia vetuſtas notitiæ poſterorum præripuit.

CONSTANTINUS EPISCOPUS TRIBUNIENSIS II.

Conſtantinus Epiſcopus Tribunien. æqualis Andreæ Archiep. Raguſino.

Maurus Orbinus de Regno Slavorum pag. 247. Epiſcopatum Tribunienſem Conſtantini conjunxit cum Archiepiſcopatu Raguſino Andreæ Lucenſis, qui ab anno circiter 1141. uſque ad annum fere tertium & quinquageſimum hujus ſæculi duodecimi Metropolim Raguſinam gubernavit. Cum enim illud ipſum Diploma commemoraſſet, quod Jacobus Luccarus lib. 1. pag. 19. Cæleſtino II. attribuit, non ſolum eaſdem Eccleſias, quas idem Pontifex Andreæ Metropolitæ Raguſino ſubjectas eſſe declarat, cum eodem Luccaro nominatim percenſet, ſed præterea ipſos nominat Epiſcopos, qui per idem tempus illis Eccleſiis, ſuæ quiſque, præſidebant: Conſtantinum autem Tribunienſi præpoſitum fuiſſe ait, & Diploma illud datum eſſe ad Andream Lucenſem Archiepiſcopum Raguſii. Anno 1154. Borichius Banus Boſinæ a Raguſinis, quibuſcum bellum gerebat, magna clade acceptâ, ad pacem redintegrandam oratore atque interprete uſus eſt Epiſcopo Tribunienſi, ut docent Orbinus pag. 349., Luccarus lib. 1. pag. 30., & quamvis neuter Epiſcopum proprio nomine appellet, dubitari vix poteſt, quin fuerit Conſtantinus, qui ſub Pontificatu Cæleſtini II. & Archiepiſcopatu Andreæ Lucenſis inter annos circiter 1143. & 1153. Eccleſiam Tribunienſem regebat; & nihil obſtat, quo minus ejus Epiſcopatus in annum 1154, cum Borichius regnabat, ultraque perduci poſſit. Conſtantinus igitur in has conditiones pacem compoſuit, ut Banus numerata pecunia ſumptus compenſaret, quos in id bellum Raguſini fecerant; ſimulque ut Commune & Civitatem Raguſienſium inſigni aliquo honorario dono muneraretur, quod Republica Raguſina, ſeque dignum eſſe exiſtimaret. Poſt Conſtantinum ſeries Epiſcopalis iterum ac ſæpius interrupta eſt; & per annos circiter ducentos ſi qui fuerunt Epiſcopi, eorum nomina, rerumque geſtarum memoriam oblivio intercepit: cujus quidem rei cauſſam in illa turbulentiſſima & plena diſſidiorum tempora conferendam cenſeo, cum Reges, & Toparchæ illarum regionum erant fere perpetuo in armis, & vel aliena occupandi, vel ſua recuperandi ſtudio incenſi, acerrime inter ſe pugnabant; plerique vero ſchiſmatica labe infecti obſtabant, ne civitatibus ac provinciis, quas in ſuam poteſtatem redegerant, Epiſcopi Catholici præficerentur; ex quo fiebat, ut Sedes Epiſcopales non raro vacarent. Qui vero fuerunt Epiſcopi, eorum nomina atque acta, inter armorum tumultus, tantaque in converſione rerum ac perturbatione, vel nemo litteris & memoriæ tradidit, vel ſi quæ ſcriptis publicis privatiſve conſignata erant, urbibus atque oppidis vaſtatis, direptiſque, & tabulariis incenſis pleraque interierunt. Licet nunc mihi ſeriem illorum Regum, Dynaſtarum, ac temporum breviter ſtrictimque percurrere, atque uſque ad Regnum Serblianum extinctum & ſæculum decimum quartum perducere. Plures temporibus illis Serbliæ Reges, vel Dynaſtæ, alii ex aliis principatum Tribuniæ obtinuerunt. Deſa filius Vroſcii Jupani Raſciæ, idemque princeps & auctor potentiſſimæ gentis Neemaniæ, cum pleriſque Serbliæ Proceribus, a Radoslavo III. Rege Serblorum ſæculo duodecimo ad exitum vergente defecit; eique Tribuniam & Zentam utramque eripuit, Deinde poſt fratrum ſuorum interitum, Radoslavo expulſo, univerſa Serblia potitus eſt, quam moriens tribus filiis tripartitam reliquit, Neemano, Mitoslavo, & Conſtantino. Sepultum fuiſſe tradunt Tribuniæ in *Eccleſia S. Petri de campo*. Neemanus natu maximus Regnum Serbliæ adeptus, fratribus ſuis Tribuniam, Zentam, aliaſque Serbliani Regni particulas attribuit. Neemano Thiomilus filius ſucceſſit, qui vix annum geſſit imperium; Thiomilo Simeon alter Neemani filius, qui primus ſe Regem Raſciæ appellari voluit; & cum Serblia, Dalmatia ſuperiori & Zachlumia, *Tribuniam* obtinuit. Simeonis filii Stephanus & Vulcanus bipartitum regnum a patre acceperunt; ac Stephano quidem *Tribunia* obtigit; nam ex provinciis, in quibus poſt obitum fratris dominabatur, hunc ſibi titulum adſcripſit in Epiſtola ad Honorium ſummum Pontificem anno circiter 1220: *Stephanus Dei gratia Serviæ, Dioclitæ, TRIBUNIÆ, & Dchlumiæ Rex a Deo coronatus*. Reliqui ex eadem Neemania familia hi ſunt: Neemanes II. filius Stephani, cognomento Crapalus, hujus filius Stephanus II., & ab eo genitus Stephanus III., cognomento Dragutinus, hujus frater Vroſcius Milutinus, Vladislavus filius Dragutini, Stephanus IV. ejuſdem Vroſcii, e thoro non legitimo filius, e quo natus eſt Stephanus V. cognomento Duſciapus, qui titulum Imperatoris Raſciæ & inſignia ſumpſit; ac denique hujus filius Vroſcius II., quocum ſtirps ac gens Neemania interiit anno 1368. Huic vitam & regnum eripuit Ucaſcinus, quo a Turcis acie victo, interfectoque a quodam ephebo honorario an. 1371. regnum Serbliæ extinctum eſt. Ucaſcinus quatuor filios reliquit, quos Turcæ portiuncula quadam donatos cum ceteris Serbliæ & Raſciæ Dynaſtis tributarios ſibi fecerunt. Ita Serblia fere univerſa in Turcarum poteſtatem conceſſit. Sub his, quos nominavi, regibus Serbliæ, vel ſub Dynaſtis, qui vectigal iiſdem Regibus pendebant, Tribunienſes fuerunt; illorum autem plerique Catholicis inimici erant, & bellis fere continuis inter ſe, vel cum extraneis hoſtibus dimicabant.

pacem compoſuit inter Raguſinos & Borichium Boſinæ Banum.

Series Epiſcopalis rurſus interrupta.

Reges Serbliæ qui Tribuniæ dominati ſunt.

Per eadem tempora, dum ſtabat regnum Serbliæ, nihilo pacatior & tranquillior Tribunia fuit a finitimis Boſinæ Banis, ac deinde Regibus, qui ſi non omnes, certe plerique impuriſſimæ Patarenorum ſectæ, quæ in ea regione latiſſime dominabatur, nomen dederant, ejuſque patrocinium ſuſceperant; & cum Stephanus Banus rerum in Boſina potiretur, Boſnenſes, ut eſt apud Orbinum, Tribuniam & Canalium igni ac ferro vaſtarunt. His adde Comites Chelmenſes, quorum aliqui eadem, atque Patareni, impiarum opinionum inſania laborabant. Tribunia autem interdum ad Comitatum Chelmenſem, ejuſque Dynaſtas pertinuit. Cum itaque in illis regionibus res catholica ab hæreticis & ſchiſmaticis divexaretur, & omnia ſeditionum vel hoſtium plena eſſent, & nihil a periculis aut metu vacaret, mirum videri non debet, ſi Eccleſia Tribunienſis propter iniquitatem temporum Epiſcopo identidem careret neceſſe

Eccleſia Tribunienſis ab hæreticis vexata.

cesse fuit; & Episcoporum, quos per eadem tempora sibi præpositos habuit, pleraque nomina in tanta turba & confusione rerum omnium intercideriut. Cetgrum inter hos tumultus, reique publicæ & Christianæ vicissitudines & calamitates non semper suos Ecclesiæ Tribunensi rectores defuisse existimandum est. Anno 1206. Leonardus Archiepiscopus Ragusinus, ut auctor est Joannes Marinus Gundula, tum alias suæ Provinciæ, tum vero Ecclesiam Tribunensem pontificali more rituque invisit: nec tamen id satis argumenti est, per id temporis fuisse, qui sedem hanc Episcopalem obtineret; nam etiam Bosnensem Ecclesiam lustravit, quæ tunc certo Episcopo carebat, ut in historia ejusdem Ecclesiæ dictum est. Unum tantummodo Tribunensem sæculi decimi tertii Episcopum habeo, cujus nomen & memoriam monumenta illorum temporum conservarunt,

Iustratur ab Archiep. Ragusino.

SALVIUS EPISCOPUS TRIBUN. III.

Salvius Episc. Tribun.

Quem alii Slavium vocant, patria Ragusinus, idemque Cœnobita, & Abbas Monasterii Benedictini Lacromensis, ut docent tabulæ ejusdem Monasterii; *Anno Dominicæ Incarnationis* 1245. *die 6. Martii coram vobis subscriptis testibus ego quidem Slavius Abbas Lacromensis Cœnobii cum toto Capitulo Fratrum confitemur &c.* Hunc electum a Canonicis Tribunensibus Joannes Archiepiscopus Ragusinus Venetiis consecravit an. 1245., testibus tabulis tum Cœnobii Lacromensis, tum Archivii Episcopalis Tribunensis Ragusium fortasse translatis, quas citat Sebastianus Dolci in Archiepiscopis Ragusinis Joanne & Salvio. Joannes Archiepiscopus anno illo ad Concilium primum Lugdunense profecturus Venetias se contulerat, Lugduno reversus multas & graves contentiones habuit cum Joanne Metropolita & Episcopis Provinciæ Antibarensis, quos ab sua jurisdictione contra jus fasque abductos esse querebatur. Hi vero Regum Serbliæ & Rasciæ patrocinio freti imperium Metropolitæ Ragusini constantissime abnuebant. Joannes ab Innocentio IV. mandatum impetravit ad Salvium Episcopum Tribunensem anno 1250. quem Pontifex jussit Episcopos illos, de quorum defectione & pertinacia questus fuerat Ragusinus Antistes, ad Curiam Lugdunensem per præconem citare, quo se intra menses octo ad suam caussam agendam conferrent. Paruit Salvius, & anno 1251. mandatum pontificium per presbyterum Designam denunciavit Episcopis Drivastensi, Pulatensi, Scodrensi, Olchinensi, qui Metropolitæ Ragusino subjecti esse nolebant. Ejus acta & litteras de hujusmodi controversia protulimus in Archiepiscopis Ragusinis.

Chrysostomus Antichius Episcopus Tribunensis in suis ad Sacram Congregationem litteris datis an. 1616. auctor est Salvium a Neemane II. Rege Rasciæ, cui Crapulo cognomen fuit, vel potius ab ejus filio Stephano II. sua civitate & Ecclesia expulsum fuisse, propterea fortassis, quod ex mandato Romani Pontificis caussam Ragusini Metropolitæ tuebatur, atque Episcopos, qui ab eo defeciverant, ad ejusdem auctoritatem, anathematis pœna proposita, redire jusserat. In sedem vero Tribunensem idem Rex Episcopum schismaticum intrusit. De Salvio igitur Chrysostomus hoc scriptum reliquit. *Salvius ex Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Ragusinæ in Episcopum Tribun. electus a Canonicis Trib. fuit, & circa annum* 1248. *a schismatico Rege Nemagna sedo sua Tribun. expulsus, & bonis expoliatus Ragusium in tuto se contulit. Tunc enim schismaticus Rex Ragusanos acerbo odio prosequens eos injusto bello oppugnabat frustra: quo tempore idem schismaticus Rex, exturbato Salvio Catholico Episcopo Tribuniæ, schismaticum Episcopum sibi faventem intrusit. Hinc diœcesis Tribun., quæ late patet & protenditur, inter Catholicos schismaticosque divisa; quam diœcesim intrusione occupavit & obtinuit schismaticus Episcopus. Reliquiæ tamen Catholicorum intermistæ schismaticis in Trebigne, Cicevo, Ciubomir, Dracevizza, Popovo, & Sazabia per totam diœcesim perseverarunt. Hæc autem constant partim ex processu authentico facto jam circa annum Domini* 1252., *qui in Archivio Sacelli Reliquiarum Cathedralis Ecclesiæ Ragusinæ reperitur & conservatur, partim ex constanti & certa traditione.* Sed errat Antichius, cum Salvium Canonicis Ecclesiæ Ragusinæ adnumerat; annus vero, quo is dicitur ab Episcopatu depulsus, consignandus est 1251. vel insequens, si denunciatio mandati pontificii Episcopis illis per eum facta in caussa fuit, cur ea sede ab schismatico Rege dejiceretur. Itaque Salvius ab Ecclesia sua & diœcesi in exsilium pulsus ad Lacromense Cœnobium se retulit, ac rursus a Monachis Abbas creatus præfecturam illam monasticam resumpsit, ut intelligi potest ex tabulis ejusdem Cœnobii Lacromensis: *Anno Incarn. Domini* 1260. *mens. Novemb. 2. die. Coram vobis subscriptis testibus, nos quidem Slavius Episcopus & Abbas Monast. Lacromuve, cum Fratribus meis Pascali & Ysaya confitemur &c. De hoc autem facte sunt duo carte, hec & alia; de quibus cartis unam tulit D. Episcopus cum Fratribus, & alteram &c. Ego Presb. Pascalis & Com. Not. Jur. scriptor sum & testis.* Anno 1262. sententiæ anathematis interrerat, quam Aleardus Archiepiscopus Ragusinus publice intorsit in Joannem Præpositum Cœnobii Rabiatensis. Sedem Tribunensem intrusus schismaticus quot annos tenuerit, eique an schismaticus alter suffectus fuerit, mihi non constat. Satis tamen constat, vel utroque vel priore tantum aut mortuo aut ejecto, Salvium sedem Tribunensem recuperasse, quam anno 1275. adhuc retinebat.

a sua Ecclesia pellitur,

quam recuperavit postea.

Hoc itaque anno, cum Ecclesia Juvenacii, quæ civitas est Apuliæ in provincia Barisi, suo viduata esset pastore, Canonici Juvenacienses de communi sententia in Episcopum sibi elegerunt Salvium Antistitem Tribunensem, de cujus doctrina & virtute jampridem multa & præclara fama & auditione acceperant. Itaque a Gregorio X. qui tum Bellicadri in Gallia post Concilium Lugdunense II. dimissum versabatur, supplicibus litteris postularunt, ut electionem auctoritate Apostolica confirmaret. Renuit Pontifex, atque ad Canonicos rescripsit, Salvium nihilo minus prodesse posse Tribunensi, quam Juvenacensi Ecclesiæ, & hanc nihilo magis quam illam ejus opera & vigilantia pastorali indigere. Ei vero potestatem alterius Episcopi eligendi, quem sibi suæque Ecclesiæ utiliorem fore putarent, ultro concessit. Epistolæ Pontificiæ hoc est exemplum, quod ad nos transmisit eruditissimus Card. Joseph Garampus ex Reg. Bull. Gregorii X. an. IV. num. 28.

Eligitur ad Episcopatum Juvenacensem,

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Capitulo Ecclesiæ Juvenacien. Salutem

sed renuit Pontifex.

& Apoſtolicam benedictionem.

Petitio veſtra nobis exhibita continebat, quod Eccleſia veſtra Juvenacien. Paſtoris ſolatio deſtituta, vos convenientes in unum Ven. fratrem noſtrum Salvium Tribunien. Epiſcopum in Juvenacien. Epiſcopum concorditer poſtulaſtis, ac poſtmodum nobis poſtulationem hujuſmodi præſentantes, feciſtis nobis humiliter ſupplicari, ut poſtulationem ipſam admittere de benignitate Apoſtolica curaremus. Nos igitur attendentes, quod idem Epiſcopus non minus Tribunien. quam eidem Juvenacien. Eccleſiis poteſt exiſtere fructuoſus, poſtulationem eandem non duximus admittendam. Ceterum nolentes quod prædicta Eccleſia Juvenacien. ex vacatione diutina in ſpiritualibus vel temporalibus ſubſtineat detrimentum, univerſitati veſtræ eligendi perſonam idoneam in Epiſcopum & paſtorem præd. Eccleſiæ Juvenacien. liberam concedimus auctoritate præſentium facultatem. Dat. Bellicadri 2. Idus Maji Pontificatus noſtri an. IV.

& transfertur ad Archiep. Raguſ. an. 1276.

Anno 1276. Joannes XXI. Salvium e Tribunienſi ſede ad Raguſinam Archiepiſcopalem tranſtulit, ut conſtat ex litteris ejuſdem Pontificis ad Salvium, ad Capitulum, ad Clerum, ad Comitem & Commune Raguſii, itemque ad Epiſcopos Provinciæ Raguſinæ, Viterbii datis menſe Decembri, Pontificatus anno primo, ideſt 1276. Has litteras hiſtoriæ Metropolis Raguſinæ inſeruimus. Poſt Salvium ſeries Epiſcopalis interciſa eſt, neque ullum habet Epiſcopum, quem nominatim proferre poſſim ante annum circiter viceſimum ſæculi inſequentis,

Ipſius Epiſcopatus Mercanenſis.

Interea ſæculo decimo quarto ineunte jacta ſunt fundamenta Epiſcopatus Mercanenſis, qui cum Tribunienſi conjunctus fuit, Mercana ſcopulus eſt exigui circuitus in ditione Raguſina a veteri Epidauro non ita lato interjecto mari disjunctus, cui prope adjacet ſcopulus alter, quem Bobaram vocant, nec longe ab utroque in ſeptemtrionem diſtat ſcopulus S. Petri. Erat Mercanæ perantiquum Cœnobium Benedictinum ac templum S. Mariæ: utrumque Epiſcopis Tribunienſibus donatum ferunt an. 1284. a familia prænobili de Theophilis, quæ ditionem ſcopuli, & in Cœnobium illud jus patronatus ſibi tribuebat; quæ Sebaſtiani Dolci opinio eſt; qui vero primus ex Epiſcopis Tribunienſibus in ejus ſacerdotii poſſeſſionem miſſus eſt, non Abbatem, ſed Epiſcopum Mercanæ ſe nominavit; hinc ortus titulus Epiſcopatus Mercanenſis. Sed Jacobus Luccarus in Annal. Raguſ. lib. 3. pag. 101. ſcriptum reliquit, ſacerdotium illud Mercanenſe cum omnibus proventibus a Republica Raguſina Epiſcopis Tribunienſibus donatum fuiſſe an. 1456. quo quidem anno atrox Raguſii graſſabatur lues, & civium plurimis abſumptis, contagione late vulgata, Monachos Mercanenſes extinxit. Cuinam vero ſcopuli Mercanenſis donatio Tribunienſibus Epiſcopis facta ſit tribuenda, nequit certo definiri. Chryſoſtomus Antichius Epiſcopus Tribunienſis in litteris ad Sacram Congregationem ſcriptis an. 1631. hæc memoriæ prodidit: *Hæc Mercana ſub dominio Reipublicæ Raguſinæ fuit; ea extitit donata, & per modum dotationis unita Epiſcopatui Tribunienſi ab ejuſdem Reipub. Raguſinæ Senatuſconſulto.* Certum tamen eſt, Monachos in Mercanenſi Cœnobio extitiſſe uſque ad annum 1296. & titulum Epiſcopalem Mercanenſem uſurpari cœptum jam anno 1322. a Nicolao Epiſcopo Tribunienſi IV. qui præterea Mercanenſe Monaſterium, & alterum S. Petri in medio mari tum poſſidebat, ut in ejus actis dicemus.

Epiſcopi Tribunienſes ſacerdotium Mercanenſe adepti cum fuiſſent, ab hoc alterum ſibi titulum epiſcopalem adoptarunt, perinde ac ſi duas ſedes epiſcopales obtinerent, alteram Tribuniæ, alteram Mercanæ, eſſentque Eccleſiæ duæ, quibus duo Epiſcopi, ſuus cuique, præfici poſſent, vel unus idemque utrique præeſſet, Tribunienſis idem & Mercanenſis. Sæpe enim accidit, ut Tribunienſes Epiſcopi ab hæreticis & ſchiſmaticis Serblianis, qui illa in civitate & regione dominabantur, male habiti, multiſque vexati contumeliis & injuriis, aut etiam expulſi ad ſcopulum Mercanenſem ſe reciperent, ibique habitarent; iidem vero, qui Tribunienſes, & Mercanenſes erant Epiſcopi. Nunquam fere hos titulos in duas perſonas diſtractos, ſive in duos Epiſcopos invenio, alterum qui Mercanæ, alterum qui Tribuniæ præſideret. Ceterum Mercanenſis magis videtur eſſe honorarius, quam veri Epiſcopatus ac legitimi titulus; neque enim ſcopulus ille dignus erat juriſdictione ac ſede epiſcopali; & Canones antiqui pleniſſime vetant in oppidulis lociſque infrequentibus & exiguis Epiſcopos conſtitui, ne videlicet dignitas Epiſcopalis vileſcat. Adde quod diœceſis & poteſtas Epiſcopi Mercanenſis, ſi tamen hoc nomine appellandus eſt, in tantas anguſtias includitur, vix ut tres aut quatuor ſcopulos complectatur, qui fere omnes deſerti ſunt a plebe, & cultura hominum; ipſeque ſcopulus Mercanæ ædificiis atque habitatoribus propemodum vacat, & præter rudera, ac veſtigia templi ac cœnobii perantiqui nihil extat, niſi turris una, & domus exigua, itemque duæ æ-diculæ, altera S. Michaelis, altera S. Mariæ ad Nives; ejus tamen pars aliqua colitur, ex eaque Epiſcopus centum annuos nummos argenteos percipere ſolet. Cum igitur hic ſcopulus Eccleſiæ Tribunienſi donatus fuiſſet, Epiſcopi utrumque titulum tum a Mercana, tum a Tribunia ſumptum ſibi adſcribere cœperunt, & alias alterutro, alias utroque uti; modo autem Tribunienſis Mercanenſi, modo hic illi præponi conſuevit. Verum in tabulis Conſiſtorialibus utrumque titulum his Epiſcopis fere nunquam attributum invenio, antequam Pius II. anno 1464. Eccleſiam Mercanenſem, quæcumque tandem eſſet, cum Eccleſia Tribunienſi legitime & canonice conjunxit, ut ſcriptum eſt in quodam Vaticano Codice, *quem magno labore*, ut docet Titulus, *confecit antiquus Curialis Petrus Atavantus, Cameræ Apoſtolicæ Notarius*; quique inſcribitur, *Catalogus totius orbis terrarum tam Patriarchalium, quam Metropolitanarum & Cathedralium Eccleſiarum &c.* ex quo hanc particulam decerpſi: *Tirbunen. ſive Tribunen. & Mercanen. unitæ. Unita fuit Eccleſia Mercanen. XIV. Kalendas Aprilis anno 6. Pii 2.* Ceterum inde uſque ab donatione illius ſcopuli traditi Eccleſiæ Tribunienſi ea conſuetudo invaluit, ut iidem Epiſcopi & Tribunienſes, & Mercanenſes vulgo haberi & appellari ſolerent.

Mercanen. & Tribun. Eccleſiæ unitæ.

Ab translatione Salvii ad Metropolim Raguſinam annus octavus interceſſerat, & Eccleſia Tribunienſis adhuc Epiſcopo carebat; cum Martinus IV. ſollicitus vicem illius Eccleſiæ, quæ deſtituta ſpiritali cuſtode, & ſchiſmaticorum inſidiis, atque injuriis expoſita in maximo diſcrimine verſabatur, jus eligendi Epiſcopi, quod pro-

De eligendo Tribunienſi Epiſcopo

Digitized by Google

propter diuturnum Episcopale Interregnum ad sedem Apostolicam devolutum fuerat, in Bonaventuram Archiepiscopum Ragusinum transtulit; eique anno 1284. per suas litteras imperavit, ut religiosis ac prudentibus viris in consilium adhibitis Ecclesiæ Tribunensis gubernacula ei traderet, quem circumspectis omnibus ad illam regendam maxime idoneum putaret. Post biennium Honorius IV., quem Bonaventura suis ad eum litteris admonuit de mandato, quod a Martino IV. acceperat, in eamdem sententiam rescripsit ad Bonaventuram Archiepiscopum. Uterque autem Pontifex iisdem fere litteris eidem Archiepiscopo imperavit, ut non solum Tribunensis, sed etiam Stagnensis Ecclesiæ orbitati consuleret; quemadmodum scriptum est in Historia Ecclesiæ Stagnensis. Utraque enim jamdudum Episcopo carebat. Epistolam Pontificiam utramque ab eruditissimo Cardinali Josepho Garampo ad nos transmissam hic subjicio, alteram Martini ex Tomo I. Bullarum anni IV. num. 69. alteram Honorii ex Regesto Bullarum anni I. num. 305. descriptam.

Epistola Martini IV. ad Bonaventuram Archiep. Ragus.

Martinus Episcopus Servus Servorum Dei. Ven. fratri . . . . Archiepiscopo Ragusin. Salutem & Apostolicam benedictionem.

Ad audientiam nostram pervenit, quod Tribunien. & Stagnen. Ecclesiæ Cathedrales tuæ provinciæ metropolitico tibi jure subjectæ tanto tempore pastoribus jam vacarunt, quod earum provisio est ad Sedem Apostolicam secundum generalis statuta Concilii legitime devoluta: nos itaque quibus ex injuncto nobis Apostolatus officio sollicitudo Ecclesiarum imminet generalis, dispendiis quæ ex diutina vacatione imposterum Ecclesiæ prædictæ possent incurrere per nostræ providentiæ studium occurrere intendentes ac gerentes de tua circumspectione fiduciam in Domino specialem, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus si tibi constiterit ita esse, prædictis Ecclesiis singulis videlicet singulas personas idoneas de prudentum & religiosorum virorum consilio hac vice auctoritate nostra præficias in Episcopos & pastores, eisque, ascitis tibi tribus vel duobus Episcopis, munus consecrationis impendas, faciens ipsis a suis subditis obedientiam & reverentiam debitam exhiberi. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod excommunicari aut interdici nequeant vel suspendi per litteras dictæ Sedis non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Dat. apud Urbem Veterem Idib. Junii Pontificatus nostri an. IV. ideſt an. 1284.

Ex epistola Honorii ad eumdem.

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei. Ven. fratri . . . . Archiepiscopo Ragusin. Salutem & Apostolicam benedictionem.

Lecta coram nobis tua petitio continebat, quod dudum ad aures fel. record. Martini PP. IV. prædecessoris nostri pervento quod Tribunien. & Stagnien. Ecclesiæ Cathedrales tuæ provinciæ metropolitico tibi jure subjectæ tanto tempore Pastoribus jam vacarunt, quod earum provisio est ad Sedem Apostolicam secundum generalis statuta Concilii legitime devoluta, prædecessor ipse dispendiis quæ ex diutina vacatione imposterum Ecclesiæ prædictæ possent incurrere, per suæ providentiæ studium intendens occurrere, ac gerens de circumspectione tua in Domino fiduciam specialem tibi per suas dedit litteras in mandatis, ut si tibi constaret ita esse, prædictis Ecclesiis singulis videlicet singulas personas idoneas de prudentum & religiosorum virorum consilio, ea vice, auctoritate sua præficeres in Episcopos & pastores, eisque ascitis tibi tribus vel duobus Episcopis, munus consecrationis impenderes ac faceres ipsis a suis subditis obedientiam & reverentiam debitam exhiberi; contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Verum quia prædecessor ipse antequam prædicta ejus litteræ tibi præsentatæ fuissent, debitum naturæ persolvit, nobis humiliter supplicasti, ut ne ex diutina vacatione præfatæ Ecclesiæ dispendia patiantur, providere super hoc misericorditer curaremus. Nos itaque quibus ex injuncto nobis apostolatus officio sollicitudo Ecclesiarum imminet, hujusmodi dispendiis occurrere cupientes, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus super præmissis auctoritate nostra procedas juxta prædictarum ejusdem prædecessoris nostri continentiam litterarum.

Dat. Romæ apud S. Sabinam V. Idus Martii Pontificatus nostri anno primo.

Ac Bonaventura quidem, his litteris acceptis, Ecclesiæ Stagnensi Petrum Episcopum dedit; an vero suum quoque Tribunensi rectorem præfecerit, mihi non est compertum. Certe post Salvium ad Metropolim Ragusinam translatum sedes Tribunensis annos plures vacasse videtur. Nullum sane Episcopum ante priores sæculi proximi annos invenio, cujus nomen litteris proditum fuerit.

NICOLAUS EPISCOPUS MERCANENSIS I.

Nicolaus a. p. an. 1322. obit an. 1326.

Patria Ragusinus ex familia Franciscana, cui nomen dederat, ad regendam Ecclesiam Tribunensem jam acceſſerat anno 1322. Hic primus Mercanensis Episcopatus titulum præfert, uti constat ex libro Consil. Reipub. Ragus. cui inscriptum est hoc decretum: *Die 23. Decembr. 1322. In Minori Consilio &c. quod pro elemosina dentur infrascripti yperperi de avere Communis, videlicet Fratribus Minoribus yperperi 5. Fratribus Prædicator. yperperi 5. Domino Episcopo Mercanæ yperperi 2.* Ex quo conjicias, liberum ad suam Ecclesiam Tribunensem aditum tunc non patuisse Nicolao, unde a schismaticis fortasse depulsus, bonisque ecclesiasticis privatus aut Ragusii aut Mercanæ vitam aliorum ope sustentabat. In libro *Testam. Notar. Ragus.* hæc præterea leguntur: ex testamento Gervasii Junii de Bona; 8. *Februarii* 1325. *Episcopo Mercanæ yperperi* 2. in altero *Perinæ uxoris Ostojæ;* 28. *Junii* 1325. *Episcopo Mercanæ gross.* 7. Anno 1326. 4. Idus Majas testamentum condidit, suæque voluntatis exsequendæ potestatem fecit Radæ cuidam nobili feminæ, & uxori Joannis Zilippæ, ut pia pro arbitrio opera in subsidium animæ eidem impendenda curaret, tum e monasteriorum suorum redditibus tantum sumeret, quantum funeri procurando satis esset. Hæc monasteria duo erant, alterum Mercanense, alterum S. Petri in medio mari Tribunensi Episcopo aliquanto ante donata ad egestatem sublevandam, qua laborabat. Mercanensis S. Mariæ Monasterii nullam reperio memoriam antiquiorem sæculo decimotertio. Anno 1280. Michael de Mua Abbas Lacromensis *vineam locavit positam in Breno, quæ confinat a parte Orientis cum vinea Monasterii de Mercana;* ex Codice Lacromensi. Petrus Benessa anno 1284. 8. Ja-

Digitized by Google

nuarii quædam pia legata Monaſterio Mercanenſi reliquit. Domnus Matthæus eodem ſæculo ad exitum vergente Abbas erat Monaſterii Mercanenſis, ut conſtat ex iſtrumento cujuſdam locationis: *In Chriſti nomine Amen. Anno Dom. milles. ducent. nonag. quarto indic. 7. die quinta intrante, menſe Februar., Raguſii coram vobis ſubſcriptis teſtibus, ego quidem Dopnus Matthæus Grubeſſe Ragnane, Abbas S. Mariæ de Mercana, de voluntate, & conſenſu hæreditariorum Eccleſiæ predictæ, videlicet Theophili fil. q. Vitalis Teophili, & nobilis Johannis filii ſui confiteor, quod terram d. Eccleſiæ poſitam in Subreno &c. quæ confinat .... ex parte montis cum Vinea S. Petri Majoris, quam tenet Marinus Jada, dedi & locavi ad affictum Alexio fil. q. Vitalis Theophili hæreditario Eccleſiæ præd. uſque ad tertiam generationem &c.* Hinc apparet, familiam in primis nobiliſſimam de Theophilis Monaſterium hocce ac templum condidiſſe, & idoneis vectigalibus fuiſſe ab eadem inſtructum; unde conjicias ipſum Monaſterium de conſenſu ſaltem Theophilæ familiæ donatum paullo poſt fuiſſe a Raguſinis Epiſcopo Tribunienſi. Eodem anno Matthæus filius Grubeſſæ Ragninæ quaſdam terras frugiferas tradidit Abbati S. Mariæ de Mercana in territorio Brenenſi, ut ex aliis tabulis liquet; & Goiſava uxor Petri de Maureſia in tabulis ſupremis *an. 1296. 8. Novemb. Mercanæ pro Miſſis yperperos ſex* legavit: quæ quidem omnia probant poſt annum omnino 1296. eſſe rejiciendam hujuſmodi donationem, Monachis ſive extinctis, ſive alio translatis. Idem ſentiendum eſt de Cœnobio S. Petri in medio mari, quod itidem a Senatu Raguſino iiſdem Epiſcopis traditum fuiſſe ferunt. Situm illud eſt in parvula inſula, quæ tria vix millia paſſuum circuitu comprehendit ab Epidauro, ſeu veteri Raguſio exiguo interjecto maris ſpatio diſtans. Non eſt vero abſimile illud eſſe, quod Radoslavus rex Serblorum ſæculo undecimo condidit, & Monachis Lacromenſibus donavit, ut in Codice Tabularii Lacromenſis: *Anno 1058. tempore Vitalis Archiepiſcopi, Petri Abbatis, & Dominici Prioris &c. Ego Rodoslavus rex una cum uxore mea Julia & filio meo Branislavo volo quod conſtruatur Monaſterium in Beleni, & detur Monachis S. Benedicti de Lacromone &c.* Pars maritima Tribunienſis Jupaniæ, a qua non longe abeſt ſcopulus *in medio maris*, ad eamque pertinebat, in antiquis monumentis *Belenum* appellatur; ex quo intelligi poteſt, quam ob cauſſam locum, in quo Monaſterium S. Petri in medio maris Radoslavus ædificari voluit, Belenum dictum fuerit. Hujus antiquiſſimi Monaſterii mentionem in ſcriptis pervetuſtis ſæpe factam invenio. In tabulis ſupremis Philippi de Picenego: *An. 1272. in S. Petro de dimidio mari yperperum unum &c.* item anno 1284. 2. Auguſti Elias de Reſtis legavit *S. Petro de medio mari groſſos duos*; Lucia de Zrieva nobilis fœmina an. 1295. reliquit *Monaſterio S. Petri de medio mari pro opera* (ideſt pro ſartis tectis tuendis) *yperperos* 50. Monaſterium hoc, poſtquam in ditionem Tribunienſium Antiſtitum conceſſit per hæc circiter tempora, funditus diruptum eſt; templum tamen adhuc extat incolume.

Monaſterii S. Mariæ Mercanenſis hiſtoria,

& S. Petri,

Eodem anno 1326. Nicolaum obiiſſe ex ipſo teſtamento conjicere licet; quare Sebaſtianus Dolci in ſuis monumentis perperam ſane Nicolai Epiſcopatus initia in eumdem annum rejecit. Utrum Nicolaus is ſit Epiſcopus Tribunienſis, qui cum Catharenſi pallium tradidit Thomæ Archiepiſcopo Raguſino an. 1325. divinari certo non licet. Quatuor Epiſcopos Tribunienſes ſæculi decimi quarti nobis antea ignotos noſtræ huic hiſtoriæ ſuppeditavit Card. doctiſſimus Joſeph Garampus ex tabulis Romanis, quorum duo vereor, ut in catalogum Antiſtitum Tribunienſium poſſint referri.

BONIFACIUS EPISCOPUS TRIBUNIENSIS IV.

Neque eruditiſſimo Card. neque nobis aliunde notus eſt, niſi ex Reg. Bullar. Clementis VI. an. 2. lib. 5. pag. 69. ubi dicitur translatus fuiſſe a Clemente VI. a Tribunienſi ad Sibenicenſem Eccleſiam anno 1344. Abeſt ille quidem ab hiſtoria & catalogo Antiſtitum Sibenicenſium; ſed interſeri poteſt inter Martinum II. qui Concilio Provinciali Spalatenſi interfuit anno 1344. menſe Martio ſub Dominico Luccaro Metropolita, nec multo poſt diem obiit ſupremum, & Tolonum, cujus initia epiſcopalia, quæ nos eidem anno 1344. nullo auctore ſatis certo affiximus, transferri poſſunt in annos poſteriores, ut Bonifacio locus ſit inter Epiſcopos Sibenicenſes; niſi forte hic binominus fuerit, & Tolonus idem ac Bonifacius vocaretur, vel ei nomen quidem Bonifacio, cognomen autem Tolono eſſet. Bonifacius Epiſcopatum Tribunienſem, quem cum Sibenicenſi commutavit anno 1344, quot annos geſſerit, quove anno ſuſceperit, incompertum eſt.

Bonifacius Ep. translatus ad Epiſc. Sibenicenſ. an. 1344.

JOANNES II. EPISCOPUS TRIBUNIENSIS V.

De cujus Epiſcopatu dubitare non ſinunt litteræ Clementis VI. ad Joannem III. electum Tribunienſem anno 1349. in hæc verba: *Dudum ſiquidem, bo. me. Johanne Epiſcopo Tribunicenſi regimini Tribunicenſis Eccleſiæ præſidente &c.* & paullo inferius, *Poſtmodum vero dicta Eccleſia per obitum ipſius Johannis Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, paſtorali ſolatio deſtituta &c.* Eumdem hunc eſſe cenſeo, quem cognomento *de Mobilibus*, & Monachum Ciſtercienſem Cœnobii *de Benedictione Dei* Diœceſis Lugdunenſis inter Bonifacium, & Joannem de Rupella interjecit doctiſſimus Card. Joſeph Garampus in foliis ad nos tranſmiſſis.

Joannes II, poſt annum 1344.

JOANNES III. EPISCOPUS TRIBUNIENSIS VI.

Cui de Rupella cognomen fuit, ex Ordine Patrum Carmelitarum. Hunc quoque acceptum referre debemus clariſſimo viro Joſepho Garampo, qui Joannem ab eodem Clemente VI. Epiſcopum huic Eccleſiæ datum fuiſſe docet anno 1349. XIV. Kal. Junii, citatque Regeſt. Bull. Clementis VI. lib. IV. Part. I. pag. 126. Clementis litteras hic deſcribimus ex Bullar. Carmelit. Tom. 3. pag. 59.

Joannes III, anno 1349.

Clemens Epiſcopus Servus Servorum Dei dilecto filio Johanni de Rupella Electo Tribunicenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Clementis VI. ad eum litteræ.

Providentia Regis æterni &c. Dudum ſiquidem bo. me. Johanne Epiſcopo Tribunicenſi &c. Poſtmodum vero dicta Eccleſia per obitum ipſius Johannis &c. Nos &c. cupientes ipſi Eccleſiæ Tribu-

Digitized by Google

Tunicenſi talem præſtare perſonam, quæ ſciret, vellet, & poſſet eam præſervare a noxiis & adverſis, ac in ſuis manutenere juribus &c. ad ſe Ordinis Fratrum B. Mariæ de Monte Carmeli profeſſorem in Sacerdotio conſtitutum, quem litterarum ſcientia præditum, vitæ ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, & aliis multiplicium virtutum meritis laudabiliter inſignitum ex teſtimoniis fide dignis accepimus, convertimus aciem noſtræ mentis &c. teque illi præficimus in Epiſcopum & Paſtorem &c. Datum Avinione decimoquinto Calendas Junii, Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Differt in Bullario menſis dies xv. a die xiv., quæ in Garampi foliis ſignatur; ſed notula Bullæ adjecta diem Maji xviii. aperte indicat; quare in folia potius errorem irrepſiſſe exiſtimo. Eumdem ab eodem Pontifice migrare juſſum fuiſſe ait Garampus ad Eccleſiam Potentiæ, quæ civitas Epiſcopalis eſt Lucaniæ in Provincia Acheruntina. In Epiſcopis Potentinis apud Ughellum Joannes Epiſcopus legitur anno 1351. vita functus anno 1364.

MATTHIAS EPISCOPUS TRIBUNIENSIS VII.

Matthias Epiſc. an. 1355.

Hunc de Altamura cognomine ſubjicit Joannes III. idem Garampus, Monachus itidem Ciſtercienſis ex Cœnobio Lubenſi diœceſis Uratislavienſis ab Innocentio IV. prid. Kalendas Auguſti an. 1355. ad Sedem Tribunienſem vectus.

FRANCISCUS EPISCOPUS TRIBUNIENSIS VIII.

Franciſcus Epiſc. Trib.

Ex Ordine Minorum S. Franciſci, quem nobis Joannes Maria Matthæus excepit e tabulis Diverſ. Notariæ Raguſinæ; in quibus illum nominatum invenit ſub anno 1370. Interfuit cum Petro Archiepiſcopo Raguſino publico in Nicolaum Cœnobiarcham Lacromenſem judicio an. 1373., ut ex tabulis conſtat in Petri vita deſcriptis. Franciſco proxime ſucceſſit

DESSA ſive ULIAS EPISCOPUS MERCANENSIS II.

Deſſa Epiſc. Mercan.

Epiſcopatus Mercanenſis ab eo geſti adminiſtratique fidem faciunt tum Tabulæ Tragurienſes, quas citat Joannes Lucius lib. 6. cap. 1. Monum. Tragur. tum litteræ Urbani VI., qui eum Uliam vocat, cum in tabulis modo laudatis Deſſa nominetur. Abeſt quidem titulus *Tribunienſis*, ſed dubitari nequit, quin Eccleſiam utramque gubernaverit. Annus ſuſcepti Epiſcopatus eſt ignotus; ab Urbano VI. poteſtatem accepit anno 1378. dirimendi controverſiam de decimis inter Raguſinos & Epiſcopum Stagnenſem: ejus mors incidit in annum 1384. vel inſequentem. Erat patria Tragurienſis, ex Ordine Franciſcano Fratrum Minorum ad Epiſcopatum aſſumptus. Cum patriæ reviſendæ ſtudio Tragurium veniſſet, letali morbo correptus in ea civitate inteſtatus deceſſit. Aureos tercentos inter ejus ſpolia repertos Commune Tragurienſium in abſolvendam ædificationem Cœnobii Franciſcani impendendos eſſe decrevit. Obſtiterunt *Collectores Cameræ Apoſtolicæ*, qui ſummam illam pecuniæ ab Epiſcopo relictam, nullique uſui ab eodem addictam, veluti rem caducam ærario pontificio deberi ajebant. Eam repetentibus cum reddere nollent Tragurienſes, illi petita acceptaque facultate a Nicolao Presbytero Cardinali tit. S. Cyriaci, qui tunc in Dalmatia legatione Apoſtolica fungebatur, urbem & Eccleſiam interdicto ſuppoſuerunt, cui, ut ſe & civitatem eximerent, Tragurienſes polliciti ſunt, ei ſe pecuniam daturos, cui dari juberet Urbanus VI. Pontifex Max. qui ab anno 78. uſque ad annum 89. ſæculi decimi quarti Eccleſiæ univerſali præfuit. Duæ in eam rem extant epiſtolæ ejuſdem Pontificis, altera Genuæ iv. Kal. Aprilis an. 1386. altera Lucæ data iv. Nonas Junii an. 1387. Hujus poſterioris exemplum mihi deeſt; ſuperior vero epiſtola eſt in hæc verba.

Ejus obitus, & de ejuſdem bonis controverſia,

de qua litteræ Urbani VI. ad Tragurienſes.

Urbanus Epiſcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Judicibus & Communi Civitatis Tragurii ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Dudum ex certis rationabilibus cauſſis diſpoſitionem omnium bonorum mobilium ac debitorum & creditorum quæ fuerunt bonæ memoriæ Ulie Epiſcopi Marchanenſis, vel dum viveret pertinuerunt quomodolibet ad eumdem, quæcumque, quotcumque, & qualiacumque forent, & in quibuſcumque rebus, & apud quaſcumque perſonas exiſterent, ſpecialiter duximus reſervandum, decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper iis a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contingeret attemptari. Cum itaque ſicut nobis fideliſſimis relationibus nuper innotuit, eodem Epiſcopo vita functo 300. ducati auri vel circa de bonis ipſius Epiſcopi apud vos poſt ejus obitum remanſerint, nos volentes indemnitati Cameræ Apoſtolicæ, ad quam hujuſmodi bona vigore dictæ reſervationis legitime pertinent, utiliter providere, diſcretionem veſtram hortamur attente, & requirimus & monemus vobis nihilominus in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandantes, quatenus hujuſmodi ſummam 300. ducatorum auri, & quidquid de bonis ipſius Epiſcopi ad vos qualitercumque pervenit, dilecto filio Viviano Ordinis Cruciferorum Magiſtro, fructuum & proventuum dictæ Cameræ debitorum in veſtris & aliis nonnullis partibus collectori, vel ejus nuncio aut ſuccollectori in C. . . . & . . . . ſpecialiter deputato abſque moræ diſpendio integre tradatis, & effectualiter aſſignetis, Mandatum hoc noſtrum quod & debitum veſtrum eſt, taliter adimplentes, quod non oporteat ſuper his de alieno remedio providere. Ipſe enim collector, ſeu nuntius aut ſuccollector vos de receptis prout a nobis in mandatis habet, quietabit & perpetuo abſolvet. Dat. Januæ 4. Kal. April. Pontificatus anno octavo.

Poſt alteras Urbani litteras acceptas Tragurienſes mandatis pontificiis paruerunt, pecunia, quibus Pontifex juſſerat, ſine ulla diminutione perſoluta.

Hoc ſæculo decimo quarto poſt regnum Serbliæ extinctum Tribunium obtinuerunt alii, atque alii Dynaſtæ Serbliani, alias Turcis vectigales, alias Turcarum dominatu exempti, inter quos Nicolaus Altomonus, quem Lazarus unus de Principibus Serbliæ, auctorque nobiliſſimæ gentis Lazarorum prælio victum oculis orbavit, & cum ad Balſas Zentæ dominos, ut haberet unde viveret, confugiſſet, haud multo poſt obiit anno 1374. ac deinde Tribunia ad ipſos Balſas Serblianos Dynaſtas pervenit, a quibus ad Stephanum Tuartkum, deinde Regem Boſnæ. Hi non ſecus ac plerique reges Serbliani vel hæretici vel ſchiſmatici cum eſſent, a fide cultuque

Ca-

Digitized by Google

catholico abhorrebant, & vel cum finitimis Dynastis, vel inter se bellis fere perpetuis decertabant. Hinc intelligi potest, quam multis vexationibus & injuriis obnoxia esset res catholica apud Tribunienses, & in quantis periculis versaretur, & quam sæpe Episcopi, ut saluti, ac libertati consulerent, ad scopulum Mercanensem, vel Ragusium se recipere necesse habuerint; qui postea stabili commoratione Mercanam se receperunt vitam ex redditibus duorum Monasteriorum S. Mariæ in insula Mercana, quod etiam S. Michaelis dictum fuit, & S. Petri in medio mari ægre sustentantes. Anno 1349. Elias Saraca Archiepiscopus Ragusinus nescio quo jure Monasterium Mercanense obtinebat; quippe pascua Mercanæ & Bobaræ locavit, ut docent tabulæ locationis eodem anno confectæ. Post aliquot annos in utroque Monasterio nosocomium curandis contagione affectis, & mercibus ac rebus expurgandis pestilentia contactis e Senatusconsulto exstructum fuit, & redditus, quos Episcopus ex illarum ædium locatione percipiebat, ex ærario publico persolvi jussum est. Nunc etiam Episcopi Tribunienses in æde S. Petri in medio mari jure suo, nemine repugnante, sacros Ordines conferunt, ceteraque functiones episcopales exercent; *qui* tamen *a sacra Congregatione de Propaganda Fide* dicuntur *facultatem exercendi* ibidem *Pontificalia impetrasse*, & cetera obeundi munera Episcopalia, ut testatur Thomas Antonius Scottus Archiepiscopus Ragusinus,

Episcopi Tribunienses Mercanam sese recipiunt.

RATKUS EPISCOP. MERCAN. III.

Ratkus Episc. an. 1385.

Hujus Episcopatus ab eo gesti fidem solum faciunt tabulæ *Diversorum Notariæ Ragus.* in quibus nomen Ratki *Dei gratia Episcopi Mercanensis* inscriptum reperitur an. 1385. v. Kal. Decembris, Vix quadriennium præfuit.

JOANNES IV. EPISC. TRIBUN. IX. MERCANENSIS IV.

Joannes IV. Episc. an. circ. 1389.

Anno circiter 1389. ad Ecclesiam utramque regendam accessit, Vivere desiit anno altero & nonagesimo hujus sæculi vel superiori, Cum debitam ærario Apostolico pensionem solvere neglexerit, Jacobus proximus post eum Episcopus an. 1391. v. Id. Julii, ut pro se florenos tres & triginta, sic totidem pro Joanne decessore contribuendi sponsione se obligavit. Oblig. Cam. T. 48. pag. 106. Ex his tabulis nisi nobis Joannem Episcopum Tribunienſem cognitum feciſſet Joseph Garampus, nulla suppetebant monumenta, ex quibus ejus nomen & Episcopatum cognoscere possemus,

JACOBUS EPISCOP. TRIBUN. X. MERCANENSIS V.

Jacobus Episc. an. 1391.

Patria Ragusinus, alumnus disciplinæ Dominicanæ, cui Bonifacius IX. Episcopatum Ecclesiæ utriusque contulit anno 1391. ut constat ex tabulis modo laudatis, Fallitur ergo Vincentius Fontana, qui ejus initium pontificale retulit in annum 1413. *P. F. Jacobus de Ragusio Mercanen. & Tribunien. Episcopus in Sclavonia creatus fuit anno a partu Virginis* 1413. *quibus Ecclesiis ad invicem unitis præfuit annos tres, e mortalibus sublatus anno* 1416. *in Mercanensi Cathedrali conditus, ut testatur Razzius de Vir. Illust. Ord. & Ferrarius de rebus Hungar. Provinc.* Errorem Fontanæ, itemque Cavallerii correxit Auctor Monum. Congreg. S. Dominici de Ragusio, sed annum suscepti Episcopatus non designavit. *F. Jacobus a Ragusio Episcopus Mercanensis & Tribunensis electus est, ut ait Cavallerius, a Joanne XXIII. anno* 1413. *sed hoc falsum est; nam ex Instrumentis Notariæ Ragusinæ anno* 1399. *eumdem Episcopum fuisse constat. Vir fuit doctissimus; nec aliud de eo reperi nisi quod anno* 1416. *obierit; sepultusque fuit non, ut ait Cavallerius, in Cathedrali Mercanensi, quæ tunc nulla erat, sed Ragusii in Ecclesia Metropolitana*: Tum alio in loco: *F. Jacobus de Ragusio scripsit Expositionem in omnes Psalmos David, quæ in Archivo Ragus. in membrana magno volumine asservatur. Quod autem hujus auctor sit præfatus Jacobus, asserere nil vereor, licet annus expositionis desideretur; quippe in fine voluminis ejusdem opus tribuitur F. Jacobo . . . Ord. Præd. Tribun. & Mercan. ubi cognomen vetustate deletum est; alium enim ex nostris hoc scilicet nomine eamdem Ecclesiam rexisse nulla est memoria. Obiit an.* 1416. Echardus hunc præmisit in Bibliotheca Script. Ord. Prædic. Jacobi cognomen indicat Ripollius in Bull. Domin. T. 2. pag. 467. nimirum Norvegius dicitur, & patria Tribunienſis; sed initi Episcopatus annus falso inscribitur 1473.

Ejus opera mss.

JOANNES V. EPISC. TRIBUN. XI. MERCANENSIS VI.

Joannes Muzarechius Episc. Trib. & Merc. an. 1417.

Nobili genere natus e clarissima Muzarechia Tribunienſi familia, quæ affinitatem junxit cum Ducibus S. Sabæ, sive *Herzegovinæ*, quippe *Maria Constantini Muzarechii nuptis*, ut tradit Carolus Dufresnius in Familiis Slavonicis & Dalmatinis, *Sandagbo Hranichio Duci S. Sabæ nupsit*. Joannes splendidissimæ & opulentissimæ domus divitiis & honoribus contemptis Deo serviendi, & vitæ religiosæ colendæ studio incensus ad Cœnobium Dominicanum Ragusinum aggregare se voluit. In eo cum plures annos assiduam litteris & virtutibus operam dedisset, Martinus V. Joannem theologici Magisterii nomen & lauream adeptum Tribunienſi & Mercanenſi Ecclesiæ rectorem præfecit, ut docent Tabulæ Consistoriales: *Anno* 1417. *XVI. Kal. Januarii provisum est Ecclesiæ Tribunen. Provinciæ Ragusinæ de persona F. Joannis Muzarech Ord. Præd. Magistri in Theologia an. primo*; de quo breviter Vincentius Maria Fontana in Theat. Dominic. *P. F. Musarec Sclavonus post præfati Jacobi decessum a Martino & ipse Episc. harum Ecclesiarum creatus est XVI. Kal. Januarii an.* 1418. *sic lib. 1. Prov. Prælat. ejusd. Pontif. testatur*. Nihilo copiosius de illo Auctor Monum. Congreg. Dom. Rag. *F. Joannes Musarec Episcopus Mercanen. & Tribunen. a Martino V. die 17. Decemb. an.* 1418. *electus fuit, & aliud nihil de hoc Antistite compertum mihi est*. Utrumque erroris redarguunt Tabulæ Consistoriales; quippe Tribunienſe Sacerdotium Joanni collatum in an. 1418. conjiciunt; nam annus primus Martini, ut est in Tabulis, cum anno superiori & die decima septima Decembris sive XVI. Kal. Januarii cohæret. Sed idem Fontana paulo post ex Mss. Bzovianis mendum illud chronologicum, quamvis ipse non satis animadverterit, correxit tamen, cum initium pontificale Joannis ad primum annum Martini, & men-

Digitized by Google

sem Decembrem perperam affixit. Bzovius autem creationem episcopalem Joannis recte quidem ad annum primum Martini V. sed male ad diem octavum ante Kalendas Januarii retulit. *P. F. Joannes Musarec Dalmata a Martino V. an. 1418. in defuncti Jacobi locum creatus, de quo Bzoviana mss. Jo. Musarec Ord. Pred. Ep. Tribunen. & Mercanen. in Selavonia Provin. Ragusina a Martino V. 8. Calend. Januar. an. 1.*

His temporibus duos Episcopos Tribunienses annectunt Acta Consistorialia Nicolaum & Donatum: *1421. 13. Augusti provisum est Ecclesiæ Tribun. per obitum Nicolai vacanti de persona Donati officialis Eccles. Trib.* Utrumque e catalogo nostrorum Antistitum Tribuniensium expellendum esse præclare animadvertit Joseph Garampus, ac referri oportet ait ad Ecclesiam Tiburnensem in Hibernia sub Metropolita Armachano, & Donatum inter Episcopos Tiburnenses provinciæ Armachanæ reperiri apud Jacobum Vareum de Præsulibus Hiberniæ pag. 80. *Donatus successit, qui præfuit ad annum usque* 1442. Neutri locus esse potest inter Episcopos Tribunienses Provinciæ Ragusinæ. Joannes quippe ab anno 1417. usque ad an. 1425. vel superiorem vitam & Pontificatum perduxit. Expunctis igitur hisce duobus Episcopis, Joanni Muzarechio subrogatus fuit

DOMINICUS EPISC. TRIBUN. XII. MERCANENSIS VII.

Dominicus Ep. Trib. & Merc.

Civis Ragusinus ex Ord. Prædic. cognomine *de Grancove* e Tomo 2. Bull. Dom. pag. 706. quem Martinus V. ad Sedem Episcopalem Tribunienſem evexit, ut docent tabulæ Consistoriales: 1425. IV. *Nonas Julii provisum est Eccles. Tribun. vacanti per mortem Joannis de persona F. Dominici de Ragusio Ord. Predic.* Idem Dominicus eodem anno v. Non. Octobr. tres & triginta florenos pro communi servitute solvendi obligationem suscepit, T. 60. pag. 115. In tabulario Cœnobii Dominicani Ragusini nomen Dominici Episcopi Tribun. & Mercan. subscriptum reperitur quibusdam tabulis confectis an. 1433. tertio Id. Martii, quibus inscripta est locatio quorumdam agrorum scopuli Mercanensis, qui ad mensam episcopalem pertinebant, Sebastianus Dolci in Appendice prima ad Archiepiscopos Ragusinos, Dominico *de Grancove* cognominato, ut dixi, Ecclesiæ utrique præsidente, a Consilio Majori & Minori Ragusino donatum esse affirmat Ecclesiæ Mercanensi Scopulum de Molunto, citatque tabulas donationis testes confectas anno 1423. sed hæc nota arithmetica mendosa est, si referatur ad Episcopatum Dominici. Nam si fides habenda est Actis Consistorialibus, uti certe haberi debet, non ante annum 1425. Dominicus adeptus fuit Episcopatum Tribunienſem. Itaque revocanda est ad Episcopatum Joannis V. proximi ante Dominicum Episcopi ex iisdem tabulis modo laudatis, ut me admonuit Joannes Maria Matthæus, qui verba ipsius Senatusconsulti refert; *Die* 28. *Julii* 1423. *Prima pars est ob reverentiam Omnipotentis Dei de donando Episcopatui Mercanæ scilicet Tribunienſi Scholum de Molunto, capta per vota* 97. *contra* 3. Est exigua hoc nomine peninsula quinque millia passuum circuitu complectens, quam isthmus fabulosus littori Canalis annectit non ita longe in occasum ab ostiis sinus Rhizonici,

Scopulus de Molunto a Ragusinis donatus Eccl. Merc.

habitatoribus vacua, sed pascuis & arboribus cæduis abundat, marique piscium feracissimo circumluitur. Ejusdem nominis insula sane exigua ei in orientem objacet brevissimo diffita intervallo, seu verius scopulus, de quo in allato Senatusconsulto.

Ut ad Dominicum redeamus, nominatur in tabulis Cœnobii Lacromensis anni 1428. *de voluntate Dei, & consensu R. P. F. Dominici de Ragusio Dei & Apostol. Sedis gratia Episc. Mercanensis &c.* Annos circiter decem Ecclesiam utramque gubernavit. Obiit an. 1435. XII. Kal. Octobr. Obitus Dominici Episc.

His temporibus Radoslavus Paullovichius unus de Dynastis Serbliæ, ut est apud Luccarum, dominus erat Tribuniæ & Popovi, qui alteram partem Canalis vendidit Ragusinis, cum partem alteram ante aliquot annos e Sandaglo Hranichio Duce S. Sabbæ emissent.

JOANNES VI. EPISC. TRIBUN. XIII. MERCANENSIS VIII.

Joannes VI. Episc. Tribun. & Mercan.

De quo Auctor Monum. Congreg. Domin. Ragus. *F. Joannes de Ragusio Mercan. & Tribun. Antistes a Senatu Ragusino in Concilio, quod Rogatorum appellant, die* 30. *Decemb. an.* 1435. *propositus fuit, De eodem mentio fit in libris ejusdem Rogatorum Consilii an.* 1436. *sub die* 3. *Januarii, Nil amplius reperi, nec quemquam vidi de eo scripsisse,* Sed vel Sedis Apostolicæ approbatione caruit, vel paucorum mensium Episcopus fuit; nam eodem anno 1436. Sedem vacuam successori reliquit.

MICHAEL EPISC. TRIBUN. XIV. MERCANENSIS IX.

Michael Episc. Trib. & Merc.

Quem Auctor Monum. Congreg. Domin. Ragus. & Sebastianus Dolci *Michaelem a Tribunio* vocant, cognomine e solo natali, ut ipsi putant, ideſt civitate Tribunienſi desumpto: sed filius is erat Nalieski Ghivighicii civis Ragusini, uti nos monuit Joannes Maria Matthæus; & in tabulis Romanis, quas citat Garampus, *Natalis* cognominatur, & Presbyter Ragusinus dicitur, qua in urbe domum habuit, ut constat ex lib. Vendit. Cancell. Ragus. *Die* 2. *Novemb.* 1439. *Curia DD. Consulum vendit Milat Giuscovich domum in Sexterio S. Nicolai. Confinat a tramontana cum domo Domini Michaelis Episcopi Mercanæ &c.* Non igitur *Tribunienſis* patria, sed diuturniori in ea civitate familiæ suæ commoratione fortasse dici potuerit. Eum Eugenius IV. an. 1436. XVIII. Kal. Septemb. Episcopum Tribunienſibus dedit. Ferunt tamen anno 1435. ab Archiepiscopo & Collegio Ragusiensium Canonicorum electum fuisse; unde conjicere licet, exortam inter Senatum, & Archiepiscopum contentionem de jure eligendi Episcopi Tribunienſis aut Pontificis arbitrio, qui Michaelem præposuerit Joanni VI. a Senatu, ut diximus, in Episcopum electo, aut ipsius Joannis morte diremptam ita fuisse, ut Michaelis electio jam facta an. 1436. suffragiis Patrum probaretur, quin vellent suo nominationis juri quidquam detractum intelligi; de quo postea dicemus.

Michael annos circiter quinque & viginti Ecclesiam utramque administravit; & anno 1455. Romam misit, qui nomine suo sacra limina viseret, coleretque, ut est in tabulis Romanis,

quas

Digitized by Google

quas idem Garampus laudat T. 61. pag. 28. T. 64. pag. 241. Jacobus Luccarus lib. 3. Annal. Raguſ. pag. 101. tradit Michaelem, poſtquam Eccleſiam & Dioeceſin Canonicis S. Petri de *Cicevo*, itemque Joanni, qui Comes ſive Dominus erat Popovi & Tribuniæ, commendaſſet, Raguſium ſe contuliſſe an. 1456., ut prædiis coemptis, e quorum fructibus victitaret, ac domo ibidem conducta reliquam in ea civitate vitam tranſigeret. Quinam fuerint illi Canonici S. Petri de Cicevo, quibus Michael Eccleſiam ſuam ſe abſente commendavit, ex Luccaro non ſatis intelligi poteſt. Erat quidem apud Tribuniam Eccleſia *S. Petri de Campo*, in qua Rodoslavum ſæculo XI., Deſſam ſæculo XII., Reges Serbliæ, cum Tribuniæ mortui eſſent, ſepultos tradunt; eſt etiam prope eam urbem in loco, cui *Banviro* cognomen, Eccleſia S. Petri, quam ædificatam cenſent ab uxore cujuſdam Principis Boſnenſis, cum ejus filius in Tribunio amne ſubmerſus interiit: & in quadam deſcriptione Tribunienſis diœceſis a Chryſoſtomo de Antiquis Epiſcopo Tribunienſi Romam miſſa hæc leguntur: *Continet territoria Draſcevizæ, ubi Riſanum & Caſtrum novum, Cicevi, Gliubomiri, Tribuniæ, Popovi, Saſciabiæ & Balaniæ in Neveſignia conſtituta.* At Cicevum ſitum videtur haud procul a Monte Nigro in ſeptemtrionem, & Tribunia aliquanto remotius in orientem ſolem; cujus cognominis duo loca parum inter ſe diſſita exhibet tabula topographica Raguſinæ ditionis a Luca Drobas accuratiſſime deſcripta; in utrovis erat Collegium Presbyterorum, quos Luccarus Canonicos vocat. Joannes Comes Popovi & Tribuniæ filius fuit Radoslavi Paullovichii, qui parenti in utrumque Principatum ſucceſſerat; nam Radoslavum patrem Joannis idem Luccarus appellat. Michael Epiſcopus ſive propter Dynaſtas finitimarum regionum ſchiſmaticos vel hæreticos ſibi ſimæque Eccleſiæ infeſtos, ſive propter metum Turcarum, qui poſt Conſtantinopolim captam Boſinam, Herzegovinam, & alia loca contermina incurſionibus vaſtare cœperant, cum Raguſium confugiſſet, ibi mortuus eſt anno circiter 1460.

Raguſium ſe recipit.

Jacobus Luccarus loco ſupra laudato docet jus nominandi Epiſcopi Tribunienſis ex donatione Michaelis ad Raguſinos perveniſſe, ab his vero Abbatiam Mercanenſem S. Michaelis, Monachis paullo ante peſtilentia extinctis, ejuſque proventus ad Epiſcopatum Tribunienſem adjunctos fuiſſe. Utrumque falſum eſt, nam Michael jus illud, quo ipſe carebat, Raguſinis donare non potuit, Cœnobium vero ac Templum Mercanenſe S. Michaelis, ſeu verius S. Mariæ, ante annum 1322. conjunctum fuit cum Eccleſia Tribunienſi. Jus itaque eligendi Antiſtites Tribunienſes ab antiquo fuit penes Archiepiſcopum & Canonicos Raguſinos, quod ad Michaelis uſque electionem retinuit: Reſpublica vero Raguſina id juris tunc videtur acquiſiviſſe, cum anno 1423. ut eſt in tabulis Raguſinis, quas citat Sebaſtianus Dolci, Dominico de Grancove ſeu potius Joanni V. Epiſcopo ſcopulum de Molunto donavit; non quod Epiſcopatum Mercanenſem, ſive Tribunienſem fundaverit, ſed quod eumdem ea donatione uberioribus proventibus auxerit. Et ſane jus nominandi Epiſcopi ſtatim uſurpavit, cum F. Joannes de Raguſio proximus poſt Dominicum de Grancove Epiſcopus, Archiepiſcopo tamen & Canonicis obſiſtentibus, *a Senatu Raguſino in Conſilio, quod Rogatorum appellant, anno 1435. propoſitus fuit*, ut docent monumenta Congreg. Raguſinæ Dominic. & Jacobus Luccarus in Annalibus ſcripſit, nominationem Epiſcopi, ut Stagnenſis, ſic Tribunienſis, *ad Conſilium Rogatorum* pertinere: idque ex libris Conſilii rogatorum erit manifeſtum in Georgio Epiſcopo Tribunienſi & Mercanenſi.

Jus nominandi Epiſcopos Tribunienſes in Raguſinos delatum.

BASILIUS EPISCOPUS TRIBUN. XV. MERCANENSIS X.

Erat Monachus Benedictinus e Cœnobio aut Lacromenſi, aut S. Jacobi de Valegnizza. Ladislavus filius Stephani Coſaciæ Ducis S. Sabbæ, cum in parentem ob ſponſam abeo ſibi raptam acerbo eſſet, itaque animo, conſilii & auxilii petendi cauſſa ad Raguſinos confugit, qui cum Stephano non ſolum graves inimicitias getebant, ſed etiam armis decertabant. Itaque haud libentius, quam promptius Ladislavo pecuniam & milites ſuppeditarunt, quibus adjutus ad ſuam injuriam ulciſcendam parenti bellum inferret. Cum vero Raguſini non dubiis, ſed certis auctoribus comperiſſent, Stephanum ad fœdus cum Venetis jungendum ſpectare, ut illorum opes terreſtres ac maritimas, quibus plurimum pollebant, non ſolum ad filii conatus reprimendos, ſed etiam ad imperium Raguſinum everrendum ſibi adjungeret, Baſilium Monachum, virum multa in quibuslibet negotiis gerendis dexteritate, & induſtria præditum, Romam ad Nicolaum V. oratorem, deprecatoremque miſerunt, qui a Pontifice, quod Reipublicæ nomine poſtulabat, facile impetravit; ut videlicet Venetos, auctoritate pontificia interpoſita, ab jungenda cum Stephano homine ſchiſmatico, & Catholicis infenſiſſimo ſocietate averteret. Baſilius poſt aliquot annos propter hanc legationem bene ac feliciter geſtam Epiſcopatum Tribunienſem obtinuit anno circiter 1460; quem ei Raguſini, Michaele e vivis ſublato, a Pio II. conferendum curarunt. Hæc Maurus Orbinus in ſuis Commentariis de regno Slavorum, & Seraphinus Razzius lib. 2. cap. 5. Hiſt. Raguſ. Baſilius vix quadriennium præfuit.

Baſilius Epiſc. anno circiter 1460.

BLASIUS EPISCOPUS TRIBUN. XVI. MERCANENSIS XI.

Quem Pius II. ex Cœnobio Raguſino Dominicano aſſumptum anno 1464. XIV. Kalend. Aprilis Epiſcopum Tribunienſem creavit, ut docent Tabulæ Rom. Oblig. Sac. Coll. T. 4. pag. 79. & Pii II. Bull. Tom. 29. pag. 188. Patria illi Raguſium fuit, Conſtantina familia; in Bononienſi Cœnobio præfuit gymnaſio ſui Ordinis ſane celeberrimo, ut perhibet Echardus in Tomo I. Scriptorum Dominic. Anno 1444. Dalmaticæ provinciæ præſes interfuit generali Capitulo Divionenſi, & anno 1460. præfecturam gerebat Raguſini Cœnobii. Lucas Waddingus in Tomo XIII. Annal. ad annum 1465. ex litteris Pauli II., quas producit, ad Vicarium Archiepiſcopi Raguſini, commemorat Epiſtolam Pii II. *Venerabili Fratri noſtro Blaſio Epiſcopo Tribun. & Mercanenſi etiam tunc in Civitate* Raguſii *prædicta reſidenti* inſcriptam. Pontifex in ea juſſerat, ut quatuor Cœnobia Franciſcana ditionis Raguſinæ, Stagni nimirum, Slanæ, Umblæ, & Canalis, ſi res ita ſe haberet, quemadmodum ſibi Rector, Conſilium, & Commune

Blaſius Epiſc. an. 1464.

Ra-

Ragusii significaverant, Fratribus Bosnensibus ademta, Vicario Provinciæ Dalmaticæ subesſent usque ad generalem Ordinis Minorum conventum, in quo Ragusiensium Fratrum adversum Bosnenses ac Dalmatinos dissidium foret componendum. Celebrato Assisii conventu inter Majum mensem & Junium anni 1464., tantum abfuit, ut ad illius decretum Vicario Dalmatiæ subjici vellent Ragusini, ut apud Senatum etiam Ragusinum vehementer obstiterint, ne Pii II. Pontificis litteræ, queis graves indicebantur in contumaces censuræ, Ragusii publicarentur. Sed cum acrior in dies contentio ferveret, missi a Senatu oratores ad Pontificem Paullum tantum valuerunt, ut aliis litteris, *Dilecto Filio Vicario Venerabilis Fratris nostri Archiepiscopi Ragusin. in spiritualibus Generali* inscriptis, XIV. Kal. Junii anni 1465. is decreverit, ut Fratres Ragusini, & Cœnobia quatuor, de quibus lis erat exorta, e jurisdictione Dalmatici Vicarii exempta, Generali totius Ordinis Vicario unice essent subjecta. P. Sebastianus Dolci in Francisco de Capitibus Antistite Ragusino Senatusconsultum describit latum die 8. *Junii* anni 1465., & Vicario Archiepiscopi indictum, quem fuisse scribit hunc Blasium *Mercan. & Tribunien. Episcopum*. Sed titulus pontificiæ epistolæ datæ die mensis Maji decima nona ad Vicarium Ragusiensis Antistitis minime Vicario Episcopo tribui a Pontificibus solet, qui omnes omnino Episcopos antiquissima *Fratris* appellatione distinguunt; nisi forte putes, litteras paullo ante datas quam Blasius ad hoc munus gerendum fuerit invitatus.

Cum Tribunensi Episcopatu retinuit Blasius sacerdotium Monasterii Peklinensis sibi collatum *commendæ* titulo an. 1453. *Hujus Episcopi*, inquit Echardus, *fit mentio in actis Magistri Ordinis Leonardi Mansueti, quæ de eo sic habent fol. 215. Reverendissimus Dominus F. Blasius de Ragusio Ord. Præd. Episcopus Mercanensis potest unum Fratrem tenere in socium, quem nullus inferior possit molestare. Datum Romæ anno MCCCCLXXVI. die XI. Febr.* De Blasio Auctor Monum. Congreg. Dom. Rag. hæc litteris mandavit. *F. Blasius Constantinus, Ragusinus civis, Episcopus Mercanæ & Tribunii, assumptus post annum 1460. quo Prior fuit Ragusii. Ceterum anno 1464. Episcopum eum fuisse liquet, unde Cavallerius, qui eum electum anno 1475. putat, profecto fallitur. Hic fertur a Senatu Ragusino in Abbatem S. Mariæ de Melita ...., destinatus hac conditione, ut deposito Prædicatorum, sacrum D. Benedicti habitum indueret, deliberandi inducias petiisse; sed nocte D. Patriarcha Dominicus illi apparens, data ad nudas spatulas, ut moris est in Religione, disciplina, a proposito eum dimovisse*, (idem narrat etiam Echardus;) *unde ad Episcopatum assumptus nil de pristina regularis disciplinæ ratione immutasse. Nempe modestiam, frugalitatem, sæcularis vitæ contemptum, habitum ipsum, & quidquid dignitati non oberat, pro instituta in Ordine consuetudine prosecutus est. Regens Bononiæ fuit, Provincialis Dalmatiæ anno 1444. Capitulo Generali sub F. Bartholomæo de Texeriis Generali Magistro in Provincia apud Divionem interfuit. Eruditione ac pietate insignis obiit Ragusii anno, ut verius puto ex Episc. Mercan. Catalogo, 1478. in S. Dominici ad Fratrum pedes tumulo donatus.* Blasii opera in nostro Scriptorum Ragusiensium Catalogo enumeravimus. Ad hunc Blasium scriptæ sunt litteræ Sixti IV. anno 1471. pro Monasterio Ragusiensi S. Mariæ de Angelis, quas habes in Joanne VI. Archiepiscopo Ragusino.

Ejus elogium.

BLASIUS II. EPISCOPUS TRIBUN. XVII. MERCANENSIS XII.

Blasius II. Episc. non Methonensis, sed Tribunien. & Mercanens.

Blasio Tribunensi Episcopo alterum ejusdem nominis in sedem Tribunensem substituunt Fontana in Theatro Dominicano; *P. F. Blasius alter a superiori circa annum* 1475. & Ferrarius in Comment. de rebus Provinc. Hung. Dominic. *F. Blasius alter a superiori in Tribunensi sede, teste Fernando, successit anno Christi* 1480. Blasii secundi Episcopatum in dubium revocat Echardus Tom. I. Script. Domin. pag. 853. *Alterum ejusdem nominis Dalmatiæ aliquando Provincialem, & in eadem Tribunensi & Mercanensi Ecclesia suffectum* (Blasio I.) *successorem laudat idem Razzius ex Gozzæo* (in Catal. Script. Dom.), *quos excipiunt Fernandez, Pius, Sigismundus, Ferrarius & alii, quorum apud me plurimum nutat fides; nam neque Gozzæus aperte loquitur, & quæ ex quadam ejus epistola refert Razzius, de primo facile intelliguntur: nec Fontana utriusque tempora clare distinguit, immo contraria & pugnantia prodit; nam ubi in Mercanensibus primum a Sixto IV. datum Episcopum dixerat, & anno 1476. adhuc florentem, secundum vero rejecerat ad annum 1477., sui postea oblitus, ubi de Tribunensibus, primum jam ab anno 1460. insulatum, secundum vero anno 1475. jam ei successisse statuit. Quæ cum parum firma sint, unum & eumdem libenter crediderim hominem in duos ab illis divisum; præsertim cum de secundo nulla proferant ex actis pontificiis aut Ordinis testimonia.* Hæc Echardus; quo cum consentit Auctor Monum. Congreg. Ragus. Dom., nec Blasium Mercanensem, sed Methonensem in Peloponeso Episcopum fuisse existimat. *F. Blasius a Ragusio Methonis in Peloponeso Episcopus a Sixto IV. renunciatus vir eruditissimus .... Quidam Episcopum Mercanensem putantes de Episcopatus titulo disputant. De rebus, quæ certa traditione non liquent, nil statuendum puto. Ceterum cum ex variis monumentis constet, præter Blasium Constantinum Episcopum, de quo superius, alium Blasium in Conventu Ragusino eadem ætate floruisse, & constans Scriptorum fama sit, hunc etiam fuisse Episcopum, & quidem Mercanensem, siquid opinari rerum Scriptoribus licet, hæc mea sententia est, nempe Blasium hunc ex Ragusino Cœnobio in Episcopum Methonensem assumptum; jam enim tot Scriptorum testimoniis constat post Blasium Constantinum alium ejusdem nominis ex Conventu Ragusino Episcopum prodiisse; sed hic Mercanensis minime fuit Episcopus; quandoquidem post Blasium Constantinum, qui successit Michaeli de Tribunio* (Basilio Monacho Benedictino) *sedit Donatus Georgius, inde Georgius Marinus a Cruce usque ad annum* 1513. (quod paullo inferius examinandum) *subinde alii, qui in vetusto Mercanensium Antistitum Catalogo recensentur.* Verum a Catalogo Methonensium Episcoporum, quem Flaminius Cornelius Senator amplissimus eruditissime, ac diligentissime confecit, abest Blasius; & annos, quos illi attribui oporteret, sibi vindicant partim Grevinus, partim Andreas Falco, partim Joseph, quorum Episcopatum Methonensem idem Flaminius ab anno 1476. usque ad annum 1506. perduxit. De Methonensi Blasii Episcopatu hæc

præ-

præterea addit Echardus in Fontanam: *Notanda altera Fontanæ aberratio; nam, ubi de Episcopis Motonensibus (rectius* Methonensibus, *) eumdem Blasium de Ragusio jam non Mercanensem, sed Motonensem Episcopum creatum dicit a Sixto IV. eademque acta Magistri Ordinis Leonardi Mansueti ad hunc Motonensem refert, lapsu certe memoriæ, quem emendare Rovetta ad 1481. non imprudenter sequi debuisset.* Atque ex hisce ego quidem sic statuo. Eadem, qua Blasius I., ætate floruit in Cœnobio Ragusino Blasius alter Dominicanæ disciplinæ alumnus, vir eruditissimus, & Provinciæ Dalmaticæ sui Ordinis Præfectus, ut perhibet laudatus Auctor Monum., & Gozzæus, ac Razzius apud Echardum: huic Scriptores fere omnes Ordinis Dominicani dignitatem episcopalem attribuunt alii quidem Mercanensis, alii Methonensis Ecclesiæ; inter vero Methonenses Antistites locus illi non patet. Quare inter Episcopos Tribunienses & Mercanenses illum retinendum censeo, eique locum tribuendum inter Blasium I. & Donatum. Hic sedem Tribunensem & Mercanensem ante annum 1481. adeptus non est; ille vero morte sublatus eamdem reliquit anno 1478. Ita Blasius II. intermedius fuit, & fere triennium utrique præsidere potuit.

DONATUS EPISCOPUS TRIBUN. XVIII, MERCANENSIS XIII.

Donati Episcopi elogium

E nobili Ragusina familia Georgiorum, & ex ordine S. Dominici, quem Sixtus IV. anno 1481. XVI. Kal. Januarii utrique Ecclesiæ præfecit, ut docent tabulæ Romanæ Obl. Sac. Coll. T. 25. pag. 81. In Codice quodam *Theologicæ Facultatis* Gymnasii Patavini penes Patres Dominicanos Patavii servato nomen Donati inscriptum comperi, cum anno 1458. publicum Theologiæ docendæ munus illi collatum fuit, isque inter *Licentiatos*, ut appellant, admissus est; cujus doctrinæ ac sapientiæ tanta erat apud omnes Lycæi illius Doctores existimatio, ut præter morem fere biennio post in eorum Collegium, acceptis Theologici Doctoris insignibus, summo totius civitatis plausu fuerit cooptatus. De illo Auctor Monum. sæpe laudatus: *Donatus Georgii Patritius Ragusinus Episcopus Mercan. & Tribun. Sac. Theol. Magister regularis Observantiæ zelator acerrimus Ragusii pluries fuit Prior, & Vicarius Gener. Conventuum regul. Observantiæ in provincia Dalmatiæ, inter quos ex nostris Ragusinus & Gravosinus Conventus annumerabantur. In Capitulo Generali Montispessulani sub F. Martiale Auribello, uti Definitor Provinciæ Dalmaticæ 1456. & Romæ 1474. ubi electus fuit unanimiter in Magistrum Ordinis F. Leonardus de Mansuetis Perusinus Provincialis Dalmatiæ, interfuit. Inde Episcopali dignitate inauguratus circa annum 1478. (1481.) vitam in religione jam institutam prosecutus est. Demum desiderium sui omnibus relinquens obiit anno 1482. (1492.) sepultusque fuit in Capitulo Conventus Ragusini, quod Episcopus propriis expensis ornaverat, & ubi familiæ suæ, quæ nunc etiam extat, monumenta sunt, cum hoc Epitaphio sub ejus naturali effigie marmore sculpta, & parieti laterali affixa.*

Qui fuit istius Prior, atque Vicarius Ædis,
Illyricæ necnon religionis apex,
Hic jacet Antistes tuus, o Mercana, Tribuni,
Saxea quem similis sculpta figura præit;
Quem probitas vitæ merito, quem sacra Facultas,
Quem celebrem exhibuit religionis honor.
Hinc via Donato patuit latissima cœlo,
Cui licet æterni Numinis ore frui. Obiit 1482.

Sed error subest huic notæ chronologicæ; nam certo constat, Donatum undecim fere annos Ecclesiæ suæ præfuisse; obiit enim Kalendis Decembris an. 1492. ut constat ex tabulis statim subjiciendis, & ex litteris Alexandri VI. ad Cœnobiarcham Lacromensem datis IV. Kal. Januarias an. 1492. ut Dominicanos Ragusienses in possessionem immitteret rerum omnium, quas Donatus ab ipsis in sui usum & commodum acceperat, quæque a nonnullis post ejus obitum furto fuerant ablatæ. Vide Pontificis litteras in Joanne VII. Archiep. Ragus. Anno 1483. Sixtus IV. mandatum dedit Donato, ut decretum ab se missum pro Ragusina sodalitate S. Petri una cum Lacromensi & Melitensi Cœnobiarchis exsequeretur: de quo in Andrea IV. & Joanne VII. Archiepiscopis Ragusienses. & obitus.

GEORGIUS EPISCOPUS TRIBUN. XIX, MERCANENSIS XIV.

Georgius Episcopus electus ab Alexandro VI. P.

Donato proxime subjicitur Georgius in *Indice Electionum Episcoporum Tribunensium in Consilio Rogatorum* Reipubl. Ragusinæ, inserto ejusdem Consilii libris: *Die prima Decembris 1492. Electio Episcopi Mercanen. & Tribun. loco Reverendissimi D. Donati defuncti hodie. R. D. Georgius de Croxe.* Sed irrita cessit, uti videtur, Senatus electio; nam Alexander VI. 1493. 19. *Julii providit de persona R. P. Dom. Fratris Georgii Franciscani Tribun. & Mercanen. Ecclesiis unitis per obitum Donati illarum ultimi possessoris vacantibus*, ut est in tabulis Consistor., & *Provis. Sacr. Coll. pag. 60. t.* Idem confirmat epistola Pontificis ad Clerum Mercanensem & Tribunensem, cui Georgium commendat, ut Episcopum suum quo dignus est honore ac reverentia excipiant, ejusque monitis ac præceptis obsequantur.

Alexander Episc. Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Clero Civitatis & Diœc. Mercan. & Tribun. salutem & Apostolicam benedictionem. Hodie Ecclesiæ Mercanen., & quæ in partibus infidelium est constituta, Tribunien. Ecclesiis invicem unitis, nunc per obitum bon. mem. Donati Episc. Mercanen. & Tribunien. extra Romanam Curiam defuncti, Pastoris solatio destitutis de persona dilecti filii Georgii electi Mercan. & Tribun. nobis & Fratribus nostris &c.

Datum Romæ apud S. Petrum an. Incar. Dom. milles. quadringent. nonag. tertio XIV. Kal. Augusti, Pontif. nostri anno primo.

Episcopus solum Tribunensis fuit.

Hunc alii appellant Georgium Marinum, eumdemque Scriptores Ragusini confundunt cum altero Georgio Ordinis Benedictini alumno, de quo inferius dicemus. Is sub exitum ejus anni 1493. erat Episcopus solum Tribunensis, ut declarat chirographum Georgii II. inferius producendum, quo se Mercanensem Episcopum eodem anno appellat, & eam solummodo Ecclesiam retinuit usque ad vitæ suæ finem, idque ostendunt aliæ ejusdem Pontificis litteræ *Vener. Fratribus Mercanen. & Tribunen. Episcopis &c.* scriptæ, ut Ragusini Archiepiscopi consilium & sententiam de redditibus Ragusiensium Canonicorum æqua parte in singulos dividendis exsequerentur; habes hasce litteras in Joanne VII. Archiep.

Digitized by Google

chiep. Raguſ. LI. Ante annum 1498. Georgius jam obierat, cui ſuffectus eſt.

GEORGIUS II. EPISC. TRIBUN. XX. MERCANENSIS XV.

Georgius a Cruce Cœnobiarcha Piliſrenſis

Erat patritius Raguſinus ex antiqua & clara familia, cui a Cruce cognomen fuit. Gravioribus diſciplinis excultus Magiſterii dignitatem obtinuit; ac matura jam ætate adoleſcens, ut Deo ſe totum devoveret, an. 1470. XII. Kal. Julii bona ſua partim in conſanguineos, partim in ædium ſacrarum cultum ac religioſas familias teſtamento diſtribuit, & in Hungariam ſecedens Ordini Ciſtercienſi nomen dedit, ut Raguſini Scriptores perhibent; cumque pietate ac doctrina ita excelleret, ut exemplo atque auctoritate præeſſe ceteris poſſet, Piliſrenſis Monaſterii Præſes electus fuit. Hæc ex tabulis ſui teſtamenti, quas ſubjicio: verum Piliſrenſe Cœnobium eſſe idem autumo, ac Priſrienſe ex loco pœne cognomine vulgo Priſtina in Mœſia ſuperiori, quæ nunc Serblia, in diœceſi Scopienſi.

ex tabulis teſtamenti ab eo conditi anno 1470.

Teſtamentum Magiſtri Georgii de Croxis. MCCCLXXXXVIII. Indictione prima die XXI. Februarii Raguſii. Hoc eſt Teſtamentum Reverendi Domini Georgii de Croxis ad præſens digniſſimi Epiſcopi Tribunenſis, & Mercanenſis: quod Teſtamentum ipſe Dominus Georgius condidit, & ſalvandum dedit in Notaria Communis Raguſii cum aliis Teſtamentis vivorum, dum eſſet ſæcularis, & ante quam iret in Hungariam, ubi ſubjecit collum Religioni monaſticæ: & cui Teſtamento erant adſcripti in Teſtes J. Bartholus de Goze Judex, & David Boccacius Notarius Teſtis, Cauſa autem, quæ interceſſit de tarditate regiſtrandi hic. in Notaria dictum Teſtamentum, fuit hæc videlicet. Quod Magnifici Domini Conſules regiſtrationem dicti Teſtamenti ſuſpendi debere mandaverant, quouſque per eorum Tribunal declararetur, an admittenda foret quædam dicti Teſtamenti Additio, quam ipſe Dominus Georgius ipſis Dominis Conſulibus direxerat poſt Profeſſionem ſuam, & cum jam creatus eſſet Abbas Piliſrenſis. *Quæ Additio tandem rejecta fuit, & non admiſſa per ipſos Dominos Conſules. Et ideo inde regiſtratum, & in Libro Teſtamentorum ſcriptum, & notatum fuit dictum Teſtamentum, cujus tenor talis eſt videlicet.*

Jeſus, Jeſus, Jeſus. 1470. *adi 20. de Giugno in Raguxa. Ego Magiſter Georgius de Croxis animadvertens vitam humanam caducam, atque perbrevem eſſe, omneſque dies tamquam poſtremum dijudicans facio hoc noviſſimum Teſtamentum. In primis Animam meam Divinæ Miſericordiæ commendo; Corpus deinde terræ univerſali matri committo. Relinquo pro Decimis, & Primiciis Eccleſiæ piiſſimæ, atque beatiſſimæ Matris noſtræ Mariæ Majori yperperum unum, ejuſdemque miſericordioſiſſimæ in Eccleſia ad Danzas relinquo yperperum unum. Relinquo Conventui S. Franciſci in Raguſio yperperos quinque; Conventui S. Dominici in Raguſio yperperos tres; Conventui S. Franciſci in Daxa yperperos tres; Conventui S. Dominici in S. Cruce in Gravoſio yperperos tres; & Monaſterio S. Symeonis yperperos decem. Quæ Religioſæ, & Religioſi ſupradictorum Conventuum pro ſalute Animæ meæ clementiſſimum Deum deprecentur, atque exorent. Bona vero cuncta ſtabilia, quæ noſtra ſunt, & quoquomodo nobis attinere poſſent, relinquo fratri meo Marino, & Dragoe nepoti meo; ut ea æqualiter inter ſe dividere debeant: Matri tamen, ſi poſt me ſuperſtes erit, in vita ſua cuncta noſtra bona ſtabilia fruenda relinquo. Relinquo Dacuſſe ſorori meæ ex omnibus meis bonis dum vixerit omni anno yperperos ſex. Libros meos omnes in Aſtrologia relinquo diſcipulis meis ſcilicet Theodoro de Prodanello, Marino Gradio, Bartholomeo de Bona, & Martino de Gozis, ut inter ſe æqualiter dividant. In reliquis vero ſcientiis libros reliquos relinquo illi Nepoti meo, qui in Gymnaſio Italiæ per triennium vacaverit. Et ſi forte uſque ad annos triginta nullus repereretur, vendantur, & pro dotibus Neptium collecta pecunia ſuccurratur. Facio poſtremo epitropos meos Matrem meam, Marinum fratrem meum, Junium de Martinuxis, & Nicolaum de Prodanellis. Amen. In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum. In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum. In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum. Hoc autem Teſtamentum nullo teſtimonio rumpi poſſit.*

Epitropi, quos hic nominat Georgius, erant teſtamentorum curatores, ut ſupremæ defunctorum voluntati ſatisfieret.

Primum Epiſcopus ſolum Mercanenſis,

Cum Georgius a Senatu Raguſino Epiſcopus Tribunienſis ac Mercanenſis renunciatus fuiſſet, ejus electio pontificia approbatione caruit; ſed, Senatu Raguſino inſtante, ut conjicere licet, ne Georgius a ſe nominatus ad utriuſque Eccleſiæ regimen penitus rejiceretur, altera Eccleſia ab altera ita ſejuncta fuit, ut Georgius I. Tribunienſi, Georgius vero II. Mercanenſi præeſſet; nam eodem anno, quo Georgius I. electus eſt Tribunienſis & Mercanenſis Antiſtes ab Alexandro Pontifice XIV. Kal. Auguſti, Georgius II. ſe Mercanenſem Epiſcopum nominat in chirographo, quo die 25. Novembris teſtatur *Reliquias triginta octo de argento &c. in ſanctuario S. Stephani* aſſervari; illud autem hujuſmodi eſt, & familiæ a Cruce perhonorificum, quippe inde ediſcimus, ſacrarum Reliquiarum, quæ in templo D. Stephani coluntur, cuſtodiam penes ſeniorem ejuſdem familiæ virum diutiſſime ſteriſſe, Georgio vero Epiſcopo traditam hoc anno honoris fortaſſe ac reverentiæ cauſſa, ut illas reviſeret, ſuoque teſtimonio veras eſſe Divorum, quorum nomina præferunt, Reliquias & eccleſiaſtico cultu digniſſimas confirmaret,

XXVI. Novembris MCCCCXCIII. Rev. D. Georgius Epiſcopus Mercanenſis, cui conſignata fuit clavis Reliquiarum S. Stephani, quæ ſtare ſolet in manu antiquioris de ſtirpe illorum de Cruce, & hoc de conſenſu Ser Dragoe Andreæ de Cruce, cui legitime ſpectabat ad tenendum dictam clavem, fecit de ſua manu unum ſcriptum ſuæ manus, quod poſitum fuit in Theſauraria, quod ſcriptum eſt hujus tenoris videlicet

Anno ſalutis Chriſtianæ MCCCCXCIII. die XXV. Novembris Reliquiæ de argento deauratæ ſunt in totum triginta octo, & unus calix in ſanctuario S. Stephani contentæ. Item plura oſſa SS. Corporum. Item duæ petiæ bonæ quantitatis ligni Domini.

Georgius Epiſcopus Mercanenſis m. p.
Ego Theodorus Prodanelli præſens fui.

Georgius iſte unus ex his duobus Epiſcopis eſt, quibus Pontifex poteſtatem fecit exſequendæ ſententiæ Archiepiſcopi Raguſini, quam innuimus in Georgio I. Hoc autem vita functo, Eccleſiam utramque regendam ſuſcepit; eique præerat an. 1498. ut docent tabulæ teſtamenti. deinde & Tribunienſis.

De Georgio II. intelligi debent, quæ Seraphinus Razzius affirmat, fuisse illum omnibus ingenuis artibus ac disciplinis instructum; erravit autem, cum ejus initia episcopalia ad an. 1482. revocavit, & annos unum ac triginta episcopalis regiminis eidem attribuit. Anno 1501. iterum Tribuniensi Ecclesia a Mercanensi divisa, Georgius Mercanensem solummodo retinebat; quod probat epistola Alexandri ex publico Ragusiensium tabulario deprompta, qua Georgio petenti facultatem testandi concessit: est vero hujusmodi.

Litteræ Alexandri VI. ad ipsum.

Alexander Episcopus Serv. Servorum Dei Ven. Fratri Georgio Episc. Mercan. sal. & Apostol. bened. Quia præsentis vitæ conditio statum habet instabilem, & ea, quæ visibilem habent essentiam, tendunt instabiliter ad non esse, tu .... salubri meditatione præmeditans diem tuæ peregrinationis extremum dispositione suprema desideras prævenire. Nos igitur te, qui ut asseris, olim certo Monasterio Ordinis S. Benedicti, quem expresse professus existis, præfuisti, a quibusque excommunicationis &c. ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ut de bonis stabilibus a te, etiam per Mercanensem, cui præesse dignosceris, ac aliis Ecclesias, & alia Monasteria, & Ecclesiastica beneficia quæcumque cum cura, vel sine cura, ac quorumvis aliorum Ordinum Regularium, quæ ex quibusvis concessionibus & dispensationibus Apostolicis in titulum vel commendam hactenus obtinuisti, ac in præsens obtines, & in posterum obtinebis, nunc & pro tempore licite acquisitis, quæ Altaris vel Altarium, Ecclesiarum, Monasteriorumque, & beneficiorum hujusmodi ministerio, seu alicui speciali eorumdem divino cultui, vel usui non fuerunt deputata, pro decentibus & honestis expensis funeris tui, & pro remuneratione illorum, qui tibi viventi servierunt, sive sint consanguinei, sive alii, moderate tamen disponere & erogare possis; alias prius tamen de omnibus prædictis bonis, ære alieno solvendo, & iis quæ pro reparandis domibus & ædificiis consistentibus in locis Ecclesiarum, Monasteriorum, & beneficiorum prædictorum culpa vel negligentia tua, seu tuorum Procuratorum destructis, aut deterioratis, necnon restaurandis aliis juribus Ecclesiarum, Monasteriorum ac beneficiorum prædictorum deperditis ex culpa vel negligentia supradicta fuerint, opportune deductis, in pios usus ac licitos convertere valeas non obstante quod dictum Ordinem S. Benedicti professus existis, ut præfertur, Fraternitati tuæ plenam & liberam auctoritate præsentium concedimus facultatem. Volumus autem quod in eorumdem dispositione bonorum juxta quantitatem residui erga Ecclesias, Monasteria & beneficia prædicta te liberalem exhibeas, prout conscientia tibi dictaverit, & saluti animæ tuæ videris expedire. Datum Romæ ap. S. Petrum anno Incarn. Dom. Quingent. primo XV. Kal. Januar. Pontif. nostri anno nono.

Huic ne, an Georgio I. sit tribuendum, quod Bibliothecam habuerit plurimis & optimis codicibus refertam, quos partim Dominicanis, partim Franciscanis Ragusinis moriens legavit, certo definire non ausim; quamvis Ragusienses historici id de Georgio II. affirmare videantur.

qui obiit anno 1513.

Anno circiter 1513. e vita migravit, cum utriusque Ecclesiæ regimen iterum suscepisset, ut constat ex epistola Leonis X. paullo inferius producenda; sepultusque fuit Ragusii apud Virgines Benedictinas in æde S. Simeonis.

Variæ vices de titulo & regimine Tribun. & Mercan. Ecclesiæ.

Hactenus seriem Tribuniensium & Mercanensium Antistitum disposuimus ab anno 1322. & Nicolao Episcopo Mercanensi I. ut alios utriquè simul Ecclesiæ, alios alterutri præfuisse affirmaremus veterum monumentorum fide. Equidem monuit nos eruditissimus Cardinalis Joseph Maria Garampus, Tribuniensem aliquando Ecclesiam a Mercanensi sejungi in tabulis Romanis; quinam vero Tribunienses essent Episcopi, quo tempore solum Mercanensis Antistes nominatur in antiquis tabulis, comperire non licuit; & fortasse nullus Tribunio Episcopus tum præerat, cum aut schismaticorum, aut Turcarum tyrannide Tribuniensis civitas ac diœcesis premeretur, & pauci, qui reliqui erant, Catholici Mercanensi Antistiti parebant, cujus jurisdictio unius Mercanæ angustiis detinebatur. Diversæ tamen causæ possunt afferri, quæ conjungi modo vetabant, modo dividi Ecclesiam utramque. Primum variæ Tribunii vices, cum pluribus bellorum motibus & frequenti Principum suorum mutatione plerumque civitas agitaretur, quorum alii Catholico nomini omnino essent infensi, alii non ita, ut vellent illud penitus aboleri. Deinde quæ de eligendo Tribuniensi & Mercanensi Episcopo contentiones quandoque videntur exortæ inter Ragusienses & Pontificem, in causa esse potuere, cur duo essent Antistites, alter Mercanæ a Senatu Ragusino electus, & a Pontifice ad tollendos dissidiorum motus confirmatus, alter Tribunii ab ipso Pontifice designatus. Demum eorumdem Pontificum sapienti consilio fieri debuit, ut pro diverso alterutrius Ecclesiæ, & Tribuniensis præsertim statu, sive unus, sive duo Episcopi præficerentur, & idem Antistes aut utriusque, aut unius Ecclesiæ titulum gereret, cum legitima Ecclesiæ utriusque conjunctio decreta nondum fuisset. Nec desunt, qui putent, ipsos Episcopos suo arbitratu duplicem titulum e Tribuniensi & Mercanensi Ecclesiis sumptum sibi inscripsisse: & ipsa quidem antiquiora monumenta eumdem non raro Antistitem modo unius, modo ambarum Ecclesiarum titulo ornant. Anno 1464. Pius II. Mercanensem cum Tribuniensi Ecclesia conjunxit, ut est in Catalogo omnium Ecclesiarum aliquanto superius laudato; sed ex iis, quæ animadvertimus in Georgio I. & II., videtur profecto altera ab altera rursum fuisse sejuncta; Leo tamen X. in litteris ad Augustinum Nalium electum Episcopum Mercanensem & Tribuniensem affirmat, utramque Ecclesiam *invicem perpetuo canonice* unitam esse; licet post Augustini Episcopatum Franciscus eidem suffectus Tribuniensis solum Antistes nominetur in tabulis Romanis. Verum qui Francisco successit, Episcopus, ceterique deinde omnes utriusque Ecclesiæ & titulum, & præfecturam absque ulla immutatione subinde gesserunt, & hactenus retinent libera in utramque potestate ac jurisdictione.

Joannes agnoscendus inter Episcopos Tribunienses.

Anno 1513. v. Kal. Aprilis interfuit Sessioni VI. Concilii Lateranensis, eique subscripsit *Reverendus Pater Joannes Episcopus Tribuniensis*, qui in margine Collectionis Concil. Venetæ Labbeanæ dicitur *Triburiensis*; sed Nicolaus Coletus in Catalogo Episcopatuum eidem Collectioni adnexo Joannem hunc Tribuniæ Dalmaticæ Episcopum attribuit. Is equidem Georgio II. nequit substitui, nam Augustinus Nalius & Georgio suffectus, & Episcopus Tribuniensis & Mercanensis renuntiatus fuit a Leone

X.

Digitized by Google

X. pridie Nonas Martias anni ejusdem, ut litteræ Pontificis testantur, uno scilicet & viginti diebus ante Sessionem illam Concilii, cui adfuit Joannes Tribunensis Episcopus. Potest tamen inter Antistites nostros collocari eo tempore, quo Georgius II. Mercanensem tantum Ecclesiam regebat, uti diximus; ea vero postea abdicata, titulum quidem Tribunensis forte Episcopatus retinuit, cujus regimen Georgio reliquerat, cum hic & Tribunensi & Mercanensi Ecclesiæ aliquot annis ad obitum usque præfuerit. Quamquam vero propius sit, Joannem hinc rejici in Hiberniam posse, ubi Tribunia civitas Episcopalis provinciæ Armacanæ; de cujus Episcopis Jacobus Vaseus in suis Commentariis de *Præsulibus Hiberniæ*.

AUGUSTINUS EPISC. TRIBUN. XXI. MERCANENSIS XVI.

Augustinus Ord. Præd.

Civis Ragusinus cognomento *Nalius*, seu *de Nale*, ex Ordine Prædicatorum, qui seipsum *Natalem* appellat. Ad Ordinem Dominicanum Ragusii admissus in celebrioribus Longobardæ Provinciæ Cœnobiis graviorum studiorum cursum perfecit, in iisque eruditione & pietate clarus divinas litteras docuit. Anno 1509. cum Venetiis degeret *Studiorum*, ut ajunt, *Præses* in Cœnobio SS. Joannis & Paulli hunc librum edidit, cujus integrum titulum juvat ex Echardo describere: *Prima Pars Summæ Theologicæ S. Thomæ de Aquino, Venetiis Philippi Pincii Mantuani & Giunti de Giunta* 1509. *fol. Marco Gradenico patricio Veneto nuncupat F. Augustinus Natalis Ragusæus e conventu SS. Joannis & Pauli*: subdit vero Echardus; *Hæc editio extat Parisiis apud Sanctimoniales* Ave Maria *dictas, Gothico char. nullæ in margin bus concordantiæ.* P. Dolci in Fastis autumat *Nalii* cognomen in *Natalem* fuisse inversum librarii oscitantia; sed cum ipse hujus libri editioni præesset, quis credat illum adeo manifestum in suo cognomine errorem non deprehendisse? Sic autem probata erat Augustini eruditio in Theologicis disciplinis, ut Thomas Cajetanus de Vio totius Ordinis Magister, & insignis vir doctrinæ ejus censuræ subjecerit Commentaria, quæ in Summam D. Thomæ ipse confecerat. Dum vero Bononiensem Studiorum Præfecturam gerebat, Pisas missus fuit ab ipso Cajetano anno 1511. cum Bartholomæo Rondanino, & Matthæo de Lulmo viris ejusdem Ordinis doctissimis, ut coactum a schismaticis Concilium adversus Julium II. Pontificem dissolveret; quod cum ceteris suæ familiæ sodalibus & scriptis & verbis invictissime præstitit. Hisce viri meritis Senatus Ragusinus illum ad Tribunensem & Mercanensem Episcopatum postulavit, ipso tamen & Cajetano contra obnitentibus; quam dignitatem licet invitus eo demum acceptavit, ut consobrini sui fidem de ejus consensu Reipublicæ datam liberaret. Echardus & Fontana asserunt, Ecclesias Tribunensem & Mercanensem Augustino decretas fuisse a Julio II. an. 1512. Utramque epocham falsitatis arguunt tres epistolæ Leonis X. eodem anno dieque scriptæ, qui Augustinum Episcopum dedit Tribunensibus & Mercanensibus, idest prid. Non. Martii anni 1513. qui fuit æræ communis 1514. In libro supra laudato Senatus Ragusiensis electio Augustini hisce verbis inscripta est; *Die 21. Novemb. 1513. Electio D. Episcopi Mercanen. & Tribun. Magister Augustinus de Nale Ord. Præd. Sac. Theol. Professor.* Sed jam Leonis litteras subjiciamus. Prima est hujusmodi.

Epiſc. Tribun. & Mercan. an. 1513.

Leo Episcopus Serv. Servor. Dei. Dilecto Filio Augustino Nale electo Mercanen. & Tribunien. salutem & Apostol. bened. Divina disponente Clementia, cujus inscrutabili providentia ordinationem accipiunt universa, in Apostolicæ dignitatis specula, licet immeriti, constituti, ad universas Orbis Ecclesias aciem nostræ considerationis extendimus, & pro earum statu salubriter dirigendo, Apostolici favoris auxilium adhibemus; sed de illis propensius nos cogitare convenit, quas propriis carere Pastoribus intuemur, ut eis, juxta cor nostrum, viri præficiantur idonei, qui commissos sibi populos per suam circumspectionem providam, salubriter dirigant, & informent, ac bona Ecclesiarum ipsarum, non solum gubernent utiliter, sed etiam multimodis efferant incrementis. Dudum siquidem bon. mem. Georgio Mercan. & Tribunien. Episcopo regimini Merc. & Trib. Ecclesiarum invicem perpetuo canonice unitarum præsidente, nos cupientes eisdem Ecclesiis, cum vacarent, per Apostolicæ Sedis providentiam, utilem ac idoneam præficere personam, provisionem earumdem Ecclesiarum, ordinationi, & provisioni nostræ duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, si secus super his per quoscumque quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentare. Postmodum vero dictæ Ecclesiæ per obitum ipsius Georgii, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ persolvit, Pastoris solatio destitutæ, nos vacatione hujusmodi fide dignis relationibus intellecta, ad provisionem ipsarum Ecclesiarum celerem & felicem, de qua nullus præter nos se intromittere potuit, sive potest, reservatione, & decreto obsistente; ne supradictæ Ecclesiæ ipsæ longæ vacationis exponantur incommodis, paternis & sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de præficiendo eisdem Ecclesiis personam utilem, & etiam fructuosam, cum Fratribus nostris habuimus diligentem; demum ad te Ordinis Fratrum Prædic. Professorem, in Presbyteratus ordine constitutum, litterarum scientia præditum, vitæ, ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum, & temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum donis, prout fide dignorum testimonio accepimus, multipliciter insignitum, direximus oculos nostræ mentis; quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua nobis & eisdem Fratribus, ob tuorum exigentiam meritorum, accepta, de ipsorum Fratrum consilio, auctoritate Apostolica providemus; teque illis præficimus in Episcopum & Pastorem, curam & administrationem ipsarum Ecclesiarum tibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Inc. Domin. milles. quingent. tertiodecimo pridie Non. Martii, Pontif. nostri anno primo. Epiſtola Leonis X.

Altera epistola hæc est: *Leo Episcopus &c. Dilectis filiis Clero Mercan. & Trib. Civit. ac Diæc. sal. & Ap. bened. Hodie Mercan. & Tribun. Ecclesiis per obitum bon. mem. Georgii Episc. Mercan. & Tribun. Ecclesiarum &c. de persona dilecti filii Augustini &c. Dat.* ut supra.

Tertia denique ad Populum utriusque Ecclesiæ: *Leo Episc. &c. Dilectis Filiis Populo Civit. & Diæc. Mercan. & Tribun. Ecclesiarum sal. & Ap. bened. Hodie Mercanen. & Tribunien. Ecclesiis per obitum b. m. Georgii &c. de persona dilecti filii Augustini &c. ob suorum exigentiam*

Digitized by Google

meritorum &c. providimus &c. Dat. ut supra.

Augustinus interfuit Concilio Lateranensi.

Anno 1514. & mense Majo nondum Roma discesserat; nam eodem anno tertio Nonas Maji Sessioni nonæ Concilii Lateranensis interfuit, & subscripsit *Reverendus Pater Dominus Augustinus Tribunensis*. Ei Pontifex potestatem fecit obeundi munera episcopalia in Civitate Ragusii, cum Civitas & diœcesis Tribunensis esset sub Imperio Turcarum; idque constat ex Diplomate pontificio anni 1517. ædicula vero Mercanensis S. Michaelis, sive S. Mariæ ad splendorem ac dignitatem functionum pontificalium idonea non erat, Auctor Monum. Congregationis Dominicanæ Ragusinæ de Augustino hæc litteris consignavit: *F. Augustinus Nale Episcopus Mercanæ, & Tribunii nominatus a Senatu Ragusino, circa annum 1513. Vir in Ecclesiasticis Historiis notissimus, insignis doctrinæ, & prudentiæ, qui una cum aliis duobus ex Ordine nostro Fratribus, Conciliabulo Pisano infracti animi constantia se opposuit. De eo Altamura in Bibliotheca, sub annis 1511, & 1520, Cavallerius & alii sub anno 1520, Conventus Bononiensis alumnum putant Nalium, licet eum patria Ragusinum fateantur, Caterum non nisi Regentis Cathedram Bononiæ moderatus est, unde contra Conciliabulum Pisanum missus fuit. Forte etiam sacris studiis in celeberrimo Bononiensi Lyceo operam dedit, quod nec infitior, nec fateor; sed non ideo Ragusino Conventui denegandus est. Quandoquidem Ragusii una cum Fr. Hieronymo germano suo, habitu Ordinis donatus fuit; Ragusii item commoratus est, ut ex variis scripturis & instrumentis colligitur. Immo anno 1502. Ragusio Venetias missus Procurator Conventus, in Procurationis Instrumento Frater de Conventu Ragusino dicitur. Accedit, quod noster Frater Ambrosius Araneus, qui eidem Augustino convixit, Viros illustres Congregationis percensens, post tres vel decem annos ab Augustini obitu, (ne cui forte ante Episcopatum Bononiensi Cœnobio adhæsisse videatur) eum Ragusini Conventus facit alumnum. Plura documenta suæ doctrinæ reliquit. Obiit autem Breni, ubi cum lues Ragusii grassaretur, se receperat, anno 1527. Ragusium inde magnifico funere delatus est, & in Ecclesia nostra, in sepulchro F. Andreæ a Dyrrachio Archiepiscopi Ragusini, conditus fuit.*

Elus elogium & obitus.

Idem Auctor in Catalogo Scriptorum. *F. Augustinus Nale scripsit adnotationes in Thomæ Summam, item in margine cujusque Articuli, numeros & litteras disposuit &c. Anno salutis 1507, ex Commissione Cajetani Vicarii Generalis Ordinis, cum esset Regens in Conventu SS. Joannis & Pauli Venetiis, Commentaria ejusdem in primam partem D. Thomæ revidit & correxit, & tunc litteras, & numeros in margine, ut præfatum est, adnotavit, & imprimi curavit; quorum usus sic ab eodem Augustino statuitur in prima editione &c. Itidem scripsit de Auctoritate Summi Pontificis, & Apologiam ad Conciliabulum Pisanum:* seu potius *adversus Conciliabulum Pisanum*, ut notat Echardus.

Ecclesiam Tribuniensem

Augustinus Sedem quidem Mercanensem usque ad postremum vitæ annum æræ vulgaris 1527. retinuit, Tribunienſem vero dimisit anno 1520. E Tabulis Consistorialibus & Epistolis Pontificiis satis constat Tribuniam jam inde a sæculo superiori redactam fuisse sub potestate Turcarum; in his siquidem, Ecclesia Tribunensis dicitur constituta *in partibus Infidelium*. Turcæ post Bosinam captam, itemque Herzegovinam, sive Principatum S. Sabbæ, Tribuniam quoque Civitatem & regionem subjugarunt. Itaque Episcopi Tribuniæ, relicta statione Tribunensi male fida, & periculosa, Ragusii domicilium stabile collocaverant; ex eaque urbe rationibus Ecclesiæ suæ prospicere, & consulere, atque identidem ad gregem suum visendum ac solandum furtim excurrere solebant. Cum igitur Augustinus liberum sibi aditum ad urbem ac Diœcesim Tribunensem intercluſum videret, hujus Ecclesiæ administratione, & possessione cessit; sed titulum Episcopi Tribunensis videtur retinuisse, præsertim cum P. Cerva in monumentis a se descriptis testetur Augustinum adhuc Episcopum ad annum circiter sextum ac vicesimum hujus sæculi decimi sexti vixisse. Ita per annos fere septem duo fuerunt Episcopi, alter Mercanensis, alter Tribunensis Ecclesiæ. Hanc administrandam suscepit

Turcarum imperio subjectam dimisit.

FRANCISCUS II. EPISC. TRIBUN. XXII.

Franciscus de Orello Episc. Tribunen.

Huic cognomen fuit *de Orello*, Institutum Franciscanum, sed natale solum mihi est ignotum; de quo in Actis Consistorialibus; 1520. *provident* (Leo X.) *Ecclesiæ Tribun., quæ licet in partibus infidelium existat, quamplures Clericos, & Laicos Christianos habet, de persona F. Francisci de Orello Ord. Min. Conventualium.* Diem creationis episcopalis notavit Lucas Vadingus Tom. VIII. Annal. *Factus est Episcopus Tribunien. sub Archiepiscopatu Ragusino Franciscus Orellus Conventualis 14. Maji anno 1520.* Hunc Scriptores Ragusini silentio præterierunt. In quibusdam Tabulis Romanis, quas citat Joseph Garampus, appellatur *Dominicus de Ocello*; sed alius esse nequit a Francisco; nam ibi quoque eodem anno *Episcopus Tribunensis in partibus infidelium* constitutus fuisse dicitur, & quidem ex Ordine *Fratrum Minorum* Conventualium. Fortasse binomius fuit; & qui alias *de Ocello*, idem alias *de Orello*, unius litteræ intermediæ variatione, cognominari potuit. Hunc in libris Senatus Ragusini nominatum non invenio. Ei in Tribunienſem, Augustino Nalio in Mercanensem Cathedram successit

dictus etiam Dominicus de Ocello.

FRANCISCUS III. EPISC. TRIB. XXIII. MERCANENSIS XVII.

Franciscus de Puteo Ep. Trib. & Mercanen.

Ex nobili familia Ragusina, cui cognomen de *Pozza*, sive *de Puteo*, genus & sanguinem duxit; qui Dei amore incensus, paternæ domus commodis ac divitiis pauperem & laboriosam, apud Cœnobitas Dominicanos, vivendi rationem prætulit. Huic Ecclesiam Mercanensem & Tribunienſem decrevit Clemens VII. an. 1527. tertio Kalendas Martii, ut docet Epistola ejusdem Pontificis Francisco jam electo.

ad quem Clem. VII. Epistola.

Clemens Episcopus &c. Dilecto Filio Francisco Puteo de Ragusio, electo Merc. & Tribun. salutem & Apostolicam bened. Divina disponente Clementia &c. Dudum siquidem bonæ memoriæ Augustino Mercan. & Tribun. Episcopo &c. Nos cupientes &c. Demum ad te Ord. Fratrum Prædicatorum Professorem, in Presbyteratus Ordine constitutum, litterarum scientia præditum, vitæ ac morum honestate decorum &c. Dat. in Urbeveteri anno Incar. Dom. milles. quingent. vigesimo septimo tertio Kal. Martii, Pontificatus nostri anno V. Idque confirmant litteræ Vicarii Archie-

chiepiſcopalis Raguſini datæ die 27. Junii ejuſdem anni ad Maurum Abbatem Melitenſem, in quibus veluti teſtis nominatur P. Fr. Franciſcus Epiſcopus Tribunienſis & Mercanenſis electus: habes illas deſcriptas in Philippo Archiep. Raguſino LIV.

Eidem Clemens poteſtatem fecit conſecrationis epiſcopalis ſuſcipiendæ a quocumque vellet Epiſcopo Catholico, & cum Eccleſia Romana fidei & charitatis vinculis conjuncto; itemque formulam ſacramenti præſcripſit, quo ſuam erga Sedem Apoſtolicam, & Clementem VII. ejuſque ſucceſſores fidem atque obedientiam obſtringere debeat.

Alia ad eumdem Epiſtola Clementis VII.

Clemens Epiſcopus Serv. Serv. Dei. Dilecto Filio Franciſco Puteo de Rag. electo Mercan. & Trib. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum Mercan. & Tribunien. Eccleſiis perpetuo canonice unitis, tunc certo modo Paſtoris regimine deſtitutis, de perſona tua, nobis et Fratribus noſtris ob tuam meritorum exigentiam accepta, de Ven. Fratrum eorumdem conſilio auctoritate Apoſtolica duxerimus providendum, præficiendo te illis in Epiſcopum & Paſtorem &c. Nos ad ea, quæ ad tuæ commoditatis augmentum accedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi ut a quocumque malueris Catholico Antiſtite, gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ habente, accitis, & in hoc tibi aſſiſtentibus duobus, aut tribus Catholicis Epiſcopis ſimiliter gratiam &c. munus conſecrationis recipere valeas; ac eidem Antiſtiti, ut, recepto prius a te, noſtro & Romanæ Eccleſiæ nomine, fidelitatis debitæ, juxta formam inferius annotatam, juramento, munus prædictum auctoritate noſtra impendere libere tibi poſſit, plenam & liberam concedimus, earumdem præſentium tenore, facultatem. Volumus autem, & ſtatuimus, ac auctoritate Apoſtolica decernimus, quod ſi dicto non præſtito juramento idem Antiſtes præfatum munus tibi impendere, & tu illud recipere præſumpſeritis, dictus Antiſtes ab exercitio pontificalis officii, & tam ipſe, quam tu ab adminiſtratione tam ſpiritualium, quam temporalium Eccleſiarum veſtrarum, ſuſpenſi ſitis eo ipſo; quodque formam juramenti, quod præſtabis, nobis de verbo ad verbum, per tuas patentes litteras, tuo ſigillo munitas, per proprium nuncium quantocyus deſtinari procures. Per hoc quoque Ven. Fratri noſtro Archiepiſcopo Raguſino, cui dictæ Eccleſiæ metropolitico jure ſubeſſe dignoſcuntur, nullum in poſterum præjudicium volumus generari. Forma juramenti hujuſmodi talis eſt: Ego Franciſcus Puteus electus Mercan. & Tribun. ab hora in antea fidelis & obediens ero B. Petro, Sanctæ Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, Domino noſtro Domino Clementi VII., ejuſque ſucceſſoribus canonice intrantibus &c.

Dat. in Urbeveteri ann. Incarn. Dom. milles. quingent. viceſimo ſeptimo (octavo) VI. Non. Martii, Pontific. noſtri anno 5.

In libris jam laudatis ſive Indice electionum &c. Senatus Raguſienſis ita Franciſci electio inſcripta eſt: *die 20. Maji 1527. Electio Epiſc. Mercan. & Tribun. F. Franciſcus de Pozza Ord. Pradic.*

Ut ab uno tantum Epiſcopo & duobus Abbatibus adminiſtris conſecrari poſſit.

Cum Archiepiſcopus Raguſinus abeſſet, nec facultas & copia duorum Epiſcoporum ſuppeteret, per quos conſecraretur, Franciſcus ab eodem Pontifice petiit impetravitque, ut ab uno ſolo Epiſcopo, cum duobus Cœnobiarchis ad ſolemnem illam functionem adhibitis, epiſcopali charactere inſigniri poſſet.

Tertia Epiſtola Clementis VII. ad eumdem.

Clemens Ep. Ser. &c. Dilecte Fili ſal. & Ap. ben. Nuper Mercan. & Tribun. Eccleſiis invicem unitis, per obitum &c. vacantibus; Nos &c. teque illis præfecimus in Epiſcopum & Paſtorem &c. ut per alias litteras noſtras tibi, ut a quocumque Epiſcopo &c. munus conſecrationis recipere valeas &c. Cum autem, ſicut nobis exponi feciſti, Archiep. Raguſ. ab Eccleſia ſua abſens exiſtat, & cum difficultate tres Epiſcopi haberi poſſint, dubitaſque munus conſecrationis hujuſmodi propter Epiſcoporum abſentiam recipere non poſſe; pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut munus conſecrationis hujuſmodi ab uno ſolo Epiſcopo, duobus Abbatibus ſibi aſſiſtentibus recipere valeas, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi, ut ab uno ſolo Epiſcopo, cum duobus Abbatibus ſibi aſſiſtentibus, munus conſecrationis hujuſmodi, alias juxta tenorem litterarum ſuper ſuſceptione muneris conſecrationis confectarum, recipere valeas &c.

Datum in Civitate Urbevetere ſub annulo Piſcatoris die x. Martii MDXXVII. (octavo) Pontific. noſtri anno 5.

Cum Melitenſi Congregationi conventuum agendorum formam Clemens præſcripſiſſet, diplomatis pontificii enunciandi, ejuſque formæ conſtituendæ munus Franciſco commiſit anno 1530., qui cum Corcyrenſi Antiſtite, & Archidiacono Eccleſiæ Raguſinæ Pontificis mandata exſecutus eſt.

Franciſci elogium & obitus.

De Franciſco Mercanenſi, & Tribunienſi Epiſcopo Auctor Mon. Congreg. Dominicanæ Raguſinæ: *F. Franciſcus Pozza nobilis Raguſinus, Mercanæ & Tribunii Epiſcopus, Philoſophiæ & Sacr. Theol. eruditione inſignis, ac celebris ætate ſua Concionator, Prioris pluries & ſemel Vicarii generalis officio in Congregatione noſtra ſingulari prudentia perfunctus, anno 1528. a Clemente VII. in Paſtorem dictarum Eccleſiarum inſtante Raguſino Senatu, datus fuit; ac vix quartum aſſumptionis ſuæ annum attingens Raguſii vitæ curſum clauſit an. 1532.*

In ſui Ordinis Bibliotheca (Raguſii) *latinæ ejuſdem ſervantur conciones, quæ Gozzei & Razzii judicio diſertiſſimæ. Clemens Araneus* (vir doctiſſimus ejuſdem Ordinis) *pluries allegat in ſuis Conſiliis Præſulis hujus auctoritatem.* Hæc Dolcius in Faſtis.

THOMAS EPISC. TRIBUN. XXIV. MERCANENSIS XVIII.

Thomas Epiſc. an. 1532.

Patritius idem Raguſinus ex illuſtri domo Cerva ſive Cervina, itidemque alumnus diſciplinæ Dominicanæ, quem idem Clemens VII. ad Sedem Tribunienſem & Mercanenſem evexit an. 1532., ut declarant tres epiſtolæ Clementis. Prima hæc eſt, *Dilecto Filio Thomæ Cervino Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori ſal. & Apoſt. ben. Apoſtolicæ Sedis conſueta clementia &c.* illum abſolvit ab omnibus eccleſiaſticis impedimentis ad obtinendum Epiſcopatum Mercan. & Tribun. &c. *Dat. Bononiæ anno Incar. Dom. milles. quingenteſ. trigeſimo ſecundo XVII. Kal. Jan. Pont. noſtri an. decimo.* Altera inſcripta eſt *Ven. Fr. Archiepiſc. Raguſino*, cui commendat Thomam Cervinum electum Mercan. & Tribun. Eccleſiarum *vacantium per ob. bon. mem. Franciſci Putei olim Epiſc. &c.* Dat. eodem loco, anno, dieque. Tertia denique itidem commendatitia ad

Dilectos Filios Populum Civit. & Diæc. Tribun. & Merc. Index electionum &c. refert electionem Thomæ in diem vicesimam nonam Octobris anni ejusdem, hisce verbis adjectis, *cum confirmatione Summi Pontificis secundum consuetum*; cum nimirum a Pontifice renunciari Antistes soleret is, quem Senatus postulabat, ab illo autem electus Episcopus ejusdem Senatus decreto eligi a se, & admitti in illarum Ecclesiarum possessionem dicebatur. Post Episcopatum Thomæ jus nominandi eligendique Episcopi Tribunensis & Mercanensis omnino & libere Reipublicæ cessit. Thomas annos circiter novem utrique Ecclesiæ præfuerat, cum Paullus III. postquam Stagnensem Ecclesiam a Corcyrensi sejunxit, illum Episcopum Stagnensem renunciavit an. 1541. & prioris utriusque titulum atque administrationem retinere jussit. Episcopatum Stagnensis Ecclesiæ nono itidem anno, quo susceperat, voluntaria abdicatione deposuit, nec tamen Tribunensem ac Mercanensem antea dimisit, quam e vivis excederet an. 1562., ut tradunt Monumenta Congreg. Domin. Ragusinæ. Suspicor tamen biennio ante aut Episcopatum Mercanensem dimisisse, aut vita esse defunctum, ut locus sit inter Mercanenses Episcopos Francisco IV., de quo paullo inferius. Cetera quæ ad eum pertinent ex historia Ecclesiæ Stagnensis repetenda sunt? Vincentius Maria Fontana in Theat. Dominic. mortem Thomæ ad an. 1555. revocavit. Dum Thomas utrique Ecclesiæ præsidebat, duos Episcopos Tribunienses comperio, quos e tabulis Romanis deprompsit Cardinalis nunquam satis laudandus Joseph Maria Garampus, Albertum & Marianum de Magruè; anno siquidem 1538. ut est in Actis Consistor. *provisum fuit Ecclesiæ Tribonen. in partibus infidelium vacanti per obitum Alberti de persona Mariani de Magruè Prioris S. Nicolai Diœcesis Agrigentinæ.* Eumdem commemorat Rocchus Pirrus, in Tomo I. Sicil. Sacr. in notit. Ecclesiæ Agrigent. *Prioratus S. Nicolai de Latina juxta portam antiquam S. Nicolai Saccensis urbis in Provincia Agrigentina an.* 1542. *erat Prior F. Marianus de Magno seu Manno Saccensis Episcopus Trebianensis. Testatur Regius Visitator Ventus hanc visitans Ecclesiam* Ordinis Benedictini *anno* 1635. Hos *Titulares*, ut vocant, seu *Honorarios* Episcopos fuisse arbitror; eisque titulum e nostra Tribunensi Ecclesia sumptum, Augustino & Thoma consentientibus, collatum fuisse; & ne personam episcopalem otiosam atque ab omni curatione vacuam gererent, quæ sunt Episcopi munia in regno Siciliæ peragendi facultas illis data fuit, ubicumque Siculi Episcopi auxilium illorum requirerent. In Catalogo Episcoporum, qui Concilio Tridentino interfuerunt, Tom. XX. Collection. Concil. Veneto-Labbeanæ inserto, *Franciscus Ragusæus Ordinis S. Francisci de Observantia Episcopus Marcanensis* nominatur inter eos Episcopos, quos Pius IV. ad Episcopalem dignitatem evexit; & *Francisci Episcopi Mercanensis* meminere præterea Joannes Petrus Crescentius in eo libro, qui inscribitur *Præsidium Romanum*, ubi affirmat eum Tridentino Concilio interfuisse, & F. Antonius de Venetiis in *Viridario Seraphico*, qui Francisci Episcopatum rejecit in an. 1548., quo certe Thomas Tribunensem & Mercanensem Ecclesias regebat. Sed idem is est, ac Jacobus Luccarius, ut ex Fastis Dolcianis paullo inferius monebimus, qui proxime post Thomam utrique Ecclesiæ regendæ Episcopus præfectus fuit.

obiit ante annum 1562.

Duo Episcopi Trib. & Mercan. an expungendi?

JACOBUS II. EPISC. TRIBUN. XXV. MERCANENSIS XIX.

Quem gens Luccara imprimis inter Ragusinos clara & nobilis familiæ Franciscanæ alumnum egregium, hæc vero Ecclesiæ Tribunensi & Mercanensi Episcopum singulari doctrina & virtute præditum dedit, electum a Ragusino Senatu IV. Id. Novembris an. 1562. ut est in Indice Electionum &c. *Die* 10. *Novembr.* 1562. *F. Jacobus de Luccaris*; quem Pius IV. sua approbatione & auctoritate in dignitatem & jurisdictionem episcopalem immisit an. 1563. ita enim legitur in tabulis Consistor. *Hodie Sanctissimus in Christo Pater & Dominus noster D. Pius in suo Consistorio secreto ad relationem Reverendissimi Caroli tit. S. Martini in Montibus Presb. Card. Borromæi nuncupati providit Trib. & Mercan. Ecclesiis invicem perpetuo unitis, quibus b. m. Thomas Cervinus Ep. Mercan. & Tribun. dum viveret præerat, de persona religiosissimi Domini Jacobi de Luccaris. Dat. Romæ sub anno Nativit. Domin.* 1563. *die vigesima Julii, Pontificatus prælibati Sanctissimi Dom. nost. PP. anno IV.* Carolus Cardinalis Borromæus litteras testes dedit utriusque Episcopatus Jacobo collati & potestatis eidem traditæ, ut a quolibet Episcopo Catholico consecrari posset. Maffæus Episcopus Theatinus vices gerens Cardin. Sabelli Vicarii generalis in Basilica Lateranensi cum duobus Episcopis administris consecrationem episcopalem impertiit, & ab eodem consuetum jusjurandum in verba Pontificis & Romanæ Ecclesiæ recepit.

Jacobus Episc. an. 1563.

Carolus miseratione divina tituli S. Martini in Montibus S. R. E. Presbyter Cardin. Borromæus nuncupatus. Notum facimus & attestamur qualiter hodie Sanctissimus Dom. noster Pius Divina Provid. Papa IV. qui Ecclesis Mercanen. & Tribun. invicem unitis per obitum bon. mem. Thomæ Cervini earum Episcopi extra Romanam Curiam defuncti Pastoris solatio destitutis de Rever. & Religiosi viri Jacobi de Luccaris Ord. Min. S. Francisci Professoris persona providit, ipsumque illis in Episcopum præfecit & Pastorem, curam & regimen prædictarum Ecclesiarum sibi committendo supplicationibus ipsius Jacobi electi per me porrectis inclinatus, eidem Jacobo, ut a Reverendissimo D. meo Cardinale de Sabellis Almæ Urbis Vicario, vel ab Episcopo Theatino ejus vices gerente, aut alio Catholico Antistite in Romana Curia residente, & gratiam Sedis Apostolicæ habente deputando, in ipsa urbe assistentibus duobus Catholicis Episcopis munus consecrationis quocumque die festivo recipere, & dictum munus dicto Jacobo electo servatis solitis ceremoniis impendere valeant, vivæ vocis oraculo nobis super hoc facto auctoritate Apostolica licentiam concessit. In quorum fidem præsentes manu propria subscripsimus, nostrique parvi sigilli, quo utimur in talibus, fecimus impressione communiri. Dat. Romæ in Palatio nostræ solitæ Residentiæ die VII. *mensis Augusti, Pontificatus prælibati D. N. Papæ an.* IV.

Litteræ Caroli Card. Borromæi,

Carolus Card. Borromæus.

Marcus Antonius Maffæus Dei & Apost. Sedis gratia Episc. Theatinus, Illustrissimi & Reverendissimi Domini Jacobi Sabelli titulo S. Mariæ in Cosmedin S. R. E. Presbyteri Card. de Sabellis Sanctissimi D. N. Papæ & Sedis Apostolicæ Vicarii generalis vices gerens, universis & singulis præ-

& Episcopi Theatini,

Digitized by Google

præsentes litteras visuris, inspecturis, lecturis, audituris &c. notum facimus & attestamur per præsentes, quod nos hodie Dat. præsentium in Lateranensi Basilica vigore patentium litterarum Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Caroli Miserat. Divina S. R. E. Presbyteri Card. Borromæi nuncupati manu sua propria subscripsarum, & suo sigillo munitarum, quorum tenor sequitur: Carolus Miserat. Divin. tit. S. Martini &c. adhibitis & assistentibus nobis Reverendis Dom. Alberto Duinio Veglien si, & Antonio Maria ..... Episcopis in Romana Curia residentibus gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habentibus, & infrascripto Magistro Cæremoniarum, præfatum R. D. Jacobum electum Mercan. & Tribun. Ecclesiarum perpetuo unitarum præsentem in Episcopum & Pastorem Mercan. & Tribun. Ecclesiarum ut præferatur unitarum cum solemnitatibus & ceremoniis consuetis, præstito prius per eum in manibus nostris juramento inferius descripto, in Lateranensi Ecclesia & die infrascripto juxta ritum & morem S. R. E. consecravimus, sibique munus prædictum impendimus; ac ipsum Episcopum per præsentes consecratum fuisse & esse denunciamus. Cujus quidem juramenti tenor talis est. Ego Jacobus de Luccaris electus Mercan. ab hac hora in antea fidelis ero B. Petro, Sanctæque Rom. Eccl. &c. Dat. Romæ in Lateranensi Ecclesia sub an. a Nativit. Dom. 1563. Indict. 6, die vero 16. mens. Augusti, Pontific. prælibati Dom. nostri Pii Papæ IV. an. IV.

Obitus Jacobi. Jacobus biennio Ecclesiam utramque gubernavit, mortuus an. 1565. & Ragusii apud Fratres suos in Æde S. Francisci tumulatus.

Sebastianus Dolci in Fastis scribit Jacobum *ad Mercanensem & Tribunen. insulas sub Pio IV. an. 1562. [illegible] Tridentino interfuisse Concilio*; rectius scripsisset electum an. 1562. a Senatu Ragusino, & a Pio IV. an. insequenti episcopali consecratione donatum fuisse. *In Episcoporum tamen Catalogo*, subdit idem Dolcius, *perperam Franciscus dictus; qui error in novissima ejusdem Concilii editione facta per Balleonios an. 1763. jam correctus. Juris Canonici peritissimus fuit; & additas ab ipso libris Decretalium quampluvimas notas in nostra Daxensi Bibliotheca vidi. Excessit anno 1575. annorum LXIII.* De hoc anno emortuali lege quæ paullo inferius notabimus.

Ex litteris Maffæi discimus Albertum Episcopum Veglien sem Romæ fuisse an. 1563. forte Tridento reducem, quam in urbem Pius IV. Synodum Tridentinam revocaverat an. 1562.; idque a nobis omissum est in Tomo V. hujus Operis pag. 310.

SIMEON EPISCOPUS TRIBUN. XXVI. MERCANENSIS XX.

De Simeonis Episcopo Patritius idem & Canonicus Ragusinus, a Senatu electus Idib. Augusti an. 1565. ut est in Indice electionum &c. sed vel error subest huic notæ chronologicæ, vel post annos fere decem suam Ecclesiam obtinuit an. 1575. cum Jacobus Cardinalis Sabellus in Senatum Cardinalium retulit de Tribunien si & Mercanen si Ecclesiis Simeoni decernendis, ut constat ex ejus epistola, quam hic subjicio, ad Cardinalem nescio quem scripta; in ea Simeonem Vicarii generalis operam præbuisse Ludovico Beccatello Archiepiscopo Ragusino, & aptissimum esse muneri episcopali gerendo testatur. Mirum vero esse non debet, si tantum moræ inter Senatus electionem & pontificiam approbationem intercesserit; quippe idem Sabellus *Ecclesiam Mercanensem & Tribunien sem* tum fuisse scribit *Episcopatum Titularem*; idque per annos fere quinque iterum contigit post Simeonis decessum, uti paullo inferius dicemus.

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

Epistola Card. Sabellii. *Ego Jacobus Card. Sabellus in proximo Consistorio referam Ecclesias Mercan. & Tribun. invicem unitas vacant. per ob. F. Jacobi Lucaris in personam Simeonis Mentis Canonici in Metropolitana Ecclesia Ragusina.*

Ecclesia Mercanen. & Tribunen. est Episcopatus Titularis & nullam penitus curam habet animarum cum Tribunium fuerit & modo sit occupatum ab infidelibus & Turcis, & Mercana sit scopulus parvus & nudus in Dominio Ragusino, in quo scopulo nullus habitat, & Episcopus Mercanen. & Tribun. pro tempore existens tenetur & conservatur Ragusii ad splendorem & decorem ipsius Civitatis, nec non ad ejusdem Civitatis commodum & salutem pro administrandis Sacramentis absente vel impedito R. P. D. Archiepiscopo Ragusino; & est suffraganea Metropolitanæ Ecclesiæ Ragusinæ.

Fructus sunt taxati in libris Cameræ ad florenos 33. $\frac{1}{3}$ valor autem annuus ascendit ad ducatos septuaginta vel circa.

Præfatus vero Simeon est ex Civitate Ragusii oriundus de nobilibus parentibus & legitimo matrimonio procreatus, annor. circiter 49. in sacro Presbyteratus ordine a plurimis annis citra constitutus. Et licet non sit in Jure Canonico vel Sacra Theologia Doctor, est tamen ad hujusmodi Ecclesias obtinendas idoneus, est enim Catholicæ & laudabilis vitæ, optimisque & Christianis moribus ornatus, & fuit per sex annos Vicarius R. D. Ludovici Beccatelli dum vixit Archiepiscopi Ragusini in ipsa Ecclesia Ragusina; quod officium laudabiliter exercuit, & in ipso officio plures commissiones Apostolicas una cum laude & diligentia fuit executus.

Et emisit professionem fidei in manibus Vicarii R. P. D. Archiepiscopi Ragusini.

Quæ omnia constant ex processu in partibus coram Vicario confecto, & per Reverendissimos DD. meos Capita Ordinum, & me subscripto, & etiam ex Litteris testimonialibus ipsius Reipublicæ Ragusinæ cum reservatione præfati Canonicatus.

Cardinali Sabello assensum est de Simeone utrique Ecclesiæ præficiendo, & Gregorius XIII. v. Non. Octobr. an. 1575. ut est in Actis Consistor.. Simeonem Ecclesiæ Mercanensi & Tribunien si præfecit. Fuit Vicarius generalis Vincentii Portici Archiep. Ragusini. Anno 1599. Sedem vacuam successori reliquit. Post Simeonis obitum Senatus Ragusien sis ad Tribunien sem & Mercanen sem Episcopatum nominavit *die 26. Nov. 1599. Fr. Archangelum de Gozze Ord. Præd.*, quem Vincentius Maria Fontana & Cavallerius inter hoice Episcopos adnumerant, tum etiam Echardus in Tomo II. Script. Dom. electum, ut ajunt, an. 1595. Sed Auctor Monum. Congreg. Ragus. Domin. nominatum quidem fuisse tradit, sed neque approbatum neque consecratum. *F. Archangelus Gozze in sæculo vocatus Natalis, filius Antonii, quem Cavallerius putat Episcopum Mercan. & Tribun. a Clemente VIII. 1595. electum; profecto nominatus fuit a Senatu Ragusino an. 1599. in Episcopatum Mercan. sed nunquam induci potuit, ut Romam peteret;*

Simeonis ob. an. 1599. & F. Archangeli electio.

Digitized by Google

ret; quare consecratus minime fuit, illo proinde honore dignissimus. Aliæ tamen causæ videntur intercessisse, quominus Archangelus delatam sibi dignitatem adiret; siquidem annos fere septem *Electi Episcopi* titulum solummodo retinuit; & *die* demum 17. *Aprilis* 1606. *In Min. Consilio electioni de se factæ renuntiavit*; quod perhibet Index electionum sæpe laudatus.

THOMAS II. EPISC. TRIBUN. XXVII. MERCANENSIS XXI.

Thomas II. e gente Budislava nobilissima,

Ex nobilissimo genere ortus; cujus familia in Nevisignia Herzegovinæ provincia originem habuit, eique antiquum cognomen Budislava ex eo loco Nevisignæ regionis, quem ipsa *Comitatus* titulo & jure possidebat; aliud cognomen postea sortita a Natali Budislavichio Thomæ atavo. Verum Thomas Bosnensem sese appellare consuevit, cum Nevesignia & Bosnæ contermina sit, & in ejus partem olim fuerit adscripta. Natalis Turcarum tyrannidem fugiens sub exitum sæculi XV. Ragusium sese recepit, unde Ragusienſis familia Natalium. Ei Leonardus filius fuit, ex quo genitus Vincentius Thomæ pater, qui lectissimam feminam ex gente Ciubranovichia Ragusiensi uxorem duxerat; ejusque genus ipse Thomas in suo Testamento pluribus ornat, tum in Veglienſem etiam & Fluminensem familias divisum. Hinc Marinus Battitorrius civis Ragusinus, cum Venetis typis an. 1599. edendum curasset venustissimum sane poema Andreæ Ciubranovichii poetæ Ragusini Slavo idiomate & carmine compositum, cui titulus Jeghjupka, ideſt *il Zingano*, hoc opus Thomæ inscripsit, quem Philosophiæ, Medicinæ, & Theologiæ scientia cumulate commendat. Thomas igitur humanioribus litteris, & severioribus disciplinis Ragusii jam excultus inde Bononiam profectus est, ut in celeberrimo illius urbis Gymnasio medicæ arti se totum addiceret, in qua ediscenda tantum ingenio studioque profecit, ut summam apud omnes existimationem, & publica Doctoris insignia promeritus fuerit.

medica arte celebris,

In patriam cum reversus esset, medicinam ibi exercuit; sed solitudinis cupiditate ductus commodam sibi ædem in suo agro exstruxit, qui late amœnam montis Sergiani, seu Vergati, urbi impendentis declivitatem occupat, & in ipsa ædis fronte hæc jussit insculpi,

N. A.

Talis amor teneat: non sit mihi cura mederi.
Ducite ab urbe domum meam carmina, ducite Daphnim.
Ducite Thomam Natalem.

Vitæ etiam brevitatem, & incertam sui obitus horam animo tenens sepulcrum sibi paraverat in Cœnobio Fratrum S. Francisci strictioris Observantiæ cum hac epigraphe incila lapidi venusto opere elaborato, & suæ gentis insignibus egregie ornato.

Thomæ Vincentii Natalii C. D.
Budislaunorum stirpe orti
Monumentum hoc N. S. H.
Sed M. S. H. MDL.

& gravissimis defunctus muneribus,

Cum paullo post Romam abiit, & inde Constantinopolim profectus benevolentiam obtinuit & gratiam Turcæ Imperatoris, qui e gravi morbo illius opera præter spem convaluerat; quare gemino Bobanii Comitatu ab ipso donatus in Poloniam perrexit, ubi gratissimum sese præstitit Stephano Regi, & Miscovio Episcopo Cracoviæ, quorum hic Thomam in collegium Canonicorum Cracovienſium, ille in ordinem Equitum cooptavit. Hinc auctus honoribus, & locupletibus fundis Ragusium rediit, ubi hoc de se monumentum tabulæ marmoreæ inscribi, suoque sepulcro subjici voluit.

Jure acquisitos Thomæ Natalis honores
Hoc breve & incisum marmore carmen habet,
Felsina victrices lauros, Ragusa laboris
Præmia, Rex magnus Sarmata donat equum,
Hunc etiam civem vetus & nova Roma videret,
Ni patriæ dulcis detinuisset amor.

Horum itinerum causſam ipse innuit in tertio sui Testamenti codicillo, in quo affirmat pluries in vitæ discrimen *pro Sancta Sede Apostolica* se adductum plurimam etiam e suis redditibus acceptam pecuniæ partem pro eadem ultro impendisse; unde conjicias gravissimis pro Romano Pontifice muneribus tum fuisse perfunctum. Oblatam semel atque iterum tum Ragusii, tum aliis in locis episcopalem dignitatem recusaverat, ut ipse testatur in primo Testamenti codicillo; sed anno 1606. die Aprilis decima octava electus a Senatu Episcopus Tribunienſis & Mercanenſis libentissime impositum sibi munus suscepit, quippe Spiritus Sancti instinctu tunc se duci, vocarique ajebat, ut pauperem sponsam suis bonis suoque patrimonio ditaret. Quapropter ante pontificiam approbationem testamento, quod jam fecerat, codicillum adjecit Kalendis Maji ejusdem anni, & Tribunienſem Ecclesiam hæredem scripsit cujusdam domus, quam Ragusii in optima urbis parte possidebat, tum latifundii, & ædis in monte Sergiano a se exstructæ, gemini quoque Bobanii Comitatus in provincia Harpalukia Tribunienſis Diœcesis, quos dono acceperat ab Imperatore Turca, & alterius denique fundi in Ponikue siti, qui locus est peninsulæ Stagni, cum illum sibi a leviro suo deberi jure contenderet. Quinque fere menses post electionem Paullus V. in Cardinalium Senatu Thomam Episcopum Tribunienſem & Mercanenſem renunciavit, suæque Ecclesiæ pontificia auctoritate præposuit, ut docent Acta Consistorialia: *An.* 1606. 25. *Septembris providit Ecclesiis Mercan. & Tribun. invicem perpetuo unitis per obitum Simeonis vacantibus de persona Thomæ Natalis Subdiaconi Ragusini Canonici Ecclesiæ Cracovienſis cum dispensatione, quod possit intra sex menses se ad sacros ulteriores Ordines promovere, & decreto quod non possit exercere Pontificalia, nisi in Ragusina Diœcesi*: ejus quippe Diœcesis & Civitas Episcopalis ab Turcis dominatu barbarico & Christianis infesto premebatur; extra quam permisit quidem Pontifex potestatem, quæ sunt Episcopi, munia solemnia peragendi, sed intra fines Diœcesis Ragusinæ. Anno altero post susceptam consecrationem episcopalem a Paullo Pontifice facultatem impetravit testamenti iterum condendi, quod constat ex litteris ipsius Pontificis datis VIII. Kal. Junii an. 1607: anno vero insequenti, Neapoli dum esset, & alias ex aliis moras necteret, letalis morbus ipsum inopinantem perculsit; cumque in extremum vitæ discrimen esset adductus, tertium testamento codicillum adjungi jussit VI. Kal. Julii; quo egregia erga suam Ecclesiam caritatis & munificentiæ testimonia confirmavit, & fere octo millia argenteorum legavit, ut Ragusii domus & Collegium Clericis Diœcesis Tribunienſis pararetur, ubi litteris ac disciplinis operam darent, evaderentque præcones evangelii & idonei ope-

fit Episc. Tribun. & Mercan.

Ejus in suam Ecclesiam pia liberalitas,

ra-

rarii ad vineam Dominicam excolendam; quod *Collegium Orthodoxum Budislavum* appellari voluit; hanc vero pecuniam Neapoli perpetuo fœnore jam collocaverat: & aliquot post dies vita piissime decessit, atque in æde D. Mariæ Constantinopolitanæ sepultus fuit. De Thoma hæc Chrysostomus Antichius in Catalogo Episcop. Tribun. & Mercan. Romam transmisso; *Thomas Natalis Budislavus Ragusinus, Canonicus Cracovienſis, Comes Bobanii, Eques, Doctor, ac Protomedicus, Episcopus Tribun. & Mercan. postquam electus & confirmatus fuit antequam residentiam & Episcopatum adiret, Romæ discedens Neapoli diem suum obiit an. 1608. ibidemque in Ecclesia S. Mariæ de Constantinopoli sepultus est. Hic ex legato pio Collegium Orthodoxum Ragusii erigendum mandavit, ejusque Rectores Episcopos Tribunen. & Mercan. instituit.* Post aliquot annos, jubente sacra Congregatione de Propaganda Fide atque urgente, Collegium quidem conditum fuit; etenim, cum Confratres Sodalitatis Ragusinæ S. Rochi rem hanc sibi a Thoma commissam veluti sui testamenti executoribus non curarent, Antichius ope Archiepiscopi Ragusiensis id obtinuerat an. 1625; sed cum leges, quas bonus Episcopus præscripserat, neglectæ fuissent, de illo Romam vel Neapolim transferendo cogitatum fuit; ac demum redditibus, qui Clericis alendis necessarii essent, magna ex parte imminutis atque absumptis, penitus abolitum fuit, ut dicemus inferius.

& obitus an. 1608.

AMBROSIUS EPISC. TRIBUN. XXVIII. MERCANENSIS XXII.

Ambrosius Gozzeus Episc.

Huic Paullus V. Tribunienſem & Mercanenſem Ecclesiam decrevit, ut tradunt tabulæ Consistoriales: *An. 1609. 15. Junii providit Ecclesiis Mercan. & Tribun. invicem unitis per obitum Thomæ Natalis vacantibus de persona Fr. Ambrosii Gozzei Ord. Præd. Theol. &c.* Statim ab Natalis decessu Senatus Ragusiensis *die 16. Julii 1608.* consenserat in electionem *R. D. Jacobi Luccari*, qui morte præreptus ante, quam Romæ sollemni ritu inauguratus fuisset, liberam reliquit successori Ecclesiam utramque; & in ejus locum ipse Ambrosius suffectus est a Senatu *die 2. Februarii 1609.* ut ex Indice Electionum cognoscimus. Hunc laudat Echardus in Tomo II. Scriptorum sui Ordinis, & Archangelo Gozzeo suffectum scripsit; sed de Archangeli Episcopatu paullo superius diximus in Simeone Episcopo. Nonnulla ab Ambrosio in lucem edita feruntur apud ipsum Echardum, scilicet *Catalogus virorum ex familia Prædicatorum in literis insignium; Opus de similitudinibus & exemplis;* tum *Alberum familiæ Gozzeæ, seu stemma & genealogica series Gozzeæ gentis*; quæ duo postrema non sunt edita. Dum has Ecclesias regebat, de utraque perbreves litteras scripsit ad Sacr. Congreg. quæ asservantur in Tabulario de Propaganda Fide: *Relatio Episcopatus Mercan. & Tribun. facta tempore F. A. Gozzei Episcopi. Episcopatus Mercan. & Tribun. est partim in Dominio Illustrissimæ ex Excellentissima Reip. Ragusinæ, & partim inter infideles sub dominio Turcarum. Mercana est quædam Insula sita in mari Adriatico, longe ab urbe Ragusii per sex millia passuum, & est sub ditione Illustrissimæ Reip. Habet duas Ecclesias, unam in Palatio Episcopali (seu potius inter rudera, & parietes semirutos Palatii) sub nomine S. Michaelis; alteram in inferiori parte insulæ, sub nomine B. Virginis ad Nives, & S. Dominici. Tribunia est longe a Civitate Ragusina sexdecim millia passuum, sub ditione Turcarum; habet sub se Castrum novum, in quo sunt duodecim domus Catholicorum, qui dant obedientiam; est etiam & alia terra, sive villa Populorum nuncupata, in qua circiter quatuor casalia Catholicorum. Sunt multæ Ecclesiæ dirutæ ab Infidelibus, quarum videntur fundamenta & muri; & facile possent in pristinum restitui, si aliquis præberet auxilium, & favorem. Episcopus residet in Civitate Ragusii, ac habet Palatium speciale ab antiquo, & aliam domum, & possessiones vinearum Breni, & Mercanæ; habet & reditus annuos, computatis omnibus, ad summam Ducatorum centum. Episcopus fuit usque ad tertiam villam Tribuniæ, animo visitandi totam Diœcesim; sed ob periculum, quod imminebat, ultra non processit; sed reversus est Ragusium, animo iterum (cessante periculo) redeundi ad Diœcesim visitandam. Episcopatus est absque Clero & Ecclesia; solum secum tenet tres servitores.*

Ejus de utroque Episcopatu litteræ ad Sac. Congreg.

F. A. Gozze Episcopus.

Ambrosio gravis fuit contentio cum Antistite Catharensi pro jurisdictione Castri Novi, quam is Tribunienſi Episcopatui, sibique vindicabat; sed causſa cecidit; de qua fuse in Episcopis Rhizinensibus & Catharensibus. Anno 1615, Senatu Ragusino postulante, & Paullo jubente, utramque Ecclesiam cum Stagnensi commutavit; & anno ætatis octogesimo e vita decessit, tertio Id. Julii an. 1632. elatusque funere quam amplissimo, in Æde Cathedrali Stagnensi sepultus fuit, Auctor Mon. Congreg. Domin. Ragus. hæc de Ambrosio scriptis mandavit. *F. Ambrosius Gozze nobili genere Ragusii ortus, Episcopus Mercan. & Tribun. nominatus a Senatu Ragusino die 4. (2.) Februarii, anno 1609. Romæ in Consistorio propositus a Paullo V. die 15. Junii, & consecratus die 5. Julii ejusdem anni a Cardinali Aquaviva apud S. Joannem Florentinorum. Inde ab eodem Summo Pontifice ad regendam Stagnensem Ecclesiam translatus an. 1615. die 23. Martii. Quæ sunt veri Pastoris munia sollicite explevit. Vir fuit satis eruditus, in Sac. Theologia Magister; & plura posteris scripta reliquit,* (de quibus supra, & in Ecclesia Stagnen.) *Obiit autem pene octogenarius Stagni an. 1632. die 13. Julii; ibique in Cathedrali sepultus requiescit.* Ejus obitum Echardus non recte consignat an. 1620. in Tomo II. Script. Dominic.

Translatus ad Ecclesiam Stagnensem.

CHRYSOSTOMUS EPISC. TRIBUN. XXIX. MERCANENSIS XXIII.

Huic cognomen fuit Antichio, sive de Antiquis: natus est in insula Delafodia, cui nunc *de Medio* cognomen, patre Marino Antichio, & Maria Crivonoffia cive Ragusina. Ad Congregationem Melitensem S. Benedicti aggregatus cum esset, Theologicis disciplinis, & sacrarum litterarum doctrina excelluit; quem Paullus V. Rectorem Ecclesiis Tribunien. & Mercan. præposuit: *Anno 1615. 2. Decemb. providit Ecclesiis Mercanen. & Tribunien. per translationem Ambrosii ad Stagnensem, de persona Chrysostomi de Antiquis, Ord. S. Benedicti Congreg. Melitensis, Theologi Ragusini &c.* Huic quippe Senatus Ragusinus nomen munusque Theologi Reipub. contulerat & Episcopum elegerat, dum Monasterio S. Andreæ in Pelago præesset; ita enim

Chrysostomus Ep. seriem rerum & Episcoporum Ecclesiæ suæ collegit & scriptis mandavit.

In-

Digitized by Google

Index Electionum &c. *Die 4. Aprilis 1615. R. D. Chryſoſtomus de Antichis Prior Monaſterii S. Andreæ in Pelago Congreg. Melitenſis.* Extat epiſtola Pauli V. *Dilecto Filio Chryſoſtomo de Antiquis &c.* qui Ambroſio Gozzeo translato ad ſedem Stagnenſem Chryſoſtomum renunciavit *Epiſcopum Mercan. & Tribun. Sacr. Theologiæ Profeſſorem, & verbi Dei Prædicatorem &c. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarn. Domin. 1615. VII. Kal. Jan. Pontificatus noſtri anno undecimo.* Suſcepto Epiſcopatu, nihil prius ſibi faciendum cenſuit, quam ut e præſcripto Sixti V. omnia, quæ ad antiquitatem, & Epiſcopatum Eccleſiæ Tribunienſis pertinent, ſummatim colligeret, & ſcriptis tradita poſterorum memoriæ commendaret; ſeriemque Epiſcoporum contexuit.

In Chriſti nomine Amen. Anno Nativitatis ejuſdem 1616. die vero vigeſima menſis Aprilis, Nos Chryſoſtomus Antiquus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Tribunenſis, animadvertentes res, bona, & jura Eccleſiæ noſtræ Tribunen. cujus Diœceſis late patet, & protenditur, cui & unita eſt Abbatia Mercanenſis, temporum injuria erepta, neglecta, ac fere deſtituta, & poſthabita fuiſſe, nec de eiſdem bonis, juribus, ac rebus Archivium aliquod, uti debebant, Anteceſſores fecerunt; juxta Conſtitutionem fel. recordationis Sixti V, quæ incipit, Provida Romani Pontificis circumſpectio &c. ſub dat. Romæ, die 8. Junii 1587. qua ſtatutum & mandatum fuit omnibus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aliiſque Eccleſiarum Prælatis, Archivium facere de juribus, bonis, ac rebus omnibus Eccleſiarum ſuarum; Nos igitur huic Conſtitutioni inhærentes, & Eccleſiæ noſtræ proſpicientes, ejus res, jura, & bona poſthabita, neglecta, & fere antiquata, ne omnino interirent, ea, qua potuimus, cura ac diligentia adhibita, ex notis, reliquiiſque Scripturarum hinc inde (quaſi ex naufragio) collectis, & vetuſtate erutis hoc in libro redigere curavimus, eo ordine & ſerie, de qua infra.

In primis autem conſtat Epiſcopatum Tribunenſem antiquiſſimum eſſe ex notis, quæ Diocleates, & Aloyſius Cervarius Tubero Abbas in V. libro Commentariorum ſui temporis annotavit, referens Polimiri (ſive Paullimiri) Boſinatum (verius Serblorum) Regis reditum ex Italia in Illyricum, ſtudio aviti Regni recuperandi. Quem Polimirum ſic redeuntem, exceptum refert: Polimirus poſtquam in Dalmatiam appulit, in portu, qui circiter XIII. ſtadiis ab urbe Raguſa abeſt, quem incolæ Gravoſium nuncupant, eo loci a Joanne Tribunenſium Pontifice, Regnique Proceribus, qui officii gratia obviam novo Regi frequentes progreſſi erant, lætis animis, ſummoque honore eſt exceptus, atque in oppidum Tribunium, quod ſane ea tempeſtate, pro captu Illyrico, ſatis erat opulentum, deductus, quo ibi, inſignibus de more acceptis, Regnum iniret. Hinc enim Boſſinatum (id eſt Serblorum) Reges, qui eam partem Dalmatiæ obtinebant, imperium auſpicabantur, & fortunæ inſignia tunc accipiebant. Hæc autem ex præfato Abbate decerpta contigere circa annum Domini 800. Tunc enim Polimirus a Joanne Tribunenſi Antiſtite exceptus, regiiſque inſignibus acceptis, Regnum iniit. Quinam autem Joannem hunc anteceſſerint, vel ei in Tribunenſi Epiſcopatu uſque ad Conſtantinum, & Salvium ſucceſſere Epiſcopi, temporum injuria, barbaræque invaſiones, ac neglecta cura, memoriæ eripuit. Primus igitur in ſerie Epiſcoporum Tribunienſium hic nobis ex allegatis ponendus fuit.

I. Joannes circa ann. Domini 800, apud nos anno circ. 870.

II. Conſtantinus circa annum Domini 1167. apud nos 1143.

III. Salvius &c. Deinde tredecim poſt Salvium Epiſcopos enumerat, aliis prætermiſſis, quos ipſi Catalogo & Hiſtoriæ Epiſcoporum Tribunienſium, & Mercanenſium inſeruimus; ſeriem vero epiſcopalem perduxit uſque ad ſuum Epiſcopatum, de quo hæc ſubjecit.

Chryſoſtomi res geſtæ.

XVI. Chryſoſtomus Antiquus Raguſinus ex Inſtituto Divi Benedicti Congreg. Melitenſis Abbas, ab Illuſtriſſimo Senatu Raguſino nominatus, deinde a Sanctiſſimo Domino N. PP. Paulo V. electus, ac confirmatus Epiſcopus Tribun. & Mercan. in Eccleſia S. Joannis Florentinorum Romæ die 20. Decemb. anno 1615. ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo D. Paulo Sfondrato Cardinali tit. S. Ceciliæ conſecratus fuit. Hic dirutas eccleſias ſuæ Diœceſis in Popovo, Sarabia, & alibi reſtaurandas, & conſecrandas curavit; quibus etiam in partibus Presbyteros parochiales providit, & curæ animarum præfecit; atque hortatu ejuſdem pientiſſimi Cardinalis, ac benemerentiſſimi, jam fere deſtitutam Diœceſim, in partibus infidelium, ad Catholicos mores, & obſervantiam, ut potuit, reformavit, ac redegit. Mercanam Inſulam D. Michaeli Archangelo tutelari, Sacello a fundamentis reſtaurato, araque & ipone ornato, domo habitationi Epiſcopali accommodata, turri ac propugnaculo munitam, tutamque reddidit; ejuſque Abbatiæ prædia, & poſſeſſiones, ſitu, ſqualloreque deliteſcentes, ſentibus ac dumetis obſitas excoluit, domoſque vaſtatas, tectis parietibuſque, ac cœnaculis reſtauratis, opportunas habitationi fecit.

Diœceſim luſtravit.

Quæ vero de *rebus bonis, juribus* Eccleſiæ ſuæ ſe ſcripturum ſupra pollicitus fuerat, ea nobis deſunt. Anno 1619. Diœceſim more rituque epiſcopali peragravit; actaque hujus peragrationis ſcriptis mandari juſſit: *Acta viſitationis Chryſoſtomi Antiqui: Anno 1619. viſitavit loca Caſtelli novi ſuæ Tribun. Diœceſis; populum Sacro Chriſmate confirmavit &c. viſitavit loca de Gradaz, Moſcenich, Viſdognich, Dobrani, Cbotino; conſecravit Eccleſiam de Gradaz ſub titulo Mariæ Aſſumptæ, & alias Eccleſias conſecravit; viſitando locum Tribuniæ, de Popovo, ibidem primarium lapidem & fundamenta pro reædificanda Eccleſia ſub titulo Aſſumptæ benedixit &c.* Cætera nobis deſunt. Illud hic animadverti velim, *quod Caſtellum novum*, ſive Caſtrum novum, *cujus loca ſuæ Tribunienſis Diœceſis eſſe aſſerit*, etiam hujus deceſſor Ambroſius Gozzeus ſibi, ſuæque Diœceſi vindicabat, ut dictum eſt in Epiſcopis Rhizinienſibus. Verum cum ab Hieronymo Ruſca Epiſcopo Catharenſi, ejuſque Vicario Jacobo Biſantio edoctus fuiſſet, & argumentis evidentiſſimis convictus *Caſtrum novum* intra fines contineri Diœceſis Rhizinienſis, cujus adminiſtrationem Sedes Apoſtolica Epiſcopis Catharenſibus demandarat, non invitus ab oppido illo alienæ juriſdictionis ſe abſtinuit. Sed Chryſoſtomus nullis rationibus adduci potuit, ut ſibi perſuaderet Caſtrum illum non ſuæ, ſed alienæ ditionis eſſe; nec vero continere ſe potuit, quin jus viſitandi non ipſum quidem Caſtrum, ſed loca territorii Caſtrenſis uſurparet. Cæterum, poſtquam tum Rhizinium, tum Caſtrum novum

Tuſc

Digitized by Google

Turcis ademptum sub imperium Venetorum transiit, nemo fuit, qui de Christiana loci utriusque procuratione Episcopis Catharensibus litem intulerit.

Post episcopalem suæ diœcesis lustrationem de statu Tribuniensis & Mercanensis Ecclesiæ scripsit ad Sacram Congregationem Concilii & brevem utriusque notitiam exaravit, quam hic subjicio confectam an. 1620. aut insequenti.

Notitia Episcopatus Tribuniensis.

Episcopatus Tribuniensis & Mercanensis est partim in districtu Illustrissimæ Reipublicæ Ragusinæ, partim vero inter infideles sub dominio Turcarum. Caret quidem Clero, non tamen Ecclesia & populo.

Tribunium, quod in continenti est, olim, cum in eo Bossinatum reges insignia regni auspicabantur, erat oppidum pro captu Illyrico satis opulentum; nunc autem deleti vix extant vestigia. Hoc, ex quo Turcæ Ducatum S. Sabæ subegerunt, cum eodem Ducatu adhuc sub Turca detinetur. Distat a Ragusio xvi. mille passus, habetque territorium eodem nomine Tribiniam nuncupatum, Popovum etiam cum Sasciabie, & Gluphimir, & Comitatum Bobanium, Risanum & Castellum novum, a quo Naronam versus hæc Diœcesis ad centum viginti mille passus protenditur. Insunt in eà vicus quamplurimi, quorum triginta exceptis, qui ritu Catholico vivunt, reliqui schismaticorum cum Turcis intermixti sunt. Risanum & Castellum novum Turcis incolitur, habent tamen domus & familias catholicas. Sunt in hac Diœcesi pluribus opportunis locis Ecclesiæ, in quibus catholico ritu sacris percipiendis conveniunt, & harum quædam paucis abhinc annis ex vetustate restauratæ, aliæ vero a fundamentis reædificatæ fuerunt.

Mercana insula est in Adriatico mari adjacens Epidauro, a cujus continente mille passus, a Ragusio vero, sub cujus Illustrissimæ Reipublicæ ditione reperitur, sex mille passus distat. Extant in ea duæ Ecclesiæ, quarum altera ad littus maris sub titulo S. Mariæ ad Nives sita, altera vero in septis Palatii Episcopalis sub titulo Dedicationis S. Michaelis Archangeli est. Ædificia hæc cum in multos annos & sæcula posthabita essent & derelicta, jam e vetustate collapsa erant, nunc tamen cura Episcopi a fundamentis restaurata, & ad opportuniorem formam redacta, ac turre munita. Tellus & possessiones episcopales, quæ in ea oppletæ sentibus, dirutisque maceriis jacebant incultæ, novellatæ factæ & excultæ industria Episcopi reperiuntur.

Episcopus moratur aliquando Mercanæ, residet tamen Ragusii, ibidemque habet vetus quoddam Palatium, quod dirutum ex vetustate restauravit, & alteram domum, quam inhabitat. Sunt etiam ei possessiones, & Episcopatui, præter eas quæ sunt Mercanæ, Breni, & in Aquæductis prope Ragusium. Census & annui redditus adhuc ita tenues habet, ut summa centum ducatorum vix & raro ascendant; sperat tamen, Deo opitulante, ex honestis justisque proventibus & legatis sibi suæque Ecclesiæ debitis se eos in dies auctarum. Secum detinet inter Clericos familiares, & alios rei domesticæ inservientes quinque personas.

Diœcesim hanc suam in partibus infidelium sitam Episcopus bis iterato visitavit, & proprio ore populum Dei verbo ædificatum sacro Chrismate numerosum confirmavit, tres Ecclesias in eâ variis locis consecravit multo cum pietate confluente populo, schismaticos aliquot Fidei Catholicæ, & gremio S. Ecclesiæ visitando restituit. Obtinuit denique, quo liberius sua munera exercet & populo sibi credito provideret, per legatos Illustrissimæ Reipublicæ Ragusinæ ab Osmano Tyranno Turcarum mandatum ad quoscumque Satrapas & Præfectos ejus regionis, in qua sua Diœcesis est, ne eum impedirent, sed libere sua munera exercere & exsequi juxta legem Christi, & Catholicum ritum sinerent. Constituit . . . . qui curam animarum haberet, Presbyterum unum in Sasgiabie, & alium regularem senem in Popovo ad hoc facultatem habentem. Sed quia messis quidem multa, operarii vero pauci, obnixe ac suppliciter rogat Episcopus in Domino Illustrissimos Reverendissimos DD. Cardinales Sacr. Tridentinæ Synodi Interpretes, & Præsulum sacra limina Apostolorum adeuntium negotiis præpositos, ut habito verbo cum Sanctissimo D. N. concedant ei facultatem assumendi cujusvis Ordinis Regularium tres aut quatuor Regulares etiam sine Superiorum licentia, qui, si Sacerdotes fuerint, eos curæ animarum inter infideles fidelium præficiat; sin autem promoti non fuerint, eos promovendi facultatem habeat. Insuper & sæculares alterius Diœcesis etiam nondum Clericos, qui aliquo crimine non sunt obstricti, aut notati, possit ad Clericatum assumere, & ad sacros Ordines promovere, etiam sine Ordinarii dimissoriis, quando ad hoc eis denegatæ fuerint.

Huic Notitiæ ipsum Imperatoris Turcæ diploma lubet adjicere, de quo Chrysostomus meminit; cujus exemplum ad nos Ragusio transmissum perhumaniter fuit.

Diploma Imperatoris Turcæ pro Chrysostomo.

Præceptum Sultani Osmani Imperatoris Turcæ ad Sangiaccum, ideſt Præfectum Herzegovinæ Ducatus S. Sabæ, & ad omnes Kadi, ideſt inferioris ordinis administros, qui in eodem Ducatu sunt, pro plurimum Reverendo Domino F. Chrysostomo Episc. Tribun. & Mercan., postulantibus Legatis Ragusinis.

Cum Imperatorium hoc, & glorioſum, Cæſareumque Præceptum vobis fuerit exhibitum, noſcatis volo, hujuſmodi petitionem a Legatis Reipublicæ Ragusinæ factam fuiſſe, & coram Imperatorio atque invicto Throno noſtro propoſitam: Petimus ut Imperatorium Præceptum nobis concedatur pro Chryſoſtomo Epiſcopo Tribunienſi & Mercanenſi cive noſtro Ragusino. Volumus igitur, ut hic Epiſcopus, cum regionem & pagos Sangiaccatus & Ducatus S. Sabæ, Popovi, Gradazii, aliaque loca omnia peragraverit, in quibus degunt Chriſtiani, libere & abſque ullo impedimento, aut obſtaculo advenire, commorari, cum iis agere, concionari, & Evangelium publice legere poſſit juxta Chriſtianorum legem; & nequis illum quidem tangat, aut e ſuis quemquam, qui ei adſunt, eumve comitantur, aut e Presbyteris & Fratribus eidem ſubjectis, dummodo pacifico utantur convictu, & iis veſtibus, quæ Presbyteros & Fratres & cujuſque ſtatum decent pro ſua ipſorum conſuetudine, neque equos, aut ſupellectilem, aut arma, queis uti eiſdem licet ad vitæ tuitionem. Hoc itaque Imperatorium Præceptum ita exſequemini, uti juſſum eſt, ne tactu quidem iis obſiſtentes. Et omnia, quæ continet præpotens hocce Præceptum, cum vobis ſit exhibitum, exſequentiſſimi ſervabitis, ut idem Epiſcopus quælibet Chriſtianorum loca, & domos quaſcumque, quæ veſtræ ſubſunt Præfecturæ, libere ingredi queat, in iis immorari, concionem habere, Evangelium publica lectione exponere, ut eſt legis Chriſtianæ inſtitutum, neque is ſolummodo, ſed Presbyteri etiam & Fratres, qui ab

eo

Digitized by Google

eo præpoſiti fuerint, ut illius gerant vices, & ibi pacifice agent. Cavete, ut quiſquis abſque legitima cauſſa vel ab iis tangendis abſtineat, tum Epiſcopo ipſo, tum Monachis, aut Fratribus, aut Presbyteris, aut aliis, quibuſcum pacifica ſit illorum conſuetudo, quique propriis induti veſtibus incedant; immo & ab equis, quibus inſident, & rebus, quas ſecum deferent: hæc enim mea eſt ſublimis voluntas: & nolo omnino per æternam incolumitatem meam, ut quiſpiam illos laceſſat, & moleſtia ulla & incommodo afficiat. Ut glorioſo huic meo Præcepto diligenter obtemperetis, quidquid jubetur ſuperius, præſtabitis; nec veſtra culpa detur occaſio, ut ea itérum præcipiantur; ſed glorioſum hocce Signum noſtrum agnoſcentes, intueteſque ea, qua par eſt, reverentia & ſubmiſſione illud inclinato capite venerabimini, & exhibentis manibus denuo reſtituetis.

Dat. & ſcriptum menſe Silettadi, Anno 1620. Conſtantinopoli.

Raguſinus Stagnen. & Tribun. Antiſtites de poſſeſſione quarumdam Eccleſiarum inter ſe contendunt.

Cum Diœceſes Archiepiſcopi Raguſini, & Epiſcoporum Stagnenſis ac Tribunienſis eſſent inter ſe finitimæ, de quibuſdam illorum partium Eccleſiis, quas vel a Turcis everſas, vel nimia vetuſtate collapſas Catholici reſtituerant, ac refecerant, orta eſt controverſia inter illos Antiſtites, cum eas ſibi quiſque vindicaret, ac ſuas eſſe diceret. Jus ex præoccupata poſſeſſione ab Tribunienſi Epiſcopo ſtabat. Eum ſiquidem illi populi ad Eccleſias illas conſecrandas evocaverant; neque alium ſe velle ajebant agnoſcere & colere Epiſcopum, niſi Tribunienſem. Chryſoſtomus non ſolum illas ſolemni conſecratione initiaverat, ſed etiam ſuos cuique Parochos præfecerat. In pago, cui nomen *Gradaz*, in ipſis Boſinæ confiniis ſito, rei Chriſtianæ, curæque animarum præſidebat F. Blaſius ex Ordine Franciſcano. Is biennio poſt controverſiam illam exortam Chryſoſtomum Epiſcopum Tribunienſem invitavit, ut quatuor Templa, quæ ſibi a fundamentis extruxerat, epiſcopali ritu ac cæremonia dedicaret, ſimulque indigenas illos ſacro Chriſmate inungeret, qui omnes una voce affirmabant ſe a majoribus accepiſſe nullum, niſi Tribunienſem, proprium eſſe ac legitimum ejus loci populique Epiſcopum. Hæc ex litteris ad Sacr. Congreg. tranſmiſſis, qui in Archivo Collegii de Propaganda Fide aſſervantur.

Dominicus Andreaſius Sede ſua Scodrenſi expulſus titulum Stephanenſis Epiſcopi ſumpſit.

Cum tres illi Antiſtites de illis Eccleſiis inter ſe contenderent, ecce tibi nova & moleſtior controverſia, quam excitavit Dominicus Andreaſius, qui ſe dici haberique volebat Epiſcopum *Stephanenſem*. Hic erat Epiſcopus Scodrenſis; & cum a Turcis Eccleſia ſua expulſus fuiſſet, a Sacra Congregatione ſe litteras impetraſſe ajebat, quibus poteſtas ſibi facta fuiſſet Scodrenſis commutandi cum Epiſcopatu Stephanenſi, apud Naronam urbem perantiquam, ſed abhinc annos amplius nongentos everſam; quem quidem Stephanenſem titulum ipſe ſibi opinionis errore finxerat. Erat quidem olim Sedes Epiſcopalis Naronæ, quæ civitas erat ampliſſima & frequentiſſima, ad fluvium Naronem aſſidens, colonia civium Romanorum, ſedes primaria tertii Conventus Illyrici, ad quam civitates undenonaginta juris petendi cauſſa venitaſſe Varro ſcripſit. Sexto ſæculo *Marcellus Epiſcopus Eccleſiæ Naronitanæ* interfuit, & ſubſcripſit utrique Concilio Provinciali Salonitano, quod Honorius III. Archiepiſcopus anno ſupra quingenteſimum tricetimo, & tricesimo ſecundo convocaverat. Sæculo ſeptimo cum Narona, aliæque Dalmatiæ urbes ab Avaribus diruta fuiſſent, Epiſcopus Naronenſis creari deſierat, & civitas illa celeberrima in exiguum vicum redacta, titulum tamen epiſcopalem, licet ab omni curatione vacuum, diu retinuiſſe videtur; nam ſæculo duodecimo Clemens III. in ſuis ad Petrum VIII. Archiep. Spalatenſem literis inter Eccleſias eidem ſubjectas, Naronienſem ex antiquo Eccleſiarum Catalogo annumeravit. Cæterum jam inde a plurimis ætatibus adminiſtratio Eccleſiarum Diœceſis Naronenſis finitimis Epiſcopis demandari ſolebat. Hunc Epiſcopatum longo intervallo reſtitui volebat Dominicus Andreaſius, ad quem permiſſu Sacræ Congregationis, ut ajebat, e Scodrenſi Eccleſia tranſierat. Ut quod cupiebat obtineret, fautorem ſibi atque adjutorem adjunxerat Benedictum Urſinum Epiſcopum Alexienſem in Epiro nova, ſub Archiepiſcopo Dyrrhachino. Uterque pro reſtitutione Epiſcopatus Naronenſis inſtabat, urgebatque litteris ad Sacram Congregationem datis; caput autem litterarum Diœceſim Naronæ ampliſſimam eſſe, oppida ejus præcipua Monſtar, Papuam, Zarabiam, ſive Gradaz, cum ſuburbiis, ac territorio Naronæ, quæ licet everſa a barbaris fuerint, extare tamen adhuc arcem, & hac tempeſtate a Turcis, & Chriſtianis vocari *Narentam* & *Gabellam*, cum his urbibus ſive oppidis pagos ad centum & triginta complecti, in quibus Catholici fere quindecim mille habitant, cum Turcis & ſchiſmaticis triplo pluribus, Eccleſiam Cathedralem eſſe apud Monſtar, illuc Narona translatam, ſub titulo & auſpiciis S. Stephani Protomartyris, a quo Eccleſia, quæ Monſtarenſis potius dicenda eſſet, paſſim, & frequentius Stephanenſis denominatur, ab adventu Turcarum annos prope centum & ſeptuaginta, Epiſcopum nullum habuiſſe præter Nicolaum Ugrinovichium. Hæc illi in ſuis litteris ad Sac. Congreg. Ab hac Eccleſia S. Stephani, quæ admodum exigua eſt, vix ſacelli magnitudinem excedens, nec ſane digna Sede Epiſcopali, Dominicus Andreaſius cognominari ſe volebat Epiſcopum Stephanenſem. In Tabulis Actorum Conſiſtorialium memoratur quidem Eccleſia quædam Stephanenſis, cui tres Epiſcopos præpoſitos invenio, *Georgium Sgutum* an. 1549. *F. Silveſtrum Ord. FF. Min.* an. 1582., & *F. Nicolaum Necamſium ejuſdem Ord.* an. 1592. Nicolaus autem Ugrinovichius non Stephanenſis, ſed Semandrienſis Epiſcopus fuit. Sed hæc Eccleſia Stephanenſis, quæ alias aliter forſaſſe nominatur, longe abeſt a Narone fluvio, & a commentitia illa Eccleſia Monſtarenſi ſeu Stephanenſi, ſitaque eſt in Epiro nova, ſive in Albania, & in iiſdem Actis Conſiſtorialibus dicitur eſſe in Provincia *Albaniæ*, nec vero ſubeſt Raguſino, ut Aubertus Miræus falſo tradit, ſed Dyrrhachienſi Metropolitæ. Cum nuſquam alibi Eccleſia, atque Epiſcopatus Stephanenſis reperiatur, ab hoc Epirotico Epiſcopatu titulus a Sacra Congregatione datus videtur fuiſſe Dominico Andreaſio, qui Eccleſiam illam Epiſcopalem ſub dominatu Turcarum, a quibus expulſus fuerat, ex Epiro nova in Dalmatiam, ex Dyrrhachienſi in Raguſinam Provinciam tranſferre voluiſſe videbatur. Cum ergo, poſtquam Epiſcopus Naronæ creari debuiſſet, Eccleſias Diœceſis Naronianæ, quæ eis ultraque Naronem erant, Epiſcopi finitimi inter ſe partiri ſolebant; & his quidem temporibus citeriores Bartholomæus Epiſco-

Epiſcopatus Stephanenſis nullus, niſi in Epiro nova.

Digitized by Google

Dominicus Maccarensis & Triban. Episcopis de Ecclesiis circa Naronem fluvium litem intendit.

scopus Maccarensis, ulteriores Chrysostomus Episcopus Tribunensis administrabat. His itaque Dominicus Andreasius litem intendit; ab utroque Ecclesias illas repetebat, quas ad eum, quem ipse confinxerat, Episcopatum Stephanensem pertinere affirmabat; jamque in eas invadere cœpe-rat. Res delata cum esset ad Sacram Congregationem, mandatum fuit Abbati Fasaneo Archidiacono Ecclesiæ Pharensis, ut de controversia illa rite cognosceret, & quid suæ sententiæ esset, perscriberet. Hic vero *ex visione plantæ seu chorographiæ locorum, & relatione personarum prædictorum locorum, & ex propria sua scientia, scripturis coram exhibitis*, censuit Maccarensem, & Tribunensem Episcopos in antiqua possessione illarum Ecclesiarum, quas tunc gubernabant, retinendos esse, & restituendas utrique Parœcias, quas Episcopus ille Stephanensis eisdem eripuerat. Archidiacono sententia non displicuit Sacræ Congregationi; præsertim cum in Regestis Romanis Ecclesiarum Episcopalium titulum Ecclesiæ Stephanensis seu Monstarensis non invenisset, sive in iis locis citra ultraque Naronem, quos Dominicus designabat, sive in Provincia Ragusina, intra cujus fines Ecclesiam ille jam contineri ajebat. Ac sententiam quidem Archidiaconi confirmavit; sed de Stephanensi Episcopatu nihil in alterutram partem statuendum putavit; ac totius rei disquisitionem in aliud tempus rejecit. Dominicum vero, qui ad suam causam agendam Romam se contulerat, & propter suam importunitatem Episcopis illarum partium, uti ex eorum litteris acceperat, plurimum molestiæ exhibebat, rerumque novandarum studio multa turbabat, in Urbe manere, & in aliquo Cœnobio Fratrum Minorum retineri jussit. Quod Sacra Congregatio decreverat, Pontifex ratum habuit, approbavitque *die 27. Septemb. an.* 1628. Eadem Sacra Congregatio alterum in eamdem sententiam decretum fecit.

Decreta Sacræ Congregationis.

Die 6. Februarii 1629. Relata iterum ab Illustrissimo Domino Cardinali Cajetano causa vertente inter Episcopos Stephanensem ex una, & Episcopos Maccaren. & Tribun. Provinciæ Ragusinæ ex altera parte, Sacr. Congreg. stetit in Decretis in præcedenti a Sanctissimo Domino probatis; ut scilicet Episcopus Stephanensis Romæ retineatur, & in aliquo Conventu Ord. Minorum de Observantia collocetur, ibique de victu prose, & Fratre Conversa, qui illi inserviat, provideatur, & duo Brevia expediantur, in quibus Episcopis Maccaren. & Tribun. tamquam Sedis Apostolicæ delegatis concedatur facultas exercendi jurisdictionem, & potestatem Ordinis in partibus Diœc. Stephanen. controversis, juxta divisionem inter eos factam ante motam per dictum Episcopum Stephanensem litem; salvis tamen juribus harum trium Ecclesiarum circa confinia suo loco, ac tempore melius verificenda.

Franciscus Ingelus Secr.

Tertium eadem Sacra Congregatio fecit, præcipue secundum Episcopum Tribunensem, quem præterea jussit sex ipsos menses in illis locis commorari, quæ a plurimis Catholicis & frequentissime habitantur.

Sententia Congregationis particularis habitæ die 18. Martii 1631. Fuit in voto, ut manuteneatur Episcopus Mercanensis, seu Tribunensis, in possessione Popovo, & Gradaz, & Sarabiæ, de quibus controvertitur, salvo jure in petitorio Episcopo Stephanensi, juxta decretum alias factum in hac eadem causa, in plena Congregatione de Propaganda Fide die 27. Septemb. anno 1628., *coram Sanctissimo. Injunctum fuit Episcopo Mercanensi, & Successoribus, ut saltem per sex menses in dictis locis habentibus 15. millia Catholicorum capitum residere debeat, & teneatur. Decretum est anno* 1629. *ut Stephanensis Episcopus detineatur cum Laico in aliquo Monasterio, donec vixerit; & ne Catholici Episcopatus Stephanensis, qui sunt in magno numero, in spiritualibus patiantur, commissa est eorum administratio Episcopo Maccarensi & Tribunensi, juxta divisionem inter eos factam, ante dicti Episcopi translationem ab Episcopatu Scutarensi &c.*

Quæ hactenus de hac controversia diximus, excerpta sunt ex Codicibus Mss. Archivi Collegii de Propaganda. Huc etiam pertinent, quæ Tomo IV. Illyr. Sac. in Bartholomæo Episcopo Maccarensi a nobis exposita fuerunt. Cum igitur ex Decretis Sac. Congregationis Ecclesiæ illæ circa Naronem fluvium attributæ fuerint partim Maccarensi, partim Tribunensi Episcopis, Archiepiscopus Ragusinus, & Episcopus Stagnensis, ab ea lite, quam, ut supra dictum est, de illis Ecclesiis intulerant Tribunensi, desisterent oportuit. Ita Chrysostomus ab hujusmodi litigiis, & molestiis quietem nactus, summa vigilantia & sedulitate ad populos illos suæ fidei commissos regendos, & Christiana disciplina divinisque præceptis excolendos incubuit. Illud in primis sibi curandum censuit, ut quod Thomas Natalis Budislavus supremis tabulis decreverat de Collegio Clericorum Tribunensium Ragusii condendo, iisque alendis ex annuis fructibus illius pecuniæ, quam sane copiosam Neapoli depositam reliquit, id aliquando ad voluntatem & præscriptum optimi Præsulis perficeretur. Litteras supplices ad Sacram Congregationem dedit, ex quibus cognosci potest, quo in statu res tunc esset, quemadmodum pars non exigua illius pecuniæ ab iis, quos Thomas Curatores testamenti constituerat, interversa, & ex mandato ipsius Congregationis recuperata fuerit. Ac Collegium quidem Ragusii conditum fuerat, seu potius informis quædam adumbratio; sed ex eo nullos Clericalis institutionis fructus perceptos esse querebatur, propterea quod neque leges servarentur, quas conditor testamenti præscripserat, neque ii, quos ille jusserat, alumni reciperentur. Ad extremum misit exemplar testamenti & codicilli, quod Sacra Congregatio postulaverat, ex quo dijudicare posset, an salva ejus, quod utrumque fecerat, voluntate Collegium Romam vel alio transferri liceret; quæ omnia in ipsis litteris ex Italico in latinum sermonem per nos conversis dilucidius ac planius explicantur.

Ut quod Thomas Budislavus de Collegio instituendo mandaverat, perficeretur, Chrysostomus contendit.

Thomas Episcopus Mercanæ & Tribuniæ, cum a Paullo V. privilegium & potestatem de suis bonis testandi obtinuisset, testamentum composuit an. 1607. VIII. *Kalend. Junii, eique codicillos quosdam inseruit. In his quadringentos & septuaginta supra septem milla argenteorum Neapoletanæ monetæ, quos Neapoli fœnori dederat, itemque mille argenteos Anconæ itidem in fœnore positos legabat ac relinquebat ad Collegium Ragusii fundandum, in quo Clerici Tribunienses latinis litteris ac bonis moribus imbuerentur, & ad vineam Dominicam in eadem Diœcesi excolendam evaderent idonei; si qua vera causa obstaret, quominus id Collegium Ragusii collocari posset, jubebat Rome tot ali erudirique adolescentes Ecclesiæ Tribunensi adjumento futuros, quot fructibus ex illa*

fœneraria pecunia percipiendis ſuſtentari poſſent.

Poſt obitum Epiſcopi tantum abfuit, ut ejus ſupremæ voluntati obſequeretur ſodalitas S. Rochi, cui ille teſtamenti exſequendi curam delegaverat, ut fere quatuor millia argenteorum, quos ex illa pecunia intra ſexdecim menſes jure fœnebri percceperat, in alios uſus converterit.

Epiſcopus Tribunienſis & Mercanenſis hodiernus Raguſii apud Magiſtratum ſedulo inſtitit, ut pecuniæ interverſæ rationem reddi juberet; ſed nihil impetravit. Libelli ſupplicis, quem ad Magiſtratum detulit, exemplum Romam miſit.

Sacra Congregatio nihil diligentiæ operæque prætermiſit apud Senatum Raguſinum, ut ejuſmodi Collegium vel Raguſii vel Neapoli conderetur; juſſit præterea Legatum S. dis Apoſtolicæ apud Proregem annuos proventus ex ea pecunia Neapoli collocata repetere, quos nondum ſodalitas S. Rochi receperat; ſed cum nihil pecuniæ exprimi potuiſſet, rem ita tranſigi placuit, ut proventus jam percepti, & alio diſtracti ad ſummam ſive ſortem augendam accederent, & pro ſingulis centenis perceptis bini argentei cum dimidio ſolverentur. Itaque eo ſors crevit, ut ad decem argenteorum millia pervenerit; quo cum excreviſſet, tum demum conditor teſtamenti Collegium inchoari jubebat. Tandem Sacra Congregatione diu multumque inſtante, atque urgente, Senatus Raguſinus in ædibus ad id vel coemptis, vel conductis, Collegium inſtitui juſſit. Sed, cum hujus operis, cæteroquin præclari, nullus ad hanc diem fructus conſtiterit, nec vero conſtare poſſit, propterea quod & magiſtri deſunt ad juvenes illos erudiendos idonei, & præſcriptæ leges ad continendos in officio alumnos negligantur, & ſodalitas S. Rochi conſanguineis, ac ſervis ſodalium, patria Raguſinis, uſque adeo implevit Collegium, ut nihil loci reliquerit adoleſcentibus Eccleſiarum Tribunienſis, & Boſnenſis, quibus tantummodo aditum patere voluit auctor & parens Collegii; quocirca iterum ac ſæpius tum Archiepiſcopus Raguſinus, tum Epiſcopus Tribunienſis, ejuſdem Collegii Rector cum annua penſione centum argenteorum in ſupremis Thomæ Budislavi tabulis conſtitutus, rem omnem ad Sacram Congregationem detulerunt, ut pro ſua ſapientia & auctoritate huic malo proſpiceret, juberetque hujuſmodi Collegium vel Romam, vel Patavium, vel Bononiam, vel alio transferri: id quod cum mente ac ſententia illius optimi Præſulis omnino congruit. Reſponſum fuit illis ac mandatum, ut tabulas teſtamenti & codicilli autographas adirent inſpicerentque, ex quibus conſilium, & voluntas demortui Epiſcopi liquido intelligi poſſet; verum ut eas proferret, ſodalitas illa nunquam adduci potuit. Itaque Neapoli negotium datum eſt Internuncio Sedis Apoſtolicæ, ut codicillum, in quo ejus Collegii deſignatio, & deſcriptio continetur, inveniendum curaret. Sed cum eſſet ignotus Scriba, ſeu Notarius, qui eum confecerat, nihil reperiri potuit. Nunc autem Chryſoſtomus Antiquus, Epiſcopus Mercanæ & Tribiniæ exemplum integrum & ſincerum, quod poſt diligentem inquiſitionem, curamque ſolertiſſimam adhibitam tandem nactus fuit, Romam tranſmittit, ſimul orans obteſtanſque, ut Collegium in Urbem transferatur, & ſua ſibi annua penſio ſolvatur, nam ob tenuitatem & inopiam ſui Epiſcopatus pecunia illa magnopere indiget; monet autem, ut fructus poſthac exigendi ex fœneraria illa Neapolitana & Anconitana pecunia apud ſequeſtrum deponi jubeantur; nam de proventibus jam perceptis, vel de rebus hac bonis Thomæ Epiſcopi ex manibus ſodalium S. Rochi vix, aut ne vix quidem aliquid extorqueri poterit.

Sed Collegium illud nuſquam extat, neque Raguſii, neque Romæ, neque alibi. Summa illius pecuniæ an adhuc extet, an interierit, an in alios uſus converſa fuerit, mihi non eſt compertum.

Anno 1631. Chryſoſtomus erat Romæ, qui in urbe alteram ſuæ Eccleſiæ notitiam Sacræ Congregationi Concilii Tridentini Interpreti exhibuit; ex qua nonnulla excerpſimus, quæ hujus Eccleſiæ ſtatum clarius exponunt.

Altera Tribunienſis Epiſcoparus notitia.

Catholici, qui ſacram communionem percipiunt, circa mille quingenti ſunt. Ex Eccleſiis præcipua eſt ea, quæ de Trebigne vocatur, ſub titulo Aſſumptionis B. M. V. in Popovo, & altera ab ea circa ſex milliaria diſtans de Rauno ſub titulo Nativitatis B. M. V., in Gradaz de Saſciabie eſt Eccleſia ſub titulo Aſſumptionis B. M. V., in Videgne Eccleſia ſub titulo Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, in Dobrani ſub titulo Nativitatis B. M. V. in .... Capella, in Orahovo diruta Eccleſia, in Golubigna ſub titulo S. Nicolai, in Zurevichi ſub titulo S. Petri, in Novo ſub titulo S. Annæ.

Sed pleræque ex hiſce Eccleſiis nunc everſæ ſunt,

Curæ animarum ab Epiſcopo præfecti ſunt duo Presbyteri Parochiales, quorum unus in Rauno de Popovo moratur, & reſidet alter in Gradaz, Tertius, qui in Caſtello novo erat, ſæviente ibidem peſte & deleto populo diſceſſit. In Zurevichi & vicis circumvicinis ab Epiſcopo Fratribus S. Dominici de Breno cura animarum demandata eſt.

Epiſcopus Tribunien. alias Mercanen. eſt Suffraganeus Archiepiſcopi Raguſini.

Hæc Mercana ſub dominio Reipubl. Raguſinæ fuit & exiſtit, donata & per modum dotationis unita Epiſcopatui Tribunien. ab ejuſdem Reip. Raguſ. Senatuſc.

Innuit deinde Chryſoſtomus controverſiam, quæ illi cum Epiſcopo Scodrenſi interceſſerat, & ſuperius a nobis narrata jam eſt.

Præſentem Epiſcopum Tribunen. ſuper poſſeſſione diœceſana moleſtavit quidam F. Dominicus Epiſc. olim Scutaren. qui commutato titulo abhinc quatuor ſuperioribus annis ſub titulo invento Stephanenſis nuncupatus erat. Hic per modum intruſionis attentaverat occupare Parochias de Popovo & Gradaz, quæ Tribunienſis Diœceſis ſunt & fuerunt; poſt motam ab adverſario litem, & poſt agitatam coram Sac. Congreg. de Propaganda Fide controverſiam, a SS. D. N. præſente Pontifice Urbano VIII. præſens Epiſcopus repetita decreta obtinuit in favorem ſui juris, quibus decretis manuteneri in poſſeſſione dictarum Parochiarum Epiſcopum Tribunenſem Sanctitas ſua ſtatuit.

Redditus & annuos proventus tenues Epiſcopus habet, qui ad ſummam 100. Ducatorum aſcendunt, quos ex vineis, quas Mercanæ, Breni, & in Goniquæ locis habet percipit.

Data Romæ, & perſonaliter per Epiſcopum exhibita fuit hæc relatio an. D. 1631. die ...., Aprilis.

In Tabulario Tribunienſis Epiſcopatus ſervatur Raguſii doctum oppido commentariolum, quod Chryſoſtomus adverſus fictitium Dominici Stephanenſem Epiſcopatum compoſuit: iſque anno 1647. aut ſuperiori de utraque ſua Eccleſia præclare meritus e vita deceſſit.

Chryſoſtomi obitus.

SA-

Digitized by Google

SAVINUS EPISCOPUS TRIBUN. XXX. MERCANENSIS XXIIII.

Savinus Episc. an. 1647.

De quo Index Electionum &c. *Die 14. Februarii 1647. Fr. Savinus Andreæ Ord. S. Francisci*; & Tabulæ Consistoriales: *An. 1647. 16. Septemb. providit* Innocentius X. *Ecclesiæ Mercanen. & Tribunen. simul unitis vacantibus per obitum Chrysostomi Antiqui de persona F. Savini Floriani Ord. Min. S. Francisci de Observantia*. Idem confirmat Innocentii X. epistola *Dilecto Filio Savino Floriano Electo Tribun. & Mercan.*; in ea Chrysostomo demortuo se substituere ait in utramque Sedem *Savinum Florianum Ord. Min. ætatis an. LX. Theologiæ Lectorem &c.* Data est *Romæ apud S. Mariam Majorem an. Incar. Dom. 1647. Cal. Octobr. Pontific. an. tertio*. Hujus Episcopatum illustravit conversio ab Græco schismate ad communionem Catholicam, & accessio ad Sedem Apostolicam, Romanique Pontificis auctoritatem Monachorum ex Ordine Basiliano Cœnobii Tribuniensis S. Mariæ. Hujus Cœnobiarcha Romam profectus supplex se abjecit ad sacrosanctos pedes Alexandri VII. & suam suorumque obedientiam eidem Pontifici & Ecclesiæ Romanæ solemni sacramento obstrinxit. Præterea litteras attulit Basilii Episcopi Hertzegovinæ seu Montis Nigri, ejusque fratris plenas officii atque observantiæ, quibus uterque profitebatur, se in fide ac potestate Pontificis Romani in perpetuum futuros. Res digna visa est, quæ tabulis & codicibus in Archivo Collegii de Propaganda asservandis ad memoriam sempiternam mandaretur.

Marianum Monasterium Tribunense e schismate ad Catholicam communionem convertitur.

Cum Abbas S. Mariæ Tribuniensis in Dalmatia græci ritus ad urbem se contulerit, fideique Catholicæ professione emissa obedientiam Sanctissimo Domino nostro Alexandro VII. tam suo quam suorum Monachorum nomine præstiterit, litterasque R. P. D. Basilii Archiepiscopi Hertzegovinæ in Servia ejusdem ritus ac sui Fratris exhibuerit, Sanctitas sua ejus fidem ac zelum paterne amplectens, tam ipsum cum suis Monachis, quam Archiepiscopum cum ejus fratre in gremium S. Matris Ecclesiæ benigne excepit, eosdemque nonnullis Catholicis sua nomine commendatos esse voluit, ut tanquam vere Catholici habeantur ab omnibus, fraternæque caritatis officiis ac favoribus, ubi opus fuerit, minime destituantur. Verum cum idem Abbas mox discessurus institerit, ut ad continuandam fovendamque in posterum cum Apostolica Sede communionem, firmiusque stabiliendam, ac conservandos in Catholicæ Ecclesiæ unitate Archiepiscopos, Abbates, Monachosque successores subsidium aliquod statuto tempore decerneretur pro accessu ac recessu Monachorum, qui ad obedientiam præstandam & unionem Catholicam profitendam ac renovandam ab iis missi fuerint, Sacra Congregatio ipsius pietatem commendans eosdem in Domino hortata est, ut cœlesti lumini, quod ipsis divina largitas impertiri dignata est, gratos sese præstantes, maternæque dilectionis memores, quam hæc Sancta Sedes erga eos exhibuit, & parata est exhibere, nullatenus prætermittant singulis quadriennii duos ex eisdem Monachis litteris obedientialibus Catholicam religionem profitentibus instructos ad Urbem transmittere; atque ne ob commeatus carentia id intermittere interdum cogantur, sua Sanctitate annuente, decrevit, ut viaticum Scutorum 70. pro utroque, postquam ad Urbem pervenerint, subministretur, & in Ædibus Sac. Congreg. recipiantur hospitio, certo scientes grato semper animo se fore excipiendos, gratiisque spiritualibus, quibus se dignos præstiterint, ab hac Sancta Sede fovendos ac decorandos.

& Archiepiscopus Hertzegovinæ.

M. Alericius Secr.

Savinus octogesimo ætatis anno, Christi 1661. x. Kal. Januarii pie decessit, & apud Fratres suos in Æde S. Francisci post tergum Aræ maximæ tumulatus fuit. Postridie ab ejus obitu electus fuit successor a Senatu Ragusino

Savini obitus.

SCIPIO EPISCOPUS TRIBUN. XXXI. MERCANENSIS XXV.

Ut est in Indice Electionum &c. *Die 24. Decembr. 1661. eximius doctor Scipio de Martinis artis medicinæ doctor Physicus noster*. Erat ortu Cosentinus, aut, ut placet Ughello, Muranus, quæ Brutiorum civitas est, sed Ragusina civitate donatus, quam in urbem parentes ejus cum tota familia migraverant. Fere biennio post Senatus de illo electionem Clemens IX. Ecclesiam Tribunensem & Mercanensem eidem decrevit: *An. 1663. providit Ecclesiæ Tribunen. & Mercanen. simul unitis perpetuo vacantibus per ob. Savini Floriani de persona Scipionis de Martinis &c.* Annos circiter quinque utramque Ecclesiam sapientissime gubernavit, & gregi suo nulla re defuit, quem quibuscumque potuit humanis ac divinis subsidiis juvit. Anno autem 1668. utrique voluntaria cessione nuntium remisit. Post triennium Sedem Polymnianensem in Apulia & provincia Barensi adeptus est; de quo Ughellus in Episc. Polymnianens. *Scipio de Martinis e civitate Muri, a mitra Mariana* (Mercana), *quæ est Suffraganea Epidaurensis, ad hanc Polymniani ab Clemente X. an. 1672. die 2. Maji translatus*.

Scipio Episc. Trib. & Mercan.

Episcopatu se abdicat.

ANTONIUS EPISC. TRIBUN. XXXII. MERCANENSIS XXVI.

Cui de Primis cognomen fuit; eumque ex Ordine Minorum S. Francisci electum a Ragusinis *die 28. Decembr. 1668.* Clemens IX. ad Sedem Episcopalem evexit anno insequenti: *An. 1669. 15. Julii. Providit Eccl. Trib. & Mercanen. vacantibus per liberam cessionem Scipionis de persona Fratris Antonii cognomine Primi de Observ. Theologiæ Lectoris, committendo cum decreto, quod residere teneatur in aliquo loco suæ Diœcesis juxta Decretum Congreg. de Propaganda Fide pro Ecclesiis inter Schismaticos & Infideles constitutis*. Huc pertinet epistola Clementis IX. *Dilecto filio Antonio Primo electo Mercan. & Tribun. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem an. Incarn. Domin. 1669. Idibus Julii. Pontificatus anno tertio*.

Antonius Episc. an. 1669.

Annos amplius triginta utrique Ecclesiæ summa cum vigilantia & sedulitate præfuit. Cum inter initia belli Peloponesii Maccaris, sive Macarsca, & alia deinde atque alia Dalmatiæ loca in Venetorum potestatem rediissent, post bellum feliciter gestum & confectum ad Episcopum Maccarensem tres Parœcias in Naronensi suburbano, quas Veneti in suam ditionem redegerant, Tribunensi Episcopo ademptas adjungi placuit; quibus Parochos, suum cuique, Episcopus Maccarensis præficeret. Sub initium sæculi hujus decimi octavi Antonius e vita sublatus Ecclesiam utramque orbam, & optimi

Digitized by Google

Pastoris interitu mœrentem reliquit an. 1703. Idibus Januariis. Ante Episcopatum toti Provinciæ Franciscanæ præfuit. Duas legationes perhonorificas nomine jussuque Reipublicæ suscepit, alteram ad Ludovicum XIV. Regem Galliarum, alteram ad Clementem IX. Pontificem Maximum; & utramque feliciter gessit. De Antonio hæc P. Sebastianus Dolci in Fastis Litterario-Ragusinis. *Antonius Primi Ord. Min. Anno 1669. ad Mercan. & Tribun. Episcopatum promotus eumdem gessit uberrimo Christianæ rei commodo usque ad annum 1703. Indulsit autem illius temporis mori, cum Venetiis anno 1702. per Hieronymum Albriccium Romanensem illam vulgavit Fabulam, cui titulus,* la Lega della Onestà e del Valore.

obiit.

ANTONIUS II. EPISC. TRIB. XXXIII. MERCANENSIS XXVII.

Antonius Righius electus an. 1703. Episcopus.

Natus Ragusii anno 1670. parentibus Nicolao Righio & Anna Volantia, quæ duæ familiæ inter secundi ordinis cives honestissimæ. In Clerum cooptatus divinorum librorum, sacrorumque Canonum scientia maxime excelluit, ingenio etiam usus satis apto humanioribus literis, præsertim poeticæ arti, qua plura scripsit latina carmina, & tria epigrammata edidit laudi Bartholomæi Beterræ, ejusque operis, *Psalmi Pœnitentiales* inscripti, ac Venetis typis evulgati anno 1702. Annum agebat tertium omnino ac trigesimum, cum summa Senatus commendatione postulatus fuit Tribunensis ac Mercanensis Episcopus, quippe Sacerdos *optimis moribus vitæque forma omnibus & venerationi esset & exemplo*; quem Clemens XI. utrique Ecclesiæ præposuit. *An. 1703. 16. Julii providit Eccl. Tribun. & Mercanen. invicem unitis p. obitum Antonii Primi de persona Antonii Righi Presbyteri Ragusini*; & extat ejus epistola inscripta *Dilecto Filio Antonio Righi electo Mercanen. & Tribunen. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem an. Incarn. Domin. 1703. Kal. Augusti Pontif. an. tertio.* Senatus Ragusinus ob ejus præclara merita biennio post illum vectigali levavit, quod pro pecunia ecclesiastici patrimonii sibi e mensis Romanis debita quotannis ab eo erat solvendum. Cum in omnibus virtutibus, quæ decent Episcopum, tum maxime effusa in omnes egenos liberalitate, ac præsertim in eas familias, quæ a florenti fortuna ad statum deteriorem descivissent, præstitit. Turcarum magistratus muneribus coluit, ut eos sibi, & gregi suo sub eorum potestate constituto conciliaret, neve ad rem Christianam iis in locis tuendam augendamque obstarent. Cum eum vires & valetudo deficerent, atque episcopali oneri sustinendo jam se non esse animadverteret, utramque Ecclesiam permissu Romani Pontificis dimisit anno 1727. Eodem anno idibus Martiis electus fuerat extra ordinem Vicarius Capitularis Ecclesiæ Ragusinæ cunctis fere Canonicorum suffragiis, dum staret Interregnum Archiepiscopale post Raymundi Gallani Archiepiscopi excessum; munus tamen honoremque abdixit. Cum lis inter Canonicos Ædis Metropolitanæ Ragusiensis, & Patres Dominicanos Ragusinæ sodalitatis exorta de ejusdem Raymundi hæreditate Pontificio decreto dirempta fuisset, sententiæ exsequendæ facultatem Antonio commisit Benedictus XIII. plurimum enim ejus integritati fidebat; hujusque acta habes in Archiepiscopis Ragusinis descripta. Reliquos annos e curis publicis vacuos sibi ac Deo vixit, omni prorsus deposita dignitate episcopali, de qua nihil præter virtutes retinuit. Mortuus est anno 1734. VI. Kal. Augusti, & in æde S. Francisci in sepulcrum familiæ Righiæ illatus.

Episcopatum dimittit an. 1727.

Ejus obitus.

FRANCISCUS HIERONYMUS EPISCOP. TRIB. XXXIIII. MERCAN. XXVIII.

Franciscus Hieronymus Bona Episc. Tribun. & Mercan.

Patritius & Canonicus Ragusinus ex antiquissima & clarissima gente Bona. Fuit Vicarius Joannis Baptistæ Conventati Archiepiscopi Ragusini; sed propter nonnullas interpositas offensiones jussus est munus illud deponere. Romam se contulit, & Cardinalem Barberinum, antea si non infensum, parum certe sibi propitium ita conciliavit, ut post obitum Raymundi Gallani Cardinalis ejusdem favore ac patrocinio apud Benedictum XIII. suffragante designatus fuerit Archiepiscopus Ragusinus; sed huic designationi obstabant leges patriæ, quibus jamdudum aditus ad Sedem illam Archiepiscopalem civibus ac patritiis Ragusinis intercluſus fuerat. Anno 1727. successor Antonii Righii a Senatu nominatus Ecclesiam Tribunensem & Mercanensem regendam suscepit a Benedicto XIII. Hic Pontifex ut mensæ episcopalis egestati subveniret, ex proventibus sane copiosis Congregationis Ragusinæ Presbyterorum S. Petri in Cathedra ducentos nummos argenteos monetæ Romanæ Episcopo singulis annis contribui peculiari suo chirographo jussit, donec aliunde episcopali indigentiæ provisum esset. Id cum Rector & Senatus ægerrime ferret, per suum Internuncium quam potuit demississime atque subjectissime exposuit, quantum detrimenti sodalitas Presbyterorum ex illa suorum reddituum diminutione caperet; rogavit atque obsecravit, ne Congregationem illam, quæ magnum ecclesiasticæ pietati ac disciplinæ incrementum, nec minus civitati ornamentum afferebat, eo subsidio detracto dissolveret, vel certe ad extremam inopiam redigeret. Æqua visa est Pontifici postulatio, & suum chirographum sive decretum revocavit atque irritum fecit; simulque Senatum pia hortatione admonuit, ut, quando ipse precibus Rectoris & Senatus benigne annuerat, ipsi quoque Pontificiæ benignitati responderent, & proventus idoneos alicunde assignarent, qui Episcopo Tribunensi & Mercanensi sumptus necessarios ad victum cultumque dignitati episcopali congruentem suppeditarent; præsertim cum vir patricius & de re publica benemeritus utrique Ecclesiæ præesset, qui suas etiam preces interposuit, ne sui causa proventus illius sodalitatis ulla ex parte diminuerentur.

De augendis sui Episcopatus proventibus

Benedictus PP. XIII.

Litteræ Benedicti XIII.

Dilectis Filiis Nobilibus viris Rectori & Consilio Reip. Ragusinæ sal. & Apost. benedictionem. Cum Episcopalem Mensam unitarum Ecclesiarum Mercanen. & Tribunen. ad eam inopiam redactam esse sciremus, ut Episcopo ad vitam honeste, ac pro dignitate sustentandum sufficere non posset, antequam ad eas jam vacantes successorem destinaremus, animum induximus, ut ex redditibus Congregationis Ragusinæ Presbyterorum S. Petri in Cathedra annuos scutatos ducentos Mensæ antedictæ uniremus, donec illi aliter consuleretur; quod deinde motu proprio nemini detrimentum afferre intendentes per nostras litteras in forma Brevis perficimus. Postquam autem dilectus filius

Lu-

Digitized by Google

Lucas Raphaelis Gozze Patritius veſter, quem ad nos ablegaſtis, demiſſe nobis expoſuit memoratam unionem reddituum, qui Sacerdotibus civitatis veſtræ Raguſii diſtribuebantur, in maximum detrimentum eorumdem eſſe ceſſuram, quibus ſcilicet valde neceſſarium detraheretur egeſtatis ſubſidium, nos pro inſigni & prorſus paterna voluntate, quam erga publicas privataſque Nobilitatum veſtrarum rationes gerimus, antedictas litteras motus proprii, memoratamque unionem, & quæcumque propter eam acta ſunt, libenti animo revocavimus, eorumque nullam prorſus vim & robur eſſe volumus. Perſpicitis autem, Dilecti Filii Nobiles viri, quam æquum ſit, ut qui Presbyterorum iſtorum inopiæ miſerti ſumus, pro Epiſcopo jam conſecrato & ejus decore præcipuam ſollicitudinem adhibeamus; cui ſane per nos ipſos omnino ſatisfaceremus, ſi ratio & opportunitas ſeſe ſuggereret, quemadmodum pro virili parte nos hactenus feciſſe non ignoratis. A veſtra igitur pietate & filiali obſervantia debitam noſtræ benignitati vicem exſpectamus; voſque curaturos confidimus, nequid Epiſcopo Patritio veſtro, beneque de Republica merito, qui pro eadem revocatione ſuas etiam preces obtulit, ad dignitatem ſuſtinendam deeſſe poſſit. Ac Nobilitatibus veſtris Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Dat. Romæ &c. die tertia Februarii &c. 1728.

Franciſcus Epiſcop. ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum transfertur.

Franciſcus Epiſcopus ſex annos de Eccleſia utraque præclare meritus, titulum poſtea munuſque Patriarchæ Conſtantinopolitani æque periculoſum ac laborioſum obtinuit; quod cum annos fere undecim cum laude & magna Chriſtianorum in illa urbe commorantium utilitate geſſiſſet, Blaſio fratris ſui filio Canonico Raguſino conferendum curavit. Reverſus in patriam privatus Raguſii, quod reliquum vitæ fuit, exegit. Diem ſupremum obiit an. 1749. VI. Kal. Jan. & apud Patres Dominicanos, uti antea ipſe juſſerat, in eodem, quo conditus fuerat Raymundus Gallanus, ſepulcro tumulatus fuit.

SIGISMUNDUS EPISC. TRIBUN. XXXV. MERCANENSIS XXIX.

Sigiſmundus Tudiſius doctrina, & pietate illuſtris.

Patritius itidem & Canonicus Raguſinus e Tudiſia nobiliſſima familia natus; vir doctiſſimus & diligentiſſimus inveſtigator antiquitatis Raguſinæ ſacræ & prophanæ, qui de Eccleſiis & Epiſcopis Provinciæ Raguſinæ multa cognitu digniſſima collegit, ſuiſque Mſs. conſignavit, & in tabulario epiſcopali, quod eſt Raguſii, ſucceſſoribus reliquit. Cum a Collegio Canonicorum ſponte deceſſiſſet, ut ſibi, litteris, Deo viveret, omne ſuum tempus partim doctrinarum ſtudiis, partim piis operibus ac præſertim confeſſionibus audiendis tribuebat; miro enim juvandi proximos deſiderio flagrabat. Cum atrox morbi vis contagione vulgata peninſulam Stagni fere totam pervaſiſſet, illuc ſtatim accurrit, & lue contactis aſſiduum miniſterium, & omnia, quæ ad corporum atque animorum ſalutem pertinent, humana & divina ſubſidia præſtitit. Hoc tam excellenti caritatis officio, quod ejus eximiæ doctrinæ, & egregiis, quibus præditus erat, virtutibus vel plurimum momenti addebat, dignum ſe præbuit, quem Senatus nominaret, Clemens XII. Epiſcopum Tribunienſem & Mercanenſem crearet. Anno 1733. Eccleſiæ utriuſque Epiſcopatum ſuſcepit, & domicilium in ditione Turcarum collocavit, ut gregis ſibi concrediti neceſſitates propius inſpicere, eiſque citius providere poſſet. Sed inter Turcas commoratio plurimis incommodis & periculis expoſita fuit. Unus de primoribus Turcis mulierem quamdam Chriſtianam inſano amore deperibat, quam ut ſecum matrimonio jungeret, non precibus ſolum & promiſſis eam illicere conabatur, ſed vim etiam adhibere ſtatuerat. Huic malo & periculo ut obviam iret, id conſilii cœpit Epiſcopus, ut ſtatim femina illa viro Chriſtiano nuberet. Nemo Parochorum inventus eſt, qui Chriſtianis illis nuptiis copulandis præeſſe vellet, cum ſibi ab homine præpotenti ac feroci metuerent. Epiſcopus, omni metu periculove poſthabito, utrumque Chriſtiano ritu, alterum cum altera, legitimo connubio junxit; & Turcæ ſpem omnem mulierculæ illius potiundæ ademit. Suſpicio erat Presbyterum quemdam, cui nimia cum Turcis familiaritas, ad ſacrilegam a fide defectionem ſpectare, & per ſummum Ordinis ſacerdotalis dedecus ad ſectam Mahometicam velle deſciſcere. Hunc Tudiſius ſub fida cuſtodia Romam miſit; quem amicum ſuum Turcæ cum fruſtra repeterent, armata manu in Epiſcopi domum invadunt; niſi redderet, acerbiſſima quæque ac necem ipſam minitantur. Clamor & tumultus feminas Chriſtianas proximæ vicinæ excitavit, quæ, cultris & fuſtibus arreptis, in aggreſſores irruunt, & tanta mulierbri audacia perterritos, ac male multatos in fugam conjiciunt. Cum Sigiſmundus inter Turcas nihil ſibi ab inſidiis, periculis, vexationibus tutum eſſe cerneret, exemplum deceſſorum ſuorum imitari ſtatuit; & ſtatione illa ærumnoſa & male fida relicta, petiit a Sacra Congregatione, impetravitque, ut Sedem ſuam Raguſium transferre, & ibi ſtabile domicilium ſibi conſtituere liceret. Itaque Raguſii domum conduxit ſatis commodam, ac dignitati epiſcopali congruentem, quam omnibus ſuis diœceſanis, e Turcica ditione ad ſe venientibus, patere voluit, & hoſpitium, victum, viaticum præbere. Ex urbe ſtatis temporibus ſuum gregem inter Turcas per agros & pagos diſperſum interviſere ſolebat, & ſalutaris doctrinæ atque Sacramentorum pabulo reficere, ac recreare. Anno poſt ſuſceptum Epiſcopatum ſeptimo & vicesimo, XVII. Kalendas Quinctiles, meritorum, quam annorum plenior ad ſuperos migravit,

Ejus acta præclara in ditione Turcica.

& obitus.

ANSELMUS EPISC. TRIBUN. XXXVI. MERCANENSIS XXX.

Anſelmus Caſſichius e Franciſcana Familia Epiſc. Trib. & Mercan.

Cognomento Caſſichius Stravciæ natus, in vico non ignobili Canaliticæ regionis. Apud Patres Societatis Jeſu politioribus litteris operam dedit; in quibus, ac præſertim in arte poetica, ſic excelluit, ut inter æquales ſuos & condiſcipulos longe præſtaret. Ad familiam Fratrum Minorum S. Franciſci aggregari cum voluiſſet, in gravioribus diſciplinis tradendis, tantam vim ingenii, & copiam eruditionis oſtendit, ut *Lectoris jubilati* gradum ac titulum obtinuerit. Cum ab omnibus, & maxime a viris patriciis magni fieret, & ſummopere amaretur, tum ob ſingularem doctrinam, prudentiam, vitæque integritatem eum Senatus Epiſcopum utriuſque Eccleſiæ nominavit. Clemens XIII. nominationem approbavit, & Tribunienſi, ac Mercanenſi Eccleſiæ Epiſcopum præfecit anno 1769. Quinque ipſos annos inter Turcas non Tribuniæ quidem, ſed in pago, cui Trebin-

Digitized by Google

gna nomen, commoratus, in salutem, Christianamque institutionem gregis sibi commissi, incredibili sedulitate ac labore incubuit. Sed cum Turcarum vexationes, & injurias, quibus assidue conflictabatur, ferre non posset, in ditionem Ragusinam sibi commigrandum censuit; atque apud Primoriem regionem maritimam in vico, quem Cepicuchiam vocant, domicilium collocavit. Ibi nulla in re sibi parcens, ut gentium illarum indigentiæ atque utilitati prospiceret, nullum optimi & vigilantissimi Pastoris officium prætermisit. Post annos duos supra triginta epi-
ejus obitus. scopalis regiminis sanctissime obiit VIII. Kalendas Februarii, & in oppido Slano in Æde Hieronymiana honorifice sepultus est anno 1792.

NICOLAUS II. EPISC. TRIBUN. XXXVII. MERCANENSIS XXXI.

Nicolaus electus an. 1792. E familia Ferrichia Ragusina moribus & opibus honesta. Clericali ordini nomen dedit, omnibusque optimi Sacerdotis muneribus perfunctus est ad annum ætatis sextum ac quinquagesimum, cum Senatus illum Tribunensem ac Mercanensem Episcopum designavit v. Kal. Februarii anno 1792. & Pius VI. Pontifex paullo post utrique Ecclesiæ præposuit, ut ex Actis Consistorialibus.

Sanctissimus Dominus noster in proximo Consistorio proponet Ecclesias Mercanen. & Tribunen. invicem perpetuo canonice unitas, Archiepiscopi Ragusini suffraganeas, vacan. per obitum bo. me. Anselmi a Ragusa, ultimi Episcopi extra Romanam Curiam defuncti, ac referet prædictarum Ecclesiarum statum, nec non qualitates R. D. Nicolai Ferrich Presbyteri Ragusini ad easdem Ecclesias ex benignitate Sanctitatis suæ promovendi. Civitates Mercan. & Tribunen. &c.

Ad dictas Ecclesias promovendus est de legitimo thoro, & Catholicis honestisque parentibus in civitate Ragusina ortus, in quinquagesimo sexto suæ ætatis anno constitutus, jamdiu Presbyter, & sacrorum Canonum Doctor, qui in præfata Ragusina civitate vices Parochi, Apostolici Missionarii, Examinatoris Synodalis, nec non Monialium S. Clarę Confessarii muneribus cum zelo & animarum utilitate functus est. Vir gravis, prudens, doctus, optimis moribus imbutus, rerumque experientia præditus, & in ecclesiasticis functionibus recte versatus, qua de causa dignus reputatur, qui prædictis Mercan. & Tribunen. Ecclesiis invicem unitis in Episcopum præficiatur.

Nicolaus episcopali consecratione Romæ donatus inde Ragusium rediit, suarumque Ecclesiarum regimine suscepto partes omnes amantissimi Pastoris agere jam cœpit; utinam vero suo gregi diu præsit, ac prosit.

EPISCOPI ZACHLUMIENSES, sive STAGNENSES.

Zachlumiæ positio & fines. Zachlumia una erat ex quatuor Zupaniis, sive Provinciis, quas in Dalmatia superiori Serbli obtinebant. Herzegovinam in boream dividens quam respicit ab oriente, Ragusium ac Tribuniam versus, Narone sive Orontio flumine ab occasu, a meridie mari terminatur. *A Rausio* (ait Constantinus Porphyrogenitus cap. 30. de Admin. Imp.) *Zachlumorum principatus initium habet, & protenditur ad Orontium flumen usque.* A septemtrione Bosinam attingit, a meridie adjacet mari. Hujus regionis incolas Porphyrogenitus *Zachlumos* vocat, a Monte Chlumo nomen adeptos, unde etiam regio ipsa *Chlumia*, & *Chulmia* & *Chlemia* dicta fuit, quæ nunc pars est *Ducatus S. Sabbæ*, sive *Herzegovinæ*. Hanc Presbyter Dioc leates *Zaculmiam*, *Chelmam*, & *Chelmanam* vocat, Thomas Archidiaconus *Chulmiam* & *Chelmum*. Mons Chlumus ab ortu Zachlumiam intersecat, cujus binis jugis duæ arces insidebant *Bona* & *Chlum*; ejus vero radices ab occasu præterfluit *Bona* fluvius, vel ab Ardio monte, vel a latere ipsius montis Chlumi exoriens. Quidquid autem terrarum est inter fluvios Naronem & Bonam, montemque Chlumum, ultraque Zachlumi ab Serblis oriundi. Ragusium usque, id Zachlumi incolebant, oriundi ab illis Serblis, qui sæculo septimo concessu Heraclii Imperatoris, ut alibi, & sæpe dictum est, hæc loca, expulsis Avaribus depopulatoribus Dalmatiæ, tenuerunt. Præter duo illa Castella, *Chlum*, & *Bonam*, quinque alias civitates in hac regione collocavit Porphyrogenitus; *Stagnum*, *Mocritch*, *Iosle*, *Galumanich*, & *Dobrisch*. De Zachlumis idem Porphyrogenitus cap. 33. de Adm. hæc litteris mandavit: *Zachlumorum terræ Romani primum dominabantur, illi nimirum Romani, quos Diocletianus Imperator Roma eo velut in coloniam deduxit; quemadmodum & in Chrobatarum historia dictum est. Romanorum igitur Imperatori prius parebat Zachlumorum regio; sed ab Abaribus postea subjugata, & in vinculis adductis ipsius incolis, tota hæc regio deserta fuit. Qui vero nunc illic habitant Zachlumi, Servii sunt ab illo principe, qui ad Heraclium Romanorum Imperatorem confugit; & Zachlumi dicti sunt a monte Chlumo nuncupato: & alia Sclavorum dialecto Zachlumi dicuntur ii, qui post collem habitant, quandoquidem magnus inibi collis est, in cujus vertice urbes duæ sunt, Bona & Chlum; retro autem hunc collem flumen Bona nuncupatum devehitur.* Cum Porphyrogenitus *Zachlumos post collem, seu montem Chlumum habitare* scripsit, id intelligi oportet ratione habita urbis Constantinopolitanæ, ubi ille scribebat; hujus enim respectu mons Chlumus faciem in orientem, tergum in occasum obvertit; quare *habitare post Chlumum* idem est, atque habitare a tergo Chlumi, sive ultra Chlumum. Anselmus Bandurius ad locum Porphyrogeniti modo laudatum hanc notam apposuit: *Atque si ita est, Sachlumi appellandi sunt potius, quam Zachlumi, neque ita Sclavorum dialecto vocandi sunt omnes, qui post collem habitant, sed tantum qui post montem Chlumum habitant; quippe Sa Slave* post *significat*,

Digitized by Google

cat, Chlumus vero nomen proprium montis est, a quo Sachlumi, sive Zachlumi appellati sunt, quemadmodum cæteri Serbli in hanc Dalmatiæ superioris regionem profecti, alii Arentani ab Arenta, regione inter amnes Naronem & Tilurum, alii Terbuniatæ, & Canalitæ a Terbunia & Canali, alii denique Diocletani ab urbe Dioclea nomen acceperunt.

Post sublatos Reges, Regnumque Illyriorum cum Gentio Rege postremo extinctum, hæc regio paruit Romanis, deinde Græcis Imperatoribus; quam sæculo septimo Heraclius Imperator, cum tota Dalmatia superiori cis ultraque montes, Naronæ & Driloni fluminibus interjecta, Serblis, e regione septemtrionali oriundis profectisque, habitandam tradidit, sub ea conditione, ut Abares expellerent, & annuo tributo suam erga Imperatores Orientis fidem atque obedientiam declararent. Quemadmodum Arentani, Terbuniatæ, & Diocletani, sic etiam Zachlumi suos e natione Serbliana rectores peculiares sive Toparchas, & Banos habebant, qui tum Regibus Serbliæ universæ, quibus erant subjecti, tum Imperatoribus Græcis tributum pendebant. De antiquis Zachlumorum Dynastis unum commemorat Porphyrogenitus *Busebutzen* appellatum, patrem Michaelis Proconsulis & Patricii, cujus posteri e Serblis illis, qui Bislam sive Ditzicin fluvium accolebant, & nondum baptismum susceperant, profecti anno circiter 860. in Zachlumiam venerunt, habitaruntque apud Zachlumam amnem, qui hanc regionem interfluebat. Hi autem hinc profecti privatane conditione & fortuna contenti, æquo & pari jure cum cæteris vixerint, an vero avitum majorum suorum principatum recuperaverint, neque ex Porphyrogenito, neque aliunde cognosci potest. Hunc Porphyrogeniti locum Græcis, ut est apud Auctorem, latinisque verbis expressum refero: Ὅτι ἡ γενεὰ τοῦ ἀνθυπάτου καὶ πατρικίου Μιχαὴλ τοῦ υἱοῦ Βουσεβούτζη τοῦ ἄρχοντος τῶν Ζαχλούμων ἦλθε ἀπὸ τῶν κατοικούντων ἀβαρτίνων εἰς τὸν ποταμὸν Βίσλας, τὸν ἐπονομαζόμενον Διτζίκλω, ἔζησε εἰς τὸν ποταμὸν, τὸν ἐπονομαζόμενον Ζαχλούμα. *Tunc posteritas Proconsulis & Patritii Michaelis, filii Busebutzis Principis Zachlumorum, venit a non baptizatis accolis fluminis Bislas, quod & Ditzice cognominatur, habitavitque ad flumen Zachluma.* Amnis Zachluma, quocum Bona fluvius, non ita longe a suo fonte progressus, se immiscet, regionem Zachlumorum interfluit, & deflexo in orientem alveo Terbuniam alluit, ubi profunda quadam voragine absorptus, abditusque per meatus subterraneos incedit; inde vero erumpens, amisso vetere, novum ab Umbla valle, quam interluit, sibi nomen adsciscit, directoque in meridiem cursu, apud Agravonitas, antiquos Illyrici populos, in mare infertur, prope a portu, qui *Gravosa*, sive *a S. Cruce* appellatur, nec ita longe a Ragusio in occasum distat. *Zachluma flumen*, ait Joannes Lucius Lib. IV. cap. 4. de Reg. Dalm. & Croat., *per vallem Popovo dictam, circumquaque altis montibus cinctam fluens, nullibique exitum habens, a terra absorptum, per occultos meatus in mare prorumpens flumen Omblæ, antiquis Arionem, efficit.* Sæculo undecimo principatum in Zachlumis obtinebat Gliutovidus. Hic cum Jupano Rasciæ, & Bano Bosinæ, ut est apud Presbyterum Diocleatem, a Dobroslavo Rege Serblorum ad Græcos defcivit, quem Goislavus, filius Dobroslavi, singulari prælio victum interfecit. Zachlumia vocari etiam solebat Regio Chelmana, sive *Comitatus Chelmi*, & *Chulmiæ*, qui veteres Zachlumiæ fines prætergressus, latissime patebat, & aliquando etiam fere totum, quem vocant Ducatum S. Sabbæ, sive Herzegovinam complexus est. Comites Chelmi sive Chlumiæ plures a scriptoribus commemoratos invenio; in his Dessam, qui ab Radoslavo III. Serblorum Rege cum defeciſſet sæculo duodecimo, Chelmensem principatum adeptus, ditionis suæ fines longe lateque propagavit, ac demum Radoslavo Regnum Serblianum eripuit. Tres habuit filios, *Neemanem*, qui parenti in regnum successit, Miroslavum & Constantinum. Miroslavo autem Provincia Chelmensis obtigit. Hic fortasse fuit Miroslavus, sive Minoslavus ille, de quo Alexander III. in suis ad Belam III. Regem Hungariæ litteris, datis anno 1181. In his jubet *Minoslavum Comitem* auctoritate regia compelli ad pecuniam, surreptam e depositio S. Raynerii Archiepiscopi Spalatensis, restituendam Ecclesiæ: *Ad hæc etiam*, inquit, *regiam magnificentiam monemus attentius, & rogamus, quatenus Minoslavum Comitem ad reddendam pecuniam prænominatam Ecclesiæ, quam olim bonæ memoriæ Raynerio Spalatensi Archiepiscopo abstulit . . . . compellas.*

Miroslavo parenti Andreas filius in principatum Chelmensem successit anno circiter 1190. Sed Andrea vel expulso, vel intra Naronem fluvium regnare coacto, Andreas filius Belæ III. & frater Henrici Regis Hungariæ, dominatum Chelmi, sive Chulmiæ inter Tilurum & Naronem obtinuit, qui, Comitis titulo posthabito, titulum Ducis *Chulmiæ* sumpsit. Andreas siquidem in binis litteris anni ejusdem 1198. se *Ducem Chulmiæ* appellat: *Ego Andreas tertii Belæ Regis filius Dei gratia Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Chulmiæque Dux.* Habes utramque Epistolam Andreæ Tomo III. Illyr. Sac. pag. 228. Verum civili bello inter fratres Henricum & Andream exorto, cum Andreas anno 1203. victus, captus, atque in custodiam traditus fuisset, Andreas Miroslavi filius paternam Chelmensem ditionem recuperavit, quæ postquam in hujus potestatem redivit, numquam exinde Reges Hungariæ, neque Andreas, post mortem Henrici fratris extincti anno 1204. regnum adeptus, neque ejus successores, quamvis plures regios titulos sibi aliunde accumularent, videlicet ab Hungaria, Dalmatia, Chrobatia, Halicia, Cumania &c. jus titulumque ab regione Chelmensi usurparunt. Reges Serblorum per ea tempora supremum dominatum in Chelmensem Toparchiam, ejusque Toparchas sibi vindicabant, veluti Simeon filius Neemanis, qui primus Regem Rasciæ se appellari voluit, & cum titulo Regni Rasciani alios titulos regios conjunxit e *Serblia, Dalmatia, Dioclia, Tribunia, & Zachlumia* desumptos. Huic successit Stephanus filius cum Vulcano fratre, qui in ejus Epistola ad Honorium Papam III. his titulis insignitus legitur: *Stephanus Dei gratia Serviæ, Diocliæ, Tribuniæ, Dalmatiæ atque Ochlumiæ Rex coronatus;* ex quo perspici potest Comites sive Duces Chelmenses fuisse vectigales, sive jure fiduciario subjectos Regibus Serbliæ. Principatus Chelmensis latissime patebat cis ultraque Naronem, cum illum recepit Andreas filius Miroslavi; sed cum pacis, quam belli studiosior esset, plurima Chelmensis ditionis oppida, præsertim inter Tilurum & Naronem amisit, quæ

Dy-

Zachlumi sub regimine suorum Banorum vectigales erant Imperatoribus Græcis.

Zachluma, & Bona fluvii.

Zachlumia pars Ducatus S. Sabbæ.

Zachlumiæ Comites.

Chelmia, sive Zachlumia, ejusque Domini sive Comites subjecti Regibus Serbliæ.

Digitized by Google

Dynastæ illarum regionum invaserunt. Itaque ex ampliſſimo in anguſtum dominatum concluſus, Popovum ultra Naronem, & Peninſulam Stagni, oramque maritimam retinuit, & moriens filiis ſuis reliquit, ut docet Maurus Orbinus in ſuis Commentariis de Regno Slavorum. Petrus quidam, ſive Petrislavus, quem alii Perdiccam vocant, pleraque loca inter Tilurum & Naronem fluvios occupavit. Hunc Thomas Archidiaconus *Dominum Chulmiæ*, alii *Comitem Chelmenſem* appellant. Erat vir ſummi conſilii & maximi animi, rei militaris peritus, nec minus rei civilis adminiſtrandæ, quem Spalatenſes Rectorem Urbis, ſive Comitem, ut ipſi vocabant, ſibi delegerant. Sed cum nefariis Patarenorum erroribus imbutus, impuriſſimæ illius hæreſeos infamia laboraret, tum boni omnes, tum maxime Clerici, vitique religioſi ab eo vehementer abhorrebant; eique, tamquam publico & manifeſto hæretico, Ædis Cathedralis, ad quam acceſſerat, fores occluſerunt; verum populus illum per vim ac tumultum in eccleſiam introduxit; quam ob cauſſam Aconcius Subdiaconus, qui ab Honorio III. miſſus in Dalmatiam atque Boſinam, legatione apoſtolica fungebatur, urbem univerſam interdicto ſuppoſuit anno 1224. Idem Petrus peninſulam Stagnum Andreæ vel ejus filiis, Miroſlavi nepotibus eripuit. Petro in principatum Chelmenſem ſucceſſit *Tollenus*, quem *Nepotem* ejuſdem Petri vocat Thomas Archidiaconus cap. 33. Hiſt. Salonit., & cap. proximo *Tollenum de Chlumia* appellat, atque obiiſſe tradit anno 1238. Poſt mortem Tolleni, Andreas filius Miroſlavi, ſeu potius Andreas alter, filius Andreæ, & nepos Miroſlavi, Principatum Chelmenſem recuperavit; ut colligitur ex Tabulis pacis ab eo redintegratæ cum Spalatenſibus, anno 1241. confectis. *In Chriſti Nomine Amen. Veniens Comes Andreas de Chelmo per duas vices in Spalat. ad reformandam pacem & concordiam inter ſe & ſuos homines ex una parte, & dictum Commune ex altera; denique ad talem concordiam, & pacem perpetualem pervenerunt &c.* Extant hæ Tabulæ apud Lucium in Notis ad Hiſt. Thomæ Archidiaconi, quas ad ſuos libros de Regn. Dalm. & Croat. adjunxit pag. 471. Sed non multis poſt annis Hyginius quidam, filius vel frater Nelipitii, ut eſt apud Maurum Orbinum, Stagnum & alia loca Andreæ filiis ademit; Hyginio autem extincto, Proceres ejus regionis provinciam Chelmenſem inter ſe partiti, ſuam quiſque portionem tenuerunt. Intra finem hujus ſæculi decimi tertii quatuor filii cujuſdam Branivoi Dynaſtæ ejuſdem regionis, ex Barga oppido, Michael, Dobrovius, Brancus, & Braicus, juvenes excelſo, & magno animo, popularibus ſuis, qua terrore armorum perculſis, qua benevolentia ſibi conciliatis, Principatum Chelmenſem ſibi vindicarunt, ejuſque fines ab Tiluro, ſive Zetina fluvio Catharum uſque protulerunt. Hos anno circiter 1320. Stephanus Banus Boſinæ devicit, & regionem illam fere omnem in ſuam poteſtatem redegit. Hæc Maurus Orbinus *de Regno Slavorum* pag. 393, itemque Jacobus Luccarus in Annalibus Raguſinis. Stephanus hac provincia potitus ad ſuos titulos Chelmenſem quoque adjungi voluit; ut declarat Epiſtola Tragurienſium, apud Joannem Lucium lib. V. De Regno Dal. & Croat. an. 1326. prid. Idus Junii data, & inſcripta *Magno potenti Domino Stephano, libero Principi, & Domino Boſnæ, Uſſoræ, Salæ, & plurium locorum, atque Chelmi Comiti.* Hic Eliſabetham filiam nuptum dedit Ludovico Hungariæ Regi, qui poſt mortem Stephani, principatum Chelmi, jure uxorio cum ad ſe pertinere cenſeret, repetjit a Tuartko, filio Vladislavi fratris Stephani, qui in Banatum Boſnenſem ſucceſſerat; neque Tuartkum, quem ad ſe in Hungariam vocaverat, antea dimiſit, quam illum ſibi traderet, paucis quibuſdam caſtellis in Dalmatia inter Naronem & Filurum eidem, veluti compenſationis nomine, conceſſis. Sed mortuo Ludovico Tuartkus Chelmenſem provinciam recuperavit. Hanc ille Utlako filio Uk Hranæ ſive Ukranæ, quod Turcas a Boſina, quam invaſerant, duplici prælio fuſos caſoſque propulſaſſet, remunerationis cauſſa donavit. Utlako in Chelmenſem principatum ſucceſſit Sandaglus filius, qui paternam hæreditatem plurimis locis auxit, quæ ob præclara merita ab Oſtoia Rege Boſinenſium accepit. Cum nullos ex ſe liberos & hæredes reliquiſſet, Stephanus filius Ukaſii fratris Sandagli, patrui ditionem obtinuit. Hic apud Coſſac oppidum natus cum eſſet, *Hrana* cognomine avito poſthabito, ſe *Coſſacium*, ſuamque poſteritatem Coſſaciam cognominari voluit; cujus filia Catharina Coſſacia Thomæ nupſit penultimo Regi Boſinenſium. A Friderico IV. Imperatore dignitatem ac titulum Ducis accepit; & qui antea *Comites*, poſtea *Duces* vocari cœperunt; Regio vero Chelmenſis Herzegovina, a Germanica voce *Herzeg*, quæ Ducem ſignificat, appellata fuit; ſive etiam Ducatus S. Sabbæ, quod ejus corpus in hac regione conditum fuerat. Is fuit filius Simeonis Regis Serbliæ natu minimus, nomine Raſcus, qui ſumpto habitu monachali, nomen Sabæ ſibi adoptavit, de cujus ſanctitate excellens illarum gentium opinio fuit, & cultum numerumque Divorum apud ſuos obtinuit. *Ducatus Herzegovina*, ſive *Sancti Sabbæ* ab occaſu & Tiluro ſeu Zetina fluvio in ortum Novinazarium uſque, quæ civitas eſt Raſciæ, dierum fere novem itinere protendebatur. Hunc Vladislavus, & Vlatkus poſt obitum Stephani Coſſacii parentis, inter ſe partiti cum eſſent, huic pars inferior, illi ſuperior obtigit. Utramque illis eripuit ſæculo decimo quinto exeunte Mahometes II., ſive Bajazethes II. Reges Turcarum, quam ſucceſſores utriuſque adhuc retinent. Ab his duobus fratribus duæ nobiliſſimæ familiæ, ab Vladislavo *Balſa*, ab Vlatko *Coſſacia* propagatæ ſunt. De Toparchia, & Toparchis, ſive Comitibus Chelmi quæ diximus, deſumpta ſunt ex Orbino, Luccaro, & aliis Latinis, Græciſque ſcriptoribus, qui tamen in dirigenda Comitum Chelmenſium ſerie & temporum ordinibus explicandis inter ſe diſſident. Cæterum regio Chelmenſis latius patet, & longius protenditur, quam Zachlumia iis terminis circumſcripta, quibus illam Porphyrogenitus definivit; hæc ſiquidem illius pars eſt. Nunc vero quidquid ampliſſimo Herzegovinæ, ſive Chelmi vocabulo continetur, Turcarum Imperio ſubeſt, præter oram maritimam Zachlumiæ, & peninſulam Stagni, quæ ad Raguſinam Rempublicam pertinent.

Alii Comites Chelmenſes.

Quatuor fratres filii Branivoi, Principatum Chelmenſem ſibi vindicant.

Peninſula Stagni pars Zachlumiæ.

Peninſula Stagni, quæ olim dicta ferunt Peninſulam *Neſti* ab *Neſto* ſinu, nunc Narentano, quo ſuperius ad ſeptemtrionem latus peninſulæ alluitur; alias *Sabioncellum*, alias *Punctam*, alias *Stagnum* vulgo appellant. Diſtinguenda eſt a peninſula Hyllis, ſive Promontorio;

dicti deinde Duces Herzegovinæ, ſive S. Sabbæ.

torio Diomedis; hoc siquidem hinc longe disjunctum, inter Sibenicum, & Tragurium in mare prominet. De utraque peninsula Tomo I. Illyr. Sac. P. a. Proleg. cap. v. §. 3. Peninsula Stagni millia passuum ferme triginta ab Ragusio in occasum distat, quam isthmus haud ita late porrectus continenti adnectit. Multo longius, quam latius in mare procurrit, desinitque inter Phariam & Corcyram nigram, in angulum, quem Punctam Stagni vocant, occidenti obversum, non orienti soli, uti in Tomo I. Part. 2. Proleg. pag. 148. descriptum est. Latus septemtrioni obversum Sinus Narentanus, & fretum, quo a Pharia dirimitur, latus alterum ad meridiem vergens alluit euripus, qui Melitam, & Corcyram praetersluit. Montium continuatio seriesque ab ortu in occasum perpetuis jugis producta peninsulam intersecat: cis ultraque montes plurimis pagis, villis, & oppidulis frequentissime habitatur. Isthmo ab septemtrione insidet, adjacetque ad Sinum Narentanum Stagnum *vetus*, sive *parvum*, illud idem, ut mihi videtur, quod Porphyrogenitus inter civitates Zachlumiæ adnumerat; eratque tunc fortassis caput ac princeps totius regionis ac gentis, quæ vel peninsulæ dedit, vel a peninsula nomen accepit. Huic duplex ineſt Castellum, portus subest plurium navigiorum capax. Stagno veteri seu parvo a meridie, fermeque e regione, in ipso peninsulæ aditu situm est Stagnum *novum*, sive *Magnum*, egregiis moenibus & propugnaculis cinctum, assidetque ad fretum, spectans in solem orientem, quod sub moenibus oppidi, utrinque aggeribus clausum, objectu laterum efficit portum, rutamque stationem navigiis praebet. A parvo Stagno ad magnum murus perducitur, qui utrumque jungit, atque hostibus ad peninsulam aditum intercludit. Valles interjacent peramoenæ, oleis, & vitibus consitæ, e quibus ingens copia tum olei, tum vini optimi cujusque generis, non item tritici, & ceterarum frugum. Tota peninsula in longitudinem millia passuum circiter quinquaginta porrigitur; latitudo ejus varia; qua latius patet vix decem milliaria protenditur. Mare circumfluum piscibus abundat, unde uberrimi Insularium quæstus, & proventus. Anno 1333. peninsulam Stagni a Stephano Bano Bosinæ detractam e Principatu Chelmensi, quem filiis Brapivoi ademerat, ut supra diximus, Ragusinis venditam fuisse tradunt Jacobus Luccarus, Seraphinus Razzius, Maurus Orbinus, annua pensione eisdem imposita quingentorum yperperorum, qui centum & quinquaginta argenteorum, quos *Ducatos* appellant, summam efficiunt. Ragusini utrumque Stagnum validis operibus, munitionibusque circumdederunt, praesertim novum seu magnum, cui ab occasu castellum supereminet, excelso arduoque monti, quem *Podris* sive *Polvis* vocant, impositum, natura & loco munitum, quod murus declivis cum ipsa civitate conjungit.

Ejus positio & descriptio.

Peninsulam Stagni de Stephano Bano Bosinæ Ragusini emerunt.

Anno 1459. novis operibus, munitionibusque septum fuisse docet inscriptio: *Ad laudem Omnipotentis Dei hoc laudabile Opus perfectum fuit die* 20. *Julii* 1459. Civitas e loco subalpino vergens ad meridiem planissimo in loco explicatur, trigoni speciem exhibet, descriptione viarum & aedificiorum perpulchra, quam moenia, & turres interjectæ undique claudunt. Coelo quidem utitur parum salubri propter salinas adjacentes; sed aquas habet saluberrimas & perennes per canales fictiles e longinquis montibus deductas saeculo decimo sexto, ut declarat inscriptio: *Perductа ex D. S. R. Praefuere operi faciundo Sabinus Palmotta, & Andreas Bonda. Anno* CIↃIↃLXXX. Stagnum parvum oppidi verius, quam urbis speciem praebet; at Stagnum magnum civitas est, colituruque, & olim habitabatur frequentissime; eademque Sedes est Episcopi Stagnensis. Penes Consilium majus sive supremum Ragusii jus est Magistratus, ut caeteris oppidis ac locis Ragusinæ ditionis, sic etiam huic peninsulæ praeficiendi. Tres autem sunt primarii, Comes seu Praetor Stagni, Capitanei, seu Praefecti duo, alter Jagninæ, alter Tarsthenizæ regioni praepositus, praeter alios minores magistratus, qui juri dicundo, reique civili ac militari administrandæ praesunt. Cohortes quoque praesidiariæ impositæ sunt, tum Stagno utrique, tum aliis peninsulæ arcibus, sive castellis.

Religio Christiana in hac regione inde usque a temporibus Apostolicis, per ipsos Apostolos, vel eorum discipulos, ac praesertim S. Domnium primum Dalmatiæ & Salonarum Antistitem illata, viguit floruitque. Cum in praecipuis Dalmatiæ civitatibus Episcopi constitui coepissent, alii citius, alii serius, hanc Dalmatiæ particulam attributam fuisse arbitror Naronitano, vel Epidaurio, vel Rhizinensi Episcopo; his enim interjecta, vel finitima erat; horumque Episcopatuum initia saeculo sexto aequalia sunt, vel antiquiora. Nec vero ante saeculum nonum his populis Episcopum datum fuisse reperio. In hac & finitimis regionibus res Christiana & Catholica varias & multiplices infectationes, tum ab idolorum cultoribus, tum ab haereticis & schismaticis perpessa est. Saeculo quinto exeunte Ostroillus genere Gothus, Totilæ frater, Goshos & Slavos huc invexit, partim Ariana labe infectos, partim idololatrica superstitione imbutos; & ex utriusque populis, connubiorum, legum, rerumque civilium communione inter se junctis, Regnum constituit, atque in Provincia Praevalitana fundavit. Plures ex se oriundos, alios ex aliis successores habuit usque ad saeculum septimum. Ex his non pauci Christianis infesti atque inimici fuerunt, praesertim vero quatuor postremi ex progenie Ostroilli Reges, quos, tacito nomine proprio, Presbyter Diocleates in suis Commentariis *de Regno Slavorum*, & Marcus Marulus in suo Codice Slavonico commemorant, eosque vocant Tyrannos, propterea quod Christianos rabie & immanitate tyrannica divexarunt. Saeculo septimo hanc regionem cum tota Dalmatia superiori, praeter oram maritimam & insulas, expulsis Avaribus, qui Salonam, Epidaurum, aliasque Dalmatiæ urbes everterant, Serbli, gens Slavonica, concessu Heraclii Imperatoris obtinuerunt, quatuor in partes divisam, quarum unam Narentani, alteram Zachlumitæ, tertiam Terbuniatæ, & Canalitæ, postremam Diocletani sibi vendicarunt. Hi fere omnes, cum avitæ Idolorum superstitioni addicti essent, alii septimo, alii saeculo nono Christianæ religioni nomen dederunt, praeter Narentanos, quos Porphyrogenitus Paganos, idest cultores Idolorum vocat. Sed his quoque eodem saeculo nono lux divina tandem oborta baptismi suscipiendi cupiditatem injecit, & Basilio Macedone imperante ad Ecclesiam aggregati sunt. Huc revoca quæ dicta sunt Tomo III. Illyr. Sacri in Joanne primo Spalatensium Archiepiscopo cap. iv. Post Narentanos ad Christi fidem cultum-

Religio Christiana inde usque a temporibus Apostolicis in hanc peninsulam invecta.

Digitized by Google

rumque adjunctos, Religio graviſſimis, quæ ab hoſtibus Chriſtiani nominis ingruebant, periculis & vexationibus perfuncta, proſperum ſine offenſione curſum tenuit uſque ad initium ſæculi decimi tertii; cum e proxima Boſina hæreſis Patarena, lues teterrima in has regiones invaſit, & orthodoxam incolarum fidem fœdum in modum depravavit; & præſertim longe lateque propagata fuit ſub Petro Comite ſeu Dynaſta Chelmenſi, qui Patarenorum fallaciis, & præſtigiis illuſus, inſanæ ac ſpurciſſimæ ſectæ nomen dederat, ejuſque patrocinium ſuſceperat. Huc quoque dogma & ſchiſma Græcorum irrepſit, quod in peninſula Stagni præſertim dominabatur; illudque arctiſſime tenebant, ac tuebantur Monachi Baſiliani, vetus ibidem Cœnobium incolentes, qui animos incolarum pravis opinionibus, ſuiſque erroribus imbuerant. Verum anno 1333. Raguſini, cum eam de Stephano Bano Boſinæ emiſſent, nihil habuerunt antiquius, quam ut, Baſilianis alio migrare juſſit, omnia hæreticæ, & ſchiſmaticæ pravitatis veſtigia prorſus abolerent. Cœnobium Baſilianum Patribus Franciſcanis tradiderunt, qui aſſiduo ſtudio, operaque ad populos illos falſam doctrinam, a Græcis acceptam, dedoceendos incubuerunt; & omnium letalium dogmatum fibris evulſis, totam peninſulam ad rectam in Deum fidem, & ſinum Eccleſiæ Catholicæ revocarunt. Exinde Stagnenſes fidem orthodoxam ab omni labe intactam conſtanter ac perpetuo retinuerunt.

Raguſini hæreticos, & ſchiſmaticos expellunt.

Epiſcopatus Zachlumenſis, ſive Stagnenſis incerta ſunt primordia. Inſtitutum fuiſſe arbitror anno 877. in celeberrimo illo Concilio Delmitano, de quo plura Tomo III. Illyr. Sac. in Georgio Archiep. Spalaten. cap. 1. In Hiſtoria hujus Concilii apud Presbyterum Diocleatem mentionem hujus Eccleſiæ & Epiſcopatus primum factam invenio. Duo ibidem commemoratæ ſunt Metropoles eccleſiaſticæ Salonitana, ſeu Spalatenſis, & Diocletana. Sub prioris *regimine has Eccleſias* Synodus *ſtatuit, videlicet Spalatum, Tragurium, Scardonam, Stranſonam, quod nunc eſt Caſtellum Jaderæ, Enonam, Arbuam, Abſarum, Vigiliam, & Epitaurum quod nunc dicitur Raguſium .... Simili modo*, inquit, *Diocletanam Eccleſiam pro jure antiquo ſtatuerunt Metropolim, ſub cujus regimine has Eccleſias declararunt, ſcilicet Antibarium, Buduam, Ecatarum, Dulcinum, Svacium, Scodram, Drivaſtum, Polletum, Boſonium, Tribunium, ZACULMIUM*. Si ordinis chorographici ratio habenda eſſet, Zachlumia Salonitano ſeu Spalatenſi potius, quam Diocletano Metropolitæ videretur attribuenda fuiſſe; hæc enim regio inter Naronem & Raguſium conſtituta propius Spalato aberat, quam Raguſium, quod licet longius disjunctum, Spalatenſi tamen Metropolitæ attributum fuit; nec deeſt ratio ſuſpicandi Anonymum illum Presbyterum in eo erraſſe, quod *Zaculmium*, contra quam Concilium Delmitanum ſtatuerat, Metropoli Diocletanæ adſcripſit. Primordia Epiſcopatus Zachlumienſis ad Synodum Delmitanum referenda eſſe illud argumento eſt, quod per ea tempora Zachlumitæ ad Chriſtianam Religionem converſi, & baptiſmo initiati fuiſſe videntur. De triplici Slavorum baptiſmo, quæ ſcripſimus Tomo III. Illyr. Sac. in Joanne primo cap. IV. in Petro III. cap. 1. & in Georgio II. Spalatenſium Archiepiſcopis, memoria repetas velim. Primo baptiſmo aggregati fuerunt ad Eccleſiam plerique Chrobatorum & Serblorum anno circiter 670, ſecundo reliqui Chrobatorum anno 832, tertio demum anno 868. cæteri Serbli, qui nondum ad Chriſtum ſe adjunxerant; & paucis poſt annis ipſi quoque Narentani, poſtremi omnium Slavorum, Chriſtianam religionem ſuſceperunt. Ad tertium baptiſmum Zachlumitas pertinere arbitror, qui cum Narentanis finitimis nondum veterem ſuperſtitionem exuerant, vel ſi qui ex illis Chriſtianis ſacris initiati fuerant, tum ab Imperio Græcorum, cui ſubjecti erant, tum a fide ac religione Chriſtiana per ſummam impietatem deciverant; ut Conſtantinus Porphyrogenitus ſcripſit in vita Baſilii Imperatoris: *Plerique vero Serbli majoris defectionis ſpecimine etiam baptiſmum ejurarunt; ut nullum erga Romanos amicitiæ, & ſubjectionis pignus retinerent*. Præterea ſi non omnes Zachlumitæ, certe qui regionem inter Naronem & Bislam fluvios incolebant, ab Chriſti cultu alieni erant; ut docet Porphyrogenitus, qui ab his Zachlumis, baptiſmi expertibus, ſeceſſione facta quoſdam e poſteritate Michaelis Proconſulis & Patritii, qui filius erat Buſebutzis, Principis Zachlumorum, migraſſe ait, & Bislam, ſive Ditzicem amnem tranſgreſſos ſæculo nono, & apud fluvium Zachlumam ſedes rerum ſuarum collocaſſe: *Tunc venit poſteritas Proconſulis & Patritii Michaelis filii Buſebutzis Principis Zachlumorum, a non baptizatis accolis fluminis Bislas, quod & Ditzice cognominatur, habitavitque apud flumen Zachlumam*. Cum igitur Slavi omnes, qui Dalmatiam incolebant, Chrobati, Serblique ſuave Chriſti jugum ſubjiſſent, tunc habitum eſt Concilium illud Delmitanum *in planitie Delmæ*, ut Presbyter Diocleates, ſive *in Campo Cliunæ*, ut Marcus Marulus; quem in locum convenerunt Rex Serbliæ, Dux Chrobatiæ, Proceres utriuſque regionis, & cum Epiſcopis Dalmatiæ legati tum Pontificis Romani, tum Imperatoris Conſtantinopolitani. In eo deſcriptio & diviſio facta cum eſſet Eccleſiarum & Provinciarum, Zachlumitis ante annos non ita multos ſacro baptiſmo expiatis, primus Epiſcopus datus eſt; ejuſque ſedem epiſcopalem Stagni conſtitutam fuiſſe arbitror, quæ civitas videtur primaria fuiſſe totius gentis ac regionis; huic ſiquidem Porphyrogenitus in recenſendis urbibus Zachlumiæ primum locum attribuit. Nec vero Epiſcopus ab urbe epiſcopali, ſed ab regione *Zachlumienſis* appellatus fuit; poſtea vero *Stagnenſis* cognominari cœpit. Primi hujus Epiſcopi, itemque poſteriorum nomen uſque ad ſæculum duodecimum memoriæ proditum non eſt, & horum omnia acta vetuſtas atque oblivio intercepit. Quinimmo poſt duos, treſve priores Epiſcopos Zachlumienſes uſque ad ſæculum undecimum nulla ſuperſunt monumenta, in quibus vel tenue hujus Epiſcopatus veſtigium appareat, perinde ac ſi nullus fuiſſet. E ſilentio ſuperiorum temporum emergere, & quodammodo reviviſcere viſus eſt anno 1023. in Epiſtola Benedicti Papæ VIII. ad Vitalem Archiepiſcopum Raguſinum, in qua Pontifex *Lachomium*, ideſt *ZACHLUMIUM* (interprete Sigismundo Tudiſio Epiſcopo Mercanenſi) juriſdictioni Metropolis Raguſinæ ſubjecit. Calliſtus II. itidem *Zachulmiam* Archiepiſcopo Raguſino attribuit in ſuis litteris anno 1121. inſcriptis *Vener. Fratri Geraldo Raguſiæ Civitatis Antiſtiti*. Cæleſtinus II. omnes fere Dalmatiæ ſuperioris Eccleſias cum Zachlumienſi ad Eccleſiam & Provinciam Raguſi-

Initia Epiſcopatus Zachlumienſis, ſive Stagnenſis incerta.

Poſt Serblos omnes baptizatos Concilium Delmitanum habitum.

in quo primus Zachlumitis Epiſcopus datus eſt, ejuſque ſedes in urbe Stagni conſtituta.

Eccleſia Zachlumienſis tribus Metropolitis pro varietate temporum paruit.

Digitized by Google

gusinam adjunxit in quodam diplomate, quod Jacobus Luccarus asservari ait in Tabulario S. Mariæ; sed annus 1141. quem diplomati adscribit, non cohæret cum Pontificatu Cælestini, qui non ante annum 1143. Innocentio II. in Sedem Romanam successit. Thomas Archidiaconus cap. xv. Hist. Salonitanæ, hujus Episcopatus mentionem fecit, postquam narravit de naufragio Episcoporum superioris Dalmatiæ, & de primordiis Metropolis Antibarensis anno circiter 1030. institutæ; eumque videtur attribuere Provinciæ Spalatensi, cujus Ecclesias & Episcopatus nominatim percenset: *In Stagno nihilominus fuit Episcopatus, suaque Parochia erat in Comitatu Chulmiæ.* Cælestinus III. vel Clemens III. anno 1191. in suis litteris ad Petrum VIII. Archiep. Spalatensem, huic Ecclesiam Stagni subjecit. Ex his apparet Ecclesiam Zachlumiensem sive Stagnensem tribus Metropolitis pro temporum varietate paruisse; primum quidem Diocletano ex Synodo Delmitana an. 877. postea Ragusino ex Epistola Benedicti VIII. an. 1023. deinde Spalatensi ex Thoma Archidiacono, an. circiter 1030.; tum iterum Ragusino ex Epistola Callisti II. an. 1121. itemque ex Epistola Cælestini II. an. circiter 1143. deinde rursus Spalatensi ex Epistola Cælestini III. vel Clementis III. an. 1191. demum rediit sub potestatem Ragusini, quocum etiamnum vinculo subjectionis, & obedientiæ colligata est.

Hæc diœcesis nunc iisdem fere, quibus peninsula, terminis definitur. Ab ortu Ragusinam, ab occasu Macarensem diœcesim attingit, a septemtrione, & meridie mari circumluitur. Sedes Episcopalis constituta est in urbe Stagni, a qua peninsula, & Episcopus denominatur. Sed duplex est Stagnum, ut supra diximus; utrumque isthmo impositum, alterum ad sinum freti Narentani, alterum e regione intervallo exiguo unius milliarii disjunctum, spectans in solem orientem, vergensque ad meridiem; hoc *novum* & *magnum*, illud *vetus* & *parvum* appellant. Utrumque Ragusini validis mœnibus & propugnaculis munierunt, utrique & Magistratus, qui juri dicundo, reique publicæ administrandæ præsint, & militare præsidium ad custodiam ac defensionem imponunt. Stagnum parvum aquilonaribus ventis expositum, qui noxios e maritimis æstuariis ventos dissipant, attenuantque, cœlo saluberrimo fruitur; non item Stagnum magnum propter ventos australes, quibus obnoxium est, & præsertim propter exhalationes e proximis salinis emissas, quibus aer concrescere & infici solet. Apud Stagnum magnum, quæ civitas est ædificiis atque incolis frequens, sedem stabilem habet Episcopus, & palatium dignitati pontificiæ non indecorum; ibi Ædes Cathedralis satis ampla & pulchra, titulo & auspiciis Sancti Blasii Martyris consecrata, ibi Collegium olim Canonicorum, nunc Clerus secundi ordinis, qui vel quotidie vel festis diebus psalmodiæ ac liturgiæ assiduam & diligentem operam navant. Extat in urbe templum & Cœnobium S. Nicolai, quod, Calogeris ritus & dogmatis Græci expulsis, Patribus S. Francisci severioris disciplinæ attributum fuit, itemque ædes sanctissimi Nominis Jesu, cui rector unus de Presbyteris præpositus est, & sodalitas Presbyterorum, quibus piorum legatorum administratio committi solet.

Duplex Stagnum parvum, & magnum;

In hoc sedes Episcopalis.

Peninsulæ Stagni divisio, & ædes sacræ.

In peninsula totaque diœcesi plurima sunt templa & sacella. Totius peninsulæ tres partes fecerunt Ragusini, unam isthmo propiorem in ortum solis, quam *Comitatum Stagni* vocarunt, quod qui huic præesset, Comitis titulo donatum voluere, & primarius est magistratus, qui in utraque civitate Stagni sedem & certum domicilium habet; alteram septemtrioni obversam *Capitaneatum Iagninæ*, tertiam, quæ vergit ad meridiem, *Capitaneatum Tarstenikiæ* appellarunt, propterea quod magistratus utrique præpositus *Capitaneus* nominetur. In *Comitatu Stagni* situm est *Stagnum parvum*, oppidum neque infrequens, neque ignobile, ubi ædes primaria S. Antonii Abbatis, cui Parochus præest, eique subsunt quatuor ædiculæ in pago, cui nomen *Hodiglie*, videlicet S. Viti Martyris, B. Virginis in lucem editæ, S. Joannis Baptistæ, & S. Antonii Patavini. In planitie seu territorio *Stagni magni* templum B. M. V. ab Angelo salutatæ jure tituloque parœciæ insignitum, & præter alias campestres ædiculas fere duodecim fanum S. Michaelis Archangeli, & S. Catharinæ Virginis & Martyris; huic sororum tertii Ordinis Franciscani, illi sororum tertii Ordinis Dominicani domicilium adjunctum est. Apud Brozium templum est ac Cœnobium S. Mariæ Patrum S. Dominici e Congregatione Ragusina, & tria in eodem pago sacella Omnium Sanctorum, SS. Felicis & Adaucti, & B. Virginis ab Angelo salutatæ: in vico & agro Poniquensi templum & parœcia S. Joannis Baptistæ cum sex aliis ædiculis. In *Zarna Gora*, ideſt Monte nigro, templa S. Michaelis, B. V. de Rosario, S. Mariæ Magdalenæ, S. Annæ, Sanctissimæ Trinitatis. In vico, cui nomen *Cobasia*, tres ædiculæ, S. Hieronymi, B. Mariæ de Carmelo, S. Antonii Patavini. Adde quatuor alias villas *Danciagne*, *Sabriese*, *Briestam*, *Dubam*, & quatuor templa, suum cuique, videlicet S. Michaelis, S. Magdalenæ, S. Margaritæ, S. Nicolai Pontificis.

In latere peninsulæ ad septemtrionem obverso est *Capitaneatus Iagninæ*, in cujus oppido & territorio templum & parœcia S. Blasii, ædesque S. Stephani; apud *Cunam* est Ecclesia jure parœciali prædita cum tribus ædiculis S. Francisci, Christi Domini in cœlum ascendentis, S. Antonii Abbatis. Extat præterea Ædes perpulchra S. Mariæ Lauretanæ insigni populorum frequentia & veneratione culta cum Cœnobio magnifico Fratrum Ordinis Franciscani. In pago *Oscoruscno* tria sacella S. Nicolai, S. Catharinæ, Sanctissimæ Trinitatis; *Tarpagi* in vico non ignobili templum S. Petri Apostoli, itemque S. Mariæ de Carmelo, S. Rochi, S. Antonii Patavini.

In altero latere peninsulæ ad meridiem longe lateque protenditur *Capitaneatus Tarstenikiæ*, in quo oppidum Sabioncelli, ubi duæ parœciæ S. Mariæ de Carmelo & S. Michaelis Archangeli, itemque templum B. Virginis in cœlum assumptæ, & Cœnobium Dominicanum, itemque Franciscanum severioris disciplinæ, ac tria insuper sacella S. Rochi, S. Stephani, B. Virginis ab Angelo salutatæ. In oppido, cui *Punctæ Julianæ* nomen, Parœcia S. Martini, templum S. Juliani, ædes S. Mariæ Gratiarum. His adde *Stankovicium*, & duas ædiculas S. Georgii, & S. Jacobi, *Peglieſaz* cum quatuor sacellis S. Laurentii, S. Annæ, B. Virginis ab Angelo salutatæ & S. Lucæ, *Nacovan* cum tribus itidem sacellis B. Virginis natæ, S. Georgii, & S. Flo-

Aliis præterea sive oppidis sive vil-

lis

lis hæc peninſula frequentiſſime habitatur, quæ ad territorium vel Stagni vel Iagninæ vel Tarſtenikiæ pertinent, & ſua cuique ſunt vel templa vel ſacella; in his *Vurucica* cum ſuperior, in qua ædes SS. Coſmæ & Damiani jure ac titulo parœciæ inſignis, cui ſubeſt ſacellum S. Demetrii ferme dirutum; tum inferior, in qua ædiculæ S. Georgii & S. Mariæ Majoris. Plerique hujus peninſulæ templis adjuncta ſunt ſodalitia piorum hominum, qui feſtis diebus ad ſacra divini cultus officia peragenda conveniunt; & fere omnibus aliquis Sacerdos præpoſitus eſt, qui vel ſingulis vel ſtatis diebus ſacrificium cum annuo ſtipendio facere ſolet. Nunc deſcribenda eſt ſeries Epiſcoporum Stagnenſium ſive Zachlumienſium.

I. N. N. Epiſcopus Stagnenſis ſive Zachlumienſis an. circ. 877.
II. N. N. Epiſc. Stagnen. an. 928.
III. N. N. Epiſc. Stagnen. an. 1023.
IV. Gabriel Epiſc. Stagnen. an. 1044.
V. N. N. Epiſc. Stagnen. an. 1121.
VI. Simeon Epiſc. Stagnen. an. 1143.
VII. Donatus Epiſc. Stagnen. an. 1170.
VIII. Petrus Epiſc. Stagnen. an. 1285.
IX. Joannes Epiſc. Stagnenſis, & Corcyrenſis an. 1291.
X. Joannes II. Epiſc. Stagnen. & Corcyren. II. an. 1314.
XI. Gaddus Epiſc. Stagnen. & Corcyren. III. an. 1330.
XII. Marinus Epiſc. Stagnen. & Corcyren. IV. an. 1342.
XIII. Dominicus Epiſc. Stagnen. & Corcyren. V. ante an. 1350.
XIV. Joannes III. Epiſc. Stagnen. & Corcyren. VI. an. circ. 1360.
XV. Joannes IV. Epiſc. Stagnen. & Corcyren. VII. an. 1368.
XVI. Franciſcus Epiſc. Stagnen. & Corcyren. VIII. an. 1388.
XVII. Nicolaus Epiſc. Stagnen. & Corcyren. IX. an. circ. 1392.
XVIII. Andreas Epiſc. Stagnen. & Corcyren. X. an. 1406.
XIX. Nicolaus II. Epiſc. Stagnen. & Corcyren. XI. an. 1416.
XX. Andreas II. Epiſc. Stagnen. & Corcyren. XII. an. 1426.
XXI. Joannes V. Epiſc. Stagnen. & Corcyren. XIII. an. 1441.
XXII. Joannes VI. Epiſc. Stagnen. & Corcyren. XIV. an. 1447.
XXIII. Andreas III. Epiſc. Stagnen. & Corcyren. XV. an. circ. 1450.
XXIV. Lucas Epiſc. Stagnen. & Corcyren. XVI. an. 1454.
XXV. Thomas Epiſc. Stagnen. & Corcyren. XVII. an. 1463.
XXVI. Nicolaus III. Epiſc. Stagnen. & Corcyren. XVIII. an. 1503.
XXVII. Thomas II. Epiſc. Stagnen. an. 1541.
XXVIII. Petrus II. Epiſc. Stagnen. an. 1551.
XXIX. Bonifacius Epiſc. Stagnen. an. 1564.
XXX. Baſilius Epiſc. Stagnen. an. 1584.
XXXI. Chryſoſtomus Epiſc. Stagnen. an. 1585.
XXXII. Joannes Baptiſta Epiſc. Stagnen. an. 1606.
XXXIII. Michael Epiſc. Stagnen. an. 1609.
XXXIV. Ambroſius Epiſc. Stagnen. an. 1615.
XXXV. Ludovicus Epiſc. Stagnen. an. 1632.
XXXVI. Paulus Epiſc. Stagnen. an. 1635.
XXXVII. Carolus Epiſc. Stagnen. an. 1653.
XXXVIII. Petrus III. Epiſc. Stagnen. an. 1664.
XXXIX. Hyacinthus Epiſc. Stagnen. an. 1680.
XL. Auguſtinus Epiſc. Stagnen. an. 1683.
XLI. Hyacinthus II. Epiſc. Stagnen. an. 1693.
XLII. Alphonſus Epiſc. Stagnen. an. 1694.
XLIII. Vincentius Epiſc. Stagnen. an. 1703.
XLIV. Franciſcus II. Epiſc. Stagnen. an. 1710.
XLV. Angelus Epiſc. Stagnen. an. 1741.
XLVI. Hyacinthus III. Epiſc. Stagnen. an. 1445.
XLVII. Petrus IV. Epiſc. Stagnen. an. 1752.
XLVIII. Franciſcus III. Epiſc. Stagnen. an. 1772.

N. N. EPISCOPUS ZACHLUMIENSIS, ſive STAGNENSIS I.

Memoria primi Antiſtitis Zachlumienſis ignorata.

HUjus Epiſcopatus exordia repetenda ſunt, ut diximus, ab anno circiter 877. & Concilio Delmitano, cujus auctoritate, & decreto conditus fuit, & Metropoli Dioclenæ attributus, ut eſt in decretis ejuſdem Concilii: *Sub cujus regimine* (ideſt Metropolis Dioclenæ) *has Eccleſias declararunt Antibarium . . . . . Zaculminum*. Primi Antiſtitis Zachlumiæ præpoſiti neque nomen proditum eſt, neque acta litteris conſignata. In eo igitur Concilio cum Provinciarum atque Eccleſiarum facta eſſet diviſio, & Metropolis Dioclenæ inſtituta, huic Epiſcopus Zachlumienſis ſubjectus fuiſſe dicitur, contra quam recta ordinis chronologici ratio poſtulare videbatur. Nam cum Eccleſia Epiſcopalis Raguſina, ex ejuſdem Synodi decreto, in fide ac poteſtate permanſerit antiqui ſui Metropolitæ Spalatenſis, hujus ad ditionem adjungi etiam debuerat Eccleſia Zachlumienſis, quæ propius, quam Raguſium, Spalato aberat. Poſt Concilium Delmitanum, cum Chrobati, & Dalmatæ impulſu tum Baſilii Imperatoris, tum Photii Patriarchæ Conſtantinopolitani, a Romano ad Conſtantinopolitanum Patriarcham defeciſſent, horum exemplum, ut cæteri omnes Serbli, ſic etiam Zachlumienſes ſecutos fuiſſe arbitror; ſed quemadmodum illi anno circiter 880. ita pariter Serbli cum Zachlumienſibus ad priſtinam erga Joannem VIII. Pontificem Maximum, & Patriarcham Occidentis, fidem atque obedientiam ſe retulerunt. De hac Dalmatarum & Chrobatorum Serblorumque defectione ac reverſione plura diximus Tomo III. in Georgio II. & Marino Archiepiſcopis Spalatenſibus. Per ea tempora Serbli pariter & Chrobati, quadam veluti conſpiratione facta, Dalmatas maris accolas, & inſularum cultores, qui ſub ditione erant & clientela Græcorum, terra marique piraticis latrociniis divexabant. Baſilius Imperator, ad quem Dalmatæ auxilii implorandi cauſſa confugerunt, graviſſimis curis belliſque implicitus cum eſſet, non pro poteſtate & imperio, aut armis utroſque a maleficiis cohibere potuit; ſed neceſſe habuit permittere Dalmatis, ut hujuſmodi vexationes pecunia redimerent, & annua vectigalia, quæ ſibi & Imperio debebant, Chrobatis & Serblis perſolverent, quibus illi pacati ac delinici ab injuriis inferendis deſiſterent. Hæc Conſtantinus Porphyrogenitus cap. 30. de Adm. Imp. qui ſimul declaravit, quid & quantum pecuniæ Slavis contribuendum, ſingulis Dalmatiæ Civitatibus imperatum fuerit; ac

Zachlumitæ cum Dalmatis, Chrobatis, & Serblis, a Patriarchatu Romano deficiunt, nec multo poſt ad eumdem redeunt.

tunc

tunc Ragusinos Zachlumitis, & Terbuniatis, quibus erant intermedii, vectigales fieri oportuit. *Caeterum Ragusium*, ut ait, *medium jacet inter has duas regiones, nimirum inter Zachlumorum regionem, Terbuniamque, & habent Ragusini cives in utraque hac regione vineas suas, pendentque Zachlumorum Principi quidem nummos triginta sex, Terbuniæ vero Principi totidem.*

Quid rerum gesserit, quamdiu præfuerit, quove anno obierit primus Antistes Zachlumiensium, quæ docent, nulla sunt monumenta. Per annos fere quinquaginta nullus in veterum scriptis Episcopus Zachlumiæ usquam apparet.

Interregnum Episcopale.

N. N. EPISCOPUS ZACHLUMIENSIS sive STAGNENSIS II.

Seculo decimo hujus Episcopi, tacito nomine, & Episcopatus mentionem fieri reperio in Actis Synodi Provincialis Spalatensis, quæ sub Joanne III. Archiepiscopo, Præside Madalberto, sive Adalberto Legato Sedis Apostolicæ habita fuit anno circiter 928. In ea hæc Ecclesia non ab Zachlumia regione *Zachlumiensis*; sed ab urbe Episcopali Stagnensis denominatur; & cum Jadertina, Nonensi, Arbensi, Veglensi, Absarensi, Catharensi, & aliis Ecclesiis, Metropolitæ Spalatensi attribuitur. Si Ecclesia Zachlumiensis ab sui exordio, ex decreto Concilii Delmitani, ad Dioclearam pertinebat, quod cum ratione ordinis geographici, ut diximus, non videtur congruere; eadem tamen, post Dioclearn ab Simeone Rege Bulgarorum everlam anno circiter 926. cum aliis Ecclesiis Dalmatiæ superioris sub imperium Metropolitæ Spalatensis redierat; nam anno 928. ad Provinciam Spalatensem pertinebat ex decreto ejusdem Synodi Provincialis Spalatensis, in qua cum cæteris Ecclesiis ejusdem Provinciæ etiam *Stagnensis*, sive *Zachlumiensis* nominatur. Post commemoratas Ecclesias occidentales, quæ suberant Metropoli Spalatensi, hæc subduntur: *Ecclesiæ vero aliæ, quæ in oriente habentur, idest Stagnensis, Ragusiana, & Catharitana eamdem plenitudinem &c.* Si ergo tunc Ecclesia Stagnensis vigebat, suus quoque illi Episcopus præsidebat, quem vel per se, vel per suum procuratorem eidem Concilio interfuisse arbitror, sed ejus nomen latet; nam præter Joannem Archiepiscopum Spalatensem, Forminum Jadrensem, & Gregorium Nonensem Episcopos, aliorum Antistitum Ecclesias quidem commemoratas, non vero nomina literis expressa invenio. Extat tamen ejus nomen, qui per eos annos Zachlumiæ, sive Chulmiæ principatum obtinebat. Is erat Michael, ad quem etiam spectat Epistola Joannis Papæ X. ad Tamislavum Ducem Chrobatiæ, & Michaelem Ducem Chulmorum, ad Episcopos, Presbyteros, optimates, populum Slavoniæ ac Dalmatiæ data anno circiter 924. sub hac inscriptione: *Joannes Episcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio Tamislavo Regi Croatorum, & Michaeli excellentissimo Duci Chulmorum, nec non & Reverendissimo ac Sanctissimo Confratri nostro Joanni Sanctæ Salonitanæ Ecclesiæ Archiepiscopo, omnibusque Ep. Suffraganeis, verum etiam & omnibus Zupanis, cunctisque Sacerdotibus, & universo populo p. Sclavoniam, & Dalmatiam commorantibus, dilectissimis filiis nostris.* Tunc habitum fuit Spalati Concilium nationale ex Episcopis Provinciæ Spalatensis & Diocletanæ conflatum anno videlicet 924. quadriennio ante Synodum provincialem, de qua supra dictum est, præsidentibus Legatis Sedis Apostolicæ Leone Prænestino, & Joanne Anconitano Episcopis. In hoc Concilio, præter alia decreta, quæ ad rem Christianam, & ecclesiasticam pertinent, sapientissime constituta, interdictum est, ne quis Episcoporum vel Presbyterorum lingua Slavonica ad divinam Liturgiam & psalmodiam peragendam uteretur; & declarata fuit, & confirmata potestas metropolitica Archiepiscopi Spalatensis, ad retundendam arrogantiam quorumdam, qui se illi subjectos esse nolebant, ac præsertim Gregorii Nonensis Episcopi Slavorum, qui se suosque Slavos ditione Spalatensis Metropolis eximere volebat, ac sibi jus nomenque metropoliticum arrogabat. Huic Synodo Tamislavus Dux Chrobatiæ, & Michael Dux Zachlumiæ sive Chulmiæ cum Proceribus nationis Chrobaticæ & Serblianæ interfuerunt. Convenerant autem Episcopi si non omnes, certe aliqui ex utraque Provincia Spalatensi, & Diocletana, cum suis Metropolitis, Joanne videlicet Spalati, & Joanne Dioclearum Archiepiscopis, nisi forte hic procuratorem miserit, qui suum locum teneret, suaque vice fungeretur. Inter Episcopos hujus nationalis Conventus locum tenuit & subsellium Stagnensis, aut certe illius procurator; huic enim jus erat hujus Synodi adeundæ, & sententiæ dicendæ, sive tunc ad Diocletanam, sive ad Spalatensem Provinciam pertineret. Hic autem quadriennio post fuberat Archiepiscopo Spalatensi, ut intelligi potest ex Actis Concilii Provincialis supra laudati, in quo Ecclesia Stagnensis inter Ecclesias Provinciæ Spalatensis annumeratur; quamvis enim, si standum sit auctoritati Concilii Delmitani, antea in ditione fuerit ac potestate Metropolitæ Diocletani, tamen anno altero post nationale Concilium, urbe ac Metropoli Dioclea per Simeonem Bulgarorum Regem funditus eversa, cum plerisque Episcopis Dalmatiæ superioris ad imperium Archiepiscopi Spalatensis accessit, vel remigravit. De utroque Concilio nationali & provinciali, quæ hic breviter, summatimque attigimus, fusius & accuratius exposita sunt Tomo III. in Joanne III. Archiepiscopo Spalatensium cap. 1. & 2.

Seculo decimo Eccles. Stagnensis sive Zachlumiensis ab Diocletano ad Spalatensem Metropolitæ translata.

Synodus Provincialis Spalatensis, in qua nominatur Ecclesia Stagnensis, subjecta Metropolitæ Spalatensi.

Michael tum erat Dux Chulmorum, sive Zachlumiensium.

Michael Dux Zachlumiensium æqualis Simeoni Regi Bulgarorum.

Michael Dux Chulmorum, sive Zachlumiæ, ad quem etiam missa fuit Epistola supra laudata Joannis Papæ X, quique nationali Concilio Spalatensi interfuit, ille idem est, de quo Constantinus Porphyrogenitus cap. 32. Hujus quippe principatum Zachlumiensem conjunxit cum Regno Simeonis Regis Bulgariæ, qui ab exitu sæculi noni usque ad annum tricesimum secundum decimi sæculi regnavit; Concilium autem illud nationale incidit, ut diximus, in annum circiter 924. cum Simeon apud Bulgaros, Michael apud Zachlumos rerum potiebatur. Hic Petrum Regem Serbliæ in suspicionem amicitiæ & societatis initæ cum Romano Lecapeno Imperatore apud Simeonem adduxit, qui tum bellum cum Græcis gerebat: *Invidia autem*, ait Porphyrogenitus, ob hanc rem motus Michael Zachlumorum Princeps significavit Simeoni Petrum Principem a Romano Imperatore *muneribus coli, quo Turcarum copiis adjutus Bulgariam invadat: erat quippe id temporis bellum inter Romanos & Bulgaros ad Archeloum. Furens itaque quodammodo hoc nomine Simeon contra Serviæ Principem Petrum, mittit cum exercitu Theodorum Sigritzen, & Maranem &c.* Hæc fuerunt initia bellorum,

Digitized by Google

quæ Simeon cum Serblis acerrime geſſit; neque antea bellare deſtitit, quam Serbliam univerſam, exciſis oppidis, incolis partim cæſis, partim expulſis in ſolitudinem redigeret, ut docet Porphyrogenitus. Tunc vero Dioclea funditus everſa eſt; cujus nobiliſſimæ urbis excidium ad annum circiter 926. referendum eſſe diximus.

Alterum Epiſcopale interregnum Zachlumienſe, ſive Stagnenſe.

Poſt ſecundum Epiſcopum Stagnenſem, ſive Zachlumienſem anonymum, annus fere centeſimus præteriit, cum de hoc Epiſcopatu, perinde ac ſi abolitus fuiſſet, nihil litteris, aut memoriæ proditum fuit.

N. N. EPISCOPUS ZACHLUMIENSIS, ſive STAGNENSIS III.

Epiſcopus III. Zachlumienſis ſeu Stagnenſis, ſuberat Archiepiſcopo Raguſino.

Benedictus VIII. in ſuis litteris ad Vitalem Archiepiſcopum Raguſinum datis *in Menſe Septembri die viceſimo ſeptimo, Indict. VI. anno ejus Pontificatus undecimo*, qui congruit cum anno æræ vulgaris 1023. *Lachomium*, ideſt *Zachlumium*, interprete Sigilmundo Tudiſio Epiſcopo Mercanenſi, Metropolitæ Raguſino attribuit. Hoc igitur anno & Eccleſia & Epiſcopatus Zachlumienſis exiſtebant; ſed Epiſcopi nomen ignotum eſt. Quam Eccleſiam Synodus Provincialis Spalatenſis anno 928. *Stagnenſem* vocat, & Metropoli Spalatenſi adſcribit, eamdem Benedictus *Lachomienſem*, ideſt Zachlumienſem appellat; & ſub juriſdictionem Archiepiſcopi Raguſini ſubjunxit. Intra centum annos ſtatus & deſcriptio Provinciarum eccleſiaſticarum, pro rerum ac temporum converſione & varietate commutari potuit, & Eccleſiæ Epiſcopales ex alia in aliam proximam Provinciam transferri. Pleraſque Eccleſias Dalmatiæ ſuperioris alias Raguſino, alias Antibarenſi, alias Spalatenſi Metropolitæ attributas invenio; ſed Stagnenſis, ſive Zachlumienſis poſt Diploma Benedicti VIII. paullo ante laudatum, a Raguſino numquam videtur fuiſſe disjuncta, niſi forte ad breve tempus, vel potius per errorem, cum eam Clemens III. vel Cæleſtinus III. intra finem ſæculi duodecimi inter Eccleſias Provinciæ Spalatenſis annumeravit in ſuis litteris ad Petrum VIII. Archiepiſcopum Spalatenſem, quas Tomo III. Actis ejuſdem Petris intexuimus. Poſt inſtitutam Metropolim Antibarenſem anno circiter 1035. Alexander II. anno 1062. omnes hujus Metropolis ac Provinciæ Eccleſias nominatim percenſet in Epiſtola inſcripta *Petro Ven. Archiepiſcopo Dioclienſis, atque Antibarenſis Eccleſiæ*. Sed ab illis abeſt Eccleſia Zachlumienſis, ſive Stagnenſis; abeſt itidem ab Actis Concilii Provincialis Spalatenſis, quod habitum fuit an. 1185. in eoque deſcripti ſunt fines harum tantummodo Eccleſiarum, Tininienſis, Tragurienſis, Scardonenſis, Nonenſis, Senienſis, Corbavienſis.

a quo nunquam deinde divulſus fuit.

GABRIEL EPISC. ZACHLUMIENSIS, ſive STAGNENSIS IV.

Hic primus eſt, cujus nomen mihi cognitum eſt ex litteris Joannis Mariæ Matthæi: *Anno* 1044. *Gabriel Epiſcopus Stagnenſ.* tum ex diplomate, quo Gabriel ipſe confirmat Monachis Benedictinis poſſeſſionem Eccleſiæ S. Pancratii in inſula Lacroma; vide hiſtoriam Antiſtitum Raguſienſium. Poſt hunc quartum Epiſcopum Zachlumienſem intervallum annorum fere octoginta interceſſit, antequam Eccleſia & Epiſcopatus Zachlumienſis, ſive Stagnenſis e ſilentio ac tenebris rurſus emergeret; oblivione ac reticentia ſcriptorum ſic obrutus, ut nuſquam in ſcriptis ac monumentis temporum illorum appareat. Fortaſſe per eos annos hæc Eccleſia Epiſcopo caruit; atque ad annos hujus ſæculi ſpectaſſe videtur Thomas Archidiaconus, qui poſtquam de naufragio quatuor Epiſcoporum Provinciæ Spalatenſis, ac de inſtituta ob eam cauſſam Metropoli Antibarenſi anno circiter 1035. narravit, ſcripſit fuiſſe antea ſedem Epiſcopalem apud *Muccarum*, & *Epiſcopatum in Stagno*; *Fuit etiam*, inquit, *Epiſcopalis ſedes apud Muccarum, eratque ſua Parochia in confinio Craingæ uſque Stagnum. In Stagno nihilominus fuit Epiſcopatus, ſuaque Parochia erat in Comitatu Chulmiæ*. Utrobique autem tum apud Muccarum, tum apud Stagnum per eos annos interregnum Epiſcopale fuiſſe ex verbis Archidiaconi videtur colligi poſſe; certe per annos, ut dictum eſt, octoginta hæc Eccleſia Epiſcopo caruiſſe videtur; quam tamen in ſua poteſtate metropolitica retinuit Archiepiſcopus Raguſinus; & cum eam Archidiaconus cum Eccleſia Muccaritana Provinciæ Spalatenſi adſcripſit, ad tempora ſuperiora ante Pontificatum Benedicti VIII. reſpexit.

Tertium Epiſcopale interregnum.

N. N. EPISC. ZACHLUMIENSIS, ſive STAGNENSIS V.

Anno 1121. Eccleſia Zachlumienſis, diuturno interregno perfuncta, ſuum Epiſcopum recepit, ut intelligi poteſt ex Epiſtola Calliſti II. ad Gerardum Archiepiſcopum Raguſinum anno 1121. conſignata. Pontifex hanc Eccleſiam ex antiquo jure ſubjectam eidem Archiepiſcopo eſſe declarat. *Statuimus*, inquit, *ut Parochiæ omnes, quas Eccleſia eadem* (Raguſina) *præteritis temporibus poſſediſſe dignoſcitur, tibi, tuiſque ſucceſſoribus juncta in futurum, & integra conſerventur. Videlicet Zachulmiæ Regnum, & Regnum Serbuliæ, Tribuniæque Regnum &c.* Hæc Epiſtola inſerta eſt Actis Gerardi Archiepiſcopi Raguſini.

Epiſcopus Zachlumienſis V. Metropolitæ Raguſino ſubjectus.

SIMEON EPISCOP. ZACHLUMIENSIS, ſive STAGNENSIS VI.

Hic alter eſt, cujus nomen ex antiquis monumentis depromptum Maurus Orbinus ſuis Commentariis de Regno Slavorum inſeruit pag. 247. Per hæc tempora, cum Epiſcopi Provinciæ Raguſinæ inter ſe, & cum ſuo Metropolita diſſiderent, eos Cæleſtinus II. qui anno 1143. Innocentio II. in Sedem Romanam ſucceſſit, in concordiam reduxit, & Archiepiſcopo Raguſino ſubeſſe juſſit, ut Jacobus Luccarus tradit Lib. I. Annal. pagina 19. & litteras Pontificias in Tabulario S. Mariæ aſſervari ait. Omnes autem Eccleſias eidem ſubjectas Orbinus, & Luccarus nominatim percenſent, in quibus etiam Zachlumienſem, cui tunc Simeon præſidebat. Æqualis ſiquidem fuit, ut docet Orbinus, Andreæ Lucenſi Archiepiſcopo, qui ab anno 1141. uſque ad annum 1153. Provinciam Raguſinam adminiſtravit.

Simeon Epiſcopus itidem Raguſino Metropolitæ ſubjectus ex Epiſtola Cæleſtini II.

DONATUS EPISCOP. ZACHLUMIEN. ſive STAGNENSIS VII.

Ante annum 1180. ad hanc Eccleſiam regendam acceſſit, cum Neemanes Megajupanus, ſi-

Donatus Epiſc. in exilium ejicitur.

ve

ve Rex Serblorum bellum gerebat cum Ragusinis, quod hi Radoslavo, quem Dessa parens Neemanis regno expulerat, perfugium præbuissent, eumque hosti deposcenti tradere noluissent; sed inita deceritus, minisque Emanuelis Imperatoris, cujus opem Ragusini imploraverant, depositis armis pacem ille quidem facere coactus fuit; verum Miroslavus ejus frater Comes Chelmensis ab inferendis damnis haud abstinebat, ut est apud Luccarum lib. 1. pag. 26. Donatum Episcopum Zachlumiensem, quem Neemanes cum cæteris Provinciæ Ragusinæ Episcopis a Tribunio Ragusino Metropolita abstrahere voluerat, obsequi nolentem e sua Ecclesia, totaque diœcesi, at ditione Chelmensi ejecit, ut docet Joannes Gundula in suo Chronico Ms. Exsul Episcopus Ragusium profugit. Dum exsulabat, Clemens III. vel Cœlestinus III. anno 1191. in litteris ad Petrum VIII. Archiepiscopum Spalatensem, cum aliis Ecclesiis Provinciæ, quas eidem Petro subjectas esse declarat, Stagnensem quoque per errorem conjunxit. Hæc siquidem jampridem in jus ditionemque Archiepiscopi Ragusini transierat; sed illam idcirco inter Ecclesias Metropolis Spalatensis annumeravit, quia in veterrimis quibusdam codicibus huic aliquando adscriptam fuisse reperierat. Sed his temporibus, in quibus versamur, ad Metropolim Ragusinam pertinebat, ut docent monumenta hujus ætatis. Petrus Comes Chelmensis hæretica labe infectus, de quo Thomas Archidiaconus cap. XXIX. qui Andreæ filio Miroslavi principatum Chelmensem, & Stagnum peninsulam eripuerat, Donato Episcopo liberum ad suam Ecclesiam redeundi, obsequendique Metropolitæ suo Ragusino potestatem ita fecit, si trecentos yperperos sibi Ragusini contribuerent; id quod hi renuerunt, veriti ne qua labes simoniaca sub hujusmodi conditione lateret. Sed initio sæculi proximi Donatus Ecclesia sua exterris diem supremum obiit apud Monachos Lacromenses; cujus nomen Tabulis Lacromensibus cum Tribunio Archiepiscopo Ragusino subscriptum invenitur 15. Septembris 1186.

Obiit & sepultus est apud Monachos Lacromenses.

Post mortem Donati Petrus Dynasta Chelmensis iterum per suos nuncios Leonardo Archiepiscopo Ragusino, qui anno 1206. hanc Sedem Archiepiscopalem adeptus est, optionem fecit creandi Antistitis Stagnensis, sive Zachlumiensis, quem vellet e suis Canonicis, modo sibi a Republica ducentos aureos numerandos curaret. Verum Senatus æque hanc ut priorem conditionem, veluti simoniacam, respuit, ac rejecit. Hæc Joannes Gundula in Synopsi chronologica Ms. rerum Ragusiensium, quam supra laudavi. Denuo per annos fere octoginta hæc Ecclesia Episcopo caruit. Hujus Episcopalis interregni causa partim in ipsum Petrum, ejusque successores Chelmi Dynastas vel hæreticos, vel schismaticos, partim in varias ac multiplices rerum publicarum conversiones ac perturbationes conferendam esse arbitror. Petro successit Tollenus, quem *nepotem Comitis Petri de Chulmia* vocat Archidiaconus cap. 33., & capite proximo *Tollenum de Chulmia*, ideſt Dominum Chulmiæ appellat, eumque obiisse tradit anno 1238. Illis temporibus Andreas filius vel nepos potius Miroslavi, partem ditionis Chelmensis recuperavit, quam eidem postea Spalatenses ademerunt, ut declarant conditiones pacis, quæ inter ipsum & Spalatenses composita fuit anno 1241. Extant apud Joannem Lucium in ejus animadversioni-

Potestatem creandi Episcopi Zachlumiensis Ragusini respuunt.

Interregnum Episcopale quarum.

bus ad cap. 37. Hist. Salonitanæ: *In Dei Nomine Amen: Veniens Comes Andreas de Chelmo &c.* Frater Helipezii Dynastæ Chrobatiæ, quem Ugonem Luccarus, Hyginium Orbinus vocant, Stagnum, & alia loca, Andrea, vel ejus filiis expulsis, sibi vindicavit. Ugone, vel Hyginio mortuo Chelmensem principatum dissectum, & in plures partes distractum Dynastæ illius regionis occuparunt. Hos quatuor egregii fratres, inditem oriundi, filii cujusdam Branivoi, bello adorti cum essent, multis præliis fractos atque attritos omni dominatu spoliarunt; & fere totum Chelmensem tractum in suam potestatem redegerunt, & imperii sui fines a Tiluro, sive Cetina fluvio usque ad Catharensem sinum propagarunt. Sedem vero in urbe Stagni sub Castrum S. Michaelis sibi constituerunt. In ea igitur ab Catholica fide Comitum Chelmensium alienatione, in eo motu temporum, tantaque in conversione rerum ac perturbatione, nullus creandi præficiendique Zachlumiensibus Episcopi locus relictus esse videtur; vel certe si quis temporibus illis difficillimis designatus fuit, huic ne aditus quidem ad suam Ecclesiam patuit, nedum ejusdem regendæ facultas fuit; certe quicumque fuerit, ejus nomen ac memoriam vetustas & oblivio abolevit. Adde quod, dum his civilibus bellis tota illa regio ardebat, Stagnum diruta fuit; idque constat ex Tabulis Ragusinis anno 1252. confectis, in quibus Civitates, Metropolitæ Ragusino subjectæ, nominatim percensentur, inter quas *Stagnum nunc destructum*; sed anno circiter 1260. reædificatum fuisse ajunt ab Helena uxore Stephani Regis Serbliæ, qui Neemani II. cui Crapulo cognomen fuit, successit, & Cœnobium in urbe conditum Monachis Basilianis, qui deinde totam peninsulam labe schismatica infecerunt. Hæc siquidem Regina, e stirpe Regum Galliæ oriunda, multas civitates Serbliæ, impetu armorum hostilium eversas refecit, & plurima Templa & Monasteria ædificavit, ut Barletius, & Orbinus tradunt. Postquam igitur fratres illi Braniviani stabilem & pacatam possessionem Principatus Chelmensis adepti sunt, qui quamvis fortasse vel hæretici, vel schismatici essent, tamen potior illis cura erat imperii parti firmandi, muniendique, quam Catholicos divexandi, tum demum a periculis & metu respirari cœptum est, & fieri quædam ad meliorem spem inclinatio visa est; ac proinde opportunitas data esse videbatur Episcopatus Zachlumiensis, sive Stagnensis restituendi. Cæterum anno 1284. adhuc Ecclesia Stagnensis Episcopo carebat, ut constat ex litteris Martini IV. an. 1284. & Honorii itidem quarti an. 1286. ad Bonaventuram Archiepiscopum Ragusinum. Utriusque Epistolæ sententia hæc est. Cum propter diuturnam Ecclesiæ Stagnensis viduitatem jus electionis Episcopalis ad Sedem Apostolicam devolutum fuisset, uterque Pontifex Bonaventuræ potestatem fecit Episcopi Stagnensis eligendi; eumque impense admonuit, ut quamprimum de consilio prudentum ac religiosorum virorum huic Ecclesiæ Rectorem, aptum ei muneri, præficeret. Utramque Epistolam Pontificiam rejecimus in Historiam Ecclesiæ Tribuniensis; nam huic quoque ut Episcopum præficeret, Pontifex uterque iisdem litteris imperavit. Si non primis, certe secundis litteris & mandatis paruit Bonaventura, & virum doctrinæ ac virtutis, sibi cognitæ ac perspectæ, Petrum nomine, Episcopum Stagnensem nominavit, &

Dynastæ Chelmenses fere omnes vel hæretici, vel schismatici.

Bonaventura Archiep. Rag. jussus a Martino IV. & Honorio IV. Episcopum Stagnensibus dare.

Digitized by Google

consecravit. Exinde vero Zachlumiensi titulo posthabito, tum Petrus, tum cæteri, qui deinceps secuti sunt Episcopi, Stagnenses perpetuo appellari cœperunt.

PETRUS EPISC. STAGNENSIS VIII.

Petrus Episcop. stagnen. an. 1285.

Æqualis Bonaventuræ Parmensi, Archiepiscopo Ragusino, a quo ex mandato Martini IV. & Honorii IV. huic Ecclesiæ præpositus anno 1285. quique ab anno 1281. usque annum circiter 1293. huic Metropoli præfuit. Petri Episcopatus Stagnensis mihi etiam notus est ex diplomate Indulgentiarum, quibus Archiepiscopi, & Episcopi variarum Ecclesiarum, Basilicam Cathedralem Narniensem, S. Juvenalis primi Narniæ Episcopi titulo, auspiciis, & exuviis ibidem conditis consecratam, cumularunt. Romæ confectum fuit anno 1287. pridie Calendas Junii. Inter Præsules largitores Indulgentiarum annumeratur Petrus *Stamnensis*, cum Bonaventura Archiepiscopo Ragusino. Initium diplomatis, quod extat apud Hagiographos Antuerpienses Tomo I. Maji, ad diem tertium ejusdem mensis adscriptum: *Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis. Frater Raynaldus miseratione divina Messanensis, Michael Antibarensis, & Bonaventura Parmensis* (ideſt patria, Ragusinus) *Archiepiscopi; Romanus Croensis, Bartholomæus Grossetanus, Ægidius Tartyburensis &c. . . PETRUS STAMNENSIS, Aldebrandus Surinus . . . F. Orlandus Narniensis Episcopi. Cupientes igitur ut Ecclesia Narniensis, Cathedrali præfulgens dignitate, congruis honoribus frequentetur, omnibus vere pœnitentibus, & confessis, qui &c. Singuli singulos quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus &c.* Orlandus vero Episcopus Narniensis in eodem diplomate & Indulgentias concessas approbavit, & insuper centum dierum Indulgentias addidit. *Datum Romæ anno millesimo, ducentesimo, octuagesimo septimo pridie Calendas Junii, Apostolica Sede vacante, Epacta quarta, concurrente 2. Indictione decima quinta*; iidemque, qui supra Antistites, singulatim leguntur subscripti. Ad Petrum Stamnensem hanc notam apposuit Daniel Papebrochius, qui Sedem Stamnensem ignotam sibi esse fatetur: *Nec enim*, inquit, *hæc posset esse Stabiensis sub Archiepiscopo Surrentino, vulgo Castel a mare di Stabia, cujus enim Episcopus ab anno 1283. ad 1295. vocabatur Theobaldus*. Quæ quidem ignoratio ex ignoratione Episcopatus Stamnensis profecta esse videtur. Atque idem fortasse Petrus est, qui in schedis Brunatianis *Stavensis* dicitur ex litteris Guillelmi Visiani Vicarii generalis in Episcopatu Patavino, quibus anno 1288. approbat indulgentias a pluribus Episcopis concessas *Monasterio & Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Burgo Omnium Sanctorum* in ipsa Patavina civitate anno 1286. nisi pro *Stavensis* legendum putes *Suacensis* in Albania Episcopus sub Antibarensi Metropolita. Cum autem tres ex Dalmatia Præsules, Ragusinus, Antibarensis, Croiensis, quæ civitas est Epiri novæ, sive Albaniæ, in eo diplomate nominentur, ne dubitari quidem potest, quin ex eadem Dalmatia fuerit Petrus ibidem nominatus Episcopus *Stamnensis*, ideſt Stagnensis. Quæ causſa illos e Dalmatia Episcopos Romam compulerit, mihi non est omnino comperta. Sed cum illorum Ecclesiæ, vel diœceses ab hæreticis & schismaticis essent infectæ, ad Sedem Apostolicam præsidium opemque fortasse imploraturi se contulerant. Auctores Ragusini Ms. tradunt Petrum una cum Bonaventura Archiepiscopo recognovisse, & ratum habuisse ac legitimum Decretum Pontificium, quod Clemens IV. ante annos circiter triginta secundum Patres Dominicanos Ragusinos fecerat, illudque in eorum tabulario asservari ajunt, & ab his verbis initium ducere: *Obtento Divini Nominis &c.* Afferunt præterea Petrum ex Ordine S. Dominici ad regimen Ecclesiæ Stagnensis assumptum fuisse; sed neque Petri mentionem apud Scriptores Dominicanos factam, neque titulum *Fratris* eidem præpositum in diplomate supra laudato invenio.

Anno 1287. erat Romæ.

JOANNES EPISC. STAGNENSIS IX. CORCYRENSIS I.

Joannes Crossius ex Ordine Prædicatorum, Episcopus sæculo 13. exeunte.

Ragusii claro genere natus ex illustri familia, cui de Crusio, vel de *Crossio*, vel de *Cruce* cognomen fuit. In sanctissimam Divi Dominici sodalitatem nomen dedit; eaque probitatis & prudentiæ documenta præbuit, quorum commendatione nixus, in sedem Episcopalem Stagnensem conscendit intra finem sæculi decimi tertii. Totam peninsulam hæreticis & schismaticis refertam reperit, qui non solum salutaria ejus monita respuebant, sed etiam iniquis infestisque animis illum intuebantur; & quæ sapienter pieque ad depravatos incolarum mores corrigendos, ac disciplinam ecclesiasticam restituendam decernebat, ea ne perficere posset, pertinaciter obstabant. Præterea proventus Mensæ Episcopalis magna ex parte interveterant; vix ut illi, quæ satis essent ad victum cultumque supperetent. Cum igitur inter homines adversos, atque insensos Catholicæ fidei nec sibi tuto & quieto esse liceret, nec rei Christianæ bene gerendæ facultas daretur, Sedis Pontificiæ alio transferendæ consilium cœpit. Peropportune accidit, ut insulani Corcyræ Melænæ, seu Nigræ, brevi euripo interfluo a peninsula Stagnensi disjuncti, sedis Episcopalis apud se constituendæ miro studio flagrarent. Erant illi in ditione ac potestate Episcopi Phariensis. Hanc illis mentem & cupiditatem injecerant Sibenicenses, qui paucis ante annis post diuturnas & acerrimas contentiones, interposita Comitum Breberiensium auctoritate & gratia, impetraverant a Bonifacio Papa VIII. ut ab diœcesi Tragurienſi disjungerentur, & suum proprium Episcopum haberent. Hinc occasionem ad sedem commutandam sibi oblatam esse Joannes putavit, neque prætermittendam censuit. Quid sui consilii esset, Corcyrensibus significavit: stationem Stagnensem male fidam sibi & permolestam esse; se, recipere si vellent, primum apud illos Episcopum futurum, & auspicem, auctoremque fundandi Episcopatus Corcyrensis. Sibi vero partes desumpsit tum Pontificiæ approbationis impetrandæ, tum sumptus omnes faciendi, si Pharienses, ob eam insulam ab sua Ecclesia divulsam, Corcyrensibus litem intenderent. Cum Veneti sæculo superiori Corcyram in suam potestatem redegissent, hanc insulam patriciæ Georgiorum Venetorum familiæ fiduciariam dederant, Ragusini autem Marino ex eadem familia Georgia, ut Præturam Civitatis ante aliquot annos dederant, sic ob eam bene gestam Melitam insulam jure fiduciario possidendam tradiderant. His itaque temporibus utrique feudali nomine

Concilium cœpit sedis Episcopalis Corcyram transferendæ.

præ-

Digitized by Google

præsidebat, *Marinus Georgius Comes Curzolæ & Melitæ*. Itaque ex insula duo internuncii missi sunt, qui pompine Corcyrensium & Marini Comitis, rem omnem cum Joanne Episcopo transigerent. Convenerunt Ragusium in ædes S. Dominici, & coram testibus ad id vocatis, utrimque in eas conditiones conceptum est, quas Tabulæ hic descriptæ declarant.

Rem cum Corcyrensibus transegit.

In Christi Nomine Amen. Anno currente a Nativitate ejusdem MCCC. Indict. XIII. intrante Junio.

Ego F. Joannes de Crossio Miseratione Divina Curzolensis, & Stagnensis Episcopus solemniter sine aliqua exceptione juris, vel facti promitto, & convenio, & in concordia existo cum Ser Blasio Cernotich, & Ser Cepreda Obradich Ambasciatoribus Universitatis Civitatis Curzolæ, recipientibus vice & nomine Nob. Viri Domini Marini Georgio Comitis Curzolæ, & Melitæ, & dicti Communis, & Universitatis omnia & singula infrascripta fragabiliter adimplere.

In primis quod ego procurabo apud Summum Pontificem per me, & per meos parentes & amicos meos, quod Sedes Stagnensis translatabitur, & appellabitur in Sedem Curzolensem, & polo facere.

Item quod quintum decimum in decimas percipiam & non plus, & pro residuo decimarum tenebitur mihi dare Communitas prædicta vineam unam in Lombarda, & unum campum apud S. Vitum.

Item quod faciam Canonicos, qui possint post obitum meum alium Episcopum, secundum quod eis placuerit, eligere.

Item quod si tempore aliquo quæstio erit, vel orietur intra Episcopum Tharen. & meam Ecclesiam Curzolen. quod teneat ipsam quæstionem vel quæstiones meis expensis propriis terminare & defendere.

Item quod quintum decimum prædictum teneat in quatuor partes dividere, videlicet quod unam partem pro me tenebo, pro Ecclesia aliam, tertiam Canonicis dabo, & quartam pauperibus erogabo.

Item quod hoc primo anno decimas aliquas non recipiam a Communi.

Item quod ultra prædicta nihil aliud a Communi vel Universitate Curzolæ debeam requirere in futurum.

Item quod infra medium annum postquam applicuero Curzulæ, faciam Canonicos.

De hoc autem facta sunt tres chartæ similes, una pro dicto Episcopo, alia pro Communi Curzulæ, tertia apud Patres Prædicatores in Ragusio.

Actum est in Ragusio in Ecclesia FF. Prædicatorum, præsentibus discretis religiosis viris Fr. Stephanus de Scutari Vic. Fratrum Min. Conven. Ragusii, & Domino Petro de Petragnio Canonico Ragusino testibus ad hoc specialiter rogatis & vocatis, necnon aliis.

Ego Joannes Adriani de Mutina Imperiali auctoritate Notarius publicus omnibus præsens fui, & rogatus scribere scripsi, & meo sigillo solito & nomine roboravi.

Et ad firmitatem & notitiam ego dictus Episcopus meum duxi sigillum præsentialiter apponere huic publico, & autentico instrumento.

Joannis consilium Pontifici probatur.

Bonifacius VIII. & institutionem Episcopatus Corcyrensis, & translationem sedis Stagnensis rite approbavit. Joannes vero Corcyrensem ita suscepit, ut Stagnensem Episcopatum non dimiserit; sed utrumque retinuit, & sollicitudinem suam curamque Episcopalem utrique Ecclesiæ impendit. Cum in insula & urbe Corcyræ domicilium collocasset, statis tamen temporibus gregem suum Stagnensem revisebat, & quibuscumque poterat humanis divinisque subsidiis juvabat & solabatur.

De Joanne hæc Bullarium Dominicanum Tom. II. pag. 37. *F. Joannes a Cruce Ragusinus Episcopus Stagnensis in Dalmatia, sub Archiepiscopo Ragusino. In insulam maris Adriatici Corcyram nigram, vulgo Curzola, nuncupatam sedem transtulit anno MCCC. Joannes, jus in Stagnensem retinens. Id habetur ex antiquis monumentis Archivi Cœnobii nostri Ragusini. Hinc Joannem hoc anno circiter Episcopum fuisse constat: quo fuerit inauguratus, incertum.* Annos fere tredecim Ecclesiam utramque summa cum vigilantia & sedulitate gubernavit; nec vero annum hujus sæculi decimum tertium prætergressus longius vitam perduxit; nam anno proximo Ecclesiæ utrique præsidebat

JOANNES II. EPISC. STAGNENSIS X, CORCYRENSIS II.

Joannes II. Episc. an. 1314.

Ex ordine Fratrum Minorum S. Francisci, qui non aliunde mihi notus est, nisi ex ejus litteris, quibus diploma quoddam Bonifacii Papæ VIII. a se diligentissime lectum & recognitum fuisse, illudque nulla ex parte vitiatum, aut abrasum, aut interpolatum esse, sed sincerum ac legitimum haberi oportere testatur & confirmat. Pontifex autem eo diplomate mandabat Præsidi Provinciæ Franciscanæ Slavonicæ, ut duos e Fratribus sui Ordinis viros singulari doctrina & sollertia præditos deligeret, qui *in partibus Serviæ, Rasciæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Bosinæ atque Istriæ* munere sacrorum Inquisitorum ad pravitatem hæreticam eliminandam fungerentur, Multi siquidem hæretici, præsertim Patareni, cum in Bossina late dominabantur, tum vero indidem in alias regiones irrepserant, & pestifera letalium dogmatum contagione populos illos inficere studebant. *F. Joannes de Kerso Ord. Min. miseratione divina Episcopus Stagnen. & Curzulen. Universis præsentem paginam inspecturis salutem in Domino sempiternam. Noveritis nos vidisse & legisse, ac diligenter inspexisse quasdam litteras Sanctissimi in Christo Patris Domini Bonifacii Dei gratia Summi Pontificis non abolitas, non abrasas, non cancellatas, non vitiatas in aliqua parte sui cum vera bulla plumbea, & filo serico bullatas, tenorem hujusmodi continentes, quas quidem litteras conscripsimus propria manu, nihil addendo, non minuendo vel mutando. Bonifacius Episcopus Servus Servorum Dei dilecto filio Ministro Provinciali Ord. Fratr. Minor. in administratione Provinciæ Sclavoniæ salutem & Apostolicam benedictionem. Licet de omnibus mundi partibus, quæ Christiana religione censentur, teneamur ex officii debito extirpare letiferam pestem hæreticæ pravitatis, in partibus tamen Serviæ, Rasciæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Bosinæ atque Istriæ provinciæ Slavoniæ imminet nobis hæc sollicitudo propensius, ubi eandem pestem propter malitiam temporis, quæ in detrimentum fidei Catholicæ perversa genimina germinavit, ex evidenti operis & famæ notitia persensimus succrevisse. Cupientes ergo &c. præcipiendo mandamus, quatenus de consilio Fratrum aliquorum ipsius Ordinis eligas duos de Fratribus ipsius Ordinis &c. Dat. Romæ apud S. Petrum*

quoddam Bonifacii VIII. diploma recognoscit.

tertio Kalendas Maji Pontif. nostri anno V.

Pontificio diplomati hæc Joannes subjecit: *ad majorem autem omnium prædictarum firmitatem præsentem paginam sigilli nostri munimine roboravimus. Dat. Ragusii tertio Id. Martii anno Domini MCCCXIIII.*

Ignoratio hujus Joannis II. Episcopi Stagnensis & Corcyrensis plerosque in errorem induxit, & causa fuit, ut Joannis I. Episcopatum usque ad annum 1324. perducerent: verum hujus alterius Joannis Episcopi Ecclesiæ utriusque fidem faciunt litteræ modo laudatæ. Ejus annus emortualis nobis ignotus est; sed videtur aliquot annos utraque Ecclesia pastore caruisse.

GADDUS EPISC. STAGNENSIS XI. CORCYRENSIS III.

Gaddus Episc. an. circ. 1330.

Hunc quoque inter Episcopos Stagnenses adnumerandum censeo; quippe Ecclesiæ Corcyrensi, quacum Stagnensis conjuncta erat, præfuisse dicitur. Erat familiæ & disciplinæ Dominicanæ alumnus, de quo in Bullario Dominic. Tom. I. pag. 121. *F. Gaddus Pisanus Episc. Curzolensis circa annum 1330. ut tradit Bernardus Guidonis in Episcopis Provinciæ Romanæ; Leander Alberti illum excipit: translatus est ad Archiepiscopatum Corcyrensem an. 1340. ita Cavallerius.* Stephanus Banus Bosinæ cum peninsula Stagni Principatum Chelmensem quatuor illis fratribus filiis Branivoi, de quibus supra, ereptum in suam potestatem redegerat, sibique hos titulos inscribebat; *Stephanus liber Princeps & Dominus Bosnæ, Usovæ, Salæ, & plurium locorum, atque Chelmi Comes*, Ab hoc peninsulam Stagni Ragusinis venditam an. 1333. sub conditione pensionis annuæ quingentorum yperperorum Banis Bosnensibus solvendæ fuisse tradunt Razzius, Orbinus, Luccarus; quam Ragusini adepti cum essent, incredibile dictu est, quam immensos fecerint sumptus, ut eam & multis castellis loco idoneo exstructis, & perpetuis militum excubiis ac præsidiis communirent ad piratas arcendos repellendosque. Sunt qui Stagnum parvum ab illis ædificatum scribant; certe utrumque & parvum & magnum novis operibus & validissimis mœnibus ac propugnaculis circumdederunt, crassissimo insuper muro ab altero ad alterum perducto, qui totum isthmum obstrueret, omnemque ad peninsulam aditum hostibus intercluderet. Nihilo segnius in eam curam incubuere, ut totam peninsulam ab errore & schismate purgatam catholicæ fidei & communioni restituerent. Fuit enim ista Ragusiensium perpetua laus, & pia consuetudo a majoribus accepta, ut siquos populos ad suum imperium adjungerent, eosdem ad Ecclesiam adjungendos omni ope studioque curarent, nec latius dominationem suam, quam Religionem Catholicam proferri volebant, Itaque Calogeros sive monachos ritus Græci & schismatici viatico & pecunia instructos ad aliam stationem extra fines Ragusini dominatus sibi comparandam migrare jusserunt; & Cœnobium Marianum, quod illi apud Stagnum magnum incolebant, Patribus Franciscanis assignarunt, iisdemque ad victum & vestitum quæ pertinebant, ex ærario publico suppeditanda esse decreverunt; ut ii videlicet pravas opiniones ex animis incolarum evellerent, illosque divinæ legis & sanæ doctrinæ præceptis imbuerent. Tunc videbatur opportunitas esse sui Stagnensibus Episcopi restituendi, & sedis Episcopalis Stagnum in urbem totius peninsulæ principem revocandæ; sed quo minus id effici posset, causa nescio quæ intercessit. Corcyra tamen post paucorum annorum interregnum, ut supra diximus, Episcopis Phariensibus vel ultro consentientibus, vel nequicquam obsistentibus, suos Episcopos receperat, quorum aliqui, quamvis titulo Stagnensis Episcopatus abstinuisse videantur, utrique tamen Ecclesiæ sollicitudinem curamque pastoralem impertierunt. Itaque post Gaddum

Ragusienses emunt peninsulam Stagni, & communiunt,

& a schismate purgant.

MARINUS EPISC. STAGNENSIS XII. CORCYRENSIS IV.

Marinus Episcopus de decimis Stagnensibus litem Ragusinis intendit.

Ex Ordine F. Minorum S. Francisci, Corcyrensem Episcopatum cum Stagnensi suscepit anno 1342. ut docent Tabulæ Corcyrenses, a quibus abest titulus Ecclesiæ Stagnensis; nec tamen propterea hujus curam neglexit, de qua postea in Episcopis Corcyrensibus. Huic de jurisdictione Episcopali, & decimis Stagnensibus magnæ, & acerbæ contentiones fuerunt cum Comite sive Rectore, Magistratibus, & Communi Civitatis Ragusii, a quibus multa sibi damna, & multas injurias illatas querebatur; & quamvis iterum ac sæpius admoniti fuissent, desistere tamen a cœptis nolebant. Itaque Avenionem profectus apud Clementem VI. suas querimonias exposuit; ut sibi, suæque Ecclesiæ judicium reddere juberet, suppliciter oravit. Tum Ragusini, ut Episcopi animum delinirent, quem publico nescio quo decreto in eum late graviter irritaverant, decretum ipsum abrogari jusserunt, ut constat ex publicis tabulis: *Die 12. Octobris 1343. In Majori Consilio &c. in quo interfuerunt 75. Consiliarii, captum fuit &c. quod processus & Consilium factum tempore Nob. Viri Johannis Fuscari ol. honor. Com. Rag. contra fratrem Marinum de Spalleto, qui se dicit Episcopum Curzolæ usque ..... sit cassum vanum & nullius valoris.* Tum die ejusdem mensis vicesima quinta electi duo ex Senatusconsulto Marinus de Cranca, ac Matthæus Darscia, qui Reipublicæ causam coram Pontifice agerent adversus Marinum. Interea Pontifex Villelmum Decanum Ecclesiæ Lincolniensis, Præfectum Sacelli Pontificis, controversiis ecclesiasticis dirimendis præpositum, cognitorem causæ & querelæ ad se delatæ, ac judicem dedit. Hic vero, instante atque urgente Marino, Rectorem, Judices, Commune Ragusiensium citari jussit, diemque ad objectas criminationes diluendas edixit. Cum neque illi, neque illorum procuratores tempore præstituto adfuissent, in eos anathematis atque interdicti sententiam pronunciavit. Paucis post diebus, coram Villelmo judice delegato compariuit M. Neapolio de Forolivio, Procurator Comitis, Senatus & Communis Ragusini; ac litteras protulit rite obsignatas, procurationis sibi commissæ testes; quibus inspectis & lectis, Villelmus illum Procuratorem esse legitimum declaravit, ac diem illi ad causam pro suis clientibus agendam præfinivit. Interea Villelmus, cum renunciatus fuisset Episcopus Ecclesiæ Norvicensis, ex urbe discessit. Pontifex vero in ejus locum substituit, & parti utrique Judicem dedit Thomam Fastolfum, juris utriusque Doctorem, & Archidiaconum Ecclesiæ Norvicensis, Præsulem Curiæ Romanæ, quem Neapolio rogavit, ut antequam audiret & cognos-

sce-

fecerat, quæ ipse pro caussa Ragusin. dicturus esset, interdictum & anathema, per Villelmum Ragusinos injunctum, rescinderet, atque irritum faceret; neque enim justitiæ consentaneum esse alterutri parti pœnam irrogare ante causam utriusque partis rite perspectam & cognitam. Æqua visa est postulatio, & quod Neapolio petebat, Thomas non invite præstitit. Hæc ex Actis judicialibus, quæ Ragusii in publico Tabulario asservantur; unde pauca quædam decerpsimus, quæ ad hujus controversiæ statum pertinent.

Acta quæstionis habitæ de decimis Stagnensibus.

In Nomine Domini Amen. Orta dudum materia quæstionis inter Rever. Patrem & Dominum Dominum Fratrem Marinum, asserentem se Episcopum Stagnensem ex parte una, & Rectorem, Judices, Commune Civit. Ragusin. super quibusdam juribus, jurisdictionibus, ac decimis ad Ecclesiam Stagnen. pertinentibus, nec non injuriis, & damnis eidem Fratri Marino, ut dicebatur, per dictos Comitem, Judices, & Communitatem illatis, ex altera; Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus Dominus Clemens Papa VI. caussam eamdem, ad instantiam dicti Fratris Marini, Rever. Patri Domino Villelmo de Norvico, nunc Episcopo Norvicensi, tunc vero Decano Ecclesiæ Lincolniensis, Capellano suo, suique Sacri Palatii caussarum Auditori audiendam, decidendam, & fine debito terminandam commisit, etiam cum potestate citandi .... prædictos Comitem, Judices, Consiliarios, & Commune, & alios, quorum interesse poterat, communiter & divisim ..... supradictus vero Dominus Villelmus eosdem, ad instantiam dicti Domini Fratris Marini ad respondendum libello per eumdem Fratrem Marinum dato, citari mandavit peremptorie ad certam diem; in qua quidem die comparuit coram prædicto Domino Villelmo præfatus Frater Marinus, (adversariis non comparentibus) & post citationem præfatam in supradicta audientia lectam, & ipsius audientiæ sigillatam a tergo, & citatorum in ea contentorum contumacia accusata, curavit ....., & insuper dicto Domino Marino petente supradictum Comitem, Civitatem & Commune Ragusin. excommunicari, & interdici per dictum Dominum Villelmum, propter eorum contumaciam, & contemptum; præfatus Dominus Villelmus, præfatos citatos non comparentes, quo ad actum prædictum, reputavit, exigente justitia, contumaces; & ipsos ex suprabundanti, ad dicendum causam &c. iterum citari mandavit peremptorie ad certam diem. In qua quidem die comparuit in judicio coram præfato Domino Villelmo &c. & prædictorum non comparentium contumaciam D. Fr. Marinus accusavit, petens humiliter, & requirens &c. Præfatus vero Dominus Villelmus præfatos citatos reputans exigente justitia contumaces, propter præfatas eorum contumacias, & contemptus, in præfatos Comitem, Civitatem, & Communitatem Ragusii excommunicationis & interdicti in scriptis sententias promulgavit. Subsequenter vero comparuit in judicio coram præfato Domino Villelmo Magister Neapolio de Forlivio, asserens se Procuratorem dictorum Dominorum Comitis, Consiliariorum Civitatis, & Communitatis Ragusin., & de ejus procuratime fidem fecit per quoddam publicum Instrumentum; & procuratorio nomine pro iisdem petiit se ad caussam hujusmodi admitti, præsente præfato Domino Fr. Marino, petente sibi copiam Instrumenti procurationis dicti M. Neapolionis decerni, & ad dicendum, & contradicendum sibi terminum assignari. Præfatus vero Dominus Villelmus, eopiam decernendo eidem Fratri Marino, ad dicendum contra illum, earumdem ad certum diem duxit statuendum. Deinde vero, præfato Domino Villelmo se absente, Sanctissimus Pater Dominus Dominus Clemens Papa caussam eamdem, nec non absolutionis impendendæ a dictis sententiis nobis Thomæ Fastelfo legum Doctori, Archidiacono Norvicen. Capellano suo, suique sacri Palatii caussarum Auditori, audiendum, decidendum, & fine debito terminandum commisit, cum omnibus emergentibus, dependentibus, & connexis; cujus quidem commissionis vigore, nos præfatum Marinum principalem ad dicendum citari mandavimus &c. Tandem vero idem Magister Neapoleo constitutus in judicio coram nobis sponte & libere suo nomine proprio promisit, & convenit se facturum, & curaturum sic, & realiter, quod prædicta Communitas &c. omnia per eum gesta, & gerenda ratificarent, & rata haberent .... Subsequenter vero idem Magister Neapoleo, nomine Civitatis & Communitatis Ragusin. prædictarum, petiit a nobis & humiliter supplicavit, interdictum in dictis Civitate & Communitate per dictum Dominum Villelmum positum, per nos elevari ..... Nos eidem Magistro Neapoleoni, & Domino Fratri Marino ad audiendam voluntatem nostram, supra elevatione interdicti, designavimus peremptorium ad hanc diem; in qua quidem die comparente coram nobis Magistro Neapoleone prædicto, & petente & humiliter supplicante interdictum positum &c. per nos elevari; Nos petitioni dicti Magistri Neapoleonis, ut juri consonæ annuentes, ad elevationem dicti interdicti processimus in hunc modum: Christi nomine invocato, pro tribunali sedentes; & habentes præ oculis solum Deum, de Dominorum nostrorum Coadjutorum consilio & assensu, in his scriptis interdictum positum in Civitate & Communitate Ragus. propter contumaciam .... per Ven. Patrem D. Villelmum de Norvico, tunc sacri Palatii Auditorem, nunc autem Episcopum Norvicensem, ex certis causis, & rationabilibus, nos in hac parte moventibus, relaxamus; ordinantes nihilominus, quod nisi in termino &c.

Datum, & actum Avenione in Palatio Apostolico, ubi jura redduntur, anno a Nativitate Domini MCCCXLIIII. Indict. 12. Pontificatus dicti Domini Clementis Papæ VI. anno secundo, mense Maji, die 17.

Alia hujus controversiæ acta.

Sed controversia iccirco dirempta non fuit. Duos eoque amplius annos agitata res fuit; & aliquot e sapientibus Reipublicæ viris delecti, qui in ejusmodi quæstionem incumberent, simulque decernerent cum Comite Ragusino quidquid æquitatis jura, ac Reipublicæ dignitas postularet. Extat hujus electionis decretum in hanc sententiam. *Die 24. Junii 1345. Indict. &c. In Consilio Rogatorum &c. in quo interfuerunt 33. Consiliarii &c. Captum &c. quod considerato bonore quæstionis, quam Commune habet in Curia D. Papæ & pro majori cautela d. quæstionis, quod eligantur sex sapientes & addantur quinque alii sapientes, qui omnes simul cum D. Comite habeant eamdem libertatem, quem habent primi quinque sapientes, & prout in reformat. &c.* At cum quæstio longius protrahi videretur, quem incommodi ferrent & sumptus, quos subire oportebat, præsertim cum in remota locorum distantia, ubi Pontificis curia eo tempore morabatur, id consilii Ragusienses ceperunt, ut Marino persuaderent, e re fore partis utriusque, si a Pontifice impetrassent, ut hujusce caussæ judicium Electi Archiepiscopo Ragusino permitteretur, quamque

is sententiam tulisset, & Pontifex probaret, & ipsi ratam ac firmam haberent, itaque sanctum die 22. *Februarii* 1346. *Indict. 6. In Majori Consilio &c. in quo interfuerunt 74. Consil. &c. captum fuit &c. Quod Dominus Comes cum Consilio Sapientum deputatorum super quæstione Episcopi Curzolan. habeat libertatem impetrare una cum Episcopo Curzolano a D. N. Papa literas cum plena auctoritate, in quibus contineatur, qualiter ipse D. Papa constituit personam D. Helliæ de Syracha nunc Archiepiscopum Ragusinum Judicem Albitrum quæstionis, quæ est inter D. Episcopum Curzolan. & Commune Ragusii; ita quod d. quæstio prout est in Curia ad præsens, sit in judicio & Albitrio d. D. Helliæ, & quod d. D. Hellias tamquam Judex Albiter constitutus a D. Papa d. quæstionem possit cognoscere, definire, & finare de jure & de facto &c. Intelligendo quod a D. Papa impetretur expresse, quod sententia, quæ lata fuerit per d. D. Helliam, sit firma & valitura in perpetuum & ultra.* Sive autem Marinus, sive Pontifex abnuerit, irrita cessit Ragusiensium postulatio: hinc novi cives delecti e sapientioribus, qui sedulam operam darent definiendæ controversiæ; *Die 10. Madii* 1346. *deputati sunt undecim sapientes super quæstione, quam habet Commune in Curia Papæ:* cumque nihil decerni, ac constitui posset, quod causam absolveret, anno insequenti Matthæum de Grede Bononiam mittendum censuerunt, qui Reipublicæ nomine peritissimos eo tempore canonici ac civilis Juris Magistros ex illo celeberrimo Gymnasio consulerent, ac sententiam rogarent; id perhibet decretum de pecunia Matthæo erogauda pro sumptibus Bononiensis itineris, cum Ragusium jam rediisset: *Die 5. Junii 1347. in Consilio Sapientum super quæstione, quæ habetur in curia D. Papæ, captum fuit, quod de avere Communis detur Matthæo de Grede pro merito & provisione ejus itineris, quod fecit Bononiam de mandato D. Comitis, & d. Consilii ad habendum consilium super dicta quæstione yperperi quindecim.* Post Bononiensem consultationem videtur contentio eodem anno quievisse, cum Matthæus Darscia Avenionem antea missus an. 1343. inde Ragusium reversus fuisset, ejusque reditum Marinus de Cranca jam præcessisset; quod confirmant acta rationis, quam Matthæus reddidit de sumptibus toto controversiæ tempore pro se, ipsaque lite finienda peractis: *Die 24. Octobris 1347. In Min. Cons. &c. Matthæus Fil. Junii de Darsia veniens ante præsentiam nostram .... & Consilii Sapientum super facto quæstionis quam habuit Commune Rag. cum F. Marino de Spaleto Episcopo Curzolano in Curia D. N. Papæ fecit rationem de omni quantitate pecuniæ, quæ pervenit ad manus ejus Matthæi tamquam Syndici, & Procuratoris d. quæstionis in d. Curia tam pro expensis suæ personæ in eundo, stando & redeundo de Curia, quam etiam pro expensis pertinentibus ad d. litem &c.* Sed lis sub judice iterum fuisse videtur, cum Joannes IV. Ecclesiæ utriusque regimen suscepit; & tunc per compositionem dirempta fuit. Marinus vel ipso anno 1347. vel paullo post e vivis excessit. Cum is huic Ecclesiæ præesset, statim fere ab inito Episcopatu Ædes Cathedralis Stagnensis exstrui cœpta est, & publicis etiam impensis magnifice ornateque intra triennium perfecta fuit; quod indicant duo Ragusiensium decreta. Alterum est: *11. Julii* 1344. *in C. Regat. &c. de dando libertatem D. Comiti & suo Min. Cons. posse expendere illos ducatos, quos Commune debet recipere pro venditione frumenti . . . . & convertere in attando Ecclesiam S. Blaxii de Stagno.* Alterum: *Die 21. Aprilis* 1345. *In Maj. Cons. &c. quod ad hoc ut compleatur Ecclesia S. Blaxii quæ sit in Stagno, donetur de avere Communis yperperi 22.* Hanc Ecclesiam ann. 1667. Ragusiensis terræmotus clade penitus exersam iterum decreto piissimi Senatus & publico sumptu reædificari jussum est. Marino item Antistite, Clemens VI. suo diplomate dato Avenione anno 1346. facultatem tribuit Fratribus Franciscanis Bolnensibus, ut Cœnobium Stagnense constituerent, præfinito Fratrum numero, qui illud incolerent; & idem hoc esse autumo, ac Cœnobium Marianum Monachis Græcis ademptum Ragusinis, & Franciscanis concessum an. circ. 1334. Nunc D. Nicolai titulo ab ejusdem familiæ Fratribus Ragusinis habitatur.

Obitus Marini.

Cathedralis Ecclesiæ Stagnensis ædificatio.

Ex dono cœlestis gratiæ illud Ordini vestro vobis inesse conspicimus, quod ubique locorum, in quibus degitis, fideles populos doctrina verbi pariter & exempli ad salutis gratiam evocatis. Ea igitur esse debet nobis & Apostolicæ Sedi cura solicita loca vestra per orbem terrarum longe lateque diffundere, ut quanto loca ipsius diffusius propagamus, tanto peramplius, prout in gratiarum omnium largitore confidimus, majorem fructum operum vestrorum ad ædificationem Christifidelium sentiamus. Nos igitur, qui cupimus animas lucrifacere, & Divinum cultum quantum cum Deo possumus adaugeri, vestris in hac parte supplicationibus inclinati recipiendi duo loca, unum videlicet in civitate seu provincia Stagnensi, & alium in Dominio Quinqueclesiensis Diœcesis, & in utroque istorum locorum duodecim Fratres juxta morem dicti Ordinis inibi pro tempore moraturi decenter & congrue valeant sustentari, sine tamen præjudicio parochialium Ecclesiarum dictorum locorum & cujuslibet alterius alieni, constitutione felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. nequaquam obstante, vobis auctoritate Apostolica plenam & liberam tenore præsentium licentiam elargimur. Nulli ergo &c. Dat. Aven. 12. Kal. April. anno 5. & erectio Cœnobii S. Nicolai.

DOMINICUS EPISC. STAGNENSIS XIII. CORCYRENSIS V.

Natione Albanensis sive Epirota, disciplinæ Dominicanæ alumnus, erat Episcopus an. 1350. ut constat ex tabulis Ragusinis, & hoc Reipublicæ decreto: *Die 8. Novembris 1350. In minori Consilio &c. captum &c. quod V. in C. P. D. Fr. Dominicus q. Comitis Tobia Dei & Apostolica Sedis gratia Episcopus Curzolen. & Stagnen. Episcopus & Commissarius Dragisce filii q. Bogie de Punta Stagni possit vendere partem Stagni &c.* Joannes Lucius lib. 5. cap. 7. Monum. Tragur. & Valerius a Ponte Archidiaconus Jadrensis in Catalogo Archiepiscoporum Jaderensium Episcopum Corcyræ, non item Stagni, appellant. Dominicus Episc. ambit Archiepiscopatum Ragusinum.

Erat is ex nobilissima Tobia familia, de qua in Historia Albanensium Ecclesiarum erit agendum; cumque anno 1360. Elias Archiepiscopus Ragusiensis suæ Ecclesiæ nuncium remisisset, Dominicus, cognito ante Eliæ consilio, qua vi, qua dolis, tum per calumnias, & procerum quorumdam gratiam nisus est omnitope, ut, competitoribus repulsis, ipse Archiepiscopalem dignitatem conscenderet. Hæc dum calliđe

&

Digitized by Google

& occulte Dominicus gerebat, interceptæ sunt ejus litteræ per Theodorum Drivastensem scriptæ, queis fortasse aut Canonicorum Ragusiensium collegium, quos penes jus erat eligendi Archiepiscopi, aut competitores suos simoniaca labe inspersos esse evulgabat; quare lectis iis litteris in Senatu, cunctis suffragiis decretum est IV. Non. Majas, ut Theodorus quidam legatus ad Innocentium VI. Romam missus litteras Dominici secum deferret, & detecta, suoque ipsius testimonio comprobata hominis audacia, de statu Ragusinæ Ecclesiæ certiorem faceret Pontificem, simul orans, ut ipse, quem mallet, eidem Archiepiscopum præficeret. Præterea prid. Non. ejusdem mensis Dominicus jussus est Senatusconsulto Ragusio abscedere, donec octo dierum spatio tota ejus causa justa ac solemni judicii forma decideretur; postridie autem Theodorus Drivastensis exsilio damnatus fuit. Qua sententia Dominicum mulctaverint Ragusienses, mihi compertum non est; certe in eos graviter, & inique offensus animo ad Ludovicum Hungariæ regem profugit, & in Ragusienses ita illum commovit, ut opus fuerit Senatus decreto omnia in Episcopum acta per litteras atque legatos tueri apud Regem, eorumque æquitatem & sapientiam plane comprobare. *Die 16. Decembr. 1360. In C. Reg. de mittendo Cursores cum litteris per duas manus per viam Bosnæ, & per viam Segnæ Ambassiatoribus excusando Civitatem Reg. super accusatione nuper facta per Episcopum Curzolensem.*

Item de mittendo illas proprias litteras quas mittebat Episcopus Curzulensis fraudulentas & mendaces & falsas pro essendo Archiepiscopus Ragusinus & quod pro his & aliis ab hominibus fuit expulsus. Cætera in Dominicum Senatusconsulta, quæ superius innui, in Hugone Ragusiensi Antistite relata sunt.

a quo depulsus eligitur Archiepisc. Jadrensis an. 1367.

Dominicum ad suam Ecclesiam postea rediisse non comperio; sed auctoritate & gratia tantum valuit apud Ludovicum, ut anno 1367. Archiepiscopatum Jadrensem adeptus fuerit; vide in Tomo V. Oper. quæ de illo fuse persecuti sumus. Cæterum ejus actionum ratio, & ambitiosa cupiditas occupandæ Ecclesiæ Ragusinæ parum cum iis congruunt, quæ laudi illi & a nobis & a Scriptoribus Dominicanis tribuuntur. Certe turbulentum in Dominico animum, & nimia captum honorum ambitione hinc deprehendes, quod ejus cum Jadrensibus dissidia confirmant; unde & illorum ad regem postulatione, & regis ipsius consilio necesse ei tandem fuerit ab Jadrensi Ecclesia semet abdicare.

JOANNES III. EPISC. STAGNENSIS XIV. CORCYRENSIS VI.

Joannes Episc. an. 1349.

Hunc nobis ignotum suppeditavit eruditissimus Joseph Garampus ex tabulis Romanis, in quibus Episcopus utriusque Joannes nominatur. Eum Innocentius VI. Rectorem utrique Ecclesiæ præfecit, & tributi, quod Curiæ debebat, solvendi onere exemit *die* 27. *Martii anni* 1360. ex quo conjicias Stagnensem a Corcyrensi Ecclesia tum fuisse disjunctam; nam Dominicus Joannis decessor Corcyrensi Ecclesiæ certe præerat sub exitum hujus anni, ut constat ex decreto superius allato, in quo tamen dicitur Episcopus solum *Corcyrensis*, cum in alio decreto & *Corcyrensis* & *Stagnensis* Episcopus nominetur; & præterea *Corcyrensis* tantummodo appellatur a Lucio, & Valerio, uti monuimus. Hujus disjunctionis causam ignoro; sed ita evenerit necesse est, nisi duos utrique Ecclesiæ Episcopos præficere velis uno eodemque tempore. Cæterum alia subest huic loco difficilis quæstio, cur in tabulis Romanis Joannes utriusque Ecclesiæ Episcopus inscribatur die 27. Martii an. 1360. cum Dominicus adhuc Corcyrensem Ecclesiam teneret die 16. Decemb. ejusdem anni. Forte tamen, servato Corcyrensis Episcopatus titulo, hanc quoque Ecclesiam veluti pauperrimam ac ignobilem sponsam haud minus quam Stagnensem abdicaverat; cum & ingenita familiæ nobilitas & cupidissimus honorum ac dignitatum animus illum ad ambiendas illustriores Ecclesias pertraheret; ut re quidem vera patuit in electione Archiepiscopi Ragusini. Cum itaque, ut ad Joannem redeam, in libris ejusdem Curiæ nulla his duabus Ecclesiis taxatio imposita reperiretur, & præterea Joannes religiosæ quoque paupertatis angustiis premeretur, hinc causa fuerit, cur ab tributi solutione illum Pontifex eximeret: ex lib. Oblig. Cam. Tom. 36. pag. 179. Hic quoque ex eadem Franciscana religiosa familia ad hunc dignitatis Episcopalis gradum ascendit; idem fortasse, qui Vicarius Marini Episcopi appellatur in tabulis Corcyrensibus, quas in historia Ecclesiæ Corcyrensis sub Marino Episcopo describemus. Septem, aut octo annos Ecclesiam utramque gubernavit, cique vita functo successor datus est

JOANNES IV. EPISC. STAGNENSIS XV. CORCYRENSIS VII.

Joannes IV. Ep. Stag. & Corc. an. 1368.

Hic natus est Veglæ, quæ civitas est, & insula sinus Flanatici. Nomen dederat in sodalitatem Fratrum Minorum S. Francisci; ex qua ad Ecclesiam utramque regendam accessit anno 1368. vel sequenti. Urbanus VI. in suo quodam rescripto Joannem Episcopum Corcyrensem vocat, Stagnensem non item. In suis vero litteris, quas paullo post describemus, alias *Stagnensem* tantum, alias *Stagnensem*, & *Corcyrensem* appellat; ipsemet vero Joannes, in quodam suo Mandato titulum Episcopatus utriusque sibi adscribi voluit: 1386. *Indict. II. & die primo Augusti, Reverendissimus Pater Dominus Fr. Joannes Dei gratia Episcopus Curzulæ & Stagnen. &c.* Rescriptum Pontificium, Mandatum Joannis, & alia quæ ad insulam, & Ecclesiam Corcyrensem pertinent, historiæ hujus Ecclesiæ reservanda esse duximus.

Ex quo Ragusini peninsulam Stagni de Stephano Bosinæ Bano emptam, seu potius jure fiduciario, sub conditione annui tributi, sibi traditam, in suam potestatem redegerant, gentes illæ assiduo studio, ac diligenti opera Fratrum Minorum S. Francisci, ad rectam in Deum fidem instructæ, antistite schismatico expulso, in sinum Ecclesiæ Catholicæ se contulerunt. Verum Episcopi æque Stagni, ac Corcyræ nullas e peninsula decimas, nullos proventus perceperant, incolis tributum omne constantissime abnuentibus. Hinc querelæ Episcoporum, qui jure suo se fraudari dolebant, cujus obtinendi causa sæpe tum Ragusinis peninsulæ dominis, tum ipsis Stagnensibus litem intenderant. Tandem omni judiciali & forensi concertatione posthabita, de communi consilio rem ita componendam esse statuerunt, ut Episcopo pro decimis centeni singulis annis aurei ex ærario publico

Ra-

Digitized by Google

Joannes de decimis transigendi cum Ragusinis, & componendi, facultatem a Sede Apostolica postulavit.

Ragusino solverentur. Hujusmodi pactionis faciendæ ut sibi potestas fieret, Joannes a Gregorio XI. postulavit. Pontifex vero, ne quid temere concederet, de tota illa controversia per Episcopum Tribunensem, datis ad eum litteris, antea doceri voluit. Per eos annos Ecclesiæ Tribunensi & Mercanensi præsidebat Della, sive Ulias, ex Ordine Franciscano ad regendum utramque assumptus. Hic post diligentem rerum omnium inquisitionem, quæ ad eam litem pertinebant, rescripsit ad Pontificem; sed ejus responsio, cum Gregorium præmortuum reperisset, reddita fuit Urbano VI. qui anno 1378. in Sedem Apostolicam Gregorio successerat. Urbanus ad eumdem Tribunensem Episcopum scripsit, eique imperavit, utsi res ita se haberet, quemadmodum ab ipso in suis ad Gregorium litteris exposita fuerat, Joanni Episcopo Stagnensi, quod de compositione facienda petierat, id ex mandato & auctoritate Apostolica concederet.

Epistola Urbani VI. ad Episc. Tribunensem.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei. Ven. Fratri Episcopo Tribunensi salutem & Apostolicam benedictionem. Ad ea, quæ utilitatem, & commodum Ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum respiciunt, libenter intendimus, illaque prosequimur favoribus opportunis. Dudum siquidem pro parte Ven. Fratris nostri Joannis Episcopi Stagnensis expositum fuit Gregorio Papæ XI. prædecessori nostro, quod dilecti filii, cives, & habitatores Civitatis, & Diœc. Stagnensis, qui a longinquis retro temporibus schismatici, & infideles fuerunt, veram & Catholicam fidem agnoscentes; ad Ecclesiæ unitatem erant conversi; quodque dicti Cives, incolæ & habitatores quemdam iniquitatis filium, qui secundum ritum Græcorum & Schismaticorum Episcopatum, & Ecclesiam Stagnensem jamdiu detinuerat occupatos, de Civitate, & Diœc. prædictis expulerant; eidem Joanni, Episcopo indebite recusaverant, & recusant, de decimis, & aliis juribus Episcopalibus, per eos sibi debitis respondere; asserentes se super illis cum eodem Episcopo, juxta arbitrium Apostolicæ Sedis componere velle; præfatus prædecessor tibi per suas dedit litteras in mandatis, ut vocatis dilectis filiis Parochialium Ecclesiarum dictarum Civitatis, ac Diœc. & aliis, qui foret evocandi, de præmissis omnibus & singulis, & eorum circumstantiis universis, & præsertim quid & quantum Cives, & incolæ, & habitatores prædicti, pro hujusmodi decimis, & juribus exhibere vellent; & an eidem Episcopo a Civibus, incolis, & habitatoribus aliquæ decimæ debentur, auctoritate Apostolica te diligenter informares, & quidquid per informationem hujusmodi reperires, eidem prædecessori per tuas patentes litteras, manu publica scriptas, tuoque sigillo munitas, referre curares, prout in dictis litteris plenius continetur. Cum autem postmodum, sicut tuæ litteræ eidem prædecessori transmissæ continebant, tu vigore dictarum litterarum ejusdem prædecessoris, de præmissis, & eorum circumstantiis universis diligenter informans repereris, quod cum olim Civitas & Diœc. prædictæ per Græcos, & Schismaticos diu detentæ fuissent; dilecti filii, Commune Civitatis Ragusinæ, prædictas Civitatem & Diœc. Stagnen. & earum terras ad ritum Catholicæ fidei reduci fecerunt, & quod Cives, & incolæ, & habitatores prædicti asserentes, quod numquam de ipsorum bonis, & rebus aliquas decimas persolverant, præfato Episcopo aliquas decimas solvere denegabant; & quod prædicti Commune Civitatis Ragusinæ, qui etiam multas possessiones & bona in dicta Civit. & Diœc. Stagnen. obtinebant, parati erant recipere ad firmam pro certo tempore, pro centum Ducatis auri annuatim, a prædicto Episcopo fructus hujusmodi decimarum. Quare pro parte dicti Episcopi nobis fuit humiliter supplicatum, ut concedendi ad firmam hujusmodi fructus pro dicta summa licentiam concedere dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatinus, si est ita, prælibato Episcopo auctoritate Apostolica concedas, ut fructus hujusmodi decimarum usque ad viginti novem annos a data præsentium computandos, prædictis Communi ad firmam concedere valeat pro certa summa pecuniæ annuatim eidem Episcopo, vel successoribus suis Episcopis Stagnensibus, qui erunt pro tempore, persolvenda; contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita compescendo. Non obstantibus Constit. Apostolicis &c.

Datum Romæ apud S. Mariam trans Tiberim VIII. *Kal. Decemb. Pontif. nostri anno primo*, id est 1378.

Anno 1386. iterum de Stagnensibus decimis ad Sedem Apostolicam referri oportuit. Ac Stagnenses quidem nullo prorsus modo adduci poterant, ut debitas Ecclesiæ & Episcopo decimas contribuerent, vel pro neglecta superiorum annorum solutione satisfacerent; si vero ad solvendum pro potestate compellendi essent, cogendique, periculum erat, ne a fide Catholica ante aliquot annos suscepta deficerent, atque in pristinos errores relaberentur; neve, relicta peninsula, ad finitimos hæreticos & schismaticos Bosnenses transirent. Ad futurum tempus quod attinet, Senatus & Civitas onus solvendi pro decimis aureos centenos singulis annis, concessu Pontificis, susceperant, ut modo dictum est. Sed præterea necesse erat solutionem decimarum præteritis annis neglectam, per aliquam commutationem compensari; quæ sine Pontificis auctoritate fieri non poterat. Hæc omnia tum Joannes, tum Rector & Senatus, suis ad Urbanum litteris exposuerunt. Pontifex ad Joannem rescripsit; eique de præteritis decimis non solutis, cum Senatu & Communi Ragusino per compositionem transigendi potestatem fecit.

De præteritis decimis non solutis paciscendi cum Ragusinis potestatem ab Urbano VI. Episcopus petit impetratque.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei. Ven. Fratri Joanni Episcopo Stagnensi & Corzulensi sal. & Apostolicam bened. Apostolicæ Sedis copiosa benignitas supplicum vota, illa præcipue, quæ aliorum salutem conspiciunt, ad exauditionis gratiam admittit ..... Sane petitio pro parte tua, & dilectorum filiorum Communis Civitatis Ragusinæ, nobis nuper exhibita continebat, quod cum olim Civitas Stagnensis, quæ in extremis partibus Bosnæ versus mare consistit, a schismaticis, & Patarenis illarum partium, Romanæ Ecclesiæ in nullo, ut dicitur, parentibus, occupata fuisset, dicti Commune, ipsam Civitatem Stagnensem, ejusque territorium, & districtum a quodam, tunc se gerente pro Imperatore Sclavoniæ, & Bano Bosnæ, sub certo annuo censu occuparint in feudum; & deinde idem Commune, tamquam devoti filii Ecclesiæ, ad conversionem schismaticorum infidelium, & Patarenorum, incolarum & habitatorum ejusdem Civitatis Stagnen. salubriter intendentes, quemdam locum & habitationem Fratrum Ord. Minorum Vicariæ Bosnæ, secundum dicti Ordinis morem, in eadem Civitate, cum necessariis officinis, auctoritate Apostolica construi & ædificari fecerunt; & tandem Fratres

tres Vicariæ, & Ordinis prædictorum in ipsa loca degentes, hujusmodi schismaticos infideles, & Patarenos ad cultum nostræ fidei salutaribus eorum monitis, & concionibus, & prædicationibus adduxerunt, eosque in ipsa fide nutriunt, & alios schismaticos infideles, & Patarenos hujusmodi de partibus Bosnæ, ab hujusmodi schismate pro posse retrahere satagunt incessanter; quodque si incolæ & habitatores prædicti decimarum onera graventur insolito juxta Canonicas Sanctiones, verisimiliter dubitatur, ne ipsi, & Civitas, humani generis inimici suggestione seducti, ad partes Bosnæ, & eorum errores pristinos remearent, Civitatem Stagnen. prædictam totaliter deserentes; & quod dicti Commune Ragus. periculum attendentes, & exonerare eorum conscientias de hujusmodi decimis affectantes secum super hujusmodi decimis ad aliquam compositionem devenire proponunt, & de bonis suis tibi, & successoribus tuis Stagnen. & Curzulen. Episcopis, qui pro tempore fuerint, pro decimis ipsis quolibet anno, juxta compositionem solvere certam ..... Cum autem sicut eadem petitio subjungebat præfatorum Communis, pro gubernatione ejusdem Civitatis Stagnen. in fide prædicta, tam in solutione dicti census, quam etiam in murorum, & fortalitiorum ipsius constructione, ac solerti & vigili custodia Civitatis ejusdem, ne ipsa Civitas ad hujusmodi schismaticorum infidelium, & Patarenorum circumvicinorum manus & potestatem deveniat, in dictæ fidei detrimentum, sed potius Christianus cultus, ex ejus statu prospero, in ipsis circumvicinis partibus augeatur; gravia continuo subire oporteat onera expensarum, pro parte tua, & ipsorum Communis, nobis humiliter supplicatum fuit, ut cum eis benigne agere in præmissis, ac tibi faciendi cum eis compositionem hujusmodi licentiam concedere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ faciendi compositionem ipsam de hujusmodi decimis pro præterito tantum tempore, tibi & prædecessoribus tuis Stagnen. & Curzulen. Episcopis debitis cum eisdem Communi, prout tibi secundum Deum videbitur expedire; dum ex hoc ipsæ tuæ Stagnen. & Curzulen. Ecclesiæ non decipiantur; constitutionibus Apostolicis, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque, plenam & liberam concedimus tenore præsentium facultatem. Dat. Januæ XII. Kal. Octob. Pontificatus nostri anno nono, ideſt 1386.

Ita controverſia de decimis Stagnenſibus tunc quidem compoſita fuit, ſed poſt annos circiter triginta vehementius referbuit. Joannes vero poſt biennium e vivis exceſſit. Ad hæc tempora ſpectat alia controverſia de parœciis, quas Fratres Franciſcani magno cum animarum commodo, & Catholicæ Religionis incremento adminiſtrabant. Raguſini poſt peninſulam Stagni pecunia numerata coemptam an. 1333. Franciſcanos Fratres Boſnenſes evocarunt, qui ſchiſmaticos & hæreticos, quorum regio illa referta erat, ad rectam in Deum fidem traducerent. Hi tum Joannis XXIII. tum Gregorii IX. privilegiis freti, munitique cum pleroſque ſchiſmaticorum ad Eccleſiam Catholicam aggregaſſent, per annos amplius quinquaginta omnia illis Parochorum officia aſſidue & laborioſe præſtiterunt; cum quidam e Clero ſæculari id moliri & conari cœperunt, ut Patribus Franciſcanis curam animarum, reique Chriſtianæ adminiſtrationem adimerent, ad ſeque transferrent: ſiquidem munus Parochi non ad Monachos, ſed ad Presbyteros

Controverſia de parœciis Franciſcanorum.

ex inſtituto Eccleſiæ datos Epiſcopis ad gregem Dominicum curandum ac regendum pertinere ajebant. His Patres Boſnenſes ad ſuam cauſſam tuendam oppoſuerunt tum longinquam juris & officii parochialis in illis locis poſſeſſionem, tum privilegia Romanorum Pontificum, tum denique diuturnos & aſſiduos labores impenſos, ut gentes illas Deo & Eccleſiæ reconciliarent. Hanc igitur apologiam ſcripto tradiderunt.

In Nomine Domini Amen. MCCCLXXXXIIII.

Propter puncta, & motiva infraſcripta Fratres Minores Vicariæ Boſnæ commorantes in Puncta Stagni cum bona conſcientia uſque modo per annos quinquaginta miniſtraverunt Sacramenta Divina populo illi, & uſi ſunt privilegio eis conceſſo a Sede Apoſtolica inter infideles & ſchiſmaticos, licet per Prælatos, & alios multas patiantur contrarietates & primo

Cum illa terra antequam perveniret ad manus Dominorum de Raguſio, fuerit ſubjecta ſchiſmaticis, & Patarenis per annos forte trecentos, nec erat mentio ibi de cultu Catholicæ Fidei, immo Caloghieri, & Sacerdotes Raſciani ibi habitabant; poſtmodum vero Deo diſponente cum prædicti Domini Punctam illam occupaſſent ſub certo tributo, dando Regi Raſciæ vel Bano Boſnæ ſingulis annis mille perperas: & inſuper volentes Punctam illam conſervare, & tenere contra potentiam ſchiſmaticorum, & hæreticorum, fecerunt caſtra duo fortiſſima, & perduxerunt murum magnum cum turribus ab uno caſtro uſque ad aliud per unum milliare; in quibus ædificiis, & aliis neceſſitatibus expenderunt circa centum viginti millia ducatorum de Camera Communi: & ſub pacto tenendi ibi Caloghieros, & Sacerdotes prædictos; tamen ſicut Catholici Fidem ibi Romanam plantaverunt, & propterea collocaverunt Fratres prædictos, & locum eis conſtruxerunt, qui Fratres Dei gratia operante populum illum converterunt & baptizaverunt, & uſque modo convertunt venientes quotidie de terris ſchiſmaticorum ad terram illam & hoc pure propter Deum, nullius lucri cauſa: videtur eis prædictam curam illius populi dimittere non debere juxta conſilium Doctorum eis datum, donec per Apoſtolicam Sedem de populo illo aliud fuerit ordinatum. Ad hanc autem concluſionem tenendam roborantur privilegiis Apoſtolicis, de quibus infraſcriptæ clauſulæ ſunt extractæ.

Et primo in privilegio magno Domini Joannis Papæ continetur hæc clauſula. Ut autem miniſterium noſtrum honoretur plenius, & honorabilius impleatur; Præſentium vobis auctoritate concedimus in terris, quæ adhuc Magiſterio Sedis Apoſtolicæ non intendunt, proponere Verbum Dei, & conſtitutis ibidem, non obſtante ſi aliqui ſunt excommunicatione ligati, in verbis, officio, & cibo, ac in aliis ſecure communicare, & ipſos, ſeu etiam alios converti ad unitatem Chriſtianæ Fidei cupientes, recipere, baptizare & aggregare filiis Sanctæ Eccleſiæ poſitis & infra.

Et ad hæc ſit vobis abſolvendi poteſtas occiſores clericorum, & religioſarum perſonarum in prædictis partibus conſtitutarum, fundandi de novo Eccleſias, & reconciliandi illas, quæ ſunt caſu aliquo profanatæ, & de novo fundatis de Rectoribus idoneis providendi.

Et iterum in declaratione facta per Dominum Gregorium Papam XI. ſuper XXXIII. dubia tangentia opera fidei in dicta Vicaria Boſnæ, habentur duæ clauſulæ iſtæ reſponſivæ ad tria dubia 8, & 9. & 10.

Et

Et iterum ad 8. *Articulum in quo queritur &c. Respondemus, quod cum Bosna cum suis metis, & terminis seu circuitibus inclusive, ubi infideles, & schismatici habitant, sit Fratrum commissum regimen, dicimus dictos Fratres licite posse supplere defectum Sacerdotum absentium in administratione Sacramentorum, virtute privilegii, non obstante, quod dictæ patriæ sub dominatione Christianorum existant, maxime cum in dictis metis seu terminis sit defectus Sacerdotum, nec sunt Parochiæ ordinatæ, prout præsens articulus præsupponit.*

Et item ad 9. Articulum in quo queritur &c. Respondemus, quod sicuti commissum est Fratribus, & concessum per Dominum Papam infideles & schismaticos unitati Sanctæ Ecclesiæ aggregare, ita etiam in fide nutrire & conservare per Ecclesiastica Sacramenta, donec ipsis conversis sit provisum de Ecclesiis & Curatis, nec de opposito cavetur in privilegio, ut patet intuenti. Quocirca dicti Fratres in administratione Sacramentorum impediri nullatenus debent a præfatis Sacerdotibus venientibus, sive missis.

Et iterum ad 10. Articulum in quo queritur: Si Sacerdotes &c. Respondemus, quod cum solis Fratribus privilegium dirigatur, Sacerdotes ibi commorantes, vel de novo advenientes, eamdem, vel similem nullatenus habeant, vel obtinuerint potestatem.

Et item in quadam Bulla Domini Papæ Gregorii dicti concessa pro loco, habetur ista clausula: Et nos animarum saluti providere cupientes opportunis remediis, vobis & singulis vestrum in prædicta terra & aliis locis hujusmodi usque ad partes Fidelium, in quibus distinctæ Parochiæ & Catholici Rectores Ecclesiarum parochialium instituti, utendi omnibus potestatibus, seu facultatibus & privilegiis, vobis in terris schismaticorum, hæreticorum, & aliorum infidelium a memorata Sede concessis, plenam concedimus tenore præsentium facultatem.

Et item Dominus Urbanus Papa VI. in quadam copiosa Bulla concessa prædictis Fratribus sic dictis: Et concedimus etiam, & declaramus, quod dicto privilegio Joannis Papæ uti possitis, quoad omnia in eo contenta, non obstante quod Episcopus Catholicus in locis, seu partibus ipsis resideat, vel præsens existat, dummodo Clerum, vel Sacerdotes, aut Curatorum copiam non habeat, qui fidelibus suis noviter conversis partium earumdem sufficienter præesse valeant, in ministrando eis Ecclesiastica Sacramenta, & Fidem Catholicam prædicando.

FRANCISCUS EPISC. STAGNENSIS XVI. CORCYRENSIS VIII.

Franciscus anno 1388.

Hunc acceptum referre debemus Tabulis Romanis, e quibus illum nobis deprompsit Card. clarissimus Joseph Garampus, eumque ab Urbano VI. e Stagnensi ad Scardonitanam Ecclesiam migrasse jussum ab eodem Pontifice docet ex iisdem Tabulis, quas citat sub his notis: *Div. Cam. Tom. I. pag.* 302. Vix integrum annum Sedem utramque tenuit. Anno siquidem 1388. mense Augusto Joannes IV. adhuc Ecclesiæ utrique præsidebat, ut constat ex ejus mandato anni 1388. quod supra laudavimus; cum autem Urbanus VI. anno sequenti Idib. Octobris e vita decesserit, huic anno translationem Scardonitanam Francisci affigi oportet; nec vero rejici potest in annum 1393. ut nos ex Valerio de Ponte Archidiacono Jadrensi scripsimus in Episcopis Scardonitanis. Ita fit, ut Ecclesia utraque post Franciscum, tres vel quatuor annos Episcopo caruerit.

translatus ad Ecclesiam Scardonitanam.

NICOLAUS EPISC. STAGNENSIS XVII. CORCYRENSIS IX.

Nicolaus Ep. anno 1392. vel 1394.

Erat Episcopus Lavellensis in Provincia Surrentina, de quo Ughellus Tom. VII. Ital. Sac. in Episc. Lavellensibus: *Episcopus XIII. Nicolaus eumdem Episcopalem honorem gessit sub Bonifacio IX. a quo anno* 1394. *ad Stagnensem & Curzolensem Ecclesiam translatus est, ut in Tab. Obl. habetur.* Sed Joseph Garampus sæpe laudatus ejus initia Episcopalia refert ad annum 1392. XII. Kal. Junii; eumque ait, cum a Bonifacio IX. Ecclesiæ utrique Stagnensi & Corcyrensi præpositus fuisset, promisisse ab se solutum iri *tres & triginta florenos pro communi servitute*; citatque *lib. Obl. Cam. T.* 48. *pag.* 135. *& T.* 51. *pag.* 68. Nicolaum binis tabulis Corcyrensibus inscriptum invenio: in prioribus anni 1401. *Corcyrensis* tantummodo, in posterioribus anni 1405. *Corcyrensis & Stagnensis* Episcopus appellatur; itemque in tabulis anni 1404. 5. Novembris sibi ab utraque Ecclesia titulum sumpserat. *In Nomine Christi. Amen. Ego Nicolaus Episcopus Stagni & Curzulæ concedo & permitto pro mea auctoritate, ut Dobrizza & Tuardizza ejus socia possint ac debeant, Divina gratia opitulante, manere apud Ecclesiam SS. Cosmæ & Damiani, sitam prope urbem Stagni, ibique recluse Deo famulari &c.*

Post annum 1405. Nicolai mentio nusquam reperitur.

ANDREAS EPISC. STAGNENSIS XVIII. CORCYRENSIS X.

Andreas an. 1405.

Quem habemus ex tabulis & scriptoribus Corcyrensibus. Theodorus Diedus Episcopus Corcyrensis sæculi decimi septimi, qui diligentissime res Ecclesiæ suæ, ejusque Antistitum, duobus libris Mss. persecutus est, quos inscripsit *Directorium Episcoporum Ecclesiæ Curzolensis*, nomen Andreæ anno primo, & septimo sæculi decimi quinti innexuit; verum initia Episcopatus Corcyrensis Andreæ traditi, non ad primum, sed ad sextum circiter ejusdem sæculi annum referri jubet Episcopatus Nicolai usque ad annum 1405. perductus, ut docent tabulæ Corcyrenses supra laudatæ. Post Joannem II. Episcopum Stagni & Corcyræ, qui eum deinceps consecuti sunt, alii quidem utriusque Ecclesiæ titulum usurparunt, alii autem Corcyrensi assumpto, Stagnensem neglexerunt, quamvis hi omnes administrationem utriusque Ecclesiæ susciperent ac gererent. Andreas Corcyrensis ac Stagnensis Episcopus titulum etiam, non regimen solum, ita sumpsit, & conjunxit, ut omnes deinde, qui post eum fuerunt Episcopi usque ad annum 1541. utrumque usurpaverint ac retinuerint; idque fortassis ex mandato Sedis Apostolicæ, quæ unum eumdemque non solum esse, sed etiam appellari Episcopum Ecclesiæ utriusque voluerit; ut conjici posse videtur ex tabulis Corcyrensibus anno 1407. confectis, in quibus Andreæ & titulus traditus, & administratio utriusque Ecclesiæ ab Sede Apostolica demandata fuisse dicitur: *Reverendissimus in Christo Pater & Dominus Andreas Episcopus Curzolanus, & Stagnen-*

Utriusque Ecclesiæ titulum sumpsit, uti etiam cæteri deinceps Episcopi.

Digitized by Google

gnensis, Rector a Deo, & a Sede Apostolica populo duorum locorum concessus. Hæc fuit quædam veluti renovatio, sive confirmatio priscæ illius conjunctionis Ecclesiæ Stagnensis cum Corcyrensi, quæ sub Joanne Crossio, primo Corcyrensi Antistite, anno 1300. constituta fuerat. Utraque quidem Ecclesia eidem Episcopo decerni solebat, ut curam utriusque gereret. Sed Episcopi Corcyrenses, cum in urbe & insula Corcyræ sedem collocassent, Stagnensem Ecclesiam perinde habebant, ac si hæc non Episcopalis, sed quædam quasi appendix esset Corcyrensis; ac proinde alii titulum ex illa non sumebant, alii parvi facere videbantur; præsertim cum nullas e peninsula Stagni decimas, nullos proventus perciperent, ea contenti pensione non ita magna, quam pro gubernatione Stagnensis Ecclesiæ Commune Ragusii solvebat. Hujus redintegratæ conjunctionis, sive confirmatæ ipsos Ragusinos auctores fuisse arbitror, cum Corcyra Melæna in potestatem Reipublicæ Ragusinæ rediit anno 1404. Hanc siquidem Hervoja *Dux Spalati, & Dominus insularum* Ragusinis jure fiduciario possidendam dedit, ex cujus auctoritate & mandato unum de suis Patriciis huic insulæ præficere solebant; eique anno 1409. ut est in tabulis Ragusinis, præerat *Joannes Gozzius de mandato Domini Hervojæ Ducis Spalati, Comes Corcyræ.* Cum autem Hervoja, ob crimen læsæ majestatis, ab Sigismundo Rege Hungariæ anno 1413. tum Spalati, tum insularum Principatu exutus fuisset, Ragusini concessu ejusdem Regis Corcyram retinuerunt; & præterea Phariam & Bractiam adepti sunt, ut docent Tabulæ Ragusinæ: *N. N. de mandato gloriosissimi Sigismundi Regis Hungariæ, electus in Consilio generali Ragusii, Comes Corcyræ, Pharæ, & Brazzæ.* Cum itaque tum Corcyra, tum peninsula Stagni sub eodem jure civili, & Ragusinæ Reipublicæ imperio esset, sub ejusdem etiam Episcopi jure & regimine ecclesiastico utramque ita conjungi visum est, ut idem Episcopus æque Stagnensis & Corcyrensis semper in posterum appellaretur, & æqualem utrique Ecclesiæ curam impenderet. Ita Ragusini consultum esse voluerunt dignitati Ecclesiæ suæ Stagnensis, & hanc tituli atque honoris societate parem fieri cum Corcyrensi. Confirmarunt decretum annuæ pensionis centum aureorum, quam Episcopo Corcyrensi propter administrationem Ecclesiæ Stagnensis contribuere solebant. Proventus ac decimas peninsulæ Stagni, ex quibus suppetere oportebat quod satis esset ad victum cultumque Episcopi Stagnensis, atque ad Episcopalem personam pro dignitate sustinendam, Ragusini in alios usus maxime necessarios converterant; partim scilicet in alendos Franciscanos & Presbyteros, in variis peninsulæ locis constitutos, partim in annuam pensionem, quam Banis ac deinde Regibus Bosinæ ex pacto solvebant, partem denique in custodiam ac defensionem ipsius peninsulæ, quæ schismaticorum & hæreticorum insidiis atque expugnationibus exposita erat; hi quippe cum ægerrime ferrent, se expulsis, Catholicam religionem restitutam fuisse, in omnem occasionem ejusdem peninsulæ invadendæ ac recuperandæ imminebant. Itaque inter Ragusinos, & Episcopos Corcyrenses ita conveniisse, ut hic quidem administrationem ac titulum Ecclesiæ Stagnensis susciperet, esset que proprius æque Stagnensium atque Corcyrensium Episcopus; illi vero pro sollicitudine & cura pastorali Stagnensibus impensa, aureos centenos singulis annis ei contribuerent, quibus decimæ cæterique proventus Episcopales, e peninsula eidem debiti, quoquomodo compensarentur. Utri vero Ecclesiæ sub eodem Episcopo constitutæ primatus attribui, utra alteri deberet præferri, litteris traditum non invenio. Videtur æqualis utriusque dignitas habita fuisse; nam titulus illis Episcopis inscriptus, aliquando Stagnensis Corcyrensi, sæpius tamen hic illi præfertur. Andreæ Episcopi Corcyrensis & Stagnensis neque patria, neque vitæ institutum ante susceptum Episcopatum memoriæ proditum est. Utrique Ecclesiæ vigilantissime præfuit annos ferme decem. E vivis excessit anno circiter 1415.

Corcyra Ragusinis tradita, item Pharia & Bractia.

qui utramque Ecclesiam Stagnen. & Corcyren. sub eodem Episcopo esse jusserunt.

Andreas obiit.

NICOLAUS II. EPISC. STAGNENSIS XIX. CORCYRENSIS XI.

Patria Ragusinus, cognomento Mentius, ex patritia familia, & ex Ordine Eremitarum S. Augustini. Anno circiter 1416. regimen Ecclesiæ utriusque suscepit, Anno 1420. cum Dalmatia, & insulæ fere omnes sub potestatem Venetorum rediissent, Corcyra Melæna quoque, voluntaria deditione, imperium Venetorum IX. Kalendas Maji recepit. Vix hujus insulæ possessio ad Venetos transierat, cum Nicolaus Episcopus de decimis peninsulæ Stagni litem redintegrare, & cum civibus suis contendere cœpit; neque enim pactis & conventis stare volebat, quæ Ragusini cum Joanne IV. Episcopo permissu Urbani VI. sæculo superiori fecerant; nec vero se pactione illa teneri ajebat; quippe tempus eidem a Pontifice præfinitum exierat, ut diserte additum est in Epistola Urbani VI. ad Tribunientem Episcopum: *Ut fructus*, inquit, *hujusmodi decimarum, usque AD VIGINTI NOVEM ANNOS a data præsentium computandos, prædictis Communi ad firmam concedere valeat* (Joannes Episcopus) *pro certa summa pecuniæ annuatim eidem Episcopo, vel successoribus suis, qui erunt pro tempore, persolvenda.* Quoniam vero Ragusini Corcyrensi Stagnensem Episcopatum conjunctum esse voluerant, æquum esse dicebat, Episcopum utriusque Ecclesiæ, insulæ & peninsulæ, decimas ex utraque exigere ac percipere. Itaque repudiata pensione annua centum aureorum, de qua inter Joannem IV. & Ragusinos convenerat, jus decimarum Stagnensium, quod Ragusini usurpabant, ad se revocabat. Rector, Consilium, Commune Ragusiensium, ut molestum Episcopi postulatum repellerent, Martinum V. per suos internuncios Romam missos, de sumptibus immensis docuerunt, quos jam fecerant, & porro, ac fere quotidie fieri oportuerat, & oportebat, tum pro insula illa acquirenda, & tuenda, tum pro Catholica fide ibidem, atque in Regno Bosinæ conservanda propagandaque; deinde Pontificem suppliciter orarunt, ut vellet juberetque, Nicolaum, ejusque successores annua illa pensione contentos esse; decimas vero Stagnenses ad gravia illa impensarum onera subeunda & ferenda Ragusinis pro sua sapientia & æquitate adjudicaret. Quot, & quantos in ejusdem peninsulæ acquisitionem, custodiam, defensionem, fideique Catholicæ utilitatem & propagationem sumptus impenderent, atque impendere debeant, singillatim commemorant. Se undique circumfusos esse & obsepios infensissimis Catholici nominis hostibus, hæreticis atque schismaticis, qui terra marique cives atque in-

Nicolaus II. Mentius Episc.

Item de Stagnensibus decimis redintegravit.

Ragusini Martinum V. appellant.

colas ditionis Raguſinæ divexant, alios cædunt, alios in ſervitutem abducunt, domos expilant, agros devaſtant; neceſſe ſibi eſſe multos alere milites, qui variis in locis, & præſidiis collocati, perpetuas excubias agant, hoſtiles incurſiones arceant, & repellant, indigenas a cædibus & maleficiis tueantur. Patribus Franciſcanis, qui apud Boſinenſes converſioni hæreticorum, & Chriſtianæ illarum gentium inſtitutioni aſſiduam operam navant, e communi ærario pecuniam, & ſubſidia ſine intermiſſione contribui & ſubmitti oportere, ne quid illis deſit, ſive ad vitam tolerandam, ſive ad ſacras ædes exſtruendas, vel reficiendas. Punctam, ſive peninſulam Stagni, quæ jam inde a ſæculo duodecimo ab antiqua erga Sedem Apoſtolicam obedientia deſciverat, quæque ab hæreticis & ſchiſmaticis frequentiſſime habitabatur, Civitati & territorio Raguſino adeo infeſtam fuiſſe, ut ſi qui tranſitus, vel itineris cauſſa, illuc propius accederent, eos inimiciſſimi homines, immani odio perciti, aut capiebant, aut ſpoliabant, aut injuriis & verberibus affectos, & male mulctatos dimittebant. Quocirca ſe neceſſitate compulſos fuiſſe, ut peninſulam quantolibet pretio emerent, & annuæ penſionis non exiguæ Banis Boſnæ olibus pendendæ obligatione ſe obſtringerent. Ut civitatem Stagni firmiſſimis mœnibus & propugnaculis, totamque peninſulam caſtellis ac præſidiis ubique communirent, nullis laboribus & ſumptibus peperciſſe. Ut vero incolas ab errore & ſchiſmate ad Catholicam veritatem, atque ad ſinum Eccleſiæ reducerent, domicilium in urbe, Calogeris ereptum, & novis ædificiis atque officinis neceſſariis auctum, Patribus Franciſcanis tradidiſſe; & Presbyteros vineæ Dominicæ cultores variis in locis collocaſſe, qui ex earum gentium animis pravas opiniones evellerent, omneſque ad recte credendum, Deumque colendum divinis præceptis erudirent: his vero evangelicis operariis, ad victum & veſtitum quæ ſunt neceſſaria, de publico ſuppeditari. Cum totam peninſulam aſſidua & diligenti cultura perpurgaſſent, & erroribus radicitus extirpatis, Religio Catholica ubique floreret, tum ipſe Stephanus Banus, de quo peninſulam ſub obligatione annui tributi emerant, tum Rex Raſciæ, ideſt Stephanus Duſcianus, qui titulum Imperatoris ſumpſerat, tum hujus filius Vroſcius, inſtigatione ſchiſmaticorum & hæreticorum incrementis rei Catholicæ invidentium, horumque aſſiduis querelis impulſi, id moliri, conarique non deſtiterant, ut vi atque armis Stagnenſem peninſulam in poteſtatem redigerent; & illuc, expulſis Latinorum ſacris, ritus Græcorum, erroreſque priſtinos reveherent. Cum Regnum Raſcianum Turcæ occupaſſent, ab hac quidem parte ſecuri eſſe tutique ab ſchiſmaticis & hæreticis videbantur; ſed eodem nunc ſpectare illos ajebant, qui ſucceſſerant in Boſnenſem principatum, eadem, atque deceſſores, opinionum pravitate infecti; videlicet Tuartkus cognomento Scurus, & Stephanus Oſtricus, qui poſt Oſtojam Chriſtichium exactum, Regnum Boſinæ inter ſe partiti fuerant. Ab his aliiſque Dynaſtis finitimis vel hæreticis, vel ſchiſmaticis periculum erat, ne lembis armatis furtim tranſvecti, & peninſulam ex inſidiis adorti ſubjugarent. Quare ad locum illum præſidiis, excubiis, armis muniendum, magnis ſumptibus opus eſſe ajebant. Videat igitur pro ſua ſapientia Pontifex, atque ſecum ipſe ſtatuat, quam ſit rationi & æquitati conſentaneum, decimas e fructibus territorii Stagnenſibus, & navalibus operibus perceptas, in commune ærarium inferri, atque in defenſionem peninſulæ, & Chriſtianæ religionis impendi. Æqua viſa eſt poſtulatio. Pontifex tamen, ne quid temere & inconſulte concederet, quod poſtea negatum vellet, Cœnobiarchæ Monaſterii Lacromenſis per litteras mandavit, ut de his, quæ petebant Raguſini, accurate cognoſceret, ac rationum momenta in utramque partem perpenderet; & ſi poſtulata Raguſienſium veritate nixa eſſe comperiſſet, his decimas Stagnenſes adjudicaret; Nicolaum vero Epiſcopum, ejuſque ſucceſſores, annua centum aureorum penſione contentos eſſe juberet. Epiſtola Martini V. ad Abbatem Lacromenſem hæc eſt.

Pontificem rogant, ut decimas Stagnenſes ſibi colligere permittat.

Martinus Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilecto Filio ..... Abbati Monaſterii de Lacroma prope Raguſium ſal. & Apoſtol. benedictionem. Juſtis & honeſtis ſupplicum votis, illis præſertim, per quæ fides Catholica non ſolum defenditur adverſus hoſtes nominis Jeſu Chriſti, ſed per ſanam doctrinam, & ſalubria documenta Evangelizantium Verbum Dei, infidelium quoque converſionem ad Dominum in barbarorum non credentium regionibus dilatatur, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Sane pro parte dilectorum filiorum Rectoris, Conſilii, & Univerſitatis civitatis Raguſinæ, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim ipſi provide attendentes, & conſiderantes, quod præfata eorum civitas terris, & locis ſchiſmaticorum, & infidelium, qui in ſanguinem Chriſtianorum continuo debacchantur, eiſque & eorum bonis perſecutiones, ac injurias inferunt, & jacturas, nimium vicina exiſteret; quodque propterea eis, & aliis ad civitatem ipſam, & partes finitimas pro tempore declinantibus, diſcurrendo, prædando, & ſpoliando, varias perſecutiones, & moleſtias inferebant; intendentes ſe quantum in eis erat, ab hujuſmodi vexationibus liberare, & ad ipſorum infidelium temeritatem, furorem, & rabiem comprimendum incumbere, multis expenſarum profluviis, diverſiſque viis & modis ſalutaribus, mediantibus etiam dilectis filiis Fratribus ordinis Minorum de Vicaria Boſnæ, in illis partibus reſidentibus, qui per Evangelicæ doctrinæ prædicationis miniſterium ad fidem Chriſti, & divinæ majeſtatis obſequia eoſdem infideles in viam ſalutis æternæ dirigunt, & convertunt: quibus etiam iidem Rectores, & Conſilium, & Univerſitas, ut ferventius inſiſtant tam fructuoſis operibus, de publico alimenta tribuunt, & miniſtrant, pluraque loca, ac Eccleſias pro ipſorum uſu ac habitatione, ac orthodoxæ fidei defenſione, & incremento, magnis ſumptibus, & laboribus conſtruxerunt, & etiam conceſſerunt; hujuſmodi infidelium loca eis propinqua ſibi ſubjici procurarunt, & procurant etiam de præſenti, nullis parcendo laboribus, vel impenſis; & licet poſt proviſionem hujuſmodi, præfati Rector, Conſilium, & Univerſitas ab olim quædam loca, unum inter cætera ex locis eiſdem, Ponta Stagni communiter nuncupatum, intra mare conſiſtentem, eidem civitati conterminum, & primitus nocivum, in quo infideles ipſi pro tempore commorantes, cives, habitatores, & incolas civitatis præfatæ, ejuſque territorii & diſtrictus, & alios eis ſubditos orthodoxæ fidei cultores, quoties verſus locum ipſum transfretantes, tranſitum facere contingebat, capiebant, & ſpoliabant, & variis afficiebant violentiis, injuriis, atque damnis, a Bano Boſnæ, ac Rege Raſciæ illius loci

Epiſtola Martini V. ad Cœnobiarcham Lacromenſem.

Ab hæreticis vel ſchiſmaticis, peninſulæ & fidei Catholicæ ingens periculum imminet.

tunc

Digitized by Google

tunc Dominis, non absque gravibus sumptibus, & sub certa annua responsione pecuniæ, quæ adhuc illis persolvitur annuatim, obtinuerant, & acquisiverant: in quo quidem loco præfati Rector, Consilium, & Universitas, quemdam locum pro usu & habitatione dictorum Fratrum cum Ecclesia, campana, campanili, cæmiterio, & aliis necessariis officinis, & successive alias Ecclesias pro Presbyteris sæcularibus, ibidem pro tempore in divinis Domino servituris, de licentia Sedis Apostolicæ construxerunt, seu construi fecerunt; ut tam Fratres, quam Presbyteri hujusmodi infideles ipsos, & alios incolas dicti loci ejusdem doctrinæ præcepta docerent, & imbuerent salutaribus documentis, omnemque hæresim & perfidiam de eorum mentibus extirparent: sicut patuit successive per operis evidentiam, quod infideles ejusdem loci, splendore supernæ gratiæ illustrati, paulatim ad fidem Catholicam sunt conversi. Postmodum vero cum Rex, & Banus præfati, ac successores eorum videntes in dicto loco Ponta Stagni, fidem Christi consurgere, & infideles converti, de concessione hujusmodi condolentes, locum ipsum impugnare, & recuperare molirentur, præfati Rector, Consilium, & Universitas, ibidem mœnia & murorum ædificia cum necessariis fortalitiis, pro dicti loci tutelâ, & custodia contra infideles eosdem fundarunt, & construxerunt, gravibus quamvis laboribus, & expensis; quas etiam pro hujusmodi custodia eos sedulo oportet de necessitate subire, ne forte infideles ipsi navali adjuti præsidio, ex insidiis prodeuntes, ac locum ipsum carentem custodibus occupantes, quos inibi ex fidelibus invenirent, immaniter trucidarent. Verum sicut eadem petitio subjungebat, quia post acquisitionem dicti loci Ponza Stagni per eosdem Rectorem, Consilium, & Universitatem, tantis laboribus, & expensis pro pace fidelium, & augmento fidei, ut præfertur, factam, Venerabilis frater noster Nicolaus, & alii prædecessores sui, qui fuerunt pro tempore Episcopi Curzolenses, alias Stagnenses, asserentes ratione jurisdictionis episcopalis sedis Curzolensis decimas, quarum fructus, reditus & proventus pro majori parte in navalibus operibus, quæ per Ragusinos cives ibidem fiunt pro tempore, consistere dignoscuntur, ex dicto loco sibi deberi, licet locus ipse, qui jam per trecentos annos extra obedientiam & devotionem Romanæ Ecclesiæ permansit, nulla Episcopi, & prædecessorum suorum præfatorum industria, opere, diligentia, vel labore ad fidem redierit orthodoxam, ab eisdem Rectore, Consilio, & Universitate hujusmodi decimas postulabat. Tandem ipsi veluti obedientiæ filii, volentes Ecclesiæ parere monitis & mandatis, de dictæ Sedis beneplacito, una cum præfatorum onerum supportatione pro hujusmodi decimis condecentem responsionem impendere, ratione decimarum hujusmodi censum centum ducatorum auri annuatim eidem Episcopo, in recognitionem jurisdictionis hujusmodi hactenus persolverint, prout de præsenti persolvunt: & nihilominus hujusmodi Fratribus & Presbyteris, sive rectoribus parochialibus Ecclesiarum, in dicto loco pro tempore divinis obsequiis mancipatis, alimenta & alia vitæ necessaria de bonis eis a Deo collatis sedulo tribuunt, & ministrant. Quare pro parte Rectoris, Consilii, & Universitatis præfatorum, asserentium, se pro acquisitione ejusdem loci, defensione quoque, & augmento fidei magna expensarum onera, & quamplurima gravamina subiisse, & continuo, ut præfertur, pro illius custodia, & tuitione subire; nobis fuit humiliter supplicatum, ut cis, quod futuris temporibus ad solvendum ratione dictarum decimarum præfato Episcopo, aut Administratori, seu Commendatario dictæ Curzolensis alias Stagnensis Ecclesiæ pro tempore existenti, vel cuicumque alteri personæ majorem censum dictorum centum ducatorum annis singulis minime teneantur, nec ad id inviti valeant coarctari, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur de præmissis certam notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus atque committimus, quatenus de præmissis omnibus, & singulis auctoritate nostra te diligenter informes, & si per informationem hujusmodi ea inveneris veritate fulciri, super quo tuam conscientiam oneramus, præfatis Rectori, Consilio, & Universitati, postquam ipsi præfatis Nicolao vel successoribus suis Episcopis Curzolensibus, qui erant pro tempore, decimam sive censum hujusmodi centum ducatorum auri in terminis & locis, de quibus tibi, & eidem Episcopo videbitur, anno quolibet efficaciter persolvissent, quod ad aliquid ultra dictos centum ducatos, ratione hujusmodi decimarum, dictis Episcopo seu Administratori vel Commendatario, aut cuicumque alteri personæ vicem Episcopi inibi gerenti, quomodolibet persolvendum minime teneantur, nec ad id a quopiam inviti, directe, vel indirecte valeant compelli, aut quomodolibet coarctari, auctoritate prædicta concedas; statuens ac decernens eosdem Rectorem, Consilium, & Universitatem perpetuis futuris temporibus, quamdiu hujusmodi censum centum ducatorum eisdem Nicolao, vel successoribus, aut cuicumque alteri personæ, vicem inibi Episcopi gerenti, realiter & pacifice persolverint annuatim, ut præfertur, a cujuscumque alterius majoris census solutione seu præstatione, ratione hujusmodi decimarum, ut præmittitur, in posterum facienda, esse & existere debere liberos pariter & immunes. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Dat. Florentiæ VI. Id. Maji, Pontif. nostri anno tertio, Æræ vulgaris 1420.

Tunc Cœnobio Lacromensi præsidebat Peregrinus, ad quem litteras Pontificias oratores & internuncii Ragusini detulerunt. Hic vero quod a Pontifice acceperat mandatum omni studio, ut par erat, & diligentia sibi exsequendum censuit. Pro potestate sibi tradita, & munere injuncto, citari jussit Nicolaum Episcopum, ut si quid haberet, quod contra diceret, ad ea responderet, quæ ad Martinum V. de Stagnensibus decimis delata fuerant, & in litteris Pontificiis continebantur. Quominus adesse posset, usus est excusatione valetudinis, & aliarum quibus distinebatur, occupationum. Misit igitur, qui suas partes ageret, Mascium Ciarlutii fratris vel sororis filium. Hic coram judice delegato constitutus, riteque interrogatus, nomine jussuque Nicolai Episcopi, quod Pontifex scripserat de Stagnensibus decimis commutandis cum annua solutione centum auerorum, approbavit ac laudavit; & in ipsis litteris, patrui, vel avunculi manu subscriptis, annuloque obsignatis, quæ procurationis Mascio traditæ fidem faciebant, diserte addita erat ipsius Episcopi assensio & approbatio. Cum neque Nicolaus, neque ejus procurator propositæ com-

Peregrinus Abbas Lacromensis ex mandato Pontificis quæstionem de decimis habuit.

mutationi contradicerent, quinimmo assentirent; tunc Peregrinus ex prescripto Pontificis quæstionem habere cœpit, & idoneos hujusmodi rerum testes, in judicium productos, diligenter interrogare, num quid veri, num quid falsi de rebus, in quibus quæstio versabatur, ad Pontificem delatum fuisset, in hujusque ad se litteris enunciatum. Omnia veritati consentanea esse cum reperisset, illorum testificationes jurejurando confirmatas, legendas tradidit Andreæ Archidiacono Ecclesiæ Corcyrensis, quem Nicolaus Episcopus, iterum in judicium vocatus, legitimæ procurationis litteris instructum, pro se miserat. Hic jussus cum esset dicere ac denunciare, si quid haberet, quod hujusmodi testificationibus & litteris Pontificiis opponeret atque objiceret, respondit neque se, neque Episcopum velle quidquam contradicere, aut scriptis Apostolicis repugnare. Itaque Peregrinus, Nicolao Episcopo, & ejus procuratoribus vel consentientibus, vel certe non dissentientibus, secundum postulata Rectoris, Senatus, Communis Ragusini hanc sententiam tulit; ut scilicet Nicolao ejusque successoribus pro decimis Stagnensibus aureos centum singulis annis, feriis Paschalibus, Ragusini de publico solverent; & nihil præterea sive Nicolaus, sive illius successores exigerent, aut peterent. Acta hujus quæstionis, & sententiam ab se prolatam Peregrinus in tabulas rite obsignatas, ac testium, qui aderant, chirographo subscriptas referri jussit: quæ quidem promulgata & cognita esse voluit Archiepiscopis, Episcopis, Vicariis Generalibus, Abbatibus, Archidiaconis, Capitulis, & Rectoribus Ecclesiarum; itemque Dynastis, & Magistratibus, & Gubernatoribus civitatum; quibus pro illa, qua præditus erat auctoritate Apostolica, imperavit, ut Rectori, Consilio, Communi Ragusino, ad sententiæ, quam secundum hos tulerat, effectum obtinendum, auxilium, si quod ab illis requisitum esset, & favorem præberent. Vetuit autem severissime, & pœnarum ecclesiasticarum comminatione interposita interdixit, ne quis cujuscumque ordinis ac dignitatis, contra quam ipse judicaverat, quoquo modo vel aperte vel occulte quidquam ageret vel moliretur.

& judicavit secundum postulata Regulicnsium.

Epistola Peregrini cum ejus Actis judicialibus.

Universis & singulis RR. in Christo Patribus & Dominis Dei gratia Archiepiscopis, Episcopis &c. Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Archidiaconis &c. nec non Illustribus Principibus, Dominis Ducibus &c. Peregrinus permissione divina Abbas Monasterii de Lacroma, Commissarius & Executor unicus ad infrascripta a Sede Apostolica specialiter deputatus, salutem in Domino, & præsentibus fidem indubiam adhibere, & mandatis nostris, seu verius Apostolicis obedire. Litteras Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Martini, divina providentia Papæ V. &c. nobis per Nobiles Viros Marinum Simonis de Restis, Andream Martoli de Volzo, & Ludovicum Marini de Gozzis Cives Ragus. Syndicos & Procuratores Magnificorum Virorum Dominorum Rectoris, Consilii, & Universitatis Civit. Ragus. &c. præsentatas, nos cum ea, qua decet reverentia, recepisse noveritis; quarum quidem litterarum tenor de verbo ad verbum sequitur, et est talis: Martinus Episcopus &c. Post litterarum Apostolicarum præsentationem, & receptionem, fuimus per Nob. Viros Syndicos &c. cum instantia debita requisiti, quatenus ad executionem dict. litt. Apost. & contentorum in eis procedere dignaremur juxta &c. Nos igitur Peregrinus Abbas Commissarius & Executor præfatus, volentes mandatum Apostolicum reverenter exequi, ut tenemur, vocato tamen prius, & citato, & requisito præfato Domino Nicolao Episcopo Curzolensi, de quo in supradictis litteris Apostolicis fit mentio, per certas nostras citatorias litteras per Radivum Miloslii Presbyterum Ragusinum &c. quatenus infra duos divisim & intermisse sibi competentes terminos præfixos, & assignatos, coram nobis ad informandum animum nostrum, & dicendum quidquid dicere vellet super contentis & narratis in dictis litteris Apostolicis, pro parte Rectoris, Consilii, Universitatis prædictorum, nec non ad videndum produci, recipi, jurare, & examinari testes super contentis, & narratis in præfatis litteris Apostolicis; nec non postquam de prædictis narratis nobis plane constiterit, ad conveniendum, & concordandum vobiscum, quibus in locis & terminis idem Dominus Episcopus dictum censum, sive decimam centum ducatorum auri, de quibus in dictis litteris Apostolicis fit mentio, voluerit, seu vellet sibi solvi; & alias recepturus in omnibus justitiæ complementum per se, vel Procuratorem suum deberet legitime comparere. Et deinde prædictus Dominus tam infirmitate, quam aliis legitimis, & justis impedimentis præpeditus, sicut nobis plene, & fide dignorum testimonio constabat, venire non valens, Mascium Ciarlutii, ut idem Episcopus asserebat, nepotem suum ad nos transmisit; qui Mascius coram nobis, cum quibusdam litteris præfati Episcopi credentialibus, suo magno sigillo Pontificali sigillatis, inter alia nepotitatem hujusmodi profitentibus, nobis datis in præfixo termino, vice & nomine dicti Domini Episcopi comparuit; & dictarum litterarum vigore, ex præfati Domini Episcopi parte, commissione, & mandato, ut ipse Mascius asseruit, nobis dixit, & retulit, quod ipse præfatus Dominus Episcopus de gratia hujusmodi decimæ, per eumdem Sanctissimum Dominum nostrum Papam, prædictis Dominis Rectori, Consilio, & Universitati facta, erat contentus, & contentissimus; petiitque, & dixit, ex præfati Episcopi parte, ut de ejus consensu statueremus, quod hujusmodi census, sive decima centum aureorum sibi solveretur, sicut hactenus in præteritum sibi solvi fuit consuetum, videlicet annuatim in festo Paschatis Dominicæ Resurrectionis. Insuper etiam præfato Domino Episcopo, ut præmittitur, iterum citato pro secunda vice, in præfixo ei termino, per se vel procuratorem suum legitimum minime comparente &c. Et quia per diligentem informationem hujusmodi, ex dictis & depositionibus nonnullorum testium fide dignorum, coram nobis pro parte dictorum Rectoris, Consilii & Universitat. Rag. productorum, receptorum, admissorum, juratorum, & fideliter examinatorum, invenimus, teste conscientia nostra, contenta in dictis litteris Apostolicis veritate fulciri; & deinde post ejusmodi examinationem testium, ut præmittitur, per nos factam, Venerabili Viro Domino Andrea quondam Michaelis, Archidiacono Ecclesiæ Curzolensis, Procuratore dicti Domini Episcopi, de cujus procurationis mandato nobis plane constabat, publico instrumento coram nobis vice & procuratorio nomine dicti Domini Episcopi, post lapsum dicti secundi termini, comparente; deindeque per eumdem Procuratorem visis, & diligenter lectis & examinatis depositionibus, & dictis, ac attestationibus testium, per nos, ut præmittitur, examinatorum, illorumque copia sibi data; monitoque postea præfato Procu-

ra-

Digitized by Google

vitare per nos judice, si contra depositiones, dicta, & attestationes hujusmodi testium volebat dicere, vel allegare, vel alias aliquid aliud dicere, seu objicere, opponere, seu reprobare, tam contra hujusmodi dicta, quam contra narrata & contenta in dictis litteris Apostolicis, ipsoque Procuratore hujusmodi depositionibus, dictis attestationibus in nullo se opponente, vel contra dicente; imo expresse, præsentibus infrascriptis testibus, dicente & respondente, pro parte, commissione, & mandato, ac vice & procuratorio nomine dicti Domini Episcopi, qui etiam hujusmodi dicta, depositiones, & attestationes testium prædictorum, ut idem Procurator asserit, viderat, legerat, & examinaverat, nolle aliquid dicere, contradicere, objicere, vel opponere; idcirco auctoritate Apostolica, nobis in hac parte commissa, de consensu, & voluntate dicti Reverendi Andreæ Archidiaconi, Procuratoris prædicti, vice & procuratorio nomine dicti Reverendi Patris in Christo D. Nicolai Episcopi Curzolensis, alias Stagnensis, statuimus & decernimus, quod præfati Domini Rector, Consilium, & Universitas Civit. Ragus. decimam sive censum centum ducatorum auri annuatim ipsi Domino Nicolao Episcopo Curzolen. alias Stagn., seu alteri Episcopo ejus successori pro tempore existenti, sive Administratori, vel Commendatario, aut cuicumque alteri personæ vicem Episcopi inibi gerenti, ratione jurisdictionis Episcopalis Sedis Curzolensis (in Stagnensem) de qua in dictis litteris Apostolicis fit mentio, videlicet in Paschate Dominicæ Resurrectionis, ac in Civitate Ragusii; prout hactenus eidem Domino Nicolao, & aliis prædecessoribus Episcopis Curzolensibus hujusmodi decimam, sive censum centum ducatorum auri, solvi fuit consuetum, persolvere teneantur. Et nihilominus eadem auctoritate Apostolica eisdem Dominis Rectori, Consilio, & Universitati concedimus, ac statuimus, & decernimus, quod postquam præfato Domino Nicolao Episcopo moderno, & successoribus suis Episcopis, qui erunt pro tempore, ut præmittitur, decimam, sive censum hujusmodi ducatorum auri, in termino, & loco prædictis, anno qualibet efficaciter persolverint, ad aliquid aliud, ultra centum dictos ducatos, ratione hujusmodi decimarum, dictis Dominis Episcopo, seu Administratori &c. quamodolibet persolvendum minime teneantur, nec ad id a quoquam inviti directe, vel indirecte valeant compelli, vel quomodolibet coarctari &c. Quæ omnia & singula, nec non dictas litteras Apostolicas, & hunc nostrum processum, ac in eis contenta vobis universis & singulis prædictis intimamus, insinuamus &c.

Acta sunt in Civitate Ragusii in logia Venerab. Virorum Dominorum Canonicorum Ecclesiæ Ragusinæ, præsentibus Venerabilibus & circumspectis Viris Dominis Matthæo de Ragnina &c. sub anno Domini 1422. *Indict. XV. die* XVII. *mensis Februarii, tempore Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri D. Martini, divina providentia Papæ V. Pontif. sui anno quinto.*

Post litteras Martini Florentiæ datas anno 1420. VI. Idus Maji, annus integer, & novem fere menses intercesserant, ante quam Peregrinus inquisitionem & quæstionem sibi delegatam absolveret, ac sententiam ferret, ut constat ex Epistola Peregrini ad universos Archiepiscopos &c. modo descripta, dataque *anno* 1422. die XVII. Februarii. Postquam Mascius Ciarlutii, & Andreas Archidiaconus Corcyrensis, quos Nicolaus Episcopus, in judicium vocatus cum esset, suos procuratores miserat, de Stagnensibus decimis, quæ Martinus scripserat, nomine ipsius Nicolai se approbare dixerant, aut certe nolle contradicere & repugnare; ipse tamen, mutata voluntate, illorum dicta & responsa retractasse, atque improbasse videtur; & Peregrini sententiæ, ejusque actis judicialibus apud Martinum per suas litteras vel internuncios reclamasse; atque id causæ fuisse arbitror, cur Martinus, quod prioribus litteris anni 1420. Peregrino mandatum dederat, alteris ad eum litteris revocaverit. Sed hæ serius, quam necesse erat, scriptæ fuerant; nam Peregrinus ante has posteriores litteras, quæ habebat a Pontifice, mandata confecerat; & prolata sententia, imperatæ quæstioni finem imposuerat. Id tamen valuere, ut vetuerint Peregrinum ultra progredi in mandatis Pontificiis exsequendis. Hæc est secunda Martini V. ad Peregrinum Epistola.

Nicolaus Episcopus Martinum V. appellavit.

Martinus Episcopus Servus Servorum Dei dilecto Filio Abbati Monasterii de Lacroma prope Ragusium sal. & Apost. bened. Romanus Pontifex nonnumquam commissa & injuncta per Apostolicam Sedem suspendit, prout rerum, temporum, & personarum qualitate pensata expediens esse cognoverit. Sane tuæ devotioni ad instantiam dilectorum filiorum Rectoris, Consilii, & Universitatis Civit. Ragusinæ, nobis humiliter supplicantium, per alias litteras commisisse, & mandasse meminimus, quatenus de expositis nobis pro parte dictorum Rectoris &c. in litteris ipsis comprehensis, te accuratissime informares, & si ea invenires veritate fulciri per informationem hujusmodi, super quo tuam conscientiam oneravimus, præfatis Rectori &c. (Iterum idem mandatum, superioribus litteris anni 1420. traditum, iisdem verbis explicat). *Nos igitur ex nonnullis, quæ ad aures nostras pervenerunt, & ex certis rationabilibus causis animum nostrum moventibus, easdem litteras, & nostra, & singula in eis comprehensa, ac commissionem & mandata hujusmodi, & quæcumque ab inde secuta, auctoritate Apostolica præsentium tenore suspendimus, tibi stricte horum serie præcipiendo, mandantes quatinus prædictis præmissis omnino supersedeas, nec ad ulteriora vigore dictarum litterarum quovis modo procedas; donec aliud a nobis habueris in mandatis, decernendo ex nunc irritum & inane, si secus per te, vel per alium quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, circa ea contigerit attemptari. Datum Romæ apud S. Petrum* IV. *Nonas Maji, Pontif. nostri anno V.* ideſt 1422.

Martinus mandatum Peregrino traditum revocat.

Postero die scripsit ad Blasium Archiepiscopum Jadertinum; de his, quæ super decimis Stagnensibus sibi a Ragusinis exposita fuerant, diligenter inquiri jubet; quid veri, aut quid falsi esse compererit, ad se rescribat, ut ipse, quod æquitas & justitia postulat, statuere ac decernere possit. Fortasse Nicolaus Episcopus, rejecto Peregrino, quem suspectum habebat, alium a Pontifice quæsitorem & judicem sibi æquiorem postulaverat per suum internuncium Andream Archidiaconum Ecclesiæ Corcyrensis, quem cum suis litteris Romam miserat.

Martinus idem mandatum Blasio Archiep. Jadertino dedit.

Martinus Episcopus Servus Servorum Dei Venerab. Fratri Blasio Archiepiscopo Jadren. salut. & Apost. bened. Justis & honestis supplicum votis annuimus, eaque quantum cum Deo possumus, favoribus prosequimur opportunis. Sane pro parte dilectorum Filiorum Rectoris &c. (Cætera omnia iisdem verbis commemorantur, quæ in prio-

Epistola Martini ad Archiep. Jadren.

tibus ad Peregrinum litteris expoſita fuerant; quæ ſequuntur paullulum diverſa ſunt.) *Nos igitur de præmiſſis certam notitiam non habentes, ac volentes in hac re cum matura conſultatione procedere, ne ultra debitum aliqua partium prægravetur, Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus, vocatis qui fuerint vocandi, de præmiſſis omnibus & ſingulis, & eorum circumſtantiis, & præſertim ad quantam ſummam quolibet anno hujuſmodi decimæ communiter aſcenderint, ac quot expenſas prædictos Rectorem, Conſilium, & Univerſitatem pro cuſtodia & tuitione dicti loci, & aliis occurrentibus, ſubire ſingulis annis oporteret; & ſi prædictis Eccleſiæ, & Epiſcopo faceret hujuſmodi decimas, pro cenſu anno dicto, Raguſinis concedere, vel pro ſe & Eccleſia retinere; ac omnibus conſideratis, quantus cenſus pro hujuſmodi decimis anno quolibet pro utraque parte eſſet conveniens; & de aliis omnibus, quæ ad prædicta pro veritate habenda ſpectare noſcuntur, te diligenter informes; ac ea, quæ per informationem hujuſmodi te reperiſſe contigerit, nobis per tuas patentes litteras, manu publica conſcriptas, tuo ſigillo munitas, harum ſeriem continentes, quantocius referre & intimare procures; ut per hujuſmodi relationem ſuper præmiſſis ſufficienter inſtructi, in prædictis ad quod debitum & juſtum ſit, conſulte procedere valeamus. Datum Romæ apud S. Petrum tertio Nonas Maji, Pontificatus noſtri anno V.* id. 1422.

Has litteras ad Blaſium detulit Andreas Archiaconus Eccleſiæ Corcyrenſis. Neſcio quid cauſſæ interceſſerit, cur executionem mandati Pontificii in menſem Octobrem diſtulerit. Interea Pontifex acta ſeriemque totius quæſtionis, a Peregrino habitæ ſuper negotio decimarum Stagnenſium, ad ſe tranſmiſſa, ab Jordano Epiſcopo Albanenſi examinari, ac ad juris normam, & diſciplinæ judicialis præcepta perpendi juſſit. Hic omnia diligentiſſime legit, recognovit, ad trutinam æquitatis ac juſtitiæ expendit; & poſt accuratam conſiderationem approbavit, laudavit, legitima eſſe judicavit, præſertim cum reperiſſet ipſummet Nicolaum per ſuos Procuratores illis omnibus aſſenſum fuiſſe.

Cum Raguſii cognitum eſſet, Nicolaum Epiſcopum ab actis & ſententia Peregrini Abbatis ad Sedem Apoſtolicam appellaſſe, Nicolaus de Pozza Rector Civitatis, convocato Senatu, de communi omnium conſilio, quatuor Oratores ſive internuncios conſtituit, qui Romam profecti coram Summo Pontifice, vel quibuſcumque judicibus ſive Cardinalibus, ſive Præſulibus Curiæ Romanæ, cauſſam Raguſinæ Civitatis agerent, ac defenderent adverſus Nicolaum Epiſcopum Corcyrenſem, & Stagnenſem; illis ampliſſimam poteſtatem largiuntur nullis limitibus circumſcriptam, omnia tentandi, moliendi, agendi, quæ ad cauſſam obtinendam expedire viderentur; contraria argumenta diluerent, adverſarii levitatem coarguerent, poſtulati Raguſienſis æquitatem oſtenderent, & diſputando, orando, obſecrando, nihil intentatum relinquerent, omninoque efficerent, ut Pontifex, de commutandis decimis Stagnenſibus cum annua ſolutione centum aureorum, quod Peregrinus decreverat, ipſe ſuprema & irrevocabili auctoritate confirmaret.

Quatuor Oratores Romam miſſi, ut contra Nicolaum Epiſcopum cauſſam Raguſinam defendant.

In Chriſti Nomine Amen. Anno Nativit. ejuſdem 1422. *Indict.* 15. *die tertia menſis Septemb. Actum in Civitate Raguſii in loco, in quo minus Conſilium congregatur, præſentibus teſtibus, viris circumſpectis, Baptiſta Domini Joannis Cimmaſtelli de Firmo, & Thoma Bertholomæi de Prato, ambobus Cancellariis Communis Raguſii, & aliis teſtibus ad infraſcripta vocatis & rogatis; ibique vir nobilis & ſapiens Dominus Nicolaus quondam Petri de Pozza, honorabilis Rector Communis Raguſii, cum ſuo parvo Conſilio, & cum Conſilio Rogatorum, ad ſonum campanæ, loco & more ſolitis, ad plenum & ſufficientem numerum congregatis, nomine & vice dictæ Civit. Raguſii, & pro ipſa Civitate Raguſii, fecit, creavit, conſtituit & ordinavit, dicti Communis & Civit. Raguſii veros & legitimos Syndicos, & Procuratores, actores, factores, & certos nuncios ſpeciales, & quidquid aliud melius, & convenientius dici, & eſſe poſſunt; Religioſum & Vener. virum F. Laurentium de Menze Ord. Min. & Dominum Andream Matthæi de Drincaſio, civer Raguſii præſentes, & acceptantes; & conſpicuos, & egregios Dominos Dominum Guillelmum de Callio, & Dominum Petrum de Ortimbergh, ſcriptores Apoſtolicos, licet abſentes, ſed tamquam præſentes & acceptantes &c. pro cauſa decimæ Puntæ Stagni, & pro gratia ſuperinde per ipſos habenda a Sede Apoſtolica, ad componendum, & ſe ipſorum nomine præſentandum, & repræſentandum in Curia Romana ſemel & pluries, & quoties eiſdem Syndicis, & Procuratoribus placuerit coram Sanctiſſimo Domino noſtro Papa, ubicumque ſe Curia reperiret, ejuſque Cardinalibus, Protonotariis, Auditoribus, Judicibus, & quibuſcumque aliis officiis, & officialibus Romanæ Curiæ delegatis, vel ſubdelegatis, ordinariis, vel extraordinariis, præſentibus & futuris, contra Dominum Epiſcopum Corzulæ, vel ejus Procuratorem, vel aliam quamcumque perſonam, quæ contra prædictam gratiam decimæ Puntæ Stagni, pro revocanda, vel retrahenda aliqualiter moliretur. Ad agendum, cauſandum, petendum, & defendendum, replicandum & triplicandum, litem vel lites conteſtandum &c. Item ad ſupplicandum, & ſupplicationes porrigendum circa prædicta coram Sanctiſſimo Domino noſtro Papa, & in ipſis ſupplicationibus inſiſtendum, & proſequendum, & quaslibet circa prædicta Bullas, & gratias impetrandum, & compleri & bullari faciendum, & confirmari ſecundum uſum & conſuetudinem Curiæ Romanæ; & quamcumque gratiam & ſupplicationem dicti Domini Nicolai Epiſcopi Curzolenſis ſignatam, & non ſignatam, arreſtatam aut ſuſpenſam, vel non, arreſtari, ſuſpendi, & retractari, ſeu revocari petendum, & faciendum &c.* Cætera, quæ ſequuntur, pertinent ad magis magiſque explicandam & augendam poteſtatem ampliſſimam, quam ſuis Procuratoribus & internunciis tradebant.

Decretum Raguſinum.

Blaſius Archiepiſcopus Jadertinus, quinto fere menſe poſt litteras a Martino V. miſſas, & acceptas, mandatum Pontificium exequendum ſuſcepit. Quid ſibi a Pontifice imperatum fuerit, Rectori, Conſilio, & Communi Raguſino per ſuas litteras denunciavit, in quas inſcriptam ſibi Martini Epiſtolam incluſit. Diem illis edixit ad comparendum vel per ſe, vel per ſuos Procuratores in Curia Archiepiſcopali, ut ad ea reſponderent, quæ Nicolaus Epiſcopus, vel ejus Procurator pro vendicandis ſibi decimis Stagnenſibus dicturus eſſet; niſi paruerint, lege in eos, cumquam contumaces, ſibi agendum fore.

Blaſius Archiep. Jadrenſis Rectorem & Senatum ad ſuam Curiam ex formula juridica citat.

Blaſius miſeratione divina Jadren. Archiepiſcopus, judex unicus, & exequutor ad infraſcripta

a Se-

a Sede Apoſtolica deputatus magnificis viris, Rectori, Conſilio, & Univerſitati Civitatis Raguſii ſalutem in Domino, & perpetuum gaudium. Noveritis nos a Sanctiſſimo Domino noſtro Domino Martino quinto ſuſcepiſſe litteras Apoſtolicas, bulla plumbea ad cordulam cunapis affixa more Romanæ Curiæ, ſanas & integras, non vitiatas, non cancellatas, non abraſas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas; ſed omni prorſus vitio, falſitate, & ſuſpicione carentes; quas cum omni debita ſuſcepimus reverentia, mandatum tale continentes, videlicet; Martinus &c. ut ſupra. *Poſtque omnia & ſingula, per venerabilem virum Andream Archidiaconum Curzolenſem, qui nobis præfatas litteras Apoſtolicas præſentavit, & dedit, nos accuratiſſime requirendo, ut juxta earum continentiam in præfato negotio procedere dignaremur. Nos igitur Blaſius antedictus, volentes mandatum Apoſtolicum exequi reverenter, vobis auctoritate, qua fungimur, mandamus, quatenus per vos, vel reſponſalem idoneum, decima octava die poſt receptionem præſentium, quem terminum vobis, pro duobus edictis, & tertio, peremptorie aſſignamus, apud Archiepiſcopatum noſtrum Jadrenſem, noſtro conſpectui repræſentetis, vel repræſentet, dicto Domino Epiſcopo Curzolenſi, vel ejus Procuratori, ſeu Syndico, ſuo nomine, vel ejus Eccleſiæ reſponſuri, vel reſponſurus: alioquin, prout ordo juris exigit, in cauſa procedemus, veſtra contumacia, vel ejus non obſtante. Quod ſi prædictus terminus in diem caderet non feriatam vobis, vel ſibi; pro peremtorio termino . . . . . aſſignamus. Et ut de præſentatione harum nulla poſſit oriri dubietas, vobis per hunc noſtrum præſentem nunçium Georgium dictum Zubinam, quem ad hoc ſpecialiter deputamus, juſſimus illas præſentari, cujus relationi plenam præſtabitis fidem; ad quorum uberiorem credulitatem, in actis Curiæ noſtræ regiſtrari fecimus, noſtroque ſigillo, quo in Eccleſia Polenſi, (ex qua ad Judertinam translatus fuerat), utebamur, juſſimus cammuniri. Dat. Jadræ die 8. Menſis Octobris 1422. Indict. 15. Pontif. ejuſdem Domini noſtri anno ſupra ſcripto.*

Mandato & edicto Archiepiſcopi Jadrenſis, quod ſane imperioſius, aut certe minus honorificum videbatur eſſe, quam majeſtas Imperii, & dignitas Reipubliçæ requirebat, a Rectore Civitatis, Senatu, & Communi Raguſino reclamatum eſt, ac de omnium ſententia ad Martinum V. & Sedem Apoſtolicam appellatum fuit. Huic edicto multa queribundi objiciunt: decimas Stagnenſes ſibi adjudicatas fuiſſe, & cum annua ſolutione centum aureorum commutatas a Peregrino Abbate Lacromenſi, Judice legitimo ab Sede Apoſtolica delegato; ſententiæ ab hoc prolatæ ne mentionem quidem, quam tamen fieri oportebat, factam eſſe in litteris Apoſtolicis, quas Blaſius ſuis litteris inſeruerat. Mirari ſe, quod Nicolaus Epiſcopus Corcyrenſis, & Stagnenſis, cum commutationem illam coram Peregrino per ſuos Procuratores laudaverit, approbaverit, receperit, deinde eamdem repudiet, ac reſpuat; quod ſibi perſonam actoris affingat, & loco reorum haberi velit Raguſinos, quos ab Jadrenſi Archiepiſcopo in judicium vocandos curavit; nec vero ſe intelligere, quomodo cognitio hujus cauſſæ delegari potuerit eidem Archiepiſcopo, cum per Villelmum de Callio ad Curiam Romanam delata fuerit; & Pontifice annuente, vel jubente, litem illam cognoſcendam & dijudicandam ſuſceperit Joannes de Thomaſiis, Auditor cauſarum ſacri Palatii; ſibi ſuſpectas eſſe litteras Martini V. ad Archiepiſcopum Jadertinum; neque hunc ab ſe haberi poſſe & agnoſci tamquam legitimum Judicem a Sede Apoſtolica conſtitutum, cui parere debeant; & ſi talis etiam eſſet, qualem ſe ipſe nominat, non potuiſſe tamen eos ad ſuam Curiam & tribunal evocare; qui non unius, ſed plurium dierum itinere a finibus diſtant Diœceſis Jadertinæ; id ſiquidem diſertiſſime vetant Sanctiones Apoſtolicæ.

Ab Edicto Archiep. Jadren. Raguſini ad Martinum V. appellant.

In Chriſti Nomine Amen. Anno Nativitatis ejuſdem 1422. *Indict.* 15. *die ſeptimo menſis Novembris, actum Raguſii in loco ſolita audientiæ Domini Rectoris, & Conſilii, præſentibus teſtibus infraſcriptis. Cum die 4. præſentis menſ. Novembris per Georgium dictum Zubinam, aſſertum nuncium Domini Archiepiſcopi Jadren. præſentata fuerit nobis, Rectori, & parvo Conſilio Civit. Raguſii quædam littera citatoria, ex parte dicti Archiepiſcopi Jadren. vigore commiſſionis, ut aſſeritur, ſibi facta per Sedem Apoſtolicam, cujus citatoriæ tenor per omnia ſequitur: Blaſius miſer. divina* (ut ſupra). *Nos vero Lampre de Sorgo* (hic ſiquidem in Præturam Civitatis Nicolao de Pozza ſucceſſerat) *Rector prædictus cum noſtro parvo Conſilio, & Univerſitate dicta Civitatis Raguſii, viſa citatione prædicta, conſideramus, & memoramus, quod olim de tota continentia prædictæ citationis, & commiſſionis, ut aſſeritur, emanatæ a Sede Apoſtolica, facta fuit ſupplicatio coram Sanctiſſimo Domino noſtro Papa pro parte noſtra; & per ipſum Sanctiſſimum Dominum noſtrum Papam dicta cauſa commiſſa fuit Ven. viro Domino Abbati Lacromenſi, per quem ipſum Dominum Abbatem, vigore dictæ commiſſionis, vocatis vocandis, & obſervatis omnibus & ſingulis obſervandis in ſimilibus, & de conſcientia, & aſſenſu dicti Domini Epiſcopi Curzolenſis, & in nihilo juris & mandati prædicti ordine prætermiſſo, determinatum, & declaratum fuit, quod ſi nos Rector prædictus, cum parvo noſtro Conſilio, et Univerſitate Raguſii ſolveremus annuatim in feſto Paſchatis Reſurrectionis Domini, prout et idem ipſe Epiſcopus, per ſuum nuncium, conſenſit, ducatos auri centum pro decima Stagni, et Punctæ, eidem Domino Epiſcopo, vel ſucceſſori, vel alii ejus vicem gerenti; in nihilo ulterius cogi poſſimus occaſione dictarum decimarum, prout latius continetur in determinatione prædicta; de qua commiſſione facta eidem Domino Abbati Lacromenſi, et proceſſu et determinatione exinde per eum factis et executis, in ipſis aſſertis Apoſtolicis litteris, quas idem Dominus Archiepiſcopus aſſerit ſe recepiſſe, nulla mentio facta eſt. Admiramur ideo nos Rector prædictus cum parvo Conſilio, et Univerſitate Raguſii, quod dictus Dominus Epiſcopus Curzulæ retractare conetur, quod ſibi ſemel placuerit; et maxime quod coram Domino Archiepiſcopo Jadren. tamquam Judice delegato, dicta citatio facta eſt, tamquam ſi ipſe Epiſcopus Curzulæ eſſet actor, & nos rei, quod minime videtur injunctum Domino ſupradicto Archiepiſcopo Jadren. per litteras aſſertas Apoſtolicas, in ipſa illa citatoria regiſtratas, quas ipſe Dominus Archiepiſcopus aſſerit accepiſſe; & etiam maxime cum illa ipſa cauſſa commiſſa fuerit decidenda in Romana Curia Domino Joanni de Thomaſiis de Bononia Decretorum Doctori egregio ſacri Palatii cauſarum Auditori; & ſuperinde citatus ſit idem Dominus Epiſcopus Corzulenſis, & inhibitum ſit ad partes, ne ad ul-*

teriora procedatur; ut patet per Bullas publicas, a Rom. Curia emanatas. Quare nos prædictus Rector cum parvo Consilio, & Universitate Ragusii, sentientes in prædictis nos nomine Rectoratus, & dictam Universitatem gravari, timentesque in posterum magis gravari; maxime cum idem Dominus Archiepiscopus Jadren. se ingerat ad causam, tamquam judex delegatus, cum in veritate non sit, & faciat per citationem prædictam nos tamquam reos, & Dominum Episcopum Corzulæ tamquam actorem, de qua re libertatem aut commissionem non habet, per litteras assertas Apostolicas supradictas; & etiamsi esset judex delegatus, quod tamen negamus, non posset trahere partem extra suam diœcesim ultra unam dietam, cum Jadra a finibus hujus diœcesis, & etiam ab Episcopatu ipso Corzulæ sive Stagni pluribus diebus distet, quod esset expresse contrà constitutiones Apostolicas. Ideo coram infrascripto Notario publico, tamquam publica persona, & testibus infrascriptis, a prædicta citatione, & omnibus in ea contentis & secutis per dictum Dominum Archiep. Jadren. & a dicto gravamine, in his scriptis appellamus ad Sanctissimum Dominum nostrum Martinum Papam V. & ad ejus Sedem Apostolicam; nos, & nostra, ac Universitatis prædictæ jura Sanctitati & protectioni ejus submittimus; protestantes quod præcedente hujusmodi appellatione, nihil per eum, aut aliquem ejus nomine debeat innovari. Et petimus instanter, instantius & instantissime ..... atque protestantes de omnibus damnis, expensis &c. Rogamus quoque Notarium infrascriptum de prædictis publicum conficere instrumentum &c.

Martinus V. sententiam Peregrini Abbatis secundum Ragusinos confirmat.

Reclamatio, & appellatio Rectoris, Consilii & Communis Ragusini valuit apud Martinum Pontificem; præsertim cum quatuor illi oratores, quos tertio Nonas Septembris Romam miserant, illorum postulata, & causam Ragusinam egregie Pontifici probassent. Itaque Martinus sententiam, quam Abbas Lacromensis secundum Ragusinos tulerat, auctoritate Apostolica confirmavit; Nicolaum Corcyrensem & Stagnensem Episcopum aureis centum annuis contentum esse jussit; decimas Stagnenses Ragusinis adjudicavit.

Decretum Pontificis.

Martinus Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Sinceræ devotionis affectus, quem dilecti filii Rector, Consilium, & Universitas Civitatis Ragusin. ad nos, & Sedem Apostolicam habere noscuntur, non indigne meretur, ut ea, quæ a nobis digne postulant, & alias rationabiliter processerunt, Apostolico munimine roboremus. Dudum siquidem pro parte dictorum Rectoris, Consilii, & Universitatis, nobis exposito, quod olim ipsi provide attendentes, & considerantes, quod præfata eorum Civitas terris & locis schismaticorum, & infidelium &c. (ut in Epistola Martini V. ad Cœnobiarcham Lacromensem.) *Nos de præmissis certam notitiam non habentes &c. dilecto filio Abbati Monasterii de Lacroma prope Ragusium, ejus proprio nomine non expresso, nostris dedimus in mandatis, quatenus si ita esset, præfatis Rectori, Consilio, & Universitati, postquam ipsi præfatis Nicolao &c.* (ut in Epistola modo laudata). *Successive vero, sicut exhibita nobis nuper pro parte Rectoris, Consilii, & Universitatis præfatorum petitio continebat, dilectus filius Pelegrinus modernus Abbas dicti Monasterii ad executionem dictarum litterarum, juxta ipsarum continentiam atque formam rite procedens, vocato dicto Nicolao Episcopo, qui in ea parte fuerat evocandus, per diligentem informationem, super his habitam, præmissa omnia, prout superius sunt expressa, vera invenit; & nihil pro parte ejusdem Episcopi legitime* (non per se, sed per Mascium fratris, vel sororis suæ filium) *comparentis, in contrarium, & quod executionem hujusmodi impediret, allegatum aut objectum exiteris, quin immo in præsenti executione per dilectum filium Andream Archidiaconum dictæ Ecclesiæ Curzolensis, Procuratorem suum ad id specialiter constitutum, expresse consenserat; auctoritate prædicta, ac de consensu & voluntate præfati Episcopi in ea parte concurrentibus, statuit, & decrevit, quod ipsi Rector, Consilium, & Universitas decimam sive censum centum ducatorum auri annuatim ipsi Nicolao, sive alteri Episcopo Curzolen. &c.* (hanc sententiam Peregrini habes in ejus actis, & alibi iisdem verbis expressam). *Quare pro parte Rectoris, Consilii & Universitatis prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut constitutioni, & concessioni per ipsum Abbatem in præmissis factis, ac instrumento prædicto pro ipsorum subsistentia robur Apostolicæ confirmationis adjicere dignaremur. Nos igitur .... intendentes de omnibus, sicut præfertur, gestis certius informari, præmissa per Ven. Fratrem nostrum Jordanum Episcopum Albanensem examinari fecimus diligenter; qui omnibus diligenter recensitis, prout postea nobis retulit oraculo vivæ vocis, cognovit præmissa per ipsum Abbatem sic gesta & executa rite, & rationabiliter; cupientes ut ipsorum Rect. & Cons. & Univer. devotio erga nos, & Rom. Ecclesiam eo ferventius augeatur, quo ampliori ejusdem Sedis privilegio se noverint communitos, hujusmodi supplicationibus inclinati, constitutionem, concessionem & instrumentum prædicta, ac omnia in eis contenta, & quæcumque inde secuta, rata habentes, & grata, ea auctoritate Apostolica ex certa scientia confirmamus, & præsentis scripti præsidio communimus, ac supplemus illos defectus, si qui ob solemnitates omissas, quæ a jure in talibus requiruntur, intercesserint &c. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis &c. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem XII. Kal. Decemb. Pontific. nostri anno quinto.*

Martinus revocat mandata quæ dederat Peregrino secundis litteris.

Ab his litteris Martini mensis unus, & aliquot intercesserant, cum idem Pontifex tertias ad Peregrinum litteras dedit: Acta quæstionis, quam de decimis Stagnensibus habuerat, ab Jordano Episcopo Albanensi recognita & approbata, & sententiam, quam Peregrinus secundum Ragusinos pronunciaverat, laudavit & confirmavit. Quod ipse decreverat, exsequendum curaret; si quid contra atque ipse judicarat, Episcopus Corcyrensis moliretur, Ragusinos defenderet, eosque in firma & stabili decimarum Stagnensium possessione retineret; modo Episcopis Corcyræ & Stagni centenos singulis annis aureos persolverent. Secundas litteras, quibus illum ab instituta quæstione persequenda, & sententia ferenda supersedere jusserat, revocavit, atque irritas fecit.

Epistola tertia Martini ad Peregrinum.

Martinus Episcopus Servus Servorum Dei dilecto filio Abbati Monasterii de Lacroma prope Ragusium salutem & Apost. bened. Dudum siquidem pro parte dilectorum filiorum Rectoris, Consil. Univers. Civit. Ragus. nobis exposito, quod ipsi pro acquisitione loci Punctæ Stagni &c. (ut in aliis litteris supra descriptis.) *Postmodum vero cupientes super facto dictarum decimarum ejusdem*

Digitized by Google

dem loci, & de processu super præmissis per te habito, & formato, habere notitiam pleniorem, Ven. Fratri nostro Jordano Episcopo Albanensi commisimus oraculo vivæ vocis, ut super præmissis inquireret diligentius veritatem; & quia dictus Jordanus Episcopus, prout nobis postea retulit viva voce, viso & examinato diligenter processu hujusmodi, per te, ut præfertur, habito, & formato, in cujus executione Ven. Fratris nostri Nicolai moderni Episcopi Curzolen. fuit consensus adhibitus, cognovit omnia per te circa hujusmodi negotium decimarum gesta, & executa, rite & rationabiliter processisse; contentamur & volumus, ac mandamus, ut dicto illo tuo processu in suo pristino vigore, & robore permanente, ad executionem primarum litterarum nostrarum, si forsan in eis aliquid exequendum restaret, ipsorumque Rect. Consil. Universit. defensionem a quolibet, qui eos ad formam, & tenorem dicti processus super hujusmodi decimis tam ejusdem loci, quam etiam Stagni, ubi ipsa mœnia, ac fortalitia constructa sunt, & gravibus sumptibus &c. molestare præsumerent; perinde procedas, eosque tuearis, atque defendas, ac si aliæ nostræ litteræ de supersedendo, & suspendendo commissionem & mandatum tibi primitus per nos facta, tibi directæ nullatenus fuissent; quas, & alias nostras litteras super informatione hujusmodi decimarum directas Ven. Fratri nostro Archiepiscopo Jadrensi, cui super hac materia simili modo scribimus, nullius esse decernimus firmitatis, roboris, atque momenti. Dat. Romæ apud S. Petrum VI. Kal. Januarii, Pontific. nostri anno sexto, idest 1422.

Litteras itidem Blasio Archiep. datas revocavit.

In eamdem fere sententiam & eodem die scripsit ad Blasium Archiep. Jadrensem; & quod dederat prioribus litteris mandatum super negotio decimarum, rescidit atque abrogavit, vetuitque ultra progredi, seque illi controversiæ immiscere; ne denegaret tamen consilium & auxilium Ragusinis, si quod forte ab eo ad jus suum obtinendum, tuendumque expeterent.

Martinus Episcopus Servus Servorum Dei Ven. Fratri Archiepiscopo Jadren. salutem & Apostolicam benedictionem. Dudum siquidem pro parte dilectorum filiorum Rect. Consil. Universit. Ragusi. nobis exposito &c. (ut supra in tertia ad Peregrinum epistola.) *Et deinde per alias litteras Fraternitati tuæ super hujusmodi materia commisimus, quatenus vocatis qui fuerint vocandi &c.* (ut in superioribus ad eumdem Archiepiscopum litteris.) *Postmodum vero cupientes super facto decimarum dictarum ejusdem loci, & de processu per eumdem Abbatem auctoritate nostra habito, & formato habere notitiam pleniorem, Ven. Fratri nostro Jordano Episcopo Albanensi &c.* (ut in tertia supra laudata ad Peregrinum epistola.) *Volumus & mandamus, quatenus de præmissis te nullatenus intromittas; sed potius ipsis Rectori, Consilio, & Universitati Ragusi. quoties pro ipsorum parte fueris requisitus, eis faveas & assistas; & si qua per te, vel per alios, ex tua commissione hactenus circa hujusmodi informationem gesta essent, ordinata, vel executa, casses, revoces, & annulles; quæ nos etiam pro cassis, & irritis volumus, & infectis, præmissis litteris circa hoc tibi directis, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. Dat. Romæ apud S. Petrum VI. Kal. Januarii, Pontific. nostri anno sexto.*

Ita demum sedata & direpta est controversia de decimis Stagnensibus, quæ inter Nicolaum Episcopum Corcyræ ac Stagni, & Senatum ac Civitatem Ragusii anno 1420. referbuerat, & duos fere annos multis utrinque contentionibus agitata fuit. Sententiæ & confirmationi Apostolicæ Nicolaus stare ac parere debuit; jus vero percipiendi decimas peninsulæ Stagnensis penes Rempublicam postea retentum est, cum onere solvendi Episcopo Stagnensi nummos aureos annis singulis centenos. Post quadriennium ab hac lite composita Nicolaus e vita migravit. Mors Nicolai Ep. Stagnen. & Corcyren.

Dum Nicolaus I. Ecclesiæ Stagnensi præsidebat, Ragusini anno circiter 1403. Ædem Cathedralem S. Blasii, cum angusta esset & inornata, nova molitione, opere eleganti, cultuque magnifico ædificarunt, & copiosis proventibus dotarunt.

ANDREAS II. EPISC. STAGNENSIS XX. CORCYRENSIS XII.

Erat Archidiaconus Ecclesiæ Cathedralis Corcyrensis S. Marci, ortus e Veneta gente patricia Michaelia, quem Martinus V. Nicolao in utramque Sedem subrogavit, ut est in tabulis consistorialibus: *1426. V. Id. Decembris provisum est Ecclesiis Stagnen. & Corzolen, simul unitis, vacantibus per obitum Nicolai ultimi Episcopi, de persona Andreæ Michaelis, Archid. Eccl. S. Marci Corzulen.* Anno proximo IV. Id. Januarii se consueti tributi sponsione obligavit; & pro illo fidejussorem se constituit Joannes Archidiaconus utriusque Ecclesiæ. *Ob. Cam. T. 60. pag. 156.* Præfuit annos circiter quindecim. Andreas Ep. Stagnen.

Extat Epistola Eugenii IV. ad Episcopum Stanensem Ferrariæ data anno 1438. XVIII. Kalendas Januarii, Stanensis Episcopatus & Ecclesia ubinam gentium sit, ignorare se ajunt Papebrochius, & Vaddingus; nusquam enim in Catalogis Ecclesiarum & Episcopatuum Romanæ Sedi subjectorum invenitur. Quid est igitur, cur dubitemus, quin ille Episcopus *Stanensis*, cui epistola Eugeniana inscripta est, idem sit atque noster Andreas Episcopus Stagnensis, præsertim cum in eo diplomate Indulgentiarum, quibus Ecclesiam Cathedralem Narniensem an. 1287. tres Archiepiscopi & plures Episcopi cumularunt, Petrus Stagnensis Episcopus appelletur *Stanensis*, ut supra in eodem Petro declaravimus. Et sane annus 1438. epistolæ Pontificiæ adscriptus cum Episcopatu Stagnensi Andreæ congruit. Fortasse Andreas in Italiam venerat, ut Concilio Œcumenico interesset, quod Eugenius de reconcilianda inter Latinam & Græcam Ecclesiam concordia Ferrariam convocaverat, & eodem anno in eadem urbe haberi cœperat, quod deinde Florentiam translatum est; vel quod vero propius est, cum schismatici & hæretici Stagnensibus peninsulæ recuperandæ causa ubique infesti esse non desinerent, Andreas, ut a S. de Apostolica opem peteret, in Italiam discesserat; & dum in hisce locis degebat, ne nihil ageret, ab omnique curatione & administratione rerum ecclesiasticarum vacaret, Episcopo Urbinati, ut censet Vaddingus, operam vicariam navabat; forte, inquit, *Vicarius Generalis Urbini*. Huic igitur Eugenius mandavit, ut, quam Martinus fieri jusserat, conjunctionem collegii Virginum S. Silvestri, quæ a primæva S. Claræ disciplina desciverat, collegio Virginum S. Luciæ auctoritate Apostolica confirmaret; utrumque autem situm erat in diœcesi Urbinate. Hæc est epistola Eugenii. ad quem extat Epistola Eugenii IV.

Ven. Fratri Episcopo Stanensi. Ad ea, quæ pro commodo &c. Dudum siquidem pro parte dilecti filii

lii nobilis viri Guidantonii Comitis Montis-Feretri Feretran. Diœcesis fel. record. Martino Papæ V. prædecessori nostro exposito, quod Monasterium Sancti Sylvestri Ordinis Sanctæ Claræ Urbinat. diœcesis in loco campestri situm, & in quo Abbatissa & nonnullæ Moniales in castimoniæ puritate, sub Religionis habitu, vota sua Altissimo exolvere consueverant, a nonnullis citra temporibus laxato pudicitiæ freno, &c. vitam ducebant per omnia dissolutam, &c. quodque ad hujusmodi scandala summovenda, si Monasterium ipsum, Abbatissali dignitate in eo suppressa, Monasterio Sanctæ Luciæ Urbinat. &c. uniretur, incorporaretur, & annecteretur, domus ipsius Monasterii melius gubernari, Monialesque ibi degentes ad monasticam vitam reduci, &c. & demum per eumdem Comitem pro hujusmodi unione humiliter supplicato eidem prædecessori, idem prædecessor dilecto filio Præposito Ecclesiæ Urbinat. ejus proprio nomine non expresso, suis litteris dedit in mandatis, ut si vocatis Abbatissa, & conventu dicti Monasterii S. Sylvestri, & aliis, qui forent evocandi, per diligentem informationem super præmissis habendam, ea vera esse reperiret, Abbatissali dignitate in ipso Monasterio S. Sylvestri suppressa penitus, & extincta, illud cum omnibus juribus, & pertinentiis suis præfato Monasterio S. Luciæ auctoritate Apostolica incorporaret, uniret, & annecteret, prout in litteris ejusdem prædecessoris, quarum tenorem præsentibus haberi volumus pro expresso, dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ, & conventus Monasterii Sanctæ Luciæ præfati, petitio continebat, idem Præpositus ad litterarum dicti prædecessoris executionem procedens, Abbatissalem dignitatem in dicto Monasterio Sancti Sylvestri suppressit, ac ipsum cum omnibus juribus, & pertinentiis Monasterio Sanctæ Luciæ præfato in perpetuum annexuit, univit, & incorporavit; quarum unionis, annexionis, & incorporationis vigore, Abbatissa, & conventus prædictæ possessionem dicti Monasterii Sancti Sylvestri assecutæ, illud tenuerunt, & possederunt, prout tenent, & possident de præsenti pacifice, & quiete. Quare pro parte Abbatissæ, & conventus prædictarum nobis fuit humiliter supplicatum, &c. Nos igitur, &c. fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus de præmissis omnibus, & singulis, auctoritate nostra, te diligenter informes, &c. suppressionem, annexionem, &c. alia omnia inde secuta, prout rite, & provide facta sunt, auctoritate nostra approbes, &c. Datum Ferrariæ anno &c. 1438. XVIII. Kalendas Januarii, anno octavo.

JOANNES V. EPISC. STAGNENSIS XXI. CORCYRENSIS XIII.

Anno 1441. Ecclesiam utramque regendam suscepit. Nobis fuisset incognitus, nisi eum Joseph Card. Garampus nobis ex tabulis Romanis ejusdem anni notum fecisset. Div. Cam. T. 20. pag. 166.

JOANNES VI. EPISC. STAGNENSIS XXII. CORCYRENSIS XIV.

Joannes VI. Episc. primum Budu-ensis,

Civis Corcyrensis ex familia de Paullis honesta in primis & copiosa, cui tabulæ Romanæ Diversi. Cam. Tom. 26. pag. 134. cognomen Rubini adscribunt. Cum esset Episcopus Buduensis, Nicolaus V. soluto vinculo, quo Ecclesiæ illi erat obstrictus, eum ad regendas Ecclesias Corcyrensem & Stagnensem migrare jussit an. 1447. ut docent litteræ Pontificiæ apud Waddingum inscriptæ, *Dilecto filio Jacobo de Breberio electo Buduensi*, quem in locum Joannis ad Corcyrensem & Stagnensem Ecclesias translati Episcopum Buduensibus dederat: *Nuper*, inquit, *Venerabilem Fratrem nostrum Joannem Corculen. & Stagnen. nunc, Buduensem Episcopum tunc, apud dictam Sedem constitutum a vinculo, quo ipsi Ecclesiæ, cui præerat, tenebatur, de Fratrum nostrorum consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine absolventes eum ad Curculens. & Stagnen. invicem canonice unitas Ecclesias, tunc Pastore carentes, duximus Apostolica auctoritate transferendum, præficiendo ipsum dictis unitis Ecclesiis in Episcopum & Pastorem &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno 1447. XVII. Kal. Novembr. anno primo.* Anno post susceptum Episcopatum tertio morte sublatus sedem utramque vacuam successori reliquit.

poſtea Stagnenſ. & Corcyrenſ.

ANDREAS III. EPISC. STAGNEN. XXIII. CORCYRENSIS XV.

Andreas III. Episc. anno 1450.

Nobili genere natus Corcyræ, cognomento Canavellus, an. circ. 1450. regimen Ecclesiæ utriusque suscepit. Quamvis dubitari nequeat, quin & Andreas, & duo superiores, itemque tres posteriores Episcopi eamdem curam & sollicitudinem pastoralem æque Stagnensi & Corcyrensi Ecclesiæ impenderent; tamen cum apud Corcyrenses sedem stabilem & domicilium certum haberent, nulla fere eorum acta, quæ ad Ecclesiam Stagnensem pertineant, in tabulis Stagnensibus illorum temporum descripta inveniuntur. Andreas diem obiit supremum anno 1454. Kalen. Martii, & in æde Cathedrali Corcyrensi tumulatus fuit.

LUCAS EPISCOP. STAGNENSIS XXIV. CORCYRENSIS XVI.

Lucas Episc. an. 1454

Hunc Ecclesiæ utrique Episcopum dedit gens Leonia patritia Veneta. Erat doctor juris canonici, cui Ecclesiam utramque decrevit Nicolaus V. an. 1454. ut colligitur ex lib. Oblig. Cam. T. 76. pag. 98, ubi scriptum est eodem anno tertio Nonas Junii obligationem ab eo susceptam fuisse solvendi quinquaginta florenos *pro communi servitio*. Ad suas Ecclesias profecturo Nicolaus litteras commendatitias dedit ad Rectorem & Senatum Ragusinum perferendas, quæ sunt hujusmodi.

Pontificis de eo litteræ ad Ragusienses.

Nicolaus Servus Servorum Dei dilectis filiis nobilibus viris Rectori & Communi Civit. Ragus. Cum hodie Corzulen. & Stagnen. Ecclesiis invicem unitis per obitum bon. mem. Andreæ Curzulen. & Stagnen. Episcopi, qui extra Rom. Curiam decessit, Pastoris solatio destitutis de persona dilecti filii Lucæ Leonii de fratrum nostrorum consilio duximus auctoritate Apostolica providendum, præficiendo ipsum eisdem Ecclesiis in Episcopum & Pastorem, curam & administrationem ipsarum Ecclesiarum sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Nos ipsum electum exigentibus suis meritis paterna benevolentia prosequentes cupientesque quod dictæ Ecclesiæ sub ipsius electi regimine in spiritualibus et temporalibus felicia suscipiant incremen-

ea, nobilitatem vestram rogamus, & hortamur attente, quatenus eumdem Electum & præfatas Ecclesias, suæ curæ commissas habentes pro nostra & Apostolicæ Sedis reverentia propensius commendatas ipsum & ipsas benigno favore prosequamini; ita quod idem Electus vestræ nobilitatis fulcitus præsidio in commisso sibi curæ pastoralis officio possit Deo propitio properare, ac vobis exinde perennis vitæ a Deo præmium, & a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarn. Domin. MCDLIV. XVI. Kal. Maji, Pontif. nostri anno octavo.

Præfecturam Ecclesiæ utriusque illi traditam declarat inscriptio præposita ejusdem litteris ac mandatis: *Lucas Leono Ven. Dei & Apostolicæ Sedis gratia Ep. Curzolen. & Stagnen. Universis &c. Dat. an. 1456.* Vitam & Pontificatum perduxit usque ad an. 1462.

THOMAS EPISC. STAGNENSIS XXV. CORCYRENSIS XVII.

Thomas Episcopus an. 1463.

Civis Venetus ex illustri familia Malombra, qui ab ineunte adolescentia, cum in sodalitatem Patrum Prædicatorum nomen dedisset, Cœnobio Veneto S. Dominici adscribi voluit, quod ad provinciam Dominicanam Langobardiæ spectat. Insigni doctrina floruit, & varia opuscula philosophica & theologica typis mandavit. Pius II. Thomam utrique Ecclesiæ Stagnensi & Corcyrensi Episcopum præfecit an. 1463. IV. Kal. Februar. ut est in lib. Obl. Cam. T. 79. pag. 45. Cum ad suam Ecclesiam advenisset, omnem in illius utilitatem, ac decus augendum curam atque operam contulit: & anno 1469. tribus piis mulieribus tertii Ordinis Franciscani assectis potestatem fecit commorandi in domicilio quodam extra urbem Stagni erecto apud Ecclesiam SS. Cosmæ & Damiani, vitæque ibidem ad normam Instituti Franciscani agendæ, quam quidem facultatem decessores sui aliis honestis & religiosis mulieribus tertii ordinis Dominicani concesserant; tum nequis illis molestiam afferret, diligenter cavit, sanxitque hoc decreto.

Ejus decretum pro Franciscanis mulieribus tertii Ordinis.

Thomas Malumbra Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Stagnensis & Curzulensis dilectis nobis in Christo Maruscæ, Radoslavæ & Catharinæ professis tertii Ordinis B. Francisci salutem in Domino semper. Vitæ ac morum honestas, aliaque probitatis ac virtutum merita, quibus apud nos estis multipliciter commendatæ, nos conducunt, ut vobis reddamur ad gratiam liberales. Sane pro parte vestra fuit nobis nuper expositum, alias certis honestis ac religiosis mulieribus nostri Ordinis a nostris prædecessoribus fuisse concessum, quatenus pro earum quiete & devotione &c. apud Ecclesiam SS. Cosmæ & Damiani extra muros Stagni standi ac commorandi facultatem haberent: quod vos similiter & mulieres præfatæ a nobis assequi & obtinere desideratis; proinde vestris in hac parte supplicationibus inclinati vobis religiosis & honestis mulieribus præfatis, quatenus apud istam Ecclesiam SS. Cosmæ & Damiani standi & morandi quemadmodum per antea & hactenus vos, & quæ vos antea fuerunt, consuevistis, & consueverunt, auctoritate præsentium potestatem & licentiam concedimus & impertimur. Nihilominus universis & singulis tam Curatis quam Religiosis & aliis tam civitatis quam diœcesis Stagnensis in virtute S. obedientiæ districte præcipimus, ne vos mulieres præfatas apud sæpe dictam Ecclesiam degentes, & alias quas forte in religiosa vestra societate induxeritis admittendas, per se vel alium quovis modo audeant impedire, vel aliquod super hoc impedimentum afferre, ne contra præsumptores hujusmodi compellamur juris remedio providere. In quorum omnium fidem & testimonium has patentes fieri, & cum impressione nostri annularis sigilli muniri jussimus. Datum Corzulæ ex nostro Episcopali Palatio Anno Domini 1469. die 26. Februarii. Pontific. vero SS. D. N. Pauli D. Prov. Papæ II. an. VI.

In Italiam redit.

Hoc ipso anno in Italiam rediit, & Patavii consistens vicariam operam, seu potius adjutricem cum Marco Nigro Episcopo Catharensi navavit Jacobo Zeno Antistiti Patavino, ut corruptos hujus Ecclesiæ mores corrigeret, & ecclesiasticam disciplinam restitueret; quod docent ad an. 1470. tabulæ Cœnobii Veneti Dominicani SS. Joannis & Pauli. In tabulis vero Archivi Episcopalis Patavini ad an. 1470. dicitur Joannes de Roma Vicarius Generalis Patavinus, & Marcus Niger Episcopus Catharensis Suffraganeus; & ad an. insequentem 1471. discimus ex iisdem VII. Id. Martii, & V. Id. Junii clericos Patavinæ diœcesis sacris Ordinibus initiatos fuisse a Thoma Malumbra Episcopo Corcyrensi *in Civitate Paduana moram trahente, de licentia D. Episcopi Paduani.* Ragusini interea ægre ferebant pensionem Stagnensem Episcopo Corcyrensi solvere, præsertim cum is, ex quo Corcyra ad Venetorum imperium transierat, extraneus esset, neque Ragusinæ ditionis, sed aliunde ad eam Ecclesiam regendam eligi cœpisset. Quare apud Sedem Apostolicam id moliri, & agere cœperunt, ut Ecclesiæ Stagnensis a Corcyrensi disjunctio fieret, & suus cuique Episcopus præficeretur. Sed Thomas Episcopus, qui tum ob hanc causam, tum ut sacra limina more majorum inviseret, se ad urbem contulerat, vehementer obstitit, eorumque conatus & preces elusit. Dum Romæ versabatur anno 1490. Nicolaus Niconisius, sive Nigrevichius civis & patricius Corcyrensis Archipresbyter S. Mariæ de Bachano diœcesis Patavinæ, jussu & nomine Thomæ Episcopi pensionem Stagnensem hujus anni recepit, quam Rector & Senatus pecunia numerata solvi jussit, ut declarat syngrapha testis solutæ pensionis, quæ in tabulario Ragusino servatur his verbis composita: *1490. 3. April. Vener. D. Nicolaus Nigrevich Archipresbyter plebis S. Mariæ de Bachano Paduanæ diœcesis, tamquam Procurator nomine R. in Christo Patris D. Thomæ Malumbræ Episcopi Curzolen. & Stagnen. prout de procura constat, instrumento facto Romæ 1490. Indict. 8. die 23. Martii a me viso & lecto, confessus fuit habuisse & recepisse, sicut revera habuit & recepit per manus mei Notarii a magnificis Rectore & Consiliariis Civitatis Ragusii ducatos auri centum Venetos pro integra & completa solutione decimarum Stagni & Pontæ pro uno anno finituro ad Pascha Resurrectionis proxime venturum. Ego Hieronymus de Sfondratis Cremonensis vocatus Notarius Com. Ragusii sideliter scripsi.*

Obstitit, ne Stagnensis a Corcyrensi Ecclesia disjungatur.

Gubernator Tiferni, & in Germaniam Legatus Apostolicus.

Anno 1492. nondum Thomas ad suas Ecclesias redierat; hoc quippe anno Tiferni in Umbria Gubernatoris munere fungebatur, ut in Cod. Diverf. Cam. T. 50. p. 45. In annalibus Mss. Marini Sanuti comperio, Thomam Pontificii legati vicibus Germaniam peragrasse, ut Imperatorem, cæterosque illarum regionum Dynastas & Episcopos ad fœdus adversum Turcas hortare-

Digitized by Google

retur, collectamque ab eo pecuniam pro sacra expeditione fuisse tercenta nummum millia ex argento. Hoc munere perfunctus Romam reversus est, tamquam ad Pontificem orator nomine Gurcensis Episcopi, anno scilicet 1502. cumque Patavii constitisset in itinere, ibi ad Ducem ac Senatum Venetorum scripsit XVI. Kal. Novembris, se ad urbem proficisci, secumque litteras deferre Maximiliani Imperatoris datas pridie nonas Augusti, quas ejus jussu Patribus ostenderet. Itaque Venetias venit die Octobris vicesima, & in Curiam perhonorifice exceptus ad dextrum Ducis latus assedit; & eleganti oratione latina Ducem ipsum, & Imperatorem laudavit, qui de bello in communem hostem cum Venetis inferendo constituerat; se Romam pergere hanc ob causam; & gratiis Senatui redditis, itineri se rursum commisit. Anno fere quadragesimo post Episcopatum susceptum Thomas admodum ætate provectus, cum se oneri episcopali non esse intelligeret, Nicolaum Niconisium ab Sede Apostolica sibi adjutorem postulavit, & jure successionis donandum curavit. Alexander VI. ejus precibus obsecutus, quem petebat, adjutorem & successorem an. 1503. VI. Id. Maji designavit; sed, Alexandro morte præcepto, Julius II. designationem confirmavit, & Pontificium diploma confecit VI. Kal. Dec. an. 1. Pontif. idest 1503. Anno proximo XVI. Kal. April. Niconisius suscepit obligationem *pro suo communi servitio* contribuendi ærario Apostolico florenos octoginta, ut docent Tabulæ Romanæ Oblig. Cam. T. 88. pag. 132. & Diversi Cam. T. 57. pag. 96. Provis. Sacr. Colleg. pag. 227. Itaque Niconisius Episcopali consecratione inauguratus omnia, quæ sunt Episcopi munera & officia exsequi cœpit. Cum Ragusienses solutionem annuæ pensionis Episcopo Stagnensi debitæ ex die præstituta in aliud atque aliud tempus differrent, Thomas tum a Pontifice, tum a Cardinali Neapolitano litteras impetravit ad Rectorem & Consilium Ragus, quos hortabantur & monebant, ut pensionem anni præteriti quamprimum solverent. Has cum suis litteris Niconisius Marino procuratori suo perferendas dedit. Has trinas epistolas Rector cum Senatu, qua dignæ erant, reverentia ac demissione accepit, rescripsitque ad Niconisium in hanc sententiam: sibi Pontificium diploma cum epistola utraque tum Cardinalis, tum ipsius Niconisii allatum fuisse, quorum monitis atque hortationibus quam promptissime parendum esse censuerunt: & quamvis urgeret solutio pensionis Turcicæ, & propter impensas communes, varias, & multiplices difficultate nummaria laborarent, nullam tamen ab se moram interpositam, quin statim centum aureos Martino ejus procuratori numerari juberent. In extrema epistola Niconisii humanitatem eximiasque virtutes commemorant, & suam erga illum propensissimam voluntatem & observantiam verbis amplissimis declarant; eique persuasum esse volunt, quidquid a se ejus causa publice aut privatim fieri possit, id semper cupidissime facturos. Inscriptio epistolæ hæc est; *Reverendissimo in Christo Patri & Domino Nicolao Niconisio Coadjutori & Coepiscopo Corcyren. & Stagnen. Domino & Patrono Colendissimo. Reverendissime in Christo Pater &c.* Conclusio vero & subscriptio: *Bene valeat Paternitas vestra, cui det Deus prosperitatis augmentum. Ragusii die 24. Januarii 1505. Rector & Cons. Ragus.* His temporibus Ragusini civitatem Stagni, qua mari alluitur, validissimis operibus, aggeribus, & molibus ad impetus procellarum retundendos firmarunt, ut testatur inscriptio januæ urbis insculpta his versiculis.

Ne male defensum littus populetur, & ultra
Adriacas tendat proximus horror aquas,
Opposuit bimaris tot propugnacula Stagni
Ragusa, & Blasii numina magna sui.
A. D. M. DVI.

Episcopum adjutorem sibi postulat.

Litem de decimis Stagnensibus redintegrat.

Anno 1510. Thomas adhuc Episcopatum Ecclesiæ utriusque retinebat, & vicaria Nicolai Niconisii opera ad regendam utramque utebatur. De Stagnensibus decimis eamdem, quam antea, camarinam movit, & tum sententiam Peregrini Abbatis Lacromensis, tum decretum Martini V. Pontificis nec ratum haberi posse, aut certe irritum fieri oportere ajebat, propterea quod jus Episcopi Stagnensis enormiter lædebant. Itaque litem illam, ac si adhuc integra res esset, cognoscendam ac dijudicandam detulit ad Matthæum Episcopum Nucerinum Auditoris causarum sacri Palatii locum tenentem; qui Ragusinis inauditis, & quæ ab illis stabant, rationibus & argumentis incognitis, decimas Stagnenses Thomæ Episcopo, ejusque successoribus adjudicavit. Ab hujus sententia Rector & Senatus ad Julium II. appellavit. Hic vero actis judicialibus anno 1422. hac super re confectis, & epistolis Martini V. diligenter recognitis & examinatis sententiam Peregrini ac decretum Martini V. auctoritate Apostolica confirmavit, & insuper Archiepiscopo Ragusino, Episcopo Tribunensi, & Cœnobiarchæ Monasterii Lacromensis impetravit, ut Rectori & Senatui Ragusino ad jus suum obtinendum & possessionem decimarum Stagnensium retinendam auxilio essent ac præsidio.

Decreto Julii II. postea dissempsum.

Julius Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ad Apostolicæ dignitatis apicem superna dispositione vocati &c. Dudum siquidem postquam felic. recordationis Martino Papæ V. prædecessori nostro pro parte tunc Rectoris & dilectorum filiorum Consilii et Communitatis Civit. Rag. expositum fuerat, quod olim ipsi provide attendenter & considerantes, quod præfata civitas terris & locis schismaticorum etc. (ut supra in litteris Martini ad Peregrinum Abbatem, atque ad Blasium Archiepiscopum Jadertinum superius in Nicolao II. relatis) *tamen Ven. Fr. noster Thomas Episcopus prætendens ex præmissis concessione, statuto, decreto, approbatione et confirmatione Ecclesiam suam enormiter lasam, causam desuper bo. me. Matthæo Episc. Perusino tunc Nucerino locum unius ex Auditoribus causarum sacri Palatii Apostolici de mandato nostro tenenti . . . . ipseque Matthæus Episc. juribus dictorum Rectoris, Consilii et Communitatis non nisis in ea causa perperam procedens . . . Ecclesiam et Episcopum Corcyren. seu Stagnen. enormiter lasos ac restituendos fuisse; ac jus decimandi et decimas hujusmodi percipiendi ad ipsum Episc. Curzulen. pertinuisse et pertinere declaravit, et sententiam promulgavit, a qua dilectus filius modernus Rector dicta Civit. et Consilium et Commune quamprimum de illa notitiam habuerunt, ad nos et Sedem Apostolicam appellarunt etc. De nostra mera deliberatione, et ex certa scientia, ac de Apostolicæ auctoritatis plenitudine litem penitus extinguimus, ac Martini prædecessoris nostri litteras approbamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Et nihilominus motu proprio &c. decernimus, statuimus, or-*

di-

Digitized by Google

dinamus, declaramus sententiantes præfatum Thomam ac pro tempore existentes Episcopos Corzulen. & Stagnen. recipere debere annis singulis a dictis Rectore, Consilio & Communitate censum centum ducatorum cumtaxat ratione decimarum præditarum juxta tenorem sententiæ dicti Abbatis & confirmationis Martini prædec. nostri, & nihil ulterius ratione præmissa ab eisdem Rectore &c. petere & exigere posse &c. & præterea a lasione dictos Rectorem &c. majorique censu solvendo perpetuis futuris temporibus absolvimus et liberamus; eidemque Thomæ & pro tempore existentibus Episcopis perpetuum silentium imponimus &c. Quocirca &c. Datum Romæ apud S. Petrum an. Incarn. Dom. 1510. vi. Id. April. Pontif. nostri anno VII.

NICOLAUS III. EPISC. STAGNEN. XXVI. CORCYRENSIS XVIII.

Nicolaus III. Episc. an. 1503.

Ex familia Niconisia sive Nigrevichia in primis inter Corcyrenses nobili & opulenta, quem Petrus Niconisius genuit e Bratiza Jubaglinovishia uxore ejusdem patriæ & paris nobilitatis feminæ. Ante Episcopatum erat Archipresbyter *S. Mariæ de Bacbano* diœcesis Patavinæ, uti superius dictum ex tabulis Ragusinis, quibus mendum inest in loci descriptione; quippe nulla est in Patavina diœcesi hujus cognominis Ecclesia, & forte legendum est *S. Mariæ de Rubano*, aut *de Spalsano*. Annos fere triginta Ecclesiam utramque gubernavit. In oppido Tarsenizæ ritu solemni consecravit Templum B. Virginis in Cœlum Assumptæ Cœnobii Franciscani, ut docet tabula marmorea ad latus aræ maximæ infixa parieti, in qua inscriptus legitur Nicolaus Niconicichius Episcopus Corcyrensis & Stagnensis; de quo iterum in Ecclesia Corcyrensi.

Ragusini Clementem VII. orant, ut Stagnensis a Corcyrensi Ecclesia disjungatur.

Cum Ragusini ad incolumitatem Reipublicæ plurimum interesse existimarent, Stagnensem a Corcyrensi Episcopatu disjungi, supplices litteras miserunt ad Augustinum Trivultium Cardinalem, ut a Clemente VII. hujusmodi disjunctionem impetrarent. Hoc est exemplum epistolæ Ragusinæ, quæ videtur referenda esse ad an. 1525.

Pater & Domine Reverendissime.

Optamus vestram Reverendissimam Dominationem perpetuo felicem esse. Compertum habemus vestram magnitudinem in nos, & Civitatem nostram animo esse amicissimo, quod quum ex litteris vestræ altitudinis, tum ex civibus nostris, qui aliquando vestram altitudinem officii gratia adierunt, sæpius intelleximus; nemini enim Civium nostrorum contigit loqui unquam cum vestra amplitudine, quin nobis nunciaverit vestram celsitudinem nostri esse studiosissimam. Quæ quidem benevolentia vestra eo nobis jucundior, atque gratior est, quia nullis nostris erga vestram Reverendissimam Dominationem officiis est comparata, sed ab insita benignitate vestra profecta; nisi quod lætamur summopere (1) fratrem vestrum Rhacusanum dici Antistitem; unde Civitas nostra parentis, ac patroni loco altitudinem vestram habere constituit, & quæ nostra interesse arbitramur ad eam cum primis deferre, si quos ultro singulari prosequi amore cœpisti, in clientelam suscipiendos, tuendosque ducetis.

Est oppidum ditionis nostræ, Stagnum nomine, quod aliquando per se habuit Antistitem, Catholicum, an schismaticum incertum; quantum autem conjectura assequi possumus, schismaticum fuisse arbitramur. Quandoquidem centum & triginta circiter ab hinc annis de (2) Stephano Nemagnia Bulgarorum Rege in nostram potestatem id oppidum cum suo territorio concessit, nulla professo vi, aut cujusquam injuria, sed ipsius Stephani proavorum nostrorum meritis impulsi traditione voluntaria, qua sane res dominii jure æquitati naturali conveniente in alium transferuntur. Itaque quo tempore Stagnum cum agris, & regionibus oppido adjacentibus nobis acquisitum est, Corcyra nigra, quam vulgo Corculam vocant, e nostra Civitate jura petebat, Præfectique hinc missi Corculanis jus dicebant, permissu Sigismundi Regis Hungarorum, qui id temporis ipsam insulam, nobis administratione traditam, imperio obtinebat. Itaque proavi nostri eam insulam perpetuo in societate Rhacusana mansuram rati, (3) Stagnensi Episcopatui adjungi curant. Sed posteaquam Corcula fraude cujusdam Narensii Principis a nostra societate alienata in Venetorum potestatem devenit; Veneti semper in id incubuerunt, ut cum non medioeri status nostri periculo aliquis ex suis civibus Corculæ Episcopus designaretur, spe etiam nostratibus hujus Episcopatus omnino adempta, eo consilio, ut Venetus Civis jus haberet Stagnensem diœcesim invisendi, atque jurisdictionis obeundæ prætextu cum nostra plebe sæpe coiret. Quamquam nos obviam huic fraudi consilio euntes non permittimus per diœcesim Stagnensem externos Sacerdotes, sed vestros Cives curam gerere animarum, ne scilicet pateat facultas externis hominibus per speciem religionis animas populi sollicitandi, statusque Civitatis nostræ eo facto turbandi. Et licet simus vigilantissimi in custodienda Republica nostra, attamen incredibili scelere cujusdam Civis nostri, qui Stagni domicilium sibi constituerat, in maximum discrimen id oppidum his diebus conjectum fuit; & nisi proditoris infandum consilium singulari Christi benignitate mature detectum fuisset, deque impio Cive ultimum supplicium sumptum, jam Stagnum in potestate hostium esset; qua quidem calamitate accepta, procul dubio Respublica nostra eversa foret; eo enim vulnere concidissemus: quandoquidem illius regionis fructibus & privatim dignitatem sustinemus, & publice pacem, tributum Turcæ inde magna ex parte solvendo, redimimus. Agri enim in peninsula, oppido Stagnensi annexi, positi pro angustia soli Dalmatici satis & lati, & feraces sunt, quippe qui ad quinquaginta millia passuum in longitudinem protenduntur, licet latitudo quadraginta stadia nusquam excedat.

Quare, Pater, & Domine Reverendissime, summis precibus vos obtestamur, ut nomine nostro cum Sanctitate Romani Pontificis agere velitis, ut Episcopatus Stagnensis e Corculensi auctoritate Sedis Apostolicæ sejungatur, ne, ut diximus, cuiquam externo, per speciem jurisdictionis obeundæ, occasio detur impellendi pernicioso Cives ad nova consilia contra Rempublicam nostram ineunda. Non fugit vestram altitudinem, quæ vobis est prudentia, & rerum usus, quantum auctoritatis obtineat apud plebem, qui Præsulis majestate præditus populis jus dicit; quo voluntas ejus tulit, plebem trahit, retrahitque; neque id ab re, quandoquidem Reges etiam religioni parent. Secernat igitur Stagnensem diœcesim a Corculensi auctoritas Sedis Apostolicæ, quarum fines mare interjectum dirimit. Nec Episcopus Corculensis, modo modestior esse velis, ægre ferre debet, si Beatitudo Romani Pontificis saluti, & incolumitati nostræ prospiciens, Civem nostrum Stagnensi Ecclesiæ præfecerit, quum præsertim, si ali-

aliter ſecuritati noſtræ conſuli nequeat, nihil, dum ille in humanis egerit, dempturi ſumus de emolumento, quod Corculenſis Epiſcopus e Stagnenſi Epiſcopatu percipere ſolet; quamquam ſublata juriſdictione recte emolumentum quoque tolli debeat. Hoc enim illius cauſa tribuitur. Centum autem aureos nummos quotannis ſolvimus Corculenſi Epiſcopo pro ſola juriſdictione in Stagnenſi diœceſi obeunda: quandoquidem officium ita ad hanc diem Corculenſes Epiſcopi obire curaverunt, ut ſola pecuniæ perceptione ſeſe Epiſcopos Stagnenſes eſſe meminerint. Igitur parati ſumus pecuniæ ſummam arbitratu Sedis Apoſtolicæ Epiſcopo Corculenſi ſatisfacere, ac detrimentum reſarcire, ne vivus quidquam ſui deperdere videatur.

Quid obſtat, quin in animum inducat Sanctitas Rom. Pontificis noſtræ incolumitati proſpicere? Cæterum nec Stagnenſem Epiſcopatum indotatum eſſe patiemur. Dabimus operam, ut Epiſcopus ibi ſubrogatus non modo commode, ſed etiam cum dignitate ſuæ Eccleſiæ præſit, quantum per immanem Turcarum avaritiam, qui graves accolæ noſtri ſunt, licuerit. Nos igitur, Pater Reverendiſſime, exiſtimaturi ſumus Clementis VII. benignitate, veſtra vero opera, non modo a metu calamitatis magna ex parte defenſos eſſe, ſed etiam in tuto collocatos, ſi Stagnenſi oppido a juriſdictione Corculenſis Epiſcopi exempto, civis noſter ibi Epiſcopus conſtitutus fuerit. Et profecto S. Sedi Apoſtolicæ, ut Chriſtiani orbis principi, faciendum eſt, quando ad calamitatem evitandam nobis eſt valde neceſſarium. Atque quum nulli Principum magis curæ eſſe debeat, quam Rom. Pontifici, ne inopes ab intoleranda eorum ſuperbia opprimantur, quibus nec ſuæ res, nec alienæ cumulate exſatiant habendi aviditatem, id in primis Clementi VII. convenit, qui præter cæteros mortales appetens eſt hujus laudis & gloriæ, quæ conſequitur eos Principes, qui non ſinunt affligi implorantes juſtum ſimul & neceſſarium auxilium. Juſtum, inquam, quando ubi de ſtatu civitatis agitur, Eccleſiæ magis, quam Epiſcopo conſulendum eſt. Sed næ auctoritas & gratia, quibus apud Sanctitatem Pontificiam veſtra celſitudo multum valet, honeſtius poſſunt uſquam conferri, quam in defendenda ea Civitate, cujus caſus regiones etiam longe poſitas in diſcrimen devocaret. Plane exploratum nobis eſt veſtram celſitudinem non minus poſſe, quam velle. Scito autem, Reverendiſſime Domine, nos ſtudii & officii veſtri ita memores futuros, ut gratiſſimis hominibus operam præſtitiſſe ſenſuri ſitis.

Notæ.

1 Is fuit Philippus Trivultius, de quo in hiſtoria Metropolis Raguſinæ.

2 Stephanus Nemania rex non Bulgarorum, ſed Serblorum fuit; neque de illo, ſed de Stephano Bano Boſinæ Raguſini emerunt peninſulam Stagni anno 1333. ut tradunt omnes Scriptores Raguſini; quare ab hac emptione ad ann. circ. 1525. cum hæc epiſtola data fuit, non centum & triginta anni, ſed centum & amplius nonaginta interceſſerant.

3 Anno tertio & triceſimo ante quam Stagnum in poteſtatem Raguſinorum veniret, Corcyra Pharienſibus Epiſcopis adempta, Joanne Croſio Epiſcopo Stagni auctore, conjuncta fuit cum Eccleſia Stagnenſi, an. ſcilicet 1300. & uni deinde, eidemque Epiſcopo multis annis paruit, qui Stagnenſis idem & Corcyrenſis appellabatur.

Sed quod nunc Raguſini a Clemente VII. impetrare non potuerunt, id demum poſt mortem Niconiſii a Paullo III. obtinuerunt, qui Raguſienſium poſtulatis aſſentiens Eccleſiam Stagnenſem a Corcyrenſi disjunxit, & Stagnenſi ſuum & proprium Epiſcopum dedit. Paullus III. eaſdem disjungit.

Decretum Pontificium in Acta Conſiſtorialia referri juſſum eſt in hæc verba: *Hodie Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus noſter Paullus divina providentia Papa III. in ſuo Conſiſtorio ſecreto ut moris eſt, ad relationem Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Antonii SS. Quatuor Coronatorum Presbyteri Cardinalis, Stagnenſi & Curzulenſi Eccleſiis invicem perpetuo Apoſtolica auctoritate unitis, annexis & incorporatis per obitum b. m. Nicolai olim Epiſcopi Stagnen. & Curſolen. extra Curiam Romanam defuncti, Paſtoris ſolatio deſtitutis; unionem, annexionem, incorporationem hujuſmodi, etiamſi, & quibuſvis, quantumvis arduis, ſive neceſſariis, & urgentibus cauſis, quas Sanctitas ſua haberi voluit pro expreſſis, factæ extiterint, de Reverendiſſimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium conſilio, dicta auctoritate Apoſtolica, perpetuo, & in forma gratioſa diſſolvit; ac eidem Eccleſiæ Stagnenſi, ut præfertur, vacanti, quæ vaſſallis & Capitulo carere dignoſcitur, de perſona R. P. D. Thomæ Epiſcopi Tribunien. & Mercan. de ſimili modo, eadem auctoritate providit, ipſumque illi in Epiſcopum præfecit, & Paſtorem; verum & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Stagnenſis, ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus committendo; ita autem quod per hoc Tribunien. & Mercanen. Eccleſiis, quibus olim de ejus, tunc Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſoris, perſonæ proviſum fuerat, & quibus proprie præeſſe dignoſcebatur, præeſſe non deſineret; ſed tam Tribunien. & Mercanen. quam Stagnenſi Eccleſiis in Epiſcopum præeſſet, & illarum Præſul, & Paſtor exiſteret: abſolvens eumdem D. Thomam a cenſuris ad effectum &c. In quorum fidem hanc præſentem cedulam nunc manu propria ſubſcriptam fieri, & noſtri ſoliti ſigilli impreſſione muniri, ac per ſecretarium noſtrum infraſcriptum ſubſcribi mandavimus. Dat. Romæ An. Domini MDXLI. die 2. menſe Decembris, Pontif. Sanctiſſimi D. N. P. P. anno octavo.*

In hanc eamdem ſententiam extat Decretum Paulli III. conjunctionem illarum Eccleſiarum diſſolventis, itemque tres ejuſdem Pontificis epiſtolæ, duæ ad ipſum Thomam Epiſcopum, tertia vero ad populum *Civitatis & diœceſis Stagnenſis*, cui eumdem Thomam commendat: *Quapropter univerſitatem veſtram monemus, & hortamur attente, vobis per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus eumdem Thomam Epiſcopum, tamquam Patrem & Paſtorem animarum veſtrarum devote ſuſcipientes, & debita honorificentia proſequentes, ejus monitis & mandatis ſalubribus humiliter intendatis; ita quod dictus Thomas in vobis devotionis filios, & vos in eo per conſequens Patrem benevolum inveniſſe gaudeatis. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarn. Dominicæ 1541. v. Non. Decembris, Pontific. anno octavo.*

THOMAS II. EPISC. STAGNEN. XXVII.

Raguſii natus, Cervinus cognomine, ex ampliſſima & patritia familia Cerva, ex qua genus & ſanguinem traxit. In Congregationem Raguſinam Dominicanam cooptatus Sacræ Theologiæ ma- Thomas II. Epiſc. anno 1541.

Digitized by Google

magisterium, & juris utriusque lauream obtinuit, supremamque Vicarii generalis præfecturam adeptus, eidem Congregationi præfuit, postquam aliis minoribus magistratibus egregie functus fuisset. Eum Clemens VII. Tribunensi & Mercanensi Ecclesiæ Episcopum anno 1532. præfecit; Paullus vero III. cum Stagnensem a Corcyrensi Ecclesia sejunxisset, Episcopum Stagnensem renunciavit anno 1541. & prioris utriusque Ecclesiæ administrationem retinere jussit, ut constat ex Actis Consistorialibus paullo superius prolatis. Duas litteras habes, alteram anni 1542. in Philippo, alteram anni 1547. in Joanne Angelo Archiepiscopis Ragusinis, quibus Paullus Pontifex controversias dirimendas committit Thomæ Episcopo Stagnensi, quæ Patres inter Dominicanos & Laurentium Michaelis de Luccaris ac Margaritam de Bona intercesserunt, cum Laurentius & Margarita sibi injuria attribuerent, quod legati jure iis debebatur.

Episcopi Stagnensis nominatio Ragusinis concessa.

Cum Ragusini in urbe Stagni Ædem cathedralem ære sumtuque publico, opere ornatuque magnifico exstruxissent, & præsertim cum proventus Mensæ Episcopalis augere decrevissent, ab eodem Pontifice impetrarunt, ut sibi potestas in perpetuum fieret designandi, nominandique Episcopi Stagnensis, ut constat ex diplomate Pontificio, quod est hujusmodi.

Diploma Pontificium.

Paulus Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Rectori, & Consilio, ac Communitati Civitatis Rhacusinæ salutem, & Apostolicam benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, & eximiæ fidei constantia, quibus in nostro, & Apostolicæ Sedis conspectu clarere dinoscemini, promerentur, ut votis vestris, per quæ Ecclesiarum præsertim Cathedralium utilitati, & statui, ac dominii vestrorum securitati consulitur, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Sane pro parte vestra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum fructus, redditus, & proventus Mensæ Episcopalis Stagnensis centum ducatorum auri largorum, secundum communem æstimationem valorem annuum non excedant, & propterea ad commodam pro tempore existentis Episcopi Stagnensis sustentationem non suppetant: vos qui ad Ecclesiam Stagnensem, quæ in partibus limetrophis status & Dominii vestrorum prædictorum consistit, & cui Venerabilis Frater noster Thomas Episcopus Stagnensis præesse dinoscitur, singularem geritis devotionis affectum; & quorum pro statu & Dominii vestrorum hujusmodi securitate plurimum interest, ut dicta Ecclesia pro tempore vacanti, de persona idonea vobis fida, & non suspecta provideatur, fructus, redditus, & proventus prædictos ad tantumdem augere proponitis; dummodo vobis jus Patronatus dictæ Ecclesiæ, & præsentandi nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, personam idoneam, de qua eidem Ecclesiæ, quoties illam quovis modo vacare contigerit, per nos, & successores nostros præfatos, ad præsentationem hujusmodi, provideatur, Apostolica auctoritate reservetur, & concedatur. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut jus Patronatus dictæ Ecclesiæ, & præsentandi nobis, & successoribus præfatis, personam idoneam ad dictam Ecclesiam, quoties illam de cætero perpetuis futuris temporibus per cessum, vel decessum dicti Thomæ, & pro tempore existentis Episcopi Stagnensis, seu alias quovis modo, etiam apud dictam Sedem vacare contigerit, vobis reservare, & concedere, ac alias in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Ecclesiarum omnium præsertim Cathedralium profectum, & personarum ecclesiasticarum subventionem sinceris desideramus affectibus, vos, & vestrorum singulos, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, jus Patronatus, & præsentandi nobis, & successoribus præfatis ad dictam Ecclesiam, quoties illam de cætero perpetuis futuris temporibus per cessum, vel decessum dicti Thomæ, & pro tempore existentis Episcopi Stagnensis, seu alias quovis modo etiam apud Sedem prædictam vacare contigerit, personam idoneam, de qua eidem Ecclesiæ per nos, & successores præfatos ad præsentationem hujusmodi provideatur; vobis, postquam fructus, redditus, & proventus prædictos ad tantumdem de propriis bonis vestris auxeritis, ut præfertur, dicta auctoritate, tenore præsentium perpetuo reservamus, & concedimus, ac jus Patronatus & præsentandi hujusmodi vobis, non ex privilegio Apostolico, sed ex dotatione, & fundatione competere, ac ejus naturæ esse, ut illud robur obtinere in omnibus, & per omnia, cujus esset, & quod obtineret, si illud vobis ex plena, & de propriis bonis vestris facta ipsius Ecclesiæ fundatione quæsitum fuisset, & ut tale, sub derogatione juris Patronatus ex privilegio Apostolico quæsiti minime comprehendi, nec ei quovis modo, etiam si de data præsentium expressa mentio fieret, derogari, & si illi derogari contingat, derogationem hujusmodi alicui suffragari non posse, ac quascumque provisiones & profectiones, seu administrationes, deputationes & alias dispositiones de dicta Ecclesia, cum juris Patronatus hujusmodi derogatione, seu contra concessionem hujusmodi etiam per nos, & successores præfatos, & Sedem eamdem pro tempore factas, & inde secuta quæcumque, nulla, & invalida, nulliusque roboris, & momenti fore. Sicque per quoscumque judices, & commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam Venerabiles Fratres nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & eorum Collegium, ac causarum Palatii Apostolici Auditores in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac quidquid secus super bis a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attemptari, irritum, & inane decernimus; non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac ipsius Ecclesiæ juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, reservationis, concessionis, & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quadragesimo nono, quinto Nonas Maji, Pontif. nostri anno 15.

Barengus Joannes Petrus, Cardellus &c.

Jus nominandi Episcopi Stagnensis Ragusini sibi acquisierunt.

Ita jus eligendi Episcopi Stagnensis ad Rectorem & Consilium Ragusiense devenit; jus itidem retinuit decimas Stagnenses colligendi, atque in commune ærarium inferendi; Episcopo autem annuam pensionem duplo majorem assignavit, aureis eidem ducenis in singulos annos decretis. Quamvis Stagni non desit palatium episcopale satis commodum & ornatum, plerumque tamen Episcopi commorantur Ragusii, præsertim mensibus æstivis; quippe cum natura loci, & cœli Stagnensis, propter exhalationes e propinquis salinis, & æstuariis emissas, valetudini non parum officiat.

Novum domicilium mulieribus tertii Ordinis Dominicani instituitur.

Honestæ quædam mulieres sibi Deoque vacandi studio incensæ supplices Thomam Episcopum adierunt, &, quid suæ voluntatis esset, cum exposuissent, locum ac templum S. Michaelis edito colli ac peramœno impositum ut sibi daret petierunt mille passus ab urbe disjunctum, in quo procul negotiis hominumque commercio ad normam tertii Ordinis Dominicani atque præscriptum vivendi rationem instituerent. Pium consilium collaudavit Episcopus; nec libentius, quam promptius, quod postulabant, concessit, ut ex ejus litteris apparet, in quibus potestatem illis fecit tum ejus loci ac sacelli possidendi, tum religiosæ vitæ peragendæ, tum denique vel tertii Dominicani, vel alterius, quod vellent instituti amplectendi. Earum vero quieti ac solitudini cautum esse voluit, anathematis pœna proposita, in quam incurrerent quicumque illis aliquid negotii facesserent, vel quidpiam molestiæ exhiberent,

Decretum Thomæ Episc.

Frater Thomas Cervinus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Stagnensis ac Tribunien-sis, Dilectis nobis in Christo Luciæ Bassichichio-ye, & Nikæ Ulabussinæ, & Mariæ de Nicolao Bogunich, ac cæteris honestis mulieribus, quas vos in vestram societatem honestam ac religiosam duxeritis admittendas, salutem in Domino sempiternam. Sane pro parte vestra nuper vobis expositum fuit, quod vos Deo inspirante Christianum & religiosum famulatum exhibere Deo vehementer cupitis; quodque ad hoc desiderium explendum idoneum existimetis locum quendam nostræ diœcesis positum juxta Ecclesiam S. Michaelis in colle extra muros Stagni, quem locum & mansionem cum plurimis viris probis vidimus, & satis idoneum invenimus: & quia nos ex debito officii debemus esse proni ad omnem commoditatem tribuendam cupientibus Christiane & religiose vivere, & a pluribus pro hoc rogati fuimus, immo inter alios a quodam Marcovich Gastaldo Fraternitatis dicti S. Michaelis optimum nobis testimonium reddente de vestra vita Christiana & religiosa, quapropter supplicationibus hujusmodi inclinati auctoritate qua fungimur damus vobis præfatis mulieribus licentiam & facultatem manendi & standi in dicto colle prope Ecclesiam S. Michaelis, & debitum famulatum exhibendi sub regula & instituto dictarum de tertio Ordine S. Dominici, vel aliter, ut vobis Christianius & religiosius videbitur; volens tamen, ut in signum quoddam subjectionis & observantiæ, quasi nomine Cathedratici offeratis quolibet anno agnum paschalem nobis & successoribus nostris, quibus per hanc concessionem non intendimus ullum præjudicium facere. Verum quia superflua videtur hæc concessio nostra, nisi eam debito modo muniremus, ideo præcipimus omnibus & singulis tam laicis quam clericis & religiosis cujuscumque sint status & conditionis, in virtute S. Obedientiæ, & etiam sub pœna excommunicationis, nequis præsumat contra hanc nostram concessionem & gratiam dictas mulieres aut alias in societatem suam religiosam & honestam admissas, aut aliquam ipsarum sive nunc sive in futurum per se vel per alium quovis modo impedire aut molestare, quominus pacifice quiete hac concessione & facultate uti possint, & debitum Deo famulatum reddere juxta suam devotionem. In quorum omnium & singulorum fidem, robur, & testimonium præsentes per Cancellarium nostrum fieri jussimus, appensioneque sigilli majoris nostri in similibus consueti muniri mandavimus. Dat. Stagni in sala nostræ solitæ habitationis, Indict. 8. die vero 27. Maji 1550. Pontif. Sanctissimi in Christo Patris Julii PP. III. anno primo.

Josephus Stagnen. Cancell. præd. Illustrissimi Reverendissimi de mandato.

De his Sororibus tertii Ordinis Dominicani Auctor Monumentorum Congregationis S. Dominici de Ragusio: *Hæ vero mulieres post diutinum vocationis experimentum tertii habitus Sororum nostrarum institutum præ reliquis elegerunt. Re ad Capitulum Congregationis anno 1562. delata, quotquot petierunt, habitu nostro tertii Ordinis donatæ fuerunt. Horum curam Vicarius noster Generalis statim suscepit. Verum Stagni atque in tota diœcesi nulla id temporis Prædicatoribus domus erat, & Stagnum ad 30. millia passuum Ragusio distat; Sacerdotem ex sæcularibus, qui eas in spiritu dirigeret, & sacramenta ministraret, destinabat: novitias tantum recipiendi, ac instituendi Priorissas, sive visitationis tempore, sive deputato ad id muneris, quem vellet ex Fratribus, sibi jus reservavit. Usque ad annum 1689. Ordini nostro paruerunt; donec F. Carolus Olantes ex nostro Ordine Episcopus sibi in eam domum jus omne vindicavit. Hoc monasterium adhuc sub Episcopi cura extat.*

qui Episcopatum dimiserit an. 1550.

Thomas Ecclesiam Stagnensem, cum annos amplius novem sanctissime gubernasset, voluntaria abdicatione dimisit; de quo idem Auctor hæc scriptis mandavit. *F. Thomas Cerva patritia Ragusii stirpe genitus, sacræ Theologiæ ac juris utriusque Doctor eximius, Episcopus ad Mercanensem & Tribunien-sem Ecclesias petente Ragusino Senatu a Clemente VII. die 16. Decemb. an. 1532. electus, mox ad Ecclesiam Stagnensem moderandam assumptus fuit Episcopus primus. Nam cum usque ad annum 1300. Episcopus Stagni sedisset, F. Joannes de Cruce Episcopus, de quo superius, eandem sedem Corcyram transtulit, jus in Stagnensem retinens. Verum anno 1541. Ecclesiis Stagnen. & Corcyren. a Paullo III. petente Ragusino Senatu invicem divisis, ad Stagnensem regendam primus noster F. Thomas Pastor datus fuit, in priorem tamen Ecclesiam Mercanensem videlicet potestate retenta. Labente vero an. 1550. Stagnensem Ecclesiam resignavit. Stagni Monasterium pro Sororibus nostris tertii habitus constituit, quod hodie, ut monuimus, extat. Multoties Prior in Congregatione nostra ac semel Vicarius generalis fuit, summa pollens in regendo prudentia. Demum e monasterio S. Jacobi de Viscgniza, quod Monachi D. Benedicti adhuc incolunt, mille passibus extra civitatem Ragusium rediens apoplexia repente correptus, sed rationis lumine haudquaquam extincto se mori sentiens, capellano suo, qui forte aderat, peccata confessus est, & in ipso itinere lapidi innixus obiit an. 1562. In Cathedrali Ecclesia Ragusii Pontificum more sepultus. Huic adhuc juveni Cajetanus*

Digitized by Google

nus Cardinalis ſcripſit opuſculum de emptione rerum raptarum in bello injuſto, quod eſt ultimum Tomi ſecundi die 26. Novembris 1529.

Errat autem P. Sebaſtianus Dolci in ſuis Faſtis, cum ſcribit, Thomam *Epiſcopatus Stagnenſis noviter inſtituti Adminiſtratorem* ſolummodo fuiſſe; illum enim *Patrem & Paſtorem* Stagnenſis Eccleſiæ Paulus III. re vera declaravit: *nec integro eo decennio*, quo Joannes Angelus de Medicis, poſtea Pius IV. Archiepiſcopatum Raguſienſem geſſit, *hoc ſemper abſente ipſe* unus Thomas *munus Vicarii Generalis* obivit, ut idem Dolcius affirmat; plures quippe Angelo Archiepiſcopo vicariam operam navarunt; quod in Archiepiſcopis Raguſinis monuimus.

PETRUS II. EPISC. STAGNEN. XXVIII.

Petrus Epiſc. an. 1551.

Ex gente Gozzea in primis inter patritias Raguſinas clara & nobili, alumnus diſciplinæ Dominicanæ, & Magiſter Sacræ Theologiæ, quem Senatus nominavit Epiſcopum Stagnenſem; Julius vero III. nominationem ratam habuit, & delatum illi Sacerdotium approbavit, ut eſt in Actis Conſiſtorialibus: *25. Februarii 1551. providit ad præſentationem Rectoris & Conſilii Civit. Raguſ. Eccleſiæ Stagnenſi vacanti per ceſſionem Reverendi Patris D. Thomæ Epiſcopi Tribunien. & Merçanen. in manibus Sanctitatis ſuæ ſponte factam, & per eamdem admiſſam, de perſona Petri Gozzei Ord. Fratrum Prædicatorum, & Theol. Profeſſ. ipſumque illi præfecit in Epiſcopum & Paſtorem, reſervata eidem Thomæ Epiſcopo cedenti penſione annua medietatis fructuum menſæ Epiſcop. Stagnenſis de ipſius Petri electi conſenſu, quæ tranſeat ad ſucceſſorem &c. cum clauſulis.* Præfuit annos tredecim, nec minus vitæ integerrimæ ſanctiſſimis exemplis, quam eximiæ doctrinæ ſaluberrimis præceptis profuit, de quo in monumentis ſæpius laudatis hæc literis tradita reperio: *F. Petrus Gozzeus patritius Raguſinus Sacræ Theologiæ Magiſter Epiſcopus Stagnenſis; Pariſiis ſacris ſtudiis operam dedit, ac in celeberrima illa Univerſitate Doctoris lauream merito ſibi oblatam renuit, ne in articulum Conceptionis B. Virginis, ut moris erat in ea Univerſitate poſt Baſileenſe Concilium a Gerſone Pariſienſi Cancellario tutatum, contra D. Thomæ mentem juraret. Lovanium inde petens Magiſterii inſignia ab Univerſitate ſuſcepit, in qua pluribus annis docuit. Raguſium inde remeans Prioris Raguſini ac Gravoſini Conventus munere perfunctus, dum Congregationem moderaretur Vicarius Generalis, poſt renunciationem P. Thomæ Cervæa Senatu Raguſino in Epiſcopum Stagnenſem nominatus a Julio III. die 25. Februarii an. 1551. confirmatus fuit. Raguſii diem ſuum obiit an. 1564. & in Capitulo ſub hoc epitaphio marmorea ejuſdem effigiei ſuppoſito conditus fuit.*

Ejus elogium, obitus, & epitaphium.

Nunc, Petre, Raguſium tanto ſe jactat alumno,
Et Gotia vivit gloria clara domus.
Cœlicolum Regi primos ſacraverat annos,
Stellatoque pius ſub Duce ſigna tulit.
Perſpexit rerum cauſſas & lumine mentis
Naturæ magnum pervolitavit opus.
Sed vigil Antiſtes Stagni dum paſcua ſervat,
Eripitur fato: Spiritus aſtra tenet.

Adde hæc ex Faſtis Dolcianis: *Quod plurima tam verſu quam proſa elucubraverit, ſcimus tantum (quod mirum) a Jacobo Flavio Eborenſi, qui inter anecdota ſua carmina ejuſdem habet Epitaphium, famigeratiſſimum quidem ob verſum hunc:*

Hic ſitus eſt ille, qui ſcripſit opuſcula mille.

BONIFACIUS EPISC. STAGNENSIS XXIX.

Bonifacius Epiſc. an. 1564.

Patria Raguſinus, cognomento *de Stephanis*, ex gente Dracoliza, quam Sebaſtianus Dolci *Craſſam* appellat in Faſtis; & Tirinus in lib. 1. Reg. cap. 1. *y.* 1. *Stephanum Raguſinum: Stephanus Raguſinus citatus a Duce Razivilio putat hanc Ramatha illam eſſe civitatem, quæ præfixa littera A. dicta fuit Arimathia;* queis verbis innuit fortaſſe librum a Bonifacio compoſitum *de perenni cultu Terræ Sanctæ, & fructuoſa peregrinatione*, & Venetiis typis an. 1573. inſcriptum Gregorio XIII. In Ordinem S. Franciſci ſeverioris diſciplinæ cooptatus Pariſiis gravioribus diſciplinis operam dedit, Felicis Peretti, qui poſtea Sixti V. nomine ſibi adſcito Romanum Pontificatum conſcendit, æqualis & collega. Hunc a Senatu Raguſino electum Pius IV. Epiſcopum Stagnenſibus dedit an. 1564. qua dignitate ornatus Concilio Tridentino Bonifacius interfuit magna cum ſui exiſtimatione & laude.

Monumenta quæ de illo extant.

Dum Tridentum pergeret, Bononiæ fortaſſe conſtitit, ut Aloyſio Georgirio civi Raguſienſi, & graviorum diſciplinarum ſcientia maxime illuſtri ſuprema officia præſtaret jam morituro, quippe cui amicitia conjunctiſſimus eſſet. Equidem Aloyſio vita functo hoc anno 1565. ſepulcrale monumentum poni juſſit in Eccleſia ſui Ordinis Bononiæ extra muros exſtructa, cui Deiparæ ab Angelo ſalutatæ nomen eſt, ac titulus, & ſuæ amicitiæ ac Aloyſii doctrinæ teſtem hanc epigraphem monumento incidi.

Aloyſio Georgirio Epidaurio ex Dalmatia viro; tum Philoſophiæ ac Medicinæ ſcientia eximie ornato, tum Hiſtoriar. Aſtrologiæ, in primiſque Coſmographiæ ac Geographiæ, quas non tam ex libris quam ex diuturna terrarum perluſtratione ſibi aſciverat, caterarumq. Mathematicar. Artium omnium cognitione clariſſimo, amico ac Civi optime merito Bonifacius a Stephanis Epiſc. Staguinus Mæſt. poſuit. Obiit anno MDLXV.

Tridento ad ſuam Eccleſiam rediens Florentiam profectus eſt, ibique anno 1568. Eccleſiam S. Claræ ſolemni ritu conſecravit, ut teſtatur monumentum parieti ejuſdem templi affixum in tabula lapidea hiſce verbis inſcripta.

Hoc ſacrum Templum D. Claræ dicatum a Reverendiſſimo Bonifacio Stagni Epiſcopo conſecratum fuit An. MDLXVII. in feſto SS. Simonis & Judæ.

Annos fere ſeptemdecim ad gubernacula Eccleſiæ ſuæ pœne perpetuo affixus in Chriſtianam inſtitutionem utilitatemque gregis ſibi concrediti, cura nulla prætermiſſa, incubuit. Plura Myſteriorum Chriſti, & Divorum lipſana a Bonifacio donata comperio, ut publico honore colerentur; inter hæc particulam ſacræ Columnæ, quam Jeroſolymis detulerat, argenteæ pyxidi incluſam obtulit Senatui Raguſino an. 1564. & Dominici Sepulchri fruſtulum argentea capſula ſervatum; tum e ligno Sanctæ Crucis fragmentum dono dedit familiæ Polæ Stagnenſi, quod nunc in theca ex argento ad formam crucis affabre facta in Cathedrali Eccleſia Raguſina conſpicitur, an. 1720. Senatui oblatum a Paſchali Polo Presbytero Stagnenſi. Eum anno 1580. Gregorius XIII. Viſitatoris Apoſtolici munere ac poteſtate præditum luſtrare juſſit Turcicas regiones, ut perhibet Maffejus in Annal. Gregorii XIII. Tom. 2. & Chriſtianis illis barbari-

Ejus Apoſtolica expeditio in Turcicas regiones.

Digitized by Google

ca ſervitute oppreſſis ſolatium pariter & auxilium afferre. Eidem comitem atque adjutorem adjunxit P. Bartholomæum Sfondratum Presbyterum Societatis Jeſu. In Dalmatiam, inquit Sacchinus lib. VIII. part. IV. Hiſt. Soc. Jeſu num. 6., P. Bartholomæus Sfondratus miſſus eſt cum Epiſcopo Stagnenſi Viſitatore Apoſtolico. Initium expeditionis Evangelicæ fecit a Chrobatia & Dalmatia Turcica, tum Boſinam, Slavoniam, partem Hungariæ, & Tranſylvaniæ peragravit, Chriſtianos illos afflictos, egentes, ac miſeros divinis humaniſque ſubſidiis recreavit, cœleſtium myſteriorum ac præceptorum ignaros erudivit; hortabatur omnes, ut avitam religionem conſtantiſſime ſervarent; ærumnas & vexationes, quibus aſſidue conflictabantur, Jeſu Chriſti cauſſa alacriter ferrent; ne ullis detrimentis, ullove pœnarum metu ad fidem Deo datam fallendam ſe adduci paterentur; quacumque iter habuit, ubique eximiæ ſuæ caritatis ac beneficentiæ veſtigia reliquit: Rauni Eccleſiam Deiparæ natæ titulo conſecravit. Antequam hanc Apoſtolicam expeditionem ſuſciperet, in Eccleſia Deiparæ, quam Franciſcani ſeverioris inſtituti incolunt in inſula Media, tumulum ſibi paraverat cum hac epigraphe, cujus pars extrema perfracto lapide interiit:

Hanc domum omnium certiorem
F. Bonifacius Epiſcopus Stagni
Fieri fecit ſibi ſuiſque cognatis
Darcoligarum generis . . . . .

Sed, cum neque ſepulturæ certus ſit ſuus cuiquam locus, Bonifacius, nondum omnibus traditæ ſibi provinciæ partibus expletis, difficilis ac laborioſæ peregrinationis incommodis fractus apud Temeſvariam obiit an. 1582. Morienti Epiſcopus Boſnenſis ad extremum uſque ſpiritum aſſedit, omnia divina præſidia, quæque illi tempori tribui ſolent pietatis officia præſtitit; idemque Romam profectus, rerum omnium, quas Bonifacius præclare pieque geſſerat, & provinciæ ab eo adminiſtratæ rationem Gregorio XIII. a quo miſſus fuerat, diligentiſſime reddidit. Pontifex vero ad perſequendam, conficiendamque Apoſtolicam illam expeditionem Auguſtinum Quinctium Epiſcopum Corcyrenſem Bonifacio ſubrogavit. Fuit Bonifacius æque concionator, & Theologus inſignis. Libros aliquot pios pariter, atque eruditos typis mandavit; in his *Commentarium de perenni cultu Terræ Sanctæ*. In Codice quodam Cœnobii Franciſcani Raguſienſis hoc ille ornatur elogio: *Concilii Tridentini Pater, Terræ Sanctæ Gubernator, Legatus Ungariæ a Gregorio XIII. miſſus, mortuus in Temiſvar, ibique ſepultus.*

Obitus, & elogium.

Alia ejus geſta ante & poſt Epiſcopatum.

Multa ſunt hujus præclara & illuſtria facta ante ſuſceptum Epiſcopatum, præſertim cum Præfecturam Cœnobii Hieroſolymitani gereret, quæ P. Sebaſtianus Dolci in ſuis monumentis hiſtoricis Provinciæ Raguſinæ breviter commemoravit. *P. Bonifacius a Stephanis Rhacuſinus, ex inſula Elaphitana, electus eſt in Guardianatum Hieroſolymitanum. Ex ſacræ Theologiæ generali Lectore ad præfatum munus aſſumptus eſt; & inter cætera præclare in ſacris locis geſta ſacratiſſimum Domini noſtri Jeſu Chriſti Sepulcrum marmore intercluſit. Particulam Sepulcri ejuſdem, nec modicam quidem noſtræ Reipublicæ dono dedit; & quotannis ad noſtram Eccleſiam, octava die poſt Paſcha, ſolemni ſacra defertur ſupplicatione. In ipſomet ſepulcro tria ſanctiſſimæ Crucis fruſta reperit, quæ (ut conſtat ex ejuſdem litteris Archivio Terræ Sanctæ commiſſis) ita ab eo fuere erogata; primum inter Papam Pium IV., Cardinalem Carpium, & Cardinalem Araxalitanum diviſit; alterum Philippo II. Hiſpaniarum regi elargitus eſt; tertium tandem pro ſe acceptum Cathedrali Stagnenſi Eccleſiæ (adhuc parva quædam ibi ſupereſt) donavit. Ex ſacra Columna, ad quam Servator flagellis cæſus eſt, Paullo IV. Summo Pontifici, Ferdinando Romanorum Imperatori, ac Reipublicæ Venetiarum partem dedit: Concionator Apoſtolicus interim declaratus non ſolum inter Patres Ordinis a Comitiis generalibus an. 1563. celebratis connumeratus fuit, verum & inter Theologos Tridentinos locum habuit. Librum de Ortu Clericorum in Eccleſia, dicatum Chryſoſtomo Calvino Archiepiſcopo Rhacuſino an. 1568. alterumque de perenni cultu Terræ Sanctæ, ejuſque fructuoſa peregrinatione Gregorio XIII. nuncupatum an. 1572. typis dedit. A Pio V. ad præfatum Philippum Hiſpaniarum regem pro gravibus Terræ Sanctæ negotiis Nuncius miſſus eſt, & in Hungaria Viſitatoris Apoſtolici munus non ſolum obiit, ſed quoque abſens, Stagnenſemque Eccleſiam regens (cui datus anno 1564.) eo fungebatur officio. Hinc eſt, quod cum Stagni Zeli cauſſa pertuliſſet plurima, more Apoſtolorum pedum pulvere excuſſo (& quidem indictæ ſibi abſceſſionis vindicem ſtatim habuit Deum) Themeſvarii petiit civitatem, fuæ, ut diximus, Viſitationi concreditam, ibique anno 1584. exuit mortalitatem*: verius an. 1582.

Id quoque de Bonifacio traditum eſt, ab eo juſſos fuiſſe Parochos, antequam connubia ritu Chriſtiano jungerent, Caput primum Evangelii S. Matthæi Slavonico ſermone recitare, ut, qui nuberent, intelligerent matrimonium inſtitutum fuiſſe a Deo, neque Diabolicum inventum eſſe; quod Manichæi, &, qui ab his orti ſunt, Patareni per ſummam inſcitiam & impudentiam ajebant; horum ſiquidem reliquiæ adhuc fortaſſis in illis locis ſupererant.

Didacus Eborenſis ſuis carminibus apud Valgriſium typographum Venetum editis an. 1596. inſeruit hoc Elogium Bonifacio Epiſcopo Stagnenſi pag. 219. quod epitaphii loco eſſe poteſt,

Occidit ille vetus nemoroſæ cultor Idumæ.
Quiſquis ades, plena lilia ſparge manu,
Turaque da flammis, iteraque precantia Divos
Carmina, & extremum Manibus adde vale.
Qua brevis in bimares . . . . ſe contrahit Iſthmus,
Non male commiſſum paverat ille gregem.
Nam licet inſtarent pecori fureſque lupique,
Non pecori fures, non nocuere lupi.
Tutus in irrigua paſcebat valle juvencas;
Tuta domum ſera nocte redibat ovis.
Sors inimica tamen dilectis expulit arvis,
Juſſit & externo claudere rure diem.
At nunc ille poli meliore in parte receptus
Lucet, & antiqui paſcua cernit agri.

BASILIUS EPISC. STAGNENSIS XXX.

Familia Gradia inter patritias Raguſinas illuſtris & perantiqua egregios viros multiplici laude cumulatos in lucem protulit, ac præſertim ſæculo proximo ſequenti Stephanum Gradium cuſtodem Bibliothecæ Vaticanæ, juris utriuſque ſcientia atque omnis eruditionis genere præſtantiſſimum, qui orator idem fuit, & poeta clariſſimus. Ex ea ortus eſt Baſilius, qui avita nobilitate & paternæ domus opulentia poſthabita ſeipſum ab ineunte adoleſcentia Deo conſecravit

Baſilius Epiſc. an. 1584.

in

in Ordinem Benedictinum adscriptus; & æque doctrinarum ac virtutum splendore inclaruit. Rectore & Consilio Rogatorum expetentibus Gregorius XIII. Basilium Ecclesiæ Stagnensi Episcopum præposuit, ut est in Actis Consistorialibus: *An.* 1584. *providit Ecclesiæ Stagnensi vacanti per obitum Bonifacii Episcopi de persona religiosi viri Domini Basilii Monachi Cassinensis a Ragusina Republica præsentati, qui fidem professus est, & sui Superioris testimonio communitus; ipsumque dictæ Ecclesiæ præfecit &c.* Vix annuum Episcopatum gessit, & morte sublatus anno 1585. ingens sui desiderium reliquit.

Ejus obitus & elogium.

De Basilio hæc Armellinus in Bibliotheca Cassinensi. *Basilius Gradi natus Ragusii nobili familia, quæ etiamnum ibidem clara existit, Monachus factus est Melitæ, Adriatici maris parvæ admodum insulæ, contra vetus Epidaurum, vulgo Meleda, nostri Ordinis Monasteria, & modica Congreg. quæ ab ea nomen sumit, dumtaxat celebri; ad nostram vero Casinensem Congregationem postea transiens, inter professos Monasterii S. Mariæ de Lacroma prope idem Ragusinum cooptatus anno* 1530. *die* 8. *Decembris, doctrina & eruditione inclaruit. Quamobrem cum Gregorius XIII. Pontifex Maximus, egregium Jo. Baptistæ Folengii opus in Psalmos, quod hæretici labefactaverant, variis aspersis erroribus, in pristinum candorem per Monachos nostræ Congregationis restitutum vellet, Basilius una cum aliis Monachis ad id designatis, hanc provinciam sedulo, glorioseque obivit; ac deinde ab eodem Pontifice Stagnensis Episcopus in Dalmatia creatus fuit anno* 1585. (1584.) *Cui Ecclesiæ vix biennio* (vix anno uno) *præfuit, nam morte præoccupatus ad Cœlos abiit, his relictis ingenii monumentis.*

Castigationes in Paraphrasim Psalmorum Joannis Baptistæ Folengii, *quas multum laudat Arnoldus Wion. Item Italice*, Trattato della Virginità, *opus in* 8. *constans* 286. *paginis, dicatum D. Mauræ Luceriæ Farnesiæ Moniali Parmensi; impressum Romæ anno* 1584. *apud Bartholomæum Bonfadinum: quem Tractatum Ms. in Bibliotheca S. Georgii Majoris Ven. vidi anno* 1718. *eumque lingua etiam Slavica (quo Ragusini utuntur) ab eodem Basilio conscriptum, & impressum* (ante Romanam editionem Italicam, quæ peracta est, cum Basilius Stagnensis esset Episcopus, ut libri titulus indicat, quem ipsemet vidi) *ad usum Monialium Ragusiensium ego quidem accepi a Reverendissimo P. D. Bernardo Sorgo nobili Ragusino, & Congregationis Melitensis Abbate, ac Præside, qui anno* 1710. *mense Novembri Romam venit.*

Agunt de eo supralaudatus Wion Lign. Vit. libr. 2. *cap.* 53. *pag.* 358. *Gabriel Bucellinus in Benedicto Redivivo ad annum* 1587. *Antonius Possevinus in Appar. Sacr. part.* 1. *pag.* 197. *edit. Colon.* 1608. *Felix Egger Monachus Petrusianus in Idea Ordinis Hierarchico-Benedictini impress. Campiduni anno* 1717. *lib.* 2. *part.* 2. *dissert.* 4. *pag.* 269. *virum multæ eruditionis eum vocans, iterumque eodem lib.* 2. *part.* 3. *dissert.* 8. *pag.* 524. *inter Viros scientia illustriores Criticum Sacrum appellans. In nostris regestis ms. pag.* 183. *in margine, Episcopus Stagnensis a Gregorio XIII. Vir eruditissimus obiit anno* 1586. (anno 1585.)

Adde his ex P. Sebastiano Dolci in suis Fastis: *Illyrice elucubravit librum* de Virginitate & statu virginali, *dicatumque Magdalenæ Gucetich, & Paullæ Gradi Monialibus S. Claræ, vulgavit Venetiis per Jo. Baptistam Guerra anno* 1567. *Eumdem vertit Italice, & nuncupatum D. Mauræ Luceriæ Farnesiæ Sanctimoniali Monasterii S. Paulli Parmæ edidit Romæ an.* 1584. *per Bartholomæum Bonfadinum, & Titum Diani. Quod hunc librum ipsum reddiderit Polonice P. Simon Uvisochi Roxolanus e Soc. J. & typis dederit Calissii an.* 1607. *testatur Alegambe in lib. de Scriptoribus dictæ Societatis. Item noster Basilius librum* de Oratione *Tullii Crispoldi e latina lingua transtulit in Illyricam, nonnullisque suis locupletatum additionibus dicavit supradictis S. Claræ Monialibus ex eisdem Venetis typis, quin & eodem anno* 1567. Idem Dolcius diem ejus obitus consignat octavum Januarii anni 1585. hæc subjiciens: *Quod e Congregatione Cassinensi ad Ragusino-Melitensem transierit, ex titulo, quem in fronte libri* de Virginitate *sibi dat, conjicio*: aliter tamen sentit Armellinus.

CHRYSOSTOMUS EPISC. STAGN. XXXII.

Chrysostomus Episc. an. 1585.

Nobili genere Ragusii natus ex Aranea familia, quam *Ragninam* vulgo appellant; ex qua illustres viri, & excellenti doctrina prædicti prodierunt, veluti F. Clemens Ragnina ex Ordine S. Dominici, qui hoc sæculo floruit, & plura ingenii sui, & sacræ eruditionis monumenta partim edita, partim ms. reliquit; itemque Dominicus Ragnina Eques S. Stephani, qui librum Carminum Illyricorum typis consignavit an. 1585. Chrysostomum e Congregatione Benedictina Melitensi, in qua admodum adolescens nomen dederat, ad regendam Ecclesiam Stagnensem evocaverunt Rector & Senatus Ragusinus, utque delatum ad eum sacerdotium approbaret, Gregorium XIII. Summum Pontificem rogarunt, qui 18. *Martii* 1585. *providit Ecclesiæ Stagnensi in Provincia Ragusina per obitum b. m. D. Basilii ultimi Episcopi vacanti de persona R. P. D. Chrysostomi Monachi professi Ord. S. Benedicti Congreg. de Melita a Rep. Ragusina præsentati, absolvens &c.* Extat epistola Gregorii XIII. ad Chrysostomum electum. *Gregorius Episc. &c. Dilecto filio Chrysostomo Aranei Electo Stagnen. salutem & Apost. bened. Apostolatus officium &c. Sane Ecclesia Stagnensis, quæ de jure patronatus dilectorum filiorum nobilium virorum Rectoris & Consilii Reip. Rag. ex privil. Apost. cui non est hactenus in aliquo derogatum, esse dignoscitur, & cui b. m. Basilius Ep. Stagnensis dum viveret præsidebat, per obitum ejusdem Basilii Episc. qui extra Rom. Curiam diem clausit extremum, Pastoris solatio destituta, nos &c. ad te Monachum Ord. S. Benedicti Congreg. Melitensis de legitimo matrimonio procreatum, & in Presbyteratus Ordine, ac ætate legitima constitutum, necnon Theologiæ Professorem, quem prædicti Rector & Consilium juxta privilegium hujusmodi nobis ad hoc per suas litteras præsentarunt, de cujus religionis zelo, vitæ munditia, honestate morum, spiritualium providentia & temporalium circumspectione, aliisque multiplicium virtutum donis, fide digna apud nos testimonia perhibentur, direximus oculos mentis nostræ &c. quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua .... dicta Ecclesiæ .... providemus, teque illi in Episcopum præficimus & Pastorem &c. Dat. Romæ ap. S. Petrum an. Incarn. Dom.* 1585.

Gregorii XIII. P. Epistola ad Chrysostomum.

Annos ipsos viginti huic Ecclesiæ præfuit. Verum in Episcopatu tam diuturno quid litteris ac memoria dignum gesserit, vel decreverit,

Digitized by Google

rit, mihi non est compertum.

JOANNES BAPTISTA EPISCOPUS STAGNENSIS XXXII.

Jo. Baptista Episc. an. 1606.

Hunc quoque civitas Ragusii e Georgiis patritiis oriundum, & Congregatio Benedictina Melitensis Episcopum Stagnensibus dederunt. Supremam ejusdem Congregationis Præfecturam obtinebat, cum Maurus Orbinus Præses Monasterii Melitensis eximium opus scripsit de origine Slavorum, ediditque an. 1601. quo in opere ipsum Joannem Baptistam inter doctos suæ Congregationis viros commendat pag. 200. Ipsum vero suis muneribus egregie functum Senatus Ragusinus elegit an. 1605. ad summum Ecclesiæ Stagnensis sacerdotium; & Paullus V. electionem approbavit: 14. *Aug.* 1606. *ad præsentationem Rectoris & Consilii Reipublicæ Ragusinæ providit Ecclesiæ Stagnensi in Dalmatia per obitum Chrysostomi vacanti de persona Joannis Baptistæ Georgei Ragusini Ord. S. Benedicti Congreg. Melit. Theologi Professi.* Hanc sedem biennium tenuit, & egregiis institutis sanctissimisque exemplis nobilitavit. Diem supremum obiit Stagni an. 1608. VIII. Kal. Decembr. cum annos ageret quinque supra septuaginta, & in Æde Cathedrali tumulatus fuit, hac epigraphe sepulcro inscripta, quæ integra legi non potest, cum intermedia verba lateritiis cujusdam aræ lapidibus obtecta sint.

obit an. 1608.

D. Joanni Baptistæ Or..... væsidiq. Prudents.
Exinde Episcopo St..... ulto Ano Ætatis suæ
LXXV. M. CHRO nato .....

De Joanne Baptista meminit P. Dolci in Fastis litterariis hisce verbis: *Joannes Baptista Giorgi Congreg. Melit. Stagnensem gessit Pontificatum ab anno 1605. usque ad annum 1609. Sub disciplina vero Chrysostomi Calvini adeo in Græcis profecerat litteris, ut Græce differentem longa oratione Summus Pontifex, aliique eruditissimi viri ad id convocati summa cum admiratione audierint. Bibliothecæ S. Jacobi debet ipsi non exiguam Græcorum Codicum, quibus referta est, partem.*

MICHAEL EPISC. STAGNENSIS XXXIII.

Michael Episc. an. 1609.

Cui patria Ragusium, genus & cognomen e Restia gente patricia. Erat presbyter & Canonicus Ædis Cathedralis Ragusinæ, cum eum Rector & Senatus ob singulares virtutes dignum censuit, quem Ecclesiæ Stagnensi Episcopum præficiendum curaret; idque a Paullo V. postulavit. Pontifex annuit, & 19. *Octobris an.* 1609. *providit Ecclesiæ Stagnensi vacanti per obitum Joannis Baptistæ Georgii, ad præsentationem Reip. Ragusinæ de persona Michaelis Restii Presbyteri Ragusini Sac. Theol. Doct. &c.* Postquam sex annos hanc Ecclesiam sapienter pieque administrasset, cum ejus consanguinei propter gravissimas interpositas offensiones in odium atque indignationem Senatus populique incurrissent, ipse quoque eadem, atque illi, invidia conflagravit. Itaque in Italiam discessit, & cum reditum ad suam Ecclesiam impetrare non potuisset, eum idem Paullus V. ad regendam Ecclesiam Nuscanensem Regni Neapolitani sub Archiepiscopo Salernitano migrare jussit; de quo Ughellus Tom. VII. Ital. Sacr. *Michael Restius, vel Resta Epidaurensis, Episcopus Stagnensis ad hanc Ecclesiam* (Nuscan.) *translatus per cessionem Andreæ Zuccati die 23. Martii 1615. iterum translatus est ad Ecclesiam Asculanam in Apulia 6. Augusti 1639. Vir fuit eximia virtute ac pietate præditus, Ecclesiasticæ immunitatis indefessus propugnator.*

transfertur ad Ecclesiam Nuscanensem an. 1615.

AMBROSIUS EPISC. STAGNEN. XXXIV.

Ambrosius e Tribunicensi ad Stagnensem Ecclesiam translatus an. 1615.

E gente Gozzea patritia, patre Marino Gozzeo Rugliza, ortus est an. 1563. Ordini Prædicatorum cum fuisset adscriptus IV. Kal. Majas an. 1578. Bononiæ ac Neapoli in graviores disciplinas sedulo incubuit, & cum insigni doctrina summam vitæ integritatem, & omnes, quæ in statum religiosum cadere possunt, virtutes conjunxit. Ad gradum Episcopalem evectus Ecclesiam Tribunicensem annos quinque sapientissime gubernavit, quem, postulante Senatu, & Paullo V. jubente cum Ecclesia Stagnenti commutavit, ut docent tabulæ Consistoriales: *An.* 1615. 23. *Martii ad nominationem Reip. Rag. providit Ecclesiæ Stagnen. vacanti per translationem Michaelis Restii ad Ecclesiam Nuscanensem de persona F. Ambrosii Gozzei Ep. Mercanensis Or. Tribunien. transferens illum &c.* Vir religiosissimus, ut erat Ordinis Dominicani amplificandi perstudiosus, & amabat unice Fratres suos, hos avidissime recepit in suam Diœcesim, tamquam sibi divinitus datos ad gregem sibi commissum curandum alendumque adjutores. Nicolaus Brautius honesto loco natus apud Brotium, qui pagus est Comitatus & Diœcesis Stagnensis passuum millia circiter quinque distans ab urbe, ultimus e stirpe familiæ suæ, Episcopus Sarsinæ in Æmilia, cum patriam suam, cujus revisendæ ac testamenti condendi caussa in Dalmatiam venerat, insigni beneficio ac decore ornare vellet, domum avitam, agros, bibliothecam, omnemque domesticam supellectilem Congregationi Dominicanæ Ragusinæ donavit, eidemque ære suo Cœnobium Brotii ædificare constituit. Ambrosius Episcopus Nicolai liberalitate ac munificentia lætus tum donationem approbavit, tum Patribus Dominicanis recipiendi, quæ ille sponte obtulerat, Cœnobiique construendi potestatem fecit, atque insuper ædem proximam S. Mariæ ab Angelo salutatæ eisdem ad tempus concessit, in qua psalmodiæ rebusque divinis operam darent, dum proprium sibi templum ædificarent. Extat diploma Ambrosii in hæc verba.

ædificationem Cœnobii Brotiani suo diplomate approbat.

F. Ambrosius Gozze Sacr. Theol. Magister Ord. Præd. Dei & Apostol. Sedis gratia Episcopus Stagnensis. Cum nobis humiliter exposuerit R. P. F. Joannes Chrysostomus Sac. Theol. Lector & Vic. generalis Congregationis Ragusinæ ejusdem Ordinis nomine ejusdem Congregationis, Illustris. & Reverendiss. Dominum meum Episcopum Sarsinæ præsentem velle Brotii loco nostræ diœcesis Conventum seu Monasterium eidem Congregationi & Religioni propriis expensis fabricare, ac eidem annuales redditus, unde commode vivere possint, fundare & assignare, simulque petierit, ut huic operi annuere vellemus, ac licentiam libere fundandi prædictum Conventum concedere dignaremur; nos igitur animadvertentes hoc esse opus pium, sanctum, & a clementissimo Deo misericorditer provisum pro maxima utriusque sexus Christifidelium utilitate, quare tenore præsentium nostra Episcopali auctoritate licentiam & liberam facultatem concedimus eisdem, Illustris. Domino meo Episcopo Sarsinæ, ac Congregationi FF. Prædicatorum Ragusii fundandi & fabricandi dictum Conventum in loco, ut supra, servatis servandis; simul-

simulque concedimus eisdem Fratribus, ut in Ecclesia nostra S. Annunciationis posita in dicto loco Brotium possint, ac valeant libere celebrare, conciones facere, sacramenta ministrare (salvis tamen juribus parochialibus) ac alia divina officia recitare ad gloriam Omnipotentis Dei, & ad utilitatem & profectum spiritualem Christifidelium, non obstantibus in contrarium quibuscumque. Datum Stagni in Palatio nostro Episcopali die 10. Feb. 1628.

F. A. Gozze Episc.
Nicolaus Gliubischich Cancellarius.

Annos fere septemdecim hanc Ecclesiam sapientissimis institutis, & sanctissimæ vitæ exemplis illustravit. Ecclesiasticæ disciplinæ præsertim in sacris muneribus obeundis curam gessit maximam; Sodalitatem Presbyterorum Stagnensium altari quodam pretiosis Divorum lipsanis egregie ornato donavit an. 1626. & annos natus novem supra sexaginta pissime decessit Stagni 3. Id. Julii an. 1632. & in cathedrali Æde tumulatus fuit, Auctor Monum. Congreg. Domin. Ragus. ejus ætatem ad annum fere octogesimum falso produxit. Plura ingenii & doctrinæ suæ extant monumenta vel typis edita, vel manu descripta, quæ in Catalogo Ragusiensium Scriptorum indicavimus.

Obiit an. 1632.

LUDOVICUS EPISC. STAGN. XXXV.

Ludovicus Episc. an. 1632.

Patritius Ragusinus e nobilissima familia Zamagna, egregius alumnus sanctissimæ disciplinæ Dominicanæ, anno ineunte 1632. ad regendam Ecclesiam Stagnensem accessit, Ne biennium quidem præfuit; de quo in laudatis sæpe Monum. *F. Ludovicus Giamagna nobili sanguine genitus, Stagnensis Præsul, postquam xix. fere annos omnibus in Congregatione muneribus perfunctus explesset, præfato F. Ambrosio successit, ob singularem eruditionem ac pietatem ab Urbano VIII. renunciatus, In Episcopatu, uti in religione consueverat, vixit, modestiam, frugalitatem, solitudinem, & id genus studia, quæ & religiosum virum, & Episcopum decent, amulatus. Verum præpropere, quippe quadragenario minor, 18. assumptionis suæ mense Ragusii diem obiit 24. Julii 1634. & in sacristia conditus ad pedes Fratrum fuit. De hoc nemo, si bene adverti, scripsit,* publicæ precibus morem gessit, & anno 1635. 9. Julii, ut est in tabulis Consistorialibus, providit Ecclesiæ Stagnen. per obitum Ludovici Giamagna vacanti de persona Domini Paulli de Gratiis &c. Litteras autem Reipublicæ honorificentissimas reddidit, quas hic apponendas censeo.

obiit an. 1634.

Dilecti Filii, Nobiles viri salutem &c. Sollicitudo, quam Nobilitates vestræ non vulgarem ostendunt, ut populis Ragusinæ Reipublicæ subjectis probi ac seduli animarum Pastores a vobis præficiantur, certissimum est argumentum insignis pietatis ac religionis, quibus finitimi nationi pravæ Catholicam fidem salvam atque incolumem conservatis. Hæc sane nos in vestram utilitatem sponte propensos vehementius invitant, ut quæ vobis spirituali fore profectu intelligamus, vobis indulgeamus. Igitur dilecto filio Paullo de Gratiis Stagnensis Ecclesiæ Episcopatum, quemadmodum vobis in optatis significatum est, liberaliter demandavimus. Neque veriti sumus, ne qui vestra testificatione, & diurno virtutum experimento fidem atque integritatem suam adhuc omnibus probavit, ab instituto discedere velit, saque morum suorum dissimilem præstet. Caterum etiam illud pro certo habemus, nihil officii a vobis desideratum iri, quod in Antistite non modo probitate ac virtute præstante, sed etiam publice expetitum, conferri oporteat. Nobilitatibus vestris Apostolicam Benedictionem &c.

Litteræ Urbani VIII. P. ad Senatum Ragusinum.

Ecclesiæ sibi traditæ possessionem adiit ingenti civium cujusque ordinis lætitia & expectatione, quam postea non explevit modo, sed etiam superavit, Per annos fere septemdecim in re Christiana, & Ecclesiastica administranda ita se gessit, ut nullum optimi atque sanctissimi patris officium prætermiserit; sibique omnium benevolentiam ac venerationem conciliavit. Aliquid controversiæ habuit cum Patribus Dominicanis Brotiensibus, Cum e proventibus Cœnobii Brotiensis, paucis ante annis condicti, sumptus necessarii non suppeterent ad Fratres duodecim alendos, illos Episcopus jurisdictioni & visitationi Episcopali obnoxios esse contendebat. Verum eosdem Sacra Congregatio de Propaganda Fide singulari privilegio exemit, ut docent Monumenta sæpius laudata S. Congregationis S. Dominici de Ragusio: *Cum Paulus de Gratiis Episcopus Stagnensis in novum Cœnobium Sanctissimæ Annunciationis suæ Diœcesis Brotii, duodenario Fratrum numero, ut Apostolica lege cavetur, destitutum, jus habere visitandi contendisset, Fratres propriæ quieti consulentes, Fratre Hyacintho Bendevisio Romam misso, a Sac. Congreg. de Propaganda decretum exemptionis obtinuerunt; simul etiam pro tota Congregatione Ragusina, si quos in posterum fine eo numero extruerent Conventus, a Sacra Congregatione Episcoporum ac Regularium accepto decreto, ab Ordinariorum jurisdictione vindicarunt.*

Paullus annos fere 17. summa cum laude præfuit.

Privilegium Sac. Congr. Patribus Dominicanis Brotiensibus concessum,

Hujusmodi privilegium neque animum Episcopi a Fratribus alienavit, neque illius erga hos benevolentiam & charitatem diminuit. Nam cum Templo Divæ Virginis ab Angelo salutatæ admodum angusto, atque ad sacras functiones, & Religionis Dominicanæ usus parum idoneo ad eam diem visi fuissent, ut potestas sibi fieret novi & augustioris Templi, sub titulo & auspiciis Beatæ Mariæ *de Rosario* condendi, ab Episcopo petierunt: id quod illis libentissime his verbis concessit: *Die 15. Octob. 1646. Omnibus, ad quorum notitiam qualitercumque præsentes nostræ pervenerint, indubie notificamus, quod nos desideran-*

& facultas a Paullo Episcopo concessa Templi ædificandi.

PAULLUS EPISC. STAGNENSIS XXXVI.

Paullus Episc. Stagn. an. 1635.

Oriundus ex insula Melita, cognomento de Gratiis, presbyter Melitensis, & Parochus Ecclesiæ D. Stephani in insula Jupana, quam Tauridem appellant, cui regendæ præpositus fuit an. 1622. Quibus doctrinæ, ac dignitatis honoribus esset cumulatus, quæque ante Episcopatum munera obierit, compertum nobis fuit ex vetusto suæ Parœciæ, Ecclesiæque libro, in quo hæc leguntur, licet, exesis pluribus litteris, non integra. *D. Paulus de Gratiis Melitensis . . . . Parœnæ Princeps, scientiarum doctor. . . . . Vicarius Stagnensis, Assessor Vicarii Ragusini . . . . . Sarsinæ, necnon Vicecomes . . . . in Roma permittente Deo ob peccata . . . . Rector . . . . Ecclesiæ D. Stephani Insulæ Tauridis a Virginis partu MDCXXV.*

Huic Senatus perhonorificum singularis doctrinæ, ac virtutis testimonium tribuit, cum in suis ad Urbanum VIII. litteris commendaticiis supplicitet postulavit, ut eum Ecclesiæ Stagnensi pastorem & Episcopum præficeret, Pontifex Rei-

Digitized by Google

rantes augmentum divini cultus, Sanctissimæ Deiparæ Virginis Mariæ exaltationem, Sanctorum laudem, nec non Christi fidelium, & maxime nostræ sollicitudini commissorum, gratiarum spiritualium in Domino profectum, jam præteritis temporibus viva voce concessimus, prout & nunc per hæc scripta concedimus liberam facultatem admodum RR. PP. FF. S. Dominici Congreg. Rag. construendi Ecclesiam in Pago Brotiensi nostræ Diœcesis Stagnensis, sub titulo, & invocatione Sanctissimi Rosarii. Datum die 15. Octobr. an. 1646. Paulus de Gratiis Episcopus Stagnen.

Multæ illi & molestæ contentiones fuerunt cum mulieribus tertii Ordinis Dominicani S. Michaelis, tum tertii Ordinis Franciscani SS. Cosmæ & Damiani, quas claustri monachalis lege obstringere volebat; idque ut efficere curaret, a Sacra Congregatione Concilii mandatum acceperat die 17. Junii 1645. Sed quod ipse optabat, & Sacra Congregatio urgebat, efficere non potuit. Anno 1652. Paulus de Stagnensi Ecclesia optime meritus ad Superos migravit. Sepultus est in Æde Cathedrali, eique hic titulus inscriptus: *Paulus de Gratiis Melitensis scientiarum Magister, Stagnensis Episcopus, hic novissimam expectat Tubam.*

Ejus obitus.

CAROLUS EPISC. STAGNEN. XXXVII.

Carolus Julianus ex Ordine Dominicano Episc. Stagnen. an. 1653.

Quem alias *Julianum*, alias *de Freddis*, alias *Jolitam* cognominatum invenio. Triplici cognomine prædirum fuisse opinor, paterno, materno, tertio autem aliunde accepto. Auctor Monumentorum Congreg. Dominic. Raguſ. Carolum Ragusii natum fuisse tradit, patre Veneto *Andrea de Freddis*, matre vero Ragusina, Familiæ Dominicanæ aggregatus cum esset, multiplici doctrina & eximiis virtutibus atque honoribus claruit. Idem & Magister Sacræ Theologiæ fuit, & Concionator egregius; Cœnobiarcha Fratribus regendis præpositus, demum Vicarius generalis totius Congregationis Ragusinæ. Rectore & Consilio Civitatis postulantibus, Innocentius X. Episcopum Ecclesiæ Stagnensi præfecit, ut est in Actis Consistorialibus: *Anno 1653. 3. Februarii providit Ecclesiæ Stagnensi vacanti per obitum Pauli de Gratiis, ad nominationem, seu præsentationem Rectoris & Consilii Reip. Ragusinæ, de persona F. Caroli Juliani Ord. Prædic. cum decreto, quod Sanctuarium sacra supellectili sufficienter instruat.* Annos undecim laudabiliter, & utiliter præfuit, de quo in iisdem Monumentis Congreg. Dominic. Raguſ. *F. Carolus de Freddis, sicut aspectu corporis venerabilis, sic animi donibus inclytus, sacræ facultatis eximius Professor, ætatis suæ Præco celeberrimus, postquam in Ordine 25. annos egisset, & Lectoris, Concionatoris, ac Vicarii Generalis nostræ Congregationis munera obiisset, anno ætatis 50., æra Christiana 1652. electus fuit Episcopus Stagnensis a Senatu Ragusino; & ab Innocentio X. confirmatus die 3. Februarii 1653. Annis XI. doctrina, ac virtutum exemplo gregem suum pavit. Tandem sexagenario major 1663. tertio Nonas Novembris vita defunctus est, ibique in Cathedrali Ecclesia solemni ritu, inter pias Cleri populique lachrymas, sepulcro traditus fuit. Cavallerius eumdem Jolitam cognominat ad an. 1655. at profecto præter ejusdem subscriptiones in variis Conventus Ragusini libris, ac Professorum Registro, proditur eum fuisse familiæ de Freddis; filiumque Andreæ de Freddis Veneti, qui uxorem Ragusii duxerat, ab iis, qui eum cognoverant, accepi. Nescio vero quis Scriptor Vitæ Joannis Baptistæ de Marinis, Generalis olim Magistri, recensens Episcopos sub hoc Generali ex nostro Ordine assumptos, Carolum nostrum Provinciæ Romanæ alumnum facit; sed quo persuasum sibi habuerit argumento nescio, cum, præter id, quod a Senioribus mihi traditum fuit, certum sit eumdem Ragusii nomen Religioni dedisse; & præter paucos juventutis annos extra Congregationem nostram expletos, constat eum Ragusii commoratum, unde virtutum merito ad Episcopatum fuit assumptus.*

alumnus Congreg. Ragusinæ

Mulieres tertii Ordinis tum Dominicani, tum Franciscani, quas Sacra Concilii Congregatio, utpote *collegialiter viventes* decreverat 5. Octobris an. 1658. perpetui claustri lege obstringendas, nihilo felicius quam ejus decessor, ad obtemperandum adigere potuit; uti & successor

PETRUS III. EPISC. STAGNEN. XXXVIII.

Petrus Lucarus e Canonico Ædis Cathed. Episc. Stagnen.

Cui patria Ragusium fuit, genus & cognomen ex amplissima, & patritia Familia Luccara. Erat Canonicus Ædis Cathedralis; quem ab Rectore & Senatu Ragusino electum, Alexander VII. Episcopum Ecclesiæ Stagnensis creavit: *Anno 1664. 23. Junii providit Ecclesiæ Stagnensi, per obitum Caroli Juliani vacanti, de persona Petri Luccari, præsentati a Repub. Ragusina.* In ea regione ad meridiem obversa, quam ex communi Peninsulæ vocabulo Sabioncellum vocant, extat pagus satis frequens, cui nomen Vigagn. Cum ibi magna esset penuria Sacerdotum, qui Christianæ incolarum institutioni operam darent, Marcus Karsteghus nobilis trierarcha, æque opulentus & pius, consilium cœpit Cœnobii ac Templi ædificandi, tradendique Patribus Dominicanis, qui in earum animarum curam & salutem incumberent; idque ut sibi liceret, a Petro Episcopo impetravit, ut in Monum. Congreg. Ragusinæ his verbis traditum est: *In regione ampliſſima ad extremos fines Raguſ. Reip. Sabioncello pagus est, cui Vigagn nomen nostra ætas posuit. Hujus incolæ cum Sacerdotum copia carerent, Marcus Karstegh, vir auctoritate, ac divitiis inter navium trierarchas, qui optimi in illo pago censentur, præstabilis, p. F. Hyacinthum de Passatis a Fratribus Congregationis obtinuit, ut acceptarent Ecclesiam, & Monasterium ibidem suis impendiis ædificandum. Igitur in prospectu Insulæ Curciolensis constitutis navi Cœnobii fundamentis, Petrum Luccari Episcopum Stagnensem supplici libella, ut annueret, precatus est; cui Episcopus in hæc verba rescripsit:* Nos Petrus Luccari Dei, & Ap. Sedis gratia Episcopus Stagnensis: *Attentis expositis, licentiam concedimus Oratoribus erigendi, & fundandi Ecclesiam & Monasterium, de quibus in precibus, ad præscriptum Sac. Concilii Tridentini, & Summorum Pontificum Constitutionum, & signanter fel. record. Gregorii XV. & sine præjudicio jurium Episcopalium, & Parochialium, & præsertim quartæ funeralis. Dat. Gravosæ in Ædibus nostris XI. Jul. anno Domini 1671. Petrus Ep. Stagn. Matthæus Bobani Cancellarius. Fratres Min. de Observantia, qui in Pago Orebichi ad tria fere millia passuum, Conventum habent, se opposuerunt;* ac opera F. Joannis Baptistæ Natalis, *res composita est Romæ an. 1672.*

Cœnobii Dominicani ædificandi in pago, cui nomen Vigagn, potestatem concessit.

Ecclesiam Stagnensem Petrus summa prudentia, & tranquillitate sine ulla offensione annos cir-

Ejus obitus.

circiter quindecim gubernavit. E vivis sublatus est IX. Kal. Decembris anno 1679. & sepultus in Æde cathedrali. Ritus omnis ecclesiastici servantissimus fuit, dilexit decorem domus Dei, & nihil in ea poterat pati, quod ejus sanctitatem quoquo modo dedeceret; & suæ dignitati Episcopali, sibique Dei personam sustinenti debitum honorem habere voluit. Ecclesia Stagnensis Collegio Canonicorum caret, unus est Archipresbyter, qui Clero præsidet. Itaque post obitum Episcopi Senatus Ragusinus ut Episcopi, seu Vicarii generalis, qui, dum Sedem vacabat, res ecclesiasticas curaret, eligendi jus ad se pertinere existimabat; *ad quem dicitur e Sedis Apostolicæ permissu, Stagni sede vacante, Vicarii Generalis electio, ut præsentatio spectare per Archiepiscopum Ragusinum.* Quocirca vix Petrus obierat, cum Senatus Presbyterum quemdam Simonem filium Andreæ nominavit Vicarium Generalem, & Petrus de Torres Archiepiscopus nominationem ratam habuit & confirmavit.

HYACINTHUS EPISC. STAGNEN. XXXIX.

Hyacinthus de Passatis ex Ordine Dominicano Episc. Stagn.

Insula *Media* inter Jupanam & Calamatam, ei solum natale fuit, familia de Passatis ortum & cognomen dedit. Ad Congregationem Dominicanam Ragusinam adscriptus, multiplici doctrina excelluit, sæpius Monasteriis præfuit, Præfecturam supremam totius Congregationis gessit, quam Cœnobio Vigagnensi auxit. Cum annum ætatis sexagesimum ageret, Episcopum Stagnensem, ab Senatu designatum, Innocentius XI. approbavit, & 13. *Maji* 1680. *providit Ecclesiæ Stagnensi, vacanti per obitum Petri Luccari, de persona Hyacinthi Mariæ Passati, Ord. Prædic. &c.* Romam se contulit consecrationis Episcopalis suscipiendæ caussa, & possessionem Ecclesiæ sibi traditæ per procuratorem adivit. Ragusium vix redierat, cum morte præreptus, quam Ragusinis expectationem sui commoverat, & spem optimæ administrationis eisdem injectam fefellit. In Monumentis Congreg. Ragusinæ S. Dominici hoc illi elogium attributum invenio,

Ejus vita & elogium.

F. Hyacinthus Maria de Passatis ex Insula, quæ Media dicitur, in Ragusino districtu, Suc. Theologiæ Magister, Episcopus Stagnensis, quindecim annos natus, Ragusii habitum Ordinis induit, difficilioris ingenii in Probatione visus est, ita ut spem omnem sufficientis etiam litteraturæ auferret. At tum naturalibus, tum sacris scientiis applicatus, oratione media, ac cæterarum virtutum exercitio, regularis disciplinæ tenacissimus, in omni scientiarum genere admodum profecit, ut & vices Regentis in Romano Collegio S. Mariæ super Minervam exercere meruit, & Magisterii lauream adeptus est. Fuit in Congregatione Vicarius generalis, ac pluries Prior, summa usus in regendo moderatione, patique zelo monachalis disciplinæ. In eo profecto summa erant omnia, eruditio, pietas, regularis vitæ studium, prudentia, & hujusmodi dotes, quibus venerationem sibi maximam conciliavit. Quare anno 1680. ætatis suæ LX. nominatus in Episcopum Stagnensem a Senatu Ragusino, cujus & consiliis usus est, theologum eum Reip. egit, & concionibus profuit, quippe Concionator celebris fuit, & in pluribus cum Italiæ, tum Dalmatiæ civitatibus, pari fructus & honoris incremento concciones habuit. Confirmatus fuit ab Innocentio XI. die 13. Maji; quam dignitatem constans fama est acceptasse, non nisi ut novus Conventus de Vigagn in Stagnensi Diœcesi, qui a se initium sumpserat, etiam perficeretur. At Roma Ragusium rediens, Episcopatus possessione per procuratorem inita, eodem anno, 8. Augusti die, mortalitatem explevit, sepultusque fuit in sacristia Ragusini Conventus, a Clero simul, & populo mire desideratus, qui nec videre eum potuit. Scripsit plura doctissimus vir; ac extra Religionem defuncti, vix quinque Tomi Sacrarum Concionum, cæteris, ut fere contingit, deperditis, reliqui fuere, quos recuperarunt Fratres, & in Archivo reposuerunt.

AUGUSTINUS EPISC. STAGNEN. XXXX.

Ex Ordine Fratrum Minorum S. Francisci, *Flavius Macedonich* cognominatus; Innocentius XI. *Anno* 1681. *27. Januarii providit Ecclesiæ Stagnensi vacanti per obitum Hyacinthi Mariæ Passati de persona Augustini Flavii Macedonico Ord. Min. de Observantia.* Insignis Theologus fuit. Ne integrum quidem biennium præfuit. Romæ diem supremum obiisse tradunt postridie Idus Novembris anno 1682.

Hunc laudat Dolcius in Fastis hisce verbis, *Augustinus Flavius Macedonich Ord. Min. Anno* 1681. *Stagnensem indeptus Episcopatum, post biennium Romam reversus est, ibique ex phthisi decessit. Brenensis patria se a loco, qui nobis* Srebarno, *vocitavit* Flavium; *uti etiam dici voluit* Macedonich *ab Illyrico cognomine* Arbanasin. *Ante conciones* de Adventu *P. Vitalis Andriasii extant in hujus laudem duo ipsius Epigrammata, Hispanicum unum, Illyricum alterum, quin & Elogium Hispanice contextum Leopoldo de Kollenich, cui prædictæ oblatæ conciones.*

JOANNES BAPTISTA II. EPISCOPUS STAGNENSIS XXXXI.

Joannes Baptista Natalius ex Ordine S. Dominici,

Tarpagni in vico peninsulæ Stagni natus ex familia Natalia, qui rebus humanis nuncio remisso, apud Patres Dominicanos vitæ religiosæ tyrocinia posuit. Confecto studiorum curriculo, totum se concionibus habendis, confessionibus audiendis tradidit. Plures Cœnobiorum præfecturas laudabiliter gessit; & titulo ac munere Vicarii generalis Congregationi Dominicanæ Ragusinæ præfuit. Plurimum valebat, tum eloquentia, tum rerum divinarum doctrina, tum denique controversiis, quæ ad mores pertinent, dirimendis. Innocentius XI. Senatu Ragusino postulante eum Ecclesiæ Stagnensi Episcopum dedit: 15. *Novembris*, 1683. *providit Ecclesiæ Stagnensi vacanti per obitum Augustini Flavii Macedonici, de persona Joannis Baptistæ Natalis Ord. Prædic.* Tres annos, & menses circiter novem ita præfuit, ut omnes optimi Episcopi partes cumulatissime expleverit. Pauçis mensibus antequam e vita decederet, Templum Cœnobii Dominicani Vigagnensis, sub titulo, & auspiciis Sanctæ Mariæ *de Rosaria*, ritu solemni consecravit. Ex immani quodam & sacrilego facinore tantum mœroris hausit, ut præ summo angore, vitæ animæque dimidium sibi detractum esse affirmaret. Repentina morte perculsus diem supremum obiit pridie Nonas Augusti an. 1687. Viri immortalitate dignissimi memoriam scriptis impressam reliquit Auctor Monumentorum Congregationis Ragusinæ S. Dominici: *F. Joannes Baptista Natalius Ragusinus, Stagni Episcopus, vir in Philosophia, ac Sacra Theologia, quam*

Episc. Stagnen. 1683.

Templum Cœnobii Dom. Vigagnen. consecravit.

per

Digitized by Google

Ejus elogium.

per annos plurimos a celeberrimo F. Gabriele Marletta Neapoli in Collegio Montis Dei audivit, inſignis; Concionatoris vero, ac Confeſſarii munere, & in caſibus conſcientiæ reſolvendis excellens, Apoſtoli Civitatis Raguſinæ nomen adhuc vivens ſortitus, poſt mortem reliquit. Multoties in Congregatione Prior, ac ſemel Vicarius generalis præfuit. Demum in Epiſcopum Stagnen. propoſitus a Raguſinæ Reip. Senatu, ab Innocentio XI. confirmatus fuit die 15. Novembris, anno ætatis 50. Domini vero 1683. quo in munere optimi Paſtoris partes adimplevit. Contigit autem initio menſis Aprilis 1686. ut Venetorum ditionis, qui oras Dalmatiæ incolunt, prædones, vernacula lingua Haiduzi, (hi ex variis Dalmatiæ caſtris & villis collecti, depradatum ire terra marique contra Turcas a Venetis tempore belli tolerantur,) in villa Giulianæ Stagnenſis Diœceſis, immane facinus perpetrarent; nam devaſtatis agris, expoliatas villicorum caſas igne ſuppoſito concremarunt; Parochus præter vitam, nihil reliquum immanitati ſuſtulit; fractis parochialis Eccleſiæ januis, quidquid in veſtibus, vaſiſque ſacrum reperere, ad profanos uſus convertendum, inde extulerunt; & quod vix fidem habet (de Catholicis enim loquimur) projectis in terram ex Sacrario Euchariſticis ſpeciebus, ſacram etiam Pyxidem aſportarunt. Graviſſimi ſacrilegii intimis animi ſenſibus accepto nuncio Epiſcopus noſter, eo percitus eſt dolore, ut jurejurando, Archidiacono, & Vicario Generali Curiæ Raguſinæ, quem litteris datis de re certiorem fecerit, teſtari potuerit, dimidium ſibi vitæ eo caſu ſublatum. Dum vero tanti ſceleris in iis, qui Chriſtiano nomine cenſebantur, impatiens, acceptis de jure teſtibus, ac efformatis & delicti & delinquentium actis,

Dum Romam cogitabat, repentina morte ſublatus eſt.

Romam ad Summum Pontificem ire pararet, Stagni improviſa morte noctu correptus, quintam Auguſti diem illuxiſſe non vidit, quarto Epiſcopatus ſui anno, Domini vero 1687. ætatis 56. in Æde Cathedrali ſepultus abſque titulo.

CAROLUS II. EPISC. STAGNEN. XLII.

Carolus Olantes ex Ordine Dominicano Epiſcopus Stagn.

De quo in Tabulis quidem Conſiſtorialibus: *Providit* (Innocentius XI.) *31. Maji 1688. Eccleſiæ Stagnenſi, vacanti per obitum Joannis Baptiſtæ Natalis, de perſona Caroli Olantis Ord. Prædic.* In Monumentis vero Congreg. Dominicanæ Raguſinæ: *Fr. Carolus Olantes Stagnenſis Epiſcopus, ſacra & naturali eruditione præditus, 25. annorum ſpatio, quo in Religione vixit, Philoſophiæ ac Sacræ Theologiæ lectione, ſacriſque concionibus ſibi nomen fecit; Prioris, ac Vicarii generalis munus in Congregatione noſtra obiens, ea erat charitate, & prudentia inſtructus, ut omnium plauſum & affectum promeruerit. Tandem vacante Stagnenſi Eccleſia, Raguſii, ut moris eſt,*

Ejus elogium & obitus.

in Senatu Epiſcopus nominatus fuit, & ab Innocentio XI. confirmatus ſub die 31. Maji, anno 1688. ætatis vero ſuæ 39. Recurrente autem anno 1692. pridie Idus Novembris an. ætatis 44. Raguſii ſummo omnium mœrore vita functus eſt, & ad pedes Fratrum, in ſacriſtia ſepultus.

HYACINTHUS II. EPISC. STAGN. XLIII.

F. Hyacinthus Epiſc. 1693.

Honeſto loco natus, in pago non ignobili Canalitarum, ex familia Tuartkovichia. Adeunte adoleſcentia Ordini Fratrum Minorum S. Franciſci adſcriptus, cum ſingulari doctrina virtutes omnes conjunxit, quæ virum religioſum decent. Hunc Innocentius XII. Eccleſiæ Stagnenſi Epiſcopum dedit anno *1693. 13. Aprilis, 1693. providit Eccleſiæ Stagnen. vacanti per obitum Caroli Olantis de perſona F. Hyacinthi Tuartkovich. Ord. Fratrum Minorum de Obſervantia.* Ne annuum quidem Pontificatum geſſit, morte ſublatus anno eodem, Nonis Decembris; de quo P. Sebaſtianus Dolci in Monum. Hiſtor. Provinciæ Rhac. *P. Hyacinthus Tuartkovich fuit Canalita Rhacuſinus, Sac. Theologiæ generalis Lector, tum hujus, tum Boſnenſis Provinciæ olim Commiſſarius Viſitator, itemque Vicarius, & Miniſter Provincialis; ac demum 1693. Stagnenſis Epiſcopus. Vir iſte pietate morum inſignis, febri in ſua Diœceſi correptus anno 1694. Rhacuſii inter nos quievit,*

ALPHONSUS BASILIUS EPISCOPUS STAGNENSIS XLIV.

Alphonſus Epiſc. 20. 1694.

Patritius Raguſinus ex illuſtri familia de Ghetaldis, Canonicus Ædis Metropolitanæ, Sanctioris vitæ cupiditate impulſus, Capitulari ſubſellio decedens, ad Congregationem Benedictinam Melitenſem ſe aggregavit. Studiorum cauſſa in Italiam miſſus, Perugii, & Palermi apud Monachos Congregationis Caſinenſis, Philoſophiæ, Theologiæ, Juri Pontificio operam dedit. In patriam reverſus, cum Prioris & Abbatis titulum ac præfecturam geſſiſſet, eum Innocentius XII. Viſitatorem Apoſtolicum Congregationis Melitenſis conſtituit; deinde vero idem Pontifex *19. Julii 1694. providit Eccleſiæ Stagnenſi vacanti per obitum Hyacinthi de perſona Alphonſi Baſilii Ghetaldi, Presb. Congreg. Meliten. Ord. S. Benedicti.* Annos circiter decem Paſtoris vigilantiſſimi, & ſolertiſſimi officio functus, e vita deceſſit poſtridie Idus Septembris an. 1702, & ſepultus eſt apud ſuos in Templo S. Jacobi de Viſniza.

VINCENTIUS EPISC. STAGNEN. XLV.

F. vincentius vir inſigni doctrina & eximia virtute

Humili loco natus Graddæ, in vico Vallis Canalitarum; ei de Lupis cognomen fuit. Latinis litteris vix latis imbutum, ſed bona indole, & ingenio excellenti præditum, familia Franciſcana filium ſibi adoptavit. *Vir iſte*, ut Sebaſtianus Dolci in ſuis Monumentis ſæpe laudatis, *in Sacra Scriptura doctiſſimus fuit, nedum jubilationis laurea inſignitus eſt, aſt etiam in præclarioribus Italiæ Civitatibus perlaudabiliter ſacras conciones habuit, quin bis egit quoque Concionatorem in Rhacuſina Cathedrali Eccleſia. Mantuæ præcipua in honore habitus eſt, ubi & Guardiani magni illius Cœnobii officium geſſit, ac Duci Ferdinando Carolo a Theologicis Conſiliis inſervivit. Ad Stagnenſem Epiſcopatum evectus, & pro ſolatio (ut paſſim dicitabat) ſolos ſacros libros habens, Opus quoddam in Hebræos, cui titulus, Campus Pugnæ, dudum ab ſe inceptum italico idiomate, limabat exactiſſime, typis ipſum daturus, ſi comes vita fuiſſet.* Servatur hic Mantuæ in Bibliotheca Familiæ Franciſcanæ ex Ord. Min. Huic igitur Clemens XI. Eccleſiam Stagnenſem Senatu Raguſino poſtulante decrevit, ut eſt in Tabulis Conſiſtorialibus: *4. Julii 1703. providit Eccleſiæ Stagnenſi vacanti per obitum Alphonſi Ghetaldi de perſona Vincentii Lupi Raguſini Ordinis S. Franciſci de Obſervantia.* Ex mandato Sacræ Congregationis poteſtatem fecit Præſidi Provinciæ Franciſcanæ Raguſinæ recipiendi Tem-

Epiſcopus Stagnenſis an. 1703.

pli

Patribus Franciſcanis poteſtatem fecit recipiendi Templi S. Mariæ Lauretanæ, & Monaſterii ibidem ædificandi.

pli S. Mariæ de Laureto apud Cunæ oppidum Diœceſis Stagnenſis, & Monaſterii ibidem conſtruendi. Parocho ejus loci cupiente, etiam & poſtulante, non ſolum conſentiente; quippe qui opera Fratrum & auxilio indigebat, ad gregem ſuum numeroſum & longe lateque diſperſum, cui regendo ſe non eſſe ſentiebat, divinis myſteriis impertiendum, & Chriſtianis præceptis excolendum. Poteſtatem eidem conceſſam hoc diplomate teſtatam eſſe voluit.

F. Vincentius Lupi O. Min. S. P. N. Franciſci, Dei & Ap. Sedis gratia Ep. Stagnen. Dilectis plurimum in Chriſto P. Miniſtro Provinciali Obſervantiæ Raguſinæ Provinciæ, ejuſque ſucceſſoribus, & Fratribus ſalutem in Domino ſempiternam. Paſtoralis noſtri officii ratio poſtulat eam curam diligentiamque adhibere, qua cultus Dei, & profectus animarum ſemper magis ac magis augeatur. Cum in Parochia Cunæ noſtræ Stagnenſis Diœceſis venerabilis extet Eccleſia in honorem SS. Deiparæ, ſub titulo S. M. de Laureto nuncupatæ, nuper piis piorum eleemoſynis ædificata, dignum ac rationi conſonum ſit eidem ſacros præficere miniſtros, qui laudes divinas jugiter diu noctuque perſolvendo, & ſacra myſteria celebrando ei inſerviant, quod non ſolum incolæ ejus Parochiæ, ſed & adjacentes ſummopere optantes, nobis humiliter ſupplicarunt, & ſupplicare non deſiſtunt, ut ibi Fratres Minores Ord. S. P. N. Franciſci de Obſervantia nuncupati Provinciæ Raguſinæ inſtituantur. Et nos quidem mature conſiderantes unum eumdemque Parochum, tum ob fidelium, qui ibi vivunt, copiam, tum ob locorum, & Communitatum in eadem Parochia exiſtentium diſtantiam, & onus ſibi impoſitum, ſufficientem non eſſe, nec non ejuſdem Dei Genetricis veneration pro viribus ſtudeamus, & prædictis juſtis ſupplicationibus benigne annuentes, tibi P. Provinciali Provinciæ Raguſinæ Min. de Obſervantia, tuiſque ſucceſſoribus, & ejuſdem Provinciæ Patribus, eamdem Eccleſiam concedere decrevimus, prout præſenti decreto concedimus, & aſſignamus; & hoc ex ſpeciali indulto, & commiſſione S. Congreg. Epiſcoporum, & Regularium, ſub die 6. Febr. 1705. & accedente etiam conſenſu, immo & ſupplicante Parocho ejuſdem Parochiæ; cum omni ſupellectili, & aliis ſive mobilibus, ſive immobilibus, ad eamdem Eccleſiam quomodocumque pertinentibus, vel in futurum obveniendis; nec non facultatem ibi Conventum conſtruendi, in quo Fratres commode ac libere habitare, & abſque ulla dependentia vivere queant, prout in cæteris veſtris Conventibus, elargimur; conſcientiam veſtram oneramus ad ibidem religioſos & idoneos conſtituendos viros, qui in concionando, divina adminiſtrando, animaſque fidelium per vias ſalutis ducendo, eidem Parocho adjutorii eſſe poſſint. Et ut præſens noſtrum Decretum inviolabile robur obtineat, illud propria ſubſcripſimus manu, & noſtræ Curiæ majori munimus ſigillo. Datum Stagni parvi ex noſtro Epiſcopali Palatio, die 30. menſis Auguſti an. 1705.

F. Vincentius Epiſcopus Stagnenſis.

Anno ſexto poſt ſuſceptum Epiſcopatum, & feliciter atque utiliter geſtum, obiit tertio Nonas Novembris 1709. Stagni, cum annum ageret octavum ſupra ſexageſimum, & ad gradus aræ maximæ ſepultus fuit in Æde Cathedrali, nullo titulo inſcripto.

FRANCISCUS II. EPISC. STAGN. XLVI.

Franciſcus II. Epiſc. an. 1710.

Civis & Presbyter Raguſinus, cognomento *de Volantis*, Præpoſitus Eccleſiæ collegiatæ S. Blaſii; quæ dignitas & præfectura caret quidem curatione animarum, ſed magno in honore habetur; idemque erat ab epiſtolis, & arcanis conſiliis Reipublicæ, ex more antiquo longo intervallo e temporibus ſuperioribus revocato, cum viri e Clero & Capitulo ad id munus deligi ſolebant; cui gerendo idoneus nemo eſſe cenſebatur, niſi honeſto loco, & fide, & induſtria cognitus; quod neceſſe eſt omnium conſiliorum eum eſſe participem. Ergo propter fidelem ac diligentem operam Reip. navatam, Senatus Franciſcum deſignavit Epiſcopum Stagnenſem, & præſtanti munere elaborati in malluvium ac lagenam argenti cum Reipublicæ inſignibus donavit. Deſignationem approbavit Clemen. XI. & 1710. 7. *Maji providit Eccleſiæ Stagnenſi, vacanti per obitum Vincentii Lupi, de perſona Franciſci Volanti Presb. Raguſini.* Communi & ſingulari omnium approbatione annos triginta præfuit, ac de omnibus bene mereri ſtuduit; ſed præſertim de pauperibus, in quos de patrimonio, domeſtico etiam, non ſolum eccleſiaſtico, quotidiana ſubſidia large effuſeque erogabat. Synodum coegit anno 1713; ac ſaluberrimis decretis Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ac morum ſanctitati providit. Ardelium Dellabellam Presbyterum Societatis Jeſu, celeberrimum ea tempeſtate in Dalmatia operarium Evangelicum, ad gregem ſuum curandum, & excolendum ſibi adjutorem annos haud paucos adhibuit. Ætatis anno ſecundo ſupra octogeſimum mortuus eſt VI. Id. Aprilis 1741. & in æde S. Franciſci ſepulchro majorum ſuorum illatus.

ANGELUS EPISC. STAGNEN. XLVII.

Angelus Ep. an. 1741.

Filius fratris Franciſci Epiſcopi Stagnenſis, diſciplinæ Dominicanæ alumnus, inſignis Theologus & Concionator, Maceratæ, in urbe nobiliſſima Piceni, Sacri Quæſitoris officio functus. Anno 1731. Clemens XII. Epiſcopum Tribunienſem ac Mercanenſem illum elegerat; quam tamen dignitatem a ſe quam modeſtiſſime avertit. Efficere tamen non potuit, quin ob ſingularia ejus & patrui merita nominatus a Senatu, a Benedicto XIV. Eccleſiæ Stagnenſis Epiſcopus conſtitueretur anno 1741. Multa geſſit digna litteris, & memoria, ſed plura & majora moliebatur, cum eum letalis morbus invaſit. E lectulo transferri cupiebat in Monaſterium Dominicanum, ut apud Fratres ſuos, & inter conſuetas illorum precationes animam efflaret; ſed pio deſiderio periculum mortis accelerandæ obſtitit; id cum fieri non poſſet, quod proximum fuit, ſe apud eos ſepeliri juſſit. Deceſſit IX. Kalendas Julii anno 1744.

HYACINTHUS III. EPISC. STAG. XLVIII.

Hyacinthus III. Epiſc. ad Metrop. Raguſ. translatus.

Cui Raguſium patria, Milcovichio cognomen, vitæ religioſæ inſtitutum profeſſio diſciplinæ Dominicanæ fuit, de quo plura in Archiepiſcopis Raguſinis. Anno 1445. ad Eccleſiam Stagnenſem, poſtulante Senatu, jubente Benedicto XIV. regundam acceſſit, quam ex mandato ejuſdem Pontificis an. 1752. cum Metropoli Raguſina commutavit.

PETRUS IV. EPISC. STAGNEN. XLIX.

Petrus Budmanus Episcopus an. 1752.

Presbyter Ragusinus e Budmana familia, in primis inter cives secundi ordinis clara & copiosa. Juvenilem ætatem pueris erudiendis apud Patres Societatis Jesu, & litteris latinis tradendis exegit; quo in munere sane laborioso & molesto miram diligentiam ac sedulitatem adhibuit; quidquid temporis ab illa institutione puerili vacuum erat, id omne in confessiones audiendas, & proximos juvandos, præsertim ægros, ac moribundos conferebat. Propter eximiam probitatem, solertiam, studium servandarum animarum, magnam existimationem, gratiam, & benevolentiam apud primarios ac nobiles viros sibi conciliaverat, quorum plerosque, non magis latine loquendi, quam bene vivendi primoribus præceptis imbuerat. Translato igitur Hyacintho Milcovichio ad Sedem Archiepiscopalem, cum neminem ad Ecclesiam, quam ille reliquerat, gubernandam Petro Budmano magis idoneum esse censerent, illum Senatus de communi sententia elegit, Benedictus XIV. creavit Episcopum Stagnensem anno 1752. Sub initium Episcopatus, incredibilem mœrorem cœpit ex interitu Georgii Grisichii, quem sibi Vicarium generalem constituerat, virum omni doctrina & virtute præditum, rerum omnium hujus Ecclesiæ gerendarum scientissimum; quippe qui per annos fere quadraginta Episcopis Stagnensibus operam vicariam summa cum laude, & communi approbatione navaverat. Parœcias omnes diœcesis mente animoque complexus, qui eas Apostolicis excursionibus peragrarent, divinisque præceptis excolerent, e nostra Societate operarios Evangelicos deligebat, & quaquaversum dimittebat; sed cum hi diutius in uno eodemque loco hærere non possent, quam cætera illorum instituti ministeria permitterent, id consilii cœpit, ut e Clero Ragusino Presbyteros doctos & gnavos evocaret, & binos in singulos totius Diœcesis pagos distribueret, qui stationi, quæ cuique obtigisset, per duos menses affixi, Christianam plebem Catechismis & concionibus paullatim erudirent; & omnes sacra confessione expiatos, divinis mysteriis impertirent; quod vero in eorum victum & viaticum satis esset, de publico illis contribuendum curavit, ne propter sumptus necessarios populis illis oneri essent. In oppido Sabioncelli, quod princeps est illius regionis, quam *Tarstenizam* vocant, quæque tertius est Peninsulæ *Capitaneatus*, cum unica esset parœcia, sed extra oppidum, ingens territorium complectens, latius pateret, ac numerosior esset, quam ut ab uno Parocho administrari, regique posset, eam in duas parœcias divisit; & in pago, cui nomen Vigegn, alteram in æde pervetusta S. Michaelis instituit; & cum in tota Peninsula Stagnensi decem omnino sint parœciæ, de illis augendis Præsul vigilantissimus cogitabat, ut gregis sui commodis utilitatique magis ac magis consuleret.

Sed præclaris ejus consiliis mors inopportuna intervenit. Hoc eodem anno 1772. lenta febri consumptus IV. Nonas Aprilis Ragusii diem supremum obiit; & post solemnes exsequias in sacrario Ædis Cathedralis tumulatus fuit in sepulcro Episcoporum; ac pridie Nonas Aprilis cunctis Senatus suffragiis successor ei datus est

Ejus obitus.

FRANCISCUS III. EPISC. STAGNEN. L.

Franciscus Sorgo Ep. an. 1772.

Ex antiqua & perillustri familia Sorga, filius Stephani viri clarissimi, & amplissimis Reipublicæ magistratibus & muneribus egregie functi. Ravennæ in Collegio Patrum Societatis Jesu politioribus litteris animum excoluit. Post præcipuas Italiæ civitates eruditionis adipiscendæ, & voluptatis ingenuæ caussa peragratas in patriam cum rediisset, divino spiritu afflatus, commodis ac divitiis domus paternæ posthabitis, in Sodalitatem Fratrum Minorum, quos *Observantes* vocant, nomen dedit. Philosophiam ac Theologiam Fratribus alumnis sui Ordinis tradidit, & gradum nomenque *Lectoris Jubilati* promeruit. Conciones oppido elegantes, doctas & fructuosas tum in urbibus Italiæ, tum Ragusii coram Senatu per ferias quadragesimales habuit. Ab Senatu ad Regem Galliarum gravissimi cujusdam negotii caussa missus cum fuisset, illud e sententia, & feliciter confecit, Ragusium reverso annuam in perpetuum pensionem, rei bene gestæ præmium, Senatus cum summa ejus meritorum testificatione decrevit, Titulum munusque adeptus *Ministri Provincialis* toti Ragusinæ Franciscanæ Provinciæ ingenti cum laude præfuit, eique Rex Poloniæ amplissimo diplomate titulum Regii Theologi perhonorificum contulit. Incredibile dictu est, quanta & quam insolita omnium ordinum lætitia, faustaque acclamatione electionem illius æque Ragusini ac Stagnenses exceperint; quippe eximiis suis virtutibus cum singulari benignitate comitateque conjunctis omnium & singulorum existimationem ac benevolentiam jamdudum sibi conciliavit. Deus Optimus Maximus vitam illi diuturnam, viresque suppeditet, ut, quæ ad Dei cultum, & animarum salutem bonus quisque sibi pollicetur, reipsa peragere, ad exitumque felicem perducere possit.

EPI.

Digitized by Google

EPISCOPI CORCYRENSES.

Corcyræ Insulæ dimensio, & positio.

COrcyra est insula maris Adriatici, quæ ab occasu in ortum millia passuum fere quinquaginta in longitudinem porrigitur; latitudo ejus varia; qua maxime patet, ultra novem millia passuum non protenditur; circuitus autem, propter varios anfractus, centum milliaria excedit. A Pharia millibus passuum fere decem distat in meridiem; extrema ejus pars in ortum spectans, adjacet ad angulum itidem extremum peninsulæ Stagni, a qua brevi euripo interfluo dirimitur. Coreyræ ab oriente proxima est Melita; subest a meridie Lagusta, milliaribus circiter decem disjuncta. Supra Corcyram a septemtrione jacet Turcula, exigui circuitus insula, inter ipsam Corcyram & Phariam interjecta, & utrinque perangusto freto disjuncta. E regione montis Gargani sita est, a quo mari latissimo, & centum milliarium spatio sejungitur. Ab nemorum frequentia, & procerarum arborum opacitate, cognomen *Melænæ* apud Græcos, *Nigræ* apud latinos adepta fuit: quo quidem cognomine ab altera Corcyra, Jonii maris insula, distinguitur, quam olim & Phæaciam, & Scheriam appellatam ferunt. Constantinus Porphyrogenitus *Curcum*, sive *Cuer*, Itali *Curzolam*, Slavi *Karkar* hanc insulam vocant. Veterum Geographorum & Historicorum litteris Græcis, latinisque celebrata fuit. Apollonius Rhodius in Argonautis ei nomen Corcyræ obvenisse tradit a *Corcyra* Asopi filia, quam Neptunus e Phliunte, oppido Peloponnesi in regione Sicyoniæ, amoris causa raptam, illuc devexit, ibique reliquit.

Melæna, seu nigra cognominata.

Verum post istas ex intervalla pertinxerunt Corcyram,
Ubi Neptunus destituerat Asopi gnatam,
Comptis Corcyram capillis, procul a regione Phliuntica
Abreptam amoris imperio: ac quia istam hanc nigrantem
Undequaque caliginosa silva, Nautæ ex mari Contemplabantur, Corcyram Melænem cognominarunt.

Sunt qui existimant Corcyram nostram ab Corcyra Jonii maris insula nomen traxisse, invectum a Corinthiis, qui Chersicrate duce, ut Strabo docet, pulsis Liburnis hanc insulam occuparunt anno secundo Olympiadis x. & Romæ conditæ xvi; inde vero ab illis coloniam Corinthiorum in Adriaticum mare transmissam fuisse ajunt, qui, cum in nostra insula sedem rerum ac fortunarum suarum collocassent, eam ab insula, unde discesserant, Corcyram nominarunt. Schymnus Chius, sive Marcianus Heracleota, *Corcyram, quæ nigra dicitur, Cnidi coloniam* vocat, ab Cnidiis inde, usque a Caria regione Asiæ minoris profectis, deductam. Cum Schymno consentiunt Strabo, qui *Corcyram Melænam appellatam, & urbem a Gnidis conditam* tradit, & Plinius: *Ab his Corcyra, Melæna cognominata, cum Cnidiorum oppido, distat &c.* Antonius Caramanens Presbyter Phariensis, vir doctus in primis, & eruditus, in quadam sua epistolari dissertatione ad Nicolaum Paullinum Canonicum Ecclesiæ Corcyrensis, hanc insulam habitatam fuisse ait a Phœnicibus, qui ante bellum Trojanum longe lateque pervagati, cum Africam, Græciam, Illyricum, aliasque regiones coloniis suæ gentis oppleviſſent, hic quoque sedes suas collocaverint: argumento esse tum ipsum vocabulum *Karkar*, quo Slavi ad hanc insulam nominandam utuntur, quod non Slavonicum, sed Phœnicium esse putat, tum vero acervos saxorum, qui in superciliis montium adhuc extant, subterraneis loculis impositos; & moris fuisse ait Phœnicum in locis excelsis sepulchra effodere, in quibus corpora virorum illustrium reconderent, eaque lapidibus supergestis contegere; præsertim cum prope unum ex illis loculis animadverterit brevem quamdam scalam, e tribus gradibus lapideis artificiose compositam, & gradum intermedium his notis inscriptum, quas ipse litteras Phœnicias esse existimat.

Karkar Phœnicio vocabulo appellatam existimat Antonius Caramaneus.



Ab Antenore profugo, & in hanc Insulam delato, urbem conditam fuisse est vulgaris opinio.

Propius ad veritatem accedit vetus opinio, quæ in ore atque sermone omnium versatur, Antenorem post Trojam incensam, in Adriaticum classe subvectum, antequam ad Euganeos deveheretur, in hanc insulam advenisse, ibique ab eo urbem conditam, insulæ cognominem, quam aliquot sociis suæ fugæ & peragrationis, ab suo comitatu divulsis, habitandam tradidit. Antenoris adventus in Corcyram Melænam testis est, & auctor gravissimus Ditis Cretensis lib. iv. de bello Trojano: *Ita coactus* (Antenor) *cum omni patrimonio a Troja navigat; devenitque ad mare Adriaticum, multas interim gentes barbaras prætervectus. Ubi cum his, qui secum navigarunt, Civitatem condit appellatam Corcyram Melænam.* Veterum parentum & conditorum memoriam Corcyrenses servant, marmoreo januæ urbis superliminari impressam his litteris: *Hic Antenoridæ Corcyræ primæ Melænæ Fundamenta locant &c.* cætera vetustas abrasit; & cum Antonius Leonus Comes, sive Prætor, mœnia civitatis restauranda curavit, januæ maritimæ hos versiculos incidi jussit.

Post Ilii cineres hæc mœnia condidit olim
Antenor; verum ne vetustate ruant,
Antonii cura sunt restaurata Leonis,

Reddita & antiquo forma decusque loco.

Huic opinioni de adventu Antenoreo subscribunt plerique Scriptores, in quibus D. Ignatius Georgius Abbas Melitensis in quodam suo Poemate, quod Epænetion vocat, & inscripsit Comiti Tullio Smecchiæ:

Hic, Tulli, patriam longum Corcyran amico
Imperio tenui, statuique nitentia primus
Mœnia, & invictam sociis poscentibus arcem.

Cum variæ sint & multiplices de antiquis hujus insulæ colonis scriptorum sententiæ; omnes inter se conciliari possunt, si ex populis diversæ originis, alios aliis temporibus illuc venisse, ibique habitasse, urbem vero ab aliis fundatam, ab aliis restituram vel auctam fuisse dicamus. Præter eos, quos supra laudavi, antiquos sive Geographos, sive Historicos, Corcyram Melænam suis scriptis commendarunt Scylax Cariandensis, Pomponius Mela, Ptolemæus, Antoninus Augustus in eo, quod ei passim adscribitur, Itinerario, Auctor Tabulæ Peutingerianæ, Polybius, & alii plures.

Veteres Corcyræ domini.

Hæc insula iisdem fere populis ac Dynastis antiquitus paruit, quibus reliquæ, vel omnes, vel pleræque Adriatici maris insulæ, cum Illyrico maritimo; primum Pelasgis, deinde Liburnis, & Siculis, postea Celtis. Has enim gentes ante æram Christianam in Illyrico dominatas fuisse diximus Tomo I. Parte I. Prolegomenon. Post Gentium postremum Illyriorum e natione Celtica Regem a Romanis devictum, & regno exutum, Anicius Prætor ex Illyriis, quos subegerat, alios liberos & immunes, alios vero liberos quidem, sed vectigales esse jussit. Ex his conflata est Illyrica Romanorum Provincia, quæ ab Narone fluvio usque ad Drilonem protendebatur; neque dubium est, quin Corcyra Melæna sita e regione illius oræ maritimæ, hujus Provinciæ finibus contineretur, Cæsar Octavianus Augustus, cum alios Illyrici populos sub potestatem redegisset, tum vero Corcyrenses, & Melitenses, qui defecerant a fide, & piraticis lembis mare infestum habebant, propemodum ad internecionem delevit, ut est apud Appianum de Bell. Illyr. *Deficientes vero Melitenses & Corcyrenses, qui insulas incolunt, & propterea quod mare latrociniis infestabant, delevit, interfectis puberibus, cæteris sub corona venundatis.* Idem Octavianus Augustus post Dalmatas debellatos, unam ex Japydia, Liburnia, Dalmatia, & Pannonia citra Savum, sub vocabulo Dalmatiæ, Provinciam Romanam conflavit; ad quam ut cæteræ insulæ, sic etiam Corcyra Melæna pertinebat, quæ post vastationem ab eodem Octaviano illatam, rursus incoli, atque oppidis vicisque frequentari cæpta, paullatim pristinum rerum suarum statum recuperavit. Quemadmodum vero Dalmatia, sic etiam hæc insula Imperatoribus Romanis paruit; deinde post Imperium bipartito divisum ad Imperium Orientis accessit. Ab antiquis Romanis, quorum plures colonias, tum florente Republica, tum post conditam Monarchiam, præsertim a Diocletiano, ut auctor est Porphyrogenitus, in Dalmatiam deductas fuisse constat, hanc quoque insulam urbemque cultam esse atque habitatam indicio est vel unica Inscriptio Romana sepulchralis, abhinc annos multos reperta apud Cœnobium Franciscanum; sed plures fortasse subter humum altius defossæ latent.

A Romanis sub imperium redacta.

D M S
VRSINVS. ET
EVTYCHIA. PARENTES
INFELICES. VRSINO
FILIO. PIENTISSIMO
POS.
AN. XXV.

Alia in via Latina effossa fuit, atque eruta sepulcralis inscriptio cujusdam Nonii Arusii civis Corcyrensis, & militis Leg. II. Aug. quam Sebastianus Donatus nuperrime typis edidit in Supplem. ad Thesaur. Veter. Inscript. a Muratorio vulgatum; estque hujusmodi in Tomo II. class. 15. pag. 337.

NONIVS. ARVSIVS. N. F
PVPIL. PAVC. AESTA. NATI
CORCYRA. NIGRA
MIL. LEG. II. AVG. MILIT
ARMAT. SIMPLAR. ANN
XVI. VIX. ANN. XXXIII
H. S. E.

Sæculo quinto exeunte, ut Dalmatia universa, sic etiam Corcyra, Gothis longe lateque dominantibus subesse coacta fuit; quibus ab Justiniano devictis & expulsis, iterum sub Imperium Græcorum rediit. Sæculo septimo, cum Serbli ab Heraclio Imperatore sedes, & agros in Dalmatia superiori impetrassent, quatuor partes fecerunt, & quæ Tillurum & Naronem interjacet, Narentanis, sive Paganis obvenit, ad quorum ditionem, sive amicitiam & societatem, cum tribus aliis insulis, Corcyram adjunctam fuisse testatur Constantinus Porphyrogenitus cap. 30. de Adm. *Habent quoque Pagani Insulas quatuor in propinquo, nimirum Melænam, Corcyram, Bratzam, & Phariam, omnes pulcherrimas, fertilissimasque &c.* & cap. 31. *Possident item Arentani Insulas Curcra, sive Cuer &c.* idest Curcuram, sive Corcyram.

A Gothis subacta, ab Justiniano Imp. recepta, ad principatum Narentanorum adjuncta.

Sæculo undecimo ineunte, Petrus Ursеolus Dux Venetorum, rogatus a legatis Dalmatiæ, ut oram maritimam, & Adriaticam navigationem, a piraticis latrociniis Slavorum infestam, æque Venetis ac Dalmatis tutam præstaret, & urbes ac gentes Dalmatarum in clientelam ac potestatem reciperet, armata classe primum Chrobatis, ac deinde Serblis, præsertim Narentanis devictis, mare purgavit. Incolas vero & civitates Dalmatiæ ultro in fidem ac deditionem venientes, solemni jurejurando, sibi ac Reipublicæ obstrinxit, Corcyrenses aut fœderati, aut vectigales Narentanorum, cum repugnarent, vi atque armis imperium accipere coegit, ut docet Andreas Dandulus: *Curzulæ insulæ habitatores, suis recusantes parere jussionibus, valida manu acquisivit, sueque potestati subjugavit.* Anno circiter trigesimo hujus sæculi Dalmatæ dominatu Venetorum depulso, ad Græcos Imperatores redierunt; quos anno 1070. Dominicus Sylvius Dux Venetorum cum ab injuriis & incursionibus Northmannorum vindicasset, hoc beneficio obstrictos, & præsertim Græcorum auxiliis diffisos, in deditionem recepit. Post sæculum undecimum plurima pro Dalmatia vel retinenda, vel recuperanda Veneti cum Hungaris bella alia ex aliis gesserunt; & quemadmodum Dalmatia, sic etiam plerumque Corcyra, alias Venetis, alias Hungaris paruit; nisi quod anno circiter 1168. Emanuel Imperator Orientis

A Petro Urseolo Venetorum Duce expugnata & capta.

pram-

Digitized by Google

utramque Hungaris eripuit; sed post imperium Emanuelis, Dalmatæ sub imperium Hungaricum redierunt; nam Bela III. Rex Hungariæ, anno fere 1181. Dalmatiam & Chrobatiam Græcis ademptam recuperavit. Corcyrenses jamprid. Comitum Chelmensium dominatum subierunt, a quo cum defeciſſent, Conſtantinus frater Miroslavi Comitis Chelmenſis, ut eos sub imperium revocaret, armatis navigiis ad insulam transvectus, & copiis in terram expositis omnia late populatur. Dum ille longius ab navium statione progressus, loca mediterranea ferro & igne devastat, Corcyrenses cum se in unum conglobassent, navigia militibus & defensoribus vacua invadunt; hisque in suam potestatem redactis, exitum, reditumque ad oram continentem hostibus intercludunt. Tunc agmine conferto in eos irruunt, ad internecionem cædunt, & Constantinum undique circumventum capiunt, nec vero antea dimittunt, quam ejus fratres, videlicet Miroslavus, & Neemanes Rex Serblorum, se jurejurando obstringerent, nihil molestiæ in posterum ab se illatum iri Corcyrensibus, ac totius insulæ dominatu decederent. Corcyrenses libertatem adepti per aliquot annos sues sibi leges condiderunt, suos sibi magistratus crearunt. Hæc Maurus Orbinus in suis Commentariis de Regno Slavorum pag. 241. Sed cum ab extraneis populis, præsertim Serblis ac Rascianis, se atque insulam tueri posse diffiderent, ad Venetorum opem, & clientelam sibi confugiendum putarunt. Itaque anno 1254. Reynerius Zenus Dux Venetiarum Corcyrensibus Imperii Venetî cupidis Marsilium Georgium e gente patricia Comitem, seu Rectorem præfecit; & huic, ejusque familiæ ob præclara ejus in Rempublicam merita ipsam insulam fiduciariam dedit, At Corcyrenses, ut Venetis subesse glorioſum sibi ac pervtile putabant, sic privatæ unius familiæ præfecturam perpetuam, quamvis Venetis supremis dominis obnoxiam, indigne atque invite ferebant. Itaque biennio post, Marsilio Comite expulso, se in libertatem vindicarunt. Insulam Marsilius armatis navigiis adortus in potestatem redegit, Insularibus defectionis veniam dedit; eos, qui metu profugerant, in patriam revocavit; urbem novis operibus, munitionibusque sepsit, sibique his, & aliis beneficiis animos illarum gentium devinxit. Melitam quoque Corcyræ proximam a Ragusinis ob res præclare gestas in civitatis Præturam, quam ei detulerant, jure fiduciario possidendam accepit. Exinde tum ipse Marsilius, tum ejus successores ex eadem gente Georgia, videlicet *Rugerus*, *Marinus*, & *Joannes*, quos Joannes Bonifacius in Historia Tarvisii Libro XI. commemorat, se *Comites Curzulæ & Melitæ* appellabant. Gens Georgia possessionem fiduciariam insulæ utriusque usque ad annum 1357. retinuit; quo quidem anno Ludovicus Rex Hungariæ, Dalmatia Venetis erepta, Corcyram quoque, ab Januensibus ante aliquot annos igne ac ferro vastatam, ad suum regnum adjunxit. Melita vero in pristinam Ragusiensium potestatem rediit.

Corcyrenses subeunt imperium Comitum Chelmensium.

Se Venetis dedunt, qui Georgiorum familiæ Patriciæ Insulam jure fiduciario possidendam tradiderunt.

Insula Georgiis erepta variis dominis paruit.

Sæculo decimo quinto ineunte Ladislavus Rex Neapolitanus post Dalmatiam receptam ereptamque Sigismundo Hungariæ Regi Hervojam *Supremum Regni Bosinæ Vaivodam*, cujus opera potissimum Dalmatæ ad Ladislavum defecerant, suum apud Dalmatas *Vicarium generalem* constituit, Ducem Spalati appellavit, eique dominatum insularum concessit. Ita Corcyra cum cæteris insulis sub potestatem Hervojæ transivit. Cum vero idem Hervoja, relicto Ladislavo, ad Sigismundum remigrasset, & sub ejus imperium redeundi auctor Dalmatis fuisset, ab eo facile impetravit, ut principatum Spalati, atque insularum retineret. Hic vero Corcyram insulam Ragusinis, ut suos ei Magistratus, & Rectores præficerent, commendavit. Anno 1413. Hervoja ob compertam ejus adversus Sigismundum infidelitatem, impiamque ad Turcas defectionem, lasæ majestatis reus, & Regni hostis declaratus, tum Spalati, tum insularum dominatum amisit. Sigismundus Corcyram insulam, cum Pharia, & Bractia, Ragusinis jure fiduciario possidendam dedit. Sed post triennium insulas illas ab Ragusinis repetiit, atque Vladislavo Arosalio regendas tradidit anno 1417. ut est apud Orbinum pag. 366. de Regno Slavorum. Anno demum 1420. Corcyrenses cum Dalmatia fere universa, post varias ex aliis ad alios dominos migrationes, voluntaria deditione, ac perpetua fide se Venetorum imperio subdiderunt. Visum erat Venetis familiam Georgiorum in antiquam fiduciariam hujus insulæ possessionem restituere; id cum insulares illi moleste ferrent, perpetuitas illius possessionis Georgiis adempta est; his amisso illius insulæ, cum quodam Castello agri Tarvisiani, cui nomen *Zumelle*, compensata fuit.

Demum Venetis constanti, & perpetua fide adhæsit.

Hæc Insula temperato ac saluberrimo cœlo fruitur, atque adeo misi, ut lilia, & mala citrina ne summa quidem hyeme langueſcant, neque ullo indigeant tegumento vel munimine ad vim frigoris arcendam. Aquæ dulcis penuria laborat; & præter duos fontes, e quibus nitidæ ac perennes undæ, nullas venas subterraneas invenias, quæ lymphis putealibus scateant. Itaque cisternis, ad excipiendas, colligendas, purgandasque aquas pluviales, incolæ utuntur. Olei quod satis est ad usum indigenarum suppeditat; sed tritici, & aliarum frugum, quod iisdem ad quatuor menses sufficiat, ex tota insula vix colligitur; verum penuria domestici frumento aliunde invecto suppletur; quæ abunde compensatur tum copia vini optimi, quod extraneis divenditum, alioque asportatum uberrimos quæstus affert, tum multiplici proventu, quem e piscatu, e silvis cæduis, e navigiorum ædificatione capiunt. Tota enim insula nemorosa est, & ingentem vim lignorum, sive ad comburendum, sive ad ædificandum, sive ad alios usus, tum in regiones finitimas, tum Venetias cum magno lucro compendioque transmittit. Ad naves etiam construendas, præsertim actuarias sive onerarias, copiosam optimamque materiam silva suppeditat; ad eas vero oblinendas ex arboribus vel plurimum picis perpetuo manat, & fluit; unde illud Ovidianum de Arte: *Illyrica pice nigrior*. Corcyrenses vero navium ædificandarum scientia in primis valent, & navigiis fabricandis assidue dant operam; habentque navale instrumentis ac rebus omnibus ad naves conficiendas ornandasque necessariis refertum; nec desunt qui Corcyrensibus nostris adscribendam censeant inventionem navium Liburnicarum, quæ veterum scriptis summopere celebrantur. Cum hæc insula Narentanis aut sociali fœdere juncta, aut stipendiaria fuerit, vix dubitem, quin navali Corcyrensi mire opportuno, & commodo ad suos piraticos lembos vel construendos, vel reficiendos illi uterentur. Cum apud veteres plura multiplicis & variæ formæ atque structuræ,

Coreyrensis Cœli temperies, & soli natura.

Proventus copiosi e vino & silvis.

Digitized by Google

diverſique nominis navigia in uſu eſſent; atque in his, qui *Cercuri*, & *Parones* appellabantur; quemadmodum *Parones* a Pharo, ſive a Pharia inſula, ſic *Cercuri* a Corcyra, Græcis Cercyra, originem & nomen traxiſſe videntur; idque affirmat Chriſtianus Bechmanus in eo libro, qui inſcribitur *Manuductio ad linguam latinam* verbo *Cercuri*: *Ab inſulis Pharo, & Corcyra navigia Parones & Cercuri*. Plures ſunt, & multiplices tum in inſula, tum præſertim in quodam ſcopulo, brevi maris trajectu ab urbe disjuncto, qui nomen *Tvernich*, fodinæ lapideæ, venæque marmoris verſicoloris, flavi, & candidiſſimi, nec valde diſſimilis Carrarienſi; in his lapidibus, & marmoribus effodiendis, ſecandis, poliendis lapicidæ plures aſſidue laborant, ad quælibet ædificia ſive conſtruenda, ſive ornanda aptiſſimis. Ex his autem alio atque alio tranſvectis, præſertim Raguſium, nihilo minores, quam ex materia & ſectione lignaria, naviumque fabricatione, quæſtus obveniunt. Tota inſula portuoſa eſt, undecumque ſtationes & ſinus aperit opportunos tutoſque ad navigia recipienda; omnium maximus, navibusque capaciſſimus Portus Carbonus ad meridiem obverſus, quem ſeptem ſcopuli circumſtant, vimque ventorum ac procellarum infringunt, & repellunt.

Cercuri genus navium Corcyrenſium. Fodinæ marmoreæ.

Civitatis poſitio & deſcriptio.

Civitas ejuſdem atque inſula nominis, totius regionis princeps, ſita eſt in extremo latere ad ſeptemtrionem & orientem, ferme e regione Stagnentis peninſulæ, paſſus circiter trecentos circuitu complectitur, mari fere undique circumfuſa, mœnibus ac propugnaculis egregie ſepta, publicis & privatis, ſacris & profanis ædificiis præclare ornata; quam plateæ, viæque lapidibus ſtratæ, concinneque deſcriptæ interſecant. Similitudinem quamdam gerit, ſpeciemque cordis humani; hinc *Corculam* nominatam ferunt; ad quam urbis formam voluit alludere quidam non malus Poeta his verſiculis, quibus cauſſam explicat, cur inſula Corcyra Melæna, & Civitas *Corcula* fuerit appellata.

Cur inſula Melæna, & civitas Corcula appellata ſit?

Corcula nunc dicor, fueram Corcyra Melæna
Dicta prius; merito nomen utrumque gero.
Nam maris Adriaci Gorgonea littora contra,
Denſior eſt ſpiſſis inſula nulla jugis.
Inde Melæna vocor, ſed ut altera vertor ad Arctos,
Hinc me Corcyræ nomen habere puto.
At nova vox venit, quia cinxit corculus urbem,
Et parvi cordis mœnia nomen habent.
Quin refero magni ſpeciem pulcherrima cordis;
Nam divus centrum Marcus in urbe tenet.

Urbis exiguitatem ſupplent adjecta ſuburbia tectis atque habitatoribus referta. E tribus incolarum ordinibus civitas conſtat. Ad primum ordinem pertinent viri nobiles ac patricii, e quibus conflatur Senatus & Conſilium publicum; ad ſecundum cives gradus inferioris, qui mercaturæ dant operam, & quibuſdam etiam civilibus muneribus funguntur; ad tertium denique opifices, & navicularii, qui in artibus ſervilibus verſantur, quarum præſidio veſtitum victumque quotidianum ſibi comparant. Inſula & civitas bene morata eſt; ſunt enim Corcyrenſes ad omnem humanitatem & honeſtatem facti, & cum inter ſe, tum erga hoſpites atque advenas perofficioſi ac liberales. Ingenio ſunt acuto ac perſpicaci; ad omnes humanas, divinaſque diſciplinas percipiendas idonei; nec minus militari ſcientia & virtute, & rerum quarumcumque gerendarum ſolertia valent. Plures ex hac urbe tum doctrinæ, tum aliarum laudum genere illuſtres viri prodierunt, quorum aliquos, ubi ſe obtulerit occaſio, ſuis locis & temporibus, honoris cauſſa, nominandos mihi eſſe cenſeo. Unus de patriciis familiis Venetis, Comitis idem, ac Proviſoris nomine præditus, juri dicundo præeſt, & rerum publicarum ſummam adminiſtrat; iſque magiſtratus duorum ac triginta menſium ſpatio definitur. Inſula referta eſt incolarum, in eaque ad quinque millia hominum cenſeri ajunt. Præter eos, qui urbem, & ſuburbia colunt ferme ad mille, cæteri omnes oppidatim, aut vicatim habitant. Blatta oppidum eſt admodum frequens & nobile, in extremo ad occaſum inſulæ latere ſitum; duplo numeroſius, quam urbem ipſam, habitari ajunt. Multæ ibi familiæ ſunt avita nobilitate illuſtres, quibus, itemque cæteris inſulæ nobilibus viris, ad publicum Conſilium aditus patet, & jure comitiorum gaudent. Sex præcipui vici, præter Blattam, ſeu villæ, ſunt huc illuc per inſulam diſperſæ; ideſt *Smoquizza*, *Kzara*, *Popnata*, *Raciſcha*, *Zernova*, *Lombarda*. Ad Corcyræ territorium ſpectat Trucola, ſive Torcula, exigui circuitus inſula, inter Phariam & Corcyram, itemque alii ſcopuli vel ab incolis vacui, vel paucis locis habitati; inter quos ſcopulus S. Maximi, & ſcopulus S. Mariæ, qui ab ortu, ſcopulus S. Joannis de Gradina, qui ab occaſu, inſulæ proxime objacent.

Civitas e tribus incolarum ordinibus conſtat.

Venetus magiſtratus eidem præpoſitus.

Chriſtianæ Religionis primordia Corcyrenſes temporibus & viris Apoſtolicis accepta referunt; neque enim dubitari poſſe videtur, quin S. Domnius primus Salonarum Antiſtes, quique ante, vel poſt illum e ſchola & diſciplina Apoſtolorum in Dalmatiam ad fidem Chriſti propagandam miſſi fuere, ut cæteris Dalmatiæ populis, ſic etiam Corcyrenſibus lumen Evangelii attulerint. In hac inſula res Chriſtiana, tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis, eaſdem, quas cæteri Dalmatæ, ab hoſtibus Chriſtiani nominis illatas injurias & vexationes ſuſtinuit. Sed vel graviſſime afflicta fuit, acerbiſſimeque exagitata ſub Diocletiano, qui Chriſtianis toto terrarum orbe internecinum bellum indixit; præſertim cum, depoſito Imperio, Salonas ſeceſſit, & in eo, quod ſibi extruxerat, palatio magnificentiſſimo reliquam vitam tranſegit; nec tamen, quibuſcumque poterat, ſuppliciis Chriſtianos divexare deſiit. In regione hujus inſulæ ad orientem extrema, tertio ferme ab urbe lapide, in ea villa, quæ dicitur *Lombarda*, eminent ſolo veſtigia duplicis cujuſdam ædificii quadranguli oblongi, ab ortu in occaſum perducti. Alterum orientale pedes octoginta & ſeptem, alterum occidentale pedes circiter octoginta in longitudinem protenditur; utrumque ejuſdem fere latitudinis eſt. Ab uno ad alterum tranſitum præbet veluti via quædam intermedia, utrinque parietinis clauſa, ſuper terram paullulum extantibus, longa eſt pedes ducentos, lata fere quatuordecim. Area illa quadrangula, quæ ad occidentem vergit, diſtricta eſt quindecim loculis admodum anguſtis, qui terræ ſuperficiem vix excedunt, & muri, ſingulis interjecti, alios ab aliis ſeparant. Aream alteram orienti ſoli obverſam tellus ſuperingeſta ſic obruit, operuitque, ut nihil veteris ædificii emineat; tanta vero eſt terræ ſuperjectæ congeries, ut vitibus conſeri, & aratro proſcindi poſſit, ſemenque ſparſum excipiat, & lætas ſegetes progignat. Verum ſi agricolæ altius aut ſulcum imprimant,

Chriſtianæ Religionis apud Corcyrenſes exordia.

Veſtigia carcerum, in quos Chriſtiani includi,

aut

Digitized by Google

aut ligonibus terram effodiant, reliquiæ, & rudera ſtructuræ, conſimilis alteri quadrangulo, ſtatim apparent. Hoc autem genus ædificationis, cum neque ſepulchreti, neque cœnobii, neque ullius domicilii ſpeciem præbeat, communis eſt indigenarum opinio, a majoribus, ut ajunt, accepta, hos fuiſſe carceres ab Diocletiano ædificari juſſos, in quos includeret Chriſtianos, & ſitu, pedore, inedia conficeret. Nec deerant ergaſtula, ubi laborioſis operibus, duriſque miniſteriis eos defatigare ſolebat; cum plures enim eſſent lapidicinæ, in has latumias conjecti, ad lapides excidendos damnabantur. Poſtquam vero, extinctis tyrannis, Conſtantinus Magnus pacem Eccleſiæ attulit, ut in aliis Dalmatiæ regionibus, ſic etiam in urbe atque inſula Corcyrenſi Religio Chriſtiana, e præteritorum temporum acerbitate, metuque reſpirare, e fluctibus & tempeſtatibus attollere caput, erigere animum viſa eſt; & quamvis ex illis Regibus permixti generis, Gothici & Slavonici, qui Duce Oſtroylo in regionem Prævalitanam, quæ pars eſt Dalmatiæ ſuperioris ad orientem extrema, ſæculo quinto exeunte, una cum dominatu impietatem Arianam & ſuperſtitionem idololatricam invexerunt, nonnulli fuerint, qui Chriſtianos acerbiſſime divexarunt, horum tamen furor & rabies neque Corcyram, neque alias Adriaticas inſulas pervaſit; erant ſiquidem ſub poteſtate ac tutela Imperatorum Orientis. Narentani gens Serbliana, qui conceſſu Heraclii Imperatoris ſæculo ſeptimo eam partem Dalmatiæ occuparunt, quæ Naronem Tillurumque fluvios interjecta eſt, inanes Deos colebant, atque idcirco Pagani a Conſtantino Porphyrogenito vocantur, neque vero ante ſæculum nonum adduci potuerunt, ut Religioni nomen darent. Corcyra cum proximis inſulis ad Narentanos pertinebat, ut docet Porphyrogenitus, ſive quod Corcyrenſes ſubditi eſſent, & vectigales Narentanis, ſive quod cum illis piraticam ſocietatem coiverant. Quamvis autem Corcyrenſibus aſſiduum eſſet cum Narentanis rerum omnium civilium & navalium commercium, ex horum tamen moribus, & impura ſuperſtitione labem nullam Chriſtiana illorum fides contraxit; quinimmo Religionem, quam a majoribus acceperant, puram ab omni extraneo, & ſuperſtitioſo cultu conſtantiſſime retinuerunt.

ſtremque ergaſtula, ad quæ damnari ſolebant,

Principio Eccleſia Corcyrenſis, antequam in aliis Dalmatiæ civitatibus ſedes epiſcopales, aliæ atque aliæ conſtituerentur, ad parochiam, ſive diœceſim Metropolitæ Salonitani pertinebat. Cum Narona civitas perantiqua, eademque olim Romanorum colonia, quæ unus erat e tribus Dalmatiæ Conventus frequentiſſimus, ſedem epiſcopalem adepta eſt, fortaſſe Epiſcopi Naronenſis poteſtati ſuberat inſula Corcyræ; quippe cum propius a Narona, quam a Salonitana civitate abeſſet. Cum autem anno 532. in ſecundo Concilio Provinciali Salonitano ſub Honorio III. Metropolita, Muccarum ſeu Macrum, nunc Macarſca, civitas non ignobilis, ex decreto ejuſdem Concilii titulum ac dignitatem epiſcopalem obtinuit, dubitari non poteſt, quin Corcyra, cum aliis proximis inſulis, ſub juriſdictionem hujus novi Epiſcopi tranſierit; ſiquidem in Actis ejuſdem Concilii, præter oram maritimam, Epiſcopo Maccarenſi attributum fuit *quidquid in inſulis continetur*, quæ ſunt Bractia, Pharia, Corcyra, & aliæ minores inſulæ his interjectæ. Primus Maccarenſis Epiſcopus fuit Stephanus;

Eccleſia Corcyrenſis primum ad Salonitanam, poſtea ad Maccarenſem,

qui huic deinde ſucceſſerint in hanc ſedem Epiſcopi, nobis ignoti ſunt; neque ullum habeo ante ſæculum decimum quartum, quem proferre poſſim. Anno 639. Avares poſt incenſam & everſam Salonam, ut pleraſque Dalmatiæ urbes, ſic etiam Muccarum, & Naronam expilarunt, ac diruerunt. Tunc utraque civitas ſedem epiſcopalem amiſit, quam Muccarum quidem, ſive Macarſca, non item Narona, recuperavit ſæculo decimo quarto ineunte, ut in Epiſcopis Maccarenſibus, ſive Macarſchenſibus dictum fuit. Cum igitur epiſcopatus Maccarenſis abolitus fuiſſet, quæ ad illum pertinebant inſulæ, Bractia, Pharia, Corcyra ſub poteſtatem diœceſanam Metropolitæ Salonitani, tunc Spalatenſis, redierunt. His inſulis Archiepiſcopi Spalatenſes præficere ſolebant Sacerdotem ſpectatæ virtutis & doctrinæ, honorifico Archipresbyteri titulo inſignitum, qui curam animarum gereret, ac rebus divinis & eccleſiaſticis præeſſet. Anno circiter 1156. novus in Dalmatia Epiſcopatus inſtitutus fuit, cujus diœceſis, ſive parochia omnes illas inſulas complecteretur. Hic Epiſcopus, alias Inſularum, alias ab duabus inſulis Pharienſis, & Bractienſis, alias tantummodo Pharienſis appellari ſolebat, propterea quod ſedem in inſula ac civitate Pharia Epiſcopalem collocaſſet. Huic vero Corcyram attributam fuiſſe conſtat ex actis Concilii Provincialis Spalatenſis, quod ſub Petro VII. Metropolita anno 1180. habitum fuit. Hæc quippe Synodus inter inſulas ſive parœcias, & loca maritima Epiſcopi Pharienſis Corcyram annumeravit: *Pharienſis Epiſcopus habeat ſedem ſuam in Phar, & habeat has Parochias Phar, Braciam, Liſſam, Corceram, Laſtam & Mulcer, & totam Crainam.* Annos ſupra centenos quinquaginta civitas & inſula Corcyra Epiſcopo Pharienſi paruerat; cum ejus juriſdictioni exempta ipſa quoque jus ac titulum Epiſcopalem adepta eſt. Primus Epiſcopus fuit Joannes a Cruce, qui ſedem Epiſcopatus Stagnenſis Corcyram tranſtulit; & cum ipſe, tum ejus ſucceſſores, per annos ducentos & quadraginta, Eccleſiam utramque adminiſtrarunt. Epiſcopatus Corcyrenſis ſimul inſtitutus, & attributus eſt Metropoli Raguſinæ, a qua numquam disjunctus fuit.

iterum ad Salonitanam ſive Spalatenſem, demum ad Pharienſem Diœceſim pertinuit.

Ipſa quoque ſedem Epiſcopalem adepta fuit.

Diœceſis Corcyrenſis, & Capitulum Corcyrenſe.

Diœceſis Corcyrenſis iiſdem fere, quibus inſula, terminis circumſcribitur, niſi quod, qui proxime circumſtant, ſcopulos, ſive inſulas exiguas complectitur. Unde Epiſcopus Corcyræ, inde etiam Capitulum Corcyrenſe initium ducit; conſtat e Canonicis octonis, quos nominant Summus Pontifex & Epiſcopus; ſed hic quatuor, ille octo menſes emortuales ſibi vindicant. Tres univerſo Collegio Canonicorum, dignitatis gradu, ac tituli honore præſunt; Archidiaconus, Archipresbyter, Primicerius. Singuli nummos argenteos centum ſingulis annis percipiunt. His adde Præpoſitum, quod quidem ſacerdotium viri nobiles e domo Ziliorum inſtituerunt, eique proventus ſatis copioſos aſſignarunt, ſibi ſuiſque hæredibus jure Præpoſiti eligendi retento, quem Epiſcopus confirmat; eumque e ſua familia eſſe, ſi qui haberentur idonei, voluerunt. E Capitulo vel e Clero inferiori deligi ſolet, qui Clericos latinis, & politioribus litteris imbuat. Qui poſtremus omnium aggregatus eſt ad Capitulum, in eum incumbit procuratio animarum, quam non ſolum in urbe exercere debet, ſed etiam in ſuburbia extendere. Hujc autem, ſi quando neceſſitas poſtulat,

unus

Digitized by Google

unus aut plures e cœtu Canonicorum, ex mandato Vicarii generalis, subsidiariam operam præstant. Antiquissimam esse ajunt omnium in Civitate conditarum Ecclesiam S. Petri, quæ adhuc extat, & opimo Sacerdotio gaudet; huic officium & munus Parochi olim annexum fuisse; quod deinde translatum fuit ad Ædem Cathedralem, quæ media in Civitate opere, cultuque magnifico assurgit, sub titulo & auspiciis S. Marci Evangelistæ, ut docet inscriptio marmori incisa, & januæ maximæ superposita: *D. O. M. B. M. V. Divoque Marco Evangelistæ sacrum*. In supercilio Templi eminet effigies marmorea cujusdam mulieris regali habitu atque ornatu, regium diadema capiti impositum gerens, quam plerique ad Reginam quamdam Hungariæ referunt, cujus ære sumptuque hoc Templum augustissimum extructum asserunt; sed falluntur, qui eo signo marmoreo designari existimant vel Mariam filiam Ludovici, & uxorem Sigismundi Regum Hungariæ, vel Elisabetham ejus matrem & conjugem Ludovici; nam multo ante stabat ea, quæ nunc visitur, moles, & magnificentia, quam utraque nata esset, & multo ante, quam regnare cœpisset. Hanc siquidem Basilicam nisi antiquiorem esse velis sæculo decimo tertio, certe hoc sæculo ædificari cœpit, & sæculo proximo ineunte, cum ibi sedes episcopalis constituta fuit, absoluta jam erat & perfecta. Si cui Reginæ Hungaricæ hoc Templum & simulacrum attribuendum est, utrumque adscripserim Mariæ Lascaræ, conjugi Belæ IV., qui ab anno tricesimo quinto usque ad annum septuagesimum quintum sæculi decimi tertii regnavit in Hungaria.

Ædes Cathedralis titulo S. Marci consecrata.

Præter Ædem Cathedralem, & vetustissimum S. Petri Templum, de quo supra mentionem fecimus, alia sunt vel Templa, vel sacella, idest Omnium Sanctorum, quo Sodalitas piorum hominum festis diebus conveniunt, psalmis & precibus dant operam, rei divinæ intersunt; S. Michaelis, cui adjacet domus hospitalis ægrotis curandis extructa; Sanctissimæ Trinitatis, nunc S. Barbaræ, quæ pertinet ad Balistarios; S. Ursulæ; B. Virginis sine labe conceptæ; itemque B. Mariæ ab Angelo salutatæ, quam ædem cum ejus proventibus Andreas Canavellus Episcopus ad Capitulum adjunxit. Prope januam civitatis, quæ continenti obversa est, tertia Ædes est Deiparæ Virginis, in qua ejus effigies colitur in tabula lignea, manu atque arte Græca, plurimis cujusque generis miraculis inclyta, ut declarant votivæ tabellæ; quam cives, advenæque insigni religione & frequentia venerantur. Sita cum sit ante plateam quadratis lapidibus stratam, ex eo appellatur, *La Madonna del Salizzo*. Diem festum anniversarium, eidem antiquitus decretum, Corcyrenses solemni cultu rituque concelebrant Nonis Augusti; quem ad diem adscripta est in Martyrologio Romano, *Dedicatio Basilicæ S. Mariæ ad Nives*; eamque ob causam vocari etiam solet, *S. Maria de Nivibus*.

Ædes sacræ urbanæ.

Haud longe ab urbe in ortum distat scopulus exigui circuitus, alius a scopulo S. Maximi, quem in secunda Parte prolég. cap. 7. §. 1. Tom. I. cum hoc eumdem esse male descripsimus; hunc incolunt Patres Franciscani severioris disciplinæ, ibidem domicilium nacti & templum; cui magnam celebritatem conciliat sacrum Christi morientis Simulachrum, miraculorum fama, & accolarum peregre visentium frequentia maxime inclytum. Ab illis Patribus religiose pariter, atque honorifice asservatur; & a finitimis populis, muneribus juxta, & votivis tabellis oblatis, singulari veneratione colitur. Ejusdem Templi religionem auget Imago Virginis Deiparæ, quam propter insignia beneficia, ad ejus opem confugientibus divinitus collata, indigenæ pariter atque advenæ præcipuo quodam cultu venerantur. Septem pagis seu villis majoribus insula habitatur, & suus cuique Parochus præficitur. Est villa Lombarda & parœcia S. Rochi; villa seu verius oppidum Blata ad lacum cognominem, & parœcia omnium Sanctorum; villa Smoquizza, & parœcia B. Virginis se purificantis; villa Popnata, & parœcia ejusdem Sanctissimæ Virginis natæ; villa Kzara, & parœcia S. Petri; villa Racisca, & parœcia S. Nicolai; villa Zernova, & parœcia S. Martini. His aliæ minores villulæ & ædiculæ sacræ interjectæ sunt. Est præterea templum S. Joannis de Gradina in regione Insulæ ad Occidentem extrema, scopulo insidens, ubi olim Cœnobium Benedictinum fuisse dicitur. Id nunc cum suis proventibus viro ecclesiastico commendatur, ejusque custodiæ præfici solet pius aliquis Eremicola. Nunc successio seriesque Episcoporum Corcyrensium exponenda est.

Septem Parœciæ extra urbem in insula.

Cœnobium & Templum Franciscanum, in quo effigies thaumaturgica Crucifixi.

I. Joannes Episc. Corcyrensis, & Stagnensis IX. an. 1301.

II. Joannes II. Episc. Corcyren. & Stagnen. X. an. circ. 1312.

III. Gadus Episc. Corcyren. & Stagnen. XI. an. 1330.

IV. Marinus Episc. Corcyren. & Stagnen. XII. an. 1342.

V. Dominicus Episc. Corcyren. & Stagnen. XIII. an. 1350.

VI. Joannes III. Episc. Corcyren. & Stagnen. XIV. an. 1360.

VII. Joannes IV. Episc. Corcyren. & Stagnen. XV. an. 1368.

VIII. Franciscus Episc. Corcyren. & Stagnen. XVI. an. circ. 1388.

IX. Nicolaus Episc. Corcyren. & Stagnen. XVII. an. 1392.

X. Andreas Episc. Corcyren. & Stagnen. XVIII. an. 1406.

XI. Nicolaus II. Episc. Corcyren. & Stagnen. XIX. an. 1416.

XII. Andreas II. Corcyren. & Stagnen. XX. an. 1426.

XIII. Joannes V. Episc. Corcyren. & Stagnen. XXI. an. 1441.

XIV. Joannes VI. Episc. Corcyren. & Stagnen. XXII. an. 1447.

XV. Andreas III. Episc. Corcyren. & Stagnen. XXIII. an. 1450.

XVI. Lucas Episc. Corcyren. & Stagnen. XXIV. an. 1454.

XVII. Thomas Episc. Corcyren. & Stagnen. XXV. an. 1463.

XVIII. Nicolaus III. Episc. Corcyren. & Stagnen. XXVI. an. circ. 1505.

XIX. Marcus Episc. Corcyren. an. 1541.

XX. Claudius Episc. Corcyren. an. 1549.

XXI. Petrus Episc. Corcyren. an. 1556.

XXII. Benedictus Episc. Corcyren. an. 1565.

XXIII. Augustinus Episc. Corcyren. an. 1573.

XXIV. Raphael Episc. Corcyren. an. 1605.

XXV. Theodorus Episc. Corcyren. an. 1611.

XXVI. Jacobus Episc. Corcyren. an. 1626.

XXVII.

Digitized by Google

XXVII. Franciscus II. Episc. Corcyren. an. 1643.
XXVIII. Hieronymus Episc. Corcyren. an. 1665.
XXIX. Nicolaus IV. Episc. Corcyren. an. 1673.
XXX. Marinus II. Episc. Corcyren. an. 1708.
XXXI. Vincentius Episc. Corcyren. an. 1735.
XXXII. Michael Episc. Corcyren. an. 1761.
XXXIII. Joannes VII. Episc. Corcyren. an. 1771.
XXXIV. Simon Episc. Corcyren. an. 1774.
XXXV. Antonius Episc. Corcyren. an. 1781.
XXXVI. Joseph Episc. Corcyren. an. 1787.

JOANNES EPISCOPUS CORCYRENSIS I. STAGNENSIS IX.

Corcyrensibus Sedis Episcopalis adipiscendæ cupidis.

SÆculo decimo tertio vergente, cum civitas & insula Corcyra, tum commercio, & divitiis, tum civium, & incolarum numero magis magisque in dies augescerent, eo amplitudinis creverat, ut sede Episcopali digna esse videretur. Hujus adipiscendæ miro studio flagrabant Corcyrenses; quo vehementius ut eam caperent, stimulos addebant, spemque ejusdem obtinendæ injecerant Sibenicenses, qui post acres, ac diuturnas contentiones, interposita apud Bonifacium VIII. auctoritate, & gratia Comitum Breberiensium, a Pontifice quod jamdudum optaverant, impetrarunt, ut scilicet potestate Episcopi Tragurienſis eximerentur, & suum in posterum ac proprium Episcopum haberent. Tunc

Joannes de Cruce Ep. Stagnen.

Joannes de Cruce, sive Crossius, patricius Ragusinus, ex Ordine S. Dominici, Stagnensem Ecclesiam ac Diœcesim, Corcyræ proximam, regebat. De consilio Corcyrensium & voluntate cum cognovisset, hinc oblatam sibi occasionem sedis suæ episcopalis apud eos collocandæ arripiendam censuit; jamdudum enim suæ illum stationis Stagnensis pœnitebat, quæ non solum erat ei molesta, sed etiam malefida & periculosa. Nam peninsula Stagni hæreticis, & schismaticis referta cum esset, inter homines inimicos infensosque Religioni Catholicæ, sibi ab insidiis tuto, vacuoque a metu & periculo esse non licebat. Adde quod non solum illius monita salutaria respuebant, quibus eos ad rectam fidem traducere studebat, sed etiam Catholicum gregem ab ejus præceptis & doctrinis avertere, pravisque opinionibus inficere conabantur; nec sibi, nec aliis eum prodesse sinebant; & quidquid poterant mali, si non aperte, tamen occulte in eum moliri non desinebant; ad hæc proventus mensæ episcopalis magna ex parte interverterant. Itaque stationis commutandæ cupidus, ultro Corcyrensibus seipsum obtulit;

consilium suum Sedis Stagnensis illuc transferendæ exposuit.

& quando sedis episcopalis apud illos constituendæ tanta eos cupiditas incesserat, quam ipse Stagni tenebat, eam ad civitatem Corcyrensem se translaturum spondebat, seque illis, si vellent, futurum primum Episcopum, & auspicem auctoremque condendi Episcopatus Corcyrensis. Optima visa est propositio; & nemo fuit, quin eam probaret, laudaretque. Tunc Comes erat, sive Rector Corcyræ Marinus e familia Veneta patricia Georgiorum, ad quam jure fiduciario, ut diximus, tum Corcyra, tum Melita pertinebant; alteram siquidem Venetus, alteram Ragusinus Senatus Marino Georgio, ob ejus insignia in utramque Rempublicam merita, fiduciariam dederat. Hic igitur ad frequentissimum Civitatis atque insulæ Concilium, quæ de iis Joannes Episcopus Stagnensis proposuerat, cum retulisset, de communi omnium sententia oratores duo, viri nobiles, Blasius Cernotich, & Cepreda Obradich decreti sunt, qui nomine Marini Comitis, & Communis Corcyrensis cum Episcopo agerent de pactis & legibus, in quas utrinque conveniendum esset, totumque illud negotium transigerent. Habitus est Conventus Ragusii in templo Patrum Prædicatorum, cui tamquam testes interfuerunt F. Stephanus Vicarius Cœnobii Dominicani Ragusini, & Petrus de Petragnio Canonicus sedis cathedralis Ragusinæ. Joannes Episcopus hæc potissimum Corcyrensibus promisit, ac recepit sanctissime esse observaturum, diligentissimeque facturum; videlicet curaturum se, ut translationem sedis Stagnensis ad civitatem Corcyræ, seu potius conjunctionem Ecclesiæ utriusque, Pontifex Summus approbaret; ad proventus episcopalis mensæ quod attinet, se contentum fore quinta parte decimarum; quod vero integræ decumæ deerant, supplerent Corcyrenses, duobus fundis frugiferis Episcopo assignatis, scilicet vinea una in villa Lombarda, & agro uno apud S. Vitum; nihil præterea a Corcyrensibus sibi exigendum esse; si forte Pharienses Episcopi, ad quorum diœcesim Corcyra pertinebat, insulam repeterent, & quod suæ potestati detractum erat, persequi vellent liti atque judicio, se sumptus omnes facturum, quos ad causſam agendam opera & actio forensis requireret; sexto mense post suum adventum ab se institutum iri Collegium Canonicorum, qui quotidianæ psalmodiæ operam darent, & sibi e vivis erepto alium Episcopum substituerent. Hæc sunt præcipua promissa, quibus Joannes fidem suam Corcyrensibus obstrinxit; reliqua ex tabulis hujusmodi conventorum cognosci possunt, quas ex Historia Ecclesiæ Stagnensis hic iterum describendas censui.

Promissa Joannis Episcopi.

Conventus Ragusini pacta utrimque approbata.

In Christi nomine Amen, Anno nativitatis ejusdem MCCC, Indictione XIII. intrante Junio. Ego F. Joannes de Crossio miseratione divina Curzolensis & Stagnensis Episcopus, solemniter sine aliqua exceptione juro & promitto, & convenio, & in concordia existo cum ser Blasio Cernotich, & ser Cepreda Obradich, Ambasciatoribus Universitatis Civitatis Curzolæ, recipientibus vice, & nomine Nob. Viri Domini Marini Georgio Comitis Curzolæ & Melitæ, & dicti Communis & Universitatis omnia, & singula infrascripta irrefragabiliter adimplere.

In primis quod ego procurabo apud Summum Pontificem per me, & per meos parentes, amicos meos, quod Sedes Stagnensis translatabitur, & appellabitur in Sedem Curzolensem; & volo facere.

Item quod quintum decimum in decimas percipiam, & non plus; & pro residuo decimarum tenebitur mihi dare Communitas predicta vineam unam in Lombarda, & unum campum apud S. Vitum.

Item quod non faciam Zupanum; sed mei Canonici, vel quos habuero de familia, colligent meum quintum decimum.

Item quod faciam Canonicos, qui possint post obitum meum alium Episcopum, secundum quod eis placuerit, eligere.

Item quod si tempore aliquo quæstio erit, vel orietur intra Episcopum Pharen. & meam Ecclesiam

Jam Curzolen: quod tenear ipsam quæstionem, vel quæstiones meis impensis propriis terminare, & defendere.

Item quod quintum decimum prædictum in quatuor partes dividere tenear; videlicet quod unam partem pro me teneho, pro Ecclesia aliam; tertiam Canonicis dabo, & quartam pauperibus erogabo.

Item quod hoc primo anno decimas aliquas non recipiam a Communi.

Item quod ultra prædicta nihil aliud a Communi, vel Universitate Curzolæ debeam requirere in futurum.

Item quod infra medium annum, postquam applicuero Curzolæ, faciam Canonicos.

De hoc autem factæ sunt tres chartæ similes, una pro dicto Episcopo, alia pro Communi Curzolæ, tertia apud Fratres Prædicatores.

Actum est in Ragusio in Ecclesia FF. Prædicatorum, præsentibus discreto & religioso viro F. Stephano de Scutari Vicario Fr. Min. Conv. Ragusii, ac Domino Petro de Petragnio Canonico Ragusino, testibus ad hoc specialiter rogatis & vocatis, nec non aliis.

Ego Joannes Adriani de Mutina Imperiali auctoritate Notarius publicus omnibus præsens fui, & rogatus scribere, scripsi, & meo sigillo solito, & nomine roboravi.

Et ad firmitatem & notitiam ego dictus Episcopus meum duxi sigillum præsentialiter apponere huic publico & autentico instrumento.

Joannes Crossius, seu de Cruce Episcopus primus Corcyrensis, quæ promiserat, solvit.

Quæ Joannes pollicitus fuerat, cumulatissime præstitit. Nam primum supplicibus litteris impetravit a Bonifacio VIII. ut institutionem Episcopatus Corcyrensis, & translationem Sedis Stagnensis rite approbaret, atque diplomate Pontificio communiret adversus Episcopos Pharienses, si forte de Corcyra ab sua Diœcesi divulsa litem intenderent. Deinde octo delegit e Clero Corcyrensi, viros omnium præstantissimos, e quibus Collegium Canonicorum institueret; his Archidiaconum, & Archipresbyterum præposuit, quibus postea dignitas tertia, idest Primicerius accessit. Suos cuique satis idoneos proventus Commune Corcyrensium assignavit. Jam omnia ad Episcopum ipsum excipiendum apud Corcyrenses in promptu erant, & parata; præsertim Templum S. Marci primarium totius civitatis, ea mole & magnificentia constructum, ut in ipso cathedra Episcopalis pro dignitate collocari posset; itemque Ædes pontificiæ, in quibus Episcopus laxe & magnifice habitaret. Anno igitur 1300. vel proximo, novus Episcopus Corcyram appulit, ingentique omnium lætitia, & gratulatione inter faustas acclamationes processit ad Basilicam S. Marci, & solium Episcopale conscendit. Corcyrensem vero Episcopatum ita suscepit, ut Stagnensem non dimitteret, sed utrumque retineret; & curam ac sollicitudinem pastoralem utrique Ecclesiæ sedule impendit. Ut Collegium Canonicorum, sic sodalitatem piorum hominum instituit, eique tum ad honeste & Christiane vivendum leges præscripsit, tum etiam Ædem Omnium Sanctorum attribuit, unde nomen sumpsit, in quam festis diebus sodales ad sacrum audiendum, & Deum precibus, aliisque religionis officiis colendum ac propitiandum convenirent. Hæc est omnium, quæ sunt in urbe atque insula, piarum sodalitatum antiquissima, quæ quidem etiamnum viget floretque. Triennio post sedem episcopalem Corcyræ constitutam, in Italiam

Sodalitatem piorum hominum instituit Corcyræ.

discessit, & anno 1304. erat Patavii; qua in urbe cum aliis quatuordecim Episcopis, quorum sane multi venerant e Dalmatia, interfuit consecrationi altaris S. Nicolai in Templo Augustiniano Patrum Prædicatorum, & Nicolao Episcopo Gignensi, ex tradita sibi potestate ab Goffredo Vicario Pagani a Turre Antistitis Patavini, ritu solemni sacris operanti ministerium præbuit, ut docet Jacobus Salomonius, qui nomina Episcoporum tabulæ marmoreæ inscripta refert, quibus noster insertus est, & Episcopus *Scorculensis* vocatur, in Appendice ad Inscriptiones urbis & agri Patavini.

Corcyram reversus ita Ecclesiam Corcyrensem gubernavit, ut partem cogitationum suarum & curarum Episcopalium etiam in Ecclesiam Stagnensem derivaret. Anno 1312. vel proximo e vivis sublatus est, sedem utramque vacuam successori relinquens. Ejus obitus.

JOANNES II. EPISC. CORCYREN. II. STAGNENSIS X.

Oriundus e Cherso insula & civitate sinus Flanatici. Ex Ordine Minorum S. Francisci, cui ab adolescentia nomen dederat, ad Sedem Corcyrensem & Stagnensem evectus est an. circ. 1312. vel sequenti. Utriusque Episcopatus ab eo gesti fidem faciunt ejusdem litteræ, quibus testatur ab se visum, lectum, recognitum Diploma quoddam Bonifacii Papæ VIII. missum *ad Ministrum Provincialem Ord. Fr. Minorum*; de quo in historia Stagnensis Ecclesiæ. Nisi esset harum litterarum testimonio cognitus, hunc vetustas, ut alios insignes viros bene multos, oblivione obruisset. Post Joannem II. nullum invenio, qui Ecclesiæ Corcyrensi præfuerit usque ad annum 1330. An usque ad hunc annum Joannes vitam & Episcopatum perduxerit, mihi non liquet. Interregnum paucorum annorum interfuisse arbitror, cujus causam conferendam censeo in Episcopos Pharienses, qui Corcyram se inscientibus, vel etiam repugnantibus ab sua diœcesi avulsam fuisse æquo animo ferre non poterant; & diploma pontificium Bonifacii VIII. cujus auctoritate nitebatur institutio Episcopatus Corcyrensis, se ignaris, inauditis, inconsultis dolo & fraude subreptum fuisse querebantur; cum antiqui Canones vetarent, ullam cujusque diœceseos imminutionem fieri, Episcopis ejusdem invitis vel non consentientibus. Sed cum Sedes Apostolica ratum habuerit, quod secundum Corcyrenses decreverat, iisque Veneti tunc insularum domini faverent, Pharienses quiescerent oportuit, ab omnique contentione desisterent. Ante hanc controversiam compositam Malliciates, sive Melliciacca, qui ab anno circ. 1326. usque ad an. 1328. Ecclesiæ Catharensi præfuit, Catalogum contexuit Ecclesiarum Episcopalium *Urbis & Orbis*, quem e Codicibus mss. Bibliothecæ Vaticanæ desumptum Emmanuel a Schelstrate Tomo II. Antiqu. Eccles. illustr. intexuit. Hic auctor illorum temporum æqualis Episcopatus Provinciæ Ragusinæ percensuit; in his desideratur Corcyrensis, quem sub initium hujus sæculi institutum fuisse diximus: *Archiepiscopus Ragusinus habet Suffraganeos Stagnensem, Bossinensem, Tribunensem vel Tribuniensem, Bosensem, Biduariensem.* Iccirco Corcyrensem ab eo prætermissum fuisse arbitror, quia tunc controversia illa inter Pharienses & Corcyrenses adhuc sub judice erat, & necdum

Joannes Episc. an. circ. 1312.

Interregnum Episcopale.

de

de legitima institutione Episcopatus Coreyrensis, Phariensibus contradicentibus, satis constare videbatur.

GADDUS EPISCOP. CORCYREN. III. STAGNENSIS XI.

Gaddus Episc. an. circ. 1330.

Alumnus disciplinæ Dominicanæ; de quo in Bullario Dominic. Tom. I. pag. 121. *F. Gaddus Episc. Curzolen. circa an. 1330. ut tradit Bernardus Guidonis in Episcopis Provinciæ Rom. Leander illum excipit. Translatus est ad Archiepiscopatum Corcyrensem in Ionii maris insula an. 1341. Ita Cavallerius.*

MARINUS EPISCOP. CORCYREN. IV. STAGNENSIS XII.

Marinus Episc. an. 1342.

Ex Ordine Fratrum Minorum ad regendam Ecclesiam Corcyrensem accessit an. 1342. & Vicarium generalem sibi ex eodem Ordine delegit F. Joannem, quem ad Episcopatus sibi traditi possessionem nomine suo adeundam, & res necessarias ad suum adventum comparandas Corcyram præmisit. Dum hæc sedes propter translationem Gaddi ad Archiepiscopatum Corcyrensem vacabat, Archiepiscopus Ragusinus, ad cujus provinciam pertinebat, Presbyterum quemdam nomine seu cognomine Berissium rebus ecclesiasticis & redditibus mensæ Episcopalis curandis præesse jusserat. Hic vero statim atque Vicarius Marini Episcopi Corcyram appulit, administrationem sibi commissam deposuit, quodque ex annuis proventibus ac bonis ejusdem mensæ collegerat, sepositum ac fida custodia reconditum habebat, coram Petro Georgio insulæ Vicedomino, sive insulam sub dominio supremo Reipublicæ Venetæ jure fiduciario possidente, ac testibus ad fidem faciendam idoneis Vicario ejusdem Episcopi rite ac legitime tradidit, ut est in tabulis Corcyrensibus. *An. 1342. die 22. Octobris. Actum Curzulæ in domo Episcopatus Curzulæ in præsentia Nobilis ac Sapientis viri Domini Petri Georgio honorandi Vicedomini insulæ Curzulæ, præsentibus Presbytero Marinich Canonico Ecclesiæ S. Marci de Curzula, Marini Cherjanich de Curzula testibus ad hoc vocatis & rogatis &c. Cum hoc esset, quod honestus & religiosus vir Dominus Frater Joannes Ordinis Fratrum Minorum Vicarius Vener. Patris ac Domini Fratris Marini Dei gratia Episcopi Curzolen. nuper nunc ad ipsum Episcopatum pervenit, & ibidem invenit Vicarium D. Presbyterum Berissium missam per Dominum .... Archiepiscopum Ragusinum pro cura & conservatione bonorum ipsius Ecclesiæ ac dicti Domini Archiepiscopi; qui Dominus Presbyter Berissius consignavit eidem bona &c.* Marinus anno 1344. ad gubernaculum hujus Ecclesiæ jam sedebat, eodemque Vicario utebatur; id quod declarant tabulæ supremæ Nicii Sullicavichii, qui eidem Vicario & Presbyteris Corcyrensibus summam pecuniæ non ita parvam legavit, ut pro expiatione delictorum suorum sacrificia facerent: *In primis relinquo omnibus Presbyteris civitatis Curzulæ, necnon Domino Vicario & Socio ac omnibus aliis Presbyteris Insulæ Curzulæ Grossos duodecim pro quolibet ipsorum pro Missis celebrandis pro anima sua &c. an. 1344. exeunte Septembri die &c.* Annos fere decem Marinus huic Ecclesiæ præfuit; sed in Episcopatu non diuturno quid gesserit aut decreverit, litteris aut memoriæ proditum non est. Quamvis autem titulus ab Ecclesia Stagnensi sumptus ex defectu veterum tabularum eidem inscriptus non inveniatur, nullius tamen dubito, quin ei quoque Ecclesiæ quantum in ipso fuit, licuitque per hæreticos atque schismaticos, quorum erat referta, suam vigilantiam & curam impenderit. Nam cum Joannes Crosius sedem Episcopalem ex urbe & peninsula Stagni Corcyram transtulit, ita Corcyrensis Ecclesiæ administrationem suscepit, ut neque sibi, neque suis successoribus Stagnensem negligendam putaret. Idem factitavit Joannes III; uterque enim ab Ecclesia utraque titulum sibi adoptabat.

præest annos decem.

Dum Marinus huic Ecclesiæ præsidebat, fervente bello Ligustico, tres Ligurum triremes in sinum Adriaticum invectæ duas insulas Corcyram & Phariam igni ac ferro devastarunt; cum vero ad Ligusticum accessit bellum Hungaricum, Dalmatia fere universa cum insulis a Venetis ad Hungaros defecit an. 1357. Cum igitur Corcyra in potestatem Hungarorum venisset, Ludovicus rex Hungariæ, Joanne Georgio insulæ domino expulso, dominatum ejusdem insulæ Georgiorum familiæ eripuit, & Corcyræ itemque cæteris insulis, quas sub imperium redegerat, unum de Proceribus Hungariæ vel Dalmatiæ Rectorem præfecit. Paucis annis post Dalmatiam Venetis ademptam Marinus Episcopus diem supremum obiit, eique successit

Corcyra Venetis adimitur.

DOMINICUS EPISCOP. CORCYREN. V. STAGNENSIS XIII.

Dominicus Episc. an. 1350.

Natione Albanensis, erat Episcopus an. 1350. de quo satis in historia Jadertinæ ac Stagnensis Ecclesiæ. E monumentis Ecclesiæ Glemonensis constat Dominicum Corcyrensem Antistitem, alioisque Episcopos septemdecim anno 1356. certas criminum indulgentias iis tribuisse, qui Ecclesiam Venzonis oppidi in Forojulio prænobilis religiose inviserent. Valerius a Ponte Corcyrensem Episcopatum Dominici protrahit ad annum 1367. quod convenire minime potest cum actis Joannis III. qui Dominico suffectus fuit: de utroque autem vide, quæ scripsimus in Episcopis Stagnensibus.

JOANNES III. EPISC. CORCYREN. VI. STAGNENSIS XIV.

Idem fortassis, qui in tabulis Corcyrensibus supra descriptis Vicarius Marini Episcopi appellatur, ex eadem Franciscana familia, ex qua Marinus ad Corcyrensem Episcopatum assumptus; de quo nonnulla monuimus in Episcopis Stagnensibus. Præerat huic Ecclesiæ an. 1360.

JOANNES IV. EPISC. CORCYREN. VII. STAGNENSIS XV.

Joannes Episc. an. 1368.

Honesto loco natus est Veglæ, quæ civitas est & insula sinus Flanatici. Aggregatus cum esset ad cœtum S. Francisci Fratrum Minorum, insigni sanctitate & doctrina floruit; eumque Urbanus V. dignum censuit, quem ad Episcopalem dignitatem eveheret, & post Dominicum ad Metropolim Jadertinam translatum Ecclesiæ Corcyrensi præficeret an. 1368. Cum insulæ fere omnes essent in potestate Ludovici regis Hungariæ, hic an. 1369. Comitem seu Rectorem tum Phariæ & Bractiæ, tum Corcyræ præposuit Balthassarem de Sorba civem Januensem, quem præfe-

Corcyra Hungaris subjecta.

fectum regiæ classis constituerat, ut docent ejus litteræ ad *Universos, & singulos Insularum Civitatum Regni Sui Dalmat. Rectores &c. Cum*, inquit, *nos aliqua vobis per fidelem familiarem nostrum Baldassar de Sorbâ de Janua Comitem Faræ, Brazæ, & Curzulæ, & Amiratum nostrum maritimum generalem commisimus referenda &c. Dat. Budæ feria proxima post Dominicam Lætare. Anno Domini* 1369. Idem & iisdem insulis anno proximo præsidebat, eique Ludovicus Castrum quoque Almissæ tradiderat, ut ex tabulis Tragurienſibus perspici potest. *An.* 1370. *Indict.* 8. *regnante rege Ludovico &c. tempore Domini Stephani Episcopi Faræ & Brazzæ, & Magn. & potentis viri D. Baldassari de Sorbâ de Janua Regii Amirati, & Comitis Castri Almissi, & Insularum Faræ, Brachiæ & Curzulæ*, Ludovicus non contentus Dalmatia Venetis adempta, maris etiam dominatum eisdem eripere cupiebat; ad quem occupandum & retinendum permagni intererat tum classem maritimam instruere, tum vero insulas in potestate habere. Itaque supremam classis præfecturam, itemque principatum & gubernationem insularum Balthassari Januensi demandavit, viro rei navalis & bellicæ scientissimo, cui plurimum fidebat; quippe eodem, quo sui populares, animo a Venetis aversissimo erat, quibuscum Ligures multa & acerrima bella gesserant, ac nondum inexpiabile, quo in Venetos flagrabant, odium deposuerant; quod paucis post annis rursus in apertum bellum erupit, cum videlicet ad imperium & nomen Venetum delendum cum Hungaris, Francisco Carrario Dynasta Patavino, & Marquardo Patriarcha Aquilejensi conspirarunt. Præterea opus erat Ludovico pacata maris possessio, ne quid a Venetis impedimenti objiceretur, cum illi necesse esset copias Hungaricas in Italiam transmittere ad Carolum Dyrrhachiensem cum Margarita uxore in Apuliam transvehendum, quem Regni Neapolitani, post obitum Joannæ Reginæ, hæredem declaraverat; vel etiam, si Joanna obsisteret, ad Regnum ipsum vi atque armis occupandum. Eamdem ob caussam, post Balthassarem de Sorba, alterum egregium virum Simonem de Auria itidem Januensem, Corcyræ, & aliis insulis Comitem præfecit anno 1375. quem magistratum anno 1382. adhuc retinebat; quippe in tabulis illorum annorum *Comes Faræ & Curzulæ* inscriptus reperitur. Nemini enim tutius, quam Januensibus, antiquis Venetorum hostibus, commendari posse censebat præfecturam ac defensionem illarum insularum, qui omnes Venetorum insidias, vel conatus ad eas recipiendas arcerent ac repellerent. Harum autem insularum possessio ad maris possessionem adipiscendam ac retinendam magno adjumento esse poterat: eædem vero insulæ, cum bellum illud sociale contra Venetos exarsit anno 1377. Ligusticæ classi fœderatæ, quando opus fuit, non solum receptum, sed etiam commeatus, armamenta, & cætera, quibus indigebat, peropportune præbuerunt.

Joannes insulam Laguſtam ad ſuam diœceſim adjunxit.

Joannes Episcopus æque cum Balthassare de Sorba, & cum Simone de Auria amicitiam coluit, & utriusque auctoritate atque opera usus est ad rem Christianam bene gerendam. Neque minus ipse, quam illi, erat in gratiam apud Ludovicum Regem Hungariæ, qui quemadmodum Dominico Albanensi Metropolim Jadertinam, sic etiam fortasse Joanni Episcopatum Corcyrensem ab Urbano V. conferendum curavit. Hujus favore & præsidio nixus, ut mihi videtur, diœceseos suæ fines amplificavit, eique insulam proximam Lagustam adjunxit. Hæc insula Corcyræ objacet a meridie, paucorum milliarium intervallo disjuncta; passuum millia circiter triginta circuitu complectitur, & vicis non infrequentibus habitatur. Longissimo maris tractu abest Ragusio, ac centum millia passuum, si recte hanc distantiam metitus est Seraphinus Razzius; qui auctor est hujus insulæ dominos fuisse Templarios, quibus extinctis, quod a primæva institutione ac disciplina degenerassent, cum pleræque illorum opes ac possessiones ex decreto Clementis V. essent devolutæ ad Hospitalarios S. Joannis, his quoque Lagustam attributam fuisse ait. Illi vero insulæ sibi traditæ possessionem adire omiserunt. Lagustani autem, æque civili, atque ecclesiastico regimine destituti cum essent, se in fidem ac ditionem Reipublicæ, atque Archiepiscopi Ragusini contulerunt anno circiter 1310. Hæc Seraphinus Razzius in Hist. Ragus. lib. 33. Verum quomodocumque, & undecumque hæc insula in potestatem venerit Antistitum Ragusiensium, hi curam illius Christiani gregis propter longinquitatem perinde neglexerant, ac si ad eos non pertinuisset. Porro insularibus illis, ut propior erat, sic promptior & opportunior fore videbatur tum præsentia, tum opera Episcopi Corcyrensis. Joannes Ludovico Regi, itemque Pontifici Romano, vel per se, vel per litteras exposuit, quanti ad Christianam Lagustanorum institutionem utilitatemque interesset, illos in potestate Corcyrensium Antistitum esse: inter Corcyram & Lagustam brevem esse ac facilem ultro citroque transitum, neque incommodum & insularium ad Episcopum, & Episcopi ad insulares accessum. Lagustanis igitur vigilantiam curamque pastoralem facilius & commodius a Corcyrensi e propinquo, quam ab alio ullo Antistite longius distante, impendi posse. Utrumque tamen & Regem & Pontificem de jurisdictione ejusdem insulæ Archiepiscopo Ragusino olim tradita celasse videtur, sive quia id fortasse ignorabat, sive quia non minus gratum fore eidem Archiepiscopo existimabat, gregis ab eo remoti, atque longinqui curandi onere levari, quam perutile Lagustanis vicinum habere Episcopum, a quo regerentur, quique illis necessaria ad honeste pieque vivendum præcepta & subsidia ex insula proxima, vel etiam præsens, suppeditaret. Bene monere visus est; ejusque monitum & consilium Ludovicus Rex valde approbavit, atque ad litteras supplices Joannis ad Pontificem regiam commendationem adjunxit. Gregorio XI. rebus humanis exempto in Sedem Romanam Urbanus hujus nominis VI. successerat. Huic a factione Gallicana Robertus Cardinalis Gebenensis Pseudopontifex objectus fuerat, & Clemens VII. appellatus, ad quem desciverat Joanna Regina Neapolitana, & partes schismaticorum suo favore ac præsidio fovebat. Porro Urbanus ut sibi voluntatem & auxilium Ludovici potentissimi Regis conciliaret, nihil ei negandum putabat; quem etiam clandestinis litteris ac nunciis hortatus fuerat, ut, traducto in Italiam exercitu, Regnum Neapolitanum invaderet, illudque aut sibi, aut Carolo Dyrrhachiensi adipisceretur. Quod igitur Ludovicus sua commendatione, & Joannes suis litteris, de conjungenda Lagusta cum diœcesi Corcyrensi postulabant, Pontifex haud

Eam Joannes ostendit commodius regi posse ab Episcopo Corcyrensi, quam a Ragusino.

Digitized by Google

haud libentius, quam promptius præstitit. Extat Rescriptum Pontificium, ex quo apparet ignotum fuisse Urbano Insulam illam ad diœcesim Ecclesiæ Ragusinæ olim adjunctam fuisse; eamque veluti possessionem quamdam caducam & vacuam tradidit Episcopo Corcyrensi.

Rescriptum Urbani VI. P.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ex suscepta servitutis officio ad ea libenter intendimus, per quæ animarum saluti consulitur, & Ecclesiarum utilitas procuratur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte Ven. Fratris nostri Joannis Episcopi Curzulen. petitio continebat, quod in partibus Sclavoniæ est quædam insula Lagusta nuncupata, quæ ab Episcopatu Curzulen. per octo dumtaxat milliaria distat; in qua fideles, & Catholicæ personæ habitare noscuntur, quodque hujusmodi personæ nullum alium superiorem Prælatum recognoscerent, nec alicui Episcopo, vel Prælato de juribus Ecclesiasticis responderent; quodque prope eamdem insulam per sexaginta milliaria, nulla alia Civitas, vel Cathedralis Ecclesia, præter Ecclesiam Curzulen. existit; quando pro parte dicti Episcopi nobis fuit humiliter supplicatum, ut eamdem insulam Episcopatui suo, & dictæ Ecclesiæ Curzulen. subjicere, & eam Diœcesi Curzulen. unire, & incorporare de benignitate Apostolica dignaremur. Nos vero animabus incolarum, & habitatorum præfatæ insulæ providere, & eamdem Ecclesiam Curzulen. honorare volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præfatam insulam, præsentium tenore, prædictæ Ecclesiæ Curzulen. quoad jura spiritualia, auctoritate Apostolica subjicimus; & eam de dicta Curzulen. diœcesi ex nunc fore decernimus; statuentes, & ordinantes, quod deinceps incolæ, & habitatores prædictæ insulæ, quoad hujusmodi jura spiritualia præfato Joanni Episcopo, & ejus successoribus Episcopis Curzulen. qui erunt pro tempore, tamquam eorum Diœcesano Episcopo, ac Pastori animarum suarum, se subesse noscantur; & eorum mandatis salubribus humiliter pareant, & intendant, quodque vero Episcopus, & successores in personas & incolas prædictæ insulæ jurisdictionem ecclesiasticam libere possint & valeant exercere, quodque incolæ & habitatores præfatæ insulæ præfato Joanni, & successoribus suis de juribus ecclesiasticis debeant respondere. Nullus ergo hominum hujusmodi nostræ concessionis & unionis litteras audeat infringere, vel eis ausu temerario contravenire, si quis autem hoc tentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam in Trànstyberim, Pontificatus nostri anno quinto; ideſt 1378.

Archiepiscopus Ragusinus insulam Lagustam recuperavit.

Ita Joannes quod optabat facile impetravit, & suam diœcesim hujus insulæ accessione auxit; verum haud diu in sua potestate retinere potuit. Maphæus Archiepiscopus Ragusinus Lagustam ab sua ditione divulsam ægerrime tulit; & caussatus Rescriptum illud Pontificium irritum esse, quod per fraudem surreptum fuisset Urbano, ignaro ad quem administratio, & jurisdictio ecclesiastica illius insulæ pertineret, post mortem Ludovici anno 1382. extincti, Joanni acerrimam litem intendit; atque ut sibi redderetur illa insula, tum apud Urbanum, tum apud Mariam Ludovici filiam, Hungariæ Reginam, quæ civitatem Ragusii in suam fidem & clientelam receperat, reposcere, instare, urgere non antea destitit, quam illam recuperaret, atque in pristinam Ecclesiæ suæ potestatem redigeret. Nunc etiam subest jurisdictioni Episcopali Metropolitæ Ragusini, qui Vicarium ibidem constituere solet, sique rerum sacrarum procurationem delegare. In angulo insulæ Corcyræ ad orientem extremo extat villa neque ignobilis, neque infrequens, cui nomen *Lombarda*. Erat ibi ædes pervetusta S. Joannis, quam olim cuidam Cœnobio annexam, atque a Monachis possessam, & religiosissime cultam fuisse ajunt; sed magna ex parte diruta, inculta, deserta. Hanc Joannes Episcopus pro eximia sua religione erga Sanctissimum Apostolum, vel Præconem, cujus nomine & patrocinio gloriabatur, suo ære sumptuque reficere, atque in pristinum nitorem restituere decrevit. Hujus negotii atque operis procurationem dedit Siricio Borgosvichio, homini gnaro & solerti; simulque imperavit, ut bona ejusdem templi vel per incuriam amissa, vel per malitiam intercepta studiose perquireret ac recuperaret. Extat ejus mandatum in hæc verba: 1388. *Indict. 11. & die prima mensis Augusti. Reverendissimus Pater Dominus Fr. Joannes Dei gratia Episcopus Corzulensis, & Stagnensis, omnibus modo, via, jure, & formula, quibus melius potuit & scivit, considerans Ecclesiam S. Joannis de Lombarda derelictam & desolatam, facere constituit, & ordinavit ser Siricium Borgosvich, illic præsentem, & acceptantem, verum, & legitimum Procuratorem, actorem, ... negotiorum gestorem, & specialiter ad recuperandum jura ipsius Ecclesiæ, & ipsam reaptandam, dans &c. volens &c. Actum supra molum portus, præsentibus ser Jacxa Miesich, & D. Antonio Odrevich testibus &c.* Joannes intra finem hujus sæculi e vita decessit.

Joannes Ecclesiam S. Joannis in villa Lombarda labentem reficiendam curavit.

Ejus obitus.

FRANCISCUS EPISCOP. CORCYR. VIII. STAGNENSIS XVI.

Quem Urbanus VI. anno circiter 1389. Ecclesiæ utrique Episcopum præfecit, post triennium ad sedem Scardonitanam transtulit; ut docent Tabulæ Romanæ Div. Cam. Tomo I. pag. 302. de quo in Episcopis Stagnensibus, & Scardonitanis.

NICOLAUS EPISCOP. CORCYREN. IX. STAGNENSIS XVII.

De cujus patria, genere, familia, nihil memoriæ aut litteris proditum est. Nobis tamen ejus nomen, & Episcopatus ex Tabulis publicis Archivi Corcyrensis innotuit. Prænomen Fratris, ejus nomini præfixum, indicio est eum ex Ordine religioso vel Franciscano, vel Dominicano fuisse. Primum accessit ad regendam Ecclesiam Lavellensem in provincia Surrentina. Deinde Bonifacius IX. illum anno 1392. ad Ecclesiam Corcyren. & Stagnen. migrare jussit, ut constat Lib. Oblig. Tom. 48. pag. 135. Huic Ecclesiæ præsidebat an. 1401, ut docent Tabulæ supra laudatæ: 1401. *Indict. septima* (nona) *vir nobilis ser Menze Contivalis de Antibaro Vicarius Curzulæ Magnifici Domini Georgii Strascimeri de Balsis, ut patet littera patenti sub sigillo præfati Domini Georgii, constitutus in præsentia Reverendissimi Patris Domini Fratris Nicolai Episcopi Curzolensis, suorumque Canonicorum &c.* Hæ tabulæ non solum Episcopatum Corcyrensem Nicolai confirmant, sed insuper declarant dominatum insulæ per eos annos fuisse penes

Nicolaus Ep. Corcyr. an. 1392.

Georgius Straſcimerus de Balſis dominus Corcyræ.

Digitized by Google

Georgium Straſcimerum de Balſis, qui Menzium, virum nobilem Antibarenſem, ſuum in eadem inſula Vicarium conſtituerat. Verum qua ratione, quove anno hæc inſula in poteſtatem Georgii Balſæ pervenerit, ſatis compertum non eſt. Poſt obitum Ludovici Regis, in ea converſione rerum ac perturbatione, in qua tum Hungaria, tum Dalmatia verſabantur; pleræque civitates ab Hungaris ad alios dominos tranſierunt. Carolum Regem Dalmatiæ, cum a perduellibus ad Regnum Hungariæ occupandum evocatus fuiſſet, homines adverſæ factionis per inſidias interfecerant; ab iiſdem vero perduellibus Maria Regina Hungariæ, filia Ludovici, cum Eliſabetha matre capta, & Novigradi in cuſtodiam tradita fuit. Quamvis autem hæc, hoſtium manibus erepta, cum Sigiſmundo conjuge, Venceslavi Imperatoris fratre, regnare cœpiſſet, reſque parumper quietæ fuerint, nuſquam tamen ab omni ſollicitudine metuque vacuæ eſſe videbantur; nec vero Stephanus Tuartkus Rex Boſinæ, & Joannes de Paliſna Prior Auranæ, qui auctores præcipui fuerant conſpirationis adverſus Mariam, ejuſque matrem conflandæ, Dalmatis & Spalatenſibus infeſti eſſe deſiſtebant, ut eos ab Imperio Hungarico ad ſuas partes perſtraherent; qui demum auxiliis Hungaricis deſtituti cum eſſent, hoſtibus magis magiſque in dies urgentibus, & prementibus, ſe Regi Boſinenſi dedere coacti ſunt; ſed duobus poſt annis, cum Stephanus Dabiſcia, Tuartko in Regnum Boſinenſe ſuffectus, rerum potiretur, in fidem ac poteſtatem Sigiſmundi redierunt. Poſt Mariam Reginam Hungariæ anno 1392. e vivis ereptam, cum totius Regni Hungarici ſumma devoluta eſſet ad Sigiſmundum, rurſus variis ob cauſſas magna ab eo animorum ac voluntatum alienatio facta eſt. Plerique ex optimatibus Hungariæ & Dalmatiæ clandeſtinis coitionibus & conſiliis de illo expellendo conjurarunt; ſed externis auxiliis indigebant, quibus ad id, quod moliebantur, aggrediendum, & perficiendum uterentur. Itaque ad auxilia tranſmarina, & ad Ladislavum Regem Neapolis, filium Caroli, ſpectabant. Hunc igitur litteris ac nunciis iterum ac ſæpius evocarunt. Horum hortatu & ſollicitatione, Oſtoja Chriſtichius, poſt Dabiſciam, Rex Boſinæ, & Hervoja *Magnus Vaivoda* Boſnenſis, Neliptius Comes Cetinæ & Cliſſæ contra Sigiſmundum fœdus bellique ſocietatem conjunxerunt. Dum hæc conſpiratio & ſocietas intra finem anni 1398. conflata occultis coitionibus alebatur, & magis magiſque in dies invaleſcebat, interea accidit, ut Sigiſmundus procerum quorumdam dolo & fraude circumventus captuſque in arctam cuſtodiam includeretur; ſed non poſt multo ex ea, illuſtris cujuſdam fœminæ opera, exemptus in Bohemiam apud Venceslavum fratrem, Imperatorem & Regem Bohemiæ ſe recepit; ac deinde cum valido exercitu in Hungariam rediit. Nec vero Ladislavus ante annum 1403. in Dalmatiam tranſvectus Jaderæ Regni Hungarici & Dalmatici inſignia ſumpſit, omneſque civitates maritimas, præter Raguſium, in ſuam poteſtatem accepit.

Res in Hungaria & Dalmatia civilibus ſeditionibus & bellis perturbatiſſimæ.

Res turbulentiſſimas illorum temporum breviter ſummatimque commemorari oportuit; hinc enim arbitror occaſionem oblatam fuiſſe Dynaſtis de Balſa Corcyræ inter eos tumultus & ſeditiones occupandæ. Gentis Balſæ æque nobilis ac vetuſtæ originem alii ex Albania, ſive Epiro nova, alii inde uſque ab Gallia repetendam cenſent; quam in Italiam cum Carolo I. Siciliæ utriuſque Rege profectam eſſe, & in Regno Neapolitano multas civitates & Principatus obtinuiſſe tradunt: ex ea plures familias proſeminatas eſſe; quarum una vel altera in Epirum migravit cum viris illis principibus ex Andegavenſi regia ſtirpe, qui Dyrrhachium aliaſque ejus regionis urbes in ſuam poteſtatem redegerunt. Cæterum undecumque gens Balſa ſive ex Albanis, ſive ex Gallis originem duxit, certe in Dalmatia ſæculo decimo quarto copiis, opibuſque pollebat, & longe lateque dominabatur. Zentam utramque ſuperiorem, & inferiorem poſſidebat; ex qua Balſas Comites, ſeu Dominos Zentæ appellatos eſſe conſtat. Hæc regio extrema eſt Dalmatiæ ſuperioris ad orientem, & præter Drivaſtum & Scodram alia oppida non ignobilia complectebatur. Sæpe cum Dynaſtis finitimis Balſæ feliciter pugnarunt; & præſertim multa bella cum Catharenſibus geſſerunt. Ex hac igitur nobiliſſima & potentiſſima gente oriundus erat Georgius Straſcimerus, ſeu potius filius Straſcimeri de Balſis, qui, cum bellis civilibus arderet Dalmatia, ut alii alias regiones, ſic ipſe Corcyram ad ſuum dominatum adjunxit, ſeu potius in ſuam poteſtatem ſponte venientem recepit; eique regendæ Vicarium præficere ſolebat, ut eſt in tabulis ſupra deſcriptis. Haud tamen diu illam retinere potuit. Nam ſimul atque Vicarius Georgii abierat ex inſula, Corcyrenſes profeſſi ſunt in ſuis litteris, Communi Spalatenſium redditis, aperteque declararunt ſe imperium Sigiſmundi Regis Hungariæ, & quem ille Rectorem inſulæ præficeret, recipere velle. Præfectus Venetus ſinus Adriatici eos hortabatur, ut in fide ac poteſtate manerent Georgii Straſcimeri de Balſa, quo cum Veneti, & cum omnibus Dynaſtis de Balſa amicitiam, & ſocietatem junxerant. Contra vero eoſdem ſollicitabant tum Oſtoja Rex Boſinæ, tum Hervoja Vaivoda Boſnenſis, tum Philippus præfectus Regiæ claſſis Neapolitanæ, quam Ladislavus Rex in Dalmatiam præmiſerat, ad ſuas partes adjungere ſtudebant; cum antea Corcyrenſes Spalatenſibus ad Caſtrum Almiſſæ tuendum, retinendumque in fide ac poteſtate Sigiſmundi Regis auxilia ſocialia polliciti fuiſſent. Spalatenſes autem incuſabant Corcyrenſes, quod promiſſis ſtare nollent; quippe in ſuis ad eos litteris ajebant, ſibi a Præfecto Venetæ claſſis ſignificatum fuiſſe eos alieno animo eſſe a Sigiſmundo, quem Spalatenſes, & plerique Dalmatarum adhuc ſumma obſervantia & fide colebant. Hanc incuſationem ut depellerent, ſeque Spalatenſibus de objecta ſibi ab Sigiſmundo alienatione purgarent, hoc illis reſponſum reddiderunt, communi Epiſtola inſcripta: *Nobilibus & egregiis Dominis Judicibus & Conſiliariis Civitatis Spaleti majoribus dilectis.*

Corcyra in poteſtatem pervenit gentis de Balſa.

Corcyrenſes ſuam erga Sigiſmundum propenſam voluntatem profitentur.

Solita ſalutatione præmiſſa, Majores dilecti, recepimus litteras veſtræ Dominationis continentes ſiniſtram informationem a vobis habitam; quod nos diximus Capitaneo Gulfi, & aliis, quæ credere non velitis de nobis. Verba quæ nos habuimus cum Capitaneo Gulfi ſunt hæc. Ipſe Capitaneus pro parte Magnifici Domini Georgii Balſa hortabatur nos & rogabat, ut ſumeremus Vicarium præfati Domini Georgii, & tractaremus ſicut prius, qui Vicarius erat ibi præſens. Nos dedimus tale reſponſum; quod una vice tenebamur dare tributum, & unum Comitem habere, & ad præſens no-

in ſuis litteris ad Spalatenſes.

Digitized by Google

noſtrum Comitem non cognoſcimus, nec intendimus alicui reſpondere, niſi Regi Ungariæ, vel cui ipſe Rex dabit Comitatum; & quod ex una parte petebat ipſe Dominus Georgius, ex alia Rex Boſnæ, ſive Vaivoda Hervoje, ex tertia Dom. Philippus Georgii Admiratus Regius, ex quarta Domini Spalatenſes petunt ſubſidium ad manutenendum Caſtrum Almiſſii pro D. N. Rege Ungariæ; & de vobis alia mentio in veritate noſtra facta non fuit ipſi Capitaneo; ſi ipſe Capitaneus plura verba protulit de nobis ad vos, hoc non fuit motu noſtro, ſed, ut comprehendimus, potius inductu D. Georgii Straſcimeri, vel ejus Vicarii; talem ſuſpectionem, & aliam ſi habetis de nobis, deponatis; quoniam mens noſtra ſemper attendit ad bonum veſtrum. Valete feliciter, & gaudete.

Datum Curculæ die 28. *Novembris anno* 1401. *Indictione nona,*

Judices &
Conſiliarii Curzulæ.

Sed cum paullo poſt Jadera, Spalatum, aliæque urbes Dalmatiæ, Hervoja plurimis emolumentis & præmiis propoſitis inſtigante, ſe Ladislavo per deditionem tradidiſſent, Corcyra quoque ſub ejus imperium migravit. Porro Ladislavus in Dalmatiam claſſe tranſvectus anno 1403. cum aliquot menſes Jaderæ commoratus fuiſſet, antequam in Italiam regrederetur, Hervojæ Vaivodæ Boſnenſi ob hujus erga ſe merita ſingularia Corcyram aliaſque inſulas donavit, eumdemque Ducem ac Dominum Spalatenſibus præpoſuit.

Nicolaus Epiſcopus Corcyrenſis titulum Stagnen. Eccleſiæ ſibi adjunxit.

Ad Nicolaum Epiſcopum ut revertamur, ejus nomen reperitur etiam anno 1405. inſcriptum tabulis ſupremis Bogdani Grupſichii Canonici Corcyrenſis: 1405. *Eodem milleſimo Indictione* 7. (13) *Die* 6. *Septembris. Dominus Bogdanus Grupſich Can. Curzulæ, per Dei gratiam ſanus mente, memoria & intellectu, licet infirmus corpore, & ſenectute oppreſſus, cum licentia Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini Domini Nicolai, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopi Curculen. & Stagnen. in hunc modum ſuum condidit teſtamentum &c.* In his tabulis nota arithmetica Indictionis vitiata eſt; & pro ſeptima decimam tertiam Indictionem adſcribas neceſſe eſt. Nicolaus temporibus extremis ſui Epiſcopatus, cum adminiſtratione jam inde ab initio ſuſcepta, titulum etiam ſumpſit Eccleſiæ Stagnenſis: nam in hiſce tabulis modo deſcriptis non Corcyrenſis ſolum, ſed etiam *Stagnenſis* Epiſcopus appellatur, non item vero in ſuperioribus anno 1401. confectis. Poſt annum 1405. ejus mentio nuſquam reperitur.

ANDREAS EPISCOP. CORCYREN. X. STAGNENSIS XVIII.

Andreas Ep. Corcyren. & Stagn. 1406.

Ad Eccleſiam Corcyrenſem gubernandam acceſſit anno circiter 1406. Cum Hervoja, ex donatione Ladislavi, Spalatum atque inſulas obtinuiſſet, Corcyram Raguſinis regendam tradidit; ex cujus auctoritate & mandato illi unum de Patriciis Comitem ſeu Rectorem huic inſulæ præficere ſolebant; eique anno 1409. ut eſt in tabulis Raguſinis, præerat *Joannes Gozzeus, de mandato Harvoja Ducis Spaluti, Comes Corcyræ.* Tunc arbitror Raguſinos conſilium cepiſſe tituli Epiſcopalis reſtituendi Eccleſiæ Stagnenſi, periculum enim erat ne prorſus exſoleſceret. Nam poſt Joannem hoc nomine II. Corcyrenſem, & Stagnenſem Epiſcopum nonnulli ex iis, qui deinde ſecuti ſunt, veluti Marinus, & Dominicus Albanenſis, titulo Corcyrenſis contenti, Stagnenſis Epiſcopatus, quamvis curam non neglexerint, titulo tamen abſtinuerunt. An vero his interjecti Joannes III. & Franciſcus hunc titulum uſurpaverint, incompertum eſt; nullæ ſiquidem inſcriptiones exſtant, quæ ad eoſdem pertineant, unde id cognoſci poſſit. Joannes IV. & Nicolaus proximus ante Andream, temporibus extremis ſui regiminis, ad Corcyrenſem Stagnenſem quoque titulum ſibi adjunxerunt; & niſi fuiſſe videntur Epiſcopatus utriuſque conjunctionem, non reipſa quidem, nam numquam utriuſque adminiſtratio disjuncta fuerat, ſed verbo ac titulo tenus redintegrare. Cum igitur Raguſini, conceſſu Hervojæ, poteſtatem Corcyræ inſulæ regendæ, eique magiſtratus præficiendi adepti fuiſſent, cum Corcyra peninſulam Stagni ita conjungi voluerunt, ut non ſolum ſub eodem utraque civili, & eccleſiaſtico jure ac regimine in poſterum eſſet, ſed etiam Epiſcopus Corcyrenſis idem & Stagnenſis diceretur; nec ſolum adminiſtrationem utriuſque Eccleſiæ ſuſciperet, ſed inſuper titulum Epiſcopalem ab utraque Eccleſia ſumeret. Exinde unus idemque, uti antea, & Corcyrenſis, & Stagnenſis Antiſtes appellari cœpit, modo unius, modo alterius titulo præpoſito; idque præterea fortaſſe ſtatutum fuit, ut idem Epiſcopus ſtatis temporibus, alias Stagnenſi, alias Corcyrenſi domicilio uteretur. Hanc duarum Eccleſiarum, ſive tituli utriuſque conjunctionem redintegratam Romanus Pontifex confirmavit, ut ipſemet Andreas non obſcure declarat, cum *ſe Rectorem a Deo & a Sede Apoſtolica, populo utriuſque loci datum eſſe affirmat.* Cum enim quidam vir nobilis Corcyrenſis templum in honorem Auguſtiſſimæ Trinitatis exſtruere, & ſibi, ac ſuis poſteris jus eligendi Presbyteri, qui ſacris ibidem operaretur, reſervare conſtituiſſet, ad id efficiendum petiit impetravitque facultatem ab Andrea Epiſcopo, qui piæ ejus voluntati morem geſſit, & ſecundum ejus poſtulata decretum fieri juſſit; cui præpoſitus titulus, & Andreæ inſcriptus, hic eſt: *Reverendiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus Dominus Andreas Epiſcopus Curzolanæ, & Stagnenſis, Rector a Deo, & Sede Apoſtolica populo dictorum locorum conceſſus.* Petrus Paullus Atavantus, Scriba, ſive Notarius Curiæ Romanæ, ex antiquis Codicibus Catalogum confecit *Eccleſiarum totius Orbis terrarum tam Patriarchalium, quam Metropolitanarum, & Cathedralium, cum earum vulgaribus nominibus, juxta veterem traditionem &c.* In eo Eccleſiæ Corcyrenſis cum Stagnenſi conjunctionem ad diem undecimam Octobris an. 1447. affixit: *Garzulen. ſive Scurculen. in Sclavonia, unita Eccleſiæ Stagnenſi die* 11. *Octob.* 1447. Sed ad annos ſuperiores conjunctionem hujuſmodi revocandam eſſe jubet ipſe Andreas, qui cum reliquis deinceps poſt ſe Epiſcopis uſque ad an. 1541. titulo ab utraque Eccleſia ſumpto, *Corcyrenſem* ſe, & *Stagnenſem* nominavit.

Exinde idem Epiſcopus iterum Corcyrenſis, & Stagnenſis appellari cœpit.

Cum Hervoja relicto Ladislavo ad Sigiſmundum tranſiiſſet, &, præter Jaderam, ſub imperium Sigiſmundi univerſam Dalmatiam revocaſſet anno 1408. ab eo facile impetravit, ut inſularum, quas ſibi donaverat Ladislavus, & Spalati principatum retineret. Verum poſt aliquot annos ſecundis rebus elatus, opibus & copiis, quibus abundabat, inſolentius abutens, plurima miſcere cœpit, & majora concupiſcere. Eo demum audaciæ, impietatis, & perfidiæ venit, ut

Sigiſmundus Hervojæ poſſeſſionem Corcyræ & inſularum confirmat.

ut ab ipso Sigismundo aperte deficeret, & sacrilegam cum Turcis societatem coiret. Eum itaque Sigismundus anno 1413. manifestum Regni hostem ac perduellionis reum declaravit, titulis, honoribus, insulis, oppidis, castellis, bonisque omnibus spoliavit. Insulas vero eidem ademptas Corcyram, Phariam, Bractiam Ragusinorum fidei ac potestati commisit, qui magistratus & Rectores eisdem præficerent, ut docent tabulæ Ragusinæ: N. N. *de mandato gloriosissimi Sigismundi Regis Ungariæ, electus in Consilio generali Ragusii Comes Corcyræ, Pharæ, & Brazzæ.* Quinimmo, & Maurus Orbinus auctor est, hasce insulas Ragusinis in perpetuum possidendas tradiderat. Sed post triennium, instigante Barbara Regina ejus conjuge, fœmina superba & imperiosa, eam donationem revocavit. Quamvis autem Corcyra insula, & civitas ab ditione Ragusina divulsa, non iisdem dominis & magistratibus a Ragusino Senatu præpositis in posterum paruerit, quibus subest Peninsula & Civitas Stagni, utraque tamen sub ejusdem Episcopi potestate ac jurisdictione permansit usque ad annum 1541. cum Paullus III. alteram ab altera Ecclesiam disjunxit, & suum utraque & proprium Episcopum ut haberet, Pontificio diplomate sancivit. Andreas Episcopus vitam, & Pontificatum perduxit usque ad annum circiter 1415. de cujus patria, genere, rebusque gestis, nihil litteris ac memoriæ proditum invenio.

Obitus Andreæ.

NICOLAUS II. EPISCOP. CORCYREN. XI. STAGNENSIS XIX.

Corcyra cum universa Dalmatia se in Venetorum potestatem restituit.

Patritius Ragusinus e familia Mencia, æque opulenta & nobili, Monachus Augustinensis, Utriusque Ecclesiæ administrationem suscepit anno circiter 1416. Post quadriennium ut Dalmatia universa, sic etiam Corcyra, depulso Hungarorum imperio, Venetis antiquis dominis se dedidit; atque fide adeo firma & constanti adhæsit, ut nulla deinde vel volubilitate fortunæ, vel inconstantia, & mutabilitate communium temporum, ab æquissimo, & mitissimo illorum dominatu unquam divelli potuerit. Tabulæ deditionis conscriptæ sunt in hæc verba.

Anno 1420. Indict. 13. die Mercurii 25. Men. April.

Tabulæ deditionis.

In Christi nomine Amen; ac intemeratæ ejus Matris Mariæ, ac totius Curiæ cœlestis, & specialiter Beati Marci Evangelistæ. Ad requisitionem Magnifici D. egregii viri D. Petri Suriano, Capitanii honoratissimi felicissimæ Armatæ Serenissimi Ducatus Dominii Venetiarum &c. erectum fuit Vexillum B. Marci per Nobiles Curzulæ, offerentes, & dantes lætanter cum toto populo, prædicto D. Capitanio, nomine Serenissimi Ducalis Dominii accipienti, omnem debitam subjectionem, reverentiam, & honorem, quem, & quam quilibet fideles, ac legales servitores debent, reverentiam prædicto Dominio gratioso Venetiarum.

Insuper prædictus Dominus Capitanius voluit habere dictum Sacramentum ab omnibus Nobilibus civitatis, & insulæ, qui lætanti animo fecerunt debitum juramentum de fidelitate, constantia, & honore servando Sereniss. & glorioſissimo Dominio prænominato Venetiarum. Eodem die infrascripti Nobiles constituti in Ecclesia S. Marci, in præsentia egregiorum virorum Nobilium D. Marci Mizno, & D. Lucæ Throno, Patronorum duarum Galiarum in portu Corzulæ, astantium simul cum prædicto D. Capitanio, specialiter & expresse fecerunt eorum debitum juramentum.

In primis s. Dobroslavus Petri Rector.
s. Franciscus Vidossi
s. Marinus Xiglovich } *Judices.*
s. Raffael Angeli
s. Obradus Do. . .

Æquum & rationi consentaneum Venetis esse videbatur, familiam patritiam Georgiorum in veterem ac fiduciariam Corcyræ possessionem restitui, ex qua illos Ludovicus Rex Hungariæ dejecerat. Sed cum id Corcyrenses moleste ferrent, eorum voluntati obsequendum esse putarunt; & Pancratium Georgium, cui, ex jure hæreditario ejus familiæ, insulam illam fiduciariam Veneti reddiderant, ab omni cujuscumque dominatus titulo abstinere, & *Comitis* nomine contentum esse voluerunt, quod cæteris Venetis Dalmatarum civitatum Magistratibus erat commune, nec suo, sed nomine Ducis & Senatus Corcyrensibus præesse. Amissam vero insulam Castello quodam, cui nomen *Zumelle*, in agro Tarvisino, Georgiis tradito, compensarunt.

De eligendo in posterum Episcopo Corcyrensi Rescriptum Senatus Veneti.

Veneti hortatu potissimum operaque Nicolai Episcopi Corcyrensium deditionem adepti fuerant, quem propterea hujus Ecclesiæ administratione, ac regimine fungi maximopere lætabantur. Sed Corcyrenses graviter molesteque cum ferrent civi Ragusino se esse subjectos, hanc ob causam inter alia postulata, quæ Duci ac Senatui supplices obtulerunt, quintum illud fuit, ut, quod ad episcopalem electionem pertinet, vellent juberentque veterem consuetudinem servari, neve ullum sibi e natione Ragusina Episcopum dari sinerent. Huic postulato Franciscus Foscarus Dux Venetorum suo & Senatus nomine hoc responsum reddidit. *Ad quintum, per quod supplicarunt, ut dignaremur observari eorum consuetudines in facto electionis, & non aggravare eos in dando eis aliquem Ragusiensem in Episcopum; Respond. quod ille Frater Nicolaus, quamvis dedimus ei in Episcopum, licet natione sit Ragusiensis, propter ejus opera, reputari debet proprius Venetus; & non dubitamus, quod ipsos optime reget. Et si nihilominus pro tempore non bene tractaverit, ipsi semper habere poterunt ad nos recursum, & nos providebimus superinde. Dat. in nostro Duc. Palat. die 23. Men. Julii Indict. 3. 1425.*

Nicolaus Episcopus duas Ecclesias regebat Corcyrensem sub imperio Venetorum, Stagnensem sub dominatu Ragusiensium. Vix Corcyra in Venetorum potestatem & clientelam se contulerat, cum ille Venetorum auctoritate, & gratia fretus de decimis peninsulæ Stagni Ragusinis suis civibus litem intulit, potiorem enim Ecclesiæ suæ Stagnensis quam patriæ rationem utilitatemque habendam esse censebat. Causa delata fuit ad Sedem Apostolicam, ab hac vero delegata Peregrino Cœnobiarchæ Monasterii Lacromensis, & Blasio Archiepiscopo Jadertino, qui secundum Ragusinos judicarunt, iisque potestatem percipiendas decimas Stagnenses permiserunt, ea tamen lege, ut Nicolao ejusque successoribus centum aureos annuos, loco decimarum, contribuerent; quemadmodum inter Andream proximum Nicolai decessorem & Ragusinos convenerat. De hac controversia, quæ fusius ac dilucidius exposita sunt in Andrea, & Nicolao Episcopis Stagnensibus, huc revocari oportet. Ut quæ ad regimen, utilitatemque Ecclesiæ Stagnensis pertinere arbitrabatur, Nicolaus assidue, quantum in eo erat, diligenterque cu-

Digitized by Google

Nicolai Epiſc. acta & decreta.

curabat, ſic multo impenſius ad Eccleſiam Corcyrenſem bene gerendam, & Clerum populumque ſanctiſſimis decretis ac præceptis excolendum incumbebat. Illi potiſſimum cordi erat diſciplina clericalis, quam ab omni labe ac depravatione intactam eſſe volebat. Haud pauci ex ordine eccleſiaſtico mercaturæ operam dabant, contra quam Sacri Canones pleniſſime verant; neque id ſibi probro, aut crimini eſſe cenſebant: adeo prava illa conſuetudo invaluerat. Hanc Nicolaus ut penitus aboleret, Synodum convocavit; & cum alia multa & præclara decreviſſet, vel ad corrigendos corruptos plebis Chriſtianæ mores, vel ad veterem Cleri ſobrietatem & ſanctimoniam reſtituendam, vel denique ad divini cultus ſplendorem ac dignitatem augendam, tum vero, graviſſimis interdictis, & pœnis propoſitis, Clericos ab omni negotiatione abſterruit. Hoc vero decretum referendum curavit in Codicem Statutorum Corcyrenſium. Cum enim civiles magiſtratus nihil ſibi in Clericos licere intelligerent, tamen, ut ipſi ajunt, permiſſu Epiſcopi, quin ipſo Epiſcopo jubente, eamdem, quam Synodus contra Clericos negotiatores, legem tulerunt, & pœnas etiam graviores ſtatuerunt: *Et hæc Pars*, inquiunt, *poſita & capta fuit, obtenta primo licentia a Domino Epiſcopo Curzolæ, qui ſic fieri juſſit, & mandavit.*

De recuperandis bonis Eccleſiæ S. Joannis in villa Lombarda, eique Presbytero præficiendo

Anno 1425. adhuc Pancratius Georgius, non ſuo quidem, ſed Ducis ac Senatus Veneti nomine, ex ejuſque auctoritate, Præturam Civitatis atque inſulæ gerebat. Hic pro ſuo erga divinum cultum pio ſtudio Ducem & Senatum admonuit, ut vellet juberetque proventus Eccleſiæ S. Joannis in villa Lombarda, quam Joannes III. Epiſcopus reficiendam curaverat, reſtitui ac repeti ab iniquis hominibus, qui eos interverterant, ad ſeque tranſtulerant, ſimulque eidem Presbyterum præfici, qui rem divinam ſtatis diebus ibidem faceret, ſarta tecta tueretur, & ex ejus proventibus, cum recuperati fuiſſent, quæ ad victum & veſtitum ſibi erant neceſſaria perciperet. Nominavit vero Presbyterum indigenam, nomine Junium, ſingulari integritate ac religione præditum, quem dignum eſſe atque idoneum cenſebat, cui præfectura, & procuratio illius Eccleſiæ demandaretur. Æque juſta & pia viſa eſt poſtulatio, ipſique negotium datum eſt id perficiendi quod petierat, his ad eum litteris reſcriptis.

Reſcriptum Ducis Venetiarum.

Franciſcus Foſcari Dei gratia Dux Venetiarum Nobili & ſapienti viro Pangratio Georgio, de ſuo mandato Comiti Curzulen. & ſucceſſoribus ſuis, fidelibus, dilectis ſalutem, & dilectionis affectum. Recepimus veſtras litteras, per quas hortamini, quod quædam Eccleſia tituli S. Joannis, juxta Caſale nominatum Lombarda, illius inſulæ, quæ dudum fuit Monaſterium, & ejus reditus dividitur inter ſæculares, reducatur in terminum, quod eſt juſtum, quod tales ejus reditus in ipſam Eccleſiam revertantur; & quod ipſa Eccleſia, & locus ille deveniant in manus alicujus Presbyteri boni, qui divina ibidem celebret, & in culmine illam teneat; qui teneatur Miſſam in ea, ſaltem tribus diebus in hebdomada, celebrare, & de dictis reditibus eamdem tenere de tempore in tempus, in augmento & bono culmine, & eorum reſiduum remaneat Presbytero prælibato pro ſuo victu. Et quoniam quemdam Dominum Junium filium Joannis Petri, tamquam ad hoc idoneum, recommendatis nobis per veſtras litteras nos adhibentes fidem indubiam his, quæ nobis de ipſo, de ſufficientia & fidelitate ſua ſcripſiſtis, contenti ſumus, & volumus, quod ſi eſt de libertate noſtri Dominii, vel noſtri regiminis providere ſuper materiam ſupraſcriptam, provideatis, & nunc de tempore in tempus ſuper inde, prout fuerit expediens, atque debitum, pro honore Dei, & conſervatione Eccleſiæ prælibatæ, præficiendo prædictum Dominum Junium eidem Eccleſiæ, quem, ut ſuperius eſt dictum, multipliciter commendatis.

Datum in noſtro Ducali Palatio, die primo Octobris, Indict. 4. (3) 1425.

Nicolao Mencio e vivis ſublato, in utramque ſedem ſucceſſit

ANDREAS II. EPISC. CORCYREN. XII. STAGNENSIS XX.

Andreas Michael Ep. 1426.

E gente Michaelia Veneta & patritia oriundus, Archidiaconus Eccleſiæ Cathedralis S. Marci, cui Martinus V. Eccleſiam utramque decrevit, ut docent tabulæ Conſiſtoriales: 1426. v. *Id. Decembris proviſum eſt Eccleſiis Stagnen. & Curzulen. ſimul unitis per obitum Nicolai ultimi Epiſcopi vacantibus, de perſona Andreæ Michaelis Archidiaconi Eccleſiæ S. Marci Curzulen.* Idem confirmant Codices Obl. Cam. Tom. 60. pag. 156. ubi Andreas electus an. inſequenti IV. Id. Januarii fidem facit collaturum ſe tres ac triginta florenos in ærarium Apoſtolicum, interpoſita fidejuſſione Joannis Archidiaconi utriuſque Eccleſiæ. Tenuit ſedem utramque annos circiter 14. Aliquot annos abfuit. Certe aberat anno 1438. cum Eugenius IV. anno eodem Florentiæ ad eum litteras dedit, quibus jubebatur translationem Virginum S. Silveſtri ad Virgines S. Luciæ, atque utriuſque Monaſterii, in diœceſi Urbinati, conjunctionem, Apoſtolica auctoritate confirmare. Hanc Epiſtolam Pontificiam inſcriptam Epiſcopo Stanenſi, ideſt Stagnenſi, habes in Hiſtoria Eccleſiæ Stagnenſis, huic ipſi Andreæ Epiſcopo Stagnenſi XX. appoſitam; ibi etiam cognoſces quæ cauſſæ illum in Italiam compulerint. Anno 1440. vel huic proximo vivere deſiit.

Eugenii IV. mandatum ad Andream, dum is in Italia verſabatur.

JOANNES V. EPISC. CORCYREN. XIII. STAGNENSIS XXI.

Mihi non aliunde notus niſi ex tabulis Romanis anni 1441. Div. Cam. Tom. 20. pag. 166. Dum Eccleſiam utramque regebat, Michael Michaelius Civitati atque inſulæ præſidebat ex eadem gente Veneta Patricia oriundus, ex qua erat Andreas Michael Epiſcopus. In partibus extremis inſulæ, qua ſpectat in occaſum, eſt pagus, quem Blattam vocant, aſſidens ad lacum cognominem. Huic e regione objacet parvus ſcopulus, cui vetus inſidet Monaſterium ac Templum *S. Joannis de Gradina*; & cum ante omnem memoriam a Monachis deſertum fuiſſet, poſtea in eorum ſedes, & cuſtodiam curamque illius Templi pii quidam Eremitæ ſubierunt, qui parce & frugaliter vivebant, & victum fere omnem e piſcatu ſibi quærebant. Locum ac templum eo tempore tuebatur ſolitarius quidam, Lucas nomine, cui litem intendit tradutor vectigalis piſcarii; hic ſiquidem ei non eſſe ajebat jus piſcandi, ac piſces vendendi, niſi vectigal, piſcatoribus impoſitum, ipſe quoque penderet. Solutionem hujuſmodi tributi abnuentem in Curiam per curſorem prætorium citandum curavit ad Comitem ſive Prætorem Civitatis, qui

Michael Michaelius Comes civitatis Lucam Eremitam S. Joannis de Gradina ab ſolvendo vectigali immunem declarat.

Digitized by Google

adversario increpito, jussoque ab illa petitione desistere, tum ipsum Lucam, tum omnes ejus Eremi cultores ab omni vectigalis piscarii solutione immunes fore declaravit.

1446. *Indictione 9. die 29. Aprilis in villa Blattæ.*

Sententia Michaelis.

Spectabilis ac generosus vir Dominus ser Michael Michael, honorandus Comes Curzulæ, sedens ad bancum solitum juris, cum ser Joanne Miksich, & ser Stephano qu. Andreæ duobus suis Judicibus; audita oretenus petitione ser Nicolai Jugevich conductoris datii piscariæ, petentis cogi Lucam Eremitam S. Joannis de Gradina ad solvendum sibi &c. terminavit & sententiavit; & per hanc ejus sententiam dictum Patrem Lucam, & omnes ejus successores Eremitas dicti S. Joannis de Gradina, a dicta petitione dicti ser Nicolai absolvit, ita quod nec ipse Pater Lucas, nec aliquis Eremitarum dicti S. Joannis præsentium, seu futurorum, nullo modo possit cogi ad solvendum datium alicui personæ, de piscibus per dictos Eremitas captis, nec in futurum capiendis.

Mors Joannis referri potest ad annum 46. vel 47. sæculi hujus XV.

JOANNES VI. EPISC. CORCYREN. XIV. STAGNENSIS XXII.

Joannes de Paullis a Buduensi ad Corcyren. & Stagnen. Eccl. translatus an. 1447.

Patria Corcyrensis, cognomento de Paullis, sive Rubinus, Episcopus Buduæ, quem Nicolaus V. jussit Buduensem, cui ne integrum quidem annum præfuerat, cum Ecclesiis Corcyrensi & Stagnensi commutare anno 1447. idque constat ex Epistola ejusdem Pontificis *ad Jacobum de Breberio electum Buduensem*, quem in locum Joannis, ad illas, quas dixi, Ecclesias translati, substituit; *Data est Romæ apud S. Petrum anno 1447. XVII. Kalendas Novembris. Nuper*, inquit, *Venerab. Fratrem nostrum Joannem Curzulen. & Stagnen. nunc, Buduensem Episcopum tunc, apud Sedem Apostolicam constitutum, a vinculo, quo ipsi Ecclesiæ, cui tunc præerat, tenebatur, de Fratrum nostrorum consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, cum ad Curzulensem & Stagnensem Ecclesias invicem unitas, tunc Pastore carentes, duximus Apostolica auctoritate transferendum, præficiendo ipsum dictis unitis Ecclesiis in Episcopum & Pastorem &c.* Ecclesiæ utrique triennium præfuit.

ANDREAS III. EPISC. CORCYREN. XV. STAGNENSIS XXIII.

Andreas Ep. Corcyren. an. 1450. controversias inter Clerum & populum componit.

Patricius Corcyrensis ex illustri familia Canavella, qui Ordinem Eremitarum S. Augustini professus anno circ. 1450. administrationem Ecclesiæ utriusque suscepit. Erat vir animo atque ingenio sollerti, impiger, laboriosus, omnis Episcopalis officii diligentissimus, fugitans litium, cultor æquitatis & justitiæ. Multa sunt hujus præclare facta; unum alterumve commemorabo. Dissensiones & discordias composuit, quæ non sine magna perturbatione publicæ tranquillitatis erant inter Clerum et populum Corcyrensem ob quædam antiqua jura & privilegia, quæ homines laici ex veteri consuetudine usurpabant, & dignitati utilitatique ordinis ecclesiastici officere videbantur. Hæ controversiæ ad Episcopum, quamvis populo suspectus esse poterat, ac propensior videri ad partes cleri tuendas, tamen propter perspectam ejus æquitatem & sapientiam de communi consensu delatæ fuerunt. Hic vero, ut erat Juris Canonici scientissimus, & justitiæ amantissimus, privilegia illa, quæ sibi populus arrogabat, neque immunitati ecclesiasticæ adversari, & legitima esse declaravit. Ita populum cum clero in concordiam reduxit. Tectum Ædis Cathedralis ingenti sumptu refecit ac restituit; nam vetus, imbricibus ac tegulis vi tempestatum ac ventorum fractis aut disjunctis, tignis & trabibus carie & vetustate exesis, aut stillicidiorum illapsu putrescentibus, magnam labem fecerat, & nihil propius aberat, quam ut corrueret. In ipsa Cathedrali Basilica pulpitum opere ornatuque eleganti elaborandum curavit. Subter pulpitum aram D. Jacobo Apostolo æque venustam ac nobilem ære suo exstruxit Vitus olim Canonicus & civis Corcyrensis, tunc vero Episcopus Corbaviæ, atque ante illam sibi & suis sepulchrum paravit. Andreas vero, ut ejus qui altare illud ædificaverat, memoria extaret, ibidem insculpi jussit stemma gentilitium Viti, idest Leo erectus, pedibus posterioribus insistens, & pars dimidia Aquilæ bicipitis cum diademate utrique capiti impositio; quatuor autem angulis ejusdem stemmatis quatuor literas inscripsit: V. O. P. C. id est, *Vitus Ostoivich Præsul Corbaviensis*.

Andreæ acta adversus Canonicos Venetii Cœnobii S. Spiritus.

Andreæ Venetum iter, ac Romanum nobis produnt literæ Francisci Barbari ab Angelo Quirino Cardinali S. R. E. typis editæ an. 1743; tum utriusque profectionis causas, & exortas inde eidem cum principibus Reipublicæ viris, & cum ipso Barbaro contentiones atque simultates. Sed rem ab ipso exordio aggrediamur.

In insula Venetæ urbi proxima, quæ a S. Spiritu cognomen habet, Cœnobium Ordinis Eremitarum S. Augustini extructum fuerat an. 1421. auctore in primis ac duce Andrea Bondumerio Patritio Veneto, qui religionis ac pietatis causa illuc secesserat cum aliis ejusdem propositi sociis tribus Michaele Mauroceno, Francisco Contareno, ac Philippo Paruta; hique omnes a Gabriele Spoletano ejusdem Ordinis habitum sumpserunt. At post septennium fere in hoc vitæ instituto transactum novo consilio Canonicorum Regularium S. Augustini sodalitium constituere iisdem placuit, & anno 1430. Idibus Januariis novi Ordinis vitam ac leges professi sunt coram Thoma Tomasino Episcopo Tragurienſi, id approbante Martino V. Pontifice. Diu floruit hæc religiosa sodalitas, & non minimum incrementum cœpit; cum sodales duo natione Dalmatæ, primum e Cœnobio profugi, postea in gratiam restituti imprudens facinus moliuntur, ut antiquus Eremitarum Ordo in insulam ac Cœnobium revocaretur. Re itaque cum Andrea Episcopo Corcyrensi per literas communicata, virum sui Ordinis studiosum, ac nimio flagrantem æstu Venetias accersunt: simulque Romam clam profecti sunt, ubi multa conquesti de corruptis sodalium moribus, & eversa legum disciplina id tandem a Pontifice consecuti sunt, ut Andreas ipse invisendo cœnobio, & corrigendis, qui irrepserant, abusibus atque corruptelis præficeretur. Quod ubi ceteri in insula sodales, pluresque in urbe principes viri compertum habuere, partim dolore, partim injuriæ indignatione graviter commoti sunt; nota enim, & probata vulgo erat Canonicorum virtus ac religio; tum Eremitici Ordinis fama, præsertim in Dalmatia non bene audiebat, unde brevi discedere coactus fuit: duos Dalmatas animi livore, & abigendæ potius, quam re-

ne-

novandæ disciplinæ stimulis incensos, Episcopum cæco impetu in eorum partes abreptum, omnia vi ac dolo in cœnobii perniciem ac ruinam machinari, jam fuerat exploratum. Quare in Canonicorum patrocinium versa est omnium sollicitudo, in primis Francisci Barbari, hominis æque ingenio & doctrina, ac auctoritate tum Venetiis, tum Romæ facile principis, qui hac de re anno 1452. gravissimam scripsit epistolam Francisco Condulmerio Cardinali, qui maxime apud Pontificem Nicolaum V. pollebat. In ea acriter invehit adversus Corcyrensem Antistitem ejusque socios; Canonicorum vitam moresque enixe laudat; denique rogat, ut visitandi Cœnobii potestas Andreæ Episcopo auferatur; siquid vero culpæ in piis illis hominibus inesse visum sit Pontifici, emendationis cura Laurentii Justiniani Patriarchæ Venetiarum prudentiæ probitatique tota mandetur. Extat epistola inter cæteras Francisci Barbari a Cardinali Quirino typis vulgatas, cujus exemplum hic profero,

Franciscus Barbarus Francisco Cardinali Veneto Vice-Cancellario S.

Adversus Andream literæ Francisci Barbari.

Ægre & moleste ferrem, Reverendissime Pater & Domine, detegendæ cujusdam calumniæ causam mihi datam esse, nisi pietatis, & religionis, ac innocentiæ patrocinium suscepisse judicarem, ut Canonici Regulares Sancti Augustini, qui pie Deo serviunt in Monasterio Sancti Spiritus apud nos, a maledictis, & falsis accusationibus liberentur, & Sclavoni quidam Apostatæ, qui partim aperte, partim clandestine bonos viros habitantes in dicto Monasterio persequuntur, mercedem dignam capiant meritorum suorum. Solon Atheniensis, qui fuit unus ex septem sapientibus Græciæ, censuit, sine justitia, & sine præmio, & pœna civitatem stare non posse; & licet qui insidiantur bonis, male vivendo satis pœnarum dederint, daturique sint, ex finibus tamen provinciæ nostræ exterminandi essent calumniatores isti, ut omnes intelligerent, apud impios, & mendaces invidiæ, apud sanctos, & bonos judices veritati locum esse. Sed ut e quibus fontibus emanarint hæc maledicta videamus, quædam mihi sunt paulo altius repetenda. Est Monasterium satis propinquum urbi nostræ, quod sub nomine Sancti Spiritus celeberrimum est, ubi a Canonicis Regularibus Sancti Augustini religiosissime colitur Deus noster, & in tanto honore est apud cives nostros, ut brevi tempore non ædificiis solum, sed etiam moribus majorem in modum ornatum, ac amplificatum sit. Quo quidem complures patritio loco nati, & ingenio, industria, ac opibus præditi, Fratre Andrea Bondimerio nobili, ac præstanti viro, quasi duce, & magistro freti, velut in portum tranquillitatis se contulerunt, et cum tanto rerum humanarum contemptu perseverant usque ad hanc diem, ut documento, & exemplo sint cæteris, in hac vita præter Deum nihil magis cura, & sollicitudine quæri oportere. Convenerunt quoque alii, & plebeii, & peregrini, quia vita, et doctrina illius Fratris Andreæ, quasi signum quoddam proposuerat omnibus ad bene, beateque vivendum. Sed quia non omnes capiunt verbum hoc, duo Sclavoni, qui suave Religionis jugum ferre aut noluerunt, aut non potuerunt, inde fugientes primo, postea conciliati, discesserunt, initoque clandestino consilio cum suis similibus, ut dicitur, cum Episcopo Curzolano, qui Ordinis est Eremitarum, Romam iverunt, ac malis artibus, ut plerumque fit, inscio forte Romano Pontifice, impetraverunt, ut Monasterium Sancti Spiritus ab Episcopo Curzolano visitaretur (o fidelem ovium custodem lupum!) non ut corrigerentur, qui bene, & pie illic vivunt, sed ut exturbarentur, & ejicerentur ex illo loco, & Monasterium illud, quod, ut ita dicam, monasticæ vitæ specimen est, ad Fratres Eremitanos transferatur, quorum magna pars rejectis Augustini moribus, & institutis, ita vivunt jam pridem, ut præter nomen nihil Eremitarum penitus habere profiteantur. Quod cum alias frustra consequi magno conatu voluissent, nunc cum istis falsis fratribus, cum isto Episcopo Sclavo, sibique conjunctissimo, cum istis maledictis, & falsis criminibus tentant revocare hunc locum ad pristinam sui Ordinis desolationem; unde cum Episcopus prædictus, qui benigne audire in spiritu lenitatis, & mansuetudinis, diligenter examinare, juste graviter, prudenter judicare debuisset, levitatem, furorem, & iracundiam ante tempus examinis constitutum præstetulit, & ante judicium, præjudicium facere conatus est; indicta enim causa sententiam jam tulisse adversus servos Dei videbatur. Quod cum jam vulgatum esset, honestissimi, ac amplissimi viri civitatis nostræ inclyto Senatui supplicaverunt, ne pateretur apud nos tam iniquam falsitatem plus posse, quam veritatem, quod facile impetraverunt. Nihil est enim apud nos istis servis Dei quodammodo carius, nihil illo judice levius, aut contemptius; unde Curzolanus iste, qui non examinare, sed exanimare viros istos, ut dicitur, constituerat, interim tempus habebit ad cogitandum quid agendum sit ei, qui de rebus dubiis, & magnis sit judicaturus, postquam non successit ei consilium, quod dicitur dedisse calumniatoribus istis, qui ne solum Apostatæ viderentur, accusatores, & falsi testes esse bonorum voluerunt. Quare cum causa ista Dei sit, & qui accusantur digni sint patrocinio optimi cujusque, & nostra Respublica Monasterium hoc velut sanctuarium præcipuum habeat in honore, & quidam Fratres Eremitani illud cum tanto dedecore, & cum hujusmodi calumnia ad pristinam servitutem, & ignobilitatem revocare moliantur, adhibenda diligentia est apud Sanctissimum, & clementissimum Romanum Pontificem, ut Curzolanus iste, qui ferrum & arma tractare consuevit, non ad condemnandum nobiles nostros, qui servi Dei sunt, sed ad dimicandum cum Turcis se paret, & artes belli sumat sibi; sapientibus autem, & justis viris modestiam, gravitatem, & æquitatem relinquat judicandi. Hortor autem (ut finem dicendi faciam) ut optimo, ac excellenti viro Laurentio Justiniano, Patriarcha Venetiarum, mandetur visitatio Monasterii hujus, qui, cum plenus Dei gratia sit, decernet quæ Spiritu Sancto digna sunt, nec ullus inveniatur, qui sine magna culpa recusare eum judicem possit. Natura enim, & doctrina, ac virtute, & gloria sic excellit, ut cum omnis ævi sanctis viris conferri possit. Cura igitur, ut, sicut aliquando apud majores nostros nisi Senatori de Senatore judicare non licebat, ita nunc non permittatur nisi servo Dei de servis Dei ferre sententiam. Hoc mihi, & Civitati nostræ ita gratum scias fore, ut nunc nobis gratius facere nihil possis.

Venetiis v. Nonas Martii MCCCCLII.

Quid a Condulmerio responsum, quidve pro Canonicorum cœtu illo actum sit, nullæ produnt literæ. Et Andreas quidem Episcopus, cum temeritatis sibi notam, & Venetorum malevolentiam non immerito intulisset, Corcyram re-

Digitized by Google

reversus est; Canonici vero tutiorem, pacatioremque adepti insulæ & cœnobii possessionem ad dimidium fere sæculum decimum septimum ibidem permansere; cum eorum sodalitium Pontificia auctoritate extinctum fuit, & locus postea Fratribus Franciscanis observantioris disciplinæ S. C. attributus.

Flaminius Cornelius Dec. XII. Monum. Eccl. Venet. affirmat Andream Bondumerium Canonicorum solummodo institutum amplexum fuisse cum sociis; at rerum series facile ostendit, eos primum Eremitarum S. Augustini vestem induisse, quos propterea Mozzagrugnius a Cornelio productus *cucullatos* nominat, & duo illi Dalmatæ, ac Andreas Episcopus eremiticum Ordinem restituere contendebant, quod ibi primo obtinuerat; hinc scribit Barbarus, *Fratres Eremitanos* Monasterium *illud ad pristinam servitutem, & ignobilitatem revocare* voluisse, cum hic Ordo omnibus fere contemptui esse cœpisset. Tertio post susceptum Episcopatum anno, de utraque Ecclesia egregie meritus e vita migravit an. 1453. Kalendis Martii, & post solemnes exequias in ipsa Cathedrali Basilica sepultus fuit.

Andreæ obitus & sepulchrum.

Eodem die, quo Andreas sepulturæ traditus fuerat, Junius Archidiaconus Ecclesiæ Corcyrensis cum Canonicis qui aderant, cæteris absentibus, ad conveniendum in Palatium Episcopale diem post obitum Andreæ tertium edixit; ut Comitia Episcopalia celebrarent, & Episcopum eligerent, qui Ecclesiæ Corcyrensi & Stagnensi præesset. Edictum valvis Basilicæ Cathedralis affigi jussum, est hoc: *Nos Junius Archidiaconus, D. Marcus Marce, cæterique Canonici Ecclesiæ Curzolen. nunc præsentes in Capitulo nostro Curzolen. repræsentantes totum Capitulum, vobis omnibus & singulis Canonicis, & Fratribus nostris, in Diœcesi existentibus, tenore præsentium notificamus, qualiter bonæ memoriæ Reverendus in Christo Pater Dominus Andreas Episcopus noster, die Veneris, prima Martii præsentis, sicuit placuit Domino, ab hac luce subtractus est, et corpus ejus traditum sepulturæ; intendimus, & decrevimus congregari, & coadunari ad electionem futuri nostri Pontificis canonice celebrandam; quare tenore præsentium omnes & singulos vos monemus, hortamur & requirimus, quatenus velitis & debeatis, qui commode poteritis, personaliter comparere in Episcopali Palatio Curzolensi, in Capitulo nostro, hinc ad tres dies proxime futuros ad tractandum de electione canonica, & ad ipsum celebrandum legitime, Spiritus Sancti gratia invocata; quorum trium dierum primum pro primo, secundum pro secundo, tertium pro tertio, ultimo, & peremptorio termino, & monitione canonica damus & assignamus; quibus transactis, non obstante absentia, aut contumacia cujuscumque vestri, procedemus Deo inspirante, & Spiritu Sancto cooperante, ad electionem futuri Pastoris & Episcopi nostri, ac Ecclesiarum simul canonice unitarum Stagnen. & Curzolen. Et ne aliquis vestrum pretenderet ignorantiam obitus præfati Domini Andreæ Episcopi nostri, mandavimus præsentem citationem nostram, per Nuncium nostrum Simonem Clericum Sacristam Ecclesiæ Cathedralis, publice affigi in valvis ejusdem Ecclesiæ Cathedralis S. Marci. Datum in Episcopali Palatio Curzolen. die prima Martii, sepulto jam supradicto Domino Andrea, 1454.*

Junius Archidiaconus Canonicos ad Comitia Episcopalia convocavit.

Itaque ad diem constitutum, qui fuit quartus ante Nonas Martias, convenerunt Canonici ii, quibus nec facultas defuit, nec voluntas adeundi ad comitia; & divini Spiritus lumine atque auxilio implorato, cunctis suffragiis Episcopum renunciarunt *Boninum de Tolentis* absentem. Erat civis Corcyrensis honesto loco natus, Doctor Juris Pontificii, vita integerrimus, consilii plenus, disciplinæ reique ecclesiasticæ scientissimus, Canonicus Ecclesiæ Corcyrensis, idemque Canonicus, & Archidiaconus Ecclesiæ Zagrabiensis; qui tunc Vicarii generalis munere fungebatur apud Jacobum Venerium Archiepiscopum Ragusinum; in cujus decretis eum sæpe nominatum invenio. *Nunc*, inquit Venerius in quodam suo edicto, *nostro Vicario generali in spiritualibus Venerabili viro, Decretorum Doctori, Domino Bonino de Curcula, Canonico ejusdem, & Archidiacono Zagrabiensi, & ejusdem Canonico &c.* Alios præterea titulos honorarios gerebat; nam in quodam suo decreto, quod fecit, dum esset Vicarius Archiepiscopi Ragusini, se *Domini Papæ, sediisque Apostolicæ Capellanum, & Acolytum appellat*. Sub finem comitiorum Junius Archidiaconus, & Canonici litteras supplices miserunt ad Nicolaum V. Pont. Max. & cum de legitima & canonica electione Bonini, ac de hujus eximia doctrina & virtute Pontificem certiorem fecissent, orarunt atque obsecrarunt, ut Acta comitiorum Episcopalium confirmaret, si quid illis ad vim suam obtinendam deesset, auctoritate Apostolica suppleret, collatique Bonino Episcopatus auctor fieri vellet, approbaretque. Hæc est *Capituli Corcyrensis* ad Nicolaum Epistola.

Scopus renunciatur.

Ut electionem confirmet Nicolaus V.

Litteras supplices ad eum mittunt.

Sanctissime ac Beatissime in Christo Pater ac Domine, sacrosanctæ ac universalis Ecclesiæ sanctissime Pontifex, post oscula pedum beatorum &c. Sacris Canonibus novimus esse cautum, ut ultra tres menses proprio Pontifice Cathedralis non vacet Ecclesia, ne lupus rapax, pro defectu Pastoris, gregem invadat Dominicum, aut in suis facultatibus, Ecclesia viduata grave dispendium patiatur. Ea propter bonæ memoriæ Andrea Episcopo nostro Stagnen. & Curzolen. die Veneris, prima Martii præsentis, sicut placuit Domino, ab hac luce subtracto, & corpore ipsius, prout moris est, ecclesiastica tradito sepulturæ; nos Junius Archidiaconus Curzolen. Presbyter Marcus Marsich, Presbyter Antonius Jurgecvich, Presbyter Marcus Johannis, Presbyter Matthæus Johannis, Presbyter Antonius Simonis, Presbyter Marinus Nicolai, Canonici Ecclesiæ Curzulen. convenientes simul in unum ad electionem futuri Pontificis nostri canonice celebrandam, competentem terminum duximus statuendum. Citatis igitur interim, & tunc præsentibus omnibus, qui electioni celebrandæ debuerunt, volnerunt, & potuerunt commode interesse, in Capitulo in Episcopali Palatio Curzolen. habita prius inter nos matura & plena deliberatione, ac diligenti, & canonico tractatu præcedente de persona idonea & sufficienti providenda; favente nutu Dei, omnes Canonici ibidem præsentes, & totum nostrum Capitulum repræsentantes, unanimiter & concorditer, quasi per inspirationem Spiritus Sancti, nemine discrepante, prius etiam ipsius Spiritus Sancti gratia invocata, & ejusdem Missa solemniter celebrata, nominavimus, & canonice elegimus, omnibus meliori modo, via, forma, & jure, quibus potuimus, & valuimus, egregium virum Presbyterum ser Boninum de Tolentis, de Curzula, eximium Decretorum Doctorem, Concanonicum nostrum Curzulen. ac ad præsens Reverendissimi in Christo Patris Domini Jacobi Archiepiscopi

Boninus de Tolentis Canonicus absens Epi-

Ra-

Digitized by Google

Ragusini Vicarium generalem; ac per præsens publicum instrumentum, nominavimus, & elegimus in nostrum, & Ecclesiarum simul canonice unitarum Stagnen. & Curzulen. Episcopum & Pastorem; ac ipsam electionem sic canonice celebratam, per præfatum Presbyterum Junium, Archidiaconum, alta & intelligibili voce, nomine, ac vice omnium nostrum, pronunciari, & publicari fecimus, coram omnibus astantibus, canentes: Veni Creator Spiritus, *& hymnum* Te Deum laudamus; *& ipsam electionem sic celebratam & publicatam, ut præmissum est, præsentavimus prænominato Presbytero Bonino nostro electo, petentes ipsius assensum: qua præsentata & eidem perlecta, humiliter & devote præbuit assensum suum totalem præfatæ electioni, per nos de ipso celebratæ; qui utique Presbyter Boninus electus, est vir plenæ & maturæ ætatis, qui jam quinquagesimum annum ætatis suæ exegit, vir vero sufficiens, idoneus, de matrimonio legitimo susceptus, morum vita, & sacrorum Canonum scientia merito commendandus, providus & inreprehensibilis, Deo, & hominibus placens; & suprascriptam electionem, præsentationem, & consensum ipsius electi, in his scriptis vestræ Beatitudini decrevimus præsentare. Demum Sanctitati vestræ duximus unanimiter, ac humiliter genuflexi, & tenore præsentium supplicare, ut si quid in ipsa electione, aut dependentiis, seu circumstantiis ipsius obmissum, aut neglectum fuit, quod sacris Canonibus, aut formæ electionis, sive stilo sacri Palatii obviaret, aut superfluum quid gestum foret, eadem vestra Beatitudo, de gratia speciali, ex plenitudine potestatis, dignetur supplere, & emendare; & prænominatam electionem, præsentationem, & consensum ipsius electi ratificare, & benignitate Apostolica confirmare; & electo nostro prædicto munus consecrationis, per sacram vestram impositionem manuum impertire; quatenus auctore Domino, nobis velut Pastor idoneus, & toti Episcopatui, in his, quæ ad Episcopum, & Pastorem spectant, præesse valeat pariter & prodesse; nosque & alii sibi commissi, sub ejus saluberrimo regimine valeamus coram Deo salubriter militare. Ut autem omnium nostrum, & totius nostri Capituli vota, in prædictis omnibus, & singulis unanimiter concordasse, & in hanc electionis petitionem, & confirmationis convenisse Beatitudo vestra noscat, præsens electionis decretum, sic unanimiter & concorditer factum, fecimus per infrascriptum publicum Notarium, & Cancellarium Communis Curzulæ, notari, & in Actis Capituli scribi, in hancque formam publicam redigi, nostrique sigilli Capitularis impressione muniri ad robur, essentiam, & testimonium omnium, & singulorum præmissorum. Dat. Curzulæ in Episcopali Palatio, die Lunæ mensis Martii 1454. prima Indictione.* (Indictio prima cohæret cum anno 1453. ac proinde hunc restituí oportet; & hoc ipso anno XVI. Kalendas Junii.)

Et ego Paulus filius quondam Andreæ de Surdis Venetus, publicus imperiali auctoritate Notarius, & in præsentiarum Communitatis Curzolæ Cancell. his omnibus & singulis præmissis, citationi, pronuntiationi, præsentationi, consensui, dum sic fierent, & agerentur, præsens fui, rogatusque scripsi; & in Actis Capituli notavi, & in hanc publicam formam conscripsi & publicavi sub meis signo & nomine consuetis.

Nicolaus V. electionem

Sed jamdudum Sedes Apostolica, ut occasionem omnem præriperet dissensionibus schismatiris, illicitis pactis, flagitiis Simoniacis, aliisque canonicis vitiis, quibus persæpe Capitulares hujusmodi Episcoporum electiones turbari, atque infici solebant, jus eligendi creandique Episcopos ad se revocare cœperat, sibique reservabat. Itaque Nicolaus V. electionem Bonini rescidit atque irritam fecit, & Lucam Leonium Episcopum Corcyrensibus & Stagnensibus dedit anno 1453. XVI. Kalendas Junii, ut constat ex Tabulis Romanis Obl. Cam. Tom. 73. pag. 60. Hic autem anno proximo, tertio Nonas Junii sponsionem fecit contribuendi florenos quinquaginta ærario Apostolico, Obl. Cam. Tom. 76. p. 98.

Bonini etiam habere noluit.

LUCAS EPISCOP. CORCYREN. XVI. STAGNENSIS XXIV.

Lucas Leonius Patric. Ven. Episcopus Corcyr. an. 1453.

Ex familia Leonia Veneta patricia, Doctor Juris Canonici, quem Nicolaus V. Rectorem utriusque Ecclesiæ præposuit anno 1453. Sodalitatem piorum hominum confirmavit, & multis privilegiis auxit, quam instituerat Joannes a Cruce primum Corcyrensium Episcopus, eique ædem Omnium Sanctorum attribuerat. Hæc ab exiguis initiis orta in tantam frequentiam, amplitudinem, splendorem creverat, ut plurimi ex omnibus Civitatis ordinibus in eam certatim nomina darent; & clarissimi viri e primaria nobilitate eidem se adscriptos esse gloriæ sibi ducerent. Itaque ex patriciis, civibus secundi ordini, & plebejis constabat, Congregatio *Verberatorum* ex eo appellabatur, quod sodales statis diebus terga flagellis cædentes ad sua, & aliorum delicta expianda, & divinam misericordiam sibi ac patriæ propitiandam, pia supplicatione, per vicos & plateas incedere solebant. Hanc itaque sodalitatem Lucas Episcopus diplomate amplissimo confirmavit, cujus initium est: *Lucas Leono Venet. &c. Episcopus Curzolen. & Stagnen. &c. Reperimus in nostra Diœcesi Curzolen. Congregationem quorumdam fratrum laicorum Verberatorum dictam; in qua Congregatione magnus erat numerus & nobilium, & civium, populique, cœptam & fundatam anno Domini 1301. 8. mensis Octob. tempore Domini Joannis Crosii Ep. Curzolen. & Stagnen. qui omnes & diligunt Deum &c. ultra mediam partem anni se verberantes per Civitatem omni die Dominico, ac se congregantes in Ecclesia Sanctorum Omnium &c. Dat. Curzulæ an. 1456. &c.* Vitus Ostovichius Episcopus Corbaviensis, qui sacellum, & altare S. Jacobo Apostolo in æde Cathedrali Corcyrensi exstruxerat, & ibidem sepulchrum sibi, suisque faciendum curaverat, ut supra dictum est, Sacerdotium perpetuum instituit, cui conferendi jus esset penes familiam Ostovichiam, & rectigalibus idoneis dotavit ad Presbyterum alendum, qui quotidie pro se, suisque consanguineis, ac posteris, ad aram S. Jacobi sacrum faceret. Ab Luca Episcopo petiit, ut hæc omnia, memoriæ caussa, scriptis mandaret, rataque haberet: *Lucas Leonus Ven. Dei & Sed. Ap. gratia Episc. Curzolen. & Stagnen. Reverendus in Christo Pater, & Dominus D. Vitus de Curzula, Corbavien. Antistes meritissimus, nobis significare fecit, quod pro anima sua, suorumque defunctorum salute, nec non hæredum & posterorum suorum memoria, & ædificatione, capellam novam cum altari ad honorem Dei, & Beatissimi Jacobi Apostoli in nostra Cathedrali Curzulen. Ecclesia, una cum sepulchro, ante altare, pro eodem*

Sodalitatem Verberatorum confirmavit.

Item confirmavit Sacerdotium Aræ S. Jacobi affixum.

Digitized by Google

dem Reverendo Patre & Domino, fundavit, edificavit, & conſtruxit de bonis propriis, & oculata fide vidimus, auctoritate & licentia obtenta a Reverendiſſimo in Chriſto Patre, & D. D. Andrea Epiſcopo Curzulen. & Stagnen. prædeceſſore noſtro &c. Dat. Curzulæ in Epiſc. Palat. ſub anno Incar. Domini 1456. *Calixti D. P. III. an.* 1. De actis, decretisque Lucæ Episcopi, præter hæc, nihil aliud reperio. Anno 1462. Venetiis cum esset, diem obiit supremum, Nonis Julii, & in sepulchrum majorum suorum funebri & solemni pompa illatum fuit.

Venetiis obiit.

Cum Corcyram de morte Leonii Antistitis esset allatum, Canonicos Corcyrenses repulsa & rejectio superioris electionis non absterruit, quominus statim ad novum Episcopum eligendum rursus convenirent: tanta eos antiqui juris recuperandi, priscæque consuetudinis revocandæ cupiditas incesserat. Habitis ergo comitiis communi consensu, & una voce Episcopum declararunt Lucam de Tolentis absentem, Bonini vel fratrem, vel certe consanguineum. Hic erat Archidiaconus Ecclesiæ Corcyrensis, magnus sane homo, maximis virtutibus præditus, amplissimis honoribus, & muneribus perfunctus; de cujus egregiis factis, & eximiis meritis si pauca dixero, ab hujus loci instituto haud plane aberraverim; hæc enim ad decus pertinent ornamentumque Ecclesiæ Corcyrensis, in qua ille proximum a solio Episcopali subsellium tenuit, & ipsemet Episcopatu dignus totius Capituli suffragiis habitus fuit. Vir ad dignitatem & gloriam, atque ad rem publicam, & ecclesiasticam prudenter ac strenue gerendam natus esse videbatur; valebat acumine ingenii ad difficillima quæque expediti, intelligendi celeritate, decernendi consilio, agendi industria. De legationibus perquam honorificis, quas feliciter gessit, de testimoniis illustrium virtutum, ac meritorum, quæ Pontifices, Duces, Imperatores ei tribuerunt, non pauca diximus in Historia Ecclesiæ Sibenicensis, cujus Episcopatum Paullus II. eidem contulit: quæ ibi desunt, hic supplenda censeo. Pius II. de arduis & gravissimis negotiis oratorem misit ad Stephanum Regem Bosinæ, an. 1462. litteris ad eum datis in hæc verba: *Pius Episcopus Ser. Ser. Dei dilecto filio Lucæ de Tolentis Archidiacono Corzulen. sal. & Ap. ben. Cum tuæ magnæ circumſpectionis induſtriam, altique maturitatem conſilii, & profundæ providentiæ perſpicaciam in agendis, quæ in te, prout nos magna rerum experientia docuit, vigere ſentimus, nec non tuæ devotionis ſinceritatem, quam ad nos, & Romanam geris Eccleſiam &c. te ad cariſſimum in Chriſto filium, Stephanum Regem Boſnæ illuſtrem, & ad dilectum filium nobilem virum Stephanum Ducem in Boſna duximus tranſmittendum &c.* Hac legatione perfuncto, alteram Paullus II. eidem demandavit ad Philippum Ducem Burgundiæ; apud quem ita se gessit, ut quidquid Apostolicæ Sedis nomine petebat, obtinuerit; & abeuntem anno 1465. Philippus litteris commendatitiis, officii & benevolentiæ plenis, prosecutus fuerit: *Philippus Dei gratia Dux Burgundiæ univerſis & ſingulis &c. Univerſitatem veſtram, & veſtrum quemlibet affectuoſe rogamus; maxime vero ſubditis & ſervitoribus noſtris diſtricte precipientes mandamus, quatenus dilectum & fidelem Conſiliarium noſtrum, Dominum Lucam de Tolentis, Archidiaconum Curzulen. Subdiaconum, & Nuncium Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, qui expeditus miniſterio Legationis, quam ad nos habuit, ad Beatiſſimum Dominum noſtrum Papam, & ejus Romanam Cameram nunc revertitur, noſtri contemplatione, & favore recommiſſum recipiatis &c.*

Canonici Corcyrenses Lucam de Tolentis Archidiaconum sibi in Episcopum eligunt.

Lucæ virtutes eximiæ, illustria facta, munera perhonorifica.

Interea dum abesset, ad eum, ut diximus, Canonici Corcyrenses Episcopatum unanimi consensu detulerunt. Sed Pius II. cum alias ob causas, tum etiam propterea quod Sedes Apostolica Lucæ consilio atque opera indigebat, Capitularem electionem valere noluit; quod cum Canonici ægre tulissent, iratum & offensum animum, quem erga Pontificem non poterant, contra ipsum Lucam declarare, & exprimere voluerunt; illique litem intulerunt de fructibus & proventibus Archidiaconatus, quem obtinebat; quos percipere non posse ajebant, cum Ecclesia & choro abesset. Verum Paullus II. ei cavendum & providendum putavit, ne quid incommodi ac detrimenti ex absentia caperet; ut se facturum testatur in suis ad ipsos Canonicos litteris: *Providebimus*, inquit, *per opportuna remedia indemnitati ipſius Lucæ, qui continue in noſtris, & S. Romanæ Eccleſiæ negotiis conſiſtit.* Idem Paullus II. anno 1469. Ecclesiam Sibenicensem Lucæ decrevit; nolúit tamen a Romana Curia discedere, ut eo consiliario atque adjutore ad gravissima quæque negotia expedienda uteretur. Sixtus IV. anno 1476. iterum Lucam in Burgundiam misit ad Carolum Ducem, a quo deinde missus fuit Legatus extraordinarius ad Ducem & Senatum Venetum; utrimque præclara doctrinæ, solertiæ & virtutum suarum testimonia retulit, quæ in Historia Ecclesiæ Sibenicensis actis ejusdem Lucæ inseruimus. Nihilo minorem sibi existimationem & gratiam conciliavit apud Fridericum Imperatorem, & Maximilianum ejus filium Regem Romanorum. Duplicem legationem sibi a Friderico impositam suscepit; primam anno 1486. ad Principes & Dynastas Italiæ, alteram anno 1488. cum Legato Regis Poloniæ ad Collegium Cardinalium, auxilii petendi causa ad repellendos Tartaros, qui Poloniam invaserant, De utraque in Hist. Eccles. Sibenicen. Tertiam utrique interjectam eidem mandavit anno 1487. socioque legationis adjunxit Maximilianus Cæsar: *Cum D. D. Lucas Epiſcopus Sibenicenſis . . . . Conſiliarii & Oratores noſtri, nobis ſumme dilecti, in nonnullis negotiis noſtris ad diverſos Reges, Principes, Civitates, ac alia loca diverſa & Dominia progreſſus ſuos habeant dirigere &c.* Ac Maximilianus quidem semel, iterum, ac sæpius scripsit ad Innocentium VIII. & litteris postremis, quod sæpe antea fecisse ait, rursus Pontificem orat obsecratque, ut Lucam, ob egregias ejus virtutes, & singularia in rem publicam, & Christianam merita, tandem aliquando in amplissimum Cardinalium Collegium cooptare velit. Unam ex his Cæsareis Epistolis integram habes in actis ejusdem Lucæ Episcopi Sibenicensis. Nescio quid causæ fuerit, quæ viro clarissimo, & summis honoribus dignissimo purpuram & galerum præripuit. Anno 1491. morte sublatus immortalem sui nominis memoriam manuscriptis domesticis impressam reliquit. Fratrem habuit Nicolaum, qui patriam itidem rerum gestarum gloria illustravit, quemque Fridericus Imperator ob insignia ejus merita, Comitis Palatini dignitate, aliisque honorificis titulis decoravit.

Pius II. Episcopalem Lucæ electionem rescidit.

Paullus II. Episcopum Sibenicensem creavit.

Ut in Collegium Cardinalium cooptaretur, Maximilianus Pontificem non semel rogavit.

Ex Cod. CII. Bibl. Nanniana Venetæ deprehendi mandata, quæ Pontifex Lucæ dederat, ut legationem suam ad Burgundiæ Ducem probe ri-

teque

teque gereret, eaque rei eccleſiaſticæ utilia, quibuſdam ſubjectis notationibus, hic exſcripta ſubjicio.

Mandata quæ Pontifex dedit Lucæ in legatione ad Burgundiæ Ducem.

Inſtructiones pro R. in Chriſto P. D. L. Epiſc. Sibenicenſi S. D. N. ad Ill. (1) *Ducem Burgundiæ Nuncio & oratore miſſo die XXV. menſis Februarii 1476.*

I *Primo poſt ſalutem & benedictionem Ap. dicet prædictus Orator SS. D. N. multa commemoret de primogenitorum ſuorum,* (2) *& ſuis præclariſſimis auxiliis in Rempublicam Chriſtianam, multa de præſidiis in Ap. Sedem & ſedentes in ea collatis, multa etiam de obligationibus ſuis & perſ. in defenſionem Chriſtianæ religionis, niſi ejus Beatitudo probe cognoſceret Ducem ipſum & religioſum & devotiſſimum Principem eſſe, & ſingulari zelo in ſubſidium Catholicæ fidei ardere, nec ejus Beatitudo ambigit de ipſius Ducis optima voluntate & firmo ſuccurrendi fidei propoſito, ſed veretur ejus Sanctitas antiqui hoſtis inſidias, qui in vultu hominis humanum genus in primis parentibus decepit nec deſinit exquiſitis viis falſa pro veris, vana pro certis pro æternis ſuggerere, & ſalutaria hominum propoſita ad uſque vitæ finem dilatare, ut ſimul cum eis in perpetuum dedecus & ignominiam pereant. Ideo ejus Beatitudo ſtatuit Evangelicam ſequi doctrinam & animum ſuum ad univerſos Chriſti Principes convertere, maxime hoc tam calamitoſo & funeſto Reipubl. Chriſtianæ tempore, quo immaniſſimus Turcorum tyrannus poſt tantam & tam immenſam cladem & innumerabilia vulnera rebus Chri-*

3 *ſtianis inflicta noviſſime* (3) *Caffam præclaram Januenſem urbem cum pluribus aliis adjacentibus civitatibus expugnavit, & elatus ingenti victoria terra marique formidabiles exercitus claſſeſque præparat; unde non ſolum Ungaris & Valachis marique Elleſpontico ac ipſi Italiæ, ſed univerſo Chriſtiano populo excidium clademque extremam minatur.*

Dicat preterea primum D. N. non diffiſum eſſe prudentiæ S. Celſitudinis, quin cognoſcat & cogitet aliquando promiſſis ſuis & anteceſſorum ſuorum eſſe obligatum & votis adſtrictum, & illud ſemper in religioſiſſimo pectore ſuo ſuccurrendæ fidei deſiderium verſari. Verum ex emergentibus cauſis, urgente neceſſitate & imminente fidei maximo periculo S. D. N. proprium Nuncium & Oratorem voluiſſe mittere ad ſollicitanda & acceleranda præſidia. Intellexit enim per diverſas vias & a multis id S. Beatitudo Turcum validos exercitus terreſtres atque navales parare. Ideo hortata eſt non ſemel, ſed ſæpius Principes Chriſtianos ut opem fidei in tanta neceſſitate conſtitutæ ferant. Similiter & a (4) *rege Hungariæ Nuncii fuerunt ad requirendum præſidia, & continuo omnibus litteris interpellant ipſa præſidia, ſine quibus magnum Chriſtianis imminet periculum.*

4 *Conſiderat Sanctitas ſua periculum majus, quam unquam antea imminere & omnino neceſſarium eſſe celerem ſubventionem & exercitum inſtruere ad defendendos reliquos Chriſtianorum fines, ne Hungaria expugnata Germaniam totam penetret, & ne ſuperata Dalmatia & Illyricis finibus penetratis in Italiam irrumpat. Inſtabit ergo intelligere prædictus orator, quid ipſe Dux pro præſenti in animo habeat, ſi velit exercitum emittere, ſive ſubminiſtrare pecuniam, an ipſemet votum & deſiderium ſuum extqui proponat. Si ſtatuit exercitum mittere, neceſſe eſt ut validum & potentem mittat, & ducem aliquem ſui Gen. & ſanguinis, rei militaris expertum, fide & auctoritate præditum exercitui præficiat, quo caſu requirat orator, ut numerum ſtatuat bellatorum, deſignet ducem, & ſine mora exequatur, cum validiſſimum victorioſum & præpotentem habeat exercitum, & declaret tempus miſſionis, & qua via incedent, & quo loco conſiſtere debeat exercitus, Ut provideat de commeatibus & de reliquis belli apparatibus, et hoc celerrime fiat, ut de ejus motu in terrorem Turcorum fama ſpargatur. Et in caſu hujuſmodi exercitus mittendi poterit d. orator dare ſpem, quod ea quæ proveniant ex decimis in terris ſuis, dabuntur in ſubſidium exercitus ſui cum et, fel. rec. Pius et Paulus prædeceſſores S. D. N. ad ſtipendia militum in eventum miſſionis exercitus conceſſere, et hoc in eventum mittendi exercitus et non alias.*

Si vero præelegit pecuniam erogare in ſubſidium fidei, quod etiam expedientius videtur attenta difficultate exercitus & gravi impenſa itineris, quæ ſufficere poſſet ad bellum aliquo tempore pro conductos milites exercendo, proponendum erit, quod in ipſis commiſſionibus oratori datis continetur, redemptionem voti, ſcil. in ſubſidium fidei eſſe jure taxatam per Decretales Epiſtolas (5) *Innocentii Tertii ut in cap. Magnæ &c. quod ſuper* 5 *his de voto, quibus inhærere oportet, ut expen. quas ſubiturus erat in eundo ſtando & redeundo, & labor itineris æſtimetur. Et propterea S. D. N. nolle ſibi majus onus imponere, ſed etiam non decere S. ſuam a patrum inſtitutis recedere maxime in tanta Chriſtianæ reipublicæ neceſſitate. Ideoque orator non deſcendat ad aliquam limitatam ſummam, ſed remittat ſe ad ea, quæ alias S. Celſitudini ac inſignis memoriæ ejus Patri declarata ſunt, ut probe novit idem orator. Sed quærat orator elicere ab ipſo Duce ſummam, quam pro redemptione voti ſui ex compenſatione pro perſonali perfectione dignam exiſtimat, & habito reſponſo per proprium Nuncium ſi opus erit conſulet S. D. N. antequam aliquid concludat. Conabitur autem ſemper orator augere, & ex rationibus allegatis ſibi per S. D. N. & ex magnitudine Principatus, & ex gloria nominis ſui, & ex ratione acceptorum beneficiorum, necnon ex multis tam decimis quam oblationibus ac aliis cauſis per eum & ſuos receptis ad majorem erogationem inducere.*

At ſi ut credit S. D. N. in ſuo ſancto perſiſtit propoſito ſuorum progenitorum exempla imitatus aliquando perſonam propriam & proprium ſanguinem pro Chriſtiana religione devovere, & illi qui pro ipſo & univerſo cœtu fidelium mortem ſubivit, ipſe etiam non dubitet, imo cunctis deſideriis affectet ſe, corpus ſuum, ſanguinem proprium, militiam & theſauros periculis pro honore Salvatoris objectare: comprobabit dictus orator eius voluntatem, & hortabitur nomine S. D. N. ut in hoc ſancto propoſito perſeveret, & ſine mora in tanta neceſſitate fidei accingat ſe armis Chriſtianis, ſe muniat fidei ſignaculo, & profectionem ſuam declaret, ut & S. D. N. & Sereniſſ. Imperator Chriſtianuſque Rex Francorum ac omnes alii reges & principes ejus exemplo ducti vel in perſona proficiſcantur, vel ſubſidia ſubminiſtrent, cum ſatis declaratum fuit S. D. N. quod Francorum Chriſtianus obligavit ſe ad præſidia ferenda non parva, & patri & ſibi contrageret ipſorum aliquem perſonaliter proficiſci.

Itaque intellecta ſuper hoc deliberatione Principis intelliget etiam d. Orator quam viam proponet facere, quo tempore proficiſci, & quos exer-

citus

Digitized by Google

citus ſuis expenſis propriis ducere proponet, ut D. N. S. faciat diligentias circa alios Principes, ut de eodem tempore per ſe ipſos vel eorum præſidia concurrant, ut unitis viribus omnibus Catholicorum Principum facilius inimico crucis Chriſti & fidei ſuæ exterminatori occurri poſſit.

Et in eventum ſuæ perſonalis profectionis poterit orator ſuadere, ut mittat nuncios ſuos ipſe Dux & ad Imperialem Majeſtatem & ad Chriſtianiſſimum Regem Francorum, & ad reliquos Principes ſibi amicitia conjunctos ad invitandos eos ad perſonalem profectionem vel referenda ſubſidia juxta eorum devotionem, quia itidem S. D. N. cognito de voluntate ſuæ Celſitudinis facere proponit & curabit cum viribus ſuis opem ferre, quæ etiam ſua Beatitudo pro tam ſancta pia & neceſſaria re non dubitat nedum omnia remedia ſibi poſſibilia adhibere, ſed etiam proponere ſanguinem ſi neceſſe fuerit effundere more pii Patris & Paſtoris, qui pro grege ſuo mori non dubitavit.

Et quia Beatitudo ſua intellexit Sereniſſimum Angliæ Regem fratrem ſuæ Celſitudinis ejuſdem propoſiti & voti eſſe ſeque adſtrinxiſſe intra certum tempus perſonaliter proficiſci in ſubſidium fidei contra nefandiſſimos Turcos, ſua Celſitudo poterit affectuoſe eum invitare vel allicere, ut vel ſecum proficiſcatur vel digna tanto Principe ſubſidia ſubminiſtret, ac etiam voto & obligationi ſuæ convenientia; quod ipſum pro religioſo animo ſuo S. D. N. optime facturum confidit; ſua etiam Beatitudo cognita voluntate Ducis faciet apud Celſitudinem prædicti Regis poſſibiles diligentias & paternas monitiones, commemorabit ultiones divinas in tranſgreſſores voti, infamiam & cenſuram Apoſtolicam, quam priſci Pontifices in tranſgreſſores voti exercuerunt eos, jure primogenituræ & ſucceſſione regni privantes, ut pa-
6 teat ex Decretalis, Licet (6) de voto.

Si vero Dux ipſe hoc facere propoſuerit, cum illud exſequi hoc anno fere impoſſibile videatur propter magnos apparatus commeatuum, impedimentorum, & aliarum rerum ad tam longum iter neceſſariarum & tam grave bellum ſube... ne interim violentiſſimus hoſtis Turcorum Tyrannus potentiſſimus exercitibus & numeroſiſſima claſſe, quos jam terra marique paravit, majorem quam hactenus fuerit, cladem Chriſtianitati inferat, ſuccurrens eſſe Hungaris & aliis in periculo conſtitutis, ut interim ferociſſimos impetus crudeliſſimi Tyranni ſubſtineant, quod uſque ſua Celſitudo cum reliquis Chriſtianorum auxiliis ad tantum bellum concurrant, petat orator prædictus conſenſum ut leventur decimæ ex patriis & dominiis ſuæ ditioni ſubjectis ac civitatibus & diœceſibus illis .... & adjacentibus, ut aliquid refrigerium iis, qui tam longo fere bello attriti & conſumpti impetum ſubſtinuerunt, ſubminiſtretur.

Si etiam ſua Celſitudo aliquid de proprio ſubminiſtrare p..... interim quo ſe paret, orator eum inducat omnibus poſſibilibus modis & exhortationibus pro parte S. D. N.

Præterea orator prædictus hortabitur nomine S. D. N. prædictum Ducem, ut apponat favores poſſibiles, quod annus Jubilæus, quem ipſe per oratores & per litteras petiit, devote & debite in ſuis dominiis publicetur cum ſalute animarum univerſi populi commiſſi & profectu fidei in tanta neceſſitate conſtitutæ, cum S. D. N. & illas quæ ex dominiis ſuis provenient pecunias, & omnes alias quas undecumque conquirere.... in ſubſidium contra infideles devovit ac dedicavit, prout in litteris ipſius latius continetur.

Studebit orator publicare annuum Jubilæum cum omni diligentia & ſollicitudine accerſitis & requiſitis præſidiis, primo prædicti Illuſtriſſimi D. Ducis, deinde Ordinariorum & officialium eorum ac etiam omnium Prædicatorum & Theologorum omnium Ordinum ac Religionum, necnon Curatorum & totius cleri, ut devote, rite & debite exſequatur; præterea cordi eſt S. D. N. pro acquirenda ſalute animarum ſuprema diſpoſitione ſibi commiſſarum, & de proventibus qui exinde venerint, curabit cum omni diligentia tranſmittere, prout in commiſſionibus datis ſuper his plenius continetur, ad loca ſibi per S. D. N. commiſſa, ut Principes bello implicati cognoſcant & Pontificis curam, & diligentiam, & illius populi ſummam devotionem & obſervantiam, & melius animati tantis apparatibus ipſius Turci occurrere poſſint.

Et quum ipſe Dux requiſivit, & ſupplicavit, ut ſpecialiter in quibuſdam oppidis Patriarum ſuarum collocentur plenariæ Indulgentiæ, & annuus Jubilæus, ſtudebit orator in his ſalva dignitate rei & fidei commoditati ſuæ Celſitudinis complacere, cujus Dominationem S. D. N. credit non petere nec velle aliter quam & dignitas tantæ rei & neceſſitas fidei expoſcunt.

Cum autem S. D. N. jam probe cognoſcat magnanimitatem animi dicti Ducis ſingularemque virtutem, quæ licet ſemper S. Sanctitati perſpecta fuerit, nunc tamen magis ac magis elucet, cum intellexerit eum tantis bellis finem impoſuiſſe, quæ & in Germaniis (7) & in Galliis ardebant, ad hunc ſolum finem ut ſe ſuaque pro defenſione fidei devoveret, mirum in modum ſua Beatitudo religioſum animum ipſius comprobat, magnitudinem extollit, & virtutem admiratur, & non immerito tam felicibus & glorioſis ſucceſſoribus ubique Divina Majeſtas ſua divina clementia eum.... & ipſum ubique firma pace ſtabilivit. Ideo memor paterni voti & ſui, avique præſtantiæ, qui perſonaliter proficiſcens contra immaniſſimos Turcas proprio ſanguini non pepercit; in cujus vindictam, qui tanta a blaſphema Turcarum gente perpeſſus eſt, ſuæ Celſitudinis animus intentiſſimus ſemper fuit & eſt, ut & S. D. N. & Sacrum RR. Cardinalium collegium probe intellexerunt, nec ambigunt ejus Celſitudinem illius eſſe propoſiti. Reducere tamen ad memoriam vult ejus Beatitudo, ut dum vires validæ exiſtunt, dum vigor animi præſtat, ut dum corpus agile eſt, ſuorum votis & ſuis ſatisfaciat, dum Divina Majeſtas expectat ne de tranſgreſſo voto eum corripiat, & tarditatem gravitate ſupplicii non compenſet, nec expectet majorem ætatem, quæ & animum frangit & vires debilitat, & ad hoc S. Celſitudinem exemplum paternum ſatis movere poterit.

Studebit orator prædictus quam citiſſime mentem prædicti Ducis reſolutam intelligere, & omnem diligentiam exactam facere, ut ſubſidia conquirantur, & D. N. de omnibus quam celerrime ſit adviſatus, ut etiam ſua Beatitudo poſſit ſubſidia ſubminiſtrare poſſibilia ad ea quæ opportuna erunt ad levandas decimas, & ad rem Indulgent. devote conducendam.

Cæterum ſi prædicto Duci viſum fuerit neceſſarium, poterit dictus orator & Imperialem Majeſtatem convenire, & Reges ipſos tam Angliæ quam Franciæ ad exhortandos & incitandos eos in cauſis fidei declarando in quantis neceſſitatibus & periculis ſita & conſtituta eſt fides noſtra, quod Imperatori notum eſt ex crebris depopula-

tio-

tionibus, quæ in patriis & terris ſuis fiunt, nec aliquid omittat idem orator agendo quod ad celerem expeditionem attineat, cum ſatis per ſe intelligat, quanta ſit fidei neceſſitas, cum ejus etiam totam ditionem Turci crebris incurſionibus ſpoliarunt, & quod reliquum eſt ſpoliare conantur. Dicet inſuper idem orator Prælatis patriarum Duces & illis adjacentibus, maxime his qui de ſanguine illuſtriſſimi Ducis procreati ſunt, ut opem ferant, auxilia ſubminiſtrent, conſilia & aſſiſtentias exhibeant ſuæ Sanctitati & ſuis Nuncio & Oratoribus. Dicet etiam Epiſcopum (8) *Leodienſem alto genere natum, ex regia & Ducali ſtirpe procreatum, more progenitorum ſuorum præſidia ſuæ Sanctitati poſſibilia ſubminiſtrare, Convenit & Epiſcopo* (9) *Camerinenſi* (forte Cameracenſi) *qui ex bonis Eccleſiæ multas maximaſque conquiſivit opes, per eleemoſynam tam piam, tam ſalutarem, tam neceſſariam locum ſibi & habitaculum in æternis tabernaculis præparare; quod ipſum pro ſua religione & zelo & animi magnitudine S. D. N. optime facturum confidit. Intereſt etiam Trajectenſi* (10) *Epiſcopo, qui opulentam a Sede Apoſtolica ſuſcepit Eccleſiam, qui multis nobilibus militibus & Baronibus ſtipatus exiſtit, ut in cauſa fidei generoſum animum ſuum demonſtret, & eleemoſynis ſe in Dei cauſa ab antiqui hoſtis inſidiis muniat. Reliquos vero Epiſcopos* (11) *Tornacenſem*, (12) *Morinenſem*, (13) *Atrebatenſem, Archiepiſcopum* (14) *Biſuntinum*, *Epiſcopum* (15) *Metenſem*, (16) *Tullenſem*, (17) *Virdunenſem*, (18) *Cabillonenſem & reliquos commonefaciat, & ipſos requirat in tanta fidei neceſſitate ut debitum ſuum in ſubventionem fidei perſolvant.*

Inſtabit præterea apud Reverendiſſimum D. Card. (19) *Heduenſem, ut pro ſua religione, pietate & zelo, quem maximum ſua Beat. in eo cognoſcit, ut Reip. Chriſtianæ ac ſuis & eorum opibus pro virili ſua & devotione ſubveniat, ſicut eum ſemper optimæ voluntatis omnes eſſe cognoverunt.*

Declarabit etiam S. Reverendiſſimæ Paternitati tam extremam neceſſitatem quæ nunc imminet, & quam celerrime opus ſit, occurrere conatibus Turcorum, & ab eo in orationibus ſuis agens prædictus orator auxilium, conſilium, & favorem exquirat, ſicuti faceret a S. D. N. ſi præſens eſſet.

Utatur prædictus Nuncius inſtructionibus ſupradictis cum omni modeſtia, & prudentia, ac etiam ſecundum temporis exigentiam. Ita quod in cauſis fidei ſupradictis Dux ipſe non exaſperetur, nec etiam relaxetur; & ſiqua pro tempore videbuntur obtinenda, tacebit, prout melius & convenientius & opportunius dicto Nuncio videbitur. Cæterum mandat S. D. N. ut idem orator procuret cum omni cura & diligentia, quod prædictus Ill. D. Dux permittat (20) *alumen S. Sanctitatis navigare ad patrias ſuas, cum omne alumen Eccleſiæ S. Sanctitas diſpenſet pro ſubventione fidei & alendis pauperibus nobilibus, & aliis perſonis tam Eccleſiaſticis quam laicis, qui de manibus Turcorum aufugerunt. Et juſta cauſa aluminis prædictus orator informabit Ducem omni meliori via, qua poterit, reducens S. Celſitudini ad memoriam ſi opus ſit, quod non poteſt excludere Alumen Cruciatæ, cum XII. anni nondum effluxerint a conventione ſua facta cum camera, & S. D. N. non poteſt prohibere res Cruciatæ, cum ipſe promiſerit facere omnia in ſubſidium contra infideles quæcumque ſibi erunt poſſibilia, & omnino facias dictus orator quod habeat conſenſum dicti Ducis, quod poſſit conduci, introduci & vendi alumen S. D. N. pro pretio, pro quo poterit.*

Notæ.

1 Carolus Philippi filius Burgundiæ Dux anno 1467. in patris ditionem ſucceſſit; vir natura ferox, & ampliſſimis opibus, ac potentia, qui a Renato Lotharingiæ Duce anno 1477. in acie victus occubuit; unica filia Maria relicta, eademque Maximiliano Imp. nupta. Burgundiæ tamen imperium Ludovicus hoc nomine XI. Galliarum Rex ſibi, ſuiſque poſteris occupavit.

2 Lege, *progenitorum*. Philippus in primis Caroli pater, qui cum Pio II. & Venetis fœdus adverſus Turcas inierat. De hoc fœdere Pius idem ita ſcribit in Commentariis, *Diebus præcedentibus convenerant Legati Burgundi ac Venetus cum Pontifice, atque in hunc modum fœdus inierant. Bellum totis viribus contra Turcas in unum, duos, treſve annos, ſi ſic res poſceret, geſturos ſe promiſerant, ea conditione adjecta, ut ſine ſociis nulli liceret a bello diſcedere. Addideratque Pontifex, veniente Philippo Duce ad Italicas oras, & in Græciam profecturo, ſe ſimul iturum; legati, quibus eſſet ampla poteſtas, his vinculis ſuos dominos obligavere, ſimile fœdus & Matthias Rex Hungariæ cum Venetis pepigit.*

3 Muhamedes II. Turcarum Imperator victoriis & triumphis potentiſſimus, qui regna duodecim, urbes fere ducentas expugnaverat, etiam Caffam urbem Tauricæ Cherſoneſi Genuenſibus abſtulit hoc tempore, & ingenti armorum apparatu toti Europæ, præſertim Italiæ, minitabatur.

4 Matthias Corvinus Rex Hungariæ, pro religione & regno fortiſſimus adverſus Turcarum oppugnationes.

5 Innocentius III. in hæc verba reſpondit Trecenſi Epiſcopo, qui hujuſce voti ſolutionem a Pontifice petierat; *Expenſas, quas fueras in eundo, morando & redeundo facturus, in neceſſarios uſus Terræ illius, i. e. ſanctæ, ſine diminutione* transferas &c. idque Duci Burgundiæ faciendum pro ſua religione ac pietate proponitur. Extat Innocentii epiſtola inter Decretales Gregorii IX.

6 Idem Innocentius ad Andream Hungariæ Ducem, cum poſt obitum patris nondum rex Hungariæ eſſet ſolemniter renunciatus, ſcribit, ut votum impleat patris ſui de Hieroſolymitana expeditione, quo is ejuſdem nomine ſeſe obſtrinxerat; ni fecerit, eum & jure primogeniti & regni hæreditate ſpoliatum iri denunciat. V. Decretales Gregorii IX.

7 Innuit bella, quæ in Helvetios & Lotharingos gerebat Carolus; ab iis vero hoc ipſo anno 1476. acie fuſus, victuſque fuit.

8 Erat Joannes Borbonius, qui per inſidias interfectus eſt an. 1482.

9 Joannes hoc nomine VIII. Epiſcopus Cameracenſis, & filius ſpurius Philippi Burgundiæ Ducis, vita functus an. 1479.

10 David ejuſdem Philippi filius legitimus & Caroli Ducis frater; obiit an. 1496.

11 Ferricus a Cluniaco J. U. D. ejuſdem Caroli Conſiliarius, Tornacenſis Epiſcopus electus an. 1473., in Collegium Cardinalium cooptatus an. 1480. & veneno extinctus an. 1483.

12 Henricus Lotharingus ad Metenſem Epiſcopatum translatus an. 1486.

13 Petrus Rauchicurius, vita deceſſit an. 1499.

14 Carolus de Novo Caſtro, obiit an. 1498.

15 Georgius de Baden Jacobi Marchionis & Catharinæ Lotharingæ filius vitam & Epiſcopatum dimiſit an. 1485.

16 Antonius a Novo Caſtro mortuus an. 1490.

17 Guillelmus Haraucourius an. 1500. vitam finivit.

18 Joannes de Poupet, qui Epiſcopatu ſe abdicavit an. 1480.

19 Philibertus Hugonetus Burgundus, Carolo Duci in primis acceptus, ejuſque ad Sixtum IV. Pontificem Orator, creatus Cardinalis an. 1473. Æduenſi Eccleſiæ præerat an. 1476. Romæ obiit an. 1484. & in templo S. Mariæ de populo tumulatus. V. Ciacconium Tom. III. inter Cardinales Sixti IV.

20 Alumen, genus quoddam herbæ ac lapidis mineralis, quo utuntur fullones in lanis, aliiſque tingendis veſtibus. Hujuſmodi merces ex Aſia in Italiam deferebatur ingenti Turcarum lucro, qui aureorum fere trecenta millia quotannis ab Italis mercatoribus extorquebant. Sed paullo poſt captam a Turcis anno 1453. Conſtantinopolim Joannes quidam de Caſtro, Pio II. Pontifice, cum apud Tolfam vetus oppidum Pontificiæ ditionis vicinos montes luſtraret, alumen in eis gigni certa experientia deprehendit. Qua re ad Pontificem delata, & novi inventi fama per Italiam, aliaſque provincias effuſa, mercatores, fullones ſibi hoc mercis genus inde comparare cœperunt minori, quam a Turcis pretio atque incommodo. Hinc magni acceſſere proventus ærario Pontificum, qui redditus, & lucra ex aluminis venditione in pios uſus impendebant, præcipue in ſacras adverſus Turcas expeditiones. Cumque Carolus vetuiſſet, ne Romani aluminis mercaturam Burgundi facerent, curavit Sixtus Pontifex, ut per ſuum oratorem e ſententia dimoveretur, & libera eſſet in Burgundia hujuſmodi negotiatio. Aluminis in Italia inventi narrationem fuſe deſcriptam habes a Gobelino in Commentariis Pii II. libro VII.

Ut Bonini, ſic Lucæ de Tolentis electio irrita fuit, alteram Nicolao V. alteram Pio II. abrogante. Itaque Pius II. Thomam Epiſcopum Corcyrenſibus & Stagnenſibus dedit anno 1463. V. Kalen. Februarii. (Obl. Cam. Tom. 79. p. 46.)

THOMAS EPISCOP. CORCYREN. XVII. STAGNENSIS XXV.

Thomas Malumbra Ep. Corcyren. an. 1463.

Ex illuſtri familia Malumbra, ortu quidem Venetus, ſed ex antiqua origine Cremonenſis; cujus majores ante annos fere ducentos Venetias commigrarunt; & tum jure ſtabilis domicilii, tum præclaris meritis civitatem adepti ſunt. In hac domo apud Venetos conſtituta duo potiſſimum Juris civilis omnium ætatis ſuæ peritiſſimi floruerunt: Comes Riccardus, cui Senatus Venetus leges quaſdam recognoſcendas, & expoliendas dedit, quas Laurentius Theupolus condiderat, & conſcriptas reliquerat, Venetiis obiit anno 1334. & ſepultus eſt apud Baſilicam SS. Joannis & Paulli; eique titulus ſepulchralis inſcriptus his verſiculis continetur.

Viri illuſtres ex ejus domo.

Vas juris, legumque jubar, ſine compare Doctor,
Militiis & Comitis, merita ratione Cathedræ,
Dotatus titulis Riccardus, prole Malumbra,
Malleus eris umbræ, Patriæ decus atque Cremonæ.
Qui gratus Venetis jacet hic, ſed nuncia laudis
Vivet fama Viri, nullum peritura per ævum.
Obiit anno Domini 1334.

Alter ex eadem domo Juriſconſultus clariſſimus prodiit, Nicolaus Malumbra; cui monumentum poſitum fuit prope januam Cœnobii Patavini PP. Prædicatorum, cum hac Inſcriptione.

Edite nobilibus celſa Nicolae Malumbris
Urbe Cremonenſis, ſolers utriuſque Profeſſor
Juris, cauſidicum doctiſſime, ſtrenue fautor
Juſtitiæ, vivas, oro, per ſæcula felix.

Malumbræ familiæ ſplendorem auxit Aloyſius Epiſcopus Arbenſis, vel frater Thomæ, vel certe conſanguineus, & æqualis; uterque enim iiſdem temporibus, alter Corcyrenſem, alter Arbenſem Eccleſiam regebant. Thomas admodum adoleſcens, de animi ſalute ſollicitus, paterna domo relicta, ad Cœnobium Venetum S. Dominici ſe contulit, & monachali habitu ſumpto, religioſæ vitæ tyrocinium poſuit. Ingenii ac doctrinæ ſuæ aliqua monumenta reliquit in variis Opuſculis Philoſophicis, ac Theologicis, quæ typis mandavit. Poſt Capitularem electionem Lucæ de Tolentis decreto Pii II. reſciſſam, idem Pontifex Eccleſiam Corcyrenſem & Stagnenſem Thomæ decrevit anno 1463. Anno proximo cum Corcyram veniſſet, approbavit electionem cujuſdam Canonici, quem in locum & ſubſellium alterius vita functi Capitulares ſubſtituerant; tunc enim jus nominandi creandique Canonicos penes Capitulum erat; quod deinde Summus Pontifex, & Epiſcopus ſibi vindicarunt, ita diſtributum, ut huic quatuor, illi octo menſes obtigerint, in quos mors cujuſque Canonici incideret. Lucam de Tolentis vel abſentem ſummopere coluit & dilexit; ejuſque conſanguineo, litteris etiam Chriſtophori Mauri Ducis Venetorum commendato, Sacerdotium ab omni curandarum animarum immune contulit, ex cujus fructibus ſumptus neceſſarii ſupperetent, dum Patavii litteris operam dabat. Vir nobilis e familia patritia Corcyrenſi Ziliorum, ex poteſtate ab Sixto IV. ſibi facta, Capitulum Corcyrenſe nova dignitate, quam *Præpoſituram* vocant, auxit, & decoravit; eamque vectigalibus ſane opulentis inſtruxit. Jus nominandi Præpoſiti ſibi ſuæque familiæ reſervavit; idque Sacerdotium in ſuos nepotes ac poſteros, ex aliis in alios, jure hæreditario derivari voluit, in eum ſcilicet, qui per electionem cæteris prælatus foret. Hujus nobiliſſimæ familiæ ſtirps ultimus, idemque poſtremus Præpoſitus, fuit Franciſcus Zilius, quocum linea maſculina ejuſdem familiæ extincta eſt anno 1747.

Jus eligendi Canonicos devolutum ad Summum Pontificem, & Epiſcopum.

Dignitas Præpoſiti ad Collegium Canonicorum acceſſit.

Anno circiter 1479. claſſis Ferdinandi Regis Neapolitani, qui cum Venetis inimicitias gerebat, ad inſulam Corcyram appulit; & Neapolitani cum ſociis fœderatis, exſcenſu e navibus in terram facto, poſtquam villas & agros, direptionibus, cædibus, incendiis peragraſſent, urbem ipſam terra marique obſeſſam vehementer oppugnare cœperunt. Cives hoſtium adventu conterriti, tum a militibus deſtituti, tum ab omnibus rebus, ad defenſionem neceſſariis, imparati, jam fugam ſpectabant; eos Thomas Epiſcopus gravi oratione retinuit, & natantes, diffidentes ac deſperantes rebus ſuis confirmavit. Comes itidem, ſive Prætor civitatis, non minus exemplo, quam verbis hortatus, non ducem modo, ſed etiam ſocium ac participem la-

Inſignis Corcyrenſium Victoria de Neapolitanis.

bo-

borum & periculorum ſe præbuit. Itaque Corcyrenſes ex primo illo pavore animis receptis, pro aris & focis ad extremum uſque ſpiritum pugnare decreverunt. Obſidionem aliquot dies impavidi ſuſtinuerant, cum hoſtes ſcalis admotis muros inſcendere, & vi atque aggreſſione urbem capere conantes, omni miſſilium genere in eos effuſo, dejiciunt, obruunt, ingenti clade repellunt; tum portis erumpentes, inſtaurata pugna, eum dedere impetum, ut, plurimis cæſis, omnes in fugam averterent; neque antea fugientes inſequi deſierunt, quam ad ſuas naves ſe recipere coegiſſent. Caſtris hoſtium direptis, omni genere commeatuum, & bellicorum inſtrumentorum refertiſſimis, magna æque præda & victoria potiti ſunt. Litteras depulſæ obſidionis, & lætiſſimæ victoriæ nuncias ad Ducem & Senatum miſit Thomas Malumbra Epiſcopus. Joannes Mocenicus Dux reſcripſit ad Prætorem & populum Corcyrenſem; *fidem, virtutem, magnanimitatem* Corcyrenſium ſummopere collaudat; ad præclara illorum in patriam, & Rempublicam merita remuneranda, ſi quid velint ac poſtulent, nihil a ſe, nihil a Senatu defuturum: *Joannes Mocenigo D. G. Dux Ven. ſapientiſſimis & egregiis viris Comiti & populo Curzolen. fidelibus noſtris clariſſimis ſalutem & gratiam noſtram. Ex litteris Rev. Patris Thomæ Malumbræ Epiſcopi Curzolen. fideliſſimi civis noſtri, & integerrimi Paſtoris veſtri cognovimus.* Hanc victoriam, quæ in diem Auguſti quartam & viceſimam D. Bartholomæo ſacram inciderat, Corcyrenſes ſanctiſſimo Apoſtolo, cujus opem imploraverant, acceptam retulerunt, eumque religioſi & grati animi cauſſa inter Cælites urbis patronos numerandum & habendum eſſe decreverunt. Singulis vero annis tam inſigne beneficium ſibi ab eo divinitus collatum ſolemni gratiarum actione, & pia ſupplicatione concelebrant. Clypeos hoſtibus ereptos ſub tholo Baſilicæ Cathedralis ſuſpendi voluerunt, poſteris ut eſſent ſervatæ patriæ ac celeberrimæ victoriæ monumentum perpetuum; illiſque appoſita hæc fuit inſcriptio.

Parthenopes regem ſocioſque hinc claſſe repulſos
Teſtantur natis ſcuta dicata tholo.

Agitur de disjunctione Stagnenſis Epiſcopatus a Corcyrenſi.

Nec majori curæ fuit Thomæ Epiſcopo ſalus patriæ, cujus magno & forti animo tuendæ auctor Corcyrenſibus & hortator fuerat, quam defenſio jurium Epiſcopalium, de quibus ne ulla fieret diminutio, ſummopere laboravit. Ragufini graviter ferebant peninſulam ſuam & Eccleſiam Stagnenſem ſubeſſe Corcyrenſi Epiſcopo alieni dominatus; & onus ſibi impoſitum eidem contribuendi centum aureos ſingulis annis, ſi non aperte detrectabant, tamen ad eos ſtatuto tempore numerandos ſe difficiles ac moroſos præbebant, & ſolutionem ex aliis in alios menſes differebant, ut aliquando neceſſe fuerit eos litteris tum Alexandri VI. Pontificis, tum Cardinalis Neapolitani ad dilatam penſionem ſolvendam vel impelli vel certe ſollicitari. Quapropter Ragufini apud Sedem Apoſtolicam id agere ac moliri cœperunt, ut Pontifex Stagnenſem a Corcyrenſi Eccleſia disjungeret, & ſuum utrique Epiſcopum præficeret. Thomas veritus ne Ragufini quod volebant impetrarent, ſibique Stagnenſis Eccleſia adimeretur, Romam petere feſtinavit, eorum poſtulatis obſtitit, & conatus omnes eluſit. Romæ dum eſſet anno 1490. annuam penſionem a Ragufinis accepit per ſuum procuratorem Nicolaum Niconiſium ſive Nigrevichium; & anno 1505. idem Nicolaus, quem Thomas abhinc tribus annis conceſſu Sedis Apoſtolicæ ad munera Epiſcopalia obeunda ſibi adjutorem adjunxerat, & futurum ſucceſſorem deſignaverat, Pontificis & Cardinalis Neapolitani auctoritate interpoſita, eamdem penſionem a Ragufinis ſolvendam curavit. De utraque ſolutione in actis Thomæ Epiſcopi Stagnenſis dictum jam eſt.

Quædam Thomæ acta, & obitus.

Ad turrim Baſilicæ Cathedralis jamdudum opere & ornatu ædificari cœptam perficiendam abſolvendamque plurimum pecuniæ a Thoma Epiſcopo collatum fuiſſe indicio eſt ſtemma gentilitium domus Malumbræ faſtigio turris infixum, cui mitra Epiſcopalis ſuperpoſita eſt. Idem Thomas ab latere ſiniſtro ſummi Altaris aram egregiam ære ſuo exſtruxit Chriſto Domino Servatori ſuffixo in Cruce, cujus effigies media viſitur inter alias Divorum imagines eximio penicillo pictas; opus eſſe dicitur Baſſani pictoris ea tempeſtate celeberrimi. Palatium Epiſcopale ponte penſili intermedio cum æde Cathedrali conjunxit, qui tranſitum Epiſcopis commodiorem, imbribus ac ventis impervium, ultro citroque præberet. Ad ſummam ætatem jam pervenerat, cum Pontificis Summi permiſſu Nicolaum Niconiſium ſingularis virtutis & doctrinæ virum ſibi Adjutorem ad munus Epiſcopale fungendum delegit jure ſucceſſionis donatum. E vita deceſſit anno 1513. quod certo liquet e mſs. Annalibus Marini Sanuti coævi Scriptoris, illatuſque in ædem cathedralem funere quàm ampliſſimo, & poſt ſolemnes exſequias tumulatus fuit ante aram, quam ipſe Jeſu Chriſto Cruci affixo ædificaverat. Niconiſius vero Thomæ ſucceſſor ad latus ejuſdem aræ cenotaphium marmoreum e terra ſublime parieti adnexum ei faciendum, & operculo ſimulacrum Epiſcopali habitu atque ornatu ſuperponendum curavit. Titulum fecit, & medium inter duo ſtemmata, alterum Malumbræ, alterum Niconiſiæ gentis, Cenotaphio inſcribi juſſit.

Thomæ Malumbra Epiſcopo Curzolenſi & Stagnenſi præceſſori Nicolaus Niconiſius Epiſcopus ſucceſſor poſuit.

In Monumentis ſelectis *Conventus S. Dominici Venetiarum, auctore F. Dominico Armano ejuſdem Conventus alumno Ord. Præd.*, de Thoma Malumbra Epiſcopo Corcyrenſi hæc litteris tradita invenio, pag. 93. *Fratrem Thomam Malumbram Venetum Cœnobii noſtri Andreas Rovetta, et Joannes Michael Cavalieri, Provinciæ Lombardæ alumnum aſſerunt Michael Pius et Vincentius Fontana, quæ duo non repuguant;* (nam Cœnobium Venetum S. Dominici ad Provinciam Dominicanam Longobardam pertinet.) *Virum fuiſſe gravem et eruditum perhibent omnes, ac demum conſpicuum dignitate Epiſcopali in Corcyra Melæna, vulgo Curzola. De electionis ad ſedem annis diſſident laudati ſcriptores. Meminit ejus ad annum* 1488. *Andreas Rovetta. Anno* 1498. *ipſum claruiſſe narrant Ambroſius Altamura, et Joannes Michael Cavallerius; eumdemque refert ad annum* 1520. *Vincentius Maria Fontana. Deſunt mihi documenta, quibus rei obſcuræ et incertæ clariorem lucem addam.* Sed tabulæ Romanæ omnem dubitationem eximunt; in his quippe a Pio II. Epiſcopus utriuſque Eccleſiæ creatus fuiſſe dicitur an. 1463. v. Kal. Februarii. Obl. Cam. Tom. 79. pag. 46.

Digitized by Google

NICOLAUS III. EPISC. CORCYR. XVIII. STAGNENSIS XXVI.

Nicolaus Niconisius genere,

Gens Niconisia Corcyrensis patritia, civilibus, bellicis, litterariis laudibus abundat, ut clarissimi viri ex ea progeniti testantur. Familiæ splendorem auxit Nicolaus, Petro patre viro amplissimo, matre Bratisa Jubaglinovichia matrona lectissima genitus. Fratrem habuit, & fratris filium, qui cum eo veluti certarunt ad nomen ac genus Niconisium magis magisque illustrandum. Ejus frater fuit Joannes Georgius, qui ab ineunte adolescentia in Græcia rei militaris tyrocinium posuit, nec minus animi magnitudine quam bellicis laudibus claruit. In Belgio, Hispania, Italia illustria stipendia fecit; Ferdinando Hispaniæ Regi an. 1492. in expugnatione Granatensi, quæ Maurorum in Hispania regnum funditus evertit; Carolo VIII. Francorum regi an. 1495. in expeditione Neapolitana egregiam operam præbuit. Romam profecto Julius II. præfecturam Cohortis Prætorianæ tradidit. Maximilianus Imperator in aulam Cæsaream receptum titulis & muneribus decoravit. Franciscus filius fratris Nicolai multos & præclaros de jure civili commentarios edidit; Referendarius idem & Archidiaconus Corcyrensis fuit; de quo Mantua celeberrimus Jurisconsultus Patavinus in Epitome virorum illustrium: *Franciscus Niconisius Nigro-Corcyreus, Referendarius Apostolicus, discipulus meus, jurisprudentiæ fuit studiosissimus; floruit anno 1526. & multa in jure scripsit, de novi operis enunciatione, de probationibus, de testamentis, Consilia & alia. Fuit a Secretis Serenissimi Regis Poloniæ aliquo tempore, et cum Romam reversus esset, domumque in monte Quirinali conduxisset, noctu a famulis occisus est non sine maxima litterarum jactura.*

doctrina & muneribus illustris,

Nicolaus noster primam ætatem ingenuis artibus & liberalibus disciplinis excoluit. Romam profectus in illa urbe omnium principe tam illustria ingenii, doctrinæ, prudentiæ ac sollertiæ in quibuslibet negotiis expediendis & conficiendis documenta præbuit, ut primores Cardinalium ejus consuetudinem ac familiaritatem expeterent. Ex aliis in alias Cardinalium domos migravit, cum omnes eum apud se habere cuperent, ejusque operam & consilium magni facerent. Honorificis & gravissimis muneribus functus est in aula primum Cardinalis S. Mariæ in Portico, qui Archipresbyteratum plebis S. Mariæ de Bachano diœcesis Patavinæ ei conferendum curavit; deinde Cardinalis Tranensis, cujus avunculus erat Alexander VI. postea Cardinalis Rheginensis, tum Cardinalis Arrigonii, demum Cardinalis SS. quatuor Coronatorum.

Sæculo decimo sexto ineunte reversus cum esset in patriam, Thomas Episcopus senio confectus ab Alexandro VI. postulavit, ut Nicolaum Niconisium adjutorem sibi & successorem designaret. Annuit Pontifex an. 1503. VI. Id. Majas. Julius II. eodem anno VI. Kal. Decembris designationem Alexandri Pontificis diplomate confirmavit. Suscepta consecratione Episcopali, cum adjutoris munere & pontificali officio fungeretur, ab Senatu Ragusino pensionem Stagnensem Thomæ Episcopo debitam recepit, ut constat ex epistola Rectoris & Consilii Ragusiensis inscripta *Reverendissimo in Christo Patri D. Nicolao Niconisio Coadjutori & Coepiscopo Corcyren. & Stagnen. Domino & Patrono Colendissimo*. Data est *Ragusii* 1505. *die* 24. *Januarii*, de qua in historia Ecclesiæ Stagnensis. Anno 1513. Thomas admodum senex diem supremum obiit, eique in sedem Corcyrensem & Stagnensem successit Nicolaus; cui pridie Nonas Novembris anni ejusdem decreta fuit a Senatu Veneto sui Episcopatus possessio; tum datæ litteræ ad Comitem Corcyrensem, qui Nicolaum in illam immitteret, auctore Sanuto in laudatis Annalibus. Utramque tenuit annos sex & triginta. Sed in Episcopatu tam diuturno quid rerum gesserit, quidve decreverit, nullis litteris proditum invenio. Ejus stemma gentilitium superpositum januæ, quæ ad Basilicam Cathedralem ab ejus latere ingressum præbet, indicio esse potest ipsum quoque ad ejusdem januæ ornatum aliquod pecuniæ subsidium contulisse. Illud præclarum ejus consilium fuit, & Episcopali cura & prudentia dignissimum; Collegium Virginum, cum nullum esset in civitate, neque in diœcesi, instituere & ædificare constituit, ac recipiendis alendisque ingenuis adolescentulis, quæ divino spiritu afflatæ rebus mortalibus nuncium remittere, perpetuæ religioni & castitati seipsas consecrare, votisque solemnibus Deo se obstringere cuperent. Consilium suum civibus simul aperuit & probavit; nec deerant, qui ad perficiendum opus tam salutare & gloriosum subsidia & pecuniam se collaturos profiterentur. Sed nescio quid obstitit, quominus res tam utilis & sancta ad effectum perduci posset. Concilio Lateranensi sub Leone X. interfuit, & octavæ itemque nonæ sessioni subscriptus legitur *Reverendus Pater Dominus Nicolaus Carciolensis, al. Cursolensis*. Ab sua Ecclesia sæpe abfuit, nec mihi compertum est, Corcyræne, an alibi diem obierit. Ejus mors in annum 1540. vel huic proximum incidit. Sub decessum Niconisii Ragusini quod jamdiu optaverant, atque iterum ac sæpius petierant, demum a Paullo III. Pontifice Maximo impetrarunt, ut conjunctionem Ecclesiæ Corcyrensis & Stagnensis dissolveret; cum enim altera sub Veneto, altera sub Ragusino esset imperio, neutra ab uno eodemque Episcopo satis commode utiliterque administrari posse videbatur. Hæc disjunctio relata fuit in Codicem ms. Vaticanum, qui inscribitur *Index recentior taxarum Apostolicarum alphabeticus: Curzulen. Corzula, alias Corcyra Nigra in insula maris Adriatici, Provinciæ Ragusinæ. Olim hæc erat unita Ecclesiæ Stagnen. & taxabatur Flor.* 80. *nunc vero separatim expediuntur. Unionem dissolvit Paullus III. in Consistorio secreto die* 2. *vel* 11. *Novembris* (Decembris ex diplomate ejusdem Pontificis) *anno* 1541. Decretum Pontificium hujus disjunctionis habes in Historia Ecclesiæ Stagnensis. Nec vero si Ecclesia Corcyrensis a Stagnensi sejuncta fuit, ideirco avulsa est a Provincia & Metropoli Ragusina; neque deinde Episcopi Corcyræ, aut insula illa & civitas, imperium Archiepiscopi Ragusini abnuerunt, eique subesse recusarunt.

Episcopus Corcyren. & Stagnen. an. 1513.

obiit an. circ. 1540.

Ecclesiæ Stagnensis a Corcyrensi disjunctio.

MARCUS EPISC. CORCYREN. XIX.

Idem Pontifex, qui Ecclesiam Corcyrensem a Stagnensi separavit, suum utrique & proprium Episcopum eodem anno 1541. præfecit, Stagnensi Thomam Cervinum patritium Ragusiensem, Corcyrensi Marcum patritium Venetum ex illustri familia Maripetra, ut tradunt tabulæ Consistoriales; *An.* 1541. 16. *Decembris* provi-

Marcus Maripetrus Episc. Corcyren. 1541.

dit

Digitized by Google

dit Ecclesiæ Curzolensi vacanti per obitum Nicolai Niconisii extra Cur. Rom. defuncti, sive per dissolutionem unionis ab Ecclesia Stagnensi, de persona Marci Maliperii, Clerici Venetiarum, familiaris suæ Sanctitatis &c. Taxa Florenorum 40. Post episcopalem consecrationem Romæ susceptam, Venetias se contulit, qua ex urbe nondum anno 1545. discesserat, ut constat ex ejus litteris ad clerum & populum Corcyrensem: *Nos Marcus Maripetrus Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Curzolensis &c. Datum Venetiis in domo habitationis nostræ apud Fratres Min. anno Domini* 1545. *Pauli III. undecimo.*

Corcyram sumquam adiit.

Nulla sunt monumenta, ex quibus eum vel semel Corcyram veniſſe appareat; suis tamen litteris Clerum suum ac populum iterum ac sæpius invisit, & salutaribus monitis ac præceptis ad omne Ecclesiastici, & Christiani officii munus instruxit. Vicarium generalem e Capitulo delegit Angelum Gabrielium Archidiaconum, virum doctissimum, consilii, vigilantiæ, industriæ plenum, qui tribus Episcopis Corcyrensibus operam vicariam diligentissime navavit; & illis absentibus, per annos fere duodecim, in eum unum totius Ecclesiæ administratio incubuit. Marcus vel absens Ecclesiæ suæ rationibus consulere, & incommoda avertere non omisit. Cum laici homines multa molirentur, quæ commodis & privilegiis Clericorum officiebant, ab Duce & Senatu, semel atque iterum litteras regias impetravit ad Comitem, seu Prætorem Civitatis, quibus is admonebatur, ut caveret, ne quid res & immunitas ecclesiastica detrimenti caperet, neve magistratus sæcularis in ea, quæ pertinent ad jurisdictionem ecclesiasticam, se ipsos inferrent atque intruderent, aut bona Ecclesiarum interverterent, ac sibi attribuerent. Verum hæc admonitio parum profuit; quæ quidem ut vim suam obtineret, institit Vicarius quantum potuit, sed frustra; tunc enim opus fuisset auctoritate Episcopi præsentis, cujus respectus & reverentia vel invitos ad regia mandata exsequenda compellere potuisset; tanti refert, ac tantum obest Episcopum adesse vel abesse, præsertim cum agitur de juribus & bonis Ecclesiæ tuendis, ac libertate ecclesiastica vindicanda. Anno 1546, ad Tridentinum Concilium profectus, conventibus ibidem habitis interfuit, & anno sequente translatum cum esset Bononiam ob metum pestilentiæ, quæ in locis finitimis grassabatur, cum Patribus Tridentinis illuc se contulit, Concilio autem ad tempus intermisso, Romam abiit; quem Paulus III. Corcyrensibus ademptum, Phariensibus Episcopum dedit anno 1549.

Concilio Tridentino interfuit.

CLAUDIUS EPISC. CORCYREN. XX.

Claudius Ptolemæus Episc. Corcyr.

Senis in Etruria natus stirpe antiquissima & nobilissima Ptolemæorum, ex eadem fortassis familia, ex qua prodiit Gisbertus Ptolemæus Episcopus Montis Falisci, insignis Theologus, & consanguineus Pii II. Summi Pontificis. Natus est anno 1492. & Romæ plures egit adolescentiæ annos, & gratia summopere valuit apud Clementem VII. Pontificem, ejusque partes secutus est, cum is esset Senensibus infensus, infestusque; quare Reipublicæ Senensis decreto anni 1526. patria & urbs Claudio interdicta est. Romæ iterum degebat anno 1527. unde Bononiam digressus est anno 1528. ut celeberrimo Clementis cum Carolo V. Imperatore congressui interesset; quo finito in ea urbe constitit ad annum 1531. Insequenti vero Viennam pervenit, ut Cardinalis Medicei nomine gravia curaret negotia, atque expediret. Sed cum ejus virtus, & probe gesta per Italiam fama efferrentur, talem civem sibi esse in patriam revocandum decreverunt Senenses anno 1542. eique pristinam restituendam dignitatem, qua de re Claudius luculentissimis literis gratias Reipublicæ egit. Nec tamen in patriam reversus est; nam cum Paullo III. qui Romanus Pontifex post Clementem creatus fuerat, acceptissimus esset, Romæ iterum versari constituit, & singulari erga illum Paulli benevolentia, ac perhonorifica consuetudine frui. Sane cum Pontifex Parmensi ac Placentino principatu donasset Petrum Aloysium Farnesium anno 1545. Claudium eidem socium, atque administrum adjunxit, cujus sapienti consilio nova dominatio fulta firmius tutiusque stabiliretur; tres autem ipsos annos is Petro fideliter astitit, ejusque nomine atque auctoritate aliquem magistratum gessisse videtur. At enim Petro per nefariam conjurationem interempto anno 1547. Claudius paullo post Patavium secessit tum mœroris levandi caussa, quo ob Principis sibi carissimi necem gravissime fuerat affectus; tum valetudinis tuendæ, qua se infirmum esse sentiebat; jamque Romam redierat anno 1549. & Paullus Pontifex, ut quampiam honoris atque amoris significationem Claudio redderet, eum Corcyrensem Episcopum renuntiavit XII. Kal. Septembris ejusdem anni. Hinc a vero abest quam longissime, quod scribit Isidorus Ugurgierius in libro, cui titulus *Pompæ Senenses*, Claudium Episcopum Telonensem creatum fuisse ab Henrico II. Galliarum rege, cui Senensis Respublica animo adhærebat; nam in Gallia sacra a Sammarthanis descripta tres sibi invicem succedunt Telonenses Episcopi ab anno 1524. ad annum usque collati in Claudium Corcyrensis Episcopatus; & vix crediderim, Henricum nominationem tantummodo dedisse pro Claudio, quam ipse respuerit. Exiguum præ Claudii meritis Pontificis munus suo stylo perstrinxit Petrus Aretinus in epistola ad Corvinum communem amicum conquerens, *inutilem Episcopatum* fuisse a Claudio adsumptum; verum is anno proximo possessionem quidem Ecclesiæ sibi concreditæ adivit per suum procuratorem Angelum Gabrielium, quem suum Vicarium generalem constituit, cuique summam rerum gerendarum potestatem tribuit, ipse tamen Ecclesiæ Corcyrensi neque præsentiam unquam, neque suam operam præbuit. Interea anno 1552. in patriam tandem reversus est, & a civibus ingenti cum gaudio exceptus, qui de immutanda Reipublicæ forma cupidi atque solliciti Claudium cum sexdecim ex primoribus viris tanto negotio præfecere; moxque ut adversus Hispanorum præpotentem vim se se defenderent, Claudium ipsum, treisque alios e civitate præclaros ad regem Galliarum legatos miserunt, qui ejus opem atque subsidium pro libertate implorarent. Quo in munere per duos fere annos Compendii commoratus est apud Henricum regem, suaque legatione perfunctus anno 1555. primum Senas, deinde Romam regressus est, ibique anno post 1556. obiit x. Kal. Aprilis, ut tradit Lucas Antonius Rodulfus in suo dialogo *Aretephila* inscripto. Annos vixit tres & sexaginta; qui vero illius mortem in annum 1557. conjiciunt, eos tabulæ Consistoriales falsitatis arguunt, quas infra subjicimus.

Fit Episcopus Corcyrensis an. 1549.

Legatus in Galliam mittitur nomine Senensis Reipublicæ.

Romæ obit an. 1556.

Plura ejus munera atque itinera.

Digitized by Google

Atque hæc ex Exercitationibus Vitruvianis primis Joannis Poleni, qui de Claudio noſtro copioſe eruditeque diſſerit, & impenſam ab illo operam enarrat in libros Vitruvii. Cæterum erat Claudius multiplici doctrina, atque optimarum artium ſtudiis eruditus, Philoſophus idem, Juriſconſultus, & Orator eloquentiſſimus; ſed potiſſimum in Etruſca lingua & poeſi excelluit. Virorum ejus ætatis doctiſſimorum amicitiis claruit; quibuſcum illi fuit aſſiduum litterarum commercium. Ejus Epiſtolæ plenæ eruditionis atque elegantiæ typis ſæpe evulgatæ fuerunt aut ſejunctæ, aut cum aliis illuſtrium virorum literis. Multa ingenii & doctrinæ monumenta, partim oratoria, partim poetica, nitidiſſimo ſermone Etruſco compoſita, reliquit. Academias, ſeu Conventus litteratorum hominum Romæ inſtituit, in quibus cum exercitatione, tum ſtylo lingua Etruſca magis magiſque augeretur & perficeretur. Elucebant in eo tum aliæ virtutes, tum præſertim inſignis animi moderatio; atque ita de ſuis rebus demiſſe atque humiliter ſentiebat, ut Paullo Manutio, ſibi cæteroquin amiciſſimo, diu multumque obſtiterit, ne ſuas Epiſtolas typis committeret, quod eas luce publica non ſatis dignas eſſe exiſtimaret. Huic celeberrimo viro ampliſſima ſingularis doctrinæ & eruditionis teſtimonia præbuerunt nobiliſſimi tum ſuæ, tum poſterioris ætatis Scriptores fere omnes, qui de Etruſco ſermone libros præſertim ediderе.

Ejus ſcripta æque erudita & elegantia.

PETRUS EPISC. CORCYREN. XXI.

Petrus Barbadicus Epiſcopus Corcyrenſis an. 1556.

Patritius Venetus e gente Barbadica. Erat Canonicus Eccleſiæ Patavinæ; ejuſque effigies extat in ſacrario Capitulari, inter Epiſcopos, Cardinales, ſummoſque Pontifices, qui e nobiliſſimo illo Canonicorum Collegio ad ampliſſima quæque, & ſumma Sacerdotia gerenda prodierunt. Inſcriptio eidem appoſita hæc eſt: *Petrus Barbadicus Epiſcopus Curzolenſis, Canonicus Patavinus anno Domini MDXXXIX.* Romæ verſabatur, & locum tenebat inter Præſules honorarios familiares Paulli IV. qui eum ad Epiſcopatum Eccleſiæ Corcyrenſis evexit, ut docent tabulæ Conſiſtoriales: *27. Junii 1556. Providit Eccleſiæ Curzulen. vacanti per obitum Ptolemæi in Curia, de perſona D. Petri Barbarici, Clerici Venetiarum, Sanctit. ſuæ familiaris; ipſumque illi in Epiſcopum & Paſtorem præfecit; cum retentione omnium, & unius Canonicatus Eccleſiæ Paduanæ, quos dictus Petrus tunc obtinebat; quia dixit Sanctiſſimus, quod poſtmodum iſta retentio arbitrio ſuo moderaretur; & cum clauſulis &c.* Anno 1556. nondum ad gubernacula Eccleſiæ ſibi traditæ acceſſerat. Corcyrenſes veriti, ne quemadmodum Marci, & Claudii, ſic etiam Petri præſentia atque opera ſemper, aut diu carerent, Hieronymum Saornianum Epiſcopum Sibenicenſem ad Ædem Cathedralem conſecrandam evocarunt. Hic eorum voluntati morem geſſit; & ſolemni ritu ac pompa, ingenti civium, & advenarum frequentia, & lætitia, dedicationem peregit, quam majores noſtri ſumma religione confici cæremoniaque voluerunt. Tunc januæ maximæ ſub faſtigio Baſilicæ impoſitum fuit ſimulacrum S. Marci Evangeliſtæ, Epiſcopali habitu atque ornatu; & inſcriptio ſubjecta: *D. O. M. D. M. V. DIVOQUE MARCO EVANGELISTÆ SACRUM.* Petrus ſimul atque Epiſcopus creatus fuit, ipſe quoque Angelo Gabrielio munus Vicarii generalis mandavit. Sed hujus mors, quæ in annum 1557. incidit, Vicarii ſolertiſſimi ac vigilantiſſimi operam illi præripuit: quæ cauſſa fuit, ut ad Eccleſiam ſuam proficiſci maturaret.

Anno 1558. Corcyram venit, magna lætitia & gratulatione omnium civitatis ordinum exceptus, quibus perpetuæ, vel diuturnæ abſentiæ metum ademit. Suſcepta adminiſtratione nihil prius ſibi faciendum putavit, quam ut pravas quaſdam conſuetudines aboleret, quæ per incuriam vel abſentiam ſuperiorum Antiſtitum irrepſerant. Id moris jamdudum invaluerat, ut ad infantes e fonte baptiſmatis ſuſcipiendos multi ex utroque ſexu *patrini*, ut vocant, adhiberentur; ex quo fiebat, ut cognatio ſpiritualis inter cives latius in dies propagaretur; nec vero religioni vulgo habebant, qui hujuſmodi cognatione conjuncti eſſent, matrimonio etiam inter ſe conjungi; & ſane pauci erant ſive patricij, ſive cives ſecundi ordinis, ſive plebeji, qui hoc impedimento canonico dirimente illigati non eſſent. Hoc incommodum ut præcaveret, neve pleraque matrimonia irrita eſſent, vetuit Petrus a parentibus plures quam duos *patrinos*, virum ſcilicet ac mulierem, ad baptiſmum ſuorum liberorum adhiberi; Parochos itidem vetuit baptiſmum conferre, ſi plures id muneris præſtandi cauſſa adeſſent; ſecus ſi facerent, hos omni eccleſiaſtica functione & officio, illos ſacrorum omnium communione privavit. Et fortaſſe, cum poſtea interfuit Concilio Tridentino, ipſe præcipuus auctor fuit Patribus Tridentinis, ut idem præſcriberent; nam cap. 2. *Decreti de reformatione Matrimonii* hoc ſtatutum eſt: *Volens itaque ſacra Synodus huic incommodo providere, & a cognationis ſpiritualis impedimento incipiens ſtatuit, ut unus tantum ſive vir ſive mulier juxta ſacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum unus & una baptizatum de fonte ſuſcipiant; inter quos ac baptizatum ipſum, & illius patrem & matrem, necnon inter baptizantem & baptizatum baptizatique patrem & matrem tantum ſpiritualis cognatio contrahatur.*

Poſt biennium ab ſua creatione Corcyram venit.

Ejus decretum de patrinis baptiſmatis.

Nihilo levius peccare Canonicos animadvertit; ſibi enim arbitratu ſuo abeſſe a choro, cum vellent, atque a quotidiana pſalmodia licere putabant; ajebant ſiquidem chori ſingulis diebus adeundi, & cum Clero ſecundi ordinis pſallendi lege duos tantum e Capitulo teneri, ſcilicet Præfectum ſacrarii, & quem vocant *Hebdomadarium*, eum ſcilicet, qui choro præſidendi munere fungitur, ea nimirum, quæ cuique obtigerit, hebdomada, divinæque liturgiæ ac pſalmodiæ peragendæ rationem ſingulis diebus præſcribit. Hanc ab eccleſiaſticis functionibus officiiſque vacationem, quam ſibi vel privilegio quodam, vel conſuetudine, vel denique falſa ſacrorum Canonum interpretatione permiſſam eſſe volebant, Petrus Epiſcopus pro ſui muneris ratione ferendam non eſſe exiſtimavit; nam cultum divinum, Baſilicæ Cathedralis decorem, & populi ad ſacras functiones concurſum ac frequentiam imminuebat. Canonicos itaque, cum ejus benignis admonitionibus & cohortationibus obſequi nollent, primum pœnis pecuniariis in pauperes erogandis ad ſuum munus fungendum compellere ſtuduit. Sed vix pars dimidia Capituli, ne hujuſmodi pœnam ſubire cogeretur, adduci potuit, ut choro ſingulis diebus intereſſet. Deinde vero ad Concilium Tridentinum profecturus cum eſſet, veritus ne propter ſuam ab-

& de Canonicis choro abſentibus.

Digitized by Google

abſentiam divinus cultus magis magiſque negligeretur, ſancivit ac ſtatuit, omnes, qui ſingulis vel aliquibus intra unam hebdomadam diebus abeſſent, quotidianis proximi menſis diſtributionibus privandos eſſe; ſed cum hæc admodum eſſent exiguæ, & parvi fieri contemnique poſſe viderentur, graviori multa abſentes puniri voluit. Siqui ergo ſingulis vel pluribus intra unum menſem diebus officio ſuo & diurnis nocturniſque horis deeſſent, eos decimis omnibus & proventibus mulctavit, quos anno proximo e ſuo quiſque ſacerdotio percipere deberet. Ab hac mulcta & pœna plerique appellarunt; & jus ſuum vel Romæ apud Sedem Apoſtolicam, vel Venetiis apud Pontificium Internuncium perſequi decreverunt. Sed appellationem præoccupavit Epiſcopus, & illis hoc perfugium præripuit. Siquidem a Pio IV. id impetravit, ut pœnas, quas ipſe in Canonicos abſentes conſtituerat, auctoritate Apoſtolica confirmaret. Diploma Pontificium hoc eſt.

Pius Papa IV.

Contra quos obtinet diploma Pontificium.

Ad perpetuam rei memoriam. Regimini univerſalis Eccleſiæ meritis licet imparibus diſponente Domino præſidentes, ad ea, per quæ Eccleſiarum præſertim Cathedralium decori, debitis illarum miniſteriis, & in illis neglecti divini cultus inſtaurationi conſultum eſt, libenter intendimus; & quæ propterea provide ſtatuta fuiſſe dicuntur, ut firma perpetuo, & illibata perſiſtant, cum a nobis petitur, Apoſtolico muniminis præſidio roboramus. Exponi ſiquidem nobis nuper fecit Venerabilis Fr. Petrus Barbadicus Epiſcopus Curzulen. quod dudum ipſe non ſine gravi dolore pluries animadverſiſſet, quod Eccleſiæ Curzulen., cui præeſſe dignoſcitur, dicti filii Capellani, ac Canonici eam, ad quam de jure tenebantur, non faciebant reſidentiam, immo eam penitus abjeciſſent in maximum animarum ſuarum periculum, & dictæ Eccleſiæ dedecus, ac Communitatis hominum Curzulen. mœrorem, ſcandalumque plurimorum non modicum. Et quamvis idem Petrus Epiſcopus tunc perſonaliter reſidens, ſe tamen, præcedentibus quam plurimis admonitionibus, & pœnarum pauperibus applicatarum inflictionibus, vix medietati eorumdem Canonicorum ad reſidentiam hujuſmodi faciendam perſuadere potuiſſe inſpiceret; tandem ad generale profecturus Concilium providere volens, ut ſuo paſtorali incumbebat officio, ne in ejus abſentia divinus cultus in eadem Eccleſia negligeretur, inter alia, ſententia ſua ſtatuit, & determinavit, quod omnes, & ſinguli Canonici præfati, qui per hebdomadam interpellatis, ſeu continuatis vicibus, diurnis nocturniſque horis, ac aliis Divinis Officiis non intereſſent, ac reſidentiam hujuſmodi non facerent, nonnullis tunc ſequentis menſis diſtributionibus privarentur. Dubitans autem ne quamplures Canonici diſtributiones hujuſmodi, quæ minimi valoris exiſtunt, aſpernarentur, ideo eoſdem Canonicos per unum menſem, & interpellatis, ſeu continuatis vicibus non reſidentes, ne anni ſequentis decimarii tam grani, quam vini, quod a Canonicatibus, præbendis eſt ſegregari, participes eſſe poſſent, effecit inhabiles. Et quidquid non reſidentes amitterent, in reſidentium beneficium cedere voluit, ac alias; ut in ſententia, ſeu determinatione hujuſmodi, aut inſtrumento, ſeu aliis ſcripturis plenius continetur. A qua quidem determinatione nonnulli ejuſdem Eccleſiæ Canonici quodam aſſerto ſtatuto hebdomadarium, ac ſacriſtam Eccleſiæ hujuſmodi ad reſidendum duntaxat, ut prætenditur, aſtringente ſuffulti, appellarunt; ipſamque Eccleſiam non ſine plurimo Civitatis, ac populi Curzulen. murmure, ac ſcandalo reliquerunt, ac appellationem prædictam proſecuti ſunt, ſeu proſequi ſe velle aſſerunt. Quare pro parte dicti Petri Epiſcopi nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſtatuto ab eo ut præfertur edito, & ſuæ ſententiæ lata, aut determinationi facte in Divini cultus augmentum tendenti, pro firmiori illius ſubſiſtentia, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, ac alias, in præmiſſis, opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui Eccleſias continua miniſtrorum ſuorum reſidentia, ut par eſt, decorari deſideramus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati ſtatutum, ſeu ſententiam aut determinationem per Petrum Epiſcopum, ut præfertur, factam hujuſmodi, ac prout illud, ſeu illam concernunt, omnia, & ſingula in inſtrumento, vel ſcripturis prædictis contenta, & inde ſecuta quæcumque, licita tamen & honeſta Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo approbamus, ac confirmamus, illiſque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus; ac omnes, & ſingulos tam juris, quam facti, & ſolemnitatum etiam ſubſtantialium forſan omiſſarum defectus, ſi qui intervenerint, in eiſdem ſupplemus; illaque perpetuo valida, & efficacia fore, & eſſe, & ſuos plenarios effectus ſortiri; nec non per eoſdem Canonicos, alioſque omnes, & ſingulos, quos illa quomodolibet concernunt, & concernent in futurum, perpetuis futuris temporibus inviolabiliter obſervari debere, ac eoſdem Canonicos, & alios, quorum intereſt, ad id ſententiis, cenſuris, ac pœnis eccleſiaſticis aliiſque juris, ac facti remediis opportunis cogi & compelli poſſe. Sicque per quoſcumque judices, ac commiſſarios, quavis auctoritate fungentes, & cauſarum palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter attemptari contigerit, irritum, & inane decernimus. Et nihilominus Venerabili Fratri Epiſcopo Muranenſi, Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali auditori, ac dilectis filiis Venerab. Fratrum Archiepiſcopi Raguſinen. & Epiſcopi Stagnen. in ſpiritualibus Vicariis generalibus per præſentes committimus, ac mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, eidem Petro Epiſcopo in præmiſſis, efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes litteras, ac in eis contenta quæcumque firmiter obſervari, ac eumdem Petrum Epiſcopum illis pacifice frui, ac gaudere, & non permittent dictum Petrum Epiſcopum deſuper contra præſentium tenorem quomodolibet indebite moleſtari, contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, ac alia opportuna juris remedia, appell. poſtpoſita, compeſcendo; invocato & ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus, ac ordinationibus Apoſtolicis, ac pretenſo aſſerto hebdomadarium, ac ſacriſtam præfatos ad reſidentiam tantum aſtringente, ac quibuſvis aliis dicta Eccleſiæ juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, ac conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, ac litteris Apoſtolicis Eccleſiæ & Capitulo conceſſis, ac Canonicis, aliiſque perſonis prædictis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſ-

bus vis derogatarum derogatoriis aliisque efficacioribus ac insolitis clausulis irritantibus, ac aliis decretis etiam iteratis vicibus quomodolibet concessis, approbatis, ac innovatis.

Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret; tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac forma in illis tradita observata, inserti forent præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus ceteriisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXVII. Augusti MDLXI. Pont. Maximi anno secundo.

Maria Angelus Spatha.

Petrus interest Concilio Tridentino.

Antequam in Italiam ad Concilium Tridentinum evocatus proficisceretur, alia præterea pie sapienterque decrevit sive ad populi mores corrigendos, sive ad disciplinam clericalem restituendam & stabiliendam. Anno igitur 1562. cum Pius IV. Concilium Œcumenicum intermissum intra finem anni 1560. Tridentum revocasset, Corcyra discessit, & Venetias transvectus inde Tridentum se contulit. Si non prioribus anni 1562. certe reliquis omnibus Patrum Tridentinorum conventibus, sive sessionibus interfuit; actaque & decreta omnia suo chirographo subscripsit, & confirmavit. In Catalogo Antistitum, qui Concilio Tridentino interfuerunt, *Petrus Barbaricus* Venetus Episcopus Curzolensis numeratur inter Episcopos Paulli IV. Sub finem Concilii Venetias se retulit; ibi dum esset, litteras a Pontifice accepit, quibus monebatur de quibusdam pravitatibus & vitiis, queis laborabat Ecclesia Corcyrensis, corrigendis & reformandis ad eam normam, quæ in Decretis Tridentinis sancita fuerant, Has ille litteras misit ad suum Vicarium generalem; eique simul modum & rationem præscripsit, quam adhibere oportebat, ut quæ Pontifex corrigi jusserat, ea leniter ac pedetentim sine offensione cujusquam emendari & aboleri possent. Anno 1564. onus Episcopale, cum sibi gravius videretur, quam ut valetudine male affecta posset suis humeris ac viribus sustinere, sponte deposuit. Reliquam vitam, alienis & multiplicibus curis abjectis, sibi atque æternæ saluti vacans tranquille pieque transegit.

Venetiis Episcopatum dimittit.

Carolus Cardinalis Borromeus de Corcyrensi Ecclesia per legitimam abdicationem Petri Barbadici vacante, ac de substituendo in ejus locum Benedicto Eremita Ordinis Camaldulensis ad Pontificem & Senatum Cardinalium retulit, ut constat ex ejus Epistola ad N. N. Cardinalem, in qua de statu, & proventibus ejusdem Ecclesiæ pauca subiecit.

Carolus Card. Borromeus Benedictum eligendum Epis. Corc. curat.

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

Ego Carolus Card. Borromeus proponam in proximo futuro Consistorio Ecclesiam Corzulen. per cessionem R. D. Petri Barbadici Episcopi Corzulen. in favorem R. & Religiosi viri Fratris Benedicti ord. Camaldulen.

Civitas Corzulen. est in Dalmatia & in insula Corcyra nigra nuncupata posita, mœnibus cincta.

In ea est Cathed. Ecclesia sub invocat. S. Mariæ, in qua sunt duæ dignitates, videlicet Archidiaconus & Propositus, ac octo Canonici. Habet sacristiam omnibus necessariis ornatam.

Episcopus habet domum episcopalem.

Est ipsa Ecclesia suffraganea Archiepiscopi Ragusin. habet diœcesim, cujus fines cum insula terminant.

Fructus mensæ Episcopalis ascendunt ad valorem annuum trecentor. Ducat. monetæ Venetæ. Sunt taxati in libris Cameræ ad florenos quadraginta sex cum duobus tertiis.

Causæ ob quas ipse D. Petrus Episcopus ad dictam Ecclesiam accedere & oneri sibi injuncto incumbere non potest, sunt hæc. Idem D. Petrus Episcopus a septem annis citra laboravit, prout laborat capitis vertigine & doloribus colicis ac calculo, & clima, ubi sita est dicta Civitas, est complexioni ipsius D. Petri Episcopi nocuum ita ut absque periculo vel apud ipsam Ecclesiam manere non potest.

Ipse Frater Benedictus habet omnia a Sacris Canonib. & Trident. Synodo requisita, & ut talis a suis superioribus approbatus extitit.

Supp. SS. D. N. ut velit cessionem hujusmodi admittere, & ipsi Eccl. de ipsius Fratris Benedicti pers. providere.

BENEDICTUS EPISC. CORCYREN. XXII.

Benedictus Lauretanus Episcopus an. 1561.

Illustri genere Venetiis natus ex familia Lauretana patricia, qui, opulenta domo, & parentibus relictis, uni Deo serviendi studio, & religiosæ solitudinis desiderio captus, ad Monachos Eremitas S. Romualdi transfugit, seque totum eis in disciplinam tradidit anno 1556. die XII. Februarii in Patavina eremo Rhuensi, magistro ac duce B. Hieronymo Suessano ejusdem eremi conditore, ut perhibent ad hunc annum Annales Camaldulenses, & Codex quidam Eremi Patavinæ. Post vitam maxima ex parte piis & laboriosis exercitationibus exactam tanta increbuit ejus sapientiæ, & sanctitatis fama, ut anno 1559. die XI. Decembris ad Venetum Patriarchatum postulatus fuerit; quod iidem Annales memoriæ prodiderunt ad an. 1554. & cum jam septuagesimum ætatis annum attingeret, Pius IV. eum ex eremo ad regendam Ecclesiam Corcyrensem evocavit, ut, quæ sibi præsidia divinarum virtutum & charismatum acquisierat, ea in communem utilitatem conferret, & Episcopum declaravit anno 1564. XIV. Kal. Junii; in laudatis tamen Annalibus is annus haud recte consignatur 1565. Corcyram profectus ab diœcesi lustranda initium fecit administrationis Episcopalis. Ecclesias urbanas invisit, ac diligenter altaria, supellectilem, ornamenta inspexit, & cultum divinum, ubi opus esset, in pristinum nitorem restituit. Totam insulam peragravit, salubberrimis ubique decretis ac præceptis ad honeste pieque vivendum Clero & populo relictis. Post lustrationem peractam Synodum indixit; sed necessitas Venetæ profectionis, quam illi nec opinanti quædam Ecclesiæ suæ negotia in illa urbe expedienda injecerant, Synodum differre in aliud tempus coegit. Antequam discederet, concione in Ædem Cathedralem convocata, gravissimam orationem habuit, qua omnes ad salutarem Dei metum, æternæque vitæ cogitationem excitavit, ac præsertim ad pacem inter se colendam, & concordiam servandam cohortatus est. Neque inutilis fuit Capitulo & Clero absentia Episcopi, & Veneta commoratio. Dum Venetiis esset, Selimus

Ejus præclara gesta.

Venetias abit.

Rex

Bellum Turcicum.

Rex Turcarum Cypri insulæ nobilissimæ & opulentissimæ adipiscendæ cupiditate instinctus bellum Venetis intulit anno 1569. Pius V. permotus magnitudine periculi, & impensarum, quæ in bellum fieri oportebat, Venetis petentibus potestatem fecit tributi extraordinarii, nomine subsidii, Clericis Venetæ ditionis imperandi. Ut Clerus Corcyrensis ejusmodi tributo eximeretur, plurimum valuit præsentia atque opera Benedicti Episcopi. Duobus Patriarchis Veneto & Aquilejensi, quibus negotium datum fuerat, ut subsidium imperatum exigerent, diligenter exposuit, quam exigui ac tenues essent proventus ecclesiastici Corcyrenses, & quantum detrimenti cepisset ex recenti incursione Turcarum, qui e Castronovo, sinuque Catharensi transvecti, post Blattam oppidum & pagum direptum magnam insulæ partem cædibus, incendiis, rapinis fœde vastaverant. Facile igitur ab utroque Patriarcha impetravit, ut Canonicis & Clericis Corcyrensibus ab eo tributo immunitatem darent, neve illorum Sacerdotiis quidquam oneris imponeretur.

Dum bellum Cyprium fervebat, classis Turcica Aphricana, ductore Ulaziali regulo Algerii, in Adriaticum transgressa terrorem & stragem late circumferebat. Jam Olchinium, & Antibarium ceperat, Butuam a civibus desertam diripuerat, & omnem illam Dalmatiæ oram depopulata fuerat. Corcyrenses barbarorum adventantium fama exterriti, atque animis consternati fugam parabant. Civitas nuda erat præsidiis ac defensoribus, bellicis instrumentis & commeatibus propemodum vacua: omnia intus erant plena pavoris ac tumultus, & prope aberant a desperatione. Comes, seu Prætor eodem, quo cæteri, metu perculsus, per speciem auxilii petendi, Jaderam profugerat; & primores civium partim abierant, partim consilium abeundi cœperant. Jam classis Turcica erat in urbis conspectu; cum rebus afflictis ac ferme perditis supervenit Antonius Rosaneus Archidiaconus, vir strenuus, magni animi, & plenus consilii, qui increpando hortandoque fugientes revocavit, reliquos a fuga continuit; & cum sago commutata toga ecclesiastica, omnibus se ducem ad patriam tuendam præbuit. His vocibus, & præsertim exemplo viri fortissimi, patriæque amantissimi omnes excitati arma capiunt, mœnia conscendunt, parati promptique ad omnia pro sua & suorum libertate ac salute subeunda. Haud diu expectandum fuit, dum hostes propius accederent, & anchoris positis, naves terræ applicarent. Parte copiarum exposita, & loco castris idoneo capto, urbem terra marique, omni telorum genere oppugnare cœperunt. Vix ducenti erant armis ferendis & tractandis apti, qui hostiles impressiones sustinerent, ac repellerent, sed obstinaverant animis vincere, aut mori, neque antea stationem cuique traditam deserere, quam vitam amittere. His non solum sua præsentia, suisque cohortationibus animos addebant, sed etiam, quæ poterant, subsidia ferebant senes invalidi, mulieres, pueri puellæque; tela propugnantibus ministrabant, excubias agebant, cibaria, sulphureum pulverem, glandes plumbeas ad mœnia comportabant, denique nulli parcentes labori, omnia, quæ per ætatem, vel sexus imbecillitatem poterant, opera militaria impigre exsequebantur. Utrinque contentione magna gerebatur res; nec Turcæ invadendi oppugnandique urbem, nec Corcyrenses, Rosaneo hortatore ac duce, repugnandi ac repellendi hostes modum ullum faciebant; ut locus nullus, aut punctum temporis obstinatis certaminibus vacaret. Ad hostes deterrendos tale commentum excogitarunt, quo illis spem urbis potiundæ adimerent. Dum acrius pugna fervebat, quotquot erant in urbe mulieres, hominesque senes, ac pueri, galeis, loricis, cæteroque militari ornatu induti, jubentur mœnia scandere, seque dare in conspectum hostilis exercitus, qui spem omnem rei bene gerendæ in paucitate armatorum posuerat; cum in ea repentina urbis aggressione milites conscribendi, & auxilia contrahendi spatium nullum dedisset. Visa ergo tanta multitudine armatorum, Ulazialis animum despondit; & cum urbem intra paucos dies, ut sperabat, & sine magno labore & periculo obtineri posse diffideret, ne tempus rebus majoribus gerendis idoneum tereret, militibus in naves impositis, altero, quam appulerat, die classem abduxit. Corcyrenses illæ mulieres virili habitu indutæ, armataeque, cum cætera imbellium puerorum ac senum turba, e mœnibus in hostium conspectum objectæ, ad terrorem incutiendum, fabellæ non illepidæ argumentum dederunt ad hunc modum contextæ: Civitatem non solum prælidio militum prorsus destitutam, sed a viris omnibus, quos pavor in fugam consternaverat, omnino desertam, & solas fœminas relictas fuisse; quæ muliebris imbecillitatis oblitæ, virili æque animo, atque habitu sumpto, suis corporibus oppositis, hostium impetus, ac telorum procellam impavidæ sustinuerunt; & oppugnantibus summa contentione resistendo, pilis, saxis, missilibus cujusque generis in eos ejaculandis, ita barbaros fatigarunt, ut eos obsidione abscedere coegerint. Res non solum vulgo credita fuit, sed etiam scriptorum litteris celebrata; nec defuerunt, qui mulieres Corcyrenses cum antiquis Amazonibus compararent. Factum singulari commemoratione dignum, si veritati consentiens fuisset, silentio prætereundum non putasset Antonius Rosaneus, qui urbis defensioni, rebusque omnibus gerendis non interfuit solum, sed etiam præfuit, ac totius rei gestæ narrationem scriptis mandavit; quam quidem narrationem integram nancisci cum mihi non licuerit, pauca ex ea, quæ habeo, fragmenta hic subjicio.

Corcyræ oppugnatio.

Barbari ab urbis oppugnatione depulsi.

Urbis oppugnatæ & classis Turcicæ repulsæ narratio, Antonio Rosaneo auctore.

Hostiles triremes confertæ, impetu ventorum, remigum nixu actæ, celerrimo cursu advolant sub ipsa mœnia (Corcyræ) *ad ictum bombardæ ... mox cum viderent in se a nostris* (Corcyrensibus) *emittere ex tormentis ignivomis pilas, auditus est simul clamor virorum, clangor tubarum, crepitus sclopetorum, & tonitrua bombardarum. Tum glandulæ minores in muros, & parietes, & tecta domorum grandinis more resonabant, sagittæ autem imbrem imitabantur. Pilæ autem ferreæ.... librarum concutiebant ædificia; ex mortariis quoque triplo majores lapideæ pilæ, admodum noxiæ veniebant, nec missilia umquam cessabant.... Nos Dei munere servati, licet in ipso prælii ineundi principio pavidi & perterrefacti, & quidam etiam tremantes videremur, tamen postea cepta pugna adeo alacres evaseramus, ut spiritu quodam divino vires nobis auctas nos ipsi admiraremur. Erat videre senes etiam octogenarios discurrere, hortari, tela ministrare, juveniliaque opera, tamquam robustiores exercere. Mulieres non amplius pavidæ, muliebri more se in luctum dabant, sed audacter*

dacter arma tractabant; puellæ solitæ ad auram trepidare, armis ministrandis undique accurrebant, pueri atrocitate quadam, præter ætatem, hostibus erant damno & formidini; viri tandem, qui in urbe superarant, ingenti fortitudine munia obibant, nullas vitantes vices, nec ulli parcentes labori.... Tum militari more gradientes tam viri & pueri, quam mulieres ac puellæ indumentis virilibus indutæ, omnes armati, ita ut speciem præberemus plurium quam mille armatorum &c. quorum scilicet numero ac specie hostes perterriti abscesserunt.

Victoria Corcyrensium incidit in diem 15. Augusti,

Victoria Corcyrensium, & depulsio Turcarum ab urbe atque insula in annum incidit 1571. diemque decimum quintum Augusti, uno mense, & viginti ac duobus diebus ante celeberrimam illam navalem victoriam, quam Christiani fœderati ad Naupactum, Corinthici sinus oppidum, de Rege Turcarum reportarunt. Illum diem, sublatæ in Cœlum Deiparæ sacrum, Corcyrenses summa religione, grata piaque recordatione singulis annis concelebrant propter hanc memorabilem victoriam, quam secundum Deum ipsimet Sanctissimæ Dei Genitrici acceptam referunt, cujus opem auxiliumque imploraverant. Nam simul atque de Turcica classe appropinquante fama percrebuit, supplicationem ad ædem urbanam B. Mariæ Virginis, cui a *Salizzo* cognomen est, instituerant, eique patriæ tutelam, communem salutem ac libertatem commendaverant. Franciscus Gonzaga Minister Gen. Ord. Franciscani in suis Commentariis, *De Origine Seraphicæ Religionis, ejusque progressibus*, auctor est e scopulo, qui ab urbe tribus fere mille passibus in ortum distat, ubi Templum & Cœnobium Franciscanum, Turcicæ obsidionis periculo jam imminente, a Patribus illis duas thaumaturgicas effigies, quæ ibidem coluntur, alteram Christi in Cruce morientis, alteram Augustissimæ Virginis Deiparæ, allatas fuisse, ut civitati, ad barbaros repellendos, auxilio essent ac præsidio: *Summa veneratione*, inquit, *feruntur Curzolani in duplicem Franciscanorum Imaginem. Altera quidem est glorioſissimæ Virginis Mariæ, altera dilectissimi ejus Filii Cruci affixi. Vigente bello Turcico, in Civitatem utraque deducta est pro securitate. Accidit, ut instante hoste, quotquot essent Curzolani homines, relictis mulieribus, atque deserta Civitate, fugam capesserent: quo tamen eventu eorum fœminæ nihil magis territæ, ac totam spem in hujusmodi imaginibus ponentes, tanta constantia, tantisque viribus, Turcis restitere, ut illos loco cedere, atque pedem referre coegerint; nec non gloriosam de illis victoriam retulerint. A quo etiam tempore Curzolanis religio ad hujusmodi imagines mirum in modum accrevit.*

Spolia hostium in Æde Cathedrali affixa,

Corcyrenses victoriæ partæ, & barbaricæ oppugnationis divinitus repulsæ ut monumentum apud posteros extaret, aliquot pilas seu globos ferreos in Basilica Cathedrali, ad sempiternam memoriam, parieti affixos, sive e tholo suspensos, in perpetuum esse voluerunt. Additus est titulus accepti a Deo ac Deipara beneficii testis. Duo mihi sunt hujus tituli exempla; & cum alterum ab altero haud paucis versiculis diversum esse appareat, utrumque hic apponendum censui.

Virginis a partu quingentis mille peractis
Et decies septem proximus annus erat.
Ære pilis nequicquam Ulazelinus adactis
Disjecta hinc pulsus per mare classe fuit.

eisque duplex titulus additus.

Gesta die res est, quo Virgo ascendit olympum:
Urbs memor hæc Divæ parta trophæa dicat.

In altero exemplo fit mentio illius victoriæ, quam de classe Neapolitana ante annos fere centum Corcyrenses, D. Bartholomæo Apostolo opitulante, reportarunt.

Virgo tuo a partu quingentis mille peractis
Et decies septem proximus annus erat.
Lux quoque fulgebat, qua Cœlum invecta petisti,
Cum bene res cessit numine gesta tuo.
Inter mille rates sospes Corcyra Melæna,
Ulazeli pulso, parta trophæa dicat,
Tu nos servasti, servaras ante parentes
Cum stetit in nostram Bartholomæus opem.
Nos tibi commendat Marci tutela Beati,
Et prece Cœlitum perge fovere tuos.
In te spes nostra est, per te tibi vicimus usque,
At sine te ruimus; semper adesto tuis.

Nuncius obsessæ vehementerque oppugnatæ Corcyræ Venetias cum veniſſet, ingenti sollicitudine ac mœrore Patres effecit; sed mox alter nuncius Civitatis strenue defensæ ac liberatæ, classisque Turcarum repulsæ, superveniens gaudium insperatum attulit, metumque ac sollicitudinem discussit. Aloysius Mocenicus Dux Venetiarum amantissimis litteris inscriptis *spectabili Communitati Curzulæ, charissimæ, & fidelissimæ nostræ*; fidem, constantiam, virtutem eximiam Corcyrensium collaudavit; qui, quamvis numero & viribus longe inferiores, hostem tamen potentissimum depulissent ac vicissent, & patriam sibi, urbem nobilissimam Reipublicæ conservassent: illustris & pulcherrimi facti memoriam nulla posteritatis oblivione abolendam esse; sibi & patribus curæ futurum, ut quidquid ad decus illorum, præsidium, utilitatem pertineret, vel ipsi peterent, prolixe & cumulate præstarent. Alteras litteras dedit ad Angelum Trivisanum, qui in locum Comitis absentis suffectus, titulum Vicecomitis gerebat. Illius vigilantiæ, & solertissimæ curæ Civitatem atque insulam magnopere commendat, ut nullum erga illas optimi atque amantissimi Rectoris ac patris officium ab se desiderari patiatur. Corcyrenses certiores facere jubet summæ benevolentiæ & gratiæ, quam pugnando pro patria, ac teterrimo communi hoste repellendo promeriti fuerint apud Senatum, a quo suis commodis ac rationibus nihil subsidii atque adjumenti defuturum pro certo haberent; impunitatem non fore ignaviam Prætoris, qui eos in maximum discrimen adductos deseruerat. Ducenos milii, centenos fabæ modios Venetiis submissum iri, quos magistratus Communis Corcyrensis in pauperes erogarent.

Litteræ Ducis Venetorum ad Corcyrenses, atque ad Angelum Trivisanum Vicecomitem.

Benedicto Episcopo Venetiis commoranti quantum metus ac doloris incussit gravissimum periculum, in quo Civitas & Ecclesia Corcyrensis versabatur, tantumdum lætitiæ, & hilaritatis paullo post attulit nuncius solutæ obsidionis, & potentissimi hostis Corcyrensium virtute propulsi, reddiæque urbi pristinæ tranquillitatis. Nullam moram interposuit, quin immo statim ad gregem suum revisendum, & sua præsentia consolandum Venetiis discessit. Ejus adventus & conspectus incredibili gaudio cives affecit, omnemque præteritæ calamitatis mœrorem absterſit. Ille adhuc pavidos, & recentissimi periculi recordatione obrutos ac jacentes erexit, afflictos & perditos tum blanda oratione, tum quibuscumque potuit subsidiis recreavit; & partam victoriam, patriamque ser-

Reditus Benedicti Episcopi.

va-

vatam incolumem gratulatus, ad gratias Deo ac Deiparæ ſoſpiti maximas agendas eorum animos excitavit. Id unum ſibi dolere affirmabat, quod cum illis diſcriminum & laborum ſocius ac particeps eſſe non potuerit. Ecce autem nova calamitas, hoc exitialior quo latius diffuſa, quæ Benedictum, ut ſe antea optaſſe ajebat, in partem ac ſocietatem communium malorum vocavit. Poſt diſceſſum Turcarum vix unus menſis interceſſerat, cum atrox morbi vis, contagione vulgata, totam inſulam pervaſit; & cum in villis oppidiſque, tum in Civitate magnas edebat ſtrages civium atque incolarum. Hæc nobilem campum aperuit, in quo charitas Epiſcopi excurrere, exercerique poſſet. Neque ille oblatam ſibi occaſionem amantiſſimi ſui gregis ſolandi juvandique prætermiſit. Nulla ſalutis ac vitæ propriæ ratione habita, omnibus, quibus potuit, & omnia quæcumque potuit ſubſidia humana pariter ac divina impertire non antea deſtitit, quam priſtina Civitati ſanitas reddita fuit. Eo potiſſimum auctore Civitas de communi conſilio votum D. Roccho nuncupavit; ejuſque imploratum auxilium peſtilentiam diſcuſſit. Hæc claras juxta, & obſcuras, nobiles ac plebejas domos depopulata, præter plebem, civium & nobilium quamplurimos abſumpſit, quorum corpora illata ſunt in commune cœmeterium intra Ædem Cathedralem, ab ea parte, quæ in Auſtrum ſpectat. Peſtilentia depulſa, magiſtratus publicæ valetudini tuendæ præpoſitus juſſit omnia illa ſepulchra, in quibus humata fuerant cadavera lue infecta, ferreis laminis occludi, & plumbo rimas omnes diligentiſſime obſtrui, ne quis inde peſtilens halitus efflaretur. Tabulatum etiam ex aſſeribus ſuperpoſitum fuit, quo totum cœmeterium obtegitur, ne umquam in poſterum reſerari poſſet. Alterum, quod erat ſub dio, ſepulchretum Baſilicæ adjacens, & plebejis corporibus humandis addictum effoſſis crematiſque cadaveribus purgarunt, & muro circumdatum, tectoque coopertum adjungi annectique ad ipſam Baſilicam voluerunt, quæ hujus ædificii acceſſione, quamvis de ordine ac venuſtate veteris architecturæ aliquantum amiſerit, tamen in latitudinem crevit; cùm antea paullo anguſtior eſſet pro civium numero & frequentia. Ibi & locus cuique datus eſt, in quo ſibi quiſque, ac ſuæ familiæ ſepulchrum pararet; & Ara exſtructa eſt Divo Roccho Soſpiti, quam pro peſte avertenda voverant, ut declarat inſcriptio: *Ex Voto Civitatis, ob memoriam ſalutis receptæ, anno Domini* 1571. Sunt qui tradunt peſtem hanc antea exortam & extinctam, quam Turcæ Corcyram oppugnarent.

Peſtilentia Corcyrenſis.

Votum Divo Roccho pro incolumitate.

Cœmeterium intra Ædem Cathed. obſtructum.

Ara D. Roccho exſtructa.

Proventus eccleſiaſtici, ſive propter incuriam, & neglectam terrarum cukuram, ſive propter vaſtitatem, quam Turcæ, non ſemel inſulam depopulati, villis, agris, vineis intulerunt, adeo decreverant, vix ut tercentos & viginti argenteos menſæ Epiſcopali, & Capitulari ſuppeditarent. Ut ſuæ, & Capituli clerique egeſtati conſulerest Benedictus, Venetias iterum ſe contulit, ut ſubſidium e publico ærario conferendum a Veneta munificentia & pietate poſtularet. Sed morte præreptus, id, cujus cauſſa venerat, efficere non potuit. Illud etiam moliebatur ad ſublevandam Eccleſiæ ſuæ inopiam, ut hæc rurſus conjungeretur cum Eccleſia Stagnenſi, hujuſque reditus ad ſe derivaret. Sed ne hujuſmodi conjunctio redintegraretur, Stagnenſes pariter & Raguſini obſtiterunt; hi quidem, quod nollent peninſulam ſuam Stagni ſubjectam eſſe Epiſcopo alienæ ditionis; illi vero, quod ſibi non conduceret proventus Eccleſiæ ſuæ alio diſtrahi, atque aſportari.

Benedictus, ut menſæ Epiſcopalis, & Capitularis inopiam ſublevaret, efficere non potuit.

In codice Rhuenſi jam laudato & an. 1600. deſcripto dicitur Benedictus Corcyræ obiiſſe, ubi in Cathedrali Eccleſia tumulatus miraculis & pia populi frequentia ad ejus expetendum patrocinium inclaruit. De illo hæc præterea memoriæ prodiderunt Annales Camaldulenſes ad an. 1562. *Factus Epiſcopus nil prorſus remiſit de auſteritate incommodiſque vitæ eremiticæ, quibus adjunxit ſancta pietatis exercitia, zelumque incredibilem animarum ſibi commiſſarum; miraculis inſuper claruit tum in vita, tum poſt obitum, ob quæ populi ejus inſulæ ipſum ut ſanctum a die defunctionis venerantur. Patriarcha Venetus Joannes Theupulus in primo indice Sanctorum & Beatorum Venetorum titulum Beati eidem attribuit.* Fateor tamen nihil ejuſmodi in monumentis Corcyrenſibus reperiri, ex quibus cognoſcimus Benedictum non deceſſiſſe Corcyræ; nam in tabulario Corcyrenſium Canonicorum extat hoc decretum: *die.... Cum denunciata eſt, publica fama præcedente, ac per litteras nonnullas e Venetiis mors bonæ mem. Reverendiſſimi in Chr. P. & Domini Benedicti Lauredani Epiſcopi Curzolenſis meritiſſimi, Rev. D. Nicolaus Paus Præpoſitus & Canonicus major Reverendi Capituli Curzolen. mandavit Rev. Presbytero D. Hieronymo Baraniſio Sacriſtæ citari Rev. Dominos Canonicos ad ſe Capitulariter congregandos pro creando Rev. Domino Vicario Capitulari ſede vacante, & Oeconomos ad ſpolia Epiſcopatus juxta ſolitum.* Hinc conjicias illum Venetiis fortaſſe vita defunctum; & anno quidem 1573. quippe hiſtoria quædam manu deſcripta, quæ in Cœnobio Badienſi prope Corcyram ſervatur, narrat, Vicarium *Capitularem* exiguo temporis ſpatio hoc munus egiſſe, & ſucceſſorem Benedicti die *Julii* 17. an. 1573. Corcyrenſis Eccleſiæ Epiſcopum renunciatum fuiſſe; ſed Julio menſi præcedens Junius ſubſtitui debet, ut ferunt Acta Conſiſtor.

Benedicti Ep. obitus.

Benedicto in ſedem Corcyrenſem Scriptores Dominicani ſubſtituunt F. Angelum de Spalato, de quo Vincentius Maria Fontana in Theatro Dominicano: *P. F. Angelus de Spalatro ex provincia Dalmatiæ, Curzulenſis Epiſcopus creatur a Gregorio XIII. die Mercurii* 17. *Julii an.* 1573. *Ex Act. Conſiſtorial. ejuſdem Pontificis.* Verum, cum in Tabulis Conſiſtorialibus F. Auguſtinum eodem anno 1573. & die 17. non Julii, ſed Junii Epiſcopum Corcyrenſem renunciatum inveniam, vix mihi dubium eſſe poteſt, quin vel unus idemque ſit Epiſcopus, cui duplex nomen & Angeli, & Auguſtini fuerit, vel erraverit Fontana, qui Auguſtino nomen Angeli affinxit; ut certe erravit, cum ejus Epiſcopalem creationem, Junio menſi affixam, in menſem Julium rejecit. Itaque Angelo prætermiſſo, ſive alius fuerit ab Auguſtino, ſive idem ſub duplici nomine Epiſcopus Benedicto Lauretano ſucceſſit

F. Angelus de Spalato quis fuerit?

AUGUSTINUS EPISC. CORCYR. XXIII.

Auguſtinus Epiſcopus Corcyrenſis ex Ordine Prædic.

Honeſto loco natus eſt in pago vallis Politienſis, quam Polizzam vocant, ſitaque eſt in diœceſi Spalatenſi. Ei cognomen fuit Quinctio. Vel a puero ſummam ſpem & animi, & ingenii afferebat. Vix e pueritia exceſſerat, cum in

in ſanctiſſimam B. Dominici ſodalitatem nomen dedit; & tyrocinio confecto, ſtudiorum cauſſa miſſus fuit Romam, deinde Bononiam. In utriſque diſciplinis, philoſophicis, & theologicis tantos progreſſus fecit, ut evolare, non excurrere videretur. Magiſter Generalis totius Ordinis ex clariſſima Juſtiniana gente, indole adoleſcentis, ingenio, doctrina mirifice delectatus, Auguſtinum magni faciebat, & ſummopere amabat. Cum in eo jam eminerent indicia maturæ prudentiæ, & ſolertiæ rerum agendarum, vix ſtudiorum curſum confecerat, cum illum ad magiſtratus, & præfecturas cœnobiorum gerendas adhibuit. Anno circiter 1563. Rectorem præfecit Cœnobio Dominicano Chienſi in inſula maris Ægæi; quæ inſula cum erepta Genuenſibus in poteſtatem Turcarum veniſſet, ipſe captus eſt, abductuſque Conſtantinopolim. Tres annos in captivitate Turcica exegit, quos ne ſibi otioſi, ab omnique ſtudio & actione vacui effluerent, tum in captivis juvandis, ſolandis, retinendiſque in fide Chriſtiana, tum in addiſcendis linguis Arabica & Turcica impendit; antea vero Græcam vulgarem apud Chienſes didicerat. Poſt triennem captivitatem ipſemet Magiſter Generalis Ordinis Prædicatorum haud exigua pecunia e ſervitute redimendum curavit; & Cœnobio Neapolitano S. Catharinæ Rectorem præpoſuit, eidemque titulum honorarium Præſidis provinciæ Dominicanæ Palæſtinæ contulit. His magiſtratibus & muneribus perfunctum, ſibi ſocium, conſiliarium atque adjutorem in rebus decernendis ac regendis eſſe voluit. Neque illum ab ſe dimittere ſtatuerat, cum ipſe in Collegium Cardinalium cooptatus fuit; ſed Jacobo Fuſcareno imperatori claſſis Venetæ Auguſtinum petenti, ut ſibi a confeſſionibus eſſet, eum negare non potuit. Poſtea vero Gregorius XIII. illum vel invitum, & præ ſtudio religioſæ humilitatis ab eccleſiaſticis dignitatibus admittendis alienum (multas enim jam reſpuerat) Epiſcopatum Corcyrenſem pro imperio quamvis renuentem ſuſcipere coegit. *17. Junii 1573. providit Eccleſiæ Corcyræ Nigræ, ſive Curzulen. in dominio Venetiarum per obitum Benedicti ultimi Epiſcopi vacanti de perſona Religioſi viri F. Auguſtini de Spalato ord. Prædicatorum a ſuis ſuperioribus commendati &c. ipſumque dictæ Eccleſiæ in Epiſcopum præfecit cum decreto, quod ante adeptionem poſſeſſionis fidem profiteatur &c.*

Ejus de templorum reverentia ſollicitudo.

Sumpto Epiſcopatu, nihil habuit antiquius, quam ut decorem domus Dei, & ſanctitatem ab omni violatione vindicaret. Animadvertit laicos homines tantum ſibi licentiæ vel potius audaciæ tribuere, ut non vererentur in æde ipſa cathedrali, perinde ac ſi eſſent in foro aut alio profano loco, otioſe inambulare, huc illuc diſcurrere, & confabulari voce adeo plena & libera, ut pſalmodiam interturbarent, ac divinis laudibus obſtreperent. Hanc irreligioſam & intolerandam licentiam edictis pœniſque graviſſimis deterruit, compreſſit, & funditus ſuſtulit, ſuam ac debitam ſacris locis ac rebus divinis reverentiam reſtituit.

Auguſtini Valerii Apoſtolici viſitatoris decreta pro Eccleſia Corcyrenſi.

Anno 1579. Auguſtinus Valerius Epiſcopus Veronenſis, cui Gregorius XIII. luſtrationem Apoſtolicam Dalmatiæ Venetæ demandaverat, ut eccleſiaſticam diſciplinam, ſicubi collapſa eſſet, reſtitueret, remque omnem Chriſtianam ubique ad leges & decreta Concilii Tridentini componeret, poſt alias urbes atque inſulas ingenti incolarum bono, & Eccleſiarum illarum utilitate peragratas Corcyram appulit, quem Epiſcopus & clerus & populus Corcyrenſis eo, quo dignus erat, honore excepit. Multa ille ad incrementum ac ſplendorem cultus divini, ad decus & præſidium utilitatemque hujus Eccleſiæ providentiſſime ac ſapientiſſime conſtituit; in his decrevit, ut unus de collegio Canonicorum ſacramento Pœnitentiæ adminiſtrando præeſſet, quem *Pœnitentiarium* vocant; cui præterea id muneris curæque commiſſum eſſe voluit, ut Clericos latinis litteris imbueret; nam Seminarii Clericorum juxta præſcriptum Tridentinum condendi nulla tunc ſuppetebat facultas. Controverſias ſane plurimas, quæ Epiſcopo erant cum Capitulo, parte utraque conſentiente & approbante, compoſuit. Queſti erant Canonici de lege ſibi a Petro Barbadico impoſita, & a Pio IV. confirmata, qua ſingulis diebus choro & pſalmodiæ quotidianæ intereſſe jubebantur; id onus ſibi nimis grave eſſe ajebant, ac propemodum intolerabile, præſertim propter exiguitatem redituum, quos e ſuis ſacerdotiis percipiebant. Hanc legem illi moderandam cenſuit, atque conformandam ad regulam Tridentinam, quæ Canonicis tres menſes ſingulis annis a choro vacandi licentiam permittit. Theodorus Deduſ Epiſcopus Corcyrenſis in unum volumen cum aliis monumentis ad hanc Eccleſiam pertinentibus decreta Auguſtini collegit, ejuſque reſponſa plena doctrinæ, prudentiæ, æquitatis ad ſingula, de quibus interrogatus fuerat ab Epiſcopo, a Canonicis, a Clericis, quæ fere omnia vel ad ſacras cæremonias & functiones rite peragendas, vel ad quædam juriſdictionis ac diſciplinæ eccleſiaſticæ capita referuntur. Dalmatica expeditione Apoſtolica perfunctus Jaderam rediit, & Epiſcopos omnes Dalmatiæ Venetæ in eam urbem ad Concilium Nationale convocavit, Auguſtinus Quinctius Antiſtes Corcyrenſis invitatus cum eſſet, legitima excuſatione adhibita, non interfuit. Quod Benedictus Lauretanus fruſtra conatus fuerat, id ut efficeret atque obtineret, Auguſtinus omni ſtudio operaque enixus eſt. Magni Eccleſiæ Corcyrenſis intereſſe intelligebat, eam rurſus conjungi cum Eccleſia Stagnenſi, ut ex hujus proventibus illius inopiæ ſubveniri poſſet. Decretum illud, quo Paullus III. alteram ab altera disjunxerat, Pontifici ab Raguſinis ſurreptum fuiſſe ajebat, dum ſedes Corcyrenſis ob mortem Niconiſii Epiſcopi vacabat; & nemo erat, qui poſtulatis Raguſienſium obſiſteret, atque oſtenderet, quantum ex ea disjunctione detrimenti caperet Eccleſia Corcyrenſis. Rationes ſcripto editas Gregorio XIII. Pontif. Maximo expoſuit, ob quas veterem Eccleſiæ Stagnenſis, & Corcyrenſis disjunctionem redintegrari oportere ajebat.

Agitur de nova Stagnenſis Eccleſiæ cum Corcyrenſi conjunctione.

Anno Domini MDLXXVII. Pont. SS. D. N. D. Gregorii PP. XIII. anno VI. Proceſſus in cauſa Stagnen. contra Communitatem Raguſii.

Duo ſunt quæ devotus S. V. ſervus & creatura Auguſtinus Quintius Epiſcopus Curzulen. pro debito ejus offitii paſtoralis humiliter exponit ut infra.

Alterum eſt quod civitas Curzulen. & oppidum Stagni in Dalmatia ſemper & continuo habuerit unicum Epiſcopum nuncupatum Curzulen. & Stagnen. territoriaque utriuſque loci tametſi in temporalibus diſtincta, in ſpiritualibus tamen fuerunt una & eadem diœceſis ab anno 1301. uſque ad annum 1541. de quo anno de menſe Decem-

Digitized by Google

cembri dicta eadem Eccleſia per obitum bon. mem. Nicolai, qui tunc ei præfuerat, Paſtoris ſolatio deſtituta reperiebatur. Fel. rec. Paullus PP. III. cum veriſimiliter ſibi plene non innotuiſſet Stagnenſem Eccleſiam illis fere omnibus carere, quæ Epiſcopalis dignitas ſuo quaſi jure requirit, eas diſſolvit, & Stagnen. Eccleſiæ ſic deſtitutæ & diſſolutæ & ſeparatæ quemdam Thomam in Paſtorem & Epiſcopum præfecit, nulla deſuper illius regionis & locorum & qualitatum informatione habita, ſed ad ſuggeſtionem Dominorum Raguſii, qui dictum oppidum & territorium Stagni olim ditioni alterius illarum partium Principis ſubeſſe ſolitum ad eorum dominium traxerant, & propterea etiam quoad ſpiritualia a Civitate & Diœceſi Curzulen. Venetæ juriſdictionis exiſtente, ſeparari indebite procurarunt. Quapropter eadem creatura S. V. humiliter ſupplicat, ut eaſdem ſic diſſolutas Eccleſias ad earum priſtinam & antiquam unitatem & priorem ſtatum reducere, Curzulenſemque Eccleſiam reintegrare dignetur, attentis infra dicendis.

Et primo propter ſummam paupertatem & tenuiſſimos fructus utriuſque Eccleſiæ, cum unaquæque ipſarum ultra ducatos ducentos in redditibus annuis non habuerit, nec de præſenti habeat; & propterea vileſcit dignitas & auctoritas Epiſcopalis in illis præſertim partibus, & finibus infidelium. Et hæc cauſa potiſſima paupertatis ſemper fuit & legitima uniendarum Cathed. Eccleſiarum cap. unico x. q. III. c. poſtquam XVI. q. I. c. propoſuiſti & ibi Abbas de Preben. Clem. §. ad hæc de ſtat. mon. & nomin. Sacroſ. Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. XIII. quoniam pro loco.

2. Propter illarum vicinitatem, quæ major eſſe non poteſt, cum territorium Stagni ad unum, alibi ad duo, alibi ad quatuor milliaria inſulæ Curzulæ ut plurimum cohæreat. Quæ vicinitas juſtam pariter unionis cauſam de jure præbere conſuevit c. & temporis in prin. & c. ſeq. XVI. q. q.

3. Quia propter continuas Turcarum incurſiones, & noviſſime præſertim bello magis atque magis evenit populi decrementum, & non parva illius regionis perturbatio, itaut agri plerique ſine cultoribus inſpiciantur, ut eſt notorium, & hæc quoque juſtiſſima reputatur unionis cauſa c. præcipimus, & d. c. poſtquam XVI. q. I. c. quia Monaſterium, ubi Abbas p. not. de rel. dom.

Cum ergo unaquæque harum cauſarum de per ſe unionem expoſtulet ex ſuperius adductis & traditis per Caccialup. tract. de union. qual. art. V. Et Petrus de Petris in ſimili tract. c. IIII. fortius omnes quæ in caſu noſtro militant ſimul junctæ.

Et cum ſufficerent ad novam faciendam unionem, fortius ad primævam antiquam unionem, ſeu verius unitatem reſtituendam, cum facilius reducantur omnia ad priſtinum ſtatum & primævam eorum naturam L. ſi unus §. pactus in fin. & ibi ſero 4. ff. de pact. c. ab exordio XXXV. diſtin.

Et eo magis cum diſſolutio, de qua ſupra, emanaverit, ut veriſimiliter, abſque plena cauſæ cognitione, & tempore, quo ſedes illius Eccleſiæ vacabat, nec erat qui Epiſcopale jus tueretur, ut ad lit. in his propriis inquit Innoc. III. c. p. ne ſede vacan.

Ac eo quoque magis, quia in hoc caſu nulla aliqua acceſſione fructus ſingularum Eccleſiarum augeri poſſunt, neque aliud remedium a Concilio provinciali examinari expectari poteſt; minus beneficia aliqua in earum diœceſi exiſtunt, de quibus eidem Epiſcopo in ſupplementum provideri poſſit, prout conſiderat Trid. Concil. d. c. XIII.

Accedat quod oppidum Stagni parvum ultra 100. familias, & eas quidem omnino inopes, & in ſudore vultus victum quærentes continet; nulliſque ibi prorſus cives, Capitulum nullum, nullaque in Eccleſia dignitas, & demum nulla Cathedralis Eccleſiæ inſignia; ita ut potius Parochialem, prout ante prædictam diſſolutionem erat, quam Cathedralem eſſe profecto deceat.

Et Deus omnipotens diu ſervet Sanctitatem veſtram.

Cauſſam itaque Eccleſiæ ſuæ commendavit Cardinali Juſtiniano, cujus erga ſe benevolentiæ & auctoritati apud Pontificem plurimum confidebat. Sed ab ipſo Cardinali admonitus eſt, ut ab eo conando, & urgendo, quod aſſequi non poterat, omnino deſiſteret; nunquam enim futurum, ut Pontifex rurſum utramque Eccleſiam conjungeret, repugnantibus vel invitis Raguſinis de re Chriſtiana & Sede Apoſtolica peregregie meritis.

Reliqua Auguſtini Epiſcopi acta.

Bonifacius de Graſſis Epiſcopus Stagnenſis, cum a Gregorio XIII. juſſus fuiſſet inviſere, ſolari, & quibuſcumque poſſet divinis humaniſque ſubſidiis juvare Chriſtianos, in Dalmatia, Chrobatia, Boſina, Hungaria, Bulgaria, Macedonia crudeli Turcarum dominatu afflictos & oppreſſos, in medio fere hujus expeditionis curſu diem ſupremum obierat, & ad eam conficiendam Pontifex neminem aptiorem cenſuit Auguſtino Quinctio, præſertim cum is pleraſque linguas illarum gentium optime calleret. Hunc igitur ſapientiſſimis monitis & præceptis inſtructum & extraordinaria poteſtate præditum an. 1582. ad eos populos miſit, quos Bonifacius morte præreptus adire non potuerat. Poſt regiones illas cum ingenti Chriſtianorum ſolatio & utilitate peragratas Romam ſe contulit, ut ſuæ luſtrationis Apoſtolicæ rationem ſummo Pontifici redderet. Huic induſtriam ſuam operamque ad rei Chriſtianæ ac divini cultus incrementum præſtitam ita probavit, ut eum remunerationis & honoris cauſſa Internuncium Sedis Apoſtolicæ ad Regem Hiſpaniæ deſignaverit. Sed ille hujuſmodi legatione quamvis honorifica & perutili poſthabita ad ſuam Eccleſiam redire maluit, ne per abſentiam longiorem ſui Paſtoris majora in dies detrimenta caperet. Reviſit igitur gregem ſuum; & ſiqua ex parte a recta ſemita, ſe abſente, aberraverat, eum ad priſtinum æternæ ſalutis iter revocavit. Anno 1603. Michael Priolus Epiſcopus Vicetinus, idemque in tota *Provincia Dalmatiæ Viſitator Apoſtolicus* juſſu miſſuque Clementis VIII. Eccleſias Dalmatiæ luſtravit. Corcyram cum veniſſet, Auguſtinus Epiſcopus Legatum Apoſtolicum omni honore & officio coluit, eique ad munus impoſitum obeundum nulla re neque opera neque conſilio defuit. Tum in civitate, tum in inſula reperit omnia Epiſcopi vigilantia & ſedulitate bene conſtituta, & recte atque ordine procedere; ac fere nihil invenit, quod peculiari correctione indigeret. Decreta viſitationis Valerianæ confirmavit, hiſque propemodum nihil addendum cenſuit; niſi quod juſſit e maſſa Capitulari communi portiunculam ſegregari, attribuique Canonico *Pœnitentiario*, quem Auguſtinus Valerius inſtituerat, eique onus erudiendi Clericos impoſuerat. Ita Epiſcopi, Cleri, populique religione collaudata, ex inſula diſceſſit. Annos amplius triginta Augu-

Digitized by Google

ſtinus hanc Eccleſiam ſumma cum laude communique omnium approbatione adminiſtraverat, cum eum Clemens VIII. Romam evocavit, & Corcyrenſem cum Epiſcopatu Maſſæ Lubrenſis in regno Neapolitano ſub Metropolita Surrentino commutare juſſit an. 1605. E vita migravit an. 1611. Hic Echardi errorem animadvertere, qui in Tomo II. Script. Ord. Domin. & Raguſium patriam Auguſtino attribuit, & ejus Corcyrenſis Epiſcopatus initia retulit in an. 1604. *Illyricæ Grammaticæ edendæ ſubſcripſiſſe* illum affirmat, auctore Fontana; unde conjicit *ſuas in hoc opere partes habuiſſe*.

& ad Eccleſiam Maſſa-lubrenſem commigratio an. 1605.

Schiſmaticum Epiſcopum ex inſula fugat.

RAPHAEL EPISC. CORCYREN. XXIV.

F. Raphael Dominicanus, doctiſſimus,

Civis Venetus, cui a Ripa cognomen, alumnus diſciplinæ Dominicanæ. Huic ab ineunte adoleſcentia ſe tradiderat in Cœnobio Veneto SS. Joannis & Paulli, quod *& patriam egregiis ſuis dotibus mirum illuſtravit, Orator, Philoſophus, Theologus, Eccleſiaſtes ubique præſtantiſſimus*, inquit Echardus T. II. Script. Ord. Domin. Patavii, ubi ſtudiorum curſum exegit, ac philoſophicam, & theologicam lauream promeritus eſt, ingenii ſui ſpecimen illuſtre protulit habita in templo ſui Ordinis oratione in funere Bernardini Paterni Patavini Licæi Rectore, & Theoricæ Medicinæ publico Doctore, quam Patavinis typis vulgavit eodem anno 1592. quo III. Kal. Februarii eam recitaverat, & F. Hieronymo Bernerio ejuſdem Dominicanæ familiæ viro doctiſſimo, ac Cardinali Aſculano inſcripſit. Is tunc annum agebat vicesimum ſecundum, ut perhibet Echardus, unde natum eſſe conjicias anno 1570. Utramque ſcientiam philoſophicam, ac theologicam in ampliſſimis quibuſque ſui Ordinis gymnaſiis poſtea docuit; *& eo majorem ſibi famam comparavit*, Echardus addit, *quod cum profunditate doctrinæ elegantiam & puritatem orationis conjungeret*. Bononiæ cum eſſet, Cardinalis Bernerius eximia illius & multiplici eruditione captus, eum Romam ſecum adduxit, & ſibi officium, munuſque Theologi, & Confeſſarii navare voluit. Hoc tempore edidit Romæ *Commentaria & Quæſtiones ad S. Thomæ Aquinatis de ente & eſſentia tractatum*, anno nimirum 1598., & Cardinali Aſculano dicavit; in epiſtola vero ad Cardinalem data, totiuſque operis præfatione celebratiſſimos ſuæ familiæ viros commendat, quos ſe Patavii, ac Bononiæ in ſcholis audiviſſe teſtatur. Eodem Bernerio Cardinali poſtulante, ſeptennio poſt Corcyrenſis Epiſcopus renunciatus eſt a Paulo V. Pontifice, ut eſt in Tabulis Conſiſtorialibus: *An. 1605. 12. Septembris providit Eccleſiæ Curzulen. per translationem Auguſtini Quintii ad Eccleſ. Maſſalubrenſem vacanti, de perſona Raphaelis Ripa, Presb. Veneti, Ord. Prædic. Theologiæ Magiſtri &c.*, atque ætatis annum is tunc agebat quintum ſupra trigeſimum. Dum huic Eccleſiæ præſidebat, Epiſcopus quidam ſchiſmaticus, nomine Gradaſſa, ſe in inſulam furtim intruſit, ſeque fallaciſſime, tamquam Viſitatorem Apoſtolicum, inſularibus illis venditabat, clam illuc miſſus a Patriarcha Pechienſi, ut populos illos per ſpeciem evangelicæ doctrinæ diſſeminandæ, ſchiſmatica contagione inficeret, atque ad juriſdictionem ejuſdem Patriarchæ adjungeret. Sed vigilantiſſimi Paſtoris ſolertiam latens lupi ſub ſpecioſo illo titulo malitia, & ſub ovis pelle rapacitas non fefellit. Opem auctoritatemque Comitis, & Magiſtratus Corcyrenſis imploravit, a quo ille ſibi metuens repentina fuga ſaluti ſuæ, ac libertati conſuluit. Cum epiſcopali regimine ſtudia rerum divinarum conjunxit, & tantum commentationi ac ſcriptioni tribuebat, quantum vacabat a publico munere & officio. Quare cum *Ad S. Thomæ Aquinatis totam primam partem quæſtiones & dubitationes ſcholaſticas* ab ſe incæptas in lucem promere jam ſtatuiſſet, Venetias adiit; & abſolutum opus *apud ædes SS. Joannis & Pauli die Sabbati XI. Martii MDCVIII. ætatis XXXIX.* ſcilicet inchoatum, eidem Cardinali Aſculano nuncupavit *e Venetiis Kal. Dec.* 1608. & in vulgus emiſit anno 1609; cujus in prologo ſtudiorum ſuorum rationem eleganter exponit. Ineunte hoc anno Templum ſui Ordinis Divo Dominico ſacrum Venetiis conſecravit XIII. Kal. Februarii; ut marmorea inſcriptio teſtatur *januæ Chori affixa* in eodem Templo, & a Cornelio relata in Tom. VII. Monum. Eccl. Ven.

Epiſcopus Corcyrenſis an. 1605.

Anno Domini 1609. die XX. Menſis Januarii.

Priore R. P. F. Jo. Vincentio de Mediol. S. T. L. Reverendiſs. D. F. Raphael Ripa Ven. Ord. Præd. Epiſcopus Curzulen. conſecravit hanc Eccleſiam, & Altare majus ad honorem S. Dominici, & in omni Anniverſario ipſius Dedicationis dat, & concedit eam devote viſitantibus 40. *dies de Indulgentia S. F. G. U. C.*

Ad ſuam Eccleſiam illum rediiſſe veriſimile eſt, atque hoc etiam tempore *ad tertiam partem S. Thomæ quæſtiones & dubitationes ſcholaſticas* ſcribere fortaſſe aggreſſus eſt, ut, auctore Cherubino Torni, Echardus teſtatur; eaque *forte mſs. ſervantur apud ſodales ſuos*. Sed anno quinto poſt ſuſceptum Epiſcopatum, æræ vulgaris 1610. ex mandato ejuſdem Pontificis Paulli V. die 14. Novembris ad regendam Eccleſiam Clodienſem translatus eſt; eamque adivit die Aprilis decima ſeptima anni inſequentis 1611. Verum cum ſibi quamvis non ætate provecta, mortem tamen e propinquo imminere præſagiret, ad eam pie ſanctequé obeundam Venetias in Cœnobium SS. Paulli & Joannis apud Fratres ſuos ſe recepit, ibique, ubi religioſæ vitæ tyrocinium poſuerat, mortales exuvias depoſuit XIV. Kal. Auguſti anni ejuſdem 1611. tertio ab inito Clodienſi Epiſcopatu menſe, annos natus ætatis duos ſupra quadraginta. Sepultus fuit in ipſa SS. Martyrum Baſilica ante aram maximam; & ſub ejus effigie Epiſcopali in operculo marmoreo inſculpta hic titulus inciſus.

E Corcyrenſi ad Clodienſem Eccleſiam translatus.

obit an. 1611.

Hic jacet Reverendiſſimus Epiſcopus Curzolenſis primum, deinde Clodienſis Magiſter Fr. Raphael Ripa Ord. Præd. hujus Conventus filius, in omni ſcientiarum genere Excellentiſs. Obiit MDCXI. die XIX. Julii. Ætatis ſuæ anno XXXXIV.

At in conſignando ætatis anno vel artificis, vel ejus, qui titulum hunc exſcripſit, error ineſt; & cum Raphael ipſe affirmet in Opere ab ſe abſoluto anno 1608., trigeſimum & nonum annum ſe tum egiſſe, ſi tres addas, qui ejus vitæ ſuperfuerunt ad annum 1611., ætatis ſumma annis duobus ſupra quadraginta omnino conſtabit.

THEODORUS EPISC. CORCYREN. XXV.

Theodorus Dedus ex Ord. Præd.

Ex familia Deda ſive Dieda in primo poſt patricium civium Venetorum ordine illuſtri,

quæ

quæ divitiis, honoribus, & rerum gestarum gloria maxime floruit, duosque, quos vocant *Cancellarios Magnos*, Reipublicæ dedit. Theodorus opulentæ domus fortunis & commodis contemptis, ut se totum Deo, rebusque divinis traderet, vel invitis parentibus ad Patres Prædicatores transfugit, in quorum cœtum receptus magnos tum in litteris, tum in virtutibus religiosis progressus habuit. Plures magistratus sui Ordinis & præfecturas mira prudentia gessit. Dum Cœnobio Veneto SS. Joannis & Paulli præsidebat, Paullus V. Theodorum gratiosa Senatus Veneti commendatione suffragante, Episcopum Ecclesiæ Corcyrensi præposuit: *Anno 1611. 14. Martii providit Ecclesiæ Curzulen. vacanti per translationem Raphaelis de persona Theodori Dedi Ord. Prædic. Sacr. Theol. Magistri*: de quo Vincentius Maria Fontana in Sacro Theatro Dominicano. *F. Theodorus Dedo Raphaeli in Curzolana Episcopali Sede successit die 14. Martii 1611. Paullo V. Pont. Max. promovente ex Prioratu Conventus SS. Joannis & Paulli de Venetiis assumptus ad Veneti Senatus instantiam; in qua pluribus annis vixit cum sua & Ordinis laude.*

Episc. Corcyren. an. 1611.

Hujus sunt multa egregie facta. Ter universam diœcesim lustravit, ubique pravas consuetudines evulsit, Clerum & plebem Christianam, sicubi a recta semita deflexerat, in viam salutis reduxit, multa præclare constituit, quæ ad pie vivendum riteque Deum colendum pertinebant; plurima ubique suarum virtutum exempla, præsertim singularis erga omnes caritatis & beneficentiæ reliquit. Consuetudinem Synodi diœcesanæ cogendæ jamdudum incuria vel difficultate superiorum temporum intermissam longo intervallo revocavit. Semel atque iterum Canonicos & Parochos in Ædc cathedrali convocavit primum anno proximo post suum adventum, Christi 1612; deinde anno 1622. multos Canones condidit plenos sapientiæ ac religionis, quibus sacramenti conferendi, sacras functiones rite peragendi, populum de divinis mysteriis ac præceptis docendi ratio præscribitur, & ecclesiastici muneris atque officii descriptio continetur. Priori Synodo hunc titulum inscripsit; *Sanctæ Diœcesanæ Synodi Decreta & Determinationes Curzulæ in Cathedrali S. Marci publice habitæ a Reverendissimo Dom. F. Theodoro Dedo Veneto Ord. Prædic. ejusdem Diœcesis Curzulæ Episcopo juxta Determinationes & Decreta Sac. Oecumenici Concilii Tridentini.* Munditiem & decorem domus Dei, ac divini cultus in primis dilexit. Nihil in templis, in altaribus, ac ne in ipso quidem sacrario pati poterat, quod sordidum, pulverulentum, indecorum esset. Mappas altarium, & vestes sacerdotales lineas & sericas non laceras, non obsoletas, non maculosas, sed candidas, integras, decentes esse volebat, omnemque sacram supellectilem nitidam, venustam, atque concinnam. Ad sacrosanctum Missæ sacrificium vinum rubrum adhiberi vetuit, quo maculari necesse est linteola, quibus calix abstergitur, & vini albi quod satis esset ad sacrificia totius anni, cum adest tempus vindemiæ, ab ædituis parari ac servari jussit.

Multa ejus facta præclara narrantur.

Monachus quidam Calaber religiosæ vitæ ac disciplinæ desertor, alieno habitu sumpto, cum Corcyram venisset, scholam aperuit, & pueris elementa grammaticæ mercede docendis victum sibi quærebat. Hunc Episcopus ex indiciis haud dubiis deprehensum & sacrilegæ defectionis convictum Præsidibus & Fratribus sui Ordinis, a quo desciverat, puniendum & corrigendum tradidit. Ne vero deesset, qui pueros præsertim pauperes primis litteris & gratuito quidem imbueret, magistrum satis idoneum constituit, eique de sua mensa Episcopali annuum stipendium assignavit. Huic etiam curam tradendi Clericis præcepta linguæ latinæ commisit; nam Canonicus Pœniteatiarius, cui Augustinus Valerius Visitator Apostolicus id muneris dederat, propter alias graviores occupationes se huic oneri ferendo non esse ajebat. Sed ut melius Clericorum studiis consuleret, suscepit cogitationem & curam suæ sollicitudinis & providentiæ dignissimam, ut Seminarium Clericorum instituerct ad præscriptum & normam Concilii Tridentini; jamque locum designaverat ædibus constituendis, quæ duodecim alumnos capere possent, ad eosque alendos partem non exiquam vectigalium ex piis legatis confecerat. Verum præclaram hujusmodi institutionem cum alii laudarent, alii improbarent, hæc civium dissensio consilium utilissimi & pulcherrimi operis discussit. De fundando etiam collegio Virginum Deo sacrarum dies noctesque cogitabat, atque ut id perficeret, omni ope operaque contendit; sed quod Seminarii, idem hujus Collegii instituendi ex civium inter se dissentientium discordia impedimentum objectum fuit. Qui munere pulsandi organi pneumatici fungebatur, huic & stipendium auxit, & id oneris imposuit, ut Clericos cantum Gregorianum doceret. Blatta oppidum est ad lacum ejusdem nominis, ejusque territorium longe ac late porrigitur, colitur que ea pars insulæ in occasum spectans, & habitatur frequentissime. Familiæ nobiles Corcyrenses bipartito divisæ sunt; aliæ *urbanæ*, quod in urbe domicilium habent, aliæ *insulanæ*, quod per insulam dispersæ sunt, appellantur; utrisque ad Consilium nobilium civitatis aditus patet. Earum autem familiarum, quæ incolunt insulam, pars maxima ex oppido Blattæ oriunda ibidem in suis ædibus avitis commoratur. Itaque Theodorus & propter loci nobilitatem & propter numerum incolarum oppidum illud dignum censuit, in quo Vicarius constitueretur, & hunc Magistratum ecclesiasticum, ut perpetuus ibi esset, consensu & auctoritate Synodi Diœcesanæ approbandum confirmandumque curavit. Concionandi facultate, in qua se multa arte, & multos annos exercuerat, dum in Cœnobiis Dominicanis vitam degebat, plurimum valuit; nam singularis in eo eminebat tum doctrina, tum eloquentia. Erant ejus conciones spiritus ardorisque Apostolici plenæ, sive homines a vitiis deterreret, sive illos ad virtutes colendas hortaretur. Vehementer in parentes invehebatur, qui nolebant filias suas, quamvis grandiusculas, & nubiles etiam, festis diebus templum adire, & Sacrosancto Sacrificio interesse, ut scilicet earum pudicitiæ, & modestiæ consulerent, easque ab hominum aspectu arcerent. Sed contra, quam putabant, sæpe accidebat; nam cum solæ domi remanerent, parentum custodia destitutæ, gravioribus, quam si in publicum prodirent, periculis erant expositæ, & furtivis amoribus, atque amasiis operam dabant: id quod sæpe fœtus abortivi, nec raro cædes infantium, ex illicito concubitu susceptorum, declarabant. Ut hujusmodi flagitiis viam præcluderet, simulque festorum dierum sanctitatem

& cultum debita pœna sanciret, vetuit absolutionem sacramentalem impertiri parentibus, qui filias suas sine custode domi relinquerent, & illis præcepto ecclesiastico obtemperandi facultatem adimerent; eosdemque edicto proposito, & valvis Basilicæ affixo, anathemate confixit. Ad promulgationem hujus interdicti ingens in Civitate motus factus est, & magna extitit civium offensio atque indignatio; neque ullis adhortationibus, vel metu pœnarum adduci potuere, ut morem antiquum continendi adolescentulas intra septa domestica, vel ipsis majoribus solemniis, accessuque ad sacras ædes prohibendi dimitterent.

Decreta quædam ab se condita, a Visitatore Apostolico confirmanda curavit.

Multa ille sapientissime tum in utraque Synodo, tum per se ipse, suaque auctoritate constituerat, quæ ad optimum statum rei ecclesiasticæ pertinebant, & præsertim ad Capitulum & clerum spectabant. Ex iis quædam erant, quæ displicebant Canonicis, nec facile adduci posse videbantur, ut ea comprobarent, ac reciperent. Peropportune Corcyram appulit anno 1625. Octavianus Garzadorus Archiepiscopus Jadertinus, quem Urbanus VIII. ad invisendas lustrandasque Ecclesias totius Dalmatiæ Venetæ cum summa potestate delegaverat, ut quidquid ad rem Christianam & disciplinam ecclesiasticam, sive restituendam, sive stabiliendam opportunum esse videretur, auctoritate Apostolica statueret ac sanciret. Hic rebus omnibus, quæ suæ legationis erant ac muneris, in Diœcesi & Ecclesia Corcyrensi rite constitutis atque ordinatis, quidquid esset controversiarum inter Episcopum & Capitulum composuit: & decreta Episcopi, de quibus contentio erat, confirmavit, jisque Canonicos teneri atque astringi declaravit. Hæc autem potissimum erant, ut qui postremus omnium ad Collegium Canonicorum aggregatus esset, is tum in urbe, tum in suburbiis, Parochi officio fungeretur; reliqui vero Canonici, cum opus esset, ei vicariam operam ad munera parochialia exsequenda, pro sua quisque parte, navarent: ut singulis Dominicis diebus Christiana catechesis tum pueris, tum viris adultis ab illis traderetur, quos Episcopus magistros designasset. In villa Popnata numerus incolarum eo creverat, ut Parochus villæ Zernatæ, ad cujus potestatem & curam illa pertinebat, ad gregem utrumque pascendum & curandum non sufficeret. Itaque Visitator fieri jussit, quod Episcopus decreverat, alteram scilicet ab altera segregari, & suum Popnatæ, ac proprium Parochum constituit. Illud præterea, quod volebat Episcopus, ratum habuit, ut singulis hebdomadis, die præscripto, Presbyteri omnes, ac præsertim illi, qui confessionibus excipiendis operam darent, in Palatium Episcopale, vel in Sacrarium Ædis Cathedralis convenirent, ad dirimendas controversias, quæ ad morum scientiam ac disciplinam referuntur. Theodorus Apostolica suorum decretorum approbatione mirifice lætus, haud molto post, cum hanc Ecclesiam annos fere quindecim sapientissime gubernasset, plenus dierum ac meritorum ad superos migravit, x. Kalendas Septembris anno 1625. cum annum ætatis ageret quinquagesimum quartum, teste Cornelio in Tomo VII. Monum. Eccl. Ven. qui tamen in consignando mense, & obitus anno erravit. Præclarissimum industriæ suæ, ac providentiæ Episcopalis monumentum successoribus perutile, ac plane necessarium reliquit. Primo ipso anno suscepti Episcopatus, omni studio, omnique investigatione adhibita, descripsit fundos, possessiones, vectigalia, decreta, privilegia, jura denique omnia, tum Basilicæ Cathedralis, tum aliarum Civitatis, atque insulæ ecclesiarum, tum denique Episcopatus & Capituli; atque in duo volumina congessit; quibus hunc titulum præposuit. *Directorium Episcoporum Ecclesiæ Curzolensis, digestum a Reverendissimo Domino D. Theodoro Dedo, ex Ordine Prædicatorum assumpto, ejusdem Diœcesis Episcopo, Præsulatus sui anno primo* 1611. Grata posteritas paucos versiculos utrique volumini adscripsit, quibus totius operis argumentum, quamvis minus eleganter ac dilucide expressum, continetur.

Duo Volumina de possessionibus, privilegiis, rebusque omnibus Ecclesiasticis ab se conscripta Theodorus reliquit.

In me oculos: quodcumque petis, idcumque videbis;
Dirigo ego lectos ad mea scripta viros.
Hactenus ex multo fluxerunt tempore cuncta,
Archetypus rerum cum sane nullus erat.
Visimus hinc nostri Corcyræa vellera ovilis,
Abstulimus, dedimus; jam sua quisque tenet,
Multa immutanda inerant, repetenda, & multa petanda,
Præcipienda satis: Primus (Liber) id omne capit.
Jura virum quæris, Pastoris jura bonorum,
Lumina, onus? cuncta (Liber) secundus habet.

JACOBUS EPISC. CORCYR. XXVI.

Jacobus Faganeus e Congreg. Fæsulana S. Hieronymi.

Cognomento Faganeus, quem alii Venetiis, alii Bergomi in Italia transpadana, alii apud Forum Livii in Æmilia natum tradunt; sed Venetum fuisse constat ex Monumentis Gymnasii Ferrariensis editis a Ferrante Borsetti, in quibus parr. 2. pag. 482. ubi de *Laureatis in Sacra Theologia*, legitur, *anno 1606. Jacobum Faganeum, Venet. Ord. S. Hier.* Doctoris Theologici insignibus ornatum fuisse. Ad Congregationem Fæsulanam S. Hieronymi aggregatus cum esset, admirabiles, ut erat ingenio acuto & perspicaci, in omni disciplinarum genere processus effecit. Alumnos sui Ordinis Theologiam docuit. Inter Doctores laureatos Collegii ac Gymnasii Ferrariensis vel maxime excelluit. Venetiis cum esset, singulari, qua præditus erat, doctrina & eruditione, sermonis urbanitate atque elegantia, facile sibi summorum virorum, ex ipsa nobilitate patricia, existimationem, & benevolentiam conciliavit. Unus ex his, qui Mari Adriatico tuendo præpositus fuerat, Jacobi eruditione & consuetudine mirifice delectatus, antequam cum triremibus e portu solveret, eum sibi socium esse voluit, ut doctis & jucundis colloquiis cum eo miscendis tædium itineris maritimi levaret. Corcyram cum appulisset, rogatus Jacobus a sociis, quibuscum venerat, velletne ad recreandum ex longa & molesta navigatione animum, pila majori ludere; ille ut erat urbanus, & facilis ad obsequendum amicis, respondit se vero libenter lusurum. Corcyrenses hujusmodi ludicro certamini destinaverant plateam, quæ ante Basilicam Cathedralem longe lateque explicatur. Age igitur, in eam palæstram descenditur; Jacobus habitu monachali succinctus, pila tum excipienda, tum retorquenda, miram dexteritatem, atque agilitatem ostendit; & confertæ multitudinis, quæ spectatum convenerat, plausus & acclamationes excitavit. Prope tum aderant dies cineralium, ac tempus majoribus ac solemnibus jejuniis consecratum. Forte evenit, ut anno illo, ob causam nescio quam, deesset qui Corcyræ in Æde

Decisiones casuum conscientiæ haberi jussæ.

ca-

cathedrali conciones quotidianas haberet. Ad hoc munus fungendum aptissimus fore videbatur Jacobus, qui doctrina & eloquentia plurimum valebat, & in amplissimis quibusque Italiæ civitatibus, magna & assidua, non solum plebis, verum etiam nobilium & præstantium virorum frequentia, e loco superiore verbum Dei disseminaverat. Erant permulti, qui apud Canonicos instabant, urgebantque, ut occasionem audiendi Oratoris excellentissimi, præter spem civitati oblatam, elabi ne sinerent. Verum qui paucis ante diebus, in foro publico, ac totius ferme Civitatis conspectu, lusorem, ac palæstritam egerat, eum ad sustinendam gravissimam Præconis Evangelici personam, atque ad populum de rebus divinis docendum, excitandumque ad Christianam moderationem, continentiam, & pietatem, idoneum non esse censebant: nimium enim a lusoria levitate munus gravitatemque Concionatoris Apostolici distare ajebant. Itaque illum Canonici constantissime repudiarunt; ignari aliquando futurum, ut quem tunc Concionatorem respuebant, eum postea Episcopum habituri essent. Non multis post annis idem Præfectus Sinus Adriatici, qui in illo excursu maritimo, docta & jucunda Jacobi consuetudine usus fuerat, cum Romæ apud Sedem Apostolicam Veneti Oratoris munere fungeretur; & per eos dies de morte Theodori Corcyrensis Episcopi nunciatum esset; Urbanum VIII. etiam atque etiam oravit, ut Jacobo Faganeo sibi amicissimo, viro præclara eruditione & doctrina instructo atque ornato, Ecclesiam illam decerneret, Pontifex ejus precibus morem gessit, & anno 1626. 28. *Januarii*, *providit Ecclesiæ Corcyrensi in Dalmatia, vacanti per obitum Theodori Dedo, de persona Reverendi Fratris Jacobi Faganei, Ord. S. Hieronymi, Congreg. Fæsulanæ, ætatis annorum* 50. *Sac. Theologiæ Doct. cum decreto, quod quando Ædes Episcopales diruta erant, & in expeditione a Sacro Collegio gratia jurium fieret, teneatur pro earum reparatione quotannis impendere scuta centum.*

Ad conciones quadragesimales habendas expetitur a Corcyrenſibus.

Ab Urbano VIII. Epiſcopus Corcyrenſis renuntiatur.

Corcyram cum venisset, omnium oculis in se conversis, statim ostendit se cum habitu ac persona gravitatem etiam, atque auctoritatem Episcopalem suscepisse; & si quid olim lusoria illa levitate peccaverat, egregiis factis & virtutibus compensavit, omnemque illius cujusmodicumque culpæ ac licentiæ memoriam abolevit. Ipse vero memor præteritæ repulsæ, quidam epistylio Aulæ Episcopalis Davidicum illud inscribi voluit: *Lapidem, quem reprobaverunt, hic factus est in caput anguli.* Administrationis ecclesiasticæ ab Diœcesis lustratione initium fecit, qua, cum ingenti tum divini cultus incremento, tum incolarum utilitate, sedulo ac laboriose peracta, statim atque in urbem rediit, quæ sive in Clero, sive in populo, correctione indigere jam ante compererat, iis, partim admonendo, partim vetando, partim jubendo, saluberrimis hortationibus, decretis, & præceptis remedium adhibuit. Jussit in primis Parochos in id omni studio operaque incumbere, ut sanctitas dierum festorum caste pieque coleretur; simulque populos ab illis admonitos esse voluit, ne religioni habendum putarent, servilibus ministeriis operam dare illis diebus, quorum celebrandorum consuetudinem, non Ecclesiæ præceptio, sed pietas quædam popularis invexerat. Hæc præterea edixit atque interdixit, ut quæ de habitu, & vestitu clericorum sacri Canones præcipiunt, ea ab omnibus accuratissime servarentur; ut ne curatores animarum sine permissu Episcopi stationem sibi traditam deserent, ab eaque plures dies abessent. Vetuit Presbyteros plura Missarum onera suscipere, quam ea, quibus satisfacere possent intra tempus ab illis præscriptum, qui stipe collata sacrificium pro se fieri jusserant. Cum oppidum Blattæ a nobilitate & plebe frequentissimum esset, constituit ut singulis diebus per feria jejunii quadragenarii, sacræ conciones in templo majori haberentur. Cum jus Canonicos singulis anni mensibus in eorum, qui decesserant, locum substituendi, penes Sedem Apostolicam esset, impetravit ab Urbano VIII. ut sibi ac successoribus quatuor menses emortuales concederet, & potestatem daret eligendi Canonicos, si quod subsellium Capitulare illis mensibus ob mortem alicujus Canonici vacaret. Quod sibi a Sacra Congregatione mandatum habuerat, studiose curavit; & Ædes Episcopales collabentes & ruinosas non solum fulcivit, restituit, ornavit; sed etiam altius extulit, & supremam contignationem imposuit; summoque fastigio stemma suum gentilitium, marmori insculptum, affixit. Hieronymum Lucichium, designatum Episcopum Drivasti, in Basilica Cathedrali Corcyrensi consecravit, administris atque adjutoribus ad solemnem illam consecrationem adhibitis Bartholomæo Cacichio Maccarensi, & Nicolao Georgio Phariensi, Episcopis. Omnium opinione doctissimus habebatur; & si qua de re theologica, philosophica, morali, aut de jure utroque perdifficilis, & perobscura quæstio esset, ad eum ex omnibus Dalmatiæ partibus referri solebat; & nemo erat, quin ejus decisioni, & sententiæ standum esse existimaret. Venerat Ragusium Anglus quidam pereruditus, qui studio incensus cognoscendi litteratos viros, & cum eis de re qualibet litteraria differendi, nobilissimas quasque Europæ civitates ac regiones peragrare constituerat. Cum multa & præclara de multiplici & varia Jacobi Episcopi Corcyræ scientia, rerumque omnium cognitione, fama & auditione accepisset, statim Corcyram se contulit, & cum in ejus congressum colloquiumque veniisset, plures dies, de rebus omnibus sive humanis, sive divinis, quæ in quæstionem cadere possunt, in contrarias partes acute arguteque disputando, doctissime & jucundissime cum illo transegit. Tantam vero ex illius ingenio, doctrina, eruditione, admirationem simul, & delectationem cepit, ut discedens, his eum verbis allocutus, valere jusserit: *Multa & magna de te audivi; sed plura & majora vidi & cognovi.* Verum quod optimus Antistes summopere cupiebat, assequi non potuit, ut videlicet hominem a recta in Deum fide aberrantem, ad Ecclesiam, certamque æternæ salutis semitam reduceret. Cum in eo virtutes omnes Episcopales exsplendescerent, tum maxime contemptus pecuniæ ac divitiarum elucebat; quidquid sibi, suæque familiæ, de victu frugali, ac vestitu supererat, vel in pauperes erogabat, vel ad cultum ornatumque templorum conferebat. Itaque moriens rerum suarum nihil, sed magnum desiderium sui, omnium animis infixum, reliquit. Anno Episcopatus decimo sexto, Æræ Christianæ 1642. Kalendis Augusti pauperrimus, sed plenus meritorum obiit; atque in Ædе Cathedrali, summo Civitatis luctu, & mœrore tumulatus fuit.

Diœceſim luſtravit.

Præclara ejus acta, decreta, & inſtituta.

Diſputationes doctiſſimæ ab eo habitæ cum homine Anglo pererudito.

Pauperrimus obiit.

Digitized by Google

FRANCISCUS II. EPISC. CORCYR. XXVII.

Franciſcus Manola Epiſcopus Corcyren. 1643.

Hic primus familiam Manolam Spalatenſem, in qua ortus eſt, honeſtam illam quidem, ſed mediocriter ab re familiari & domeſtica inſtructam, mitra Epiſcopali decoravit, atque ad pontificiam dignitatem duobus e ſua proſapia viam aperuit, Joanni Manolæ fratris filio, qui Nonenſem, & Didaco Manolæ, qui recentiore memoria Tragurienſem Epiſcopatum obtinuit. De utroque Tomo IV. in Epiſcopis Nonæ, & Tragurii. Franciſcus primæ ætatis commendationem a pietate ac litteris duxit. Romam profectus, ſtudiorum ſuorum curriculum ibi confecit; atque in urbe illa omnium principe, nec obſcura, nec exigua doctrinæ & probitatis ſuæ ſpecimina dedit. Sacerdotio initiatus cum eſſet, primus ei gradus ad eccleſiaſticos honores fuit Canonicatus S. Hieronymi nationis Illyricæ. Ex hujus Eccleſiæ collegio in patriam cum eſſet reverſus, in collegium Eccleſiæ Metropolitanæ Spalatenſis migravit; in quo deinde, titulum ac dignitatem Archidiaconi adeptus, primum illius Capituli ſubſellium tenuit. Jacobo Faganeo Epiſcopo Corcyrenſi e vivis ſublato, Urbanus VIII. Eccleſiam illam demandare conſtituerat Antonio Deodato, e Laguſta inſula oriundo, Archipresbytero ejuſdem Eccleſiæ urbanæ S. Hieronymi. Verum ille ſummis, quas debebat, gratiis Pontifici actis, id honoris recipere, operiſve ſubire recuſavit; auctorque ipſimet Urbano fuit, ut Epiſcopatum illum Franciſco Manolæ, hominj ſibi amiciſſimo, atque ad illud munus pro dignitate ſuſtinendum, utiliterque obeundum idoneo conferret; contulitque an. 1643. prid. Idus Januarii.

Ergo Franciſcus poſt Epiſcopalem conſecrationem ſuſceptam, Corcyram venit. Illud primum ſibi curandum cenſuit, ut purgaret Civitatem, & vitiorum ac libidinum illecebras abigeret. Mulierculas quaſdam, quæ vulgato corpore quæſtum faciebant, magiſtratuum auctoritate & auxilio fultus ejecit, atque eliminavit; eamque ob cauſſam in odium quorumdam incurrit, qui nefarias illas voluptates ſibi ademptas eſſe ægerrime ferebant. De vita, honeſtate, veſtitu clericorum multa ſancivit, ad normam præſcriptumque Concilii Tridentini; & pœnis graviſſimis propoſitis, vetuit clericos veſtibus & calceis uti alius, quam nigri coloris. Ut erat ipſe cultor diligentiſſimus diſciplinæ eccleſiaſticæ, ſic eam cuſtodiri volebat, colique ab omnibus cujuſque ordinis clericis; nec vero quemquam pati poterat, qui ab ejuſdem præſcriptionibus aberraret; & cum ad hanc regulam mores vitamque omnium paullo ſeverius exigeret, quorumdam animos ſic exaſperavit, ut eum nimiæ ſeveritatis accuſaverint, tum Romæ apud Pontificem, tum Jaderæ apud ſupremum Dalmatiæ magiſtratum, tum denique Venetiis apud Senatum. Ac Romæ quidem habuit, qui ſe defenderet, ac de nimia ſeveritate purgaret, videlicet Antonium Deodatum, veteri amicitia ſibi conjunctiſſimum. At vero tum Jaderam, tum Venetias ſæpius illi, non ſine magno diſpendio & moleſtia, adeundum fuit, ut objectas ſibi criminationes depelleret. Ferente bello Cretico, quo etiam ardebat Dalmatia, effigiem thaumaturgicam Chriſti Domini ad Crucem affixi, e templo Patrum S. Franciſci, quod ſitum eſt in proximo ſcopulo, ſublatam, in æde urbana Omnium Sanctorum depoſuit, ut pia civium frequentia culta, civitati atque inſulæ præſidio eſſet; ibique tamdiu ſervari juſſit, quoad redintegratæ cum Turcis induciæ huic bello finem afferrent; verebatur enim ne ſacroſanctum illud ſimulacrum injuriis & ſacrilegiis piratæ Turcici violarent, ſi forte illuc appellerent. Ædes Pontificias multis commoditatibus, & ornamentis auxit. Porticum pulcherrimam circa palatium Epiſcopale jampridem ædificari cæptam, ſuo ære ſumptuque abſolvit, ac perfecit; ex qua deſpectus eſt in plateam ante Baſilicam Cathedralem latiſſime exporrectam, & e tribus lateribus jucundiſſimus in mare proſpectus. Hujus operis abſoluti perfectique auctorem declarat ſtemma gentilitium familiæ Manolæ marmoreum, ibidem affixum, cui pileus Epiſcopalis ſuperpoſitus eſt, & ſubjecta inſcriptio: *Anno Domini* 1653. *Franciſcus Manola Spalaten. Epiſcopus Curzolen. perfecit*. Idem ſtemma inſidet ſuperliminari januæ, maximæ palatii, cum mitra Epiſcopali, & his litteris: *F. M.* 1659., id quod januam illam variis & elegantibus ornamentis a Franciſco Manola decoratam docet, Anno ſuſcepti geſtique Epiſcopatus altero, & viceſimo, Æræ Chriſtianæ 1664. pridie Kalendas Septembris e vita deceſſit; atque in æde Cathedrali apud deceſſores ſuos tumulatus fuit. Quidquid habuit, Eccleſiæ & pauperibus legavit, immemor in teſtando ſuorum conſanguineorum; ſed virtutum ſuarum hæredem, atque imitatorem Joannem fratris filium reliquit, qui Eccleſiæ Nonenſi præfuit, & patrui veſtigia egregie perſecutus eſt.

Ex urbe meretrices abegit.

Cultor Eccleſiaſticæ diſciplinæ diligentiſſimus.

Simulacrum thaumaturgicum Jeſu Crucifixi in urbem tranſtulit.

Palatium Epiſcopale auxit, & ornavit.

HIERONYMUS EPISC. CORCYR. XXVIII.

Familia Andronica, ſive *de Andreis*, in primis inter Tragurienſes antiqua eſt, & nobilis; ex qua tres egregii Epiſcopi, iiſdem fere temporibus prodierunt, Hieronymus noſter Corcyræ, Franciſcus Nonæ, Joannes primum Phariæ, deinde Tragurii, Antiſtites, hic patruelis, ille frater Hieronymi. Huic Alexander VII. Eccleſiam Corcyrenſem regendam tradidit: 13. *April.* 1665. *providit Eccl. Curzolen. vacanti per obitum Franciſci Manolæ, de perſona Hieronymi de Andreis &c.* Erat in Hieronymo ſumma comitas, affabilitaſque ſermonis, quæ ſic illi animos hominum conciliabat, ut nemo eſſet, quin ei ſive jubenti, ſive poſcenti libenter obſequeretur; ſed lenitatem ita cum gravitate miſcebat, ut neque facilitas de auctoritate, neque ſeveritas quidquam de ſuavitate detraheret. Multa decreta fecit; quibus, licet nova, inſueta, aut difficilia, & paullo etiam ſeveriora viderentur, ab omnibus tamen obtemperatum fuit. Maxime illi cordi erat dignitas, rectaque adminiſtratio Sacramenti Pœnitentiæ; vetuit confeſſiones mulierum, vel ante ortum, vel poſt occaſum ſolis audiri; itemque laicorum utriuſque ſexus, præterquam ægrotantium, peccata uſquam excipi, eluique ſacramentali abſolutione, niſi in ædibus ſacris, atque in exedris ibidem conſtitutis, & cancellis ferreis utrinque munitis. Presbyteros, quibus facultas eſſet reos audiendi, & abſolvendi, ſerio & ſevere admonuit, ut, qui peccata letalia ad ſacrum tribunal detuliſſet, eum ne permitterent, eodem, quo confeſſus eſt, die ad menſam euchariſticam accedere. Clericis luſum alearum cujuſque generis interdixit. Nulla illi potior fuit, quam ſol-

Hieronymus de Andreis Ep. Corcyren. 1665.

De Sacramento Pœnitentiæ rite adminiſtrando præcepta & decreta.

Digitized by Google

sollicita Christianæ institutionis cura; edictoque gravissimo & severissimo, januis Basilicæ Cathedralis affixo, parentibus, & patribusfamilias imperavit, ut filios & famulos, Dominicis diebus a prandio, ad templum vel ipsi ducerent, vel juberent cogerentque convenire, ut de mysteriis, præceptisque divinis erudirentur; qua in re si negligentes ac desides se præberent, facultatem eos absolvendi sibi uni reservavit. Sacrorum rituum observantissimus ipse fuit, & vindex diligentissimus. More antiquo apud sodales Congregationis Sanctissimi Sacramenti receptum erat, ut tertio quoque cujuslibet mensis Dominico die sacrum votivum de Sacrosancta Eucharistia fieret. Hanc consuetudinem Hieronymus, quamvis multarum ætatum usu firmatam sustulit, quod a præscripto, rituque ecclesiastico aliena esset; & sodales illos, non invitos, iis religionis officiis, pisque supplicationibus, quibus eo die Divinum Sacramentum coli solet, contentos esse jussit; sacrificium vero non aliud fieri, quam quod cum psalmodia, & liturgia illius diei congrueret. Alia præterea satis multa decrevit, quæ vetustissimis quidem, sed a communi consuetudine abhorrentibus institutis, parum consentanea, & minus grata in vulgus fore videbantur. Verum sua quadam bonitate, & mira in jubendo lenitate perfecit, ut nemo illius decretis intercederet, nemo non ea probaret, ac reciperet. Venerabatur præcipua quadam religione S. Joannem Ursinum Episcopum & patronum Civitatis Tragurii. Ejus cultum in urbem atque insulam invexit, auctorque fuit, ut Senatus populusque Corcyrensis de communi sententia, auctoritate decreti publici interposita, cum sibi ac civitati tutorem ac patronum adoptaret. Lychnum argenteum non exigui ponderis, & præclaro opere cælatum, qui in æde Cathedrali ante Sacrosanctam Eucharistiam perpetuo arderet, suæ religionis ac munificentiæ testem reliquit. Tragurium, seu valetudinis recuperandæ, seu patriæ revisendæ causa, cum se contulisset, in ea civitate letali morbo oppressus ad superos migravit tertio Idus Februarii anno 1673. condique voluit ante aram S. Joannis Episcopi, quem eximia veneratione coluerat. Ex amissione optimi Præsulis civitas Corcyrensis incredibilem dolorem cepit, & funus ei publicum atque magnificum faciendum curavit.

Ritus Ecclesiasticos accuratissime ipse servavit, & servari voluit.

S. Joannis Ursini cultum Corcyram invexit.

Tragurii obiit.

NICOLAUS IV. EPISC. CORCYR. XXIX.

Gens Spanorum, cujus ultimam originem ab Hispania ac Theodosio Magno aliqui repetendam censent; inde vero Spanos in Epirum novam, quæ nunc Albania, transmigrasse ajunt; in hac regione olim divitiis, honoribus, rerum gestarum gloria floruit. Spanos cum gente Castriota, totius Epiri nobilissima, cognatione, & affinitate conjunctos fuisse tradunt. Michael Spanus, ut est apud Carolum Dufresne, uxorem duxit Vaissavam sororem Georgii Castriboti, sive Ducis, sive Regis Epirotarum, qui Scanderbegus cognominatus fuit, is, qui persæpe ingruentes cum pluribus millibus Turcarum Reges parva manu superavit, & ipsis semper, quoad vixit, terrori fuit. In omnibus vero prœliis, quæ hic feliciter cum Turcis commisit, & victoriis, quas reportavit, Spanos commilitones habuit, & horum operam magni fuisse Scriptores asserunt. Post interitum Scanderbegi, & Epirum sub imperium Turcarum redactum, Spani Turcicum jugum indignati, alia atque alia quæsivere loca, & alii alio migrarunt. Ex his quidam Corcyram se receperunt; eoque quidquid habebant pecuniæ, & de suis bonis quæ moveri poterant, cum transtulissent, in ea civitate rerum ac fortunarum suarum sedem collocarunt. Jus civitatis adepti, ac deinde Spanichii denominati, ipsimet civitati, in quam susceptí fuerant, decori atque præsidio fuerunt. Neque enim Corcyram translati a perenni contestataque virtute majorum degenerarunt; sed eorum vestigia persequentes, laudibus potissimum bellicis inclaruere. Anno 1479. cum Neapolitani & Catalauni Corcyram vehementissime oppugnarent, unus de gente Spanichia, præfectus equitum, e mœnibus strenue pugnando, hostesque repellendo, gloriosam mortem oppetiit. Numquam vero e Spanichiis defuerunt, qui Venetis, tum contra Turcas, tum contra Uscocchos prædones maritimos, egregiam operam navarent. Hac igitur antiquissima & nobilissima stirpe ortus est Nicolaus. Patruum habuit, nomine itidem Nicolaum, qui Canonicus idem & Archidiaconus, & Vicarius Capitularis fuit; fratrem vero Vincentium, quem, ob bellica, & præclara in Rempublicam merita, Senatus titulo Comitis ornavit, decrevitque ut hujusmodi titulum ad posteros jure hæreditario transmitteret. Nicolaus neglectis militaribus majorum exemplis ad domesticum armorum decus evocantibus, patrui, quam fratris, vestigia sequi maluit, & doctrinæ gloriam bellicæ prætulit laudi. Postquam in patria politioribus satis imbutus litteris sibi visus est, Patavium iter intendit; atque in illo florentissimo omnium disciplinarum Gymnasio primum Philosophiæ, deinde Juris utriusque scientiæ operam dedit, nomenque Doctoris & insignia sumpsit. In patriam cum rediisset, & clericali militiæ adscriptus esset, ob insignem ejus doctrinam, & morum graviratem, vix secundum, & vicesimum ætatis annum prætergressus, singulari privilegio, in collegium Canonicorum cooptatus fuit; ad eum autem, utpote omnium postremum, procuratio animarum ex decreto Theodori Dedi Episcopi pertinebat; cui capiendæ & gerendæ, cum per ætatem idoneus non esset, datus est illi adjutor e secundo Presbyterorum ordine, qui omnia Parochi munera & officia exsequeretur. Ex infimo ad superiora deinceps subsellia conscendens, demum ad summum pervenit, & Archidiaconi nomen ac dignitatem obtinuit. In omni gradu & functione Capitulari, tam illustria doctrinæ, religionis, prudentiæ documenta dedit, ut dignum se præbuerit, quem Clemens X. ad supremum Ecclesiæ Corcyrensis Sacerdotium eveheret; 1673. 17. *Julii providit Eccl. Curzulen. vacanti per obitum Hieronymi, de persona Nicolai Spanich J.U.D. Presb. cum decreto, quod Archidiaconatus, & Canonicatus, & præbenda dictæ Ecclesiæ, quos obtinet, eo ipso vacent.*

Gens Spanorum in Epiro antiqua, nobilis, opulenta.

Ex ea Spani, sive Spanichii Corcyrenses.

ex quibus natus est Nicolaus Episcopus Corcyren. 1673.

Annos ipsos quatuor & triginta huic Ecclesiæ Nicolaus summa sedulitate & sapientia præfuit. Ab novis legibus condendis abstinuit, satis esse ratus ad Clerum & populum in officio continendos, & rem Christianam atque Ecclesiasticam recte administrandam, decreta illa, quæ tres proximi decessores Episcopi fecerant; iis ut sua constaret ac vigeret auctoritas, atque ut omnes iisdem obsequerentur, sua vigilantia, æquitate, & diligentia effecit. Si quid a disciplinæ,

Ejus ratio Ecclesiæ gubernandæ, plena prudentiæ, & æquitatis.

Digitized by Google

na, & pristino more institutoque deflecteret, ad illa confugere, illorum vim urgere, ex illis remedia petere consuevit. Ita, cum magis, quam sua, decessorum suorum auctoritate Ecclesiam regeret, ac vitam Clericorum, moresque Christianæ plebis ad illorum instituta exigeret, omnem ab se invidiam, notamque severitatis avertebat; ac propterea quieta sub hoc Præsule, & tranquilla omnia fuerunt. Nec vero suas cogitationes, curasque diœcesis Corcyrensis finibus circumscripsit, sed in aliorum quoque gentium salutem derivavit. Bello Peloponnesio cum Veneti Macarscham Turcis eripuissent, & omnem circa Naronem fluvium regionem occupassent; jussus est Nicolaus terras illas obire, & populos nuper e barbarica servitute emersos, solari ac reficere, & quibus indigebant, humanis divinisque subsidiis recreare, neque antea episcopalem illorum curam, & Christianam institutionem deponere, quam Episcopus jam locis illis destinatus, ad eos erudiendos, regendosque accederet. Eodem bello flagrante, Christiani quidam ditionis Turcicæ, patrio solo relicto, ad Venetos confugiunt, orantes obsecrantesque, ut se in fidem, ac potestatem reciperent, agros sibi ac sedes assignarent. Ex his plerique in Corcyram insulam migrare jussi sunt; & vallem Rascischiam iisdem habitandam tradiderunt. Advenas rebus omnibus egentes Nicolaus sinu suæ charitatis complexus, subsidia & pecuniam ad casas construendas, ad agros colendos, ac vitam tolerandam benigne suppeditavit. Templum præterea illis ædificandum curavit, quo ad consueta religionis officia peragenda convenirent. Ex his novam parœciam instituit, eisque Presbyterum curatorem animarum, & rerum divinarum administrum præfecit; in cujus victum cultumque quod satis esset, illi novi habitatores, pro sua quisque parte, contribuere solent. Duas aras e selectis marmoribus, opere ornatuque eleganti construxit, alteram in Cathedrali Basilica, D. Josepho Virginis Deiparæ sponso, Antonio Patavino, & Joanni Episcopo Tragurienſi; alteram S. Petro Martyri in templo S. Dominici. Singulari cultu venerabatur tum S. Cajetanum, quem in Patronos civitatis decreto publico referendum curavit, tum præsertim D. Antonium Abbatem, cujus ædiculam, & eremum, quæ non longe ab urbe colli peramœno insident, elegantissime ornavit; & ibidem sibi sepulchrum statuit. Egregia ejus pietas & charitas erga pie defunctorum animas fuit, qui piacularibus flammis purgantur. Summam pecuniæ satis copiosæ collocavit, ut ex annuo ejus fructu unum singulis mensibus, in æde Cathedrali, pro illarum expiatione sacrum solemne fieret. Illud etiam præclarum ejus institutum fuit, ut ex collectis nummulis, quos pii homines conferrent, atque in capsulas ad id destinatas conjicerent, sexta illa feria, quæ diem Dominicum a Palmis cognominatum proxime antecedit, solemne anniversarium ad sublevandas animas ex hac vita pie decedentes, quanta maxima fieri posset pompa, & cereorum ardentium copia, celebraretur, atque ipsemet Episcopus ritu pontificali rem divinam perageret. Ab ipso quoque ortum habuit sancta illa & salubris consuetudo, quæ viget etiamnum, ut quotannis octo ipsi dies, post *solemnem Commemorationem omnium fidelium defunctorum*, non solum in urbe atque in æde Cathedrali, sed etiam in omnibus villis, & parœciis, ad easdem animas expiandas, funereo apparatu, ingenti luminum copia, psalmis, & sacrificiis matutinis, & vespertinis impendantur.

Christianos e Turcica ditione Corcyram profectos benigne accepit.

Ejus erga Divos relig.

Anno 1707. tertio Kalendas Decembris, egregius Præsul, de plebe & pietate Christiana eximie meritus, magno omnium luctu, e vita decessit. Post solemnes exequias in Cathedrali Basilica peractas, funebri pompa illatus est in ædiculam S. Antonii Abbatis, ibique in eo, quod vivens sibi paraverat, sepulchro tumulatus fuit; eidemque simplex ac modestissimus, quem ipse sibi fecerat, titulus inscriptus: *Nicolaus de Comitibus Spanich Episcopus Curzolens.* Vestitum pontificalem, & ministrorum, solemni cæremonia sacris mysteriis intervientium vestes argenteas sericasque opere phrygio contextas, cum mitra gemmis pretiosis ornata, ædi Cathedrali tabulis supremis legavit.

Ejus obitus, funus, sepulcrum, inscriptio.

MARINUS II. EPISC. CORCYR. XXX.

Marinus Drago e Catharensi Episcopus Corcyrensis 1708.

Gathari natus ex illustri Dragorum familia, de quo in Episcopis Catharensibus; ex illa quippe Ecclesia ad regendam Corcyrensem migravit, jubente Clemente XI. Pontifice Max. 1708. 3. *Octob. ab Ecclesia Catharensi Marinum Drago transtulit ad Corcyrensem, vacantem per obitum Nicolai Spanich, cum retentione pensionis, quam percipit ex Monasterio S. Joannis Evangelistæ, Ord. S. Benedicti Tragurii, quod commendatum habet.* Quam in Catharensi inierat, eamdem in Episcopatu Corcyrensi administrando, prudentiæ, disciplinæ, religionis viam tenuit. Nihil mutandum ratus eorum, quæ invenisset a suis decessoribus sapienter vel constituta, vel interdicta; hæc non solum confirmavit, sed alia insuper jubendo, aut vetando his adjunxit, quæ corruptelas, & pravas consuetudines arcerent, & Clerum populumque ad omnem honestam, & sinceram erga Deum Divosque pietatem conformarent. Hæc ejus propria & præclara instituta. Primus ille in mores Civitatis induxit ferias novendiales ante solemnia natalitia Christi Domini; quæ sub preces vespertinas, singulis diebus, in æde cathedrali, coram sacrosancta Eucharistia, publicæ veneration inter cereos ardentes exposita, magna populi frequentia & pietate nunc celebrari solent. Illud etiam curavit, effecitque, ut sacra communio, quanto maximo fieri posset apparatu, & fanalium copia ad ægrotos deferretur, eamque quamplurimi cum facibus accensis prosequerentur; omnesque, signo e turri æreis tintinnabulis dato, convocare jussit, atque invitari; promulgarique a Parochis voluit præmia Indulgentiarum, quibus potiuntur quicumque id religionis & charitatis officium præstant. Necessarium & salutare ministerium tradendæ pueris Doctrinæ Christianæ, quod ab iis, ad quos pertinebat, minori quam oportuisset, studio ac sedulitate peragi videbatur, ut Parochi, clerici, & laici etiam, omni diligentia & sedulitate obirent, non solum eos suis monitis, cohortationibus & mandatis urgebat, sed etiam sua præsentia & exemplo excitabat. Nam ipsemet scholas identidem intervisere solebat, Catechistæ munere fungebatur, a pueris eorum, quæ didicerant, rationem repoſcebat, illosque, ut quæ docebantur, avidius & promptius perciperent, ac memoria retinerent, piis munusculis allicicbat.

Singulis annis Presbyteros & Clericos, ut quaslibet conscientiæ labes eluerent, & torpen-

Singulis annis Clerum

exercitiis spiritualibus excolendum curavit.

tes animos ad Dei amorem ac virtutum ſtudium excitarent, aliquot dies e præſcripto S. Ignatii ſacris exercitationibus, piiſque commentationibus impendere volebat; & duos Societatis Jeſu evangelicos operarios ſtatis temporibus evocabat, qui eos exercerent, atque ad omne eccleſiaſtici officii munus diligenter inſtruerent: iidem poſtea juſſu miſſuque Epiſcopi, excurſionibus Apoſtolicis totam inſulam peragrabant. Memor præcepti Paullini, *ne cui cito manus imponeret*, in ſacris ordinibus conferendis magnum delectum, & ſummam cautionem adhibuit; ac nullius gratia, vel auctoritate ſe adduci paſſus eſt, ut ad clerum aggregaret, quos eo nomine atque ordine dignos non eſſe cenſebat. Nihil in veſtitu clericorum, cultuque corporis pati poterat, quod ab eccleſiaſtica modeſtia & gravitate abhorreret; aleas illis, choreas, tabernas vinarias ſeveriſſimis pœnis interdixit. Si quid peccaſſent, quod reprehenſione, atque animadverſione indigeret, impune illos abire non permittebat; ſed antequam pro modo delicti punirentur, quam leniſſime operam dabat, ut ſuam ipſi culpam agnoſcerent, ſeque punitione dignos eſſe fatérentur, quam tamen, ea confeſſione contentus, ita moderabatur, ut multum de acerbitate minueret. Palatium Epiſcopale reſtauravit; ædem cathedralem plurimis ornamentis auxit; in ea ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus ſepulchrum paravit, & lapidi ſepulchrali hunc titulum inſcripſit.

Marinus Drago Catharen. prius Epiſcopus patriæ, modo Curzolen. ſibi & ſucceſſoribus 1732. *Obiit die 9. Octob.* 1733.

VINCENTIUS EPISC. CORCYR. XXXI.

Vincentius Coſſovichius Epiſc. an. 1735.

Nobili genere natus eſt Cathari ex antiqua familia Coſſovichia, quæ olim in Boſina copiis, & opibus florebat; ex qua multi clariſſimi viri prodierunt, haud ſago, quam toga præſtantiores. Clero adſcriptus, primum Cancellarii Epiſcopalis, deinde Parochi, & Concionatoris Apoſtolici munere perquam laudabiliter functus eſt; & quamplurimos e militia Teutonica, quæ ſub imperio Venetorum in bello Turcico ſtipendia faciebat, ab hæretica pravitate ad religionem Catholicam convertit. In æde cathedrali Catharenſi ſubſellium inter Canonicos obtinuit. Clemens XII. biennio poſt obitum Marini, Vincentium ad ſedem Corcyrenſem evexit an. 1735. Cum rationem adminiſtrationis reditnum Epiſcopalium, dum ſedes vacabat, perceptorum repoſcere a Capitulo inſtituiſſet, multas cum Canonicis, & diuturnas contentiones habuit. Sex & viginti annos ſatis utiliter & non ſine laude præfuit. In æde media cathedrali ſepulchrum ſibi parari juſſit, & titulum cum inſignibus gentilitiis inſculpi; ſi vero id per procuratores Eccleſiæ non liceret, corpus ſuum Catharum transferri. Procuratores obſtiterunt; & in tumulo temporario depoſitum fuit penes ſepulchrum Epiſcoporum, uſque dum ejus, quo ille juſſerat, tranſportandi facultas & opportunitas adeſſet. Obiit XII. Kalendas Auguſti an. 1761.

Diuturnitas Epiſcopatus, & obitus.

MICHAEL EPISC. CORCYREN. XXXII.

Michael Trialius

Patritius Jadertinus ex Trialia admodum illuſtri familia. In Collegio Lauretano, ubi gravioribus diſciplinis operam dedit, præclaram ingenii ac nominis ſui, admirabilis in omni doctrinarum genere progreſſus, innocentiæ vitæ, & ſingularis erga Deum pietatis memoriam reliquit, quam adhuc viguiſſe teſtatus eſt qui multis poſt illum annis in eodem collegio ſtudiorum cauſſa verſabatur. Reverſus in patriam, & in collegium Canonicorum cooptatus, primum *Pœnitentiarii*, deinde Archidiaconi ſubſellium tenuit. Quidquid temporis a choro, & a cæteris ſuorum munerum officiis vacabat, id omne in aliorum utilitatem ac ſalutem conferebat. Annos fere duodeviginti Virginibus S. Marcellæ regendis, atque ad normam religioſæ perfectionis dirigendis præfuit; nec pauciores annos in puellas de myſteriis ac præceptis divinis erudiendas impendit, quibus Chriſtianam catecheſim ſingulis Dominicis diebus in templo Virginum S. Demetrii tradebat; & nullum erat opus pium, atque ad proximorum ſalutem utile, quod vel ſibi oblatum non ſuſciperet, vel in ejus partem admitti non vellet, aut cuperet. His egregiis factis & virtutibus viam ſibi ad ſupremum ſacerdotii Chriſtiani gradum aperuit. Clemens XIII. haud ignarus, quam idoneus eſſet Michael ad rem eccleſiaſticam bene gerendam, & munus Epiſcopale recte obeundum, an. 1761. Nonis Septembris in auguſtiſſimo Cardinalium conſeſſu eum Corcyrenſem Epiſcopum renuntiavit. Romæ conſecratione Epiſcopali inauguratus cum eſſet, anno proximo Nonis Martiis poſſeſſionem Eccleſiæ ſibi traditæ per procuratorem adivit. Poſt menſes fere duos ad inſulam appulit, & urbem ingreſſus magno comitatu, ſolemnique pompa ad ædem cathedralem proceſſit ingenti civium omnium lætitia & exſpectatione, quam fama de illius eximia doctrina & virtute excitaverat. Vix ab itinere maritimo longo & moleſto quieſcendi ac reſpirandi ſpatium ſumſerat, cum ſtatim ad purgandum & excolendum agrum Dominicum manum admovit, atque in eam cogitationem curamque incubuit, ut zizania tolleret, quæ per incuriam ſuperiorum temporum, ac diuturnas inter Epiſcopum & clerum contentiones ſuccreverant. Anno 1763, Synodum diœceſanam convocavit, in qua multa & ſaluberrima decreta condidit, quæ ad rectam in Deum fidem profitendam & conſervandam, ad vitia ex animis incolarum evellenda, inſerendaſque virtutes Chriſtiano homine dignas, ad ſacramenta rite adminiſtranda & ſuſcipienda pertinent, eamque typis mandavit. Sub titulo & auſpiciis B. Virginis ſine labe conceptæ ſodalitatem piorum hominum inſtituit, quibus curæ eſſet pueros divina myſteria & præcepta docere, Chriſtianis moribus & pietate imbuere; eiſque leges ad hujuſmodi inſtitutum accommodatiſſimas præſcripſit. A Senatu Veneto decretum impetravit, cujus auctoritate nixus, non ſine tamen multo labore multaque impenſa, quædam bona menſæ Epiſcopalis partim deperdita, partim alio diſtracta recuperavit. Blattam oppidum inſulæ admodum frequens ac nobile Parochi dignitate auxit, & Parochum ipſum Plebani titulo ac poteſtate condecoravit; eique ſacerdotes aliquot adjunxit tum ſacrarum functionum, tum curandarum animarum adminiſtros. Parochi & parœciæ rurales fere omnes reditnum inopia laborabant; harum & illorum egeſtati ut quoquomodo ſubveniret, quædam ſacerdotia, quæ vocant ſimplicia, quorumque conferendorum jus ad Epiſcopum pertinebat, cum illis

Epiſc. Corcyren. an. 1761.

Synodum Diœceſanam cogit.

Digitized by Google

illis conjunxit. Non ſolum verbis & factis, ſed etiam ſcriptis Eccleſiæ ſuæ prodeſſe ſtuduit.

Ejus ſcripta.

Ad divinum cultum rite ac ſtatis temporibus peragendum, itemque ad plebis Chriſtianæ inſtitutionem pia quædam opuſcula compoſuit, quibus hos titulos inſcripſit: *Ordo divini officii recitandi, & miſſæ celebrandæ pro Eccleſia ac diœceſi Curzulenſi. Regula & præſcriptio horarum, quibus preces canonicæ ſingulis menſibus in Eccleſia Cathedrali recitandæ ſunt. Ordo cæremoniarum in functionibus perpetuo ſervandus in Cathedrali Curzulenſi, deſumtus ex Cæremon. Epiſc. Pontificali, rubricis &c. laudabili conſuetudine. Brevis Synopſis eorum, quæ magis neceſſaria ſunt homini Chriſtiano ad ſalutem æternam conſequendam*; hanc vero tum Italico, tum Slavonico ſermone excudendam curavit. Ita optimus & vigilantiſſimus Præſul nihil prætermiſit, quod ad eruditionem, utilitatem, religionem cleri ac populi Corcyrenſis prodeſſe poſſit. Annos circiter decem hanc Eccleſiam ſumma omnium approbatione gubernaverat, cum eum Clemens XIV. ad Metropolim Jadertinam migrare juſſit an. 1771. Quam porro ipſe ob ſingularem erga omnes humanitatem ac beneficentiam, & flagrans divini cultus augendi humanæque ſalutis procurandæ ſtudium ſummis juxta & infimis carus eſſet, ejus ab urbe digreſſus oſtendit: nemo enim fuit, qui talem patrem ac paſtorem ab ſe divelli non ægerrime tulerit, & abeuntem fletu & lacrymis non proſequeretur.

Transfertur ad Archiepiſc. Jadertinum an. 1771.

JOANNES VII. EPISC. CORCYR. XXXIII.

Joannes Carſana

Cui *Carſana* cognomen. Jaderæ honeſto loco natus a prima ætate militiæ eccleſiaſticæ nomen dedit, & humanis diviniſque litteris excultus, ac in ſacrum Presbyteratus ordinem admiſſus, in Spalatenſi ac Jadertino Seminario docendis primum regendiſque illarum Eccleſiarum clericis præfuit; deinde in Eccleſia Metropolitana Jaderenſi Canonici Theologi dignitatem ac munus obtinuit, cum antea Theologici Doctoris inſignia ei Patavii collata fuiſſent; demum principem Archidiaconi locum in Canonicorum collegio adeptus toti clero Jadertino regendo, ſacriſque diſciplinis & moribus imbuendo præpoſitus fuit. Verum cum Matthæo Caramano Archiepiſcopo Jadrenſi probe perſpecta eſſet Joannis religio, doctrina, & virtus, idem Antiſtes Eccleſiæ curam ipſi commiſerat *Provicarii* generalis munere; nec multo poſt, Matthæo jam ſeneſcente, & infirma valetudine affecto, Vicarii generalis titulo & auctoritate ornatus viginti annorum ſpatio ita ſe, ſuamque operam omnibus probavit, ut decem ferme integros annos illam diœceſim ſolus adminiſtraverit, cum Matthæus ſenio propemodum confectus eſſet: quo tempore, licet graviſſimis præterea negotiis a ſacra Fidei propagandæ Congregatione occupatus, cui etiam cumulatiſſime ſatisfecit, & urbanum clerum morum doctrina, & infimam plebem Chriſtiana catecheſi certis cujuſque hebdomadæ diebus inſtituere atque erudire non deſiit. Quare hoc eximium de illo teſtimonium confecit ipſe Caramanus.

ab Archiepiſc. Jadrenſi ſumme laudatus.

Matthæus &c. Univerſis &c. Atteſtamur adm. R. D. Joannem Carſana viginti abhinc annis noſtrum in temporalibus & ſpiritualibus Vicarium Generalem, Jacri Eccleſiaſtici Patavini Collegii Theologiæ Doctorem, civem Jadrenſem, ætatis ſuæ anno 43. a teneris annis huic Metropolitanæ Eccleſiæ inſerviſſe; in hoc Seminario Florio primo alumnum, deinde vero Philoſophiæ lectorem fuiſſe; per plures annos Manſionarii officio in præfata Eccleſia perfunctum fuiſſe; rudibus catecheſim atque doctrinam Chriſtianam omnibus diebus feſtis explanaſſe, in eoque officio multis abhinc annis indefeſſe ſe exercere; Adminiſtratorem, Oeconomum, atque Canonicum Theologum ejuſdem Metropolitanæ eſſe; proponendi quæſtiones morales pro Cleri noſtri urbani eruditione, illaſque coram nobis ſolvendi onus publico omnium plauſu ſuſtinuiſſe, & plena quidem animi noſtri ſatisfactione ſuſtinere; noſtri Conviſitatoris munus obiiſſe, noſtraſque vices in regenda tota diœceſi pari prudentia ac pietate per viginti annos, etiam dum Romæ gravibus curis per biennium detenti fuerimus, & alio tempore geſſiſſe; nunquam nos aut prædeceſſorem noſtrum litibus vexaſſe; quin immo obedientiam, & reverentiam, quam Ordinario ſuo promiſit, ſedulo præſtitiſſe. Quæ propter utpote virum optimis moribus ornatum, in eccleſiaſticis ſcientiis ac diſciplinis egregie inſtructum, atque de catholica religione optime meritum ad quaſcumque dignitates in Cathedralibus Eccleſiis, & in præfata noſtra Metropolitana etiam ad primarias obtinendas præ ceteris idoneum ac dignum exiſtimamus & S. Sedi Apoſtolicæ in Domino enixe commendamus &c.

Et ſane Matthæus id volvebat animo, ut, Antonio Tripcovichio Epiſcopo Nonenſi vita functo, Joanni ad hanc Eccleſiam regendam aditum aperiret. Sed magno Corcyrenſis Eccleſiæ bono factum eſt, ut ad Epiſcopatus honorem, quem ſibi virtutibus & rebus geſtis promerverat, a Clemente XIV. evectus, in locum ſedemque Michaelis Antiſtitis Corcyrenſis ſuccederet. Epiſc. Corcyren. an. 1771. Vix ad ſuam Eccleſiam acceſſit, ut ei opus fuerit ſui Metropolitæ juriſdictionem, & auctoritatem firma animi conſtantia tueri. Jacoba Boſnich deſponſa Antonio Millatio Corcyrenſi, cum neſcio quid offenſionis inter utrumque incidiſſet, rei quæſtione ad Michaelem Epiſcopum delata an. 1771., hujus ſententiam ſibi adverſantem detrectavit, & Archiepiſcopum Spalatenſem tamquam totius Dalmatiæ Primatem appellare conſtituit. Ejus itaque interceſſionem ratam habuit Alexander Antonius Thomaſeus Canonicus Spalatenſis & Archiepiſcopi *Locumtenens*, qui Michaelis Epiſcopi ſententiam ſuſtulit, eamque irritam a ſe haberi proteſtatus eſt, & ejuſmodi revera eſſe ſuo edicto juſſit lato XV. Kal. Januarias an. 1771. quod hic ſubjicio.

Sui Metropolitæ jura

Alexander Antonius Canonicus Thomaſeus J. U. D. Audit. Generalis & Locumtenens Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. D. Jo. Lucæ Garagnin miſeratione divina, & S. Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopi Spalaten. olim Salonitani, Dalmatiæ ac totius Croatiæ Primatis.

adverſus edictum Archiepiſcopi Spalatenſ.

Dilectis nobis in Chriſto Reverendiſſimo Domino Vicario Generali, Capitulari, vel Epiſcopali Curzolen. omnibuſque officialibus Curiæ diœceſis pariter Curzolen, nec non Antonio filio Marini Millat, omnibuſque aliis, & ſingulis, ſua communiter, vel diviſim, ac quomodolibet intereſſe putantibus, in executione præſentium noſtrarum nominandis, & cognominandis, ſalutem in Domino, & noſtris, immo verius Apoſtolicis firmiter obedire mandatis. Ad inſtantiam, & requiſitionem etiam nobis in Chriſto dilectæ Jacobinæ filiæ q. Hieronymi Baſnich, alias Corcichi, ſupradictæ diœceſis.

Coram vobis & tribunali noſtro via ordinaria cauſam, & cauſas appellationis, & appellationum, pro parte ſua interpoſitæ, & interpoſitarum a quadam aſſerta ſententia ſeu decreto contra ſe, & ad favorem Antonii Millat lata vel lato ſub die 17. Julii proxime evoluti, pro revocatione contradictionis a præfata Jacobina interpoſitæ libertati præfati Antonii Millat.

Ut dicitur lata, vel latum, cujus mentio ſit in inſtantia, ſub hac die producta in actis.

Et ut in ea &c. nullitatis, & nullitatum, iniquitatis, & injuſtitiæ ejuſdem aſſertæ ſententiæ, ac totius proceſſus deſuper habiti, atque formati, attentatorumque & innovatorum quorumcumque tam conjunctim, quam diviſim, prout ſibi melius expediens videbitur, introducere, & proſequi valeat, & intendat. De qua quidem appellatione nobis conſtare fecit per inſtantiam dictam ſub hac eadem die, per Excellentem Dominum Joannem Moller Advocatum, & nomine ejuſdem Jacobinæ principalis.

Tenore præſentium, auctoritate Apoſtolica nobis conceſſa, & qua fungimur in hac parte, vos antedictos Reverendiſſimum Dominum Vicarium Generalem Curzolen. & officiales iſtius Curiæ, nec non Antonium Millat, omneſque alios & ſingulos ſua communiter, vel diviſim, ac quomodolibet intereſſe putantes, in executione præſentium noſtrarum nominandos, & cognominandos, peremptorie citamus, quatenus trigeſima die proxime futura, poſt præſentium noſtrarum intimationem vobis faciendam per quemcumque juratum nuntium, ſive publicum notarium, ſi dies ipſa juridica fuerit, ſin autem, prima die juris ex tunc immediate ſequenti, de mane hora tertiarum, vel circa, audientiæ cauſarum conſueta, in loco infraſcripto, coram nobis in judicio, cum omnibus, & ſingulis actis actitatis, litteris, ſcripturis, inſtrumentis, proceſſibus, privilegiis, aliiſque juribus, & munimentis, cauſam, & cauſas hujuſmodi tangentibus, ac eam, & eas quomodolibet concernentibus, legitime comparere ſtudeatis, ad dictas cauſam, & cauſas appellationis, & appellationum, nullitatis, & nullitatum, iniquitatis, & injuſtitiæ, attentatorumque, & innovatorum quorumcumque tam conjunctim, quam diviſim, prout ſibi melius expediens videbitur, pro parte appellante introduci, & proſequi, nec non ad procedendum, procedique videndum, & audiendum in eiſdem ad omnes, & ſingulos actus & terminos judiciarios, neceſſarios & opportunos gradatim, & ſucceſſive, uſque ad ſententiam diffinitivam incluſive, debitis tamen dilationibus interpoſitis juſtitiæ complementum recipiendum; certificantes vos nihilominus ſic, ut præmittitur, citatos, quod ſi in dicto citationis termino comparueritis, ſive non, nos nihilominus ad partis comparentis, cauſamque & causas hujuſmodi proſequi curantis inſtantiam procedemus in eiſdem prout juris fuerit; vobis amplius non citatis neque monitis niſi per cedulas citationum affigendas valvis infraſcripti palatii loco patenti, contumacia & abſentia veſtra in aliquo non obſtante, & juſtitia ſic exigente. Et inſuper cum juri & æquitati conveniat, ne cauſis hujuſmodi ſic (ut præmittitur) coram nobis & tribunali noſtro indeciſis pendentibus quicquam per quemquam attentetur, ſeu innovetur, iccirco tenore & auctoritate prædictis omnibus & ſingulis Dominis Judicibus, Commiſſariis, delegatis, & ſubdelegatis, ordinariis & extraordinariis quacumque auctoritate fungentibus, necnon perſonis quibuſcumque, quibus præſentes noſtræ intimatæ fuerint, præſertim eidem Domino Judici a quo, ac vobis omnibus & ſingulis ſupraſcriptis, in virtute ſanctæ obedientiæ & in juris ſubſidium ſub excommunicationis in ſingulos aliiſque arbitrariis reſpective pœnis inhibemus, ne in juriſdictionis noſtræ, immo verius Apoſtolicæ Sedis contemptum, litis pendentiæ hujuſmodi dictaque partis appellantis nec jurium ſuorum præjudicium per ſe vel alium ſeu alios publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quæſito colore vel ingenio aliquid in cauſa & cauſis hujuſmodi innovare & attentare audeant, nec præſumant, nec vos audeatis vel præſumatis, Quod ſi ſecus factum fuerit, id totum revocare, & in ſtatum priſtinum reducere, & nihilominus contra inobedientes ad graviora procedere curabimus, juſtitia mediante. In quorum &c.

Datum Spalati ex Metropolitana ac Primatiali Cancellaria die 18. Decembris 1771. Septigenteſimi primi.

L. S. Alexander Antonius Canonicus Thomaſeus Auditor & Locumtenens Generalis.

Vitus Nicolich J. U. D. Actuarius.

Aberat tum e ſua Eccleſia Joannes, cum edictum Spalatenſe promulgari juſſum fuerat; quare Coſmas Leſſius ejus Vicarius diu id non eſſe ferendum duxit, & ſuis litteris prid. Kal. Decembris an. 1772. ad Thomaſæum per certum hominem miſſis, eique legitima teſtium præſentia oblatis dolere ſe maxime teſtatus eſt, quod is aliena jura occuparet, Corcyrenſem Eccleſiam nunquam Spalatenſium Archiepiſcoporum juriſdictioni ſubjectam fuiſſe, ideoque latum ab eo decretum nullius eſſe auctoritatis, nec valere quidquam; tum in curiam epiſcopalem non eſſe admittendum expreſſis verbis declaravit, vetuitque admitti. Equidem Eccleſia Corcyrenſis ab ipſis exordiis ſuberat Archiepiſcopo Raguſino, nec ulla extant vetera monumenta, quibus jus aliquod Spalatenſi Antiſtiti in illam tribuatur. Porro Metropolita Raguſinus Spalatenſi quidem Primati ſubjicitur in Hierarchia Dalmaticæ Eccleſiæ; ſed titulum Primatis, quem Romani Pontifices Metropolitis Spalatenſibus conceſſerunt, honorarium eſſe, ideoque ferme inanem ac vacuum ab ea poteſtate, qua ſane ampliſſima antiqui Primates donari ſolebant, dictum jam eſt in Tomo I. hujus Oper. pag. 311. Joannes Epiſcopus Leſſii litteras ſua ipſe auctoritate poſtea comprobavit, ſuaque interceſſione quaſcumque in hanc cauſſam Curiæ Archiepiſcopalis Spalatenſis irritas eſſe voluit, edixitque. Leſſii litteræ, ſeu potius decretum in hæc verba evulgatum fuit.

per ſui vicarii litteras tuetur.

Die 7. Novembris 1772. Præſentata per Excellentem Dominum Matthæum Carazich parte & nomine Reverendiſſimi Domini Canonici Coſmæ Leſſio Vicarii Generalis Curzolen. &c. & de mandato &c. in Curia &c.

Vobis Reverendiſſimo Domino Auditori Generali ſignificamus nos maxima animi noſtri admiratione & mœrore accepiſſe, quaſdam aſſertas inhibitoriales iſtius Curiæ Metropolitanæ datas Spalati die 18. menſis Decembris anni proxime præteriti relaxatas fuiſſe ad inſtantiam, & requiſitionem Jacobæ filiæ q. Hieronymi Boſnich alias Cerne hujus Curzolen. diœceſis, cum notum, & manifeſtum ſit Curiam hanc Epiſcopalem Curzolen. non eſſe ſuffraganeam Curiæ Metropolitanæ Spalaten. Ideo ne ea noſtro ſilentio ullo unquam tempore in juribus ſuis vel minimum patiatur detrimentum,

ma-

Digitized by Google

maxime attentâ abſentia Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini noſtri Antiſtitis, proteſtati ſumus, & proteſtamur de evidenti incompetentia fori, in ampla, & ſolemni forma &c. & in eventu, quod non credimus, proceſſus ad ulteriora, proteſtati pariter ſumus, & proteſtamur de nullitate ex tribus &c. quorumcumque actorum, & agendorum in ampla, & ſolemni forma, necnon de recurſu, & gravamine ad quos de jure, ac etiam ad pedes Sereniſſimi Principis. Hoc ad omnem meliorem finem, & effectum vobis Reverendiſſimo Domino Auditori Generali aperiendum, & ſignificandum duximus; & ita &c. omni &c. Ita eſt concordat.

Vitus Canonicus Nicolich J.U.D. Actuarius.

Die 30. Novembris 1772. Curzulæ pervenſum fuit præſens exemplum, & de Mandato &c. repoſitum in Actis Cancellariæ hujus Curiæ. Ita eſt concordat.

Vincentius Ghericeo Curiæ Epiſcopalis Curzulen. Cancell. fideliter exemplavit &c.

Cauſſa tamen ſub Joannis ſucceſſore dirempta omnino fuit & abſoluta. Joannes hanc Eccleſiam ferme triennio adminiſtravit; & omni cura ſtudioque in id incubuit, ut creditum ſibi gregem optimo nutriret cœleſtis doctrinæ pabulo, & omnem, quam poſſet, opem, quod utilius foret levamen, eidem afferret. Præclara caritatis paſtoralis exempla præbuit, cum ad inſtitutionem cleri Corcyrenſis ſuis ipſe impenſis idoneum præceptorem intra ædes Epiſcopales excepit, aluitque; ſuoque ſumptu diœceſim totam luſtravit, nequid detrimenti, & ne incommodi quidem caperent Corcyrenſes. Anno 1774., Michaele Trialio Archiepiſcopo Jadertino vita defuncto, idem Pontifex Clemens XIV. juſſit Joannem ad Jadrenſem Eccleſiam conſcendere; eique in ſede Corcyrenſi ſuffectus eſt

Ad Jadrenſem Archiepiſcopatum transfertur An. 1774.

SIMON EPISC. CORCYREN. XXXIV.

Simon Epiſc. an. 1774.

Hic Arbi e nobiliſſimis parentibus Michaele Spalatino patricio Arbenſi, & Maria de Dominis primariæ dignitatis femina ortum duxit; & a prima ætate in clericalem ordinem adſcriptus pietatem ac litteras humaniores impenſe coluit, & cum miniſterio Eccleſiæ Cathedralis puerorum in Chriſtianæ religionis rudimentis inſtitutionem conjunxit. Arbenſis Epiſcopi, & Canonicorum voluntate, qui adoleſcentis animum ad optima quæque probe noverant efformatum, Lauretum profectus eſt, ubi in collegio Illyrico ad eloquentiæ & philoſophiæ ſtudium ſollertiſſime incubuit; deinde Venetiis in Gymnaſio Societatis Jeſu omnibus theologicis diſciplinis ſedulam operam perquam ſtudioſe navavit. Arbum cum rediiſſet, totum ſeſe in aliorum commodum, & Arbenſis Eccleſiæ bonum impendit; nec ullum concionandi, docendi, pueroſque inſtruendi munus prætermiſit, quo cæterorum conſuleret utilitati. Quare annos jam triginta natus Canonici Theologi locum munuſque ſibi delatum in Arbenſi Eccleſia modeſte accepit, decore tenuit, magna cum ingenii & doctrinæ laude geſſit: nec multo poſt Primicerii dignitate auctus ab iis nunquam deſtitit muneribus, ad quæ exercenda ardor divinæ gloriæ & animorum ſalutis procurandæ continue illum incendebat. Ad hæc Vicarii Generalis opera & auctoritate integre cumulateque perfunctus eſt; quin ab univerſo Canonicorum Collegio Vicarius Capitularis aliquando renunciatus ſuam in rebus agendis prudentiam & dexteritatem, in ſacris doctrinam, pietatem, religionem toti Arbenſi diœceſi maxime comprobavit. Horum meritorum præſidio ad ſummum Corcyrenſis Eccleſiæ Sacerdotium aſcendit an. 1774. & ingens quidem Arbenſium civium, par Corcyrenſium lætitia fuit & exultatio: illis quippe ſumme erat dilectus ob eximiam morum innocentiam, animi manſuetudinem, miſericordiam, affabilitatem, lenitatemque plane ſingularem; hos vero juſta ejus benefactorum exſpectatio in ſpem erexit ſpiritalis cujuſque boni aſſequendi. Porro hac ſpe fruſtrati non ſunt: præfuit ſuæ Eccleſiæ vigilantiſſimus Paſtor ſummis æque ac infimis carus & acceptus; Epiſcopatus decus, & honorem ſervavit, jura ſuſtinuit, ac defendit ſententiam prædeceſſoris ſui Michaelis Trialii adverſus Jacobam Boſnichiam, de qua in Joanne Epiſcopo diximus, ſuo judicio ſuaque auctoritate forti animo confirmavit, & perfici voluit: piiſſimum cultum erga Divinum Jeſu Chriſti Cor, & flagrantiſſimam ejus in ſalutem mortalium caritatem per ſuam diœceſim inſtituere enixe ſtuduit; eaque omnia, quæ Epiſcopum decent, & Epiſcopi ſunt, munera verbis ac egregie factis præſtitit. Verum Eccleſiæ Corcyrenſi diu non licuit tam eximio Antiſtite eſſe felici; nam fere ſexennio poſt juſſu Pii VI. Pontificis ad Auxerenſem Eccleſiam regendam migravit; eique ſuffectus

ANTONIUS EPISC. CORCYR. XXXV.

Antonius Epiſc. anno 1781.

Jaderæ natus eſt, quo pater ejus Nicolaus e familia Belglava inter Buduenſes nobiliſſima, & emeritis Venetæ Reipublicæ ſtipendiis ornatiſſima ſeſe receperat militiæ functus muneribus, & primas adeptus dignitates. Adoleſcens Theologiæ, & ſacrorum Canonum ſtudiis excelluit in Gymnaſio Patavino, quibus ſibi viam aperuit ad eccleſiaſtica munia in clerum jam adſcitus. Nam Nonenſis primum, deinde Jaderenſis Canonicus ad theologicas diſciplinas tractandas a Benedicto XIV. renunciatus eſt, cum antea Nicolao Dinaricio Spalatenſi, ac Matthæo Caramano Jaderenſi Archiepiſcopis ſuam operam egregie navaſſet Cancellarii officio. Maximo in honore fuit apud principes Dalmatiæ magiſtratus, quorum auctoritate graviſſima plurium Epiſcoporum negotia felici exitu confecit. Dum in Illyricam liturgiam corrigendam incumbebat juſſu Præſidum Congregationis pro Fide propagandæ inſtitutæ, Pius VI. Pontifex Zacynthi Eccleſiam ei deſtinavit; quam cum abdixiſſet, paullo poſt Corcyrenſi Epiſcopatu ab eodem Pontifice inſignitus fuit ob præclara ejus merita anno 1781. Eodem anno pridie Kal. Octobris conſecrationis munus Venetiis accepit in templo D. Petri a Friderico Maria Giovanelli Patriarcha; & XVIII. Kal. Decembris ſuæ Eccleſiæ poſſeſſionem adivit per Dominicum Beorium Archidiaconum Corcyrenſem, & generalem Vicarium. Vix ſexennium egit in ſua diœceſi, valetudine parum firma, & gravibus ſæpe moleſtiis jactatus; quare anno 1787. IV. Kal. Octobris Corcyrenſem cum Tragurienſi Eccleſia commutavit, ipſo Pio Pontifice annuente,

ad Tragurienſem Eccleſiam migrat an. 1787.

Digitized by Google

JOSEPH EPISC. CORCYREN. XXXVI.

Joſephi Coſſivichii genus & patria.

Familia Coſſivichia Sebenici quatuor abhinc ſæculis maxime excelluit nobilitate, opibus, & longa illuſtrium virorum ſerie, qui militaribus terra marique geſtis ſummam laudem & ampliſſimas dignitates ſunt conſecuri tum ab exteris Principibus, tum præcipue a Republica Veneta, pro qua ſanguinem ſæpe, vitamque ipſam fortiter profuderunt. Ex hac ortus Joſeph Coſſivichius poſt exactos ſtudiorum curſus clericali militiæ nomen dedit, in qua ingentem animum magniſque rebus aptum Eccleſiæ præſtaret, totumque impenderet pro divina gloria, & animarum procuranda ſalute, tuendaque. Nam Canonicus primum Eccleſiæ Sibenicenſis, deinde viſitandæ diœceſi, examinandis ad varia munera clericis, Parochis, aliiſque Sacerdotibus rite delectus, tum Archidiaconus, & generalis Vicarius renuntiatus nullis unquam laboribus pepercit, nullum diſcrimen effugit, nullum prætermiſit officium, quo omnibus adjumentum, opem, ſolamen, ſubſidiumque quibuſque in rebus afferret. Quatuor parœcias ingenti cum fructu diverſis temporibus adminiſtravit; interea modo puellis per urbem catecheſim, modo virginibus ſacras aſceſes in monaſteriis tradebat; concionandi munus in civitate, & per pagos ſæpiſſime obivit, præſertim vero in excipiendis piacularibus confeſſionibus ſeſe exercuit, ubi pius ejus ardor ſhiruit; cum militibus lue laborantibus nihil ſibi timens diu noctuque aſtitit omni ſacrorum officiorum genere; cumque ædes pyrio pulveri ſervando deſtinata repente e cœlo tacta maximas circum aliorum ædificiorum ruinas excitaſſet, & cives fragore, caſuque perterriti aufugerent, Joſeph animo fervens impavido, & hac illac diſcurrens reptanſque per diſrupta murorum ædiumque præſto fuit miſeris, qui a ruinis oppreſſi extremos ſpiritus edebant. Tanta vero, tamque perſpecta erat ejus caritas ac pietas efficax erga moribundos homines, ut illum ſibi adjutorem, & conſolatorem omnes optarent in ſummo æternæ ſalutis periculo; & Carolus Donadonus, ac Hieronymus Blaſius Bonacicchius Epiſcopi Sibenicenſes, tum Scardonenſis Dominicus Paſchalicus morti proximi nihil carius, nihilque duxerunt utilius, quam ut ſe, ſuaque omnia Joſephi curæ committerent. Hiſce cumulatus virtutibus, & auctus meritis, juſſus a Pio VI. Cathedram Corcyrenſem conſcendere, unde illuſtriori luce piiſſimus vir ſub oculis univerſæ Eccleſiæ emicaret, IV. deinde Kal. Octobris anni 1787. in Conſiſtorio publice renunciatus eſt hujus Eccleſiæ Antiſtes, ac paullo poſt prid. idus Octobris Venetiis in templo patriarchali ab ipſo Patriarcha Friderico Maria Giovanelli conſecratione donatus, adminiſtris Cremenſi & Caprulenſi Epiſcopis, mox ſuam Eccleſiam regendam ſuſcepit, cui inſigni vitæ morumque probitate præeſt, & uberiores in dies paſtoralis vigilantiæ & amoris fructus pollicetur.

Ejus geſta ac merita præclara.

Fit Epiſc. Corcyrenſis an. 1787.

Digitized by Google

EPISCOPI RHIZINIENSES.

Rhiziaii positio & varia appellatio.

AD medium euripum Sinus Rhizonici, arduum collem Boreæ obversum insidet Rhizinium, civitas perantiqua Illyrici primigenii ac proprii, quam Polybius, & Livius Rhizonem, Ptolemæus Rhisinum, Plinius Rhizinium & oppidum civium Romanorum, Constantinus Porphyrogenitus Rhisenam vocant; nunc Risanum vulgo dicunt; e cujus positione hic diligentius descripta vide, quæ in Tomo I, pag. 150. corrigenda sint, tum e Cathari situ, de quo inferius. Ptolemæus Diocleæ & Scodræ Rhizanam interjecit, quam urbem aliqui putant eamdem esse ac Rhizinium, & Ptolemæum bis eamdem civitatem vocabulo paullulum diverso nominasse existimant; sed si retinenda est positio, quam idem auctor Rhizanæ attribuit inter Diocleam & Scodram, ab Rhizinio, cum longe absit, distingui oportet. Ab Rhizinio Sinus Rhizonicus, qui nunc Catharensis, denominatus fuit; qui hunc sinum circumcolunt, eos Rhizanitas, & Rhizeos veteres appellarunt. Cum reges Illyriorum copiis, atque opibus florerent, lateque imperarent, Rhizon civitas erat sane nobilis & frequens; exiguo illa quidem mœniorum ambitu septa, sed natura & loco egregie munita, ad quam Teuta vidua Agronis regis, qui moriens conjugi tum filii Pittei tutelam, tum regni administrationem commiserat, Romanorum armis & victoriis perterrita, tamquam ad perfugium tutissimum se recepit, ut docet Polybius lib. 2. *Teuta cum oppido paucis Rhizonem evasit; id nomen est oppidulo egregie munito, intus recedens a mari, ad ipsum Rhizonem fluvium.* Sed hunc Polybii locum aliter interpretatus est Ignatius Georgius Cœnobiarcha Melitensis in suis Antiquit. Illyric. ms. & Rhizonem oppidum a Polybio memoratum ibi collocat, ubi veteris castelli rudera visuntur in agro Ragusino, cui *Rudine* nomen; fluvium vero cognominem oppido eumdem esse ac Tresbicgnizam recenti vocabulo ita appellatum, qui prope Rudinem alluit; in quam sententiam hujusmodi ratione adducitur, quod Rhizon procul positus a mari dicatur a Polybio, cum Rhizinium ad ipsam Sinus Rhizonici oram insideat; & nullus illinc fluvius præterfluat, ut Polybius affirmat, sed exiguus & obscuri nominis torrens. Georgii tamen ratio, seu potius conjectura falsa convincitur, quippe Polybius ait Rhizonem oppidum esse *ἀναχιχωρηκὸς ἀπὸ τῆς θαλάττης*, idest introrsum a mari recedens, quod Græca sonant vocabula; & hujusmodi plane est Rhizinii situs exiguo terræ tractu a litore distans; nec exiguus profecto fluvius collem lambit, in quo oppidum illud exstructum, sed alveo latus, & grandi aquarum copia redundans proximum euripum influit; ut topographicæ Sinus Rhizonici tabulæ perspicue ostendunt. Sub imperio Gentii postremi regis Illyriorum Rhizanitæ inter Illyrios gens erat non incelebris; quos Anicius Prætor post Regem victum captumque, ut tradit Livius, non solum liberos, sed etiam immunes fore jussit, propterea quod, incolumi Gentio, ad Romanos defeciſſent; & cum idem Anicius in tres partes Illyricum divisit, Rhizanitas cum Agravonitis, & Olciniatis in tertiam conjecit. Post constitutam Romanam Monarchiam, Rhizanitæ, amissa, qua donati fuerant, libertate atque immunitate, iisdem, quibus cæteræ gentes, legibus & conditionibus obstricti, primum Romanis, deinde Græcis Imperatoribus paruerunt. Sæculo septimo cum Serbli, gens Slavonica, Dalmatiam superiorem inter Tilurum ac Drilonem, expulsis Avaribus, concessu Heraclii Imperatoris obtinuissent, tota illa regio divisa est in partes quatuor, quarum unam incolebant *Zachlumi*, alteram *Terbuniatæ*, & *Canalitæ*, tertiam *Diocletani*, quartam qui ipsorum lingua *Pagani*, ab Romanis vero *Arentani* appellabantur. Hæc Constantinus Porphyr. lib. de Admin. Imp. cap. xxxii. qui Terbunitis, & Canalitis has civitates attribuit, *Terbuniam*, *Hormum*, *Rhisanam*, *Leucabete*, & *Zetlebe*. Cum inter urbes Serblianas Catharum non annumeret, hæc, ut videtur, Serblorum dominatu exempta, tunc in potestate ac ditione Imperatorum Orientis permansit. Sæculo nono Saraceni ex Africa, ut est apud Constantinum Porphyrogenitum, Soldano, Salba, & Calphone ducibus, sex & sexaginta navium classe instructa armataque, atque in Adriaticum mare invecta, Buduam, & Rosam oppidum ad fauces Sinus Rhizonici, Catharum itemque Rhizinium vel funditus everterunt, vel magna ex parte diruerunt. A Samuele rege Bulgariæ, qui Serblis bellum intulerat, Rhizinium eversum atque incensum tradit ex Diocleate Maurus Orbinus, atque ex Rhizanitis patria profugis novam Cathari civitatem, ædificiorum pariter atque incolarum numero crevisse. Post calamitatem Bulgaricam oppidum refectum est; ac rursus frequentari cum cœpisset, validis mœnibus ac turribus munitum fuit. Mansit deinde in potestate regum, seu Dynastarum Serbliæ, sive Rasciæ, & iisdem fere temporum ac rerum conversionibus obnoxium fuit, atque Catharum, quæ civitas est e regione opposita in altero Sinus Rhizonici angulo, qui ad solem orientem spectat. Ut Catharum, sic Rhizinium sæculo decimo quarto Ludovici Hungarorum, ac postea Tuartki Bosnensium regis imperium accepit; & utrumque anno 1420. in potestatem Venetorum concessit. Sed Bajazethes rex Turcarum sæculo decimo sexto ineunte Rhizinium Venetis eripuit. Recuperarunt illud quidem Veneti bello Cretico; sed post pacem compositam, cum de finibus contentio esset, Turcis obstinate oppidum repetentibus, nudatum mœnibus reddiderunt. Tandem bel-

Rhizon sub regibus Illyrii, civitas frequens ac nobilis.

Rhizanitæ sub Romanis immunes ac liberi.

Rhizinium a Saracenis captum ac direptum.

Venetis paruit, quod captum a Turcis demum recuperarunt.

Digitized by Google

bello Peloponnesiaco sub imperium Venetorum rediit; atque inter cæteras conditiones pacis illud diserte additum est, ut Rhizinium, & Castrum novum, cum agro utrumque suo, Venetorum esset. Nunc oppidulum est, seu potius vicus, & præter nomen, de pristina forma & structura, munitionibus & operibus, quasi nihil retinet, vel pauca quædam rudera antiquitatis.

Initia Christianæ religionis apud Rhizinienses.

Primordia Christianæ Religionis apud Rhizinienses repetenda censeo ab ipsis Apostolicis temporibus, atque ad S. Domnium primum Salonæ Antistitem referenda, qui vel per se, vel per Evangelicos e sua disciplina præcones, Dalmatiam fere omnem ad Christum adjunxit. Sed initia Episcopatus Rhizinienſis vetusta quidem sunt, sed plane ignota. Quos nominare possim Episcopos, paucissimos habeo, & nullum quidem ante Sebastianum, ad quem extant Epistolæ S. Gregorii Magni. Creationem & successionem Episcopalem sæpe interrumpi oportuit propter iniquitatem temporum, incursiones barbarorum, vastationes regionum, infectationes & injurias schismaticorum; vel si qui inter eas turbas & calamitates fuerunt Episcopi, eorum nomina & acta vetustas obruit, & oblivio delevit. Demum eo res venit, ut jamdudum Episcopi Rhizinienses creari desierint; & hujus Ecclesiæ ac diœcesis administratio Episcopis Catharensibus commendari solet. Quæ citra sinum Rhizonicum ad occasum, quæque supra eumdem sinum ad septemtrionem vergunt, imperio ac jurisdictione Episcopi Rhizinienſis continentur; ejusque diœcesis finitima est Tribunienſi, Bosnensi, & Ragusinæ; qua in ortum spectat, confinis est Catharensi, quæ ab oriente ultra sinum supraque, longe lateque porrigitur. Principio cum reliquis omnibus Dalmatiæ Ecclesiis ad jurisdictionem Metropolitæ Salonitani pertinebat. Sæculo quarto, vel quinto, cum instituta fuit Metropolis Scodrensis, in hujus ditionem potestatemque cum Diocletana, & fortassis etiam Catharensi Ecclesia migravit. Sæculo nono in Concilio Delmitano, Scodra in ordinem urbium Episcopalium redacta cum esset, Dioclea civitas primaria Serblorum, ex decreto ejusdem Concilii, jus nomenque metropoliticum obtinuit; eique fere omnes Episcopi Dalmatiæ superioris attributi, & cum Catharensi etiam Rhizinienſis Ecclesia. Post Diocleam a Simeone Bulgarorum rege everſam anno circiter tricesimo sæculi decimi, Ecclesia Rhizinienſis, & Catharensis, cum plerisque aliis, in jus potestatemque Metropolitæ Spalatensis, antea Salonitani, redierunt. Sæculo demum undecimo, cum quatuor Episcopi Dalmatiæ superioris, Antibarensis, Dulcinensis, Catharensis, Svacensis, Spalatum navigio profecti ad Concilium Provinciale, naufragio periissent, Dalmatia superior iterum a provincia Spalatensi divulsa fuit, & suam propriamque Metropolim ecclesiasticam adepta est, vel potius recuperavit; siquidem restituta fuit Metropolis Diocletana; & sedem Archiepiscopalem Antibari, quæ civitas nobilissima erat, prope a mari, nec ita longe a Diocletanis ruderibus remota, constitui placuit, eique attribui Ecclesias Dalmatiæ superioris ultra Ragusium, quibuscum Rhizinienſis quoque Ecclesia in ditionem migravit ejusdem Metropolitæ, qui *Dioclienſis*, & *Antibarenſis* dici solebat, cum in locum jusque Diocletani suffectus fuisset. In monumentis & scriptoribus posteriorum ætatum Ecclesiam Rhizinienſem alias Antibarenſi, alias Ragusinæ Metropoli subjectam invenio. Nunc Rhizinium, ut supra dixi, vicus est exiguus, & sede Episcopali plane indignus; ac multo frequentius ab Rascianis ritus Græci, quam a Catholicis ritus Latini habitatur; diœcesis vero Ecclesiæ Rhizinienſis administratio committi solet Episcopo Catharensi. Illud ad extremum hic animadverti velim, Rhizinium non solum nostris, sed etiam antiquioribus temporibus *Rosonum*, sive *Rosonium* appellari. *Rosonum*, inquit Ferrarius, *urbs Dalmatiæ, olim Rhizinium*. Hinc hæc diœcesis *Rosonenſis*, & *Rosenſis*, Episcopi vero *Rosonenſes*, & *Rosenſes* dicti. In Geographia Ecclesiastica cum alii reperiantur Episcopatus ejusdem fere nominis, veluti Rosenensis Archiepiscopatus in Calabria citeriori, item in Hibernia, Sardinia, & alibi, diligenter nobis cavendum erit, ne qui alio pertinent, eos inter Episcopos Rhizinienſes annumeremus. Non deerunt notæ, vel certæ, vel probabiles iisdem appositæ, ex quibus internosci possint. Nunc antiquioribus Episcopis Rhizinii ante sæculum sextum prætermissis, quos nimia vetustas, & veterum tabularum jactura posteritati præripuit, paucos illos, quorum nomen & memoria ad nostram ætatem pervenit, ex ordine chronologico subjiciemus.

Series Episcopalis mutila & sæpe interrupta.

Dioceſis Rhizinienſis quibus Metropolitis subjecta.

Nunc commendata Episcopo Catharensi

SEBASTIANUS EPISC. RHIZINIENSIS I.

Sebastianus Episcopus Rhizinienſis, ad quem S. Gregorius M. binas epistolas dedit.

Duas habemus Epistolas S. Gregorii Magni ad eum scriptas, alteram primo pontificatus anno, æræ vulgaris 591, alteram quinto, æræ itidem vulgaris 595. Prioris argumentum hoc est: leniter ac blande ejus oblivionem & incuriam fugillat, quod nullas adhuc ad se littera dederit. Anastasii Patriarchæ Antiocheni sua sede expulsi, quem ad urbem venire cupiebat, animum diligenter exploret; atque ad se perscribat, utrum Romam venire decreverit, ubi vitam honorifice traducat, quando sedem & Ecclesiam sibi ereptam recuperare nequeat.

Gregorius Sebastiano Episcopo Rhizinienſi.

Quamvis nulla merui beatitudinis vestræ scripta suscipere, tamen ego etiam obliviscentem me non obliviscor, negligentem pulso, torpentem amoris stimulis inquieto: ut qui ex semetipso non vult impendere, vel pulsatus sciat reddere quod debet. Præterea indico suggestionem me apud piissimos Dominos summis precibus plenam fecisse, ut virum beatissimum Domnum Anastasium Patriarcham, concesso usu pallii, ad Beati Petri Apostolorum Principis limina, mecum celebraturum solemnia Missarum, transmittere debuissent: quatenus si ei ad sedem suam minime reverti liceret, saltem mecum in honore suo viveret. Sed quæ causa contigerit, ut eadem scripta retinerem, præsentium lator vobis innoteſcet. Ejusdem tamen Domni Anastasii animum cognoscite; & quidquid ei de hac re placuerit, vestris mihi epistolis indicate.

Altera Epistola in hanc sententiam scripta est: se laboriosissimi regiminis suscepti, & vitæ hujus curis atque ærumnis refertissimæ usque adeo tædere, ut nihil optet vehementius, quam ad cælestem patriam quietemque transferri; incredibile dictu esse, quantas sollicitudines & molestias sibi creaverit Romanus Exarchus; præ cujus avaritia, & malignitate levia videri possunt, quæ ad urbis Italiæque vastationem Langobardi hostes infensissimi intulerant. Quod oblatam ab

Digitized by Google

Anaſtaſio Patriarcha Antiocheno, in ſuam ſedem reſtituto, Eccleſiam regendam reſpuerit, id vero ſibi valde probari; multas eſſe in Sicilia Eccleſias, quæ tunc carebant Epiſcopis; ſe illi poteſtatem optionemque facere, ut eligat quam velit; Eccleſias Siculas hoc præſtare Antiochenis, quod ab urbe, Beatique Petri liminibus propius abſunt.

Gregorius Sebaſtiano Epiſcopo Rhizinienſi.

Epiſtola ſecunda.

Dulciſſima, atque ſuaviſſima fraternitatis tuæ ſcripta ſuſcepi, quæ mihi, quamvis numquam deſit a corde, ſanctitatem tamen veſtram quaſi corporaliter præſentem fecerunt. Sed omnipotentem Dominum rogo, ut ſua vos dextera protegat, nobiſque & hic tranquillam vitam, & quando ei placuerit, præmia æterna concedat. Sed peto, ſi illo amore me diligitis, quo præſentem ſemper amaſtis, ut pro me enixius ſemper exoretis, quatenus omnipotens Deus a peccatorum meorum nexibus me citius ſolvat, & corruptionis hujus pondere exutum, ſuo conſpectui liberum exiſtere faciat. Quamvis enim inæſtimabilis ſit cæleſtis patriæ dulcedo, quæ trahat, multi tamen in hac vita dolores ſunt, qui ad amorem cæleſtium quotidie impellant. Qui mihi in hoc ſolum vehementer placent, quia placere in hoc mundo aliquid non permittunt. Quæ enim, Frater Sanctiſſime, de amici veſtri Domni Romani perſona in hac terra patimur, loqui minime valemus. Breviter tamen dico, quia ejus in nos malitia gladios Longobardorum vicit; ita ut benigniores videantur hoſtes, qui interimunt, quam reipublicæ judices, qui nos malitia ſua, rapinis, atque fallaciis in cogitatione conſumunt. Et uno tempore curam Epiſcoporum atque Clericorum, monaſteriorum quoque & populi gerere, contra hoſtium inſidias ſollicitum vigilare, contra Ducum fallacias atque malitias ſuſpectum ſemper exiſtere, cujus laboris, cujus doloris ſit, veſtra fraternitas tanto verius penſet, quanto me, qui hæc patior, purius amat. Præterea debitum ſalutationis alloquium ſolvens, indico quod ad me, Bonifacio Defenſore referente, pervenerit, quia vir ſanctiſſimus Frater noſter Domnus Anaſtaſius Patriarcha in una ſuarum civitatum regendam vobis Eccleſiam committere voluit, & conſentire noluiſtis. Quem ſenſum, ac ſapientiam veſtram valde ego libenter amplexus ſum, laudavi vehementer, & vos felices, me infelicem deputavi, qui hoc tali tempore regimen Eccleſiæ ſuſcipere conſenſi. Si tamen animus veſter fortaſſe fratribus condeſcendendo, & miſericordiæ operibus intentus, ad hoc umquam conſentire decreverit, peto ut amori meo alium minime præponatis. Sunt enim in Sicilia inſula Eccleſiæ vacantes Epiſcopis; & ſi vobis placet auctore Deo Eccleſiam regere, juxta B. Petri Apoſtoli limina, cum ejus adjutorio melius poteſtis. Si vero non placet, feliciter inſta, ut iſta in vobis intentio permaneat; & pro nobis infelicibus exora. Omnipotens autem Deus in quocumque vos eſſe loco voluerit, ſua protectione cuſtodiat, & ad cæleſtia vos dona perducat.

Ex his Gregorianis litteris tum cognoſci poteſt, quanti Gregorius Sebaſtianum faceret, quantoque opere diligeret, tum intelligi hunc eximiis virtutibus ac meritis præditum fuiſſe, qui talis ac tanti Pontificis ſingularem gratiam atque amorem ſibi conciliaverit. Illuſtrem quoque ac celebrem virum fuiſſe oportet, quem Romanus Exarchus Ravennæ ſua dignum amicitia exiſtimavit. Ex utraque vero Epiſtola videtur conjici poſſe vel Sebaſtianum ab Eccleſia ſua extorrem, tunc diverſatum fuiſſe in partibus Orientis, ubi Anaſtaſius, cognomento Synaita, Patriarcha Antiochenus exſulabat, vel certe hunc ſede Antiochena expulſum, ſe Rhizinium apud Sebaſtianum, vel in aliquod aliud oppidum Dalmatiæ recepiſſe. Nam vel ibidem utrumque, ubi alter erat, fuiſſe neceſſe eſt, vel neutrum ab altero longinquitate locorum diſtaſſe; quippe Sebaſtiano ex mandato Gregorii conveniendus erat Anaſtaſius, ejuſque animus explorandus, num ad profectionem Romanam inclinaret: nec vero iter in Aſiam æque periculoſum ac longinquum Sebaſtiano Gregorium imperaſſe crediderim. Anaſtaſium virum ſanctiſſimum, calumniis iniquorum hominum circumventum, Juſtinus Junior Imperator e Patriarchatu Antiocheno dejecerat, atque in exſilium expulerat. In ejus locum ſucceſſit Gregorius, qui cum anno 594. obiiſſet, Mauritio imperante, & Gregorio Papa enitente, ſedem Antiochenam Anaſtaſius recuperavit, cum annos quatuor & viginti exſulaſſet. Ex ſecunda Gregorii ad Sebaſtianum Epiſtola anno 595. data, luculentius apparet illum ab Eccleſia Rhizinienſi depulſum fuiſſe, aut certe ob tempora illa rei publicæ, & Chriſtianæ calamitoſa, eam dimittere voluiſſe; niſi enim aut Eccleſiam ſuam amiſiſſet, aut illius relinquendæ conſilium cepiſſet, nihil cauſſæ erat, cur aliam vel Anaſtaſius in diœceſi Antiochena, vel Gregorius in Sicilia Eccleſiam illi regendam offerrent.

Sebaſtianus ſede ſua pulſus in Aſia apud Anaſtaſium, vel Anaſtaſius itidem expulſus, in Dalmatia apud Sebaſtianum exſulabat.

Nunc vero inveſtigari oportet, quæ cauſſa, quæve rerum ac temporum illorum acerbitas Sebaſtianum Rhizinio expulerit, vel in eam mentem adduxerit, ut Eccleſiam Rhizinienſem deſerendam ſibi eſſe cenſuerit. In ea Dalmatiæ ſuperioris extrema regione, quæ ad orientem & meridiem vergit, ac Prævalitana dicitur, Oſtroyllus genere Gothus, ingenti Gothorum & Slavorum exercitu illuc traducto, Regnum Gothico-Slavum fundavit intra finem ſæculi quinti, quod annos circiter centum & quadraginta ſteſtit, viguitque, Oſtroylli ſucceſſores ac poſteri, quamvis aut Ariana labe infecti, aut Deorum inanium ſuperſtitionibus obſtricti, nullam fere injuriam aut moleſtiam, præter Senulatum Oſtroylli filium, Chriſtianis intulerunt, uſque ad Ratomirum, qui anno circiter 580. Regnum Prævalitanum adeptus, ejuſque finibus in occaſum propagatis, Chriſtianæ religioni crudele bellum indixit. Ex hujus progenie quatuor deinceps regnarunt, quorum nomina ignota ſunt. Hi nihilo mitiores ſe Chriſtianis præbuerunt, eoſque immanitate ac rabie tyrannica divexarunt. Hæc ex hiſtoria Presbyteri Anonymi Diocleatis, & Codice Slavonico, quem Marcus Marulus latinitate donavit; & uberius ac dilucidius a nobis expoſita ſunt Tomo II. Illyr. Sacr. in Archiepiſcopis Salonitanis Honorio II, Honorio III, Frontiniano, Honorio IV, & Natali. Sed ea tempeſtas potiſſimum in Epiſcopos Dalmatiæ ſuperioris incubuit, ad quos ſpectare videtur Epiſtola S. Gregorii ad Epiſcopos Illyrici Orientalis anno primo Pontificatus, Chriſti 591, menſe Junio ſcripta. His ſiquidem commendavit Epiſcopos illos ſuis ſedibus expulſos, rerumque omnium egentes; ut eos, quemadmodum etiam Jobinus Præfectus Illyrici iiſdem nomine Imperatoris mandaverat, benigne accipiant, iiſdemque ad victum & cultum neceſſaria ſuppeditent.

Gothorum & Slavorum Reges Epiſcopis & Chriſtianis maxime infenſi,

quos S. Gregorius commendavit Epiſcopis Illyrici Orientalis,

Gre-

Digitized by Google

Epistola Gregorii ad Episcopos.

Gregorius Universis Episcopis per Illyricum.

Jobinus excellentissimus vir, filius noster, praepositus per Illyricum, scriptis suis nobis indicasse dignoscitur, ad se sacris apicibus destinatis, jussum fuisse, Episcopos, quos a propriis locis hostilitatis furor expulerat, ad eos Episcopos, qui nunc usque in locis propriis degunt, pro sustentatione & stipendiis praesentis vitae esse jungendos. Et licet ad hoc fraternitatem vestram jussio principalis admoneat, habemus tamen majus his mandatum aeterni Principis, quo ad haec terribilius peragenda compellimur, ut non dico fratres & Coepiscopos nostros, sed ipsos etiam, quos nobis contrarios patimur, cum opportunitas postulat, in conferendis subsidiis necessitatum carnalium diligamus. Oportet ergo vos ad hanc rem & caelesti primitus Principi obedientes existere, & Imperialibus etiam jussionibus consentire; quatenus fratres Coepiscoposque nostros, quos & captivitatis, diversarumque necessitatum angustiae comprimunt, debeatis consolandos, convicturosque vobiscum in ecclesiasticis sustentationibus libenter suscipere, non quidem, ut per communionem Episcopalis throni dignitas dividatur, sed ut ab Ecclesia, juxta possibilitatem sufficientiae, debeant alimenta percipere. Sic enim & proximum in Deo, & Deum in proximo diligere comprobamur. Nullam quippe eis nos in vestris Ecclesiis auctoritatem tribuimus; sed tamen vestris solatiis contineri summopere hortamur. Mense Junio, Indictione nona, quae congruit cum anno Aerae vulgaris 591.

Huc etiam pertinent, opinor, illae sollicitudines ac molestiae, quibus se vehementer angi querebatur Natalis Archiepiscopus Salonitanus in suis ad Gregorium litteris an. 592, & perturbari atque impediri, quo minus vacare posset lectioni sacrorum librorum, quae animum tranquillum, ab omnique perturbatione vacuum requirit: id questum esse ex litteris Gregorii ad eum redditis intelligi licet: *Illud autem, frater dulcissime, quod tribulationibus pressum te legere posse abnegas, minus ad excusationem idoneum puto; cum Paulus dicat: Quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, & consolationem Scripturarum spem habeamus. Si igitur ad consolationem nostram sacra Scriptura praeparata est, tanto magis eam debemus legere, quanto magis nos conspicimus sub tribulationum fasce lassari.* Hujusmodi sollicitudines & anxietates, quibus conflictabatur Natalis, non aliunde ortas fuisse arbitror, nisi ex tyrannica illa & acerbissima vexatione, qua premebantur Episcopi & Christiani, non solum Praevalitanae, sed etiam Salonitanae provinciae; eorumque aerumnas maxime dolebat, praesertim cum in tali ac tanta calamitate nihil illis praesidii & solatii afferre posset. Haec temporis procella Ecclesiam Rhizinienſem quoque & Sebastianum Episcopum perculit, qui vel in exsilium pulsus suam sedem amiserat, vel cum inter acerbissimos illos Christiani nominis hostes, neque suo munere fungi, neque populis sibi commissis, quae sunt Episcopi, officia praestare posset, Ecclesiae illi nuncium remittere decreverat. Quare illum Gregorius in Siciliam, Anastasius in Asiam ad sedem stationemque tranquillam, ac nulli perturbationi obnoxiam invitabant, ubi tutissime degere, utilemque operam plebi Christianae navare posset. De Sebastiano praeter haec, nihil habeo quod scribam; neque illud mihi compertum est, utram Ecclesiam a Gregorio, vel Anastasio sibi oblatam, regendam susceperit.

Ecclesiae Dalmaticae, & Episcopi ab tyrannis vexati.

Post Sebastianum ea consecuta sunt tempora, plena turbarum & calamitatum, ut Christianis, Dalmatiae praesertim inferioris, nihil a periculis ac molestiis vacuum reliquerint, & Ecclesias illas fere omnes suis Episcopis orbatas ingentibus malis oppresserint. Haec crudelis Christianorum oppugnatio tenuit usque ad annum unde quadragesimum saeculi septimi, cum Abarum & Slavorum ingens multitudo ex regionibus ultra Danubium profecta atque in Dalmatiam effusa, Salonam, Epidaurum, aliasque urbes eversas atque incensas solo aequarunt, totamque Dalmatiam atque Istriam praedando, urendoque vastarunt. Anno proximo primum Chrobati, deinde Serbli, utraque gens Slavonica, victis expulsisque Avaribus, Dalmatiam mediterraneam occuparunt concessu Heraclii Imperatoris, qui civitates maritimas insulasque in sua potestate retinuit; & utrisque in clientelam Imperii receptis annuum tributum imperavit. Chrobatis Dalmatia inferior, Serblis superior obtigit. Hi extincto rege Praevalitano postremo ex stirpe Ostroylli, & Dalmatiam transalpinam inter Savum & montes Ardios adepti, quae nunc Bosina dicitur, itemque Moesiam superiorem, quae nunc Serblia appellatur, regnum Serblianum, amplitudine regionum, multitudine incolarum, viribus atque opibus praepollens condiderunt. Primum eorum regem Presbyter Diocleates Zuonimirum, Marcus Marulus e suo Codice Slavonico Satimerum vocant. Constantinus Porphyrogenitus Dalmatiam superiorem, quae Serblis obvenerat, in quatuor partes divisit, ut supra dictum est; atque in eam, quam Terbuniatae & Canalitae incolebant, Rhisenam, idest Rhizinium, nunc Risanum conjecit. Haec ex Porphyrogenito, & Diocleate, quae Tomo I. & II. Illyrici Sacri variis locis distinctius & fusius a nobis declarata sunt.

Clades & vastatio Dalmatiae.

Regnum Serblianum.

Joannes primus Spalatensium Archiepiscopus is, qui a patria cognominatus est Ravennas, cum plerosque Chrobatorum & Serblorum, ab inanium Deorum cultu ad Religionem Christianam traductos, sacro baptismate expiasset anno circiter 670., suos Ecclesiis Avarica clade vastatis Episcopos restituit, ut tradit Archidiaconus: *Restaurabat Ecclesias, ordinabat Episcopos, Parochias disponebat.* An vero tunc Rhizinienſes quoque suum recuperaverint Episcopum, mihi non liquet. Certe quidem ab hoc usque ad saeculum decimum tertium, si qui fuerunt Episcopi, nullus est, cujus nomen ex antiquis monumentis aut veterum scriptis proferre possim. Saeculo nono cum in Concilio Delmitano instituta fuit Metropolis Diocletana, eique attributi Episcopi Dalmatiae superioris, inter hos nullum Rhizinienſem Episcopum nominatum invenio; & saeculo undecimo, cum post Diocleam superiori saeculo a Bulgaris eversam, Antibaris in locum jusque metropoliticum Ecclesiae Diocletanae subrogata fuit, Alexander II. in Epistola *Petro Ven. Archiepiscopo Dioclienſi atque Antibarenſi* inscripta, datae anno 1062, omnes quidem Ecclesias eidem subjectas nominatim percenset; sed ab illis abest Rhizinienſis. Ex his videtur colligi posse, tum nono saeculo, cum habitum fuit Concilium Delmitanum, tum anno 1062, cum Alexander eas litteras ad Petrum scripsit, Ecclesiam Rhizinienſem Episcopo caruisse. Hunc E-

Joannes primus Spalaten. Archiepiscopus Ecclesias Dalmatiae restituit.

Post Sebastianum per annos fere septingentos nullus reperitur Episcopus Rhizinienſis.

Digitized by Google

piſcopatum diu quidem ob varios caſus eventuſque rerum vacaſſe arbitror; nunquam tamen omnino antiquatum & abolitum fuiſſe exiſtimo; ſed vel cum Catharenſi, cui nunc adhæret, vel cum aliqua alia non ita longe diſjuncta Eccleſia conjunctum. Poſt Sebaſtianum igitur per annos circiter ſeptingentos Eccleſia Rhizinienſis vel nullos proprios habuit Epiſcopos, vel ſi quos forte habuit, eorum nulla extat memoria litteris conſignata. Sæculo decimo tertio hæc Eccleſia quodammodo e tenebris emergere, atque in eccleſiaſticis ſcriptis ac tabulis apparere cœpit; ſed poſt unum, itemque alterum Epiſcopum, rurſus Antiſtite proprio carens, per aliquot annos delituit. Eodem revera ſæculo ſuos recepit Epiſcopos, licet ex his plures ſuam Eccleſiam non adierint pro funeſtis illorum temporum viciſſitudinibus, quibus ea loca plerumque fuerunt obnoxia. Primus itaque, qui poſt dimidium ſæculi decimi tertii Epiſcopus Rhizinienſis renunciatus eſſe videtur, is eſt

MICHAEL EPISC. RHIZINIENSIS II.

Michael Epiſc. an. 1271.

Patria Tridentinus, & familiæ Auguſtinianæ alumnus, cui Rhizinienſis Epiſcopatus titulus collatus fuit an. circ. 1271., & Vicarium egit Egnonis Epiſcopi Tridentini. Hunc Torellus Tomo IV. Ann. Auguſt. ad an. 1271. *Roſſenſem* ſeu *Roſſanenſem* Epiſcopum appellat. Egnonis facultate cœnobium & Eccleſiam Marcianam ſui Ordinis exſtrueda curavit Tridenti, huc ſuis fratribus advocatis, qui Barbanigæ cœnobium in agro Tridentino incolebant. Hæc ex Bonello in Monum. Ital. S. Adelpreti Tomo II. pag. 154. & 1603. ubi dicitur *F. Michael Tridentinus Epiſcopus Roſſanenſis, Roſenſis, ſeu Roſonenſis, & in patria ſua ſuffraganeus*; tum Tomo III. pag. 343. De titulo vero Roſonenſis Epiſcopatus pro Rhizinienſi paullo inferius agemus.

NICOLAUS EPISC. RHIZINIENSIS III.

Nicolaus Ep. Rhizin. obiit anno circiter 1350.

Ex Epiſtola Clementis VI. ad proximum ejuſdem Nicolai ſucceſſorem. Hujus quoque mentionem fecit Lucas Vadingus Tomo IV. Annalium; ſed præter nomen, Epiſcopatum, & annum emortualem, ſæculi decimi quarti quinquageſimum, vel huic proximum, nihil de illo vel in Clementina illa Epiſtola, vel apud Vadingum, vel denique apud alios ſcriptores reperire licuit.

DUIMUS EPISC. RHIZINIENSIS IV.

Duimus Franciſcanus Ep. Rhizinien. an. 1350.

Ortu Spalatenſis, e præclariſſima ſodalitate Patrum Minorum S. Franciſci, vir inſignis doctrinæ ac religionis, quem Clemens VI. Epiſcopum præfecit Eccleſiæ Rhizinienſi, quæ cum per ea tempora tum Boſnenſibus hæreticis, tum Raſcianis ſchiſmaticis circumſepta, maximo in diſcrimine verſaretur, Rectore docto, vigilanti pioque indigebat. Extat Epiſtola Clementis, qui dum adhuc Nicolaus vivebat, jus eligendi ſucceſſoris Epiſcopi Rhizinienſis ad ſe revocaverat, inſcripta *Dilecto filio Duimo de Spalato electo Reſinenſi*, quam hic ſubjicio.

Epiſtola Clementis VI. ad Duimum.

Summi diſpoſitione Rectoris, ad regimen univerſalis Eccleſiæ deputati, angimur curis aſſiduis, ut opem & operam, quantum nobis ex alto conceditur, impendamus, ut Orbis Eccleſiæ univerſæ Paſtoris regimine deſtitutæ, per noſtræ providentiæ ſtudium, viris committantur idoneis, qui ſciant, velint, & valeant Eccleſias ipſas eis commiſſas ſtudioſe regere, prudenter dirigere, & ſalubriter gubernare. Nuper ſiquidem bonæ memoriæ Nicolao Epiſcopo Reſinenſi, regimini Reſinenſis Eccleſiæ præſidente, nos cupientes ipſi Eccleſiæ, cum eam quovis modo vacare contingeret, utilem & fructuoſam, per Apoſtolicæ Sedis providentiam, præeſſe perſonam; proviſionem ejuſdem Eccleſiæ diſpoſitioni noſtræ, ac dictæ Sedi duximus ſpecialiter reſervandam; decernendo ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcumque, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero prædicta Eccleſia, per obitum ipſius Nicolai, qui nuper extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, Paſtoris ſolatio deſtituta: nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem & felicem, de qua nullus præter nos ſe hac vice intromittere poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne longæ vacationis deploraret incommoda, paternis & ſollicitis ſtudiis intendentes, cupientes quoque ipſi Eccleſiæ Reſinenſi talem præeſſe perſonam, quæ ſciret, vellet, ac poſſet eam præſervare a noxiis & adverſis, ac in ſuis manutenere juribus, & etiam adaugere: poſt deliberationem, quam ſuper his cum fratribus noſtris habuimus, diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Minorum, in Sacerdotio conſtitutum, quem litterarum ſcientia præditum, vitæ ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, ac aliis multiplicium virtutum meritis laudabiliter, prout ex teſtimoniis fide dignis accepimus, inſignitum, convertimus oculos noſtræ mentis: quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem fratribus noſtris, conſideratione præmiſſorum accepta, præfatæ Reſinenſi Eccleſiæ, de fratrum ipſorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum & Paſtorem; curam & adminiſtrationem ipſius tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo; firma ducti fiducia, quod tuos actus & opera, illius, a quo univerſorum chariſmatum dona proveniunt, clementia dirigente, præfata Reſinenſis Eccleſia, per tuam curioſam ſolertiam, tuumque miniſterium ſtudioſum, regetur utiliter, & proſpere dirigetur. Jugum igitur a Domino humeris tuis impoſitum ſuſcipiens reverenter, & ſuavi ejuſdem oneri humiliter colla flectens ipſius Reſinenſis Eccleſiæ ſollicitam curam geras, gregem Dominicum tuæ vigilantiæ creditum doctrina verbi & operis informando; ita quod eadem Reſinenſis Eccleſia gubernatore circumſpecto, & fructuoſo adminiſtratore gaudeat ſe commiſſam, ac bona famæ tuæ odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur; ac tu præter æternæ retributionis præmium, noſtræ benedictionis gratiam uberius conſequi merearis.

Datum apud Villam novam Avenionenſis Diœceſis Kal. Aprilis, anno Pontificatus noſtri IX. ideſt Æræ vulgaris 1350.

Alteram in eamdem fere ſententiam litteras dedit ad Archiepiſcopum Raguſinum, quem de novo Epiſcopo in ejus provincia creato, & Eccleſiæ Rhizinienſi præpoſito certiorem facit, atque ad Clerum Reſinenſem, quem monet atque hortatur, ut Paſtorem ſibi ab Sede Apoſtolica traditum reverenter ſuſcipiat, eique ad omnia morigerum ſe atque obedientem præbeat. Tunc ſcilicet Eccleſia Rhizinienſis non Antibarenſi, ſed Raguſino Metropolitæ ſuberat; idque conſtat

ſtat tum ex hac Epiſtola ad Archiepiſcopum Raguſinum, tum ex Vadingo: *In Reſinenſi*, inquit, *ſub Archiepiſcopo Raguſino per obitum Nicolai F. Duimus Spalatenſis*. Anno altero poſt ſuſceptum hujus Eccleſiæ regimen nondum elapſo, idem Pontifex Duimum migrare juſſit ad Eccleſiam Catharenſem regendam. Hunc in ſedem Rhizinienſem nullum ſubſtitutum fuiſſe invenio; nec vero abſimile eſt Duimum ex mandato Pontificio cum Epiſcopatu Catharenſi adminiſtrationem Eccleſiæ Rhizinienſis conjunxiſſe. Illis temporibus ut Catharum, ſic etiam Rhizinium obtinebant reges Serbliæ, ſive Raſciæ, fere omnes ſchiſmatici. Utramque urbem adeptus Ludovicus Rex Hungariæ, ad breve tempus in ſua poteſtate retinuit. Poſt mortem Ludovici Stephanus Tuartkus Regni Boſinenſis potitus, cum Chelmenſi provincia, aliiſque ſuperioris Dalmatiæ civitatibus, Catharum quoque & Rhizinium ad ſuum imperium adjunxit. Hic ad Sinum Rhizonicum, qua in occaſum ſpectat, arcem validiſſimam, & munitiſſimam ædificavit, quæ nunc Caſtrum novum appellatur, pertinetque ad diœceſim Eccleſiæ Rhizinienſis. Quos deinde proprios habuit hæc Eccleſia Epiſcopos, ii non Rhizinienſes, neque Riſinenſes, ſed *Roſenſes*, vel *Roſonenſes*, vel etiam *Boſonenſes*, appellari ſolent. In libris antiquis *taxarum omnium Eccleſiarum, & Monaſteriorum totius orbis terrarum*, hæc Eccleſia *Roſſenſis*, *Roſonenſis*, *Boſonenſis*, *Roſcenſis* nominatur, & in *Sclavonia ſub Archiepiſcopo Raguſino* conſtituitur. Hinc *Roſonum urbs Dalmatiæ, olim Rhizinium*, apud Ferrarium; & *Roſa, ſeu Roxa urbs Epiſcopalis Dalmatiæ ſub Archiepiſcopo Raguſino, exciſa, & Aſcrivio proxima*, apud eumdem Ferrarium: ſed in duabus notitiis quinque Patriarchatuum, de quibus in N. N. Epiſcopo Catharenſi II. commodius agemus, uterque Epiſcopatus *Boſſonenſis* ſeu *Boſſenenſis*, & *Roſe* diſtinguitur, & uterque Raguſinæ Metropoli adjicitur; ſed *Boſſenenſis* idem eſt ac *Boſnenſis*; *Roſe* vero Epiſcopus is eſt, qui *Rhizinienſis*, quique, ut ego autumo, Rhizinio everſo ſedem ſuam *Roſam*, ſeu *Roſas* oppidum ad fauces Sinus Rhizonici ſitum tranſtulit; unde *Roſe* Epiſcopus appellatur, & quandoque *Catharenſis ſeu Roſæ*, cum nimirum Eccleſia Rhizinienſis Antiſtiti Catharenſi erat commendata, de quo in hiſtoria Eccleſiæ Raguſinæ plura dicta ſunt. Eſt Metropolis *Roſſanenſis* in Calabria, Epiſcopatus *Roſſenſis* in Hibernia, Boſanenſis in Sardinia, *Boſonenſis* in Bolina. Cum itaque plures ſint Eccleſiæ & Epiſcopatus ejuſdem fere nominis, notam aliquam adhiberi oportet, qua Rhizinienſis ab illis internoſci poſſit. Hiſtoria Eccleſiæ Zagrabienſis, ex commentariis MSS. Raphaelis Levacovichii Epiſcopi Achridenſis, tres mihi Epiſcopos Roſonenſes ſuppeditavit, Andream, Conſtantinum, & Georgium, qui Epiſcopis Zagrabienſibus vicariam operam navarunt. Mihi admodum veriſimile eſt hos referendos eſſe in numerum Antiſtitum Rhizinienſium. Rhizinium temporibus illis refertum erat ſchiſmaticis, & ſtatio male fida Epiſcopis Catholicis, qui cum ſedem non haberent, ubi tuto conſiſterent & muneribus Epiſcopalibus fungerentur, operam ſuam aliis Epiſcopis deferebant; quam quidem Zagrabienſes præſertim, libenter acceptabant, aut ultro etiam depoſcebant, cum propter magnitudinem diœceſis, & multitudinem ac varietatem curarum Epiſcopalium, auxiliaribus Epiſcopis indigerent.

Duimus ad Catharenſem Eccleſiam translatus adminiſtrationem Rhizinienſis retinuiſſe videtur.

Epiſcopi Rhizinienſes exinde varie appellati.

ANDREAS EPISCOPUS RHIZINIENSIS V.

Hunc ab Eberhardo Epiſcopo Zagrabienſi, qui primum inter annos 1398. & 1406., deinde inter annos decimum & viceſimum ſæculi decimi quinti, ſedem illam pontificalem tenuit, adjutorem ad munera Epiſcopalia obeunda ſibi adſcitum fuiſſe ajunt. Nihil præterea de illo litteris traditum invenio. Andreas Epiſc. Rhiz.

HENRICUS EPISC. RHIZINIENSIS VI.

Quem habeo ex Bibliotheca Carmelitana, quippe huic religioſæ familiæ adſcriptum: ita enim in Tomo II. in Catalogo Antiſtitum Carmelitarum: *Henricus de Tolvis Roſſenſis in Dalmatia Epiſcopus* 1400., & in altero Catalogo Scriptorum hujus Ordinis per cognomina deſcripto: *de Tolnis aut Tolvis Henricus, idem atque Tolins Henricus Mechlinienſis* 1420. ſed in ipſa Bibliotheca nihil de illo memoriæ proditum. Annus in utroque Catalogo non cohæret: cum vero incertum ſit, quo anno Andreas ejus prædeceſſor vitam finierit, nihil de Henrici Epiſcopatu tuto poſſumus definire.

CONSTANTINUS EPISC. RHIZIN. VII.

De quo in Actis Conſiſtorialibus: 1423. VII. *Idus Julii proviſum eſt Eccleſiæ Roſenſi in Sclavonia vacanti per mortem, de perſona fratris Conſtantini Ordinis ſervorum Pœnitentiarii*. Poſitio Slavonica indicio eſt Eccleſiam Roſenſem eamdem eſſe ac Rhizinienſem; nam & Catharenſis Eccleſia ab Rhizinio non longe diſjuncta, in libro Taxarum ſita dicitur in Sclavonia. Hic *ſuffraganeus* ſive adjutor fuiſſe dicitur Joannis IV. Epiſcopi Zagrabienſis, qui Eberhardo fratri ſeu patruo in Sedem Zagrabienſem ſuffectus, Epiſcopatum & vitam amiſit anno 1431. De Conſtantino ſilet Gianius in Hiſt. Ord. Serv. Conſtantinus Epiſc. Rhiz. 1423.

GEORGIUS EPISC. RHIZINIENSIS VIII.

Hujus quoque miniſterio ad ſuam Eccleſiam regendam idem Joannes Epiſcopus Zagrabienſis uſus fuiſſe traditur, qui cum eſſet *Cancellarius* Sigiſmundi Imperatoris ac Regis Hungariæ, ſæpe ab ſua diœceſi abeſſe cogebatur. Poſt Joannem cum Eccleſia Zagrabienſis Epiſcopo proprio per annos fere decem caruerit, duos vel tres per ea tempora adminiſtratores habuit, Epiſcopali charactere inſignitos. In his Abel fuit *Sacræ Sedis Apoſtolicæ Magiſter Protonotarius*, quem Thomas Kovaſcovichius, in Hiſtoria MS. Antiſtitum Zagrabienſium, Epiſcopum *Roſonenſem* fuiſſe cenſet. Hunc quoque Catalogo Epiſcoporum Rhizinienſium adſcriberem, niſi me dehortaretur auctoritas Balthaſaris Kereſelichii, qui Abelem vocat Epiſcopum *Olmenſem*; itemque Joannes Epiſcopus Buſanenſis, ideſt Rhizinienſis, quem mox ſubjiciam, cujus Epiſcopatus in illud interregnum Zagrabienſe incurrit. *Roſenſem Epiſcopatum anno* 1428. *Fratri Ediburgo Ordinis Carmelitarum per obitum Henrici vacantem, & anno* 1429. *F. Uvalterio Ordinis Prædicatorum per obitum Domini Maurini vacantem* in tabulis Conſiſtorialibus attributum invenio. Neutrum inter Epiſco- Georgius Ep. Rhiz.

Tres Epiſcopi ab Catalogo Antiſtitum Rhizin. arcendi.

Digitized by Google

ſcopos Rhizinienſes annumerandum cenſeo; illis quippe annis titulum dignitatemque Epiſcopalem Eccleſiæ Rhizinienſis Conſtantinus vel Georgius obtinebat; & de Ediburgo nihil in laudata Carmel. Biblioth. quem credi facile poteſt collatam ſibi poſt Henricum dignitatem ante abdicaſſe, quam acciperet.

JOANNES EPISC. RHIZINIENSIS IX.

Joannes Franciſcanus Ep. Buſanen. ſive Rhiz. idem ac Joannes Ep. Buſanen.

Ex familia Franciſcana, quem F. Petrus Antonius ejuſdem Ordinis in ſuo *Viridario Seraphico* vocat *Epiſcopum Buſanenſem in Dalmatia*, ejuſque Pontificatum anno 1432. affixit. Epiſcopatus Rhizinienſis in *Libris Taxarum* interdum Boſonenſis appellatur, ut ſupra monuimus. Auctor Viridarii Seraphici Eccleſiam *Buſanenſem*, cum in Dalmatia conſtituerit, ſatis perſpicue diſtinxit ab Eccleſia Boſinenſi; præterquam quod poſt Joannem Jomcum, qui anno 1410. vivere deſiit, nullus hoc ſæculo decimo quinto Epiſcopus Boſinæ fuit, cui Joanni nomen eſſet. In eodem Viridario ad annum 1434. adſcriptus eſt alter Joannes ex eadem S. Franciſci diſciplina, Epiſcopus *Buſenſis in Dalmatia*. Sed cum idem utriuſque nomen ſit eadem religioſa familia, ætas fere eadem, unum eumdemque fuiſſe arbitror, qui Epiſcopatum anno 1432. ſuſceptum quatuor deinde annos retinuit.

DIONYSIUS EPISC. RHIZINIENSIS X.

Dionyſius Epiſcop.

De quo hæc in Biblioth. Carmelit. pag. 405. *Dionyſius Stephani natione Belga, Carmelita Thenenſis, cujus notionem nobis exhibet ipſius Epitaphium in Eccleſia ſui Conventus Thenenſis, ante ſummum Altare, ubi jacet ſepultus, ſub lapide inſigni appoſitum, quod tale legitur.*

D. O. M.
Hic jacet inhumatus
Reverendus in Chriſto Pater
Dom. D. † Dionyſius Stephani
Epiſcopus Roſſenſis,
Necnon Suffraganeus Illuſtriſſimi
Dom. D. † Joannis De Heinsberge,
Epiſcopi Leodienſis:
Ex iſto Conventu Fratrum
Ordinis Carmelitarum Aſſumptus
Qui obiit Anno Domini MCDLVIII.
XXV. Die Menſis Octobris.

ejus obitus.

Ejus mentionem habent acta Conſiſtorialia Eugenii IV. decimo ſexto Kalendas Novembris anno 1436. Joannes Baptiſta de Lezana Tomo IV. Annal. an. 1458. num. 6. pag. 896., Auguſtinus Biſcarretus in Palmitibus vineæ Carmeli. Daniel a Virgine Maria in Vinea Carmeli pag. 505. num. 906. & pag. 585. num. 1047. Idem Daniel Tomo I. Specul. Carmeli pag. 919. num. 3203. &c.

Quæ ratio movit, ut Dionyſium inter Rhizinienſes Epiſcopos adnumerarem, hæc eſt; quod, cum Roſſenſis Epiſcopatus pro Rhizinienſi non raro intelligatur, & Dionyſius e ſua Eccleſia abſens Adjutorem ageret Antiſtitis Leodienſis, is certe Roſſenſi in Hibernia Eccleſiæ tum præeſſe non potuit, quæ nullis obnoxia calamitatum vicibus, ob quas licet interdum Eccleſiarum Paſtoribus alio ſecedere, ſuamque operam in aliorum ſalutem vicario munere impendere, ſuo Epiſcopo carere non debuit. Rhizinienſis vero Eccleſia per hæc ferme tempora continuis ſæviſque Turcarum excurſionibus turbata paucos habebat Chriſtianæ fidei cultores, nec liberum erat proprio Epiſcopo Paſtoris partes obire; quin haud multo poſt Rhizinium ipſum a Turcis captum fuit, & fœde direptum. Hinc eſt, quod Rhizinienſes hujus temporis Epiſcopi titulo ſolum hanc dignitatem gerebant, & aliis Epiſcopis in Germania præſertim Adjutorum munus præſtare ſoliti fuerunt: hujuſmodi autem fuiſſe putamus Dionyſium, cujus Epiſcopatus initia in annum 1436. rejici commode poſſunt ex actis Conſiſtorialibus.

Utrum vero in hac ſerie collocari queat etiam *Ægidius Roſſenſis Epiſcopus, & Trevirenſis ſuffraganeus*, de quo mentio ineſt in Biblioth. Carmel. ſuperius laudata, dubitandi cauſa eſt. Nam ejus Epiſcopatus anno circ. 1442. finitur; nec componi iccirco poteſt cum Epiſcopatu Dionyſii, qui *Roſſenſis Epiſcopi* titulum uſque ad obitum retinuit. Suſpicari tamen licet, Dionyſium fortaſſe, abdicato jure adeundi ſuam Eccleſiam, cum potuiſſet, poteſtatem illius regendæ alteri conceſſiſſe; & Ægidius quidem in ejus locum ſuffectus fuerit, qui, deſperato Rhizinienſis Eccleſiæ aditu, Treviros ſeſe receperit, ubi vicarii, ſive Adjutoris opera perfunctus eſt. Et hunc igitur libet cæteris adjungere, qui Eccleſiam Rhizinienſem quovis tandem modo tenuerunt; præſertim cum videam, fuiſſe alios, qui e Carmelitana familia hunc Epiſcopatum geſſerint; nec quiſpiam alter certo notus ſit, qui poſt Joannem aut Dionyſium illi Eccleſiæ præfuerit ad ſæculum uſque decimum ſextum. Itaque

ÆGIDIUS EPISC. RHIZINIENSIS XI.

Ægidius Epiſc.

Rhizinienſem Epiſcopatum obtinuit; quo anno incertum, ſed ſolo titulo poſtea geſſit, & Trevitis Pontificale munus vicarii vice, ſeu *ſuffraganei* exercuit. *Ægidius Roſſenſis Epiſcopus ex Ordine Carmelitano aſſumptus, Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Wilhelmi Epiſcopi, & Principis Argentoratenſis Suffraganeus: aſt dum diœceſis & patria iſta per bella adeo attrita eſſet, ut ipſemet D. Epiſcopus & Princeps Vilhelmus pro ſua dignitate ſubſiſtere in eadem vix poſſet, ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia Dominus noſter Ægidius tranſiit in diœceſim Trevirenſem, ibique Pontificalia adminiſtravit uſque ad annum 1442. quo mortuus fuit, & Conventui Trevirenſi ſua legavit; pro quibus dictus Conventus Trevirenſis, ſe ad memoriam ipſius in quatuor anni temporibus ſervandam perpetuis temporibus obligavit.*

ejus elogium.

Hæc ſcribuntur in cod. mſ. Actorum Capitularium Provinciæ Alemaniæ inferioris, & ex illo retulit in Hiſtoriam Provinciæ Carmelitanæ præfatæ Alemaniæ Jacobus Milendunck Prior & Provincialis, teſte Daniele a Virgine Maria Tomo II. Spec. Carmel. pag. 1105. num. 3919. Hactenus Biblioth. Carmel. Tomo I. pag. 10.

ADRIANUS EPISC. RHIZINIENSIS XII.

Adrianus Epiſc. an. 1517.

Ut ſuperiores Epiſcopi inter Duymum & Andream interjecti, ſic poſt Ægidium, ſiqui fuerunt Epiſcopi uſque ad annum 1517, mihi ſunt ignoti; & tabulas ac ſcriptores illorum temporum ſcrutanti nullum invenire licuit, de cujus Epiſcopatu Rhizinienſi aliquid certi affirmare poſſim. De Adriano itaque hæc leguntur in actis Conſiſtorialibus: *anno 1517. XIV. Kal. Octobr. D. Adriano de Arnoldis Ord. Carmelit. Mag.*

Digitized by Google

Mag. in Theologia provisum est de Ecclesia Rossensi, in partibus infidelium &c. Sed fusius ejus elogium descripsit Auctor Biblioth. Carmelit. Tomo I. pag. 1. quod est hujusmodi.

Ejus elogium.

Adrianus Arnoldi, seu de Arnoldis, natione Belga, in Conventu Fratrum Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli, Brugis in Flandria vitam religiosam professus est, anno a Christi nativitate 1483. *Ibidem primum Deo Missæ sacrificium obtulit an.* 1490. *Lector institutus an.* 1500. *promotus sacræ Theologiæ Baccalaureus an.* 1507. *Doctor Parisiensis an.* 1518. *renuntiatus. Episcopus Rossensis in partibus infidelium an.* 1517. *die* 18. *Septembris cum pensione super mensam Ecclesiæ Cameracensis ad exercenda Pontificalia in diœcesi Cameracensi, vicarius in spiritualibus ibi assumptus, post Trinitatem Dominica* 24. *consecratus ab Episcopo Morinensi, seu Teroanæ Morinorum, ejusque Suffraganeo, & Episcopo Sareptano, Suffraganeo Tornacensi. Anno* 1518. *die* 18. *Februarii consecravit altare Venerabilis Sacramenti in choro Carmelitarum Antuerpiensium, in honorem Venerabilis Sacramenti, ac Sanctarum Catharinæ & Ursulæ Virginum & Martyrum. Anno* 1525. *die* 24. *Aprilis consecravit capellam a latere aquilonari chori ejusdem Ecclesiæ. Decessit Bruxellis, & ibi in Carmelitarum Conventu sepultus est mense Novembri an.* 1536. *Brugenses Carmelitæ Anniversarium ejus hactenus celebrant infra octavam Fidelium Defunctorum. Scripsit; in Magistrum Sententiarum libros IV., in Biblia sacra, Conciones per annum, lib.* 1.

Adrianum de Arnoldis memorant acta Consistorialia Leonis X. ad diem 18. *Sept.* 1517. *Codex ms. Carmelitarum Brugensium, lib. ms. rerum memorabilium Conventus Antuerpiensis Carmelit. Daniel a Virgine Maria Tomo II. Spec. Carmel. pag.* 906. *num.* 3151. *idem in vinea Carmeli pag.* 506. *num.* 906.

Post biennium Episcopatum, titulo servato, dimisit, cum suam Ecclesiam aut nollet adire, aut certe non posset; ut ex iis suspicamur, quæ mox dicenda.

AMBROSIUS EPISC. RHIZINIENSIS XIII.

Ambrosius Episc. an. 1519.

Hac adjecta conditione creatus Episcopus, ut suam Ecclesiam adiret, suaque in diœcesi commoraretur, quæ e Turcarum potestate ereptam ad Venetos redierat: ita enim legimus in actis: 1519. 24. *Decembr. provisum F. Ambrosio Ulissiponensi Ord. Fr. Eremitarum S. Augustini de Ecclesia Rossionen. in Albania in partibus infidelium, quæ consuevit habere Episcopum, & habet populum Christianum, ita quod se conferat ad dictam Ecclesiam, & resideat sub pœna* 300. *ducatorum, pro qua se obligavit Sagan. Procurator, & Scriptor Apostolicus.* Quamvis Albania proprie dicta iisdem, quibus Epirus nova, terminis definiatur, idest Drilone fluvio, & montibus Acroceraunis, tamen Veneti post hanc regionem amissam nomen Albaniæ citra Drilonem propagarunt, & quidquid oræ maritimæ ultra Ragusium possident, Albaniam vocant; atque ut Catharum, sic Rhizinium intra fines Albaniæ includunt.

ANTONIUS EPISC. RHIZINIENSIS XIV.

Antonius Ep. Rosen.

Patria Catharensis, cognomento Paschalis. Erat ex Ordine Conventualium S. Francisci, de quo Auctor Viridarii Seraphici: *Anno* 1520. *Antonius Paschalis Convent. Episcopus Rosensis in Dalmatia*, & F. Petrus Rodulphius Tossinianensis lib. 2. Historiarum Seraphicæ Religionis: *An.* 1520. 2. *Octob. Episcopus Rossensis F. Antonius Paschalis*. Itaque Ambrosius proximus ante Antonium, si fuit Episcopus Rhizinienſis, ne annuum quidem Pontificatum gessit; & fortasse illum dimisit, cum sibi videretur, quod de domicilio apud Ecclesiam suam inter Turcas collocando per procuratorem promiserat, id præstare non posset citra periculum vitæ aut libertatis amittendæ. Inter Episcopos, qui sub Paullo III. Concilio Tridentino interfuerunt, nominatur *Angelus Paschalis Episcopus Motulanus Dalmata*. Idem mihi videtur esse, atque Antonius Paschalis Episcopus Rosensis, sive Rhizinienſis. Nam de Antonio apud Octavium Spaderum hæc invenio; eum videlicet Carolo V. Imperatore postulante, cujus gratiam & benevolentiam insigni virtute & doctrina sibi conciliaverat, a Paullo III. donatum fuisse anno 1540. Ecclesia Motulana in Regno Neapolitano; quacum fortasse conjunxit, ac retinuit titulum Episcopatus Rosensis. Neapoli obiisse dicitur anno 1550. & apud Fratres sui Ordinis sepultus in æde S. Catharinæ.

sive Rhizinien. deinde Motulanus.

obiit Neapoli an. 1550.

Dum Antonius Ecclesiæ ac diœcesi Rhizinienſi præsidebat, Carolus V. Imperator idemque Rex Hispaniarum, & Ferdinandus Rex Hungariæ, Venetis in societatem adscitis, cum Solimano Rege Turcarum bellum gerebant; anno autem 1537. Hispani Castrum novum ad Sinum Rhizonicum, oppidum ejus regionis munitissimum, expugnarunt. Tunc cogitari cœptum est de sede Rhizinienſi huc transferenda; hoc enim oppidum titulo ac sede Episcopali dignius videbatur, præsertim cum Rhizinium sub imperio Turcarum esset. Sed cum proximo anno Chariadenus Ænobarbus Præfectus Turcicæ classis Castrum novum improviso assaltu adortus, cæso Hispanorum præsidio, recepisset, nihil tanti esse videbatur, ut ea translatio fieri deberet. Cæterum amissio Castri novi cogitationem consiliumque susceptum ex illorum animis, quibus insederat, non omnino evulsit; quin immo quod excogitatum fuerat, reipsa perfectum fuisse plerique existimant, veluti Aubertus Miræus, Philippus Ferrarius, Auctor Topographiæ magni Regni Hungariæ, & alii, qui Episcopos Rhizinienses appellandos censent Neocastrenses, illorumque sedem in Castro novo constitutam esse putant. Adde quod reges Hispaniæ, licet vix annuam hujus oppidi Turcis adempti possessionem obtinuerint, ius tamen nominandi Episcopi Rosensis, sive Neocastrensis usurparunt. Tres tantum ab illis nominatos invenio, F. Joannem Molis anno 1573. F. Bonaventuram Necterium an. 1582. utrumque ex Ordine Franciscano, & Alphonsum Requesenium anno 1618. De primo hæc breviter Petrus Rodulphius Toffinianensis lib. 2. Historiarum Seraphicæ Religionis: *Anno* 1573. *F. Joannes Molis Episcopus Rosanensis a Rege Catholico præsentatus*. Sed neque hujus, neque aliorum nominatio admissa fuit; & nullum Sedis Apostolicæ decretum invenio, cujus auctoritate translatio sedis Rosonensis sive Rhizinienſis ad Castrum novum innitatur. Quare tres illos Episcopos approbatione Pontificia, & fortassis etiam consecratione Episcopali caruisse existimo: certe illi quidem titulo illo honorario contenti, numquam ad hanc Ecclesiam

Consilium sedis Rhizinienſis in Castrum novum transferendæ effectu caruit.

Digitized by Google

siam ac diœcesim accesserunt. Plures deinde in tabulis Consistorialibus reperiuntur Episcopi Ecclesiæ Rosonensis, sive Rosensis *in partibus infidelium constitutæ*; sed cum illis potestas facta sit munera pontificalia obeundi in Ecclesiis ab Rhizinio longe disjunctis, neminem illorum Catalogo Antistitum Rhizinienſium inseri posse existimo.

Episcopi Catharenses, quibus commissa fuit administratio diœcesis Rhizinienſis.

Post Antonium Paschalem ad sedem Motulanam translatum, Ecclesiæ & diœcesis Rhizinienſis administratio commissa fuit Episcopis Catharensibus, quam etiamnum retinent. Hi autem fuerunt alii proximo, alii superiori sæculo, Lucas Bisantius, Paullus Bisantius, Franciscus Zupanus, Hieronymus Bucchia, Angelus Baronius, Hieronymus Rusca ab anno 1540. ad an. 1620. An vero Paullus Zondinus Episcopus Rosonensis conditor Collegii Hungarici Bononiensis, qui anno 1550. Paullo Gregorianczio Antistiti Zagrabiensi vicariam operam navabat, ejusque *Suffraganeus* Episcopus vocabatur, itemque Georgius Szalatnakyus itidem Episcopus Rosonensis, qui anno 1601. Episcopatum Quinqueccleſiensem obtinebat, titulum *Rosonensem* ab Ecclesia Rhizinienſi sumpserint, mihi non liquet. Neuter certe rem ecclesiasticam Rhizinianſem ulla ex parte attigit; cum tota illius administratio per eos annos in Episcopos Catharenses incumberet. Hieronymo Ruschæ Episcopo Catharensi sub initium suscepti Episcopatus controversia fuit cum Ambrosio Gozzio Episcopo Mercanensi, & Tribunensi, qui Castrum novum ad suam jurisdictionem pertinere contendebat; idque sibi constare ajebat ex testificatione multorum, quibus ætas provecta, integritas vitæ, cognitio & scientia rerum antiquarum a majoribus accepta, auctoritatem & fidem conciliabat. Ut vero Neocastrensium animos insigni aliquo beneficio demereret, templi collapsi rædificandi potestatem illis a Præfecto Turcico impetraverat. Itaque litteras ad Jacobum Bisantium Vicarium generalem Episcopi Catharensis dedit, eumque admonuit, ne quid jurisdictionis in Castro novo, ejusque agro usurparet, neve sineret Presbyteros, aut Fratres Franciscanos diœcesis Catharensis ibidem injussu suo conciones habere, & incolarum confessiones excipere. Oppidanis vero per alias litteras lustrationem Episcopalem indixit. Ad ea Jacobus paucis respondit, Castrum intra fines contineri diœcesis Rhizinienſis, cujus procurationem jam inde a superiori sæculo, ex mandato Sedis Apostolicæ, Catharenses Episcopi gerebant, Evangelicis operariis illuc missis, qui rei Christianæ operam darent, & incolas divinis præceptis ac mysteriis imbuerent: idque certissimis documentis notum, testatum, manifestum esse; abstineret ab rebus novandis, ne Sedis Apostolicæ auctoritatem læderet, in ejusque reprehensionem incurreret. Hæc fusius & luculentius exposuit, & evidentissimis argumentis demonstravit Hieronymus Episcopus in suis litteris ad Ambrosium Episcopum Mercanenſem. Extat etiam Epistola civium Castri novi ad eumdem Episcopum reddita in hanc fere sententiam: se nullum alium Pastorem agnoscere nisi Episcopum Catharensem, a quo tum ipsi, tum majores ipsorum leges & sacra, Sacerdotes & Præcones Evangelicos acceperunt; sibi certum esse ac deliberatum nulli alteri Episcopo subesse, & obedientiam ac fidem præstare; proinde adeundi lustrandique oppidi cogitationem deponat, neve tantum laboris atque incommodi frustra suscipiat; præsertim cum periculum esset, ne, si accesserit, dignitatem Episcopalem ludibrio Turcarum atque injuriis exponat. Hæc Epistola communi omnium nomine subscripta est, dataque anno 1612. v. Kalendas Januarias.

Episcopus Mercanensis Castrum novum ad suam jurisdictionem pertinere contendit,

Tandem Episcopus Mercanensis tum hac Epistola deterritus, tum vero litteris Hieronymi Episcopi Catharensis, productisque ab eo exemplis, auctoribus, ac testimoniis convictus, ab ea contentione omnino desistendum putavit: id quod summæ lætitiæ fuit oppidanis Castri novi, quorum altera extat Epistola gratulatoria ad Hieronymum Ruscam, cujus hæc sententia est; sibi nihil jucundius, illi nihil gloriosius accidere potuisse, quam illum pro jure tuendo Ecclesiæ Catharensis egregie pugnasse ac vicisse, eique antiquam Castri novi possessionem ab omni contradictione vindicasse; majores suos, cum divinis præsidiis indigebant, semper consueviſſe ad Episcopum Catharensem confugere, ab eoque & curatores animarum, & quæ ad salutem æternam assequendam necessaria essent, petere atque accipere; nunquam fore, ut ipsi a more atque exemplo majorum suorum desciscerent; orant obsecrantque, ut quam primum delectum e Clero Catharensi Sacerdotem ad se mittat, qui oppidanos ad omne Christiani officii munus erudiat, eisque & rem divinam faciat, & sacra mysteria impertiat. Sibi in animo esse Templum dirutum, non abnuente Præfecto Turcico, pro numero incolarum satis amplum & capax reædificare, & pro suis opibus non ineleganter, & quam decentissime fieri poterit, ornare. Huic Epistola subjecta est hæc subscriptio: *Christiani vitus Romani Castri novi.*

Sed ab ea contentione desistit.

Egregia Neocastrensium voluntas ac fides erga Episcopum Catharensem.

Hieronymus Neocastrensibus litteras reddidit plenas officii, & paternæ charitatis; pro eximia illorum erga se, & Ecclesiam Catharensem voluntate gratias egit; ut in proposito susceptoque consilio permanerent, amantissime hortatus est; & cum suis literis Sacerdotem misit perspectæ probatæque doctrinæ & virtutis, qui rem Christianam apud illos curaret, illisque & verbis & exemplis ad recte pieque vivendum adjumento esset. Nec vero oppidani studiosius, quam promptius de templi ædificatione, quod promiserunt, re ipsa perficere aggressi sunt. Nemo fuit, quin operam suam, vel pecuniam ad templi ædificationem conferret. Eminuit ante omnes studium & liberalitas Michaelis Nichievichii, qui inter cives Catholicos Castri novi haud magis opulentia, quam religione præstabat. Hujus potissimum solertia, sedulitate, largitione templum brevi absolutum & perfectum fuit, idemque in honorem S. Venerandæ Virginis Deo optimo Maximo consecratum. Id opus Deo gratum fuisse, & locum in tutelam S. Venerandæ receptum, tum alia miracula, tum vero pœnæ gravissimæ Turcis, templum diripere aut violare conantibus, divinitus inflictæ declararunt.

Hieronymus Ep. Catharen. Parochum eis præfecit.

Reliqui deinceps Episcopi Catharenses diœcesim Rhizinienſem, nemine contradicente, aut repugnante, tranquille, studiose, diligenterque administrarunt; & cum in cæteris agrestibus Ecclesiis, tum in Castro novo, & Rhizinii Parochos sibi probatos pro potestate constituerunt. In litteris Georgii Episcopi Sappatensis ad Sacram Congregationem, Rhizinio ad rem Christianam curandam anno 1626. ab Episcopo Catharensi præpositum fuisse invenio F. Seraphinum

Administrationem diœcesis Rhizinienſis Episcopi Catharenses semper retinuerunt.

nam ex Ordine S. Franciſci, quem Sacra Congregatio confirmavit; ibidemque ſcriptum eſt Rhizinium ab octoginta Catholicis, a ſchiſmaticis centum & quinquaginta, ab Turcis vero longe pluribus, & quinque villas territorii Rhizinienſis Morignum, Coſtagniz, Craſcutzam Piancum, & Tozſzam, partim a Catholicis, partim a ſchiſmaticis habitari.

Rhizinium a Venetis ereptum, ac deinde Turcis redditum.

Annus 1649. ſpem reſtituendi in priſtinum ſtatum Epiſcopi & Eccleſiæ Rhizinienſis attulit. Leonardus Foſculus Præfectus claſſis Illyricæ, dum bellum Creticum fervebat, in Sinum Rhizonicum invectus conſilium cœpit Rhizinii tentandi; tunc oppidum valida mœnia cingebant, turribus per intervalla objectis, arcemque habebat loco alto, & undique abrupto. Operibus adoritur ac tormentis, Nec vis, nec animus ad reſiſtendum defuit obſeſſis, At undecim dies oppugnatione numquam intermiſſa, cum plurimum dirutum jam eſſet murî, turriſque una, mox altera procidiſſet, Turcæ diffiſi rebus ſuis per pactionem locum tradidere. Verum, quamdiu bellum Creticum tenuit, inter bellicos tumultus, incertoſque rerum eventus, neque oppidi reficiendi, neque illius Epiſcopatus reſtituendi viſa eſt opportunitas. Poſt pacem compoſitam, cum contentio de finibus in Dalmatia eſſet, Rhizinium Turcis repetentibus reddi oportuit, Baptiſta Nannio, quem Veneti ad diſceptandum de finibus miſerant, non admodum invito, quod ejus loci, magna ex parte diruti, ac parum muniti, poſſeſſionem inutilem eſſe arbitraretur. Plerique vero oppidani, ne iterum Turcicæ ſervitutis jugum ſubire cogerentur, patriam deſerere maluerunt, receptiſque in Iſtriam Senatus Venetus ſedes atque agros aſſignavit. Ita Epiſcopus Catharenſis, uti antea, ſic poſtea adminiſtrationem diœceſis Rhizinienſis retinuit.

Bello Peloponneſio Veneti Caſtro novo & Rhizinio potiuntur.

Anno 1687. dum bello Peloponneſio Dalmatia quoque ardebat, Hieronymus Cornelius Præfectus Illyricæ claſſis, Caſtrum novum obſeſſum, vehementerque oppugnatum ad deditionem compulit, & eodem bello flagrante, Rhizinium ultro in poteſtatem venit. Utrumque oppidum Veneti ex conditionibus pacis retinuerunt, in quibus diſerte additum fuit, Rhizinium, & Caſtrum novum cum agro utrumque ſuo, Venetorum uti eſſet. Venetos Caſtro novo potitos prima Religionis cura inceſſit. Delubrum Turcicum in oppido fere medio ſitum, expiatis ſordibus Mahumeticæ ſuperſtitionis, Deo Opt. Max. in honorem S. Hieronymi conſecrari, & primarium oppidi Templum eſſe voluerunt. De ſede Epiſcopali reſtituenda vel Rhizinii, vel in Caſtro novo, ne cogitatum quidem fuit. Utrumque oppidum, & quidquid locorum ac terrarum intra fines diœceſis Rhizinienſis continebatur, in fide manſit ac poteſtate Catharenſis Epiſcopi. Huic Eccleſiæ tunc præſidebat Joannes Franciſcus Sbrovacius, qui Sebaſtianum Semanum Abbatem præpoſitum Ædi Sanctiſſimæ Trinitatis in urbe Cathari, Parochum & curatorem dedit Catholicis Caſtri novi, eique titulum ac munus Vicarii foranei attribuit. Huic vero & ſucceſſoribus, ex ærario communi ejuſdem oppidi, annuos proventus pietas ac munificentia Senatus Veneti aſſignavit. Duo præterea domicilia, & ſacella ære ſumptuque publico excitata ſunt, alterum in oppido Patribus Capuccinis, alterum ab oppido paſſibus fere quingentis disjunctum Patribus Franciſcanis rigidioris diſciplinæ traditum; hoc S. Antonii Patavini, illud Deiparæ in cœlum aſſumptæ titulo ac patrocinio ſubeſt. In arce, quam non ita longe ab Caſtro novo in edito colle Hiſpani inædificarunt, erat templum S. Joſephi, jamdiu neglectum, ac fere dirutum; quod cura ſumptuque oppidanorum reſtauratum fuit, ibique conſtitutus eſt Presbyter, qui ſingulis feſtis diebus ſacrum militibus præſidiariis faciat. Mille fere paſſibus ab Caſtro novo extat ædes S. Venerandæ ante aliquot annos, ut dictum eſt, pia civium largitione, ac præſertim munifica Nichielovichiæ domus beneficentia a fundamentis extructa, quæ ab advenis juxta indigeniſque, ob miracula ibidem divinitus patrata, ſumma frequentia ac religione colebatur. Ad hujus venerationis & cultus amplificationem a Clemente XI. Pontifice Max. impetratum eſt, ut omnibus & ſingulis, qui rite confeſſi ad ſacram Euchariſtiæ menſam acceſſerint, & una de feriis ſextis menſis Martii, ab Epiſcopo deſignanda, eamdem ædem caſte pieque inviſerint, plenam delictorum omnium veniam largiretur; & inſuper ſingulis ejuſdem menſis ſextis feriis, tantumdem de pœna Deo pro criminibus commiſſis ſolvenda iiſdem remitteret, quantum pœnitentia canonica ſeptem annorum expiari poſſet: idque privilegium ſeptem annorum ſpatio Pontifex definitum eſſe voluit. Extat Pontificium diploma, in quo Caſtrum novum ad *Roſonienſem* diœceſim pertinere dicitur: hinc ſatis perſpicue apparet adhuc conſiſtere Eccleſiam ac diœceſim Rhizinienſem, ſive Roſonienſem recentiori vocabulo appellatam, eamque a Catharenſi diſtinctam eſſe; quamvis utriuſque adminiſtrationem gerat Epiſcopus Catharenſis: Caſtrum vero novum partem quidem eſſe ejuſdem diœceſis, non vero ſedem primariam Epiſcopalem, quam illuc ex oppidi Rhizinii translatam quidam falſo exiſtimarunt.

Ædes S. Venerandæ a Clemente XI. Indulgentiis locupletata.

Franciſcus Sbrovacius Ep. Catharen. ibidem Parochum & Vicarium conſtituit.

Clemens XI.

Univerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis ſal. & Apoſtol. benedict. Ad augendam fidelium religionem, & animarum ſalutem cæleſtibus theſauris, pia charitate inſtantes, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui Eccleſiam, ſeu capellam publicam S. Venerandæ Caſtri novi Roſonenſis diœceſis in una ex ſextis feriis Martii, per Ordinarium ſemel tantum deſignanda, ab ortu uſque ad occaſum ſolis feriæ hujuſmodi, ſingulis annis devote viſitaverint, ibi pro Chriſtianorum Principum &c. oraverint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Inſuper omnibus Chriſti fidelibus pariter vere pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui prædictam Eccleſiam in reliquis ſextis feriis ejuſdem menſis viſitaverint, & oraverint, ut ſupra, ſeptem annos & totidem quadragenas de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis, in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus; præſentibus ad ſeptennium valituris &c. die 30. Junii 1712.

Marinus Drago Ep. Catharen. Vicarium foraneum præficit toti diœceſi Rhizinienſi;

Marinus Drago in ſedem Catharenſem Joanni Franciſco Sbrovatio ſubrogatus anno 1688 nihil prius ſibi faciendum cenſuit, quam ut Rhizinienſis diœceſis adminiſtrationem ſibi ſuiſque ſucceſſoribus, tum auctoritate Sedis Apoſtolicæ, tum decreto Senatus Veneti tamdiu con-

Digitized by Google

confirmandam curaret, quoad ſuus Eccleſiæ illi & proprius Epiſcopus redderetur. Itaque ſuum Vicarium foraneum ampliſſima poteſtate præditum inſtituit Marcum Petrovichium Canonicum Eccleſiæ Catharenſis, qui ſedem ſuam in Caſtro novo collocaret, nec ſolum hujus oppidi, ſed totius diœceſis Eccleſiis omnibus præſideret. Deinde ipſemet Caſtrum novum, Rhizinium, atque omnes utriuſque territorii pagos ritu Epiſcopali obivit; remque Chriſtianam & Eccleſiaſticam in eum ſtatum ubique reſtituere ſtuduit, a quo deciderat, cum loca illa ab Turcis violento dominatu premebantur. Marino ad Eccleſiam Corcyræ Nigræ translato ſucceſſit anno 1709. Franciſcus Parcich ex Ordine Dominicano. Diœceſim hanc univerſam peragravit, laborioſi itineris, & Apoſtolici operis comite atque adjutore aſſumpto uno de Presbyteris Societatis Jeſu. Incredibile dictu eſt, quam lætos uberesque Chriſtianæ pietatis fructus ex hac Epiſcopali luſtratione incolæ illi perceperint. Omnes ad vitam Chriſtiano homine dignam inſtituendam, ejus præceptis & cohortationibus rite inſtructi, & vehementer excitati; ſingulis divina myſteria impertiit, & plurimos ſacro Chriſmate inunxit. Cœmeterium prope domicilium ac templum S. Antonii, extra Caſtrum novum, tumulandis militum & remigum corporibus, ſolempni precatione conſecravit. Duas ſodalitates inſtituit, alteram Sanctiſſimi Rotarii, alteram, ut vocant, *Bonæ Mortis*, e cujus præſcripto ſodales piis exercitationibus vacant, ad pie ſanctæque moriendum perappoſitis. Duo fana Turcica ad cultum divinum, & Chriſtianæ religionis uſus convertit. Ne vero hujuſmodi luſtrationes Epiſcopales incolis vel minimo ſumptui eſſent, octogeni in ſingulas argentei ut ex ærario publico contribuerentur, ab Senatu impetravit. Cives Caſtri novi recenſeri juſſit; qui ritum Raſcianum fere ad mille, qui latinum colerent, non amplius tercenti & quinquaginta inventi ſunt. Illos non a ritu quidem, ſed a ſchiſmate, & pravis opinionibus Græcorum ut revocaret, & ipſe operam dedit, & Vicarium ſuum omni cura ſtudioque eniti juſſit. Nunc diœceſis Rhizinienſis, ſive Rolonienſis oppidum quidem primarium vel numero incolarum, vel loci amplitudine & frequentia tectorum eſt Caſtrum novum; ſed jure ac ſede Epiſcopali caret. Rhizinium, ſive Rilanum, civitas olim Epiſcopalis, exigui oppiduli nomen vix ſuſtinet, perpaucis familiis ritus Raſciani habitatum, quibus immiſtæ ſunt aliquot domus ritus Latini. Horum Chriſtianæ inſtitutioni curæque præpoſitus eſt Sacerdos ab Epiſcopo Catharenſi, qui gregem illum puſillum divinæ doctrinæ pabulo alat, & quoad ejus fieri poſſit, nihil illis deeſſe patiatur, quod ad ſacrorum religionem, & pietatis ſtudium pertineat.

Itidem ejus ſucceſſor Franciſcus Parcich.

Cives Caſtri novi plerique ritus Raſciani; ritus latini non ita multi, pauciores Rhizinii.

EPI-

Digitized by Google

EPISCOPI ASCRIVIENSES,
SIVE CATHARENSES.

Sinus Rhizonicus, nunc Catharensis.

INter Raguſium vetus, olim Epidaurum, & Butuam, nunc Budoam, pelagus oram maritimam interfluens, Sinum Rhizonicum efficit, quem nunc Catharenſem vocant. Ac primum quidem a meridie patefactis terræ faucibus, quas Cathari fauces appellant, alveo non admodum lato introrumpit; deinde ab occaſu in ortum longe lateque expanditur; tum iterum anguſtis, obverſiſque ad orientem faucibus ſubiens, alterum minorem euripum efficit, latius quam longius inter boream, & meridiei, ac orientis angulum ſolis; hic ſuperior ad orientem, ille inferior ad meridiem ſinus rite denominari poteſt. Inde in ortum productus canalis efficitur, qui propius ad urbem, & obverſam in meridiem mœnium partem deficit. Utrumque Sinum Rhizonicum antiquitas appellavit, Canalem Catharenſem poſteritas nominare conſuevit. In angulo ad boream extremo Sinus ſuperioris ſitum eſt Rhizinium, nunc Riſanus, elato, & ſaxeo clivo incumbens, ut ſupra dictum eſt in Epiſcopis Rhizinienſibus. In ſupremo Canalis angulo ab oriente contra Rhizinium aſſurgit Catharum, arduo & prærupto jugo, ſed declivi ad meridiem impoſitum. Arcem habet invictiſſimam ex ipſo ſummo vertice eminentem, quam ex triplici parte inacceſſæ, & confragoſæ rupes inexpugnabilem reddunt; a meridie difficilis aſcenſus atque arduus, & undique firmiſſima mœnia & propugnacula validiſſime communiunt. Arci ſubeſt civitas declivi loco explicata, & in ſolem meridianum obverſa, quam mœnia antiqui operis cum turribus interjectis, circumſepiunt, & uſque ad faſtigium perducta, cum arce ipſa conjungunt. A meridie mari alluitur, ab reliquis cœli plagis continenti annectitur, & primum collibus, deinde altiſſimis montibus circumdata eſt. Hanc urbem Plinius, & Ptolemæus Aſcrivium appellarunt, eratque Civium Romanorum oppidum ſane inclytum, Plinio teſte. Sed Aſcrivium ab eo loco, ubi nunc Catharum eſt, paullulum diſtabat orientem verſus, ut antiquæ illius civitatis rudera, & diruторum ædificiorum reliquiæ, & veſtigia adhuc ibidem extantia declarant. Sæculo nono, anno circiter ſexageſimo ſexto, Saraceni Butua expugnata, Roſa caſtro ad fauces Sinus Rhizonici funditus everſo, Aſcrivium quoque coeperunt, ac diripuerunt. Cum hæc civitas parum tuta & munita eſſet, nec loco ad munitiones extruendas idoneo, plerique Aſcrivienſium, patria relicta, collem undique præruptum, difficili aſcenſu atque arduo, non ita longe occaſum verſus diſſitum, ceperunt, ibique arcem operibus munitionibuſque ſeptam inædificarunt, quo ſe ſuaque omnia contra hoſtiles irruptiones tuerentur. Poſt aliquot annos Aſcrivium a Boſnenſibus captum, & combuſtum ferunt. Cives cremata patria, & domo profugi ad ſuos populares, qui eum, quem dixi, collem occupaverant, caſtellumque ibidem extruxerant, ſe contulerunt; cum autem locus anguſtior eſſet, quam ut multitudinem profugorum capere poſſet, ab ora maritima, & infimis radicibus collis, cujus faſtigium arx inſidet, domos ibidem ædificare cœperunt, & ſurſum verſus continuare, molli facilique clivo ad meridiem converſo impoſitas. Anno 889. Hunni ſive Hungari Pannoniam, aliaſque finitimas regiones depopulati, in Boſniam effuſi Cateram ejus regionis urbem diripuerunt, ac territorium fœde vaſtarunt. Plerique civium illorum ab hujuſmodi improviſis inopinatiſque barbarorum incurſionibus ſibi metuentes, patriam deſerere, & rerum ac fortunarum ſuarum quidquid poterant colligentes, alio migrare decreverunt. In Dalmatiam progreſſi, locum neſcio quem viſum ſibi opportunum novæ urbi condendæ occuparunt, ubi procul ab omni metu ſedes ſuas ac domicilia collocarent. Quod cum nuntiatum eſſet Aſcrivienſibus, hi Boſnenſes invitarunt, ut ſecum civili conciliatione, & ſocietate conjuncti ad communem utrique genti civitatem, cujus fundamenta jam jecerant, ædificandam ipſi quoque opes ſuas operamque conferre vellent. Grata fuit Boſnenſibus invitatio; ſed controverſia orta eſt, utro vocabulo nova civitas appellanda eſſet; nam utrique a patria, quam reliquerant, alteri *Cateram*, alteri Aſcrivium appellari volebant. Res permiſſa eſt Epiſcopo Aſcrivienſi; qui ne alterutris diſpliceret, omnem hanc diſceptationem ſortibus committendam putavit. Sortes eductæ ſententiam tulerunt ſecundum Boſnenſes. Itaque nova civitas *Catera* eſt appellata, quam nunc tribus litteris immutatis, & aſpiratione interjecta, Catharum vulgo dicimus. Hæc Maurus Orbinus Abbas Congregationis Benedictinæ Melitenſis in ſuis Commentariis Italicis de Regno Slavorum pag. 297. Sed Coriolanus Cæpio, ſeu Cippicus, lib. 3. Geſtorum Petri Mauroceni imperatoris, Cathari ædificationem Rhizanitis attribuit: *Catharus urbs eſt Dalmatiæ in Sinu Riſonum ſita, civibus frequens; agrum quoque amplum, & bene habitatum habet. Hanc Riſonii diu bello vexati propriam ſedem relinquentes in tutiori loco ædificarunt.* Verum potius dixerim hanc urbem a Rhizanitis poſt patriam ab hoſtibus incenſam, & incolis, & ædificiis auctam fuiſſe, ut Orbinus ſupra laudatus tradit. Conſtantinus Porphyrogenitus in Lib. de Adm. Imp. *Decateram* nominavit; idque vocabulum non e Catera civitate Boſnenſi, ſed aliunde duxit. *Urbs Decatera lingua Romanorum ſignificat anguſtatum & percuſſum, quon am*

Cathari poſitio.

Aſcrivium a Saracenis captum, & a Boſnenſibus combuſtum.

Catharum ab Aſcrivienſibus, & Boſnenſibus conditum

Etymologia nominis Cathari ex Porphyrogenito, & aliis.

mare ingreditur tamquam lingua coangustata ad quindecim, imo etiam ad viginti usque millia passuum; ipsique urbs illa sita ad maris complementum. Habet vero circum se urbs illa montes altos, ita ut æstate tantum solem videat, quod tunc in medio cælo sit, hyeme vero numquam; imo soli fere meridiano exposita, solari aspectu etiam per hiemem, licet breviori quam per æstatem, fruitur. Palladius Fuscus Catharum ἀπὸ τῦ καταῤῥεῖν, ideſt ab aquis ex alto defluentibus denominatum putat; verum si hujus vocabuli derivatio ab Græco illo verbo petenda esset, litteram R geminari, & aspirationem e media in postremam syllabam transferri, scribique *Catarrhum* oporteret. Urbis vero positionem his verbis describit: *Sub prærupti montis cacumine consurgit Ascrivium quondam Civium Romanorum oppidum, quod nunc propter aquarum, quæ ex alto defluunt, descensum vocari constans est opinio. Erat annis superioribus, antequam Turcæ proximas regiones occupassent, celebre emporium negotiantibus, hinc maritimis, inde mediterraneis confluentibus: ex qua quidem re oppidani abunde ditabantur, & Veneti, in quorum ditione locus est, magna vectigalia capiebant. At Turcis loca vicina tenentibus, cuncta cessarunt. Arx in supradicti montis vertice sita a septemtrione penitus invia est, cui a meridie ducto utrinque per ardua muro, urbs ipsa apte conjungitur, ambitu stadiorum non amplius duodecim.* Joannes Bona de Boliris patritius Catharensis, qui patriam suam versibus heroicis eleganter copioseque descripsit, speciosius fortasse, quam verius, a puris, candidis, ingenuis moribus civium, mutuato a Græcis vocabulo, Catharum appellatum tradit; idem enim, quod *purus* apud Latinos, Καθαρὸς apud Græcos valet; & sane ratio hujus nominis latine scribendi cum vocabulo Græco apprime congruit.

Ascrivium Ascræi vatis de nomine dicta est.
At quoniam ingenuos mores purosque reservat
Posteritas, gentisque suæ primordia monstrat,
Nunc ideo Catharum grati dixere minores.

Sæculo decimo cum ab Samuele Rege Bulgarorum Rhizinium eversum atque incensum fuisset, ut idem Maurus Orbinus scripsit, ex Rhizanitis amissa patria profugis, Catharum & numero ædificiorum, & incolarum frequentia crevit. Civitas deinde validis mœnibus cincta est, quæ ipsis inserta, & perducta usque ad verticem collis, cum arce jungitur, vacuo relicto spatio intermedio declivi ac præcipiti inter urbem arcemque, quod propter naturam loci ardui & prærupti, omne domicilium, atque ædificium respuit.

Ascrivium vetus oppidum civium Romanorum.

Ante Plinium & Ptolemæum nullam Ascrivii mentionem apud scriptores superiorum ætatum invenio. Erat autem oppidum Civium Romanorum, quod post devictum Gentium postremum Illyriorum Regem, cum universo Illyrico proprie dicto in jus ditionemque Romanæ Reipublicæ concessit. Ab Romanis cultum & habitatum fuisse declarant duæ veteres inscriptiones, quarum alteram lapis e solo urbis, sive agri Catharensis effossus, alteram urna marmorea in foro Catharensi sublimi loco affixa exhibet.

Inscriptiones Romanæ.

SEX. CIPIO
G. FIL. SERG.
FIRMIANO
G. CIPIVS. APER

PATER TRI.
E. TEΦVLO. DE
DICARL
G. CIPIVS. APER
CONSOBRIN.
HERES POSVIT
L. D. D. D.

D. M. S.
CLODIAE
EVPROSIAE
ANN. XXIIII
EVPROSINVS

Aliam se vidisse testatur Cyriacus Anconitanus, quam inter inscriptiones Illyricas retulit editas anno 1747. Romæ; est hujusmodi.

C. CLODIO. C. F. SERG
VITELLIANO. II. VIR. I. D
IVDIC. EX. V. DEC. EQVO
PVBL. VIC. DEFVNCT
ORDO. DECVR. LOCVM
SEPVLTVRAE. IN

Ascrivium paruit Imperatoribus Constantinopolitanis,

Post divisionem Imperii Orientalis & Occidentalis paruit Ascrivium Constantinopolitanis & Græcis Imperatoribus; & sæculo quinto a Gothis occupatum simul cum tota Dalmatia Justinianus recuperavit. Sæculo septimo Heraclius Imperator cum Dalmatiam mediterraneam Chrobatis Serblisque habitandam indidisset, Ascrivium, & cæteras urbes maritimas in sua potestate retinuit. Post Ascrivium primum a Saracenis, deinde a Bosnensibus, ut supra diximus, eversum & incensum sæculo nono, desertumque ab incolis, nova civitas, quam Ascrivienses simul cum Bosnensibus condiderunt, & Cateram appellarunt, quod nunc Catharum, in fide mansit ac ditione Imperatorum Græcorum; siquidem Constantinus Porphyrogenitus sæculo decimo, cum civitates Serblorum nominatim percenset, ab earum numero abest *Decatera*. Sed sub initium sæculi undecimi hæc civitas quoque Regum seu Dynastarum Serbliæ aut Rasciæ dominatum subivit; sed illam eodem sæculo Emanuel Comnenus Imperator Serblis ademptam rursus cum Imperio Orientis conjunxit. Imperio autem post captam Constantinopolim an. 1204. ad Latinos translato, Stephanus filius Simeonis, nepos Neemani Regum Serbliæ sive Rasciæ, Catharenses amplissimis promissis illectos ad deditionem compulit. Post Regnum, imperiumque Serblorum, & Rascianorum extinctum, sæculo decimo quarto, Catharenses in clientelam ac potestatem Ludovici Regis Hungariæ migrarunt. Victor Pisanus imperator Venetæ classis Catharum Hungaris eripuit; sed pace inter Hungaros & Venetos redintegrata, urbem Ludovico restitui oportuit; quam mortuo Ludovico, Elisabeth vidua Ludovici, & Maria ejus filia Stephano Tuartko Bosinensium Regi donarunt. Dum Catharenses sub Regibus Hungariæ, & Bosinæ fuerunt, inimicitias fere perpetuas cum Ragusinis, & cum Balsis Dynastis Zentæ gesserunt, damnis & cædibus plurimis ultro citroque illatis & acceptis. Tandem anno 1420. Catharenses ultro se in fidem ditionemque Venetorum tradiderunt. Hæc civitas sub feliciſſimo Veneto dominatu viget floretque; & validissimum est non solum imperii Veneti, sed etiam Italiæ propugna-

Item Catharum in locum Ascrivii subrogatum, primum Constantinopolitanis,

deinde Regibus Serblorum, postea Hungaris, & Regibus Bosinæ,

demum Venetis subjectum.

Digitized by Google

gnaculum Turcis finitimis oppositum atque objectum.

Ut reliqui Dalmatiæ populi, sic etiam Ascrivienses lucem doctrinamque evangelicam B. Domnio parenti & conditori Ecclesiæ Dalmaticæ, vel certe ejus discipulis acceptam referunt, quam, licet hæreticis aut schismaticis nationibus finitimi, ab omni labe intactam constantissime servarunt. Urbis, Ecclesiæ, diœcesis patronus primarius erat S. Georgius, Megalomartyris titulo inclytus, & Latinis Græcisque litteris celebratus, quem Ascrivienses summa religione venerabantur. Sed principio sæculi noni, quamvis singulari studio coli apud Ascrivienses numquam desierit, priores tamen ejus patrocinii & honoris partes concessit S. Tryphoni egregio itidem Martyri, cujus Corpus anno ejusdem sæculi octavo illuc Veneta navi ex Oriente advectum ferunt. In antiquis, & recentioribus Martyrologiis nomen Tryphonis Martyris variis diebus & locis adscriptum invenio: *Pridie Nonas Januarii in Africa Aquiloni, Tryphonis*; ex Lucensi, & aliis Apographis Hieronymianis apud Florentinium; item ex Beda, Adone, Usuardo, & Martyrologio Romano. *Tertio Nonas Maji . . . . In Africa Gregorii . . . . & passio S. Tryphonis*; ex Corbiensi apud eumdem Florentinium. *V. Nonas Julii. In Alexandria Tryphonis, Menelai &c.* ex Lucensi, & aliis Apographis Hieronymianis ab eodem Florentinio laudatis. In Romano Martyrologio ad eamdem diem: *Alexandriæ S. Tryphonis, & aliorum duodecim*, quos nominatim percensent pleraque ex Apographis Hieronymianis; hos itidem Usuardus & alii eodem die commemorant. *III. Nonas Julii. In Sicilia Agathonis, Tryphonis &c.* ex Lucensi & Corbejensi. Sed in aliis, veluti in Beda & Romano pro *Tryphone* legitur *Tryphinæ*. *IV. Id. Novembris. Natalis SS. Martyrum Tryphonis, & Respicii ac Nymphæ*: Baronius, Galesinius, & alii in suis Martyrologiis. Hunc apud Græcos coli Kalendis Februarii, & in eorum Menologiis ad diem primam Februarii adscriptum esse idem Baronius affirmat. Cum plures sint ejusdem nominis Martyres, quem Catharenses colunt, cujusque exuviis apud se conditis gloriantur, ab aliis haud facile est discernere. Si fides tribuenda sit Lectionibus, quas Clerus Catharensis inter divinam psalmodiam festo & solemni S. Tryphonis die recitare solet, quasque Romana Sacrorum Rituum Congregatio approbavit, ex his satis perspicue intelligitur S. Tryphonem patronum Catharensium non esse alium ab eo, quem Ecclesia Latina die decima Novembris cum Sanctis Respicio, & Nympha anniversario cultu concelebrat. Satis enim apparet Lectiones illas Epitomen quamdam esse Historiæ SS. Tryphonis, & Respicii, e Græco in latinum conversæ, quam Baronius e Bibliotheca Vallicellana protulit, & Octavius Cajetanus Presbyter Societatis Jesu Commentariis de Sanctis Siciliæ inseruit, quamque Tillemontius cæteris eorumdem Martyrum actis apud Vincentium Bellovacensem, & Petrum Natalem descriptis longe præferendam censuit. Quæ igitur in illa historia de utroque Martyre uberius & fusius exposita sunt, ea breviter & summatim descripta in his lectionibus continentur, eatenus scilicet, qua pertinent ad Tryphonem, Respicio Martyris socio prætermisso. Idem est S. Tryphon, quem Latini die decima Novembris, & quem Græci Kalendis Februariis colunt. Apud Catharenses vero dies festus primarius ejusdem S. Tryphonis tertio Nonas Februarii solemni religione rituque celebratur; ex quo apparet morem hujus Martyris mense Februario potissimum colendi ab Græcis ad Catharenses derivatum fuisse, quamquam hi ad tertium, illi vero ad primum ejusdem mensis diem anniversariam S. Tryphonis, & præcipuam veneration affixerint. Sunt præterea alii dies, quos Beatissimi hujus Martyris nomine ac religione Catharenses consecrarunt, de quibus postea. Nunc de ejus vita & martyrio, quæ Auctor Lectionum Catharensium ex Historia Vallicellana desumpsit, atque in epitomen contraxit, hic describere operæ pretium censui, & subjectis animadversionibus explicare.

Primarius urbis & Ecclesiæ patronus Georgius, nunc S. Tryphon.

Lectio IV. (1) 1

Tryphon in Phrygia (2) *minori, in vico Campsade* (3) *piis parentibus natus, a prima ætate pietati usque adeo fluduit, ut etiam* (4) *miraculis multis ac magnis adhuc puer floruerit; nam & morbos varios precibus ad Deum fusis curavit, & Dæmones ab obsessis corporibus non raro expulit. Ita vero in hoc genere virtutis claruit, ut etiam solo Tryphonis nomine audito, maligni Spiritus fugarentur. Cum autem adolevisset, & Philippo Imperatore de medio sublato, Deciana* (5) *persecutio in Christianos sævire cœpisset, tunc demum apparuit, quo consilio divina providentia militem suum jam inde a pueritia tam præclaris donis, & armis cœlestibus munivisset.* 2 3 4 5

Lectiones Breviarii de S. Tryphone.

Lectio V.

Delatus igitur ad Aquilinum (6) *Præfectum, quod non solum ipse Christum impense coleret, sed multos præterea alios partim beneficiis curationum, partim divina quadam eloquentia ad Christianam religionem alliceret, continuo magna Præfecti diligentia quæsitus, & inventus* (7) *sistitur ad ejus tribunal. Cum vero nomen, patriam, fortunam, & religionem suam edicere juberetur, intrepide* (8) *respondit: Religione Christianus sum, nomen mihi Tryphon est, patria vicus Campsade, fortuna apud nos nec est, nec dicitur; qui providentia Dei cuncta credimus gubernari. Tum vero jussu Præfecti variis tormentorum generibus excruciatus incredibili constantia, & fortitudine omnia superavit. Primum enim ad multas horas in ligno suspensus cæditur, deinde vinctus, nudisque pedibus per loca aspera currere cogitur, quod supplicii genus invicto animo perferens canebat: Perfice Domine gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea; tum pedes ejus acutis clavis perforantur. Et ipse nihilominus per mediam urbem verberibus agitatur. Post iterum virgis cæso faces ardentes ejus lateribus adhibentur: ad extremum capitis sententia condemnatur.* (9) 6 7 8 9

Lectio VI.

Cum igitur apud Nicæam (10) *B. Tryphon glorioſum martyrium consummasset, qui Nicææ erant, mundis sindonibus, & variis aromatibus sacras Reliquias componentes ad præsidium urbis suæ eas asportare, ac recondere cogitabant. Cæterum S. Martyr per quietem* (11) *apparens admonuit, ut in patriam suam Campsadem Corpus suum transferretur, ibique sepulturæ mandaretur. Sed cum longo tempore sacræ glorioſi hujus Martyris Reliquiæ apud Campsadem, prope civitatem Apameam, ut ipse mandaverat, quievissent, placuit tandem divinæ providentiæ tantum thesaurum cum Italia communicare. Itaque Veneta navi asporta-* 10 11

Digitized by Google

tum, atque apud Catharum Dalmatiæ urbem depositum, vicini omnes populi magna celebritate colunt.

Notæ.

1 Antiquam Vitam S. Tryphonis in plures Lectiones veteri more distributam Lucas Byzantius Episcopus Catharensis sæculo decimo sexto Venetis typis *apud Hieronymum Calepinum cura & impensis Dom. Petri Grubogna Archidiaconi, & Hieronymi Bucchia Canonici,* consignandi facultatem concessit. Hanc vero intra finem ejusdem sæculi Hieronymus Bucchia itidem Episcopus Catharensis diligenter recognitam, elegantiori stylo expolitam, ad normam Breviarii Romani a Pio V. & Clemente VIII. emendati reformatique in tres lectiones contraxit, quas modo descripsimus, & a sacra Rituum Congregatione approbatas idem Clemens VIII. rogatu ejusdem Episcopi, & Capituli Catharensis, clero universo civitatis ac diœcesis inter divinam psalmodiam recitandi potestatem fecit. Vitam utramque, & veterem pluribus, & novam tribus lectionibus comprehensam, apparet desumptam esse ex Historia Vallicellana supra laudata, ex qua Octavius Cajetanus descripsit Acta Sanctorum Martyrum Tryphonis, & Respicii, quibus plurimum fidei & auctoritatis tribuit Theodoricus Ruinartus, eaque digna censuit, quæ *Actis sinceris, & selectis Martyrum* insereret. *Jam,* inquit, *absoluta erat prima hujus operis editio, cum in Acta beatorum Martyrum Tryphonis & Respicii, quæ in collectione de Sanctis Siculis ab Octavio Cajetano adornata habentur, incidimus, & quidem, uti nobis visum est, talia sunt, quæ inter antiqua monumenta bonæ notæ locum obtinere debeant. Quamvis enim in iis non desint aliquot nævi, facile tamen sanari possunt; utpote qui nonnisi ex amanuensium inscitia, aut inertia interpretum, qui hæc Acta ex Græco in Latinum transtulerunt, videntur irrepsisse.*

2 Phrygia regio Asiæ minoris duplex est, altera minor ad Hellespontum, unde etiam Hellespontiaca, altera major, quæ & Pacatiana dicta. Tryphonem & Respicium e Phrygia oriundos fuisse Historia Vallicellana confirmat.

3 Campsades vicus est Phrygiæ, quem Absadum Petrus Equilinus, & Petrus Galesinius vocant, Historia Vallicellana *Sansorum*; sed ex Actis Surianis Campsades restituendus; & Metraphrastes Campsadem vicum vicinum esse Apameæ civitati Phrygiæ majoris affirmat.

4 Acta Vallicellana de Tryphone & Respicio; *Non enim latere potuerant, quoniam aliquot annos per donum & gratiam Dei prædita erant variis meritorum virtutibus.*

5 Cum Deciana persecutione scriptores omnes martyrium S. Tryphonis conjungunt.

6 In aliis Codicibus *Aquilinus* dicitur *Præfectus Orientis*. Ruinartus, ac Tillemontius negant proprie dici potuisse Præfectum Orientis. Nam illis temporibus Præfecturæ Orientis suberat Syria cum finitimis provinciis, a quibus longe aberat Phrygia, & Bithynia, hujusque civitas Nicæa, in qua Tryphon extremo supplicio affectus fuisse dicitur. Sed, ut præclare animadvertit Ruinartus, *Præfectus Orientis, qui hos Martyres damnasse memoratur, non Orienti proprie dicto præerat, sed alicui ex illis provinciis, quæ ad Orientem late sumptum pertinebant, uti certe erat Bithynia, quam ad Orientem eo modo dictum spectasse dicere potuit bona fide homo latinus, qui hæc Acta longo post martyrii tempus in suam linguam transtulit. Inde etiam Præfecti nomen in eadem Acta invectum est, qua voce non utebantur veteres ad designandos Rectores provinciarum.* Quare Tillemontius Rectorem seu Præsidem Bithyniæ Aquilinum vocat, hisque prænominibus ex Actis Vallicellanis affecit: *Tiberius Gracchus Claudius Aquilinus.*

7 Baronius in suis ad Martyrologium notis die 10. Novembri, Tryphonem cum Respicio Apameæ captum, & Nicæam ad tribunal Aquilini perductum tradit ex Metaphraste. Utrumque *Aprimæ* captum, & *Meetem* perductum fuisse ajunt Acta Vallicellana. Depravatio utriusque vocabuli duo nomina Geographis omnibus plane ignota invexit. Meetes est Nicæa, ex correctione Ruinarti; & pro *Aprima* restitui oportet Apameam, a qua prope aberat Campsades patria utriusque Martyris, quæ *Sansorum* in illis Actis vocatur; & Tryphon ac Respicius *de Apameæ finibus, de Sansoro vico dicuntur.* Apud Geographos plures civitates reperiuntur, quibus Apameæ nomen fuit, tres præsertim apud Ferrarium, una in Syria, altera in Phrygia majori, tertia in Bithynia. Campsades patria S. Tryphonis vicus erat in ipsis confinibus minoris & majoris Phrygiæ, & Apameæ civitati Phrygiæ majoris proxima, ad ejusque territorium pertinebat; quocirca apud Metaphrastem Tryphon vocatur *Vir quidam Apameensis genere non ignobili &c.* & ipsemet Tryphon in suis ad Judicem responsionibus ait: *Mihi nomen est Tryphon; patria vicus Campsade, vicinus Apameæ.* Igitur Apameam, Phrygiæ majoris arbitror civitatem illam fuisse, in qua cum satellites Tryphonem comprehendissent, Nicæam ad Præfectum Aquilinum perduxerunt. Nicæa autem civitas est Bithyniæ, & prope abest a finibus Phrygiæ utriusque.

8 Quæ deinde breviter narrantur de quæstione ac tormentis, & variis acerbisque supplicium generibus, quibus Tryphon excruciatus est, ac demum de amputatione capitis, eadem fere licet aliis verbis exposita reperiuntur tum in Historia Vallicellana, tum apud Metaphrastem, Vincentium Bellovacensem, Petrum Natalem, & alios. Quare Tillemontius, quæ scriptores modo laudati de S. Tryphone litteris mandarunt, bipartito divisit; & partem quidem primam, quæ abest ab Actis Vallicellanis, & Lectionibus Catharensibus, fabulosam, & commentitiam censet; alteram vero partem, quæ congruit cum Historia Vallicellana, itemque cum Lectionibus Catharensibus, recipi, admittique posse ac debere existimat. Metaphrastes Respicii ne mentionem quidem fecit; quem tamen Auctor Historiæ Vallicellanæ & ministerii evangelici, & glorioſi certaminis ac martyrii socium Tryphoni adjungit. Petrus Natalis Episcopus Equilinus tradit Respicium Tribunum invicta Tryphonis in perferendis cruciatibus constantia motum conversumque esse ad Christianam religionem, & simul cum Tryphone variis supplicis affectum, præclaram pro Christo mortem oppetiisse. Abestque quoque Lectionibus Catharensibus Respicius; nam, qui eas composuit, ex Actis Vallicellanis id tantummodo sumpsit, quod ad Tryphonem pertinebat, cujus venerandum Corpus Cathari asservatur & colitur. Græci etiam in suis festis ad diem Kalendarum Februarii, prætermisso Respicio, unius solum

Try-

Digitized by Google

Tryphonis nomen & martyrium adscribunt. Martyrologium Romanum, Petrus Natalis, & Galesinius cum Tryphone & Respicio, eadem die decima Novembris, Nympham Virginem conjungunt; sed hæc ab utroque & locorum, & temporum intervallo disjuncta est. Hanc siquidem Baronius natione Siculam, patria Panormitanam fuisse ex ejus Historia tradit, quæ cum S. Mamiano Episcopo Panormi e patria fugiens, Suanam ad urbem Etruriæ appulit, ibique sanctissime obiit sæculo quinto, ut censet Tillemontius.

9 Martyrium S. Tryphonis & Respicii cum anno 250. vel cum proxime sequenti copulavit Theodoricus Ruinartus: *Hos Martyres Decii temporibus agonem suum consumasse constat, proindeque anno CCL. aut sequenti. Si vero id mense Novembri, quo eorum festivitatem colit Ecclesia Romana, contigerit, passi sunt anno CCL. quod ad annum sequentem revocare oportet, si Græcos sequamur, qui eorum Natale in Menæis, & Menologiis mense Februario consignarunt. Certe posteriorem sententiam priori præferri debere multa suadent. Nam isti Martyres Græci sunt: proindeque Græcis magis noti fuere, apud quos celebres illos fuisse probant non modo fasti ecclesiastici, sed etiam insignes Basilicæ in honorem S. Tryphonis in ipsa urbe regia erectæ, de quibus agunt Procopius, Codinus, & alii scriptores; immo Imperatores duo, si Leoni Allatio credimus, panegyricos S. Tryphoni dixerunt. Deinde Acta horum Martyrum sincera græce primum descripta sunt, & in iis uti & in aliis Actis passi dicuntur hyemis tempore, quod Februario magis, quam Novembri congruit.* Cæterum Græci in Menologiis, ut diximus, solius Tryphonis nomen ad diem primum Februarii affigunt.

10 Nicæa civitas est Bithyniæ. In hac urbe Tryphonem martyrio perfunctum esse tradunt Menæa Græcorum, Historia Vallicellana, & alii plerique.

11 Hæc absunt a Vallicellana; extant tamen apud Metaphrastem. *Sanctus vero apparens in somnis jussit eas* (idest suas reliquias) *transferri in suum vicum, nempe Campsadem, quod etiam fecerunt.*

Translatio S. Tryphonis Ascrivium.

Nunc vero quo tempore Ascrivium, & per quos translatum fuerit Corpus S. Tryphonis cognosci oportet ex Codice Catharensi litteris pervetustis exarato; cujus exemplum hic subjicio.

Instrumentum Corporis nostri glorioſi Confalonis
1 *Sancti Tryphonis anno a Christi Incarnatione* (1) *octingentesimo nono die decima tertia Januarii.*
2 *Ego* (2) *Andreatius & cum conjuge mea Maria, & cum filio meo Petro, & cum filia mea Maria, & cum filia mea Theodora ædificavimus*
3 *Ecclesiam S. Mariæ infunariæ* (3), *& filia mea Maria tulit virum, & alia noluit virum, & dixit ad patrem suum: Fac mihi inclausuram in S. Maria ad partem dexteram; & fecit ei pater sicut placuit filiæ suæ; & Judex, qui sedebat in Duchia, audivit quod esset pulcra, voluit eam*
4 *tollere per forzam* (4); *& deinde audientes amici ejus, dixerunt ei, & patri ejus Dom. Andreatio; & Dom. Andreatius dixit filiæ suæ: Filia audivi hæc, quia Judex in illa nocte habet te tollere; illa respondit: Pater mi, melius est mihi mori, quam hoc scelus perpetrare; & illa nocte pater ejus excludit illam; & in illa die venit Judex cum gente multa, & quærebant filiam Dom. Andreatii; & non invenit eam. Et post annorum curriculum venerunt Venetici* (5), *& ad-* 5
duxerunt Corpus S. Tryphonis; & quando audivit D. Andreatius quod habent ipsi Venetici Cor-
pus (6) *S. Tryphonis, abiit ad ipsam navim, &* 6
dixit ad Veneticos: Rogo vos, amici carissimi, vendite mihi Corpus S. Tryphonis, & dixerunt Venetici: Si tu promittis servire ei cum tota mente & amore, vendimus tibi; & si non, non dabimus tibi eum; & deinde promittit se vovere Ecclesiam in ejus nomine; & vendiderunt (7) *eum* 7
D. Andreatio, & compravit illum per ducentum solidos Romanos; & unam coronam gemmatam per centum solidos; fiunt simul trecenti solidi; & quando eum exposuerunt de navi, venerunt Clerici secundum ordinem, qui pertinet, ad sacrum Corpus; quando autem portaverunt per viam fori Corpus S. Tryphonis, & stetit (8); *& venit* 8
nauclerius, qui eum adduxerat, & dixit: Ob S. Tryphon, tanto tempore te adduxi, & modo hic passum perge; (9) *& extorsit ejus os usque ad au-* 9
res; & hoc fuit primum miraculum; & Clerici oraverunt ad S. Tryphonem, & fecit misericordiam (10) *super ipsum nauclerum; & portaverunt* 10
eum paulo, & fixit se (11); *& D. Andreatius* 11
cum conjuge sua Maria fecit in illum locum Ecclesiam in nomine ejus, & permanet (12) *usque in* 12
hodiernum diem ad laudem & honorem S. Tryphonis; & hæc fuit subjecta (13) *D. Andreatii,* 13
quam habuit, & dedit eam filiis suis; ad unum filium dedit centum solidos; & hi sunt (14) *li-* 14
berti ejus Marinus, & Premarch; & sunt comprati in una scaranza de S. Tryphone, & alia generatione de Zaratinis nomine Granzi, & sunt liberti, & non dicatis eos liberti, sed fratres.

Hoc instrumentum fuit extractum ex originali scripto litteris antiquis de verbo ad verbum, nihil addendo, vel mutando.

Notæ.

1 Annis fere sexaginta ante cladem Saracenicam, de qua supra dictum est. Anno siquidem 866. Saraceni sex & triginta navium classe instructa, ducibus Soldano, Selba, & Culphone, ut est apud Constantinum Porphyrogenitum, & Georgium Cedrenum, ex Africa in Adriaticum invecti, & aliquot urbes maritimas de improviso adorti, veluti Butuam, Rosam, Rhizinium, Ascrivium ceperunt, ac diruerunt; deinde ultra progressi Ragusium urbem munitissimam terra marique obsessam quindecim ipsos menses tenuere. Itaque cum Corpus S. Tryphonis advectum est, nondum Ascrivienses, patria relicta, quod parum munita esset, atque ut erat in humili loco, barbarorum excursionibus exposita, Arcem in arduo ac prærupto jugo, & novam urbem, haud ita longe a veteri Ascrivio disjunctam, loco acclivi ac difficili subter Arcem ædificaverant, quam *Catharum* appellarunt: id quod sæculo nono ad exitum vergente factum fuisse diximus. Sed Porphyrogenitus & Cedrenus Ascrivium, captum ac direptum a Saracenis, vocabulo recentiori appellant *Decateron inferius*, ideſt loco inferiori situm; quæ quidem Arx & civitas nova nondum erat, cum Saraceni Ascrivium expugnarunt, & expilarunt; sed, dum Porphyrogenitus & Cedrenus hæc scribebant, utraque jam inde ab sæculo nono exeunte post calamitatem primam Saracenicam, & alteram Bosnensem, ut dictum est, condita sublimi loco eminebat. Ex his perspici licet Corpus S. Tryphonis ex partibus Orientis transve-

ctum esse, dum vetus Ascrivium adhuc staret; & cum per aliquot annos ibidem asservatum fuisset, ab Ascrivienſibus, qui veteri patria relicta novam illam urbem Catharum condiderunt, illuc delatum esse, ubi etiamnum servatur & colitur. In Tabulis Catharensibus supra descriptis epocha sanctissimi illius Corporis Ascrivium devecti affixa est ad nonum annum supra octingentesimum æræ vulgaris. Sed tabulæ illæ post aliquot annos, nec sane paucos, confectæ sunt; ex antiquioribus tamen descriptas fuisse apparet, ut mox declarabitur.

2 Hoc initium satis indicat vetustiores tabulas, quibus ipsemet Andreatius emptor Corporis S. Tryphonis, & conditor templi ad ejusdem Martyris honorem positi, totius rei narrationem consignavit. *Ego*, inquit, *Andreatius cum conjuge mea &c.* Ex his vero aliæ recentiores descriptæ sunt, in quibus, quæ ab illo dicta factaque fuerunt, non Andreatius ipse, sed alius scriptor posterioris ætatis exposuit. Fortasse tabulæ illæ priores erant tabellæ supremæ seu testamentariæ ipsiusmet Andreatii.

3 Locus extra urbem, ubi funes confici solebant.

4 Vereor, ut verbum hoc Italicum, *perforzam*, & alterum infra *compravit*, referri possit ad sæculum nonum.

5 Jamdudum Veneti, sive maritimi commercii exercendi, sive amicitiæ cum Imperatoribus Constantinopolitanis jungendæ, aut servandæ causſa, ad partes Orientis navigare cœperant.

6 Singularis fuit semper & eximia Venetorum pietas ac religio erga sacras Divorum Reliquias, quas undecumque nanciſci poterant, ablatas secum deferre, iisque patriam suam locupletare miro studio cupiebant. Hoc eodem sæculo nono Corpus S. Zachariæ Constantinopoli, & Corpus S. Marci Evangelistæ Alexandria Venetias allatum ferunt.

7 Illis temporibus cupiditas adipiscendi sacras Divorum exuvias adeo Christianorum animos incesserat, ut eas quantolibet pretio emere nemo religioni habendum putaret.

8 Id miraculi sæpe accidisse legitur in hujusmodi translationibus sacrorum Corporum, quæ subito quodam pondere divinitus indito adeo fixa, & immobilia solo hærebant, ut vi nulla dimoveri possent.

9 Verba illa cum temere, & parum reverenter nauclerus protulisset, ore utrinque ad aures usque fœdum in modum deducto & distorto, irreligiosæ temeritatis pœnas dedit.

10 Idest, pristinam oris formam nauclero restituit.

11 Vix paullulum inde sacrum Corpus provectum fuerat, cum iterum immobile stetit. Id signi dedit, ut omnes intelligerent Deum velle & jubere, ut ibidem loci templum ac monumentum statuerent, in quo Corpus Martyris deponeretur; quod Andreatius cum conjuge sua ære suo faciendum curavit.

12 Hinc apparet haud paucis annis post Corpus S. Tryphonis ibi depositum has tabulas ex antiquioribus tabulis descriptas fuisse, cum scilicet templum ac monumentum illud, fere sub initium sæculi noni conditum, adhuc staret.

13 Hanc ædem Divo Tryphoni conditam jure patronatus tum ipse Andreatius possedit, tum filiis atque hæredibus suis possidendam tradidit.

14 Quos Andreatius servos pretio emptos habebat ad rem domesticam curandam, eos pro sua eximia charitate, & pietate manumisit; & propterea liberti appellantur; quin immo illos non libertos, sed fratres nominari voluit.

Corpus S. Tryphonis unde Ascrivium allatum sit?

Si sacrum Corpus, quod Veneta nave advectum Andreatius civis Ascrivienſis pretio emptum in templo ab se constructo collocavit; quodque Ascrivienſes post desertam patriam Catharum transtulerunt, ibique nunc in æde Cathedrali asservatur & colitur, est illius S. Tryphonis, de quo Historia Vallicellana, Metaphrastes, Martyrologium Romanum, & Galesinius die 10. Novembris, & Menæa Græcorum Kalendis Februarii agunt, non aliunde a Venetis sublatum fuisse videtur, nisi ex vico Campsade in Phrygia, quæ Sanctissimi Martyris patria fuit; nam ipsemet S. Martyr post gloriosum pro Christo certamen Nicææ peractum, suumque ad superos transitum, Nicænos secundum quietem admonuit, ut mortales, quas reliquerat, exuvias Campsadem transferrent, ibique sepulturæ mandarent. Id traditum est in Lectionibus Catharensibus, itemque apud Metaphrastem. Sed cum Justinianus Imperator, ut docet Procopius lib. de Ædif. Justiniani, Templum & monumentum sane magnificum Constantinopoli B. Tryphoni excitandum curaverit, non est vero absimile ejus Corpus ex illo ignobili vico Constantinopolim transvectum, & in Basilica Justinianea conditum; atque hinc a Venetis, Nicephoro imperante, vel furtim subreptum, vel ipsiusmet Imperatoris dono iisdem datum fuisse. Verum undecumque ablatum fuerit, Corpus idem S. Tryphonis, cujus possessione Catharenses gloriantur, sibi vindicant Romani, illudque subter altare maximum in æde S. Spiritus in Saxia, cum exuviis SS. Respicii & Nymphæ conditum esse affirmant. Sed a quibus, quo tempore, quave occasione SS. Tryphon & Respicius ex Oriente Romam allati fuerint, neque Baronius, neque alii scriptores tradunt, ut Tillemontius animadvertit. Romanisne an Catharensibus Corpus S. Tryphonis Martyris Nicæni adjudicari debeat, haud equidem scio; nec si qua conjectura alterutris faveret, meam sententiam interponere ausim. Si suum esse velint Romani, eo Catharenses æquo animo carere possunt; & pro Nicæno Tryphonem Martyrem Alexandrinum, quem attulerit navis illa Veneta, ex Ægypto regrediens, ac felici omine litoribus Ascrivienſium appulsa, nullo repugnante, sibi vindicabunt, ejusque & Reliquiis apud se conditis, & gratioso apud Deum patrocinio gloriabuntur. Nomen Tryphonis Martyris Alexandrini celebre est in plerisque Apographis Hieronymianis, ad diem tertiam Julii mensis adscriptum, itemque apud Usuardum, & in Romano Martyrologio; qui cum aliis duodecim martyrii sociis ad extremum usque spiritum pro Christo decertavit. Sed præter nomen & martyrium, de illius vita & præclare factis vetustas nihil litteris aut memoriæ proditum reliquit. Dubitari tamen potest integrumne Corpus S. Tryphonis Nicæni Martyris, an solum ex eo pars aliqua insignis deposita servetur in æde Romana S. Spiritus, illuc fortasse Catharo advecta; præsertim cum Theodericus Ruinartus *eorum* (id est, Tryphonis, Respicii, & Nymphæ) Reliquias Romæ in duabus Basilicis *asservari* scripserit, *in Ecclesia* scilicet *S. Tryphonis in Campo Martio, quæ statione sabbati post*

Romani & Catharenses sibi vindicant corpus S. Tryphonis.

Ci-

Digitized by Google

Cineres nobilitatur, & in Ecclesia Sancti Spiritus in Saxia &c. quamvis hic *eorum, & beatæ Nymphæ Corpora ferme integra sub majori altari, etiamnunc esse existimet.* De S. Tryphone apud Catharenses condito Constantinus Porphyrogenitus, auctor sæculi decimi, Lib. de Adm. Imper. Oriental. cap. 29. hæc litteris mandavit: *In hac autem urbe* (Decatera) *depositus fuit S. Tryphon, qui omnes omnino ægrotos sanat, maxime eos, qui ab impuris spiritibus vexantur. Templum vero ipsius rotundum est.*

Vetus & insignis Catharensium erga S. Tryphonem religio.

Cæterum cujuscumque Tryphonis, sive Nicæni, sive Alexandrini, sive etiam Africani Corpus Catharenses possideant, horum certe erga illum Sanctissimum Martyrem religio perantiqua est; & quod altissimis in eorum animis fixa sit radicibus, nulla temporum diuturnitate arescere, vel imminui potuit; sed per annos amplius nongentos magis in dies magisque semper efflоruit. Hanc declarant potissimum multa & illustria decreta, quæ Catharenses identidem fecerunt vel ad ejus celebritatem cultumque augendum, vel ad sanciendam rectam administrationem bonorum illorum, quæ illius Ecclesiæ & sepulchro pia civium liberalitas contulit, ne quid detrimenti eisdem afferret malitia, aut incuria illorum, quibus ea procuratio commissa fuerit. Quatuor ipsos dies singulis annis ejus nomine consecrarunt. Primarius, idemque omnium sanctissimus, & celeberrimus est tertius Februarii; pridie ejus diei, sub preces solemnes vespertinas, Caput S. Tryphonis aurea theca inclusum in altari summo ædis cathedralis inter plurimos cereos ardentes collocari, proponique ad venerationem publicam solet; die autem proximo post sacrum pontificali ritu decantatum, per vias urbis celebriores insigni pompa, & magnifico apparatu circumferri; piorum hominum sodalitatibus, Religiosorum virorum agminibus, universo Clero & Collegio Canonicorum, & Episcopo præeuntibus; Rectore civitatis & magistratibus cum immensa civium atque advenarum multitudine prosequentibus. Hujus diei celebritati decretus est mensis Februarius ex instituto Græcorum, qui prima ejusdem mensis die S. Tryphonem cultu anniversario venerantur; quin immo ex Latinis etiam Hagiologis, ut est apud Bollandum, alii ad primam, alii ad secundam, alii ad tertiam Februarii diem nomen & martyrium S. Tryphonis adscribunt. In prætermissis ad diem 1. Februarii: *S. Tryphon Martyr celebratur die hac a Græcis in Menologio, & Menæis; a Ferrario item, Galesinio, Molano, Canisio, & quibusdam Latinis Mss. extatque in Surio vita hoc die ex Metaphraste. Nos cum Martyrologio Romano de eo agemus* 10. *Novembris.* In prætermissis ad diem 2. Feb. *S. Tryphon Martyr hac die refertur a Constantio Felicio. Acta dabimus* 10. *Novembr.* In prætermissis ad diem 3. Feb. *S. Tryphon Nicænus Martyr refertur hac die in Usuardi Ms. Parisiensi, ab Herman. Graven. an.* 1521. *Canisio, Martyrol. Colon. an.* 1490. *Ferrar. in generali Catalogo SS. testatur Ascrivii, vulgo Catharo, urbe Venetæ ditionis coli publica celebritate ut patronum urbis, corpusque istic religiosissime asservari. An alius hic sit, haud scimus; ideoque rejicimus ad* 10. *Novemb.* Habent igitur Catharenses horum auctoritate diem tertium Februarii cultui anniversario S. Tryphonis ab ipsis jure decretum. Alter dies ad colendum S. Tryphonem in Fastis Ecclesiæ Catharensis assignatus est decimus tertius Januarii; quo quidem die Catharenses pretiosum illum thesaurum Veneta navi advectum se adeptos fuisse ajunt; & eodem die Abbas Perastinus S. Georgii ad rem divinam solemni ritu ac cæremonia faciendam ex antiqua consuetudine invitari solet. Tertia S. Tryphonis solemnia inciduot in diem vicesimam Februarii; cum ejus sacratissimum Caput furtim sublatum recuperarunt. Demum diem decimum Novembris, ad quem in Romano Martyrologio affixum est nomen S. Tryphonis, cum universa Ecclesia Latina, sed ritu dupliçis majoris, Clerus Catharensis tum urbanus, tum diœcesanus concelebrat.

Ecclesia Catharen. ex aliis ad alios Metropolitas migravit, nunc Barensi subest.

Principio Ecclesia Catharensis subdita fuit Metropolitæ Salonitano, ac deinde Spalatensi. Sæculo nono in jus ditionemque concessit Metropolitæ Diocletani; Dioclea eversa, sub potestatem Spalatensis remigravit; nec multis post annis novi Archiepiscopi Antibarensis imperium subivit; ex hujus potestate transivit ad jurisdictionem Archiepiscopi Ragusini. Demum sæculo duodecimo attributa fuit Metropoli Barensi, cui etiamnum subest. Diœcesis Catharensis non admodum late patet; vicis, & paræciis habitatur fere septemdecim, partim ritus Latini, partim ritus Græci, atque utinam non schismatica labe polluti. In civitate ac diœcesi ad quinque millia incolarum numerantur. *Mensæ Episcopalis reditus tenuissimi centum aureorum;* ut est apud Ughellum; *taxatur vero hæc Ecclesia in lib. Apostolicis florenis* 331. *cum dimidio.*

Initia Episcopatus Catharensis ignota.

Initia Episcopatus Catharensis ignota sunt; neque ulla extant monumenta ante sæculum nonum, in quibus aliqua illius vel obscura vestigia deprehendi queant; quin immo sub initium ejusdem sæculi, in tabulis S. Tryphonis Ascrivium advecti, nullus apparet Episcopus, qui cum clericis obviam procedens sacratissimum illius Corpus exceperit. Ab nono usque ad sæculum undecimum duos solum Episcopos habeo, eosque anonymos, quos proferre possim. Sub exitum sæculi undecimi nomina Catharensium Antistitum innotescere incipiunt; hinc illorum continuatio seriesque, ferme numquam interrupta, ad nostram usque ætatem perducitur. Ferdinandus Ughellus brevissimum potius catalogum, quam historiam Episcoporum Catharensium confecit, & Tomo V. Italiæ Sacræ *auctæ & emendatæ cura & studio Nicolai Coleti Ecclesiæ S. Moysis Venetiarum Sacerdotis Alumni, ac Venetiis recusæ apud Sebastianum Coleti an.* 1721. inter Episcopos Provinciæ Barensis inseruit. Sed sane multos vetustiorum temporum Episcopos sibi ignotos prætermisit. Flaminius Cornelius Venetos, Senator amplissimus, non tam aviti generis splendore, & summorum magistratuum præclare gestorum gloria, quam eruditione, sapientia, vitæ integritate, ac religione clarior, qui Ecclesias Urbis Venetiarum egregiis & doctissimis commentariis in lucem editis illustravit, longe copiosius, quam Ughellus, & eruditius seriem atque historiam Episcoporum Catharensium contexuit, ac typis Seminarii Patavini impressam vulgavit anno 1759. eique hunc titulum inscripsit: *Catharus Dalmatiæ civitas in ecclesiastico, & civili statu historicis documentis illustrata. Accedit Episcoporum Metbonensium & Coronensium series expurgata.* Præclaro huic operi insculpsit nummos

Seriem Episcoporum Ughellus brevissime contexuit;

copiosius & eruditius explicavit Flaminius Cornelius.

Digitized by Google

mos aliquot Catharenſes, cuſos in ea urbe ſignatoſque, vel cum civitas ſuo jure libertateque utebatur, vel cum ſuberat Imperio Regum Serbliæ ac Raſciæ, vel denique poſtquam ſe in fidem poteſtatemque Venetorum contulit. Intexuit quinque Diplomata Regum Serbliæ, & unum Stephani Tuartki Regis Boſinæ, quibus immunitates & privilegia Catharenſium confirmantur; itemque nomina reſque geſtas Venetorum magiſtratuum, ex quo civitas Venetorum imperium ſubivit; & duo præterea Poemata elegantiſſime ſcripta, alterum *Ludovici Paſchalis ad Georgium Bizantium*, alterum *de Aſcrivienſi urbe D. Joannis Bonæ de Boliris nobilis Catharenſis ad Heliam Zagurium concivem ſuum*. Hiſtoriam Eccleſiæ Catharenſis ad calcem ferme perduxeram, cum hoc egregium & præclarum opus ad meas manus pervenit; ex quo ad eam augendam & ornandam ſane multa decerpſi; & ne furripuiſſe videar, unde ſumpſerim, variis in locis palam ac libenter fateor; quin immo & glorior haſce meas lucubrationes talis ac tanti Senatoris nomine & ſcriptis illuſtrari.

Ædes Cathedralis Catharenſis.

Ædes Cathedralis Catharenſis perantiqua eſt & S. Tryphonis nomine ac religione conſecrata anno 1166. ab Epiſcopo Malone. In ejuſdem quoque honorem dedicatum fuit ſummum altare, quod pulcherrimæ Divorum effigies ex laminis argenteis opere antiquo, & mira arte cælatis magnifice exornant. Ibidem in Sacello maximo, quod eſt velut caput totius Baſilicæ, extat ſacrarium plurimis & inſignibus Divorum Reliquiis in thecas argenteas, & cryſtallinas, aurealque incluſis refertum; cujus cuſtodiæ præſunt Duumviri ex primaria nobilitate delecti. Harum catalogum, qui ibidem aſſervatur, hic ſubjicere operæ pretium eſſe duxi.

Reliquiæ Divorum.

Oſſa Sancti Tryphonis in capſa argentea.

Oſſa ejuſdem S. Martyris, manuum ac pedum, in thecis argenteis quatuor.

Caput ejuſdem Sancti Martyris ſive Calvaria incluſa in theca aurea juxta figuram ejuſdem Calvariæ, variis gemmarum lapidibus decentiſſime exornata, in vertice cujus eſt apertura circularis ad quantitatem unius boſtiæ, ubi repoſitum eſt cryſtallum, per diaphanitatem cujus venerabiliter apparet ſectura ejuſdem Calvariæ, cujus pedeſtallum eſt argenteum inauratum.

Pars ligni S. Crucis in cryſtallo in argento.

Digitus S. Bartholomæi in cryſtallo in argento.

Oſſa manuum ejuſdem in thecis argenteis duabus.

Dens S. Jacobi Apoſtoli in cryſtallo inargentato.

Oſſa manuum ejuſdem in duabus argenteis thecis.

Oſſa pedum S. Philippi in argento.

Os S. Amaranthi Martyris in vaſe argenteo cum cryſtallo.

Os Capitis S. Theodori in argento.

Oſſa duarum manuum, & pedis ejuſdem Sancti in tribus thecis ex argento.

Oſſa Capitis S. Siſinnii Mart. in argento.

Oſſa Capitis unius ex 40. Martyribus in argento.

Oſſa trium manuum, & duorum pedum 40. Martyrum ſeparata in quinque thecis argenteis.

Oſſa Capitis S. Pantaleonis M. in argento.

Oſſa manuum S. Floriani M.

Oſſa duorum pedum SS. Innocentium in duabus thecis argenteis.

Oſſa manuum S. Abdon in argento.

Oſſa pedis S. Sennen in argento.

Oſſa manus S. Cornelii M. in argento.

Oſſa pedis S. Catharinæ Martyr. in argento.

Oſſa manus S. Laurentii in argento.

Oſſa pedis S. Apolloniæ Mart. in argento.

Dens S. Blaſii M. in cryſtallo & argento.

Oſſa pedis S. Conſtantini M. in argento.

Caro S. Danielis Prophetæ in argento, Confraternitatis S. Spiritus.

Oſſa manus S. Felicis M. in argento.

Oſſa pedis ejuſdem in argento.

Oſſa manus S. Polycarpi M. & Epiſcopi in argento.

Oſſa manus S. Aſclepiæ M. in argento.

Oſſa pedis S. Coronæ M. in argento.

Oſſa pedis S. Florii in argento.

Oſſa S. Maximi M. in argento.

Oſſa pedis S. Vitalis M. in argento.

Nec fere paucioribus hujuſcemodi ſpoliis Divorum cum Chriſto regnantium dives eſt Ædes S. Crucis Catharenſis, ut conſtat ex eorum Catalogo hic deſcripto. Reliquiæ in Æde S. Crucis.

Lignum Sanctiſſimæ Crucis incluſum in oſtenſorio argenteo affabre elaborato, circa quod ſunt inſtrumenta paſſionis argentea; quod Lignum eſt dono datum a Medoe .... dictæ Eccleſiæ anno Domini 1342. menſe Maji, conditionibus in matricula expreſſis.

Caro SS. Coſmæ & Damiani in cryſtallo, cum pedeſtallo argenteo, a ſupradicto donata an. ut ſupra.

Oſſa S. Caraminæ M. in argenteo Capite.

Oſſa S. Aſclepiæ M. in Capite argenteo.

Oſſa S. Baſſi M. in Capite argenteo.

Oſſa S. Mauri M. in Capite argenteo.

Oſſa S. Perpetuæ M. in Capite argenteo.

Oſſa S. Aſclepiæ M. in manu argentea.

Oſſa S. Barbaræ V. & M. in manu argentea.

Oſſa S. Cæleſtini M. in manu argentea.

Oſſa S. Bonaventuræ in manu argentea.

Oſſa S. Felicis M. in manu argentea.

Oſſa S. Fabii M. in manu argentea.

Oſſa S. Druſſi M. in manu argentea.

Oſſa S. Valentini M. in manu argentea.

Oſſa S. Severini M. in pede argenteo.

Oſſa S. Mauri M. in pede argenteo.

Oſſa S. Sergii M. in pede argenteo.

Oſſa S. Julii M. in pede argenteo.

Oſſa S. Columbæ M. in pede argenteo.

Oſſa S. Clarii & Soc. Mart. in pede argenteo.

Oſſa S. Felicis M. in pede argenteo.

In Æde S. Paulli, quæ ad Collegium Virginum inſtituti Dominicani nunc pertinet, præter Reliquias SS. Martyrum Sergii & Bacchi, aſſervatur Corpus integrum in area marmorea conditum B. Oſannæ ex eodem Ordine S. Dominici, quæ apud Catharenſes eximia ſanctitate, & miraculis claruit. Tres quoque nobiliſſimi Fratres religionis cauſſa vel ab hæreticis, & ſchiſmaticis, vel a cultoribus idolorum interfecti, patriam ſuam & Eccleſiam Catharenſem præclaro martyrio illuſtrarunt. Sed horum corpora Catharenſibus prærepta, Raguſini poſſident, & præcipuo cultu venerantur. Corpus B. Oſannæ in Æde S. Paulli.

Capitulum Eccleſiæ Cathedralis ex duodecim Canonicis conſtat. His dignitate & poteſtate præcedunt Archidiaconus, & Archipresbyter; jus utriuſque eligendi, itemque creandi Canonicos eſt penes Capitulum ab Leone X., ut ajunt, conceſſum, vel potius confirmatum. Urbana procuratio animarum itidem ad Capi- Capitulum Catharenſe.

Digitized by Google

pitulum pertinet, quæ uni de ipsis Canonicis demandari solet; huic vero ad grave illud & laboriosum munus peragendum cæteri quoque Canonici, & Presbyteri inferioris ordinis auxiliarem operam præbent. Cum proventus Mensæ Capitularis adeo sint exiles, ut ex universa massa fructuum annuorum singulis Canonicis ne suppetat quidem quod in tenuem victum cultumque sit satis, pietas Senatus Veneti ac beneficentia decimarum, & cujuscumque extraordinarii tributi solutione illos exemit.

Cœnobia virorum & mulierum.

Quatuor sunt virorum religiosorum Cœnobia, unum S. Francisci extra muros anno 1288. *a Domina Maria de domo Chieriz* (ut est in tabulis ejusdem Cœnobii) *de Francia Regina de Zenta &c.* conditum, quod Patres ex Ordine S. Francisci *Conventuales* nunc obtinent; alterum S. Nicolai anno 1344. fundatum, & Patribus Dominicanis traditum; tertium S. Claræ, cujus possessio Virginibus Franciscanis, sive Clarissis adempta, ad Fratres ejusdem Ordinis, quos *Observantes* dicunt, transivit; quartum denique S. Spiritus, seu potius hospitalis ædes Fratribus ejusdem itidem Ordinis, sed severioris *Reformatæ* disciplinæ concessa.

Tria itidem sunt Collegia sacrarum Virginum; unum S. Mariæ Angelorum, alterum S. Joseph, sive S. Crucis; utrumque Virgines S. Claræ incolunt; tertium S. Paulli, e quo cum Patres Dominicani ad S. Nicolai migrassent, in eorum sedes substitutæ sunt sorores ejusdem Instituti Dominicani. Fuerunt olim Cathari Sorores tertii Ordinis Franciscani, quæ domi quæque suæ, aliæ seorsum ab aliis, ex præscripto hujusce Instituti vitam piam, sanctisque operibus exercitam colebant; nunc vero nullæ existunt. His adde quinque sodalitia piorum hominum, ac præsertim illud Sanctissimæ Crucis; qui festis diebus in suas ædiculas sacras conveniunt ad colendum Deum, & Christianæ religionis officia peragenda; duo itidem Xenodochia ad pauperes ægrotos curandos, & peregrinos excipiendos constructa, & dotata.

Peraſtum oppidum diœcesis Catharensis.

Inter præcipua loca diœcesis Catharensis, Peraſtum oppidum nobile in primis & frequens, mari adjacens, medium inter Rhizinium & Catharum. Erat ibi celebris, & opulenta Abbatia Benedictina, ab S. Georgio *de Scopulo*, sive de *Gulpho* cognominata. Hæc a Monachis deserta in jus titulumque *Commendæ* migravit. Abbas Commendatarius eidem præpositus est itidem Parochus oppidi, remque Christianam administrat. Templum S. Georgii perantiquum est, totiusque oppidi primarium, & Ecclesia, ut vocant, parochialis. Extat Peraſti Cœnobium Franciscanum severioris disciplinæ, & templum eidem annexum S. Antonii, ubi colitur effigies Christi Domini in Cruce suffixi miraculis inclyta; in quam cum quidam Turca ex piratis Africanis, qui anno 1624. Peraſtum de improviso adorti diripuerunt, triplicem ex ferrea oblonga balista globum plumbeum explosisset, ictu in eum retracto, manum eidem dexteram abscissam ferunt, & paullo post miserandum in modum periisse.

Statutum Catharense.

Sæpe occurret mentio *Statuti Catharensis*, ex quo plures erunt describendæ leges sanctissimæ, quæ ad rem ecclesiasticam pertinent. Hoc Statutum Victor Sandius Patritius Venetus Lib. IV. Historiæ Civilis Venetæ summopere commendat apud Flaminium Cornelium: *Procul dubio*, inquit, *spiritum Legum Venetarum emulatur Catharensis Statuti dispositio, sive ordinem & gravitatem, sive majestatem spectes latini sermonis. Ipsius decreta in tres partes distributa leguntur, prima quarum tempora amplectitur, in quibus Catharenses regibus servierunt; secunda autem leges exhibet a Catharensibus, dum libertate fruebantur, institutas; tertia demum ordinationes extendit ab anno 1420. usque ad præsens tempus sub Venetorum Præsidum regimine promulgatas.* Nunc explicanda est Series Episcoporum Catharensium.

Series Episcoporum Cathar.

I. N. N. Episcopus Catharensis anno 877.
II. N. N. an. 1033.
III. Grimaldus an. 1090.
IV. Ursacius an. circ. 1110.
V. Nicephorus an. circ. 1140.
VI. Malon an. 1160.
VII. Nicephorus II. an. circ. 1179.
VIII. Majus an. 1179.
IX. Bucchius an. 1181.
X. Michael an. circ. 1200.
XI. Sergius an. 1205.
XII. Blasius an. 1220.
XIII. Deodatus an. 1247.
XIV. Centiberius an. 1249.
XV. Marcus an. circ. 1260.
XVI. Domnius an. 1280.
XVII. Meliciacca an. 1326.
XVIII. Pomponius an. circ. 1328.
XIX. Sergius II. an. 1328.
XX. Raymundus an. 1331.
XXI. Thomas an. 1334.
XXII. Sergius III. an. 1344.
XXIII. Bartholomæus an. circ. 1348.
XXIV. Adamus an. 1349.
XXV. Domnius II. an. 1352.
XXVI. Stephanus an. circ. 1369.
XXVII. Bernardus an. 1374.
XXVIII. Joannes an. 1375.
XXIX. Nicolaus an. circ. 1397.
XXX. Bartholomæus II. an. circ. 1400.
XXXI. Antonius an. 1410.
XXXII. Raymundus II. an. 1421.
XXXIII. Franciscus an. 1422.
XXXIV. Secundus an. 1425.
XXXV. Marinus an. 1429.
XXXVI. Bernardus II. an. 1453.
XXXVII. Angelus an. 1457.
XXXVIII. Marcus II. an. 1459.
XXXIX. Petrus an. 1474.
XL. Joannes II. an. 1492.
XLI. Tryphon an. 1513.
XLII. Lucas an. 1524.
XLIII. Paullus an. circ. 1565.
XLIV. Franciscus II. an. 1578.
XLV. Hieronymus an. 1581.
XLVI. Angelus II. an. 1604.
XLVII. Hieronymus II. an. 1611.
XLVIII. Jacobus an. 1620.
XLIX. Vincentius an. 1622.
L. Joannes Antonius an. 1656.
LI. Marinus II. an. 1688.
LII. Franciscus III. an. 1709.
LIII. Simon an. 1716.
LIV. Hyacinthus an. 1718.
LV. Vincentius II. an. 1743.
LVI. Joannes Antonius II. an. 1744.
LVII. Stephanus II. an. 1761.
LVIII. Joannes Martinus an. 1788.
LIX. Michael Matthæus an. 1793.
LX. Franciscus Petrus an. 1796.

N. N.

Digitized by Google

N. N. EPISCOPUS ASCRIVIENSIS sive CATHARENSIS I.

Ecclesiæ Ascriviensis regimen suscepit vergente sæculo nono, cum Concilium illud Delmitanum longe celeberrimum habitum fuit an. 877. in ea vastissima planicie inter Delminium & Hliunum civitates Dalmatiæ interjecta, quo convenerant cum Rege Serblorum & Duce Chrobatorum legati Sedis Apostolicæ, & Imperatoris Constantinopolitani, Episcopi, Magistratus, alique principes viri tum Dalmatiæ, tum Serbliæ & Chrobatiæ; de quo quidem angustissimo conventu ex Commentariis Presbyteri Dioclealis & Codice Slavonico Marci Maruli satis superque dictum est in Georgio Archiepiscopo Spalatensi. Ante hunc Anonymum Episcopum nulla Episcopatus Ascriviensis indicia seu vestigia in antiquis scriptoribus & monumentis reperire licuit. Hic, opinor, fuit Episcopus ille, cui post Ascrivium incensum ac desertum, & novam urbem a Bosnensibus & Ascriviensibus conditam non multo ante Concilium Delmitanum delatum est arbitrium hujus civitatis nominandæ, quo ille uti noluit; & cum utrique illi populi a patria, quam deseruerant, Bosnenses quidem *Cateram*, Ascrivienses vero *Ascrivium* denominari vellent, sortiendum censuit, utro vocabulo appellanda esset. Sors educta præcepit, ut nomen *Cateræ*, quæ patria fuerat Bosnensium, sive *Cathari*, eidem novæ civitati imponeretur. Hæc supra expositа sunt ex Mauro Orbino. In eodem Concilio Delmitano Dioclea, quæ civitas erat Serblorum præcipua, non ita longe a Cathato in Orientem distans, constituta est Metropolis Ecclesiæ Serbliana; & Scodra urbs olim primaria regni Illyrici, & sedes regum Illyriorum, eademque metropolis ecclesiastica totius provinciæ Prævalitanæ in ordinem civitatum episcopalium redacta est, ac novo Diocletano Metropolitæ subjecta; Ecclesia vero Catharensis cum aliis illarum partium Ecclesiis Archiepiscopo Spalatensi ademptа eidem metropoli Diocletanæ attributa fuit: has omnino duodecim fuisse tradit Presbyter Diocleates, scilicet *Antibarium*, *Buduam*, *Ecateram*, *Dulcignum*, *Suacium*, *Scodram*, *Drivastum*, *Polletum*, *Sorbium*, *Bosonium*, *Tribuniam*, *Zaculmiam*. Episcoporum Catharensium, qui deinceps secuti sunt, usque ad sæculum undecimum memoriam etiam, non solum nomen vetustas abolevit. Sæculo decimo, cum Dioclea eversa fuit a Simeone Rege Bulgarorum, Joannes Metropolita postremus illius civitatis Ragusium se recepit; plerique vero Episcopi sub ditionem Metropolitæ Spalatensis redierunt, vel tum primum ad hanc provinciam aggregati sunt; inter quos Antibarensis, Catharensis, Dulcinensis, & Suacensis. Catharenses cum usque ad exitum sæculi decimi Imperatoribus Orientis subjecti fuissent, deinde in jus ditionemque Regum seu Dynastarum Serbliæ transierunt. In Synopsi Chronologica de vitis Archiepiscoporum Barensium edita a Francisco Lombardo extat privilegium Joannis XIX. seu ut malunt alii XX. quo Bisantio Archiepiscopo Barensi electo an. 1038. inter ceteras Ecclesias Barensi Metropolitæ adscriptas subjicitur etiam Catharensis Ecclesia: *Scriptum est per manus Rogerii Notarii Regionarii, atque Scriviarii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Mense Junio Indict. Octava.* Sed error subest aut notæ chronologicæ Indictionis, aut anno, quo Bisantius ad Barensem Archiepiscopatum dicitur evectus; nam *Indictioni* octavæ respondet annus 1025., anno autem 1028. Indictio undecima; hinc vereor, ne infausti suspicionem vocari possint litteræ pontificiæ, præsertim cum litteræ Benedicti VIII. ad Vitalem Archiepiscopum Ragusinum datæ an. 1023. Catharum Ragusino Metropolitæ subjiciant, & Thomas Archidiaconus hanc urbem in censum earum adnumeret, quæ tum Spalatensi Archiepiscopo parebant. Ut ut sit, plurimæ per ea tempora contentiones certe extiterunt de jure metropolitico Spalatensis ac Diocletani, tum Ragusini ac postea Antibarensis Archiepiscopi; nec quidquam certi recte constitui potest; sed Archidiaconi potius auctoritatem sequi malumus, utpote illi ævo propioris, quam ceterorum, quorum testimonia in dubium revocare facile licet; & quæ insequuntur, Antistitum Catharensium monumenta usque ad Nicephorum sane probant, eos Barensi Metropolitæ non fuisse subjectos.

Ecclesia Catharensis diversis subjecta Metropolitis.

Anno sexto & vicesimo sæculi undecimi, tres Fratres Martyres Ascriviences, Petrum, Andream, Laurentium, de quibus supra dictum est, ex veteri sepulchro, apud portum S. Laurentii diœcesis Catharensis, eductos, & Ragusium translatos fuisse auctor est Meletius, malus quidem poeta, sed bonus historicus, & chronographus apud P. Sebastianum Dolci in *Serie Chronologica Antistitum Ragusiensium*, cum Vitalis II. Ecclesiam Ragusinam regebat; huic siquidem translationi hanc temporis notam appposuit: *Vitale Metropolitano, mill nus Vicenus sextus cum foret annus*. Hinc anachronismi prorsus enormis argui licet Seraphinum Razzium, aliosque Scriptores, qui horum martyrium, ac translationem Ragusinam in sæculum decimum tertium rejiciunt. Hos idem Razzius tradit oriundos fuisse ex antiqua & perillustri familia Catharensi Sagurovicchia, quæ non ritu solum, ut ipse ait, sed etiam dogmate & schismate Græcorum, ab Ecclesia dissidebat. Illi autem avitos ac paternos errores exsecrati, cum Religionem Catholicam caste pieque colerent, an. circiter 1240. ab schismaticis capti interfectique laqueo perierunt; eorum Corpora extra urbem delata, loco devio ac remoto ad littus maris, inter Catharum & Castrum Novum, terræ mandarunt, sæculo vergente decimo tertio. Hæc Razzius: cui cohæret Andreas Zmajevichius Archiepiscopus Antibarensis in Annalibus Illyrico-Latinis; ubi anno 1249. Sanctorum Fratrum martyrium & ipse attribuit, eorumque narrat historiam, quam Marinus Diaco Catharensis Episcopus jussit ex iisdem Annalibus exscribi; hujus autem authenticum exemplar nobis quoque communicatum fuit, & Razzii narrationi omnino consentit præter nonnulla, quæ Zmajevichius addidit, & ego inferius subjiciam: porro exemplar illud in Ragusiensis Ecclesiæ historia habes descriptum. Verum si fides habenda est Meletio poetæ & historico supra laudato, qui sæculo duodecimo floruit, auctore eodem P. Sebastiano Dolci, ante annos amplius ducentos horum Martyrum Corpora inventa fuerunt, atque Ragusium translata. Itaque illorum martyrium ad sæculum decimum, seu potius ad superiores ætates revocare oportet. Vel igitur prioribus Ecclesiæ sæculis, cum Imperatorum Romanorum immanitas adversus Christianos sæ-

Tres Fratres Catharenses Martyres Ragusium translati an. 1026.

Digitized by Google

ſæviebat, ab inanium Deorum cultoribus; vel ſæculo quarto, aut quinto ineunte, cum Oſtroylus generis Gothici regionem Prævalitanam, & Aſcrivium obtinebat, a Gothis Arianis; vel denique ſæculo decimo exeunte, aut ſub initium undecimi, cum Reges Serblorum, fere omnes Græcorum ſchiſmate atque erroribus impliciti, in Dalmatia ſuperiore, & Cathari dominabantur, ab ſchiſmaticis, Chriſtianæ, aut Catholicæ Religionis cauſſa, tres magnanimos illos Chriſti pugiles interfectos fuiſſe exiſtimo.

Eorum martyrium & translatio Raguſium.

Poſt illuſtre horum Fratrum certamen annus octavus interceſſerat, ut Razzius tradit, cum, Deo declarante ac jubente, de illorum martyrio & ſepulchro cognitum eſt, eorumque Corpora inventa ſunt, & publicæ veneratione expoſita. Sed mihi non fit veriſimile intra paucos annos eorum memoriam ex animis hominum ita penitus deletam fuiſſe, ut divina declaratione opus eſſet ad martyrium eorumdem, & locum, ubi conditi fuerant, ab oblivione hominum atque ſilentio vindicandum; neque credibile eſt, ea, quæ de re admodum recenti nunciata fuerant Catharenſibus, nullam fidem habuiſſe. Itaque plures ætates effluxerint oportet, antequam eorum memoria hominum interitu obrui, & oblivione poſteritatis exſtingui poſſet. Anno igitur 1026. pia quædam mulier de martyrio & ſepulchro trium illorum Fratrum, ut Razzius docet, in quiete per viſum divinitus edocta fuit; idque cum ex divino mandato ad Prætorem, & magiſtratum urbis retuliſſet, delirare viſa eſt, nec ſine irriſione ab omnibus repulſa. Nocte proxima, viſum idem objectum dormienti, idemque mandatum traditum eſt. Sed nihilo plus fidei iterum eadem nuncianti habitum fuit; quin immo majori, quam antea, ludibrio riſuque rejecta eſt. Tertio demum per quietem admonita fuit, ut pretioſum illud donum, quando Catharenſes ſibi oblatum reſpuebant, Raguſium profecta, Rectoribus & magiſtratibus illius civitatis offerret. Ita, ut præceptum erat, fecit. Mirum quanta mulieri, quamvis extraneæ & ignotæ, hæc nuncianti fides fuerit apud Raguſinos, Deo ſcilicet ejus dictis auctoritatem conciliante, piamque illorum mentibus atque animis credulitatem inſpirante. Læti igitur atque alacres biremem inſtruunt adornantque; & cum Presbyteris clericiſque in eam impoſitis, portu ſolventes, velis remiſque, magis tamen Deo, quam vento & remigio, ſecundante, iter milliarium circiter quinquaginta celerrime conficiunt. Nocte jam appetente Rhizonicum ſinum invecti ad eam littoris partem navigium applicant, quam mulier certis quibuſdam indiciis traditis deſignaverat. Sed clariora quædam indicia apparuerunt, cæleſtes nimirum faces, ſupra locum ſubterranei ſepulchri collucentes. His admoniti terram ibidem effodiunt, ſacra trium Fratrum Martyrum corpora inveniunt; inde ſublata Sacerdotes clericique cereis accenſis ad navem deferunt. Jamque diſcedere parabant, cum navigium immobile ſtetit, neque ulla vi, aut remigum conatu ab littore dimoveri poterat. Molientibus ab terra navem repellere in mentem venit, num quid e ſacris illis exuviis deeſſet, quod per imprudentiam neglectum eos retineret, ac diſceſſum inhiberet. Nec ſua illos fefellit ſuſpicio. Redeunt ad tumulum, ſcrobem diligentius ſcrutantur, & quædam oſſicula, & fragmenta reperiunt; quæ cum ad navem retuliſſent, ſecundiſſima & celerrima navigatione Raguſium perveniunt. Ut primum in urbem fama perlata eſt navem, ſacroſancta illa lipſana deferentem, appulſam eſſe ad terram, confeſtim clerus populuſque accenſis candelis ac fanalibus ad littus proceſſit, & ſacra illa Corpora ſublata, & Sacerdotum humeris impoſita in ædem cathedralem ſummo cum ſenſu lætitiæ ac pietatis detulerunt; ibique cum per integrum diem omnium oculis & venerationi expoſita fuiſſent, perhonorifico ſepulchro condita ſunt. Tenet fama, atque inde uſque ab illis temporibus, veluti per manus tradita, ad poſteros pervenit, cereos ante Corpora Beatorum Martyrum totum fere diem ardentes, ſub veſperam integros, & ſine ulla diminutione menſuræ aut ponderis repertos fuiſſe. Deinde Raguſini templum, publici erga hos Martyres honoris cauſſa, ædificarunt, quod nunc ab S. Petro cognominatur, mille ac ducentis argenteis ad eam ædificationem ex communi ærario collatis. Eorum diem feſtum Nonis Quintilibus eximia religione concelebrant; quo quidem die Dux, Senatus, cæterique urbis magiſtratus adeunt ad Templum S. Petri, ibique ſolemni ſacrificio interſunt. Nec vero fœminæ Catharenſi, quæ theſaurum illum abſconditum indicaverat, ſua defuit remuneratio; nam & domicilio in civitate donata fuit, & de publico, quoad vixit, quæ ad victum & veſtitum pertinent, benigne illi liberaliterque ſuppeditarunt. Dici vix poteſt quam pœnituerit Catharenſes, quod incredduli fuiſſent, & quæ ſibi a Deo per mulierem nunciabantur, ea tamquam delirantis ſomnia rejeciſſent, ac cæleſte illud donum ſibi divinitus oblatum reſpuiſſent: id vero maxime doluerant, quod civium ſuorum Martyrum exuvias amiſerint non aliena, ſed ſua culpa; quam ut quoquo modo expiarent, ubi ſacra Corpora defoſſa fuerunt, ibi in eorum honorem Templum excitarunt. Tradunt præterea ibidem repente erupiſſe fontem aquæ nitidiſſimæ, quæ perpetuo manat, & ne in maxima quidem ſiccitate areſcit. Hæc Seraphinus Razzius in Hiſtoria Raguſii: addit Zmajevichius: *Mercatores civitatis* (Raguſinæ) *convenientes propriis expenſis magnificum templum memoriæ eorumdem Sanctorum ædificaſſe, in quo tam pretioſa pignora collocata fuiſſe: Sacerdotibus officiaturæ præpoſitis, beneficia honeſto victui eorum aſſignata. Tandem anno 1667. Eccleſia illa terræmotu proſtrata, & ſolo æquata, denuo ejuſdem civitatis fidelium pietate ædificio priore pulchrior a fundamentis erigitur. Interim SS. Martyrum reliquiæ cum aliis ejuſdem civitatis honorifice aſſervantur in æde Cathedrali. Et eo quod horum Martyrum corpora dicto anno terræmotus ab eorum Eccleſia collapſa inventa fuerunt in fortalitio civitatis abſque ulla ruinarum læſione translata, nec quacumque diligentia adhibita innoteſcere potuit, quis ea ibi tranſtuliſſet, pie creditur divina protectione ſervata, ac manu Angelorum delata eo fuiſſe: ideoque majori devotione venerantur.* Hos tres Martyres Andream, Petrum, Laurentium, Ferrarius *Catalogo generali Sanctorum* inſeruit; de quibus Hagiologi Antuerpienſes Tomo II. die VII. menſis Julii in Prætermiſſis: *Andreas, Petrus, Laurentius Epidauri Martyres apud Aſcrivium paſſi ex eodem Ferrarii penu reprompti ſunt, ut qui martyrium ſubierint anno 1249. Allegantur tabulæ Eccleſiæ Raguſinæ, ubi Corpora habentur. Admitto Corpora*

Raguſium deferuntur.

Sacra corpora inventa & effoſſa

De tribus hiſce martyribus quid ſentiant Hagiologi Antuerpienſes.

Digitized by Google

pœra ibidem haberi; quæro qua auctoritate eos, ut Sanctos & Martyres, Catalogo suo inseruerit Ferrarius, cujus fides nonnumquam vacillat? De eorum gestis nec verbum reperio, adeo ut etsi vere Sancti essent, id solum a nobis dici posset, Ragusii, seu Epidauri honorari, quod hactenus nec asserere, nec negare audemus. Quamvis nihil ex antiquis Tabulis compertum sit de illorum Actis, neque a quibus, & quove sæculo ob religionem interempti fuerint; eorum tamen & martyrii, & translationis Ragusinæ fidem facit Meletius, auctor sæculi duodecimi, qui cum proximo post inventionem sæculo floruerit, utrumque discere potuit e vetustis monumentis, quæ nobis nimia temporum antiquitas præripuit.

N. N. EPISCOP. CATHARENSIS II.

N. N. Episc. Catharensis naufragio submersus.

Hic anno circ. 1033. profectus ad Concilium Provinciale Spalatense, quod Dabralis Archiepiscopus indixerat, miserandum in modum cum tribus aliis provincialibus Episcopis Antibarensi, Dulcinensi, & Suacinsi naufragio periit. Triste infortunium narrat Thomas Archidiaconus cap. xv. Hist. Salonit. his verbis. *Factum est autem ut illis diebus convocarentur omnes Suffraganei Dalmatiæ ad Provincialem Synodum, quæ celebranda erat in Ecclesia Spalatensi. Episcopis autem Superioris Dalmatiæ visum est, quod commodius suum possent iter peragere, si omnes uno navigio ducerentur. Tunc præparata navi ex condicto accesserunt ad portum, & imponentes quæ erant navigantibus necessaria, omnes fere Episcopi eamdem navem conscenderunt, videlicet Cathariensis, Antibarensis, Dulcinensis, & Suaciensis. Cum autem circa insulas ventis impellerentur non multum adversis, ecce subito tempestatis turbo mediis fluctibus toto se fragore immersit, statimque attoniti nautæ confusis clamoribus ad armamenta velorum manus accurrunt apponere, annitentes vela deponere, ancboras projicere, ne navis in asperrima loca, quæ jam erant proxima, incideret. Sed antequam possent quidquam consulte agere, confestim navis arrepta in siccum tota illisa est, intumescentibusque procellis minutatim quassata est & confracta; sicque divino judicio miserabiles Episcopi, & omnes, qui cum eis erant, perierunt.*

De naufragio Episcoporum nunciatum cum esset, Civitates & Ecclesiæ suis viduatæ pastoribus, ut ex eorum infelici eventu suis rationibus providerent, idque ne accideret in posterum, præcaverent, Legatos Romam miserunt, qui suorum Antistitum tristi & miserabili casu expositio Pontificem Max. docerent, quam esset non longinquum modo, sed etiam periculosum iter maritimum Spalatense, quod Episcopi Dalmatiæ superioris sive Concilii Provincialis adeundi, sive Episcopalis consecrationis petendæ, sive denique Metropolitanæ Ecclesiæ suis temporibus visitandæ causa suscipere cogebantur; quamobrem orarent & obsecrarent, ut illos ex ditione Metropolitæ Spalatensis eximeret, novamque in Dalmatia superiori Metropolim constitueret, cui omnes ejusdem regionis Ecclesiæ subessent. Annuit Pontifex, qui tunc erat Benedictus IX., nec vero novam Metropolim condendam, sed veterem Diocletanam, urbis eversione jam inde a sæculo superiori suppressam, restituendam censuit. Itaque Antibari in urbe illius regionis facile primaria passus circiter mille a mari, nec ita longe a Diocletanis ruderibus remota sedem Archiepiscopalem excisæ Diocleæ constitui jussit. Huic vero Episcopos & Ecclesias ultra Ragusium in ortum ac meridiem vergentes fidei atque obedientiæ vinculo exsolutas, quo Metropolitæ Spalatensi erant obstrictæ, subesse voluit. Hæc Archidiaconus loco supra laudato: *Tunc cives urbium prædictorum missa relatione ad Summum Pontificem nuntiaverunt de naufragio Episcoporum suorum suppliciter postulantes eximi a subjectione Ecclesiæ Spalatensis, satis probabilem prætendentes occasionem, quia periculosum illis erat tam remotam Ecclesiam visitare. Quamobrem Romanus Pontifex annuit petitioni eorum, omnesque Episcopos a Ragusio superius absolvit a vinculo, quo tenebantur antiquæ Metropolitanæ, statuitque novam Metropolim in civitate Antibarensi, & omnes Episcopatus prædictos ei subjecit.*

Seoparus constituitur.

Cum Antibarensis Ecclesia in locum jusque metropoliticum Diocletanæ suffecta fuisset, Alexander II. in epistola ad Petrum Diocleensem, & Antibarensem Antistitem easdem illi Ecclesias subjectas commemorat, quæ ad Diocletanam pertinebant, quasque ante annos circiter triginta Benedictus IX. eidem subjecerat; nimirum *Ejaterensem, Palachiensem, Suatinensem, Scodrinensem, Dinnastriensem, Polatinensem, Sorbiensem, Bolonensem, Tribuniensem*; quarum nomina librariorum inscitia depravata ita corrigi possunt; sc. *Catharensem, Pristinensem* fortasse in Serblia, *Suaciensem, Scodrensem, Drivastensem, Pulatensem, Sorbiensem, Bosonensem, Tribunensem*. Orta deinde controversia est inter Antibarensem & Ragusinum Metropolitas, qua uterque titulum Diocletanæ Metropolis, hujusque Ecclesias sibi vindicabat; ea plures annos tenuit; cumque demum composita fuisset intra finem hujus sæculi duodecimi, tunc statutum fuisse arbitror, ut Ecclesia Catharensis sub potestatem Ragusini Archiepiscopi transiret; nam Scriptores omnes affirmant hanc Ecclesiam aliquando ad provinciam Ragusinam pertinuisse. Affert Lombardus paullo superius laudatus aliud privilegium ab Urbano II. Pontifice concessum Eliæ Archiepiscopo Barensi, & *datum apud Barum per manus Joannis Draconi, Anno Dominicæ Incarnationis millesimo octogesimo nono: Anno vero Pontificatus Domini Urbani Papæ II. Indict. 13. nono Octobris*: ubi nota arithmetica II. respicit annum secundum Pontificatus Urbani, & recte congruit cum anno octogesimo nono supra millesimum; sed annus uterque non convenit cum Indictione 13. quæ respondet anno millesimo ac nonagesimo; & error fortasse irrepsit librarii culpa. Ipsummet vero privilegium protulit primum Baronius ad annum Ch. 1089. deinde Ughellius in Archiepiscopis Barensibus; & in eo expressis verbis *Catara, quæ in trasmarini littoris ora esse cognoscitur*, sub ditione Barensis Metropolitæ censetur. Hinc, cum Pontificium diploma in dubium nequeat revocari, facile suspicor, de Ecclesia Catharensi inter Ragusinum & Barensem Archiepiscopos aliquid dissidii extitisse, quam uterque sibi vindicare conabatur Pontificia auctoritate; donec Catharenses ipsi Antistites potius Barensi, quam Ragusino sese ultro subdere constituerint, & Pontificis assensu illius subjici potestati. In duabus quinque Patriarchatuum notitiis editis ad calcem Geographiæ Sacræ Caroli a S. Paullo Ecclesia Catharensis subditur

& Catharensis Ecclesia subditur Metropolitæ Ragusino, deinde Barensi.

Antibarensis Archiepi-

Digitized by Google

ditur Metropolitæ Ragusino; utraque videtur descripta sub finem sæculi XII. ut in Tribunio Archiep. Ragusino dictum est, & altera quidem ex regia Parisiensi Bibliotheca descripta has Ecclesias attribuit Archiepiscopo Ragusino, *Stanensem*, *Tribunensem*, *Biduanam*, *Bossonensem*, *Rosæ*, *Catarinensem*, his alia manu adjectis; *qui est Suffraganeus Barenensis*; & altera Thuanæ Bibliothecæ, *Stagnensem*, *Bossenensem*, *Tribunensem*, *Catarinensem* (& alia itidem manu, *hic est Suffraganeus Barelis*, id est *Barensis*), *Rosæ*, *Biuanensem*, *Barensem*; ex quibus certo constat Episcopos Catharenses olim Ragusino Metropolitæ paruisse; cum postea in Notitiis iisdem inter Ecclesias subjectas Barensi Archiepiscopo etiam Catharensis recenseatur.

Post hunc Episcopum Catharensem naufragio extinctum series Episcopalis per annos fere sexaginta interrupta est; non quod Catharenses suis Episcopis per ea tempora caruerint, sed quod desint monumenta, ex quibus eorum nomina & acta proferri possint.

GRIMALDUS EPISC. CATHARENSIS III.

Primus, cujus nomen memoriæ proditum, ac litteris custoditum ad nostram ætatem pervenit, Hunc debemus præstantissimo Senatori Flaminio Cornelio, qui eum catalogo Antistitum Catharensium his verbis inseruit. *Grimaldus Episcopus Cathari nominatur in quodam Codice ms.* Liber Ducalium *nuncupato apud Fratres Ordinis Prædicatorum de Catharo pag. 196. ibique alligatur ad annum MXC. Innotescit etiam ex quodam suo edicto, quod adhuc Catbari asservari traditur, nullis tamen chronicis notis signato, quibus documentis si fides adhiberi debeat, primus iste est in serie Episcoporum Catharensium, qui proprio nomine agnoscatur.*

URSACIUS EPISC. CATHARENSIS IV.

Ursacius Episc. donat Tumbam S. Michaelis Ecclesiæ S. Tryphonis.

Post initium sæculi duodecimi hanc Ecclesiam regebat, & anno 1124. Ædiculam S. Michaelis, ejusque proventus summa totius civitatis consensione donavit Ecclesiæ S. Tryphonis, ut docent Tabulæ Catharenses in hæc verba scriptæ: *In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen. Anno MCXXIIII. Ego Ursacius Episcopus una cum Mele Priore, & Nobilibus Catharensibus, in primis Businas Catapanus, Georgius de Gurbana, Evaicius Bollia de Groni Crosi, Vita Dabrazze, Tryphon de Domana, Ursacius de Visao, Simeon Pauli, Vitalis de Grasana Derza, Sergius de Buda, Micha de Belez, Goislavus Derze, Baliazza bis & semel Consiliarii pulsavimus campanam ..... donamus Tumbam S. Archangeli ad Ecclesiam S. Tryphonis, videlicet a Vaize usque ad littus maris, & a littore maris usque ad Vaice ..... Si aliquis esset hæres in eadem Tumba ..... qui omnes unanimiter ..... Quoniam nulla humana persona habet aliquam hæreditatem in eadem Tumba extra quatuor vel quinque ..... quæ sunt a parte S. Vincentii. Et hanc donationem si aliquis rumpere temptaverit vel calumniam fecerit, ex parte Dei Omnipotentis & B. M. semper Virginis & omnium Sanctorum excommunicetur, & cum condemnatis condemnetur; & ex parte nostra quamvis peccatores ..... & in secundo adventu ..... appareant. Et sicut luminaria, quæ a vento extinguuntur, extinguantur. Ego autem præfatus Ursacius Episcopus per voluntatem omnium nobilium & auctoritate communi propria manu scripsi.*

NICEPHORUS EPISC. CATHARENSIS V.

De quo Flaminius Cornelius: *Nicephorus hujus nominis primus simul cum Dulchinensi, Drivastensi & aliis Episcopis Suffraganeis consecravit Andream Lucchesium Metropolitam suum.* Andreas Lucchesius, idest Lucensis patria hoc anno 1141. Archiepiscopus Ragusinus renunciatus fuit. Idem ne sit Nicephorus, qui postea a suo Metropolita descisens interdicti sententia confixus fuit in Synodo Provinciali Ragusina ab Henrico Subdiacono, & Anastasii IV. Pontificis ad Ragusinos Legato, vix dubitaverim. Nam Synodus Ragusina habita fuit anno 1153. Malon vero, qui Nicephoro successit, Catharensem Episcopatum iniit anno 1154.; neque opus est, ut intermedium quempiam Antistitem absque ullo monumento ponamus.

MALON, sive MAGION, EPISCOPUS CATHARENSIS VI.

Malon Episc. an. 1154. consecrat Ecclesiam cathedralem.

Anno 1154. hanc Ecclesiam regendam suscepit, ut docent tabulæ pro consecratione Ædis Cathedralis Catharensis confectæ anno 1166. testantur enim, duodecimum Episcopatus annum tum a Malone decursum. Hujus consecrationis ritus eximio apparatu, magnoque populi concursu peractus fuit ab ipso Malone cum tribus Episcopis, & septem Abbatibus vicinarum circa regionum. Principem aram idem Malon dedicavit S. Tryphonis titulo, & Divorum Primi ac Feliciani Martyrum; alterum altare a Lazaro Episcopo Arbanensi, alterum a Joanne Episcopo Dulchinensi dicatum fuit, & illud quidem Deiparæ Virginis, atque Innocentium Martyrum, hoc vero duodecim Apostolorum nomine, & SS. Martyrum Joannis & Pauli. Has tabulas ex pervetusta membrana descriptas hic exhibeo.

Ego Malo Episcopus declaro, quod duodecimo anno mei Episcopatus, cum confratribus nostris Episcopis Lazaro Arbanensis, & cum Martino Drivastensis & cum Johanne Episcopo Dulcinensis Ecclesiarum, Ecclesiam Sancti Tryphonis nostri Episcopatus adjunctis Abbatibus, Michaele Abbate (Archimandrita) Sancti Johannis, & cum Petro Abbate (Archimandrita) Sanctorum Sergii & Bachi, & Johanne Abbate Sancti Salvatoris Antibarensis, & Petro Abbate Sancti Petri, & Johanne Abbate Sancti Georgii, & Georgio Abbate Sancti Salvatoris Arbanensis, (hic aliquid deest, forte consecravi) cum tribus altaribus, quorum medium sacravi ego Majo ad honorem Sancti Tryphonis, & Sanctorum Martyrum Primi & Feliciani; aliud altare a sinistro latere sacravit Lazarus Episcopus Arbanensis, ad honorem Beatæ Mariæ Sanctorumque Innocentum nostra concessione & voluntate, a dextro videlicet latere sacravit altare Johannes Episcopus Dul. nostra concessione & voluntate ad honorem Sanctorum Apostolorum & Sanctorum Martyrum Johannis & Pauli. Anno Incarnationis Domini nostri Jhesu Christi Mil. C. LXVI. Indictione XIII. tertiadecima Kalendas Julii in Sede Apostolica residente Papa Alexandro. Imperante piissimo & semper triumphatore Hemanuhele, Duce existente Dalmatiæ atque Dioclie .... qui in eadem

dem dedicatione ſua gratuita voluntate & benignitate affuit. Priore Vita exiſtente in Catharo. Petrus Soacinenſis electus interfuit, & Andreas Prior Arbanenſis cum & toto populo civitatis.

In tabulis Catharenſibus anni 1160. a Flaminio Cornelio productis traditum eſt, presbyterum quemdam nomine Bozianenſem a Malone privatum fuiſſe Sacerdotio & præfectura Eccleſiæ ſuburbanæ S. Victoris: quo etiam Antiſtite, uti reor, anno 1167. fœdus initum a Catharenſibus, & pax ſancita cum Keneſio Almiſſi Domino, quocum contentiones & diſſidia interceſſerant. Extant tabulæ juramenti, quod idem Keneſius edidit in hæc verba.

Catharenſium fœdus cum Almiſſanis.

Ego Nicola Keneſius Almyſcii una cum meis conſanguineis, & cum omnibus, qui ſub meo dominio ſunt, juramus tibi Vicecomiti Catharino, & omnibus Catharinis ſuper Dei Evangelia ſalva fide & bona intentione, ut ab hodierna die nos & noſtri ſucceſſores vobiſcum & veſtris ſucceſſoribus puram & rectam habeamus pacem abſque dolo uſque ad nonam generationem; & ſi Catharinus conduxerit navem, & fecerit nobis juſtitiam, nullam læſionem ei faciemus, & a Malonto uſque Traſti ſi viderimus navem, quæ Catharum venire voluerit, nullum damnum ei faciemus. Sic nos Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia. Anno Domini Milleſimo CLXVII.

Fateor tamen nonnulla ineſſe huic formulæ, quæ dubiam jurisjurandi veritatem reddunt, unde integram formulam fuiſſe confictam quis non immerito ſuſpicetur: ſed aliorum eſto judicium, an ſit jure e Catharenſis hiſtoriæ monumentis rejicienda.

NICEPHORUS II. EPISCOP. CATHARENSIS VII.

Nicephorus Epiſcopus ad Neemanum confugit adverſus Metropolitam ſuum Raguſienſem Archiepiſcopum.

Æqualis Tribunio Michaeli Veneto Archiepiſcopo Raguſino. Hic Nicephorum Epiſcopum ſibi ſubjectum, quod imperata facere nolebat, ob contumaciam anathemate perculſum ab ſua communione ſegregavit; deinde Beneventum profectus eumdem apud Alexandrum III. mandati Archiepiſcopalis contempti accuſavit. At Nicephorus confugit ad Neemanum Archijupanum Serbliæ & Raſciæ, ut ſibi adverſus Metropolitam ſuum præſidio eſſet. Hic erat filius Deſſæ, qui Rodoslavo III. Serblorum Domino Principatum Chelmenſem & Zentam ſuperiorem ademerat. Neemanus vero Serbliam & Raſciam eidem Rodoslavo eripuit; urbem & agrum Catharenſem tantummodo illi ejuſque fratri Joanni reliquit. Hos deinde Raguſium auxilii petendi cauſſa profectos Catharenſi etiam dominatu ſpoliavit; & rerum in Serblia potitus Archijupani titulum ſumpſit, ac Priſtrinæ in Raſcia ſui Principatus ſedem collocavit. Provinciam vero Chelmenſem Conſtantino & Miroslavo fratribus ſuis fiduciariam dedit. Neemano inimicitiæ erant cum Raguſinis, propterea quod Rodoslavum & Joannem ejus fratrem, qui Raguſium ſe receperant, ſibi utrumque repetenti tradere noluiſſent, & illis quæcumque poterat, damna inferebat. Itaque Nicephorum Epiſcopum ad ſe confugientem benigne accepit; & hinc occaſionem nactus ſui contra Raguſinos odii expromendi in Tribunium Archiepiſcopum acerbitatis ſuæ virus evomuit; atque ab ejus poteſtate metropolitica Epiſcopos Raguſinæ Provinciæ, qui ſuæ ditionis erant, fere omnes abſtraxit. Hæc Maurus Orbinus in ſuis Commentariis de Regno Slavorum, qui Epiſcopatum Nicephori cum Archiepiſcopatu Tribunii, & Pontificatu Alexandri III. conjunxit.

Eccleſia Catharenſis Provinciæ Barienſi firmiter adſcribitur.

Atque his temporibus Eccleſiam Catharenſem Raguſino ademptam, Barienſi Metropolitæ jam attributam firmiter adhæſiſſe cenſeo; ſiquidem poſt aliquot annos, ut infra dicemus, in Actis Concilii Lateranenſis Epiſcopus Cathari inter Epiſcopos Provinciæ Barienſis adnumeratur. Cum enim Pontifex videret, ſummam eſſe inter Tribunium ac Nicephorum & voluntatum & judiciorum diſſenſionem, ut omnem turbarum occaſionem præcideret, quæ Chriſtianis illarum partium offenſioni erant, unum ab altero disjungendum omnino cenſuit. Præterea, cum Archiepiſcopus Antibarenſis, uti dictum eſt, Eccleſiam Catharenſem, utpote ab ſua juriſdictione, cui antea ſuberat, divulſam repeteret, & crebra eſſent litigia & contentiones inter Raguſinum & Antibarenſem Metropolitas, nec Barienſis ſuo juri unquam ceſſiſſet, quod illi in eamdem Eccleſiam tributum fuerat, Pontifex ipſam demum Provinciæ Barienſi addici voluit. Porro Nicephorus anno circiter 1178. e vita migravit; nam anno proximo Eccleſiam Catharenſem regebat

MAJUS EPISC. CATHARENSIS VIII.

Quem alii Marium, alii Marinum, alii Marcum appellant. Anno 1179. cum ſuo Metropolita Barienſi, aliiſque ejuſdem Provinciæ Epiſcopis interfuit Concilio Lateranenſi III. quod Alexander III. convocaverat. Trecenti ac duo Epiſcopi convenerant; in his *Provinciæ Barenſis Raynaldus Barenſis Archiepiſcopus, Joannes Bituntinus Epiſcopus, Majus Catharenſis, Paulus Salpitanus*, & alii ejuſdem Provinciæ.

BUCCHIUS EPISC. CATHARENSIS IX.

Anno 1181. confirmavit donationem Ædiculæ S. Michaelis, quam Urſacius cum ejus proventibus tradiderat Eccleſiæ Cathedrali S. Tryphonis; anno autem 1191. ſententiam tulit ſecundum Abbatem S. Laurentii. Ex catalogo Antiſtitum Catharenſium, quem Vincentius Babbichius ex Ordine Prædicatorum confecit.

MICHA ſive MICHAEL, & SERGIUS, EPISCOPI CATHARENSES X. & XI.

Michael & Sergius Epiſcopi. Catharenſes Serblianis Regibus ſubduntur.

Alter filius Leonis, alter filius fratris Michæ Antiſtitis. Utriuſque Pontificatus annos poſtremos ſæculi duodecimi, & priores decimitertii ſibi vindicat. Micha anno 1205. Sergius anno 1219. obiiſſe traditur in Catalogo ſupra laudato. Catharum poſt adventum Serblorum uſque ad ſæculum fere undecimum in fide manſit ac poteſtate Imperatorum Orientis: deinde Catharenſes ſeu vi ac neceſſitate coacti, ſeu voluntaria deditione ſub imperium Regum Serbliæ tranſierunt. Quamvis autem Reges ac Dynaſtæ Serblorum fere omnes ab Eccleſia Romana ad Græcos ſchiſmaticos defeciſſent, nullam tamen per eos injuriam ſive moleſtiam Epiſcopis & Catholicis Catharenſibus illatam invenio. Hanc urbem Rodoslavo III. Serblorum Domino cum Serblia & Raſcia Neemanus eripuerat; quem Catharenſes ipſi in tabulis anni 1186. ſuum Dominum appellant. *In nomine æterni*

De-

Digitized by Google

Domini & Salvatoris Jesu Christi anno MCLXXXVI. mense Junii, tempore Domini nostri Neemanæ Magni Jupani Rassæ. Ego Cutha Saracinus devictus in civitate Catbari a prædicto Magno Jupano una cum juratis Judicibus ab ipso constitutis Janio, Sergio &c. Hic Neemanus filius Deſſæ princeps & auctor fuit celeberrimæ gentis & familiæ Neemaniæ, ex qua deinceps orti ſunt Reges Dynaſtæque Serbliæ & Raſciæ uſque ad Uroſcium III. poſtremum Neemaniæ ſtirpis Regem, cui vitam & regnum eripuit Ucaſcinus Deſpota anno 1368. Cum Ucaſcino poſt cladem a Turcis acceptam anno 1371. a ſuis interfecto Regnum Serbliæ & Raſciæ in plures Dynaſtas divilum, ac denique ab Turcis occupatum, prorſus interiit. Maurus Orbinus auctor eſt Catharenſes anno 1179. Serblorum dominatu depulſo ſub poteſtatem Græcorum rediiſſe, cum Emanuel Imperator rerum in Oriente potiebatur. Sed ex Tabulis ſupra laudatis anno 1186. Neemanus adhuc in urbe Catharenſi dominabatur, cum Emanuel ante ſex annos diem obiiſſet, extinctus anno 1180. Itaque defectionem Catharenſium ab Regibus Serbliæ referendam cenſeo ad Imperium Iſaacii Angeli Comneni, qui uſque ad annum 1195. regnavit. Idem Orbinus tradit Catharenſes Græcorum auxiliis adjutos repulliſſe Simeonem, quem Græci Stephanum vocant, filium Neemani, qui primus e gente Neemania Regem Raſciæ ſe appellari voluit, cum Catharenſes vi atque armis ſub imperium redigere conaretur. Hic relicto principatu habitum monachalem ſumpſit. Tres habuit filios, Stephanum, Vulcum, ſeu Vulcanum, & Raſcum; horum poſtremus patris exemplo, mundanis opibus & voluptatibus paupertatem, & aſperitatem vitæ monaſticæ prætulit; ac Sabbæ nomine aſſumpto, eximiis virtutibus floruit; & poſt mortem ob ſingularem ſanctitatem, & illuſtria miracula, Divorum numerum cultumque apud Græcos & Raſcianos obtinuit. Porro Stephanus in Regnum Raſciæ Simeoni parenti ſucceſſit, & Catharenſes ampliſſimis promiſſis illectos ad priſtinum erga Reges Serbianos obſequium revocavit. Tantum vero abfuit, ut Catharenſibus dogmatis ac ritus Romani cultoribus moleſtus eſſet, ut ipſe quoque, ab ſchiſmate Græcorum abhorrens, ad Religionem Catholicam ſpectaret. Itaque per litteras atque internuncios Innocentium III. rogavit, ut Legatum ad ſe ampliſſima poteſtate præditum mitteret, qui Raſcianos Eccleſiæ Romanæ reconciliaret, ſibique regium diadema imponeret. Verum Rex Hungariæ, cui bellum erat cum Stephano, Pontificem propenſum ad ſatisfaciendum Stephani poſtulatis, de hujus parum ſincera fide, ſimulatoque officio ſuſpicione injecta, ab ea ſententia & voluntate abduxit; & Stephano Regnum Raſcianum eripuit, ejuſque fratri Vulcano tradidit. Cæterum Stephanus Emerico Regi, & fratri ſuo reconciliatus, Serbliam magna ex parte, ac titulum Magni Jupani retinuit; Vulcanus vero Dalmatiæ ſuperioris, & Diocliæ Regem ſe appellari juſſit, ut conſtat ex litteris Innocentii tum *Vulcano illuſtri Regi Dalmatiæ & Dioclia*, tum *Stephano Magno Jupano* inſcriptis. Cum igitur Vulcanus & Legatos Apoſtolicos, & Coronam regalem ab Innocentio poſtulaſſet, Pontifex miſit Joannem Sacello Pontificio præpoſitum, & Simeonem Subdiaconum cum ſuis litteris ad Vulcanum Regem, ad Stephanum Magnum Jupanum, ad uxores utriuſque, ad Archiepiſcopum Dioclienſem, ſive Antibarenſem cum pallio, ac denique ad cæteros *Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Eccleſiarum Prælatos, & alios clericos per Dalmatiam, & Diocliam in Regno charissimi in Christo filii Vulcani illuſtris Regis Dioclia, & Dalmatiæ conſtitutos.* Tunc Synodus Provincialis habita eſt anno 1199. præſidentibus Legatis Apoſtolicis, cui interfuit & ſubſcripſit Joannes Metropolita Dioclienſis cum Epiſcopis Provincialibus, in qua Decreta omnino duodecim condita ſunt, quæ ad eccleſiaſticam diſciplinam reſtituendam, & ſtabiliendam pertinent. Ab hac Synodo abfuit Micha Epiſcopus Catharenſis; quamvis enim Eccleſia Catharenſis intra fines Regni Vulcani eſſet, ab Ragulina tamen, atque Antibarenſi Metropoli divulſa, in poteſtatem Metropolitæ Barienſis tranſierat. In Tabulis Catharenſibus annorum 1197. 1199. 1200. 1203. *Vulcanus*, ſeu *Velcanus* nominatur. Tabulæ anni 1197. his verbis inſcriptæ ſunt: *Sub tempore Domini noſtri Regis Velcani Dioclia, Dalmatiæ, Tribuniæ, atque Teplizzæ inclyti Regis, & Domini Bogdani Comitatum Cat. obtinen. Nos Cat. Judices &c.*

Habeo veterum illorum temporum monumenta duo, quorum primum cum Michæ, alterum cum Sergii Epiſcopatu cohæret. Annis ſuperioribus Legatus quidam Sedis Apoſtolicæ, nomine Gualterius, poſt cæteras Dalmatiæ urbes peragratas, Catharum venerat, tum ut rei Chriſtianæ, & eccleſiaſticæ rationibus utilitatique conſuleret; tum vero ut colligeret tributa, quæ ſingulæ Civitates & Eccleſiæ Summo Hierarchæ pendere, atque hujuſmodi Legatis pro viatico operaque in earum commodum impenſa contribuere conſueverant. His enim de cauſſis hæ legationes identidem ex urbe in provincias mitti ſolebant. Porro Gualterius tributum exigebat ſane gravius, atque intolerabilius, quam æquitas & conſuetudo ferebat. Itaque imperatæ exactioni clerus populuſque interceſſit, & ſimul decrevit, quid & quantum pro decennio, tum elapſo, tum proxime ſequenti, hujuſmodi Legatis exactoribus contribuendum eſſet. Hoc decretum memoriæ poſterorum, & ſcripto mandari voluerunt. Sed neſcio quo caſu ſcriptum illud interiit; quapropter, quod ſemel conſtitutum fuerat, anno 1200. de communi ſententia renovatum, & confirmatum eſt.

In nomine Domini æterni & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Anno MCC. in menſe Jan. in die 3. Nos nomine populorum Catharinorum Lupinus Lupanæ, Maurus Jacobi Leoce, Urſacius Simeonis, Euticius Micha pag. Peſchalis Dragus, Rille Dabrazza, Nicolaus Graban. cum omni populo civitatis ſimiliter, & Dominorum Micha Archid. cum ſuo Capitulo ibi exiſtens. Recolentes & firmiter in mente retinentes, quod quondam ſub tempore Comitis Beneſe, veniens quidam Legatus a Romana Curia, nomine Gualterius, & coram ſui præſentia reclamaviſſe totius populus civitatis de ſuperfluitate laboris, quam ſine miſericordia exigebat a ſuis debitoribus. Unde per voluntatem omnium noſtrum ex juſſione Apoſtolica decreverunt hoc, ut pro decem annis de labore, non plus poſſit quærere exactor, niſi duplicatos ſolidos ad rationem de quinque in ſex, quoniam in antiquo tempore hoc fuit uſu noſtræ civitatis, alium laborem non exigebant, niſi de quinque in ſex. Unde pro decem annis deorſum non poſſit quærere niſi medium labo-

Catharenſes ſe Græcis Imperatoribus tradunt.

ſed brevi redeunt ſub poteſtatem Regum Raſciæ.

Concilium Provinciale Dioclienſe.

Gualterius Legatus Sedis Apoſtolicæ in Dalmatia.

Tributum gravius, quam æquum erat, Catharenſibus impoſuit.

Catharenſes remittunt.

rem de quinque in ſex; & decem vero annos ſurſum non poſſit quærere niſi duplicatos. Hanc quidem ſcripturam bene recolimus eſſe factam, ſed nullo modo eam invenire potuimus; ſed quia cuncta, quæ illic ſcripta ſunt, pleniter recolentes juxta hoc decretum hanc ſcripturam confirmamus, & firmiter, perpetualiter eſſe tenendam communi voluntate jubemus. Hoc fuit actum ſub tempore Domini noſtri Regis Velcanni, & Comitatum regente apud nos Deſimirus, & ſamis.

Ego autem Junius Presbyter, & Conſilii Notarius audiens hoc ab iſtis Nobilibus ſine dilatione prænotavi.

Cum Presbyter quidam æs alienum contraxiſſet, nec ſolvendo eſſet, aut certe diutius, quam pacta fuerat, ſolutionem differebat, Comes civitatis, ut creditorem ab omni fraude aut damno tutum præſtaret, juſſit illum neſcio quid pignoris dare, quas illi *aptagias* vocabant. Sergius Archidiaconus id rem eſſe peſſimi exempli ratus, & immunitati eccleſiaſticæ repugnare, cum Epiſcopus abeſſet, curiam adiit, & coram ipſo Comite, ac judicibus, denunciavit nemini, præterquam Epiſcopo, aut, illo abſente, Archidiacono jus eſſe pignora quæcumque ab clericis exigendi: id quod omnes una voce comprobarunt.

Sergius Archidiaconus Catharenſis adverſus Comitem civitatis vindex immunitatis eccleſiaſticæ.

In anno Dominicæ Incar. MCCXV. Menſe Auguſti. Evenit tunc, ut pro quodam debito fuiſſent datæ aptagiæ ſuper presbyterum Michaelem Comiti Tupzæ; & poſtquam hoc factum nunciatum fuiſſet Archidiacono Sergio, qui tunc primatum Eccleſiæ tenebat, venit in curia coram judicibus, qui ipſo tempore erant, videlicet Drago Potis Baſilii, cum Petro Potis Tryphonis, atque Simeonis Junii, & coram iſtorum judicio convicerunt Comitem Tupzam. Et judicatum, ut Comes non auderet recipere aptagias ſuper ullum clericum, niſi Epiſcopus, vel ſi ibi Epiſcopus in civitate non fuerit, hanc poteſtatem Archidiaconus habeat tollendi aptagias ſuper quemlibet clericum. Scripſit hæc Junius Communis Notarius.

BLASIUS EPISC. CATHARENSIS XII.

Cujus nomen Tabulis Catharenſibus anno 1221. & aliis deinde uſque ad an. 1239. inſcriptum invenio: *In nomine Dei æterni, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Anno Mill. CC. XXI. 15. die intrante menſ. Septemb. ſub tempore Domini Regis Rodoslavi & Comitis de Soly, Epiſcopi vero Domini Blaſii. Anno Mill. CCXXVII. menſe Octobr. ſub tempore Domini Regis Rodoslavi, & Rever. Domini Blaſii Epiſcopi &c. Sub tempore Domini Regis Uladislavi, & Domini Blaſii Epiſcopi &c. Sub tempore Domini Ladislai nobiliſſimi Regis, præſidente Catharenſi Eccleſiæ Epiſcopo Blaſio anno MCCXXXIX. de menſe Junio Indict. XII.* Priuſquam de Blaſio ſcribere aggredior, duos hos reges, qui temporibus illis Cathari dominabantur, Rodoslavum & Uladislavum, ſive Ladislaum in diſquiſitione vocandos cenſeo; uterque enim abeſt tum a Commentariis Mauri Orbini de regno Slavorum, tum ab Catalogo Regum Serbliæ, quem Carolus Dufreſne diligentiſſime confecit. Stephanus Simeonis filius ab Emerico Rege Hungarorum regno expulſus, ut ſupra dictum eſt, poſt mortem Vulcani, ſeu Velcani fratris, a quo in partem regni vocatus fuerat, & Magni Jupani titulo inſignitus, totius Regni Serbliani, ſeu Raſciani potitus eſt; & anno 1220, adhuc regnabat, ut conſtat ex ejus epiſtola ad Honorium III. apud Raynaldum in Annalibus ad hunc annum affixa, in qua ex variis provinciis, in quibus dominabatur, hos regales titulos ſibi adſcripſit: *Stephanus Dei gratia Serviæ, Dioclitæ, Tribuniæ, Dalmatiæ, atque Ochlumiæ rex coronatus.* Maurus Orbinus duos filios Stephano attribuit, Neemanum II. cognomento *Crapulam*, & Rodoslavum. Huic parens Principatum Chelmenſem Petro Comiti ademptum dedit. Idem Orbinus ſeriem genealogicam Neemaniæ familiæ contexuit, in qua nullus eſt præter hunc Stephani filium, qui Rodoslavi nomine appelletur. Hic igitur fuerit oportet, qui poſt Stephanum parentem regnum Serbliæ Raſciæque adeptus in Tabulis Catharenſibus an. 1221. & 1227. ſupra laudatis nominatur; & Orbinum erraſſe arbitror, qui Rodoslavum ante parentem morte præreptum fuiſſe exiſtimat. Rodoslavo in regnum Serblianum ſucceſſit Uladislavus, ſive Ladislavus, qui in Tabulis Catharenſibus an. 1239. Regis *nobiliſſimi* titulo donatur. Hunc Rodoslavi filium fuiſſe cenſeo, qui abeſt ab ſerie illa genealogica apud Orbinum. Duos igitur ſtirpis Neemaniæ reges Serbliæ & Raſciæ habemus ex monumentis Catharenſibus tum a Mauro Orbino, tum a Carolo Dufreſne prætermiſſos, Rodoslavum & Uladislavum, alterum filium, alterum nepotem Stephani, inter ipſum Stephanum & Neemanum II. itidem Stephani filium & fratrem Rodoslavi cognomento *Crapulam* interjectum. Itaque Neemanes II. poſt fratrem & fratris filium regnavit. Nunc ad Blaſium Epiſcopum regredior.

Rodoslavus & Uladislavus duo reges Serbliæ ab Orbino, & Dufreſnio prætermiſſi.

Hoc anno 1220. ſedem cathedralem adeptus anno proximo Ædem S. Mariæ in Funario, quam Andreutius ante annos quadringentos exſtruxerat, ut ſupra dictum eſt ex tabulis Catharenſibus, in quibus de corpore S. Tryphonis Catharum advecto, ac vetuſtate collapſam Catharenſes reſtituerant, ſolemni ritu conſecravit. Seu lege, ſeu conſuetudine conſtitutum erat, ut navarchi annuam quamdam penſionem pro ſingulis navibus Epiſcopo ſolverent. Nulla quidem erat controverſia, quin majora navigia huic oneri ſubjecta eſſent; minora exempta eſſe illi contendebant, & pro his nihil ſe debere ajebant, ſolutionemque Epiſcopo obſtinate negabant. Blaſius non ſine gravi querimonia rem detulit ad judices civitatis, qui cum navicularios ſeniores in quæſtionem ac judicium vocaſſent, ex ipſorum teſtificatione ſecundum Epiſcopum ſententiam tulerunt; præſertim cum recens eſſet de hac re præjudicium, quo Simon nauclerus Sergio proximo ante Blaſium Epiſcopo pro ſua navicula penſionem ſolvere juſſus fuerat. Hæc autem eſt Judicum Catharenſium ſententia.

Quædam Blaſii Epiſcopi acta narrantur.

In anno Dominicæ Incarnationis MCCXXII. menſe Junii Indict. X. Coram nobis juratis Judicibus Joanne Jacobi, & Deſa, Blaſius Cat. Epiſcopus miſit querimoniam ſuper naucleros navium, dicens quia oporteret dare mihi reditum tam de majoribus navibus, quam de minoribus; denique ad hanc quæſtionem reſpondit Andreas Catene dicens, quia nunquam ſcimus datum fuiſſe Epiſcopo de minoribus barcellis. Interea vocantes naucleros quæſierunt eos, ſi antea hoc datum fuiſſet; & in hoc teſtificatus eſt Simon dicens, quia Epiſcopus Sergius me convenit de hoc reditu; & ju-

Digitized by Google

judicatum est me dare, & dedi illud sibi. Testificantibus & aliis hominibus, Lampridius Zizæ cum Vitalio Faroni, & Martino Mosce. Unde nos Judices ex consensu aliquorum nobilium sic jubente, ut deinceps tam majores naves, quam barcellæ darent reditum Episcopo, sicut moris est. Et hoc invenimus reditum de more, de uno arbore medium modium, & de duobus arbores unum modium.

Mense Octobri ejusdem anni Blasius erat Ragusii, & cum Aconcio Pontificis legato testis interfuit actis Joannis Gundulæ die 2. mensis Octobris pro Monasterio S. Jacobi de Viscgniza diœcesis Ragusinæ; eaque habes descripta in Arrengerio Archiepiscopo Ragusino XVIII.

Capitis S. Tryphonis inventio, & translatio,

Anno 1227. ingenti lætitia affecti sunt Catharenses cives, & sacris solemnibus universa civitas gestiit, cum caput S. Tryphonis, quod ante multos annos seu vi, seu fraude ablatum fuerat, Matthæus quidam de Bovali civis Catharensis divinitus recuperatum in urbem retulisset. Extat hujusce facti memoria in antiquo *Octavario*, quo dies festi celebrari solebant S. Tryphonis cultui adscripti; & die Novembris nona supra decimam *Officium* translationis pretiosi Capitis integras novem *Lectiones* habet ex historia confectas, quam sive vetus traditio, sive vetusta Ecclesiæ hujus monumenta, nunc forte deperdita, de translatione Capitis S. Tryphonis Catharensibus civibus commendarunt. Neque ausim quidem historiam ipsam Blasio Episcopo tribuere, qui in *Instrumento* donationis Matthæo factæ pollicetur, se, cum narrationem inventi, translatique iterum Capitis S. Tryphonis confecerit, Matthæi nomen eidem inscripturum; *& cum gesta de hac translatione scripserimus, ipsum in eadem gesta scribam*: hanc tamen probatæ fidei, ut constabit, ex *Octavario* descriptam hic exhibeo, aliquibus notis illustriorem, atque emendatiorem.

Transactis annis (1) *circiter centum octoginta a translatione Corporis* (2) *S. Tryphonis ex Phrygia, hostes subita incursione Catharum* (3) *deprædaverunt, & inter alia Caput ipsius Sancti mirum in modum adornatum abstulerunt, & secum præda onusti abduxerunt: quod per multum tempus latuit, nec scire potuerunt Catharenses, quo in loco pretiosum Caput reconditum haberetur; donec ita Deo Maximo disponente Matthæus quidam* (4) *Bonascius Catharensis mercator negotiandi gratia peragrata Macedonia, superiorique Mysia Constantinopolim pervenisset. Is ibidem, ut fit, cum plerisque familiaritatis necessitudinem comparavit, atque inter temporalia suæ mercaturæ negotia, divina illustratione inspiratus, spirituale commercium non prætermittebat. Itaque quidquid otii ab humanis rebus sibi supererat, id totum ad sacrum D. Tryphonis Caput inquirendum conferebat. Sciebat enim prudens mercator, quod si conceptum in animo votum, Deo propitio, prospero eventu perfeciffet, nullum patriæ suæ magis gratum, magisque jucundum munus afferre potuisset: utque divinum sibi in tam pio opere præsidium facilius impetrare posset, cœpit multis cum votis, precibusque divinam implorare clementiam, ut ipse Deus omnipotens omnium secretorum cognitor mentis suæ gressum dirigere, & locum, in quo sacrum Caput delitesceret, sua ineffabili pietate sibi ostendere dignaretur. Dum sic supplex, atque humilis in tam sancto proposito perseveraret, quadam die, casu quodam græcum obvium habuit Monachum, quem quasi in spiritu edoctus, ut eidem sui pectoris arcanum patefaceret, speque non inani concepta, duxit seorsum, cœpitque congruentibus verbis de Sancti Tryphonis Capite scisciari, aperiens ei seriatim, qualiter alias ab hostibus asportatum fuerit. Contigit autem, ut Monachus ipsemet esset ille, sub cujus custodia sanctum Caput haberetur, cui beatus Tryphon sæpius in somnis apparuerat, eumque hortatus fuerat, ut ipse alicui in Dalmatiam Caput suum tradere non recusaret. Unde his a mercatore acceptis, suspicari cœpit Monachus, an rem gratam Martyri facturus esset, si mercatori eidem Caput suum ingenti studio, ac instantia requirenti concederet non tardaverit.*

& a Monacho quodam

Cumque responsum in diem crastinum mercatori dandum protraxisset, sequenti nocte, dum quiesceret Monachus, clarius fuit admonitus, ut eidem mercatori sacrum Caput petenti dare non differat. Mane autem mercator spem habens in Domino magna aviditate Monachi responsum expectabat; quem cum adiisset Monachus, eidem omnia, quæ sibi nocte acciderant, enarravit, & cognita sancti Martyris voluntate, Caput ejus se libenter ei daturum spopondit, petens ab eo, ut ex fortunis suis ejus inopiæ subveniret; hac præcipue de causa, ut si forte res per eum gesta publicaretur, sibique propterea metu mortis recedendum inde fuerit, penes se habeat, unde vitæ suæ, ac peregrinationi instanti consulere posset. Fuit prudens juvenis more illius viri sapientis, qui thesaurum in agro absconditum invenerat, omniaque pro eo emendo vendiderat: postulatum beneficium subventionis se daturum obtulit, dummodo sacrum pignus sibi citius exhiberetur. Itaque devotus mercator non modicam pecuniæ summam ex rebus venditis Monacho libenter erogavit, & accepto pretioso Capite illud in Sancti Nicolai Cœnobio apud quemdam Monachum suum familiarem mercibus involutum deposuit, donec reperta navi inde solveret. Nec multo post præsentiens navem Venetam, quæ erat in portu, ad primos flatus solituram, eam latus mercator cum felici onere conscendit, & cum ea discedens prospero cursu usque Thessalonicam navigavit: dumque sic secundis ventis navigarent, mercatoremque universi pro benigne tractarent, B. Tryphon voluit pro suo mercatore nautis beneficium impendere.

erogata pecunia remittit.

Erat siquidem ex nautis unus, qui longo prius tempore linguæ, & aurium beneficium amiserat, mutus enim, & surdus habebatur; quam quidem pressuram nullo humano suffragio a se abdicare potuerat. Is igitur, quod reliquum erat, votis, & gemitibus salutem a Deo rerum omnium auctore humiliter postulabat, cujus ex alto Dominus votum prospiciens per B. Trypbonem absque ullo artis humanæ medicamine os ejus ad loquendum, & aures ejus ad audiendum mirabiliter aperuit, (5) *quæ res universis, qui in eadem navi erant, & admirationem attulit, & eos ad laudandam Dei clementiam merito provocavit. Solus autem mercator sciebat tanti miraculi auctorem: cæteri vero nautæ ignorabant, inscii eorum, quæ secum vehebantur; & propterea timebat mercator detegere; ne si in propatulo res foret, tam pretiosa margarita, pro qua plurimum laboraverat, privaretur; & ideo relicta exinde navi, conductisque equis, cum sacro Capite, aliisque rebus suis Dyrrhachium versus*

Matthæus Bonascius Catharensis mercator inquirit Constantinopoli Caput S. Tryphonis,

profectus est. Cumque Dyrrhachium applicuisset, pullulabat jam fama de adventu sacri Capitis, & propterea studiosissimus mercator, conducta cymba, intempesta nocte solvens Dyrrachio Olchinium pervenit, ibique commendatis secreto sarcinis suis, quas mercium nomine appellabat, Monachis apud scopulum non longe ab oppido degentibus, & reversus in continentem cymba Monachorum sub specie cujuspiam secularis negotii, expedito cursu Catharum profectus est. Quo cum applicuisset, convocatis sine mora majoribus civitatis, eisdem suorum negotiorum seriem reseravit, seque, suamque operam eorum discretioni commendavit: a quibus summa cum exultatione exceptus, officiosisque osculis, laudibusque prosecutus certam spem futuræ liberalitatis (6) accepit.

6 *Certus itaque de Patrum liberalitate, assumptis secum duobus comitibus, pedestri itinere ut venerunt, quanta poterit celeritate Olchinium reversus est, sacrumque Caput cum aliis rebus suis ex loco, ubi deposuerat, illud sustulit, duosque dies ibidem ob maris procellosam tempestatem commoratus, sedatoque quasi miraculose mari, sedulus mercator, extorta a Monachis cymba, cum eisdem sociis Catharum versus navigavit: quo cum advenisset, sacras reliquias usque in diem crastinum in æde S. Petri prope civitatem deposuit, Episcopo, clero, ac universo populo de ejus adventu commonitis. Crastina autem die clerus universus solemni processione ordinata cum toto populo venerunt ad præfatam ædem, omnibus jubilantibus, sacrumque Caput jamdiu desideratum sustulerunt, ac in Dei laudibus exultationibusque hymnos, & cantica solemniter decantantibus, ac Episcopi manibus in urbem asportatum, & in ejus templum introductum super majori altare collocatur,*

Solemni pompa pretiosam Caput excipitur,

Postquam autem sacrum Caput ab universis non sine lacrymis præ nimia lætitia obortis fuisset venerabiliter deosculatum, cunctisque cæremoniis rite peractis, fuit juxta reliquias sanctissimi Martyris, aliorumque Sanctorum in sacrario collocatum, omnibus Deo gratias agentibus, qui ipsius martyris intercessione dignatus est Caput glorioſum eis restituere. Deinde volentes Patres Matthæi Bonascii labores, ac sumptus beneficiis aliqua ex parte remunerare per ipsum pro recuperando sacro Capite impensos, una cum Episcopo, cleroque agrum insigne de ratione Ecclesiæ donaverunt, ipsumque (7) Bonascium etiam immunitate omnis generis tributorum munierunt, eique nobile Mausoleum sub vestibulo prope portam magnam Cathedralis Ecclesiæ B. Tryphonis concesserunt, cunctaque sibi, suisque hæredibus publicis instrumentis roboraverunt. Translatum est autem, seu restitutum Caput B. Tryphonis Martyris Catharum de suburbanis Constantinopolis tempore (8) Domini Regis Radislavi, & (9) Blasii Episcopi Catharensis anno a salutifera Nativitate Domini nostri Jesu Christi (10) ducentesimo vigesimo septimo supra millesimum, quartodecimo Calendas Decembris, præstante Domino Jesu Christo, cui est salus, & gloria cum Patre, & Spiritu Sancto per infinita sæcula sæculorum. Amen.

& Matthæus insignibus præmiis donatur.

7

8

9

10

p

Notæ.

1 Seculo igitur decimo dicendum est S. Martyris Caput fuisse Catharensibus ablatum; siquidem

2 Beati Corporis ex Phrygia translatio sæculo nono facta est, sexaginta fere annis ante cladem Saracenicam, & Ascrivium eversum, quæ anno circiter 866. acciderunt; quare annorum octoginta supra centum summa si ab anno circiter 806. & initio sæculi noni deducatur, sub finem sæculi decimi, & anno circiter 986. sacrum hunc thesaurum Catharo ereptum comperies.

3 Hæc urbis Catharensis direptio, vel Samueli Bulgarorum Regi tribuenda, qui cum Bulgari a Græcis desciviſſent anno 976., fratribus interfectis, sibi uni regnum arripuit, & Illyricas provincias tyrannico imperio exagitavit; vel a Græcis Imperatoribus illata est, Basilio, & Constantino, quorum potestati Dalmatia tunc subjecta fuit; iique pluribus bellis Bulgaros, subditasque illis, aut fœderatas regiones diu persecuti sunt, ut sibi denuo subigerent.

4 Matthæi agnomen hic corrigendum; quod in tabulis donationis ipsi ab Episcopo factæ, & inferius exhibendis legitur; *Matthæus de Bovali*,

5 Hoc miraculum, quod mercator solus intellexit ope S. Tryphonis patratum fuisse, ita accidisse existimo, ut, cum ille nemini aperire voluerit, quemnam thesaurum secum deferret, surdi, ac muti nautæ infelici statu permotus S. Tryphonem oraverit, quo aurium, linguæque usum misero homini a Deo impetraret,

6 Quanam remuneratione Catharenses cives prosecuti sint Matthæi labores, & industriam in perquirendo Capite S. Tryphonis, narrat hic auctor paulo inferius; &, quod ad *agrum* attinet, cum tabulis mox citatis narratio consentit.

7 Hæc in tabulis donationis omittuntur; & recte; quippe Episcopus Blasius, clero assentiente, agrum solummodo *S. Theodori* dictum, quod ecclesiastici juris erat, Matthæo donavit: cætera vero Magistratuum, civiumque liberalitas, ac munificentia illi est elargita.

8 Vide, quæ superius de Radislavo diximus, ex quibus patet hujus narrationis fides, & auctoritas. Errat autem Zmajevichius, qui in notula huic epochæ adjecta refert, Radoslavum anno 1098. regnasse, & S. Capitis translationem in annum circiter tertium sæculi undecimi supra septuagesimum rejicere videtur: scribit enim. *Cum translatio Capitis S. Tryphonis facta fuisset tempore Radoslavi, qui regnavit in Illyrico circa annum Domini 1098. tali tempore, non vero anno 1227. ut in fine ultimæ lectionis talis officii asseritur, eamdem evenisse dicendum est, nempe anno 87. postquam illud clarum Caput a Græcis Illyricorum Regum hostibus raptum fuerat.* Sed & sinceræ Blasii Episcopi tabulæ hanc chronologicam narrationis notam confirmant; & Radislavi regnum cum Blasii episcopatu recte convenit; hic vero Radislavus ex Nemagna familia fuit Stephani filius, & Simeonis nepos, Serbliæ, Rasciæque Regum; isque jam anno 1221. regnum obtinebat, ut Catharenses tabulæ produnt, eodemque anno Blasius Catharensis Episcopus in iisdem nominatur; & Radoslavus alter, de quo Zmajevichius, ex Draghimiri familia fuit, qui a Catharensibus misere peremptus interiit sæculo undecimo, ut Orbinus, & Carolus Dufresne retulerunt. Draghimiro Dobroslavus, & Michael, & Radoslavus in Serbliæ regnum succesſere; post hunc Bodinus, Michael, & Dobroslavus hoc

no-

Digitized by Google

nomine ſecundus regnum adepti ſunt. *Exinde*, ait Dufreſne, *Georgius Bodini, & Jaquinta filius Regni Serviani poſſeſſionem adiit circa annum* 1115, unde colligas, Radoslavi regno annum circiter 1098. fortaſſe ſupremum recte a Zmajevichio attribui potuiſſe.

9 Blaſii Epiſcopatus cum Radislavi regno conjungitur etiam in Tabulis Catharenſibus anni 1221.

10 Hæc chronologica nota tabulis quoque donationis adjicitur Matthæo ab Epiſcopo factæ. Hæ vero in hæc verba ſunt hujuſmodi.

Formula donationis Matthæo factæ ab Epiſcopo.

In nomine Dei æterni & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Ego Blaſius licet indignus Catharen. Epiſcopus una cum omni Catharenſi Clero, necnon Communitatis prædictæ ſub tempore Domini Regis Rodoslavi, facimus hunc breve Matthæo de Bovali propter bonum ſervitium, quod geſſit circa noſtræ Eccleſiæ & noſtræ civitatis, adducens nobis Caput Sanctiſſimi Tryphonis noſtri Protectoris. Igitur de pleno corde facimus ſibi exenium ſecundum noſtrum poſſe, & donamus tibi agrum de S. Theodoro, ut habeat illud cum Dei benedictione & noſtra; & habeat poteſtatem ex illo facere ſuam voluntatem, ſicut ei placuerit. Et hoc ſibi concedimus, ut ex omni collectione, quæ in civitate fuerit, de magna ſive de minima, ipſe & filii ejus, & univerſo ſuo hærede, qui de Matthæo nati fuerint, ſint abſoluti ab omni datione Communis in perpetuum, & cum geſta de hac translatione ſcripſerimus, ipſum in eadem geſta ſcribam. Et hæc omnia, quæ ſibi permittimus, & ſacramento firmamus; & quicumque hoc decretum annihilare temptaverit, & hanc permiſſionem ſibi datam non audierit, ex parte Dei Omnipotentis ſit maledictus, & ſubjaceat in pœna excommunicationis, dum ipſe vixerit; & ad confirmandum hæc pagina Notarius Capitularis ex juſſione Epiſcopi juravi Tryphon Archidiaconus cum presbytero Jacobo Archipreſbytero, & presbytero Junio Communis Notario, & multis aliis presbyteris unitis cum Tryphone Bolize & Mileſſa Dino, quoniam ipſo tempore Judices jurati erant in civitate. Teſtes exinde exiſtentibus Sergalludino, Andreas Cattb. Marino Moſche, Joannes Eutici, Joannes Jacobus, Petrus filius Joannis Dubionis; & hoc donum, quod ſibi damus, nullus homo præſumat ſibi eum tollere pro qualicunque ſuo debito. Hoc fuit An. mill. CCXVII. Menſis Octobrii.

Ego autem Junius Presbyter & Communitatis Notarius ex juſſione ſcripſi.

Caput S. Tryphonis Conſtantinopoli tranſlatum ſeu revectum fuiſſe dicitur in Lectionibus antiquis, quas clerus Catharenſis die feſto S. Tryphonis Martyris inter divinam Pſalmodiam recitare conſuevit. *Translatum eſt ſeu reſtitutum Caput S. Tryphonis Martyris Catharum de ſuburbanis Conſtantinopolis tempore Domini regis Radoslavi & Blaſii Epiſcopi Catharenſis anno a ſalutifera Nativitate Chriſti MCCXXVII. XIV. Kal. Decembris.* Itaque vel corpori S. Tryphonis Catharum advecti caput deerat, ibi tunc relictum, unde illud ſublatum fuerat; vel ſi corpus integrum Catharenſes de Venetis emerunt ſæculo nono, ut ſupra dictum eſt, poſtea ei Caput ademptum, ſurreptum, & Conſtantinopolim delatum fuerit neceſſe eſt, cum ſcilicet Imperatores Orientis Cathari dominabantur. Quare Matthæus de Bovali ſacroſanctum illud Caput Conſtantinopoli vel tum primum advexit, vel recuperatum revexit.

Anno 1229. de ſententia ac voluntate tum Capituli, tum Magiſtratus & Conſilii Catharenſis Blaſius Epiſcopus, pœna anathematis interpoſita, vetuit quemlibet civem aut credere aliquam cauſſam Matthæo Cœnobiarchæ S. Georgii, ejuſque Monachis, aut ab illis emere ullas Cœnobii poſſeſſiones, aut denique pecuniam illis credere, ab eiſque de ſacra vel domeſtica ſupellectili quidpiam pignori accipere.

Decretum adverſus Monachos S. Georgii.

In anno Dominicæ Incarnationis MCCXXVIIII. 11. die aſtante menſis Octobris, pulſata campana &c. In primis Dom. Blaſius Epiſc. Catharen. cum Tryphone Archidiac. . . . . & reliquis clericis de Capitulo, cum Judicibus juratis, & nobilibus civitatis, hoc decretum inſtitutum, ut ab hoc die in antea nullus homo ex civitate præſumat credere aliquam cauſſam Abbati Matthæo S. Georgii, nec ipſius Monachis ſuper cauſis S. Georgii, nec nullus homo audeat ab illis emere terras aut vineas de S. Georgio, nec credere illis aliquam pecuniam ſuper paramentis Monaſterii. Et quicumque hoc fecerit, perdat pretium, quod illis datum habuerit; inſuper ſubjaceat in pœna excomunicationis.

Blaſius uſque ad annum 1240. vitam perduxit; anno quippe ſuperiori 1239. ejus nomen cum nomine *Ladislai nobiliſſimi Regis* tabulis Catharenſibus adſcriptum eſt. Ei ſucceſſit

DEODATUS EPISC. CATHARENS. XIII.

Deodatus Epiſcopus ædem Georgianam conſecrat.

Qui hanc Eccleſiam regebat anno 1247. hoc ſiquidem anno ædem S. Georgii rogatu Capituli & totius civitatis, ad quam illa jure patronatus pertinebat, itemque Georgii Abbatis ſolemni ritu ac ceremonia conſecravit, tabulaſque conſecrationis confici juſſit.

Anno ſalutiferæ Incarnationis Domini MCCXLVII. men. Septembr. die duodecima aſtante, Indict. V. Ego Deodatus Epiſcopus Eccleſiæ S. Tryphonis de Catharo ad petitionem Capituli Eccleſiæ ejuſdem, Communitatis ejuſdem civitatis, ac Georgii Abbatis Cœnobii S. Georgii dedicavi Eccleſiam S. Georgii ad laudem Dei, & honorem S. Mariæ, necnon aliorum Sanctorum, quorum reliquiæ hic continentur, S. Georgii, Abdon & Sennen Martyrum, ac SS. Innocentium, quæ Eccleſia prædicti loci erat prædeceſſorum totius Communitatis Catharinæ, venerabilem Dei Eccleſiam gubernante Innocentio Apoſtolico, Domino autem Uroſcio regnante. Quod præſens ſcriptum fieri feci per Diaconum Michaam de Gigna Not. prædictæ Communitatis, cum manu propria & ſigno conſueto.

Poſt Neemanum II. cognomento *Crapulam*, qui a Patriarcha ſolemni ritu rex inauguratus Stephani nomen aſſumpſit, & poſteris ſuis veluti hæreditarium reliquit, Serbliæ & Raſciæ regnum obtinuit Stephanus ejuſdem Neemani II. ſeu Stephani filius, quem Pachimeres apud Carolum Dufreſne *Ureſim* vel *Uroſcum*, vel denique *Uroſcium* appellavit. Hic eſt ille Uroſcius, qui in tabulis conſecrationis templi Georgiani nominatur. Ejuſdem Uroſcii nomen anno ſuperiori inſcriptum extat in quodam Statuto Communis Catharenſis, quo mancipia injuſte verberari prohibentur: *Anno Incar. Dom. Mill. ducenteſimo quadrageſimo ſexto, menſe Septembri, ſecundo die intrante ſub tempore Domini Regis Uroſcii . . . . Catharinæ urbis præſentibus Junio Jaderæ, & Conſilio univerſo hoc decretum fuit ſub ſono publicæ campanæ &c.* Porro Stephanus

Stephani Uroſcii, ſeu Radoslavi Serbliæ regis

non

Digitized by Google

non ſolum *Uroſcii*, ſed etiam *Radoslavi* nomen ſibi adoptavit: nam in Privilegio, quod anno 1250. Catharenſibus conceſſit, ſub initium quidem ſe ipſum *Radoslavum*, ſub finem vero ſubſcriptus eſt *Stephanus Radoslavus*. Si temporum ratio habenda eſt, *Stephanus Radoslavus* alius eſſe nequit a Stephano Neemani II. filio, quem Uroſcium nominatum fuiſſe diximus; & duos fratres habuit in eodem Privilegio, appellatos Uladislavum & Uroſcium. Cum neuter apud Serblos regnaverit, uterque abeſt a ſerie & hiſtoria Regum Serblorum. Integrum diploma Stephani Radoslavi e Slavonico in Italicum, ex Italico in latinum ſermonem converſum hic ſubjicio.

Privilegium Catharenſibus conceſſum.

Gloria ei, qui continet omnia, Deo noſtro, Cœli terræque Conditori, & Filio ejus Divinitatis itemque Spiritui Sancto. Gloria iterum tibi ſemper Deus meus, Imperator Imperatorum, & Dominus Dominorum, cujus veræ & glorioſæ Divinitati omnia accepta referimus. Tu Domine es Imperator & Dominus, qui res omnes tueris & conſervas, valde miſericors in homines a te procreatos, qui pro tua immenſa miſeratione captivum hominem redemiſti, & Filium tuum nobis tradidiſti, ut nos ſervitute eximeret, vitaque immortali donaret. Tu es Dominus Deus qui omnia feciſti, & omnia providentia tua coerces & continęs, cui omnia recta & ſancta placent, iniqua & perverſa non item; & cum diabolus Lucifer ob ſuam pravam cogitationem & nefarios conatus a ſublimi gloria ac felicitate in æternam ignominiam cruciatumque cum Angelis perduellibus deciderit, Angelis tibi obſequentibus ac fidelibus ſociam æternæque beatitatis conſortem dediſti intemeratam illibatamque Virginem Mariam, ex qua naſci voluiſti; unoque in hunc mundum adventu mors noſtra interiit, ejuſque imperium corruit; qui cruci affixus vitam nobis comparaſti. Ego Radoslavus ſummi ac præpotentis Dei beneficio Rex Serviæ & orę maritimæ, & fratres regni mei Vladislavus & Uroſcius nobiſcum ipſi reputavimus, & noſtram in memoriam revocavimus ſinceram fidem & obſequium, quod honorabiles nobiſque fideles cives & patritii Catharenſes præſtiterunt parenti noſtro Domino Stephano primo coronato Regi, & avo noſtro (1) Sancto Simeoni Nemagnæ primo in gloria, qui fuit columen rei Chriſtianæ; & mente revolvimus pravas diaboli cogitationes, qui ſublimi ſcientia ſua elatus conabatur ſedem ſuam ad Occidentem colloçare, & ſimilem Altiſſimo fieri volebat, quemque Deus omnium mentes & cogitationes introſpiciens cœlo detruſit, æterniſque apud Inferos ignibus addixit. Poſtea conſideravimus verba illa Domini Dei Servatoris noſtri, quæ S. Joannes in ſuo Evangelio deſcripſit, & præcepta, quæ Jeſus Chriſtus Judæis tradidit, cum eos viam ſalutis doceret dicens: Si præcepta mea ſervaveritis, certe quidem diſcipuli mei eritis; itemque illa ab eodem S. Joanne relata; Oves meæ vocem meam audiunt, & ſciunt, & ambulant juxta præcepta mea, & ego dabo illis vitam æternam. Ad hunc plane modum fideles noſtri cives & patritii Catharenſes ſemper nobis auſcultant, voluntati noſtræ obtemperant, & nobis prorſus omnibus in rebus dicto audientes ſunt; & omnibus noſtris mandatis nunquam non obedientes ſe præſtiterunt; qui ſua privilegia & diplomata humili ſubmiſſoque animo nobis exhibuerunt; Privilegium admodum glorioſi Regis Georgii, qui cum tradidiſſet iiſdem Catharenſibus Pregiacam in eo ſolo ac patrimonio, in quo nunc reficiunt ac reſtaurant ædem S. Archangeli olim ab ipſis conditam & fundatam, urbi Catharenſi ejuſque territorio bene precatus, confirmavit illis poſſeſſionem omnium hortorum & vinearum, quas obtinebant in pagis Luſtiza & Pariglava, & in univerſa planitie uſque ad fines de Garbagl porrecta, itemque omnium agrorum uſque ad oram maritimam, & maledixit cuicumque ſive Regi ſive Dynaſtæ in æternum, qui ſuæ voluntati ſuoque ſcripto adverſaretur. Nos itaque poſt lectum diligenterque perpenſum diploma & mandatum ejuſdem Regis Georgii fauſta precati ſumus precamurque urbi Catharenſi, ejuſque vineis atque hortis, quos poſſidet in pagis Luſtizæ & Periglavæ & in planitie ſupra dicta in æternum & in ſæculum ſæculi. Amen.

Hæc Catharenſium propria eſſe volumus & jubemus; & ſiquis ea occupare & ab eorum poſſeſſione diſtrahere audeat, huic maledicimus & anathema imprecamur, quem tamquam proditorem Corporis Chriſti omnes oderint ac deteſtentur. Ego Silveſter Scriba hoc ſacrum diploma ipſo Rege dictante ac jubente, itemque ejus Fratribus, mea manu ſcripſi & juſſu ejuſdem Regis in manus tradidi Mauro & Medoſo honorabilibus Patritiis & Legatis Communis Catharenſis; quo quidem diplomate confirmatur Privilegium Regis Georgii, quod iidem Catharenſes Patritii attulerunt ad D. Regem Radoslavum, ejuſque Fratres Vladislavum & Uroſcium: qui cum illud privilegium ſcriptum an. poſt Chriſtum natum 1215. Idibus Auguſti, verum & legitimum eſſe cognoverunt, & ratum habuerunt, & firmarunt hiſce litteris, quas ego ex mandato & auctoritate Domini mei Regis & Fratrum ejus mea manu ſcripſi, dedique Araſiæ die 10. Julii anno ab ortu Domini MCCL. & meo conſueto ſigno obſignavi.

Stephanus Radoslavus Dei gratia Rex Serviæ & orę maritimæ.

Domini Vladislavus & Uroſcius.

Nota.

1 ideſt *Progenitore*: nam Simeon filius Neemani primi, qui relicto regno ſe in ſolitudinem vitamque monachalem abdidit, quatuor generationibus diſtat a Stephano Radoslavo ejuſque fratribus Vladislavo & Uroſcio.

De Radoslavo hoc præterea compertum habeo, ductam fuiſſe ab illo in matrimonium Helenam ex Francia feminam æque nobiliſſimam & religioſiſſimam, quam alii Mariam vocant; ex eaque tres filios genuit Stephanum & Uroſcium Reges Serbliæ, alterum Dragutinum, alterum Milutinum cognominatum, tertium Predislavum Archiepiſcopum Serbliæ. Helena ſive Maria poſt conjugis obitum, cum alia in aliis ſuperioris Dalmatiæ oppidis, tum vero Catharı Cœnobium S. Franciſci fundavit, quod nunc Patres Conventuales Franciſcani obtinent; idque antiquis litteris proditum eſt.

Helena ejus uxor fundat Cœnobium Catharenſe S. Franciſci.

Anno Domini MCCLXXXVIII. Monaſterium S. Mariæ de Scutari, & Monaſterium S. Franciſci de Catharo, & Monaſterium S. Franciſci de Antibaro, & Monaſterium S. Marci de Dulchinio per Dominam Mariam de domo Chieriz de Francia Reginam de Zenta, hoc eſt Myſiæ inferioris in partibus Albaniæ. Quæ regina jacet ſepulta in Eccleſia S. Marci de Dulchinio coram altare majore cum Domino Anſelmo ejus filio; quem

ſer-

Digitized by Google

forte ex alio marito suscepit in privata rerum suarum fortuna, sive ante, sive post initum cum Radoslavo conjugium.

CENTIBERIUS EPISC. CATHAREN. XIV.

Centiberius Episcopus

De quo Vincentius Babichius ex Ord. Dominicano in catalogo Antistitum Catharensium: 1249. *Centiberius Donati civis Catharensis; ipso sedente SS. Martyres Catharenses translati Ragusium*. Sed horum translationem Ragusinam referendam esse diximus ad annum vicesimum sextum sæculi undecimi. Is tamen est Centiberius, ad quem scriptæ extant litteræ Innocentii IV. anno 1251. ut Episcopum Arbanensem, qui Antibarensi Metropolitæ subjici renuebat, sub hujus jurisdictionem potestatemque compelleret; sunt vero hujusmodi ad nos Ragusio perhumaniter missæ.

ad quem litteræ Innocentii PP. IV. contra Episcopum Arbanensem.

Innocentius &c. Vener. Fr. Episc. Catber. Jal. & Ap. Ben. . . Sua nobis Ven. Fr. noster Anteberen. Archiep. querimonia demonstravit, quod Ven. Fr. noster Episc. Arban. ejus suffraganeus ab obedientia & reverentia, in quibus eidem Archiep. sicuti cæteri ejus suffraganei teneri dinoscuntur, pro suæ voluntatis arbitrio temere se subduxerit; & quamquam nullo super hoc exemptionis privilegio a Sede Apostolica sit munitus, præfato Archiep. in suis mandatis licitis & honestis obedire deneget minime juste. Quocirca Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si est ita, præditum Episcopum, ut eidem Archiepiscopo tamquam suo Metropolitano reverentiam & bened. exhibeat, ut tenetur, attentius moneas & inducas. Quod si monitis tuis in hac parte forte acquiescere contempserit, tu ipsum ex parte nostra citans præfigas ei terminum peremptorium competentem, quo per se aut per procuratores idoneos compareat coram nobis, eidem Archiepiscopo super præmissis legitime responsurus. Diem autem citationis & formam nobis tuis litteris tenorem præsentium continentibus studeas fideliter intimare. Datum Perusii XII. Cal. Maji Pontif. nostri anno IX.

Hujus gravissimæ controversiæ historiam, quæ inter Antibarensem & Ragusinum Archiepiscopos intercedebat de metropolitico jure, quo civitates Dalmatiæ superioris suæ uterque jurisdictioni vindicabat, descriptam habes in Joanne III. Archiepiscopo Ragusino XIX. Sed quid Centiberius egerit in hac causa, nullis litteris traditum invenitur; dubium tamen non est, quin Pontificio mandato obtemperaverit, licet Leonardus Ragusini Archiepiscopi procurator publice obstiterit, nequid detrimenti per eas litteras afferretur Ragusiensium Antistitum juri ac potestati in Arbanensem Ecclesiam: *Eisdem litteris Leonardus de Tarvisio Clericus Proc. Ven. Patris Archiep. Ragus. pro ipso in audientia publica addixit. Quas tandem ea conditione absolvit, quod selecta litibus motis inter præfatos Archiep. Antibar. ex parte una, & Archiep. Ragus. ex altera nullum eidem Archiep. Ragus. per prædictas litteras præjudicium generetur. Quod pars altera promisit firmiter coram nobis. In cujus rei testimonium præsentes litteras fieri fecimus & nostro sigillo muniri. Datum Perusii Calendis Maji Pontificatus Domini Innocentii Papæ IIII. anno IX.* Centiberius vel anno 1254.

Ejus obitus.

vel insequenti sedem Catharensem vacuam reliquit; nam hoc anno 1255. certe Collegium Canonicorum Cathedralis Ecclesiæ Capitulari, ut ajunt, jure civitatem ac diœcesim Catharensem regebat, quod videtur intelligi posse ex quodam Capituli decreto, quod vetat bigamos, matrimonio illigatos, & quoscumque ex ordine laicorum ab vitæ mundanæ statu & professione recentes sacris Ordinibus initiari; neque enim jus hujusmodi decreti condendi potestatemque usurpassent, opinor, Canonici illi, nisi ad eos Episcopalis jurisdictio ob mortem Episcopi a præscripto sacrorum Canonum devoluta fuisset. Decretum autem in hæc verba factum est.

Decretum Capituli Catharensis.

Anno Incarn. Dom. Mill. CCLV. mense Junii XII. die astante, Indict. XIII. Nos quidem .... Ecclesia S. Tryphonis Capitulum in unum penitus congregatum de voluntate omnium nostrum sic de jure procuravimus ordinare, ut bigami aut conjugati vel de sæculi conditione ad sacrum Ordinem non promoveantur, volentes in Ecclesia odia & scandala resecare, & secundum ecclesiastica jura vivere, & quicumque ipsorum ex parte supradictorum causa rogationis advenerit, ipse a nostra Congregatione segregetur, ac vinculo excommunicationis sit irretitus. Nullus autem sæcularium Magistratus audeat suos in Ecclesia sæculares ducere sine audientia Episcopi & Capituli supradicti; quod præsens fieri fecimus per manus Diaconi Michæ Com. Notarii.

MARCUS, sive MARIUS EPISCOPUS CATHARENSIS XV.

Hic e Cœnobio Dominicano Ragusino evangelicos operarios in urbem recepit anno 1266. quibus ad vineam Dominicam excolendam uteretur. Quo tempore Paullus quidam inter Catharenses patritios in primis nobilis & pecuniosus, cum e conjuge Dobra lectissima femina nullos liberos suscepisset, quibus avitum copiosumque patrimonium relinqueret, Dominicanam familiam sibi adoptare atque hæredem instituere in animum induxit. Itaque templum S. Paulli quod ipse construxerat prope ab æde cathedrali S. Tryphonis, cum ædificiis hortisque circumjectis, consentiente & approbante Marco Episcopo, Dominicanis Fratribus donavit. Adfuere e Ragusino Cœnobio tres primarii Fratres una cum Cœnobiarcha, qui nomine Magistri Generalis totius Ordinis inita stipulatione donationem acciperent, & oblati domicilii possessionem adirent. Designatus est idoneus Fratrum numerus, e quibus justum Monasterium coalesceret; quod initio quidem ad provinciam Hungaricam pertinuit, deinde vero in jus ditionemque Dalmaticæ provinciæ concessit. Extant tabulæ, quibus Marcus Episcopus donationem hujusmodi amplissimis sane verbis confirmavit.

Cœnobii Paullini Catharensis fundatio pro PP. Dominicanis

Anno Incarnationis Domini MCCLXVI. mensis Aprilis VIII. die intrante. Indict. IX. Marcus miseratione Divina Episcopus Catharensis, universis Christifidelibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Universitati vestræ duximus significandum, quod Paulus filius Bosce cognatus noster nobilis civis Catharen. cum conjuge sua Domina Dobre sorore nostra coram nobis constituti præsentaverunt tamquam ejus patroni legitimi Ecclesiam S. Pauli, quæ est juxta Ecclesiam S. Tryphonis Cathedralem, quam propriis expensis ædificaverunt; tamen

Marci Episc. decreto confirmata.

men cum sine herede essent carnali, spiritu sancto inspirante, sibi pro filiis adoptaverunt F. Michaelem Priorem Fratrum Ordinis Prædicatorum de Ragusio & Catharo, & Fratres Florianum, Tryphonem, & Marcum Fratres Conventus Ragusini, vice Fratris Michaelis Generalis Magistri ejusdem Ordinis, ut ipse Ordo, & Fratres ejusdem Ordinis haberent & possiderent ipsam Ecclesiam S. Pauli cum domo & aliis pertinentiis suis circa Ecclesiam constitutis in perpetuum. Et a nobis diligenter postulaverunt, ut præsentationem ipsorum rectam habentes, Ecclesiam sæpe dictam cum suis pertinentiis eidem Ordini & Fratribus supradictis confirmare in perpetuum possidendam dignaremur; tali conditione interposita, quod si ipsi Fratres aliquo casu de Ragusio recederent, nec in Catharum essent vel venirent, Ecclesia supradicta cum integro jurepatronatus redeat ad Paulum supradictum cum uxore sua; & si eos Dominus ad se vocasset, juspatronatus prædictæ Ecclesiæ pertineat ad consanguineos proximiores dicti Pauli & uxoris suæ Dominæ Dobræ. Nos igitur petitionem jam dictam acceptantes ipsam Ecclesiam S. Pauli cum suis pertinentiis, ut dictum est, ipsi Magistro, & Ordini prædictis ac Fratribus Ragusinis coram testibus Basilio Dragonis jurato judice, Marco Laurentio Basilii, Bartholomæo filio Bosce vocatis & rogatis auctoritate Dei Omnipotentis in perpetuum possidendam confirmamus. In cujus confirmationis testimonium præsentes litteras supradicto Ordini & Fratribus concessimus sigillo nostro roboratas; & ut ipsa confirmatio ratione sigilli nullam possit calumniam sustinere, ipsam per communem Notarium civitatis Diaconum Michaem conscribi fecimus. Actum est hoc in Curia nostra Cathari. Et ego Diaconus Micha supradictus Notarius ad hæc interfui cum testibus jam præfatis, rogatus, ut ab ipso Paulo, & ejus Dobra uxore audivi, in duabus cartulis veram sententiam continentibus scripsi, & signo consueto roboravi.

Supra januam minorem templi Paullini hæc inscriptio tabulæ lapideæ insculpta legitur, quæ annum conditi absolutique ædificii, Pontificatum Urbani IV. Episcopatum Marci, regnum Orosii, sive Uroscii, & nomina Conditorum simul conjungit. Hæc autem omnia inter se mirifice cohærent.

Anno triceno, bis terno, milleno, duceno;
Quo fuit Urbanus vice Quartus Papa Romanus,
Orosio dante Domino regnum moderante,
Ecclesiæ Xpi cum Marcus præfuit isti,
Vir generis clari Paulus cognomine Bari,
Nobilibus nata cum conjuge Dobre vocata,
Istud fundavit templum, gentisque dicavit
Doctori Saulo mutato nomine Paulo.
Pro quibus exores quisquis venis huc ut ores,
Quod cœlos opere tali mereantur habere.

Pil illorum labores.

Continuo autem in omnem excolendæ civitatis artem eum se horum hominum labor effudisset, ingens facta est morum in meliorem statum mutatio; schismatici permulti, quorum ea regio referta erat, cum Ecclesia in gratiam reducti; cives ad sacra mysteria usurpanda, piamque vitæ rationem ineundam excitati. Illud præclarum in primis ac salubre extitit, quod in sacra Ædicula Cœnobio proxima sodalitium S. Crucis instituerant ex honestis piisque viris facile centum & quinquaginta constatum, quibus varia Christianæ pietatis opera præscripsere, certasque leges, ad quarum normam suos mores & vitam exigerent.

Marci Episcopi quzdam acta.

Orosio sive Uroscio regi nemo amicior, nec jucundior, nec carior fuit Marco Episcopo, ut tradit P. Babichius in suo Catalogo Antistitum Catharensium, & apud regem auctoritate & gratia plurimum valuit, nihilque ab eo petebat, quin impetraret. Hic Uroscius rex Serbliæ atque Rasciæ ille idem est, qui nominatur in tabulis supra descriptis, quas Deodatus confici jussit, testes ut essent templi Georgiani ab se consecrati. Stephanus etiam dictus fuit, & præter Predislavum Serbliæ Archiepiscopum natu minimum duos habuit filios Stephanum cognomento Dragutinum, quem parens regio titulo donatum in regni societatem adscivit, & Uroscium II. cui Milutino cognomen fuit, quem Rasciani ob egregias virtutes & plurima ab eo condita Monasteria Divorum catalogo adscriptum eximia religione colunt. Porro Stephanus sive Uroscius primus hoc nomine adhuc regnabat anno 1271. ut Carolus Dufresne ex Raynaldo & Pachimere scriptum reliquit. Illud etiam de Marco sive Mario Episcopo apud Babichium memoriæ proditum invenio, quod sacrilegum quemdam rerum sacrarum raptorem gravissimo anathemate inustum ab Christianorum cœtu & sacrorum omnium communione segregavit. Hæc fortassis est illa exsecratio, qua Marius sive Marcus simul cum Neophitone Episcopo Zentæ ex mandato regis Oroscii Basilium quemdam confixit, qui particulam ex ligno S. Crucis, sacras icones, & reliquias S. Tryphonis surripuerat: id Voislavus Comes & regius Administer litteris tradidit. *Ego Dei gratia & Domini regis Orosii Comes Voislavus mandato & scripto Domini Regis super placito, quod moverunt Presbyter Micha Pasqualis, & Tripe adversus Basilium Dragonis de Ecclesia S. Lucie (f. S. Lucæ) & fuit sententia Regis: & ego pulso campanam & congrego nobiles Communis civitatis, ut conjurent eos duo Episcopi, de Zenta Neophiton, & Catharensis Episcopus Marius, ut dicant si &c. Ego Voislaus vocavi ambos Episcopos Neophitum & Marium & totum Capitulum Ecclesiasticum, & nobiles & probos civitatis; & adduxerunt lignum Dominicum, icones, & reliquias S. Tryphonis, & ex præcepto Regis maledixerunt Episcopi &c. Anno Incarn. Dom. 1270. mens. Aug. 18. die.*

DOMNIUS EPISC. CATHARENS. XVI.

Domnius Episc.

Huic Ecclesiæ præfuit ab anno circ. 1280. usque ad annum fere vicesimum sextum sæculi proximi. Sacellum Deiparæ Virginis in oppido Priscove diœcesis Catharensis ædificaverat quidam oppidanus nomine Heinz de Bibanis vir æque opulentus ac pius, illudque sacra supellectili copiosa instructum, & pretiosis Divorum reliquiis locupletatum Patribus Dominicanis Ragusinis in perpetuum possidendum tradidit. Domnius vero traditam illis possessionem confirmavit. Id docent tabulæ Catharenses, quibus adscriptum est diploma Episcopale.

dotationem sacelli Mariani factam Dominicanis Ragusinis

Universis præsens scriptum inspecturis Dominus Heinz de Bibanis salutem in Domino sempiternam. Noverit universitas vestra, quod habito sano consilio virorum utique discretorum Capellam meam, quam in honorem Virginis gloriosæ jamdudum construxeram, Fratribus Prædica-

Digitized by Google

catoribus de Raguſio obtuli, dedi, donavi jure perpetuo poſſidendam; ſane tamen, quod dicti Fratres officiare jam nominatam Capellam continue teneantur; ſalvo hoc, ſi aliquo legitimo negotio ad modicum tempus fuiſſent prapediti. Inſuper dono eiſdem Fratribus omnes ejuſdem Capellæ pretioſas reliquias, necnon & calicem argenteum cum aliis veſtimentis ſacerdotalibus, & altaris non modico ornamento. In cujus donationis teſtimonium ſigillum dictæ Capellæ duxi præſentibus apponendum. Datum in Priſcova, in qua ſita eſt dicta Capella, in Dominica ante feſtum S. Dionyſii, anno Domini MCCLXXXI.

ſuo diplomate confirmat.

Domnius divina miſeratione Epiſcopus Catharenſis omnibus Chriſtifidelibus præſens ſcriptum inſpecturis ſalutem in omnium Salvatore. Quia labuntur cum tempore quæ diſponuntur in tempore, cum non fuerint ſtyli memoriæ commendata, igitur cum Dominus Heinz de Bibanis civis Priſcovenſis vir utique providus & diſcretus ſuam Capellam, quam in honorem conſtruxerat S. Mariæ Virginis glorioſæ, Fratribus Prædicatoribus de Conventu Raguſino dederit, donaverit, tradiderit que cum omnibus ſuis attinentiis jure perpetuo poſſidendam. Hinc eſt ergo quod univerſos, ad quos devenerit præſens pagina, cupimus non latere, quod ad interpellationem dictorum Fratrum, quorum precibus ſemper condeſcendere intendimus, jam nominatæ Capellæ donationem eiſdem Fratribus bis litteris confirmamus; hoc tamen ſalvo, quod dicti Fratres de nullo jure majoris Eccleſiæ ſe aliquatenus intromittant; ut autem nulli liceat hanc donationem in antea confirmare, placuit nobis eam ſigilli noſtri munimine roborari. Datum in Cathara in Vigilia Lucæ Evangeliſtæ anno Domini MCCLXXXV.

De Bizochis lex Catharenſium.

Erat Cathari quidam mulierum cœtus, quæ privatis tamen in ædibus tertium, ut ajunt, S. Franciſci Ordinem profitebantur, Bizochæ vulgo appellatæ; cum vero a parentibus victum iis neceſſarium denegari aliquando contingeret, ipſarum alimoniæ opportune provideri voluerunt Catharenſes lata lege anno 1321. ne piæ feminæ, quæ arctiorem Chriſtianæ vitæ regulam amplecti cuperent, ob victus inopiam, nimiamque egeſtatem a ſancto conſilio deterrerentur. Hujuſmodi autem lex fuit.

Volentes per ſtatutum præſens providere non ſolum mundanis, ſed etiam religioſis, ordinamus, & ſtatuimus, quod ſi aliquis habens filiam Bizochan, vel aliter viventem in pœnitentia extra Monaſterium, pater vel mater teneatur in vita ſua præſtare ſibi omnia neceſſaria; poſt mortem vero ſuam teneatur ſibi aliquid dimittere pro vita ſua ſuſtentanda; ita tamen quod poſt mortem ipſius Religioſæ illud, quod pater ſuus vel mater ſibi dimiſerit, perveniat ad fratres maſculos ipſius Religioſæ, vel ad hæredes earum, ſalvo tamen quod ipſa dare poſſit pro anima ſua quartam partem rerum, quas pater vel mater ſibi dimiſerit; ſi vero fratrem maſculum ipſa Bizocha non habuerit, vel ſororem non maritatam, faciat velle ſuum.

Domnius Epiſcopus inſcribitur privilegio Uroſcii Regis conceſſo Rotacienſi Cœnobio anno 1307., & *Uladislavus* dicitur in alio ejuſdem Regis privilegio dato anno eodem, quæ in Eccleſia Antibarenſi ſunt deſcribenda: ſed manifeſtus error deprehenditur in Vladislavi nomine, uti ſuo loco monuimus. Templum S. Nicolai, quod Balduinus Drago patritius Catharenſis a fundamentis extruxit, dotavit, atque ornavit, Domnius Epiſcopus anno 1289. conſecravit. His temporibus Templum S. Franciſci ab Helena regina conditum cum proximis ædibus attributum fuit Patribus Franciſcanis; idemque poſtea obitu, ac funere nobilitatum ſanctiſſimi viri F. Adam de Catharo, cui miracula poſt mortem patrata *Beati* titulum promeruere. De illo Vaddingus ad an. 1305. *Duracii in cuſtodia Raguſina miraculis coruſcat Frater Adam primus ſocius Fratris Antonii* (Archiepiſcopi Dyrrhachienſis) *eidem miniſterio prædicandi infidelibus totus addictus, qui ſimiliter mortis ſuæ diem prænunciavit. Jacet Catharæ miraculorum gloria inſignis:* & Tom. 9. pag. 195. *Cathari, in quo floruit B. Adam B. Antonii in prædicatione ſocius.* Itidem anno 1298. inſtituta fuit pia ſodalitas S. Crucis, & religioſæ quædam obſervationes illis omnibus præſcriptæ, qui in eam aggregati fuerant, quique in poſterum aggregari vellent. Eodemque fere tempore emicuit virtus, doctrina, ac pietas F. Gregorii civis Catharenſis, & Franciſcanæ familiæ alumni, qui unus fuit ex Pontificiis Legatis a Clemente V. miſſis ad Uroſium Serbliæ Regem, eumque ſui Ordinis Faſti eximium religione ac ſapientia virum commendant.

Templum S. Nicolai conſecratum, & domicilium PP. Franciſcanis attributum.

De Domnio autem hæc addit Flaminius Cornelius: *A Joanne Papa XXII.* (ut notatum legitur in regeſtis Bullarum ipſius Pontificis) *indulgentiam plenariam Romæ degens in articulo mortis obtinuit die xxx. Januarii anno 1324. cui etiam pauperi, & indigenti* (ita notant regeſta Pontificia eleemoſynarum) *Romanam curiam ſequenti ſubſidia pecuniæ, veſtiumque elargita eſt Camera Apoſtolica die 11. ſubſequentis Februarii. Mox* (ita ſequuntur citata eleemoſynarum regeſta) *die xx. Martii ejuſdem anni eidem Epiſcopo pro emendo libros Miſſalem, & Breviarium, cum non haberet, & pro ſubſidio expenſarum in recedendo ad partes ſuas dati ſunt Floreni xx. auri. Anno autem 1325. die xxi. Decembris a Romano Pontifice Apoſtolicus delegatus ſimul cum Tribunenſi Epiſcopo inſtituitur, ut Pallium aſſignaret, & traderet Archiepiſcopo Raguſino.* Verum jam inde ab anno 1305. Sedes, & Curia Romana Avenionem translata fuerat.

Domnii Epiſc. paupertas.

Per hæc tempora Præfectura S. Laurentii de Gulpho a patronis hujus Eccleſiæ delata eſt Joanni de Bolizza Canonico ædis Cathedralis, ut ex his tabulis conſtat.

Præfectura S. Laurentii de Gulpho collata Joanni de Bolizza.

Anno Domini 1324. menſis Auguſti die quinto coram teſtibus ibidem notatis. Nos quidem Drago de Balduino una cum filiis mei Marco, & Nicolao, atque Marinus Philippus, nepos quondam Junii de Caliſto hæreditarii Eccleſiæ S. Laurentii de Culpho Catharenſi in Pladino, de bona voluntate noſtra eligimus presbyterum Sergium filium quondam Domane de Bolizza Canonicum Eccleſiæ Cathedralis, Abbatem, & Rectorem dictæ Eccleſiæ, ut ipſe tamquam verus, & legitimus Abbas, & Rector ejuſdem, ipſam Eccleſiam gubernet, diſponat, & regat in conſcientia ſua, ſicut convenit, & decet, & ſub tali conditione, quod ſi aliquis ex filiis meis dicti Dragonis Balduini hæredem haberet clericum, dictus Sergius teneatur dare partem introituum Eccleſiæ ſuperſtitem. Hi ſunt teſtes: Ceree de Giga, & Paulus Nicolai jurati Judices civitatis. Et ego Petrus Viti Communis Ca-

Digitized by Google

tharenſis juratus Notarius his omnibus interfui, & rogatus me ſubſcripſi, & roboravi.

MELICIACCA EPISC. CATHAR. XVII.

Meliciaccæ Epiſc. Cathar. decretum.

Alii Malliciatem vocant. Anno circiter 1326. hanc Eccleſiam regendam ſuſcepit: hinc Ferdinandi Ughellii error deprehenditur, qui Epiſcopatum Domnii ſive Dompini uſque ad annum 1328. perduxit; cum duos ſaltem annos huic adimi neceſſe ſit, tribuique Meliciaccæ, quem Ughellus utpote ſibi ignotum prætermiſit. Hic Epiſcopus definivit modum largitionibus paullo nimium effuſis, quæ a patrinis fieri ſolebant, cum ex veteſtiſſima Eccleſiæ conſuetudine ad baptiſmum conferendum infantibus, tamquam ſponſores, ac fidejuſſores adhiberentur. His igitur præſcripſit, quot, & qualia officii, & ſpiritualis cognationis cauſa mittenda eſſent xenia parentibus infantium, quos in baptiſmo ſuſceperant; item quid, & quantum ad funus eorumdem, ſi morte immatura prærepti eſſent, conferre deberent. Extat ejus decretum in hæc verba.

Nos Meliciacca divina gratia Catharen. Epiſcopus una cum Micha Archidiacono . . . . . In Eccleſia S. Tryphonis ſic ſtabilivimus, confirmavimus, ordinavimus: amodo in antea nullus compater, ſive comater, quando efficiuntur Chriſtianiſma, præſumat mittere exenia compatri, vel comatri ſuæ præter quinque bucilatos, & quartam unam vini, & gallum cum gallina, & duo berloda. Mulier vero non audeat plus mittere ſuæ comatri quinque tortas plenas, ſimiliter & unam quartam vini, nihilque aliud adjungat. In morte autem Pater ſpiritualis defuncti nihil aliud præſumat portare in refectione mortuorum, niſi tres tortas ad conſolationem horum, qui in lamentum perſtiterunt, & quartam unam vini cum duodecim folariis de piſcibus. Laici quidem compater, ſive comater in triſtitia penitus nihil portare diſponimus. Quicumque ergo amodo in antea hanc noſtram communem ordinationem auſu temerario infringere præſumpſerit, & ad emendationem non venerit, credat ſe in hac ligatione perſiſtere.

Formula Sacramenti ab Abbate S. Georgii exhibita Meliciaccæ.

Extat etiam formula ſacramenti, quo Dominicus Cœnobiarcha S. Georgii ſuam fidem, atque obedientiam Epiſcopo Meliciaccæ, ejuſque ſucceſſoribus obſtrinxit.

Ego Dominicus Cœnobii S. Georgii Abbas juro quod ab hac die in antea ero S. Catharenſi Eccleſiæ, atque D. meo Meliciacco Epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus intrantibus. Non ero in conſilio, neque in facto, ut vitam perdatis, aut aliquod membra ſeu mala captione capiamini; conſilium, quod mihi per os, aut per litteras, aut per nuncium credideritis, ad veſtrum damnum nemini pandam. Jura & poſſeſſiones Catharenſis Eccleſiæ adjutor ero ad defendendum, & retinendum ſalvum eo ordine contra omnes homines. Vocatus ad Concilium, ſeu ad conventum veniam, niſi præpeditus fuero præpeditione canonica. Singulis annis viſitabo Eccleſiam S. Tryphonis in ſuis ſolemnitatibus, niſi veſtra, aut ſucceſſorum veſtrorum abſolvar licentia. Hæc autem omnia recta fide, & ſine fraude obſervabo. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia.

qui Notitiæ cujuſdam eccleſiaſticæ auctor perhibetur.

Meliciaccam auctorem fuiſſe exiſtimant cujuſdam Catalogi Eccleſiarum, & Epiſcoporum, qui aſſervatur in Mſs. Bibliothecæ Vaticanæ Codicibus ſignatis numer. 2923. & 2986. hoc titulo inſcriptus: *Notitia Eccleſiarum, & Epiſcoporum Urbis, & Orbis ab Epiſcopo Catharenſi expoſita*: his enim temporibus compoſitam fuiſſe apparet. Hanc Emmanuel a Schelſtrate Tom. II. Antiquit. Eccleſ. inſeruit, ex qua hanc particulam decerpſi: *Archiepiſcopus Barienſis hos habet Suffraganeos, Botuntinum, Melphitenſem, Juvenacenſem, Rubenſem, Salpenſem, Cannenſem, Polignanenſem, Catharenſem, iſte eſt M.* (ideſt Meliciacca, ſeu Malliciates) *a Raſcia, Savellinenſem, Henervinenſem, Cupſanum.* Margini vero hæc nota adſcripta legitur: *Hinc conſtat hanc ſcriptam fuiſſe ab Epiſcopo Catharenſi, idque tempore Joannis XXII.*

POMPONIUS EPISC. CATHAR. XVIII.

De quo nihil præter nomen; mihi non aliunde notus niſi ex Actis Conſiſtorialibus Avenionenſibus, mox in ejus ſucceſſore deſcribendis. Anno circiter 1328. Epiſcopatum ſuſcepit, quem cum vita eodem anno depoſuit.

SERGIUS II. ſive BERGIUS, EPISCOPUS CATHARENSIS XIX.

Sergius II. Epiſc.

Joannes Papa XXII. proximus poſt Clementem V. cum, qui ſedem Romanam Avenionem tranſtulit, jus & poteſtatem eligendi nominandique Epiſcopos, & illuſtriora quædam ſacerdotia conferendi ad ſe revocaverat. Hic, Pomponio e vivis ſublato, Sergium civem & Archidiaconum Catharenſem, quem aliqui Bergium vocant, Epiſcopum Catharenſibus dedit, ut eſt in tabulis Avenionenſibus: *Promotio Sergii Canonici Eccleſiæ Catharenſis ad Epiſcopatum ipſius Eccleſiæ per obitum Pomponii prævia reſervatione vacantis. Dat. Avenione VI. Id. Octobr. anno XIII. Pontific. Joannis XXII.* hic eſt annus æræ vulgaris 1328. Huic poſt traditam conſecrationem epiſcopalem facultatem dedit conferendi tum dignitatem Archidiaconi Petro Soranni Canonico, tum quædam ſacerdotia curationis animarum immunia, quæ ipſe obtinebat, Sergio de Gonni Archipresbytero Eccleſiæ Catharenſis, ut conſtat ex iiſdem tabulis Avenionenſibus. *Facultas Sergio Epiſcopo Catharenſi conceſſa conferendi Archidiaconatum Catharen. Eccleſiæ Petro Soranni ejuſdem Eccleſiæ Canonico, & beneficia eccleſiaſtica Eccleſiarum S. Sophiæ & S. Laurentii ſine cura animarum Catharen. diœceſis Sergio de Gonni Archipresbyt. præfatæ Eccleſiæ Catharen. quæ omnia per conſecrationem ipſius Epiſcopi apud Sedem Apoſtolicam vacant, & 21. florenorum auri valorem annuum non excedunt. Dat. Avenion. II. Id. Decembr. anno XIII. Joannis PP. XXII.* Præterea cum Pandulphus Archiepiſcopus Barienſis, quem Ughellius *Landulphum* vocat, jus nominandi Epiſcopi Catharenſis Sedi Apoſtolicæ reſervatum temere uſurpaſſet, & Eccleſiæ illi Joannem quemdam de Viterbio præfeciſſet, ut ſuæ temeritatis pœnas daret, Pontifex Sergium Epiſcopum, quoad viveret, Metropolitæ Barienſis juriſdictioni exemptum fore declaravit. Id docent tabulæ Avenionenſes: *Exemptio Sergii Epiſcopi Catharenſis & Eccleſiæ Catharenſis ab omni juriſdictione Archiepiſcopi & Capituli Barenſis, quamdiu ipſe Sergius vixerit; ex eo quod cum ad dictam Eccleſiam per obitum Pomponii apud Sedem Apoſtolicam pravia reſervatione*

a juriſdictione Archiepiſcopi Barenſis eximitur;

ne

ne vacantem dictus Sergius per Pontificem promotus fuiſſet, tamen Pandulphus Archiepiſc. Barenſis Joannem de Viterbio Apoſtatam eidem Eccleſiæ temere de facto præfecit. Dat. Avenione 13. *Id. Decembr. an. Joannis PP. XIII.* & hæc cauſſa, cur in diplomate Landulphi anni 1321. quod a Lombardo producitur in Chronol. Archiepiſc. Barenſium, cum cæteris ſibi ſubjectis Epiſcopis non numeretur.

ſed a ſuis civibus rejectus, qui anathemate configuntur.

Verum electioni Pontificiæ clerus populuſque Catharenſis interceſſit; cum enim Catharenſes decretum feciſſent, quo cavebatur, nequis e ſuis civibus & popularibus in Epiſcopum patriæ eligeretur, Sergium recipere conſtantiſſime abnuerunt, atque ut averſiſſimi ab eo animi clariora indicia darent, non ſolum Vicarium generalem, quem ſibi ipſe conſtituerat, ſed Sergium fratrem & fratris filios omneſque conſanguineos in vincula conjectos Uroſcio III. Regi Raſciæ in arctiſſimam cuſtodiam includendos tradiderunt. His temporibus regnum Raſcianum obtinebat Stephanus Uroſcii Milutini Regis ex thoro non legitimo filius, qui excluſo Uladislavo Stephani filio, & rerum in Raſcia potitus parentis nomine Uroſcius etiam appellari voluit. Cum igitur clerus pariter ac populus de rejiciendo Epiſcopo populari ſuo conjuraſſent, &, quamvis admoniti ut ab ea contumacia deſiſterent, in propoſito tamen arreptoque conſilio perſtarent, uno omnes anathemate confixi ſunt, civitas univerſa interdicto ſuppoſita fuit, & omnes ſimul impedimento canonico illigati, quo vel ſacros Ordines ſuſcipere, vel ſuſceptorum Ordinum muneribus fungi prohibebantur. Interea Sergius Avenione degebat in Romana Curia, unde anno MCCCXXX. die xv. Januarii indulgentiam XL. dierum iis conceſſit, qui certis diebus Venetam S. Salvatoris Eccleſiam viſitarent, vel ad ejus ſubſidium adjutricem manum porrigerent; id conſtat ex autographis litteris, quæ in eodem S. Salvatoris Monaſterio ſervantur; eodemque anno tertiodecimo die menſis Martii ejus nomen inſcriptum fuit diplomati plurium Epiſcoporum, quibuſcum parem indulgentiam iis largitus eſt, qui ſtatis anni diebus Eccleſiam Rhecinetenſem S. Franciſci religionis cauſſa adirent; extat diploma datum Avenione inter monumenta *Sardiniæ Sacræ* a Matthejo vulgata. Cum autem nulla ſpes eſſet vincendæ Catharenſium contumaciæ Joannes Pontifex Sergio Eccleſiam Polenſem decrevit, ut eſt in tabulis Avenionenſibus: *Translatio Sergii de Epiſcopatu Catharenſi ad Epiſcopatum Polenſem per translationem Guidonis ad Epiſcopatum Concordienſem apud Sedem Apoſtolicam prævia generali reſervatione vacantem. Dat. Avenione* XVII. *Kal. Maji anno Pontif. Joannis Papæ XXII. decimoquinto*; qui cohæret cum anno 1331.

Transfertur ad Eccleſiam Polenſem.

RAYMUNDUS EPISC. CATHAR. XX.

Nec vero Joannes Papa Catharenſes Paſtore ſuo, quamvis ob ſuam contumaciam ſe indignos præbuiſſent, diutius carere paſſus eſt, ut paterna hujuſmodi erga illos indulgentia iratos animos lenire, eoſque ad reſipiſcendum alliceret. Eodem ipſo die, quo Sergium ad Eccleſiam Polenſem tranſtulit, Catharenſibus Epiſcopum dedit virum, ut volebant, extraneum, ſed inſignis doctrinæ atque integritatis ex Ordine Carmelitano, ut notatum eſt in Actis Conſiſtorialibus Avenionenſibus: *Promotio Raymundi Agenti de Clareto Ordinis Fratrum S. Mariæ de monte Carmelo profeſſoris ad Epiſcopatum Catharenſem per translationem Sergii ad Epiſcopatum Polenſem &c. Dat. Avenione* XVII. *Kal. Maji an. Pontif. Joannis XXII. decimoquinto.*

Plus benignitas, quam auctoritas pontificia valuit apud Catharenſes, quos præteritæ contumaciæ puduit ac pœnituit; & per ſuos Oratores ac litteras errati venam petierunt; ut civitatem, clerum & populum, quibus erant conſtricti, triplicis eccleſiaſticæ cenſuræ vinculis exſolveret, ſuppliciter ac demiſſe rogarunt; ſe paratos eſſe tum exſules revocare, tum vero decretum illud reſcinderet a ſe temere editum, quo aſcenſus ad ſedem epiſcopalem civibus Catharenſibus intercludebatur: & propterea hujuſmodi decretum inter Statuta civitatis Cathari Venetiis edita anno 1616. non reperitur, Pontifex poſtulatis Catharenſium perbenigne annuit, & Joanni Cardinali Diacono S. Theodori, qui tum in Etruria Legati Apoſtolici munere fungebatur, poteſtatem ampliſſimam delegavit, ut Catharenſes, modo præſtitiſſent quæ promiſerant, ab omni culpa & pœna liberaret.

Catharenſes cenſuris eccleſiaſticis abſoluti.

Mandarum Johanni S. Theodori Diacono Cardinali, quatenus Univerſitatem & officiales civitatis Catharenſis ac Capitulum Eccleſiæ Catharenſis abſolvat a ſententia excommunicationis per ipſos incurſa ex eo, quod Sergium Polen. olim Catharen. Epiſcopum de civitate præfata oriundum ſub prætextu cujuſdam ſtatuti per eos contra eccleſiaſticam libertatem editi, quo cavetur quod nullus oriundus de civitate prædicta poſſit præfici in Epiſcopum Catharen. recipere recuſarunt; & in odium ipſius duntaxat abſque alia cauſſa rationabili conſanguineos & nepotes ac fratrem & Vicarium ejuſdem Sergii ceperunt, & per Uroſcium regem Raſciæ detineri in carcere fecerunt; interdictum relaxet, & ſuper irregularitate diſpenſet, dummodo dictus Sergius Epiſcopatus Polenſis poſſeſſionem adeptus ſit, & frater ejus liberatus cum caſſatione dicti Statuti. Dat. Avenione 2. Idus Junii anno Joannis XXII. 15.

Raymundus tres ipſos annos Eccleſiam Catharenſem gubernavit; & anno quidem 1334. VI. Idus Maji eidem præerat, ut probant tabulæ Hyſpellenſes editæ a Matthejo inter monumenta *Sardiniæ Sacræ*, queis Antiſtites plures, & *Raymundus Catarvenſis* (Catarenſis) dies quadraginta de canonicis pœnis remittunt iis omnibus, qui certas Hyſpelli eccleſias in tabulis memoratas pie religioſeque inviſerint. Sed cum tabulæ datæ ſint Avenione eo die & anno, quem innuimus, fit veriſimile Raymundum in ea urbe ſupremum diem obiiſſe; in qua tum degebat *Thomas Epiſcopus Dulcinenſis*, & Raymundi ſucceſſor, iiſdem tabulis inſcriptus.

Raymundi Epiſcopi obitus.

THOMAS EPISC. CATHARENS. XXI.

Erat Epiſcopus Dulchinienſis in Dalmatia ſuperiori, quem Joannes XXII. anno poſtremo ſui Pontificatus, æræ vulgaris 1334. ad Catharenſem Eccleſiam tranſtulit; id quod colligitur ex Actis Conſiſtorialibus Avenionenſibus, in quibus Thomæ in ſedem Dulchinienſem ſuffectus fuiſſe legitur F. Gratia de Aquila Franciſcanus. *Promotio F. Gratiæ de Aquila Ord. Prædic. Minorum Profeſſoris ad Epiſcopatum Dulchinienſem per translationem Thomæ ad Epiſco-*

Digitized by Google

patum Catharensem vacantem apud Sedem Apostolicam prævia generali reservatione. Dat. Avenione XVI. *Kal. Septemb. anno Joannis Papæ* 18. Hinc & ex tabulis Hyspellensibus paulo superius productis error Ughelli convincitur, qui Thomæ translationem consignavit anno 1333. XV. Kalend. Septembris.

His temporibus innectenda censeo quædam decreta Consilii & Communis Catharensis, quæ ad rem ecclesiasticam pertinent, quæque religionem & Catharensium pietatem declarant. Ex libro *Statutorum civitatis Cathari* Venetiis edito ex typographia Roberti Mejetti an. MDCXVI.

Decreta Catharensia de rebus ecclesiasticis.

De electione Procuratorum Monasteriorum & Ecclesiæ S. Tryphonis, Cap. XVIII.

Item eligi debeant, sicut prædictum est, secundum antiquam consuetudinem, duo nobiles viri Procuratores & defensores pro quolibet Monasterio nostræ civitatis, & districtus, qui procurent omnia, quæ utilia sunt & erunt ipsis Monasteriis bona fide & sine fraude per unum annum, ut est Monasterii S. Georgii de Gulpho, Monasterii poncellarum, sive Sanctæ Claræ de Catharo, & Monasterii S. Petri de Surana, & omnia alia Monasteria, quæ pertinent ad nostram Communitatem. Si vero quis eorum recusabit acceptare officium, solvat yperperos vigintiquinque de pœna, & similiter eligantur duo Procuratores Ecclesiæ S. Tryphonis.

De electione Sacristæ S. Tryphonis, Cap. XIX.

Quotiescumque fuerit opportunum, totics Communitas Cathari una cum Domino Episcopo nostro, & suo Capitulo de pari voluntate secundum antiquam consuetudinem eligant & poscant aliquem honestum & fidelissimum virum Sacristam in Ecclesia Sancti Tryphonis, qui devote & honorifice regat & procuret ac faciat officium Sacristæ ad honorem dictæ Ecclesiæ & Communis, & quod de rebus ecclesiasticis omni anno reddat rationem.

De blasphemantibus Deum, Cap. LXXXXVII.

Siquis blasphemaverit Deum vel sanctos suos, solvat de bando yperperos decem, quas si solvere non poterit, ligetur ad columnam, cujus medietas sit Communitatis, alia accusatoris.

De Patronis Ecclesiarum, Cap. CLXVIII.

Millesimo CCCXXXIV. mense Octobris die XX. *Nos Communitas Cathari ad sonum campanæ solito more congregati. Videntes & considerantes periculum magnum animarum nostrarum, & volentes obedire & exercere mandata Sanctæ Matris Ecclesiæ statuimus & ordinamus, quod si aliquis patronus vel patroni tam forenses quam cives aliquarum Ecclesiarum voluerint aliquem clericum in Abbatem eligere Ecclesiarum prædictarum, & major pars familiarum se concordaverit, illum in Abbatem Ecclesiarum prædictarum eligant, ut antiquitus extitit ordinatum; qui fecerit contra prædicta, amittat partem suam Ecclesiarum prædictarum quæ fiat aliorum familiariorum.*

Quod non possumus ponere in pignore, nec vendere thesaurum Ecclesiæ, Cap. CCLX.

Anno Domini MCCCXXXIV. die decima Februarii. Nos Communitas Cathari ad sonum campanæ more solito congregati pro honore & bono statu Ecclesiæ Sancti Tryphonis & aliarum Ecclesiarum nostræ civitatis, & pro salute animarum nostrarum statuimus & ordinamus, quod ex nunc in antea non possumus ponere in pignore, nec vendere aut affictare thesaurum aut possessiones Sancti Tryphonis, nec aliarum Ecclesiarum nostræ civitatis, vel ejus districtus: & si aliquis judicum vel consiliariorum, vel aliquis alter præsumeret contra prædicta facere, omne damnum & expensas, quod & quas prædicta Ecclesia sustinuerit exinde, solvant & componant de suo proprio, & illam rem venditam vel oppignoratam vel affictatam teneatur similiter de suo proprio rescattare.

Thomas præfuit annos fere decem.

SERGIUS III. EPISC. CATHAREN. XXII.

Ab Ughello prætermissus, de quo Flaminius Cornelius: *Sergius hujus nominis III. Episcopus Catharensis enunciatur in Regestis Vaticanis ad diem Martii* XI. *MCCCXLIV. quod obtinuerit litteras promotionis suæ gratis*, Hoc ipso anno Patres Dominicani Catharenses relicto monasterio S. Paulli sane humili atque angusto migrarunt in Cœnobium S. Nicolai longe commodius atque laxius, quod prope ab urbe ad fluvium mœnia prætersluentem cum templo magnificentissimo regio sumptu illis exstruxit Nicolaus patritius Alcrivienſis de Bucchia, homo genere, copiisque, maxime vero pietate ac religione inclytus, idemque apud Stephanum Dusicianum Imperatorem Rasciæ gratiosus in paucis, imperialique cubiculo præpositus, qui conditum a se Cœnobium cum ipse vectigalibus sane multis instruxisset, tum longe pluribus propterea villis prædiisque ab Imperatore dotandum curavit. Sed plerasque hujusmodi possessiones tempore procedente Cœnobium amisit, primum a Turcis ereptas, deinde a barbaris redemptas, atque in alios ex aliis devolutas. Tabulæ autem donationis sunt hujusmodi.

Donatio novi Cœnobii facta PP. Dominicanis,

In Dei nomine Amen. Anno Domini 1344. *Indict. XII. die* 12. *Octobris. Nos Nicolaus Bucchia Comes Camerarius Excellentissimi Domini Regis Raxiæ ob reverentiam & devotionem quam gerimus & habuimus Ordini Fratrum Prædicatorum, & pro salute animæ nostræ in remedio peccatorum nostrorum, quia sumus peccatores, cogitavimus in corde nostro a magno tempore citra ad honorem & reverentiam Omnipotentis Dei, suæque Matris B. V. Mariæ & omnium Sanctorum ac Sanctarum ac Sancti Nicolai fieri facere & ædificare Ordini dictorum Fratrum Prædicatorum Ecclesiam & Conventum eorum, quæ Ecclesia volumus quod nominetur S. Nicolaus, quam Ecclesiam & Conventum ex nunc promittimus eam ædificare facere & complere in loco, ubi dicitur Patiana, juxta flumen Catharen. & juxta hortum Georgii Gimanii, & juxta hortum S. Sergii, quam possidet uxor quondam Petri Catenæ usque ad fontanam in dicto loco omnibus meis expensis; & promittimus dictam Ecclesiam & Conventum dare & investire in tenutam, & possessionem corporalem dictorum Fratrum Prædicatorum, & ex nunc dictam Ecclesiam faciendam cum Conventu offerimus, & damus F. Constantino de Duratio de dicto Ordine Fratrum Prædicatorum accipienti nomine & vice totius Ordinis prædicti hoc modo, quod dicti Fratres dicti Ordinis regant, gubernent, & offitient dictam Ecclesiam secundum quod mandat Deus, & Sancta Ecclesia Romana, & quod in dicta Ecclesia facienda & Conventu ad minus quotidie stent sex Fratres dicti Ordinis boni, qui offitient & gubernent dictam Ecclesiam, ut supra est dictum, pro anima nostra & nostrorum defun-*

Digitized by Google

functorum, hoc addito, quod si dictus Ordo in dicta Ecclesia dictos Fratres non retineret, ut est dictum, quod dicta Ecclesia & Conventus .... suisque omnibus bonis revertatur & remaneat in potestate nostra Nicolai, & fratris mei Miho, & omnium descendentium de linea masculina nostra, & dicti Miho fratris mei, providendi, eligendi, & ordinandi de dicta Ecclesia, quod officietur, & gubernetur, prout eis pro meliori visum fuerit. Et si dictus Ordo Fratrum Prædicatorum, & dicti Fratres ipsius Ordinis vel aliqua alia persona voluerit in dicta Ecclesia crescere numerum dictorum Fratrum, & in ea facere aliquam eleemosynam de domibus, vel possessionibus, aut de aliqua quacumque re, possint hoc facere libere, & secure sine alia contradictione nostra, & nostrorum consanguineorum. His autem omnibus supradictis præsentibus, & consentientibus Domina Dobra uxore dicti Domini Comitis, & Petro filio eorum.

Actum Cathari per ser Jur. Jud. Marchi Simeonis, & Aud. Catheodoni Golic.

Ego Gentilis Ser Gentilitii de Imperiali auctoritate, & nunc Com. Cathar. Jur. Not. his omnibus interfui, rogatus scribere scripsi & publicavi.

& a Clemente VI. P. confirmata.

Extant præterea litteræ Clementis VI., quibus ædificationem hujus Cœnobii Fratribus Dominicanis concedit, dummodo duodecim saltem ex ipsis commode ali queant.

Clemens Episcopus Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Vicario Generali, Magistris, & Fratribus Ordinum Prædicatorum in Dalmatia salutem & Apostolicam Benedictionem. Ex munere cælestis gratiæ illud Ordini vestro & personis ejusdem donum inesse credimus, quod ubique locorum, in quibus degitis, Fideles populos doctrina verbi pariter, & exemplo ad salutis gratiam evocatis. Est igitur & esse debet nobis, & Apostolicæ Sedi cura sollicita loca vestra longe lateque diffundere, ut quanto ipsa diffusius propagamus, tanto amplius, prout in gratiarum omnium auctore confidimus, majorem semper operum vestrorum fragrantiam ad ædificationem Christi Fidelium sentiamus. Hinc est quod nos vestris supplicationibus inclinati recipiendi unum locum in Catharo, & alium in Scutari civitatibus provinciæ (1) Hungariæ sub dominio regis Rasciæ, nec non tria alia in aliis civitatibus, vel castris, villis, seu terris insignibus illarum partium per Ordinem Prædicatorum tibi, Fili Vicarie, decretarum .... de quibus tribus locis pro utilitate dicti Ordinis, ac Ecclesiæ Dei, & Christi Fidelium vobis videbitur expedire, ad bonum opus & usum Fratrum & Ordinis Prædicatorum, dummodo in singulis prænominatis & aliis civitatibus, castris, villis, seu terris hujusmodi duodecim Fratres dicti Ordinis honeste & congrue valeant sustentari, ac ædificandi in eisdem singulis locis Ecclesiam seu Oratorium cum cœmeterio, ac domibus & aliis necessariis officinis, sine juris præjudicio Ecclesiarum Parochialium, & cujuslibet alterius alieni, fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, & aliis Apostolicis Constitutionibus in contrarium non obstantibus quibuscumque, plenam ac liberam auctoritate Apostolica vobis licentiam elargimur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Avenione XVI. Kal. Jan. Pontificatus nostri anno IV.

Nota.

1 Patet error geographicus, cum neque Catharum, neque Scodra Hungaricæ provinciæ tunc fuerint attributæ, Legerem potius *Bulgaricæ*, quod cognomen illis regionibus forte obtigit, diuque perduravit, cum Uladislavus Bulgariæ rex regnum Rasciæ occupavit; & Catharam quidem Rascianis regibus hoc ipso tempore obtemperabat: sæculo autem decimo quarto revera in Ludovici Hungariæ regis potestatem cessit, & ad annum usque 1384. Pannonico, seu Hungarico dominio subjecta civitas perstitit.

Decretum Catharense pro die festo S. Tryphonis.

Hoc Sergio Antistite Catharensi, eodemque fortassis auctore, nova celebritas addita, auctusque fuit S. Tryphoni cultus, cum, ut populorum cresceret concursus ad anniversarium ejus diem festum, publica lege decreverunt Catharenses cives, ut per eos dies ad urbem, & templum ejusdem Divi accedere liceret iis quoque, qui vel obstricti ære alieno, vel levioris cujusque criminis rei e civitate exulabant: decretum est hujusmodi in Catharensi Statuto.

MCCCXLIII. die XV. Februarii. Statuimus, quod si aliquis propter aliquod debitum, vel prædationem, aut obligationem, aut verberationem, vel percussionem non de morte ad nostram civitatem non esset ausus venire, tribus diebus ante festum B. Tryphonis, & tribus postea possit venire libere ex omnibus, & secure.

Cœnobii Dominicani Catharensis laudes.

Sed, ut ad Cœnobium S. Nicolai revertar, quamdiu stetit, eximiis viris cum religiosæ disciplinæ tuendæ studio, tum doctrina, & sanctitate præstantissimis floruit. Nulla ab illis juvandorum proximorum prætermissa industria; nam & juventuti humanis, divinisque literis erudiendæ scholas instituerunt, & in civibus, paganisque Christiana doctrina, & pietate imbuendis multam, ac diligentem operam ponebant. Nec vero Catharensis agri, ac diœcesis finibus Apostolici eorum labores circumscripti fuere, sed in longinquas usque regiones longe, lateque porrecti. Anno 1371. F. Helias Tolosanus Magister Generalis, postulante Ludovico Hungariæ rege, jussuque Urbani V. P. M. e Cœnobio S. Nicolai aliquot spectatæ probitatis & eruditionis viros deligi jussit, qui ad conversionem schismaticorum omni cura, studioque incumberent. Hi cum in Valacchiam profecti essent, infelicis doctrinæ zizaniis, quæ radices in ea regione altissimas egerant, penitus evulsis, plerosque ex illa natione multiplici errore, ac schismate implicitos ad rectam in Deum fidem, Ecclesiæque Catholicæ auctoritatem revocarunt.

Sed illud maxime commodum, ac perutile accidit, quod alia ex eo propagata Monasteria fuerint. Tria enim Cœnobia suam originem debent Patribus Dominicanis Ascrivienſibus, Xagunienſe, Buduense, Scopulense, haud ita longe inter se disjuncta. Primum, atque alterum, quod crebris Turcarum incursionibus exposita essent, Patres deferenda postea censuerunt sæculo decimo sexto, cum Barbari universam Dalmatiam ferro, atque incendiis vastarent. Tertium illud Scopulense, quod a Fratribus Cœlestinis ultro concessum Dominicana familia nacta est anno 1516. nunc obtinent incolunt-

Digitized by Google

que Patres Minores Franciſcani, quibus *ab Obſervantia* cognomen eſt, Dominicanis ſtudio pacis minime abnuentibus.

Veriſimile præterea eſt, conditores & primordia Caſtrinovenſis Monaſterii ab Aſcrivienſi Cœnobio repetenda eſſe, quod conjicimus poſitum fuiſſe in Caſtro novo diœceſis Catharenſis oppido, unde videtur nomen accepiſſe, & Catharo aberat paſſuum millia fere duodeviginti. Exciſum fuit, & ſolo æquatum a ſchiſmaticis rabie ac furore impulſis in Patres Dominicanos, per quos ſuam pertinaciam, & errores redargui minime patiebantur.

BARTHOLOMÆUS EPISCOPUS CATHARENSIS XXIII.

Hunc Ferdinandus Ughellus, itemque P. Vincentius Babichius, Sergio prætermiſſo, inter Thomam & Adamum catalogo Antiſtitum Catharenſium adſcribunt, & utrque ad Eccleſiam Tragurienſem regendam migraſſe tradunt anno 1350. Verum ejus migrationem, & commutationem Epiſcopatus ad annum ſuperiorem revocandam eſſe oſtendunt litteræ Clementis VI. qui eodem, quo datæ ſunt, anno, ideſt 1349. ſucceſſorem Bartholomæo in ſedem Catharenſem dedit. De Bartholomæo plura diximus in Epiſcopis Tragurienſibus.

ADAMUS EPISC. CATHAREN. XXIV.

Adamus Epiſc. Cathar. ex Albienſi.

Quem Clemens VI. ex Abienſi Eccleſia ſub Patriarcha Conſtantinopolitano, ut Vaddingus, vel Albenſi in Dalmatia, ut tradit Ughellus, ad Catharenſem Eccleſiam tranſtulit anno 1349. ut litteræ ejuſdem Clementis docent apud Vaddingum Tomo III. inſcriptæ: *Dilecto filio Joanni de Monteſono electo Abienſi. Venerabilem Fratrem noſtrum Adam Catharen. tunc Abien. Epiſcopum e vinculo, quo Abienſi Eccleſiæ, cui tunc præerat, tenebatur de conſenſu &c. abſolventes ipſum ad Eccleſiam Catharenſem tunc vacantem duximus transferendum & præficiendum ipſum Eccleſiæ Catharenſi in Epiſcopum & Paſtorem &c. Dat. an.* 1349. Sed neque Vaddingo aſſentimur, cum hujuſmodi urbs epiſcopalis ſub Patriarcha Conſtantinopolitano nuſpiam liceat reperire, neque Ughello, quippe Albenſem ſive Albanenſem Eccleſiam regebat Laurus, quo tempore Adamo ſuffectus fuit in Abienſi ſede Joannes de Monteſono. Crediderim potius in litteris Clementis errorem irrepſiſſe, & pro *electo Abien.* legendum eſſe *Albien.* id eſt *electo Albienſis Eccleſiæ* in Gallia, unde Adam forte natione Gallus ad Catharenſem Epiſcopatum migravit, ut mos ferebat illorum temporum, queis extranei homines, ſed epiſcopali munere ac honore dignißimi extraneis præficiebantur Eccleſiis; & Clemens VI. qui Avenionem Pontificiam Sedem tenebat, Joannem de Monteſono hominem Gallum in locum Adami Epiſcopum Albienſibus dedit. Adam vix tertium a ſuſcepto Pontificatu annum exegerat, vel quartum inierat, cum illum mors immatura Eccleſiæ Catharenſi eripuit.

Altare in æde S. Gregorii apud Peraſtum conſecratum.

Dum Adamus huic Eccleſiæ præerat, ejus permiſſu Laurus Epiſcopus Albanenſis in æde S. Georgii apud Peraſtum altare conſecravit, ut docet ſchedula in capſulam plumbeam incluſa, & ſæculo ſuperiori ſubter eamdem aram pœne dirutam reperta, in qua ſcriptum erat: *Iſtæ ſunt reliquiæ Sanctorum Lezerei, & Archillei; & iſta ſacratio facta fuit tempore Yliæ Archiep. Raguſini, & tempore D. Petri Juſtiniani Comitis Raguſini per Fr. Laurum Epiſcopum Albanenſem ſub regimine Domini Jacobi de Octonis Alto-Comitis Laguſtæ ſub anno Domini* 1350. *Indict. III. die* v. *menſ. Aug.* Cum hujus altaris conſecrati epocha ſit deſumpta ex Archiepiſcopatu Eliæ ſive Ælii, & Prætura Petri Juſtiniani Comitis Raguſii, itemque ex regimine Jacobi de Octonis Comitis Laguſtæ, quæ inſula tunc ad ditionem Eccleſiæ Raguſinæ pertinebat, hinc videtur colligi poſſe, Archiepiſcopos Raguſinos, ex quo Joannes Papa XXII. Sergium II. Epiſcopum Catharenſem quoad viveret poteſtati Metropolitæ Barienſis exemit, ut dictum eſt, aut paullo poſt ſub Elia Archiepiſcopo jus antiquum metropoliticum in Eccleſiam Catharenſem quodammodo recuperaſſe; nec forte ii Antiſtites novo Metropolitæ ſubeſſe recuſabant. Sed Clemens Papa VI. cum anno 1352. Domnium II. ſive Duimum Eccleſiæ Catharenſi præfecit, eodem tempore Metropolitam Barenſem de electione hujus Epiſcopi admonuit: quo quidem facto ſatis ſuperque declaravit Eccleſiam Catharenſem ad juriſdictionem & provinciam Archiepiſcopi Barienſis pertinere.

DOMNIUS II. ſive DUYMUS EPISCOPUS CATHARENSIS XXV.

Dumona etiam appellatus in quodam Uroſcii regis privilegio pro Monachis Rotacienſibus dato anno 1370. cujus exemplar extat Raguſii apud Cœnobitas S. Jacobi. Fuit patria Spalatenſis, & Franciſcanæ familiæ alumnus, cui Clemens VI. Epiſcopatum Rhizinienſem an. 1351. contulerat; ſed anno proximo idem Pontifex juſſit Domnium ab Rhizinienſi ad Catharenſem Eccleſiam tranſire, quacum fortaſſis etiam Rhizinienſis adminiſtrationem retinuit: de quo Lucas Vaddingus ad annum 1352. *Ad Eccleſiam Catharenſem in Dalmatia ſub Archiepiſcopo Barenſi in Apulia ſuffraganeam translatus eſt hoc anno F. Duimus e Reſinenſi, ad quam promotum diximus anno præcedenti.* Ferdinandus Ughellus ejus translationem in annum 1353. rejecit; ſed eum ab anno ſuperiori disjungi vetat epiſtola Clementis VI. data Avenione VIII. Calend. Novembr. anno Pontificatus XI. qui congruit cum anno Chriſti 1352. & inſcripta eſt

Pontificis ad Domnium litteræ de ipſius electione.

Venerabili Fratri Duyno Epiſcopo Catharenſi.

Quam ſit onuſta diſpendiis, quam plena periculis, quantaque diſcrimina ſecum trahat diutina Eccleſiarum vacatio, ſollicitæ conſiderationis indagine perſcrutantes libenter operarias manus apponimus, & ſtudium efficax impendimus, ut viduatis Eccleſiis prout temporum qualitas exigit, & locorum utilitas perſuadet, nunc per debitæ proviſionis officium, quandoque vero per miniſterium translationis accommodæ paſtores præficiantur idonei, & miniſtri providi deputentur, quorum Eccleſiæ ipſæ fultæ præſidiis & favoribus communitæ votivis & proſperis auctore Domino proficiant incrementis. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Adam Epiſcopo Catharen. regimini Catharen. Eccleſiæ præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ cum eam vacare contingeret, utilem &c. Poſtmodum vero dicta Eccleſia per obitum ipſius Adæ Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, Paſtoris ſolatio de-

Digitized by Google

deſtituta, nos vocatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem &c. intendentes, cupientes quoque ipſi Eccleſiæ Catharen. talem præeſſe perſonam, quæ ſciret, vellet & poſſet eam præſervare a noxiis & adverſis, ac in ſuis manutenere juribus, ac etiam adaugere, poſt deliberationem, quam &c. diligentem, demum ad te nunc Epiſcopum Reſinenſem, conſideratis grandium virtutum tuarum meritis, quibus perſonam tuam Altiſſimus inſignivit, & quod tu Reſinen. Eccleſiæ hactenus laudabiliter præfuiſti, convertimus oculos mentis noſtræ. Intendentes itaque tum dictæ Catharen. Eccleſiæ, quam gregi Dominico ejuſdem ſalubriter & utiliter providere, a vinculo, quo ipſi Reſinen. Eccleſiæ, cui tunc præeras, tenebaris, de Fratrum ipſorum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes te ad præfatam Catharen. Eccleſiam transferimus, teque illi præficimus in Epiſcopum curam & adminiſtrationem &c. plenarie committendo, liberamque tibi dando licentiam ad præfatam Catharen. Eccleſiam tranſeundi, firma ſpe fiduciaque tenentes, quod dirigente Domino actus tuos præfata Catharen. Eccleſia per tuæ induſtriæ & fructuoſæ circumſpectionis ſtudium fructuoſum regetur utiliter, & proſpere dirigetur, grataque in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus, auctore Domino, ſuſcipiet incrementa. Quocirca Fraternitati tuæ per &c. mandamus, quatenus ad dictam Eccleſiam cum gratia noſtræ benedictionis accedens curam & adminiſtrationem præfatas ſic exercere ſtudeas ſollicite, fideliter, & prudenter, quod ipſa Catharen. Eccleſia per tuæ cooperationis miniſterium votivis jugiter proficiat commodis, & ſucceſſibus proſperis augeatur; ac tu proinde divinam, præfatæ Sedis, & noſtram benedictionem & gratiam uberius conſequi merearis.

Dat. Avenione VIII. *Kalen. Decemb. anno Pontif. noſtri XI.* ideſt 1352.

In eumdem modum Archiep. Baren. cujus erat ſuffraganeus Epiſcopus Catharenſis.

Eccleſia S. Nicolai donata PP. Franciſcanis.

Pia ſodalitas naviculatorum Catharenſium poſſidebat eccleſiam ſuburbanam S. Nicolai: hanc de communi omnium voluntate Patribus Franciſcanis donarunt, ut Duimo Epiſcopo ejuſdem Ordinis alumno gratificarentur. Cum gratiarum actione donum acceptavit *F. Franciſcus de Reſtis de Ragufio Cuſtos Provinciæ Dalm. Ord. Min. & Vicarius Generalis Reverendiſſimi P. Miniſtri Generalis dicti Ordinis ſuo nomine & nomine Conventus Catharen. S. Franciſci &c.* ut eſt in tabulis ejuſdem donationis an. 1353. XV. Kalen. Maji confectis. Ibi Cœnobium ædificarunt, quod per annos fere centum & quinquaginta incoluerunt.

Dum Duymus huic Eccleſiæ præſidebat, rerum in Serblia potiebatur Stephanus cognomento Duſcianus, filius Stephani ejus, qui patris nomine etiam Uroſcium ſe appellari voluerat. Hic & præliis & victoriis clarus poſt regni fines longe lateque propagatos, & ditioni ſuæ Acarnaniam, Macedoniam, & Theſſaliam adjunctas, quas Græcis ademerat, nomen Imperatoris Romanorum & Serblorum ſumpſit; Oroſium autem filium, quem ex Helena ſorore Alexandri regis Bulgariæ ſuſceperat, titulo regis Raſciæ donavit. Hic Catharenſes in primis dilexit, & eorum privilegia & immunitates ampliſſimas diplomate confirmavit. Quamvis ab Romana & Catholica religione alienus eſſet, pluribus tamen & pretioſis muneribus Eccleſiam & ſepulcrum S. Tryphonis coluit.

Hic principio regni ſui, anno circiter 1331. ſuſcepti, nummum argenteum cudi juſſit, ſignarique tum effigie regali, dextera ſceptrum, ſive Crucem, ſiniſtra globum tenente, cum his literis circa illam inſcriptis: STERNOS: RASIE,: BOS: T. REX; tum vero in parte averſa effigie S. Tryphonis, altera palmam geſtantis, altera manu ædiculam ſuſtinentis, cum hac epigraphe: S. TRIFONIS CATARENSIS. Alter extat ejuſdem nummus itidem argenteus, & utraque illa effigie ſignatus, ſed poſt nomen ſuſceptum, & diadema Imperatorium percuſſus, ut declarat titulus eidem inſculptus: STEPHANUS IMPERATOR. Hæ præterea Catharenſibus poteſtatem fecit commercii, quod illis cum Venetis fuerat, confirmandi, prorogandique in alios octo annos: id quod ſe in gratiam Venetorum feciſſe ſuis literis inſcriptis *Andreæ Dandulo Duci Venetiarum, Dalmatiæ, atque Chroatiæ, necnon Domino quartæ partis, & dimidiæ totius Imperii Romaniæ*, plenis officii, ac benevolentiæ ſignificavit. Extant duo diplomata Stephani Imperatoris eodem anno 1351. conſcripta, quorum altero priviiegia ſuperiorum Regum conceſſa Catharenſibus confirmavit, altero controverſiam, quæ de confiniis erat Catharenſibus cum Daniele Patriarcha Serblorum, diremit; & donationem duarum villarum, quas ipſemet Stephanus dederat Catharenſibus, ratam ac perpetuam eſſe juſſit. Hoc ego ex latina Flaminii Cornelii verſione hic exſcribo.

Duos nummos effigie S. Tryphonis Stephanus Rex Serbliæ ſignari jubet.

Diploma ejuſdem Stephani pro Catharenſibus.

Gloria omnia continenti Deo noſtro Creatori cœli, & terræ, & filio ejus Unigenito Jeſu Chriſto, & Spiritui Sancto Domino Deo vivo & vero ſapientiæ, doctrinæ, & omnipotentiæ, qui ex charitate tua erga genus humanum, per Filium tuum omnis Sapientiæ fontem ſapientia homines decoraſti, & per Spiritum Sanctum tuum nos ad Divinitatis amorem, & gratiam reconciliaſti; Deus meus potentia tua cœlum & terram, & pulchritudinem eorum decoraſti, & per Filium tuum Unigenitum univerſa in veritate, fide, & ſapientia roboraſti, & inferni portas, & potentiam contriviſti per crucifixionem, & ſanguinis effuſionem Filii tui Dei noſtri, qui tecum regnat Deus & homo, Deus de Divinitate tua, & homo ex humilitate ſua per clementem incarnationem annuntiatam verbis Glorioſi Gabrielis in Nazareth civitate Galilææ ad puriſſimam, & caſtiſſimam Glorioſam, & valde humilem Virginem Mariam Abrahæ filiam, & filiam matremque Dei, nobiſque legem, & rationem oſtendiſti in creatione noſtri Imperii. Ego Stephanus Dei gratia Imperator Serviæ, & Graciæ, pronepos Sancti Simeonis Nemagnæ admodum glorioſi, & mirrham diſtillantis glorioſæ ſedis Serviæ Domini, ipſius & filii ejus, & proavi noſtri Domini Stephani primi corona redimiti Regis, ejuſque filii S. Sabbæ Archiepiſcopi Serviæ, ego filius & ſucceſſor in Imperio, & Dominio avorum, proavorum, & progenitorum noſtrorum juravi obſervare leges, poſſeſſiones, & privilegia omnibus & præcipue nobilibus Cathari, ob ſinceram eorum fidem, & laudabilem ſubjectionem, quas præſtiterunt genitoribus, & progenitoribus noſtris, & præſertim noſtro Imperio. Notum modo ſit omnibus, quod ad me Stephanum Imperatorem Buduæ degentem in Eccleſia Sanctæ Dei Genitricis acceſſerunt nomine

mine ſuæ Communitatis Nobiles Catharenſes Michael Buchia, Grubes Biſterich, Marcus Bagaſich, Petrus Buchia, Drago Marcovich, dicentes Dominum Patriarcham occupaſſe confinia Cathari; & ego Stephanus Dei gratia Imperator Serviæ & Græciæ volens juſtitiam & leges adimplere id ſignificavi Patriarchæ, qui cum apud majeſtatem noſtram Preſcrieni eſſet ſimul cum Nobilibus Catbari ante nos, mandavi ipſis Nobilibus, ut loquerentur. Tunc ibidem Nobiles Catharenſes jura ſua expoſuerunt, ut antea dixerant, & Dominus Patriarcha reſpondit, quod aliqui viri probi & bonæ fidei ſe ad loca conferant, ipſorumque fidei & conſcientiæ negotium demandetur, ut vera confinia conſtituant. Dominus Imperator Patriarchæ reſponſum laudavit, miſitque Amiocum, & Radoſavum Zarnocvich rem eorum fidei committens, qui Amiocus & Radoſavus detulerunt ſignata confinia Cathari coram majeſtate noſtra in Nerodimglia. Exorditur antiquum confine Cathari de Tat in petra rubea in Prievor in Eccleſia S. Tryphonis ad partem ſuperiorem, & inde uſque Dubovichcham Jealam in Viligna in Poneſdo, quæ confinia ſignantur per petras ibidem poſitas, & conſpectu Drenounich ſupra in Umſana Glava ſuperius verſus Maiſtroſchum Uratum per omnem Montanam, & per circulum Loutien recto tramite ex Studenaz in Coritam, & a Studenaz per medium Puzidum ad Carſtaz in Peſtigng Grad recto tramite in Seletem per circulum montis ſuperius verſus flumen Zuta. Hæc antiqua confinia Cathari ſunt uſque ad illud confine, quod Dominus Imperator dedit Communitati Cathari, ſcilicet Ledeniſem & Salaſſem ob ſinceram eorum fidem & decoram ſervitutem. Ex altera vero parte per littus maris incipit confine Catbari, per littus maris uſque ad flumen Lutæ per totam Dobrotam, & averſa ex parte incipit Cathari confine per littus maris ad Bobovillam, & pari modo in Preulaç uſque ad Eccleſiam S. Archangeli reædificatam per Nobiles & Communitatem Cathari, quod dedit confirmavitque Imperator noſter Catharo Luſtizam cum omni ſuo Comitatu, & cum planitie, oris maritimis, domibus, & cum omnibus vitibus & pertinentiis ſuis, & pariter recta via per littus maris ad Ruoſem in Eccleſia puriſſimæ Dei Genetricis per littus maris ad Jas. Quum itaque majeſtas noſtra vidiſſet hanc diſcuſſionem & inventionem confinium totius territorii Catharenſis factam per Miocum, & Radoslavum, diximus Patriarchæ & Nobilibus Catharenſibus quomodo res ſe haberet, ut ſignificarunt nobis Miocus, & Radoslavus, & tunc Dominus Sanctiſſimus Patriarcha, & ſupradicti Nobiles humiliter ſe obtemperaturos dixerunt; quapropter nos agnoſcentes voluntatem Chriſtiani Paſtoris, & noſtrorum honorabilium Nobilium Catharenſium laudavimus & confirmavimus, uti confirmamus circulum confinium ſupradictum, ut ordinatim exaratum eſt in hoc privilegio, ut ſit Cathari, & regimen Cathari valeat, & poſſit, utcumque ei placuerit, vendere, donare, in dotem aſſignare, & Eccleſiæ ſubjicere, filiis ſuis relinquere, & libere agere ſecundum ſuam voluntatem in æternum. Siquis autem Imperator vel Dominus poſt nos, vel ex noſtris deſcendentibus rebus ſupraſcriptis contradicere præſumeret, ſit maledictus, & anathema & reus Corporis & Sanguinis Chriſti, nec benedicatur a Jeſu Chriſto Omnipotente, & a puriſſima Matre ſua, & ab omni curia gloriæ cœleſtis, & a nobis Stephano Imperatore. Hanc confinium diſcuſſionem factam a Mioco & Radoslavo juſſu & mandato Domini Stephani Imperatoris & voluntate & aſſenſu Domini Patriarchæ Domini Danielis & aſſenſu Nobilium Catharenſium ego Gregorius ſcripſi, prout mandavit mihi Dominus Dominus Imperator ut ſcriberem ſcripturam hanc & privilegium pro confirmatione ſuorum primorum privilegiorum, ut omne id quod dedit Dominus Imperator Catharo, & nunc ordinatim invenitur, Cathari ſit, ut ſupra ſcriptum eſt, in æternum; & hanc ſcripturam ego Gregorius detuli, & dedi ſupraſcriptis Nobilibus Catharenſibus in conſpectu Domini Imperatoris & Domini Patriarchæ coram teſtibus præſentibus in aula Imperatoris in Nerodimglia nobilibus & electis proceribus Imperii Voievoda Chieſſar, Comite Wlariço, Comite Goislavo, & Millos fratre ſuo, Branco Allaginovich, Seovichio Vocaſſino, & Ugleſſa fratre ſuo, & Vaivoda Mirco & Branco Raſibabiel & multis aliis primariis nobilibus parvis & magnis, qui omnes viderunt confirmationem, & approbationem Imperialem poſſeſſionum & privilegiorum Cathari, & confirmaverunt, & approbaverunt humiliter confirmationem & approbationem Imperialem dicentes Amen. Anno Domini MCCCLI.

Stephanus Dei gratia Imperator Serviæ & Græciæ,

Legatos Apoſtolicos Stephanus petit.

Porro Stephanus cum ſibi & regno metueret ab Ludovico Rege Hungariæ, ut imminens bellum averteret, cupere ſimulavit ſe ab Græcorum ſchiſmate ad ſinum Eccleſiæ Catholicæ conferre; & ſuis ad Innocentium VI. Internunciis miſſis Legatos Sedis Apoſtolicæ ab eo poſtulavit, qui Serblos & Raſcianos cum tota regali familia Romano Pontifici reconciliarent. Miſit Pontifex Petrum Thomaſium Patenſem & Bartholomæum Tragurienſem Epiſcopos anno 1354. cum literis tum ad Stephanum Regem Raſciæ, tum ad Helenam Regis uxorem, tum ad Oroſium Regis filium, tum ad Joannichium Patriarcham Serbliæ, tum denique ad Archiepiſcopos & Epiſcopos Serbliæ & Raſciæ, itemque ad Optimates & Proceres totius regni. Sed optimi Pontificis ſpem & legationem perfidia Stephani fruſtravit, atque adeo ſe alienum a Latinis, eorumque ritibus oſtendit, ut, ſacrificiis utriuſque Legati nequis intereſſet, graviſſima pœna propoſita interdixerit. At brevi perfidiæ ſuæ pœnas dedit; a Græcis, quorum erroribus adhærere, quam Catholicam fidem amplecti maluerat, bello petitus, cum in Thraciam exercitum duceret, apud Deabolim oppidum lethali morbo correptus miſerrime obiit, cum annum ætatis quintum & quadrageſimum attigiſſet. Infelicior fuit Oroſius Stephani filius, cujus itidem extat diploma pro Catharenſis civitatis privilegiis datum anno 1355. idemque poſtremus e ſtirpe Neemanica Rex Raſcianorum, cui vitam & regnum eripuit Ucaſſinus primus inter proceres aulæ regiæ, qui apud Oroſium Principem auctoritatis & gratiæ locum obtinebat. Ucaſſino poſt cladem a Turcis acceptam ab aulico ephebo per inſidias interfecto, Turcæ Serbliam & Raſciam ingreſſi fœdum in modum devaſtarunt. Hoc regnum exinde varias in partes diſtractum eſt; alias Ucaſſini filii, alias alii Dynaſtæ Serbliani occuparunt, qui tum inter ſe, tum vero cum Turcis varia bella geſſerunt, ac fere omnes, ne ibi, quas cœperant, regiones Turcæ eriperent, eiſdem tributum pendebant. Unus inter

Miſere perit, itemque ejus filius Oroſius poſtremus e domo Neemanica.

omnes

Digitized by Google

omnes dominatus amplitudine, opibus & copiis præpollebat, iſque poſthabito regio & auguſtali titulo Deſpota Serbliæ ſeu Raſciæ appellabatur. Primus Serbliæ Deſpotatum geſſit Lazarus, ſive Eleazarus Bulcovitaſus. Poſt interitum Stephani Duſciani, cum Turcarum potentia auctior in dies & validior fieret, Catharenſes veriti ne aut ſervitutem Turcicam ſubire, aut Turcis vectigales eſſe cogerentur, in fidem & clientelam Ludovici potentiſſimi Regis Hungariæ ſe contulerunt. Ita civitas & eccleſia Catharenſis ſchiſmaticorum Principum dominatu perfuncta, tandem aliquando ſub tutela regum Catholicorum tranquillior ac felicior eſſe cœpit.

Interea Duymus anno 1359. procuratorio nomine Eliæ Archiepiſcopi Raguſini, ſuique etiam obſequii cauſſa Romam adiit, ut ſacra limina viſeret, ac veneraretur; quod in Tab. Obl. Tomo III. pag. 28. conſignatum eſt: *Die vigeſima ſeptima Maji 1359. Dominus Helias Archiep. Raguſin. per ven. virum Duynium Epiſcopum Catharen. proc. ſuum viſitavit.*

Novum pro Franciſcanis Virginibus Cœnobium

Erat Cathari collegium pervetuſtum ac nobile ſacrarum Virginum Ordinis Benedictini; ſed illarum numero paullatim decreſcente, cum nulla ex ingenuis puellis civitatis admitti peteret, paucarum quæ ſupererant interitu diſſolutum fuerat, ædeſque ipſæ ob nimiam vetuſtatem corruerant. Porro Catharenſes illud Cœnobium reædificare, idoneis proventibus dotare, & in earum quæ deceſſerant locum Virgines Franciſcanas ſubſtituere decreverant. Id ut ſibi liceret, facultatem ab Urbano V. petierunt. Pontifex huic negotio curæque cum ampliſſima poteſtate Duymum Epiſcopum præfecit, datis ad eum litteris, quas hic ſubjicio.

Diplomate Pontificio fundatur.

Urbanus &c. Venerab. Fratri noſtro Epiſcopo Catharenſi &c. Piis votis fidelium libenter &c. Petitio ſiquidem pro parte dilectorum Communis Catharenſium nobis nuper exhibita continebat, quod cum olim in civitate prædicta quoddam Monaſterium Monialium Ord. S. Benedicti fuerit, quod per ſui vetuſtatem a multis jam elapſis temporibus pro majori parte eſt dirutum, nec ex tunc ibidem Abbatiſſa ſeu aliæ Moniales habitarunt, iidem Commune habentes ad Ordinem S. Claræ ſpecialem devotionis affectum, ac cupientes terrena cum cæleſtibus commutare, ad laudem Dei, & divini cultus & religionis augmentum in loco, ubi antiquum Monaſterium exiſtebat, unum aliud Monaſterium Monialium, ſeu Sororum Ordinis ejuſdem Sanctæ cum Eccleſia ſeu Oratorio, campanili & campana & aliis neceſſariis officinis pro Abbatiſſa & triginta Monialibus ſeu Sororibus inibi perpetuo moraturis fundare & ædificare ac de bonis propriis ſufficienter dotare proponant. Quare pro parte dictorum Communis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis faciendi præmiſſa licentiam concedere dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati Fraternitati tuæ, de qua fiduciam in Domino gerimus ſpecialem, per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus, ſi ita eſt, eidem Communi, ut Monaſterium hujuſmodi, in quo Abbatiſſa, & 30. Moniales ſeu Sorores dicti Ordinis ſub religionis obſervantia Deo famulentur, cum hujuſmodi Eccleſia ſeu Oratorio, cæmeterio, campanili & campana, domibus & aliis neceſſariis officinis, dote ſufficienti pro præmiſſis omnibus ad tui arbitrium primitus aſſignata, ac jure parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſalvo, in loco prædicto, ubi prædictum Monaſterium, ut præmittitur, exiſtebat, fundare & conſtruere valeant, auctoritate Apoſtolica licentiam largiaris. Et nihilominus in hac vice primaria Moniales ſeu Sorores hujuſmodi in eodem Monaſterio, poſtquam conſtructum & dotatum fuerit, ut præfertur, auctoritate præfata recipias & recipi facias; & unam ex iis ſive aliam Monialem ſeu Sororem Ordinis S. Claræ Ordinem ipſum profeſſam ad regimen præfati Monaſterii utilem & idoneam ipſi Monaſterio in Abbatiſſam præficias, curam & adminiſtrationem ipſius Monaſterii ſibi in ſpiritualibus & temporalibus committendo, ſibique facias a ſuis ſubditis obedientiam & reverentiam debitas exhiberi. Et inſuper poſtquam idem Monaſterium conſtructum & dotatum fuerit, ut præfertur, ut Abbatiſſa & Moniales prædictæ omnibus & ſingulis privilegiis & indulgentiis ejuſdem Ordinis S. Claræ per Sedem Apoſtolicam conceſſis perpetuo uti & gaudere valeant, eiſdem Abbatiſſæ & Monialibus præfata auctoritate concedas. Dat. Avenion. 3. id. Decemb. an. 3. Pontif. noſtri, ideſt an. 1364.

Cœnobio ac templo abſoluto, Duymus Epiſcopus Virginibus ibidem receptis leges ad normam inſtituti Clariſſani deſcriptas tradidit; & primam Antiſtitam præfecit Claram nomine, oriundam e Foro Julio, fœminam ſpectatæ virtutis ac prudentiæ. Catharenſes vero quæ ad victum & cultum neceſſaria erant contribuerunt; ut conſtat ex tabulis Catharenſibus.

Cum igitur nos Judices, Conſilium, & Communitas ex ſubventione fidelium in noſtra civitate edificaverimus, & fecerimus Monaſterium S. Claræ ejuſdem Ordinis, prout nobis auctoritate Apoſtolica per litteras Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Domini Urbani divina providentia Papæ V. eſt conceſſum; in quo Monaſterio prima Abbatiſſa Venerabilis & religioſa Domina Clara de Foro Julio auctoritate prædicta extitit conſtituta; ideoque nos ipſi Monaſterio, Abbatiſſæ, & Sororibus præſentibus & futuris in dicto Monaſterio reſidentibus cupientes digne & rationabiliter de oppertunis remediis ſubvenire & de neceſſariis providere &c.

De hoc Cœnobio Vaddingus ad an. 1364. *In civitate Cathari in Dalmatia collapſo prævetuſtate Monaſterio Monialium Ordinis S. Benedicti, & exſtructo ibidem Virginum Collegio, decreverunt cives reædificare Monaſterium, quod Clariſſis inſerviret. Hoc anno III. Id. Decembr. decretum approbavit Pontifex, modo Epiſcopus conſentiret.*

Duymus altare S. Tryphonis in æde cathedrali conſecrat.

Duymus anno 1362. altare, quod Malon Epiſcopus in æde cathedrali titulo S. Tryphonis dedicaverat anno 1166., novo & ampliori ſumptu cultuque exſtructum ſolemni pompa conſecravit ejuldem Tryphonis nomine; quod perhibent litteræ Duymi ipſius e vetuſta membrana hic exſcriptæ. *Nos frater Duymus Dei & apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopus Catarenſis ad laudem Dei & honorem beati Tryphonis conſecravimus altare iſtud magnum pontificatus . . . . , patris domini Innocentii papæ ſexti ſub tempore ſereniſſimi Uroſſii Imperatoris noſtri anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſecundo Indictione quinta decima.* Anno 1365. idem Duymus alias litteras a Pontifice accepit datas v. Idus Januarias, queis arbiter conſtitutus fuit dirimendæ controverſiæ cujuſdam, quæ Hugoni Archiepiſcopo Raguſino,

Digitized by Google

no, tum Canonicorum Collegio, Rectori, Judicibus, Consulibus & Communi civitatis Ragusinæ intercedebant cum Cœnobiarcha & Monachis Lacromensibus; de quo dictum est in Hugone Archiepiscopo Ragusino; & anno 1368. consecravit templum S. Lucæ, ut declarat inscriptio marmoreæ tabulæ insculpta, & in fronte ejusdem templi supra januam infixæ. Interea res Catholicæ Religionis, quæ schismaticorum, quibus finitimi erant Catharenses, odio & insidiis plurimum agitatæ quandoque fuerant, iterum turbari cœptæ ab Rascianis & Albanis Serbliano schismati addictis, præsertim a Dynastis Zentæ parum inde Catharo dissitis; adeoque impiorum hominum creverat audacia, ut prope jam fuerit, ut urbs Hungarorum potestati adempta schismaticorum jugo subjiceretur maxima cum religionis pernicie, quam illi evertere iis in locis omni vi conabantur, Catharenses in angustias acti, cum nullius ab Hungaris auxilii spes esset, ad Romanum Pontificem ejus opem flagitaturi confugerunt, a quo perhumaniter excepti sunt. Eorum vero querelas ut audiit Pontifex, & quanto in discrimine sitæ essent civitas & Ecclesia Catharensis plane cognovit, eos quibus potuit verbis paternæ benevolentiæ plenis solatus est, tum cogitationes ac consilia ad opem iisdem ferendam convertit. Quare datis litteris ad Marcum Cornarium Ducem Venetorum summopere illum hortatus est, ut, qua pollebat, potentia atque auctoritate Catholicæ fidei incolumitati provideret; retundendos esse schismaticorum hominum impetus, qui falsa religionis specie aliena invadere nituntur, suique dominatus fines longius protendere; itaque Dalmatis sibi subjectis imperet, ut socialibus armis vaferrimo hosti obsistant, & communem veræ sanctæque Fidei causam tueantur, Catharensium vero bona fortunasque omnes ab impendenti calamitate liberaret. In eamdem sententiam scripsit Pontifex ad Jaderenses, Ragusinos, Dyrrhachienses, & Apulos, illos ad Catharensium defensionem, quippe qui in unitate & obedientia sanctæ Romanæ Ecclesiæ persisterent, sollicite incendens. Extat apud Raynaldum epistola Pontificis ad Ducem Venetum, quam hic exscribimus e Tomo 26. Annal. ad an. 1367. num. 12.

Catharensium periculum ab schismaticis impendens.

Urbani PP. litteræ ad Venetos pro Catharensibus.

Marco Cornario Duci Venetiarum. Dilectorum filiorum civium & Communis civitatis Catharensis piam querelam audivimus cum amaritudine mentis nostræ, continentem quod licet ipsi sint inter hæreticos & schismaticos Albaniæ & Rassiæ constituti, tamen prout notorium est, sunt Catholici, in unitate & obedientia sanctæ Romanæ Ecclesiæ persistentes: quodque nonnulli nobiles & alii ex dictis hæreticis & schismaticis eos subjugare, & ad damnabilem ipsorum ritum adducere hostilibus aggressionibus moliuntur; & quod, nisi a te & aliis Christi fidelibus adjuventur, sunt in maximo animarum & corporum ac rerum periculo constituti: quare super hoc apostolici favoris præsidium implorarunt. Nos igitur eisdem civibus & Communi paterno compatientes affectu, nobilitatem tuam devote requirimus, rogamus, & hortamur attente, quatenus omnibus subditis tuis districte præcipias, ne præfatis hæreticis & schismaticis per mare vel terram contra jam dictos cives & Commune præbeant aliquod auxilium vel favorem: quinimmo ipsos cives & Commune pro eorum defensione ab hujusmodi hostibus facienda velis ob reverentiam Dei, suæque fidei, ac Apostolicæ Sedis & nostram in tantæ necessitatis articulo charitativis auxiliis & favoribus, de quibus eis subvenire commode poteris, adjuvare; proinde a Deo præmium & a nobis dictaque Sede pleniorem benevolentiam obtenturus. Dat. Romæ apud S. Petrum VIII. *Kal. Decembris.*

Urbani exhortationem plurimum profeciſſe inde colligimus, quod Dynastæ Zentæ, a quibus majus periculum Catharensibus imminebat, partim armorum metu perterriti, quorum impetum omnem in se conversum iri videbant, partim vero, præcipueque opera Petri Episcopi Suacensis, ejurato schismate in fidem & communionem Romanæ Ecclesiæ paullo post se contulerunt anno insequenti 1368. misso ad Pontificem oratore eodem Petro, qui suo ipsorum nomine debitum illi reverentiæ, ac honoris obsequium exhiberet. Quare Pontifex, cui plurimum cordi curæque erant res Catharensium, per litteras inscriptas nobilibus viris Strazimiro & Georgio ac Ballæ fratribus Zupanis Zentæ iis pollicitus est, admissum iri in gratiam, si a lacessendis Catharensibus in posterum abstinerent. Hæc litterarum verba apud Raynaldum loco laudato: *Ut autem mereamini ad gratiam reconciliationis admitti, ac obtinere Apostolicæ Sedis benevolentiam & favores, a molestiis ecclesiarum & personarum ecclesiasticarum, aliorumque Catholicorum obedientium dictæ Romanæ Ecclesiæ, præsertim civitatis Catharensis, quam jamdiu a vobis, seu te, Georgi, hostiliter molestari percepimus, curetis penitus abstinere, ut in iis & aliis vestram intentionem puriſſimam ostendatis.* Nullus dubito, quin ii Pontificiæ voluntati promto alacrique animo obtemperaverint; nec illorum temporum monumenta quidquam suppeditant, unde conjicias, urbem agrumque Catharensem ullis molestiis fuisse exagitatum usque ad annum 1378. quo a Venetis capta urbs fuit, ac direpta, ut paullo inferius dicemus. Duimus Episcopus obiit hoc circiter anno 1368. & anno ante, addit Cornelius, *Controversias habuit cum civibus Cathari, eo quod super laicos judicare, & sententiam dare præsumebat; quapropter ut ea jurgia cessarent, decretum fuit, & in statutum civitatis redactum, ut Episcopus non posset dare sententiam super laicum sine juratis Judicibus civitatis, ut legitur in Statuto Catharensi pag. 241.*

& ad Dynastas Zentæ.

Obitus Duimi Episcopi.

STEPHANUS EPISC. CATHAR. XXVI.

De quo Flaminius Cornelius: *Stephanus de Nigris Venetus Ordinis Servorum B. Mariæ Virg. Episcopus Catharensis memoratur a Giannio Ordinis Servorum Historico in Annalibus ab anno* 1348. *usque ad annum circiter* 1380; *probabilius est circa hæc tempora Ecclesiam Catharensem administrasse; siquidem ab anno* 1353. *usque ad annum* 1416. *Ughellus nullum exposuit Cathari Episcopum.* Sed neque ante annum 1368. hujus Ecclesiæ regimen suscepit, ut docet inscriptio affixa ad templum S. Lucæ, quod Duymus Episcopus consecravit anno 1368. P. Babichius initium Joannis proximi post Stephanum Episcopi anno 1375. assixit; sed Joanni anteponendus Bernardus anno 1374. quare Stephani Episcopatus in hunc annum desierit oportet.

BER-

Digitized by Google

BERNARDUS EPISC. CATHAR. XXVII.

Quem Gregorius XI. ab Eccleſia Drivaſtenſi ad Catharenſem migrare juſſit anno 1374. tertio Kal. Maji, Ex Reg. Gregor. XI. an. IV. pag. 74. de quo nihil præterea.

JOANNES EPISC. CATHAREN. XXVIII.

Joannes Ep. Catharen. ab anno 1375. ad an. 1397. præfuit, & Epiſcopatu ſe abdicavit.

Dyrrhachio oriundus, & præſtantiſſimæ Dominicanæ familiæ alumnus, quem Vincentius Maria Fontana in ſuis Monumentis Dominicanis Epiſcopum in Dalmatia fuiſſe ait; ſed nulli certæ Eccleſiæ adſcripſit: *P. Joannes a Dyrrhachio in Dalmatia Epiſcopus factus eſt.* Verum P. Babichius ex eodem Ordine Prædicatorum in ſuo Catalogo ejus Epiſcopatum Eccleſiæ Catharenſi affixit, quem ſuſcepit anno 1375. annos amplius viginti ſumma cum laude geſſit, & anno 1397. ſponte depoſuit. Venetias ſeceſſit, & in Cœnobio S. Dominici apud fratres ſuos vitæ, quod ſuperfuit, religioſiſſime tranſegit; poſt biennium mortuus ibidem, & ſepultus eſt. De illo B. Thomas Antonii Senenſis in ſua *Hiſtoria diſciplinæ regularis inſtauratæ* in Cœnobiis Ord. Prædic. *Venit etiam ibidem R. P. F. Joannes de Duracio de Provinc. Dalm. qui Epiſcopatui renuntiavit odore obſervantiæ regularis attractus.*

Bellum Venetum cum Januenſibus, & Hungaris.

Dum Joannes huic Eccleſiæ præſidebat, Veneti acre, & magnum bellum geſſere cum Januenſibus, & Hungaris, qui, Regulo Carrarienſi, & Patriarcha Aquilejenſi in ſocietatem adſcitis, ad imperium evertendum, & nomen Venetorum exſtinguendum conjuraverant. Victor Piſanus Præfectus Venetæ claſſis in ſinum Rhizonicum invectus, & Catharum adortus, urbem, arcemque Hungaris eripuit, ut tradit Careſinus apud Joannem Lucium lib. v. de Regno Dalm. & Croat. 1378. 14. *Julii præfatus Capitaneus* (ſcilicet Victor Piſanus) *Venetias miſit Capitaneum galearum Januenſium, alioſque captivos, deinde ſe transferens ad civitatem Cathari, tum Regi Hungariæ ſubditam die Dominica* 14. *Auguſti* 1378. *devicta, & ſaccomata fuit; pepercit civibus, eiſque civitatem reſtituit, caſtro in cuſtodia Ducali retento.* Victor ex præda, & manubiis captæ urbis nihil retinuit, niſi Crus S. Tryphonis ex ejuſdem corpore detractum, quo ſpolium nullum pretioſius eſſe ducebat, illudque Venetias tranſtulit, atque in æde S. Fantini depoſuit. Ex amiſſione ſancti illius Cruris mirum quantum doleris ceperint Catharenſes, cujus recuperandi cauſa nullis neque precibus, neque lacrymis, neque legationibus pepercerunt; ſed nec prece, nec pretio, nec gratia ab Venetis, quod quolibet theſauro illis carius erat, impetrari potuit, ut Flaminius Cornelius ſcriptum reliquit ex quodam SC. ſive ex duodecimo reſponſo ad legatos Catharenſium anno 1400. *Item hic in S. Fantini Eccleſia aſſervatur Crus Domini S. Tryphonis, quod tempore expugnationis Cathari abſtulit Dominus Victor Piſanus; ea propter rogamus excelſam veſtram dominationem, ut dignetur nobis permittere, quod ipſum in patriam referamus ad S. Tryphonis Eccleſiam, ubi antiquitus aſſervabatur. Reſpondemus, quod alias ſimilis requiſitio facta fuit noſtro Dominio per alios ſuos ambaſciatores, quibus reſpondimus, quod pro certa, & rationabili cauſa non poteramus eis complacere, & ſic ad præſens reſpondimus, quod pro bona & honeſta cauſa non poſſumus eis complacere.* Poſt triennium pax ita convenit, ut Catharum Regi Ludovico reſtitui oportuerit: quo tempore Ludovicus a Catharenſibus rogatus, ut eorum privilegia confirmaret, haſce illis literas dedit anno 1382.

Crus S. Tryphonis Venetias allatum.

Catharum Hungaris reſtituitur.

Ludovicus Rex Privilegia Catharenſibus confirmat.

Ludovicus Dei gratia Rex Ungariæ, Poloniæ, Dalmatiæ &c. Fidelibus ſuis Judicibus, Conſilio, & Communi civitatis noſtræ Catharenſis ſalutem, & gratiam. Miſſis ad noſtræ celſitudinis conſpectum Damiano, & Marco, nuntiis, & ambaſciatoribus veſtris, ex parte veſtri nobis extitit humiliter ſupplicatum per eoſdem, quod quia ipſa civitas noſtra Catharenſis, tum propter inopinabilis ignis incendia, tum etiam propter maximam guerram Venetorum tunc noſtrorum æmulorum de novo ſopitam, & ad pacis pulchritudinem deductam, derobationes, & deſolationes non modicas perpeſſa extitiſſet, imo multi, & quamplures ex ipſa civitate noſtra ad extraneas provincias & tenutas diſperſi extitiſſent, ſupplicantes noſtræ Majeſtati vice & nominibus veſtris, ut veſtræ Communitati, ac eidem civitati veſtræ Catharenſi in ſignum noſtri Regii adminiculi libertatum prærogativas, & gratiarum privilegia, quibus hactenus cives ejuſdem civitatis noſtræ Catharenſis gaviſi fuiſſent, ratificari & confirmari dignaremur, ut, iis a noſtra Majeſtate gratioſe conceſſis, ſicut numero, ſic nominibus poſſetis fidelitate multiplicari, & augeri, profectus & honoris materia a veſtra Communitate noſtræ proveniret Majeſtati; Nos itaque conſiderantes quod dum noſtris fidelibus ſubditis in eorum narrationibus gratiarum prærogativas conceſſerimus, & dum eorum onera removebimus, in ipſorum quiete quieſcimus, & fovemus in pace, præmiſſis ſupplicationibus ex parte veſtri noſtræ porrectis Majeſtati gratioſe exauditis, admiſſis, præmiſſarum libertatum, prærogativarum & gratiarum privilegia, quibus hactenus gaviſi extitiſtis, confirmantes ratificamus, quouſque ſibi Deo propitio dictam civitatem noſtram Catharenſem perſonaliter viſitabimus, vel Domina Regina conſors noſtra cariſſima ad illas partes feliciter accedendo viſitabit, ut tunc nos, aut eadem Domina Regina ſuper qualitatibus libertatum veſtrarum in melius ſciſcitari, & experti de veſtro commodiori & tutiori ſtatu, ac libertatum prærogativis veſtræ fidelitati indulgeri debeudis maturius deliberare poſſimus. Dat. Zagabriæ Sabbato proximo ante feſtum Epiphaniæ Domini Anno ejuſdem Milleſimo CCC. octuageſimo ſecundo.

Poſtea Boſinæ Regi ſubjecti Catharenſes cives, Boſnenſi dominatu depulſo, libertatem acquirunt.

Anno 1384. Ludovico Hungariæ Rege extincto, civitas, & Eccleſia Catharenſis rediit ſub imperium, poteſtatemque ſchiſmaticorum. Nam Stephanus Tuartkus ſchiſmatica labe infectus, qui ab Rege Ludovico Regnum Boſinæ fiduciarium una cum titulo regali acceperat, Catharum quoque cum aliis Dalmatiæ civitatibus in ſuam ditionem redegit. Extat ejus privilegium conceſſum Catharenſibus. At Catharenſes uſque ad Oſtojam Chriſtichium quartum ab Tuartko Regem Boſinæ dominatum Boſnenſium pertulerunt; quo depulſo ſub initium ſæculi decimi quinti ſe in libertatem vindicarunt.

NICOLAUS EPISC. CATHAREN. XXIX.

Quem ad hæc tempora rejicimus, incerti omni-

Digitized by Google

ômnino quo ſæculo, quove anno rexerit Eccleſiam Catharenſem. Illius mentio extat in tabulis Catharenſibus anni 1577. in quibus de prædio quodam a Nicolao Antiſtite locato hæc leguntur: *Quod quidem terrenum antiquitus erat conſignatum oretenus a quondam Domino Nicolao Drago Reverendiſſimo Epiſcopo Catharenſi, tanquam Abbati S. Mariæ Fluminis &c.* Sed vox illa *antiquitus* indicat ſane Nicolai ætatem ſæculo ſaltem decimo ſexto eſſe anteponendam, quo hæ tabulæ confectæ fuerunt; præterea ab Epiſcopatu Bartholomæi, qui Nicolao ſucceſſit, tam certa eſt, atque nullo temporis intervallo interrupta ſeries Antiſtitum Catharenſium uſque ad illum annum 1577, ut locus nuſquam pateat, in quo Nicolai Epiſcopatus conſtitui commode queat. Quare hic illum interſeramus licet, cum ratio nulla ſit, cur in anteriores hiſce annos retrahatur. Tabulas illas habes ſuo loco integre deſcriptas.

BARTHOLOMÆUS II. EPISCOPUS CATHARENSIS XXX.

De quo nihil præter nomen, quod Tabulæ Conſiſtoriales mox deſcribendæ nobis conſervarunt. Obiit anno octavo ſæculi decimi quinti.

ANTONIUS EPISC. CATHAREN. XXXI.

Cognominatus *de Bitonto* apud Ferdinandum Ughellum & Lombardum, quod fortaſſe ex Apulia & urbe Bitunto oriundus eſſet. Fuit ex Ordine S. Benedicti & Cœnobiarcha S. Georgii de Gulpho, quem Gregorius XII. an. 1410. ineunte in ſedem Catharenſem Bartholomæo ſubrogavit, ut eſt in Actis Conſiſtorialibus: 22. *Januarii* 1410. *providit Eccleſiæ Catharenſi vacanti per mortem D. Bartholomæi ultimi Epiſcopi de perſona F. Antonii Abbatis Monaſterii S. Georgii de Gulpho Ord. S. Benedicti dictæ diœceſis.* Idem Pontifex Monaſterium illud Georgianum commendavit Henrico Epiſcopo Cardin. Sabinenſi, quod tamen hic ſponte dimiſit; & Gregorius illud Monachis reſtituit, quibus P. Auguſtinum de Eſculo Abbatem præfecit: 14. *Martii providit Monaſterio S. Georgii de Gulpho Ord. S. Benedicti per liberam reſignationem Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini Henrici miſeratione divina Epiſcopi Sabinenſis, & Cardin. Neapolitani vulgariter nuncupati, Commendatarii dicti Monaſterii, de perſona F. Auguſtini de Eſculo dicti Ordinis.*

Fiæ fodalitatis per Canonicos Cathari inſtitutæ

Anno 1413. Canonici Catharenſes divino ſpiritu afflatuque inſtincti ad Chriſtianam pietatem, & Virginis Deiparæ, Sanctique Tryphonis urbis Patroni cultum augendum, Antonio Epiſcopo approbante, piam quamdam ſodalitatem inſtituerunt, ad quam ex clero pariter & ex utroque laicorum ſexu qui vellet aggregari poſſet; leges æque vivis ac mortuis ſalutares de communi conſenſu præſcriptæ ſunt ſodalibus.

1413. *Die Sabbathi* XXII. *Decembris.*

Adſit nobis Spiritus Sancti gratia; Spiritus ubi vult ſpirat.

Decretum.

Cum tandem Domini pietas, quæ omnibus bene gerentibus viam aſtruit veritatis, Ven. Catharenſi Capitulo inſpirare dignata fuerit, ut non modo ſibi ipſis Canonicis, verum & cæteris omnibus pia vota ſequi volentibus prodeſſe poſſent cum verbo & exemplo, tanquam principalia capitis membra, ſalutis veſtigia ſubjectis populis monſtrare debeant; ut ſi non omnem meſſem, ſaltem manipulos aliquos ante tremendi Judicis æquiſſimum tribunal queant oſtendere. Nam cum omnes mortales neſcienter, nedum ſcienter, Creatorem omnipotentem offendant, juxta Davidicum dictum: Delicta quis intelligit? &, Ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis parce ſervo tuo; laudabile ipſis viſum fuit ſuper omnem laudem ejus advertere, perpetuoque ordinare, ut tam pro vivis quam pro defunctis in Cathedrali Eccleſia S. Tryphonis, cujus Caput toti civitati Catharenſi divina intulit clementia, divinus cultus augeretur in melius, & ſuam miſericordiam piiſſimus ille Catharinis impendere, & ab omnibus adverſis protegere, & in ſancto conſervare propoſito dignetur; divino ut præfertur lumine inſpirati, & inclytæ charitatis ſuffuſi radio omnes ad ſonum campanæ pariter congregati Canonici, ut moris eſt, in ſagriſtia ſtatuerunt inter ſe unam Fraternitatis Congregationem in ipſa Cathedrali Eccleſia . . . . . ad individuæ Trinitatis gloriam, & Genitricis Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & B. Tryphonis Protectoris noſtri venerationem inſtituere, quæ Beatiſſimæ Mariæ de Miſericordia & S. Tryphonis vocabulo nuncupetur. Captum igitur hoc præſens Statutum fuit, & nemine diſcrepante illorum, qui aderant, obtemptum, cum major ibi pars fuiſſet aggregata; & ne hujuſmodi Fraternitas ſine legibus, aut conſtitutionibus fluctuaretur, eodem Capitulo conſentiente, hæc ſtatuta ad ipſam Fraternitatem roborandam conſtituere.

In primis ut omnes Fraternitatem hanc ingredi volentes, primo ſi clericus fuerit, aut unum ſolvat yperperum, aut duodecim Miſſas celebret in ipſis altaribus, quibus inſtituta eſt ipſa Fraternitas. Si vero fuerit Laicus, unum exſolvat yperperum ſemel tantum, cum ingredi voluerit.

Item quod omni Sabbatho ante glorioſiſſimæ Virginis Imaginem, quæ ſuper Baptiſterium eſt poſita, Miſſa de Virgine glorioſa cantetur ſolemniter.

Item eodem die, quo Beatiſſimi Tryphonis feſtivitas venire contigerit, una Miſſa ſolemniter cantetur ſuper reliquias Beatiſſimi Tryphonis Protectoris Catharenſis civitatis.

Item omni die . . . . ad altare dictum Goſpe (hoc eſt Dominæ Virg. *) una Miſſa cantetur pro animabus omnium Fratrum, & conſororum Fraternitatis ejuſdem, & illi, qui celebrat, de reditibus ipſius Fraternitatis, quæ annuatim advenerint, ſolvatur.*

Item ſi quis frater, vel ſoror Fraternitatis ejus diem ſuum clauſerit, eos ad Eccleſiam Preſbyteri portare teneantur devote, & in ſepultura collocare.

Item quod ſemper, & in perpetuum Capitulum ipſum S. Tryphonis ordinare & diſponere debeat, & poteſtatem habeat, de ipſa Fraternitate, & non alius.

Item ſingulis annis duo officiales in ipſa Fraternitate conſtituantur, quod diſpenſare juſtiſſime, & conſcientioſe introitus ipſius Fraternitatis debeant, ſolvendo altaribus ipſius officiantes; de reliquo vero providere debeant pauperibus fratribus, vel ſororibus Fraternitatis ipſius, & aliis egenis, ut melius videbitur expedire.

Item omni anno ſemel teneantur unam generalem commemorationem facere pro animabus omnium fidelium defunctorum, & maxime pro fratribus, & conſororibus.

Cum

De donis ac muneribus, quibus colendus est dies festus S. Tryphonis,

Cum eximia Catharensium erga B. Tryphonem religio semper anteactis temporibus viguerit, tum vero sub Episcopatu Antonii potissimum excelluit. Nam in generali & majori Consilio civitatis præscriptum est, quo ritu, quave cæremonia, quibusque oblationibus ac donis dies festus primarius S. Tryphonis, tum a magistratibus & consiliariis, tum a præfectis & curatoribus publicorum munerum mercede conductis colendus esset ac celebrandus. Decretum in eam rem conditum, sane dignum religione ac pietate Catharensium, ex Codice *Statutorum Civitatis Cathari* describendum censeo.

De ceremonia fienda, seu offerenda in solemnitate Beatissimi Martyris Sancti Tryphonis, Protectoris Civitatis Cathari, per Officiales ipsius Civitatis. Cap. XXXIV.

Decretum Catharense.

Mill. CCCC. XVII. Indict. X. die XVII. mensis Januarii. Æterni Verbi ac infinitæ sapientiæ fulgor non semel humanos illuminat intellectus, ut non solum Christicolæ, sed remoti ad veri cognitionem boni sollicitent, & intendant; cum nihil sanctius digniusque ac honorabilius, quam omnium Summo Imperatori puro corde dirigere intellectum, ac festivas ceremonias cujuslibet Sancti cultu digno & venerabili celebrare; & maxime illius Sancti, qui est specialis Protector, defensor, & adjutor suæ civitatis, ubi colitur ejus festum. Et quoniam Beatissimus S. Martyr Tryphon non modicis miraculis, insignibusque operibus, se hujus Civitatis Protectorem ostendit, & fuit; cui ingrata videretur ejusdem Nobilitas, si quilibet Nobilis ac salariatus ipsius Civitatis decus, ac dignas ceremonias non referrent; idcirco ne ipsius Beatis Martyris sanctitas indignetur, sed de bono in melius hujc prænominatæ Civitati auxilietur & faveat, per infrascriptos modos, & regulas Nobiles dictæ civitatis voluerunt digne & salubriter providere. Et etiam majori & generali Consilio Civitatis prædictæ; die prædicta in sala magna ad sonum campanæ more solito congregato, in quo Consilio Consiliarii fuerunt 51, facto exordio super hoc, ac narratione, & misso partito ad bussulos & balottas per reductionem dictorum Dominorum Comitis, Judicum, & Consiliariorum minoris & secreti Consilii, secundum consuetudinem fuit captum: Quod Rector forensis, qui nunc est, & qui pro tempore fuerit, teneatur & debeat omni festo S. Tryphonis Magni de mense Februarii portari facere unum cereum secundum quantitatem & numerum ipsius salarii, trium grossorum pro quolibet centenario yperperorum, per rationem centenarii. Rector autem si civis fuerit, teneatur, & debeat offerri facere cereum unum valoris grossorum duodecim ad minus quolibet anno in die festo. Quilibet autem Judicum qui sunt, vel qui pro tempore fuerint, teneantur offerre cereum unum librarum duarum in dicto die festo, & præsentare; & quilibet Consiliariorum Minoris Consilii teneatur præsentare, & dare cereum unum libræ unius ad minus; & quilibet Consiliarius Majoris & generalis Consilii teneatur dare, & præsentare in dicto festo faculam unam, sive cereum secundum ipsius beneplacitum ab uno grosso supra; & quilibet foresterius, & salariatus, ut sunt Medici, Notarii, Cancellarii, speciarii, barberii, teneantur dare & præsentare cereum de grossis tribus de quolibet centenario yperperorum de ipsorum salario, per rationem centenarii; cum hac conditione, pacto, & pœnis, quod si Rector forensis contrafecerit, solvat yperperos decem Communi; si vero civis Rector contrafecerit, solvat yperperos quinque, sin autem Judicum aliquis contrafecerit, solvat yperperos duos, sin autem Consiliarius aliquis Minoris Consilii contrafecerit, solvat yperperos duos; siquidem Consiliarius Majoris Consilii contrafecerit, solvat yperperum unum; & totidem ille salariatus, qui contrafecerit, solvat quod idem Consiliarius Minoris Consilii, & nihilominus contrafacientes contra præsentem partem & ordinationem, solvendo pœnam, etiam debitam oblationem facere & præsentare teneantur Ecclesiæ Beatissimi Martyris Sancti Tryphonis. Hoc autem expresso, quod si aliquis prædictorum omnium a casu fuerit infirmus, vel fuerit in districtu, vel Comitatu Cathari, per alium dictam oblationem, & debitum facere fieri loco sui teneatur; aliter supradictæ pœnæ subjaceat, ut est dictum: quæ oblatio fieri debeat, ut supra dictum est, in die S. Tryphonis Magni; & sociare debeant prænominatum Sanctissimum Caput dicti Sanctissimi Martyris cum dictis cereis & oblationibus per civitatem cum letaniis & solemnitatibus, secundum antiquam consuetudinem; & dum Clerus revertetur a processionibus & letaniis cum dicto Beatissimo Capite Beatissimi Sancti Tryphonis, omnes prænominati teneantur prædictos cereos & faculas præsentare Ecclesiæ supradictæ, cum scripta nominis illius, cujus fuerit cereus sive facula; quæ cera & oblatio detur & consignetur ad honorem dicti Beatissimi Martyris S. Tryphonis; per suprascriptos Dominos Rectores, Judices, Consiliarios & salariatos; & deponatur penes D. Archidiaconum, Procuratoresque S. Tryphonis, pro reparatione dictæ Ecclesiæ, & ornamento reliquiarum faciendo. Super quibus omnibus Rector præsens, & qui fuerint, teneantur omni anno facere congregari tam Judices, quam Consiliarios, & salariatos, sub pœna præstiti Sacramenti incurrenda.

De tributo ex testamentis persolvendo Ecclesiæ S. Tryphonis.

Præterea anno superiori decretum fuerat, ut quilibet, modo non sit hæres necessarius, aut creditor defuncti, nummos ternos pro singulis centenariis sibi testamento legatis, adi Cathedrali S. Tryphonis contribuat; idque tributum in sarta tecta tuenda impendi jussum est; quod deinde renovatum fuit. *Quod de omnibus legatis testamentorum tres pro centenario dentur Ecclesiæ S. Tryphonis. Cap. VII. In dicto majori generali Consilio capta fuit pars infrascripti tenoris, videlicet: Cum, & ceu habetur ex voce & publica fama, atque ex eo appareat sententia facta in hoc Consilio in anno MCCCCXVI. Indictione 9. die XXIII. mensis Aprilis per partem captum & ordinatum fuerit, quod quilibet, foret quivis, cui quid per ullum testatorem in testamento fuerit legatum, exceptis hæredibus defuncti, aut quibus legatum fuerit debitum, in quo defunctus sibi teneretur, debet solvere tres pro centenario de toto illo, quod sibi foret legatum, dispensandos in reparatione seu ædificio S. Tryphonis per Archidiaconos & Procuratores Ecclesiæ S. Tryphonis prælibata. Quod equidem justum & sanctum erat tum pro animarum defunctarum salute, tum pro honore istius Civitatis, quod Ecclesia prafata non ruat; & pars dicta sive ordo in volumine partium sive statutorum scripta vel scriptus non appareat; unde quis contrarius seu perversus ad ipsius ordinis seu partis observationem obstare vellet ad tantæ justæ sanctæque rei oppositum, de qua ut supra dicitur; ideoque providendum sit quod pars sive ordo dictus tan-*

quam

quam justus & sanctus causis prænarratis observetur; vadit pars de novo in isto Consilio, quod quicumque ut supra sit quivis, demptis hæredibus, & quibus relictum fuerit per suum creditum, cui quid in testamento per testatorem aliquem legatum fuerit, & teneatur Ecclesiæ S. Tryphonis, & dare debeat tres pro centenario de toto illo, quod sibi relictum fuerit pro reparatione, laborerio, seu ædificio memoratæ Ecclesiæ; & ita Archidiacono, Procuratoresque ipsius Ecclesiæ, qui pro tempore erunt, dictos tres pro quolibet centenario a quolibet dare debente exigere debeant, & de ipsis reparare dictam Ecclesiam, seu eam ædificare teneantur, quantum fore necessarium cognoscent, tenendo de prædictis computum ordinatum tam de receptis quam de expensis quomodocumque, & quidquid sibi superfuerit aut abundaverit ab eisdem, de una manu Archidiaconi Procuratorumque in aliam usque in perpetuum assignando; ad quam conditionem sint insuper omnes quibus quid relictum fuerit a tempore isto, quo dictam partem captam fuisse dicitur usque in præsenti, & ita exceptis superius exceptatis.

Alterum in rem eamdem decretum.

Hoc decretum tertio renovatum postea fuit, diserteque additum, ut curatores testamentorum intra mensem ab obitu ejus, qui testamentum fecit, bona omnia ab eo relicta legitimæ æstimationi subjiciant.

Quod æstimentur bona defuncti infra unum mensem, & solvantur tres pro centenario Ecclesiæ S. Tryphonis. Cap. I.

MCCCCXXVI. Indict. 4. die Jovis septimo Martii. In majori Consilio, nemine discrepante, excepta balotta una contraria, in quo Consilio fuerunt Consiliarii 58. capta fuit pars tenoris infrascripti. Quia defectu Commissariorum defunctorum non curantium exequi suas Commissarias, Ecclesia S. Tryphonis patitur detrimentum, quia non solvuntur tres pro centenario de legatis factis per defunctos dictæ Ecclesiæ juxta statuta Cathari, & bonum sit super inde providere, vadit ideo pars, quod ex nunc in antea unusquisque Commissarius, sive Commissarii testamenti teneatur & teneantur infra unum mensem a die obitus dicti defuncti in antea æstimari fecisse per æstimatores Communis omnia bona mobilia & immobilia dicti defuncti, & tam in Catharo quam in suo districtu & Comitatu existentia, & infra dictum terminum ipsius mensis debeat seu debeant solvisse Procuratoribus S. Tryphonis tres pro centenario de omnibus bonis ipsius defuncti juxta æstimationem ipsorum dictorum æstimatorum. Quod si ipsi Commissarii non fecerint seu observaverint, aut non solverint, ut supra dicitur, de suo proprio solvere cogantur tantum, quantum summabunt bona defuncti, pro quibus non solverint, & æstimari non fecerint, & ultra hoc cadant ad pœnam grossorum quinque pro quolibet yperpero, & pro quolibet ipsorum de omni eo, quod non solvissent, quæ pœna vadat in Commune.

Alterum de bonis S. Tryphonis.

Item his ferme temporibus rectæ administrationi bonorum Ecclesiæ S. Tryphonis cautum fuit hoc decreto.

Quod Procuratores S. Tryphonis teneantur tenere computum suæ Procuratiæ, & reddere rationem successoribus suis in dicto officio. Cap. II.

In dicto Consilio, nemine discrepante, fuit obtentum & captum, quod Procuratores S. Tryphonis qui ad præsens sunt, & pro tempore erunt, teneantur & debeant tenere unum quaternum, in quo sint notata omnia bona & res Ecclesiæ S. Tryphonis, & similiter introitus & expensæ ita & taliter quod semper videri possit computus dictarum rerum & similiter introituum & expensarum. Item quod semper, quando dicti Procuratores exeunt de officio suo, teneantur & debeant infra dies 15. postquam exiverint, reddere & designare successoribus suis rationes tam dictorum bonorum & rerum, quam introituum & expensarum dictæ Ecclesiæ S. Tryphonis, & totius administrationis dictæ suæ Procuratiæ sub pœna yperperorum decem pro quolibet, quæ vadat in Commune. Item quod dictæ res & bona nullo modo tangi possint nec vendi, neque alienari seu pignorari, nisi per tres partes majoris Consilii civitatis Cathari.

Catharensium decretum pro Cœnobio S. Claræ.

Enituit præterea Catharensium pietas erga sacrarum Virginum Collegia; & anno 1419. decretum editum fuit, quo certa pecuniæ summa præscribitur nobilibus puellis eroganda a parentibus, quæ in Cœnobio S. Claræ Deo se se vellent devovere, nequid forte detrimenti Cœnobium ipsum capesseret, imminutis, aut dilatis nimium, aut etiam denegatis nummis, quibus sacrarum Virginum *dotes*, ut ajunt, ex antiqua consuetudine statui solent. Decretum hujuscemodi legitur in Catharensi Statuto.

MCCCCXIX. Indictione XIII. die ultimo mensis Julii. Majori, & Generali Consilio civitatis Cathari ad sonum campanæ more solito congregato in sala magna palatii consueta, in quo Consilio fuerunt Consiliarii 52. fuit captum per reductionem minoris Consilii secundum consuetudinem, quod quilibet Nobilis Catharensis, qui miserit, aut mittere voluerit ab hodierna die in antea ejus filiam seu filias in Monasterium S. Claræ Deo ~~ipsas dedicando~~, pro dote ipsius secundum antiquam consuetudinem (1) yperperos quinquaginta dare debeat; sed si denarios non habuerit, aut dare noluerit, loco denariorum dare possit de terris aut vineis, bonis caltivis & laborativis, quæ sint valoris yperperorum quinquaginta grossorum usualium nunc in Catharo. Quæ terræ, sive vineæ debeant æstimari secundum bonam conscientiam per duos æstimatores Communis cum uno Procuratore dicti Monasterii. De quibus terris sive vineis sic æstimatis ad minus dictum Monasterium habeat, & habere possit in anno de introitu, & emolumento sive utilitate yperperos tres, & quod nulla possessio de cetero dicti Monasterii possit affictari, donari, vendi, translatari sive cambiari sive alienari quoquo modo sine consensu & voluntate Majoris, & Generalis Consilii dictæ civitatis. Quod si secus factum fuerit, affictatio, donatio, translatio seu cambium, alienatio & venditio sit nullius valoris, efficaciæ, roboris & momenti.

Nota.

1 Moneta aurea Imperatorum Byzantinorum sic appellata, quasi ex auro extime rutilo & recocto confecta esset. Ducangius in Gloss.

Cum Turcæ post Serbliam, & Rasciam fere omnem redditam sibi vectigalem latius in dies fines imperii propagarent, & vicina Dalmatiæ loca crebris incursionibus usque ad confinia territorii Catharensis devastarent, prope jam aberat, ut civitatem ipsam repentino impetu adorti, quamvis loco, & natura egregie munitam, in servitutem redigerent. Id veriti Catha-

Digitized by Google

tharenſes contra potentiſſimum hoſtem, cui reſiſtendo non erant, tutelam, & auxilium nuſquam, niſi a Venetis, ſibi præſtari poſſe exiſtimarunt. Itaque anno 1420. de communi omnium conſenſu Venetias miſerunt, qui Thomæ Mauroceno Duci Venetiarum ultro dominatum urbis deferrent; & paucis poſt menſibus Petrus Lauretanus præfectus claſſis, nomine Ducis, ac Senatus poſſeſſionem Cathari recepit; in ejuſque verba, ac leges Venetorum Magiſtratus & Primores civitatis jurarunt: id quod felix, fauſtumque fuit Catharenſibus; quamvis enim poſtea non ſemel ab Turcis obſeſſi, oppugnatique fuerint, auxiliis tamen, præſidiiſque Venetorum freti, omnes illorum conatus, impetuſque repulerunt. Per idem tempus Peraſtini etiam ultro venerunt in fidem, poteſtatemque Venetorum. Catharenſis deditionis plura congeſſit, ediditque monumenta Flaminius Cornelius, qui primum quoque urbis Rectorem a Venetis datum commemorat Antonium a Bocculis Nobilem Venetum: hic biennio Catharenſibus præfuit, quos gravi laborantes inopia ære ſuo antea plurimum juverat, ab iiſque quaſi pignus mutuatæ pecuniæ quaſdam S. Tryphonis reliquias, & aliquot calices cum accepiſſet, hæc ſecum in patriam redux detulerat. Itaque per hæc tempora, miſſa legatione, ut pretiola, ſibique cariſſima pignora repeterent, enixe curarunt. Hanc Catharenſium petitionem, & Veneti Senatus reſponſa exhibet Bernardus Nanius in opuſc. de duobus Imperatorum Raſciæ nummis, in hæc verba:

Catharenſes, & Peraſtini Venetis ſe ſubjiciunt.

Eorum legatio ad Venetos.

Ad VII. item miſimus olim Excelſæ veſtræ Dominationi Legatos, cujus Legationis cauſa pecuniam nobis mutuatus eſt Dom. Antonius a Bocculis, & eò hoc abſtulit nonnullas reliquias & calices S. Tryphonis; ideo rogamus Excelſam Dominationem veſtram, ut in hoc ſubveniens nobis Reliquias baſce reſtitui jubeat.

Reſpondemus, quod ſicut ipſi ſciunt, Antonius a Bocculis mutuavit ipſos denarios de ſuis propriis denariis, de quibus denariis nolumus nos impedire, quia ſunt filiorum ſuorum, ſed ipſi poſſunt ad exactionem dictarum rerum, prout eis placet, providere; ſed ut cognoſcant optimam intentionem noſtram erga eos, mandabimus Proviſori noſtro Cathari, quod pro exactione dictarum rerum debeat dare Communitati prædictæ de noſtro ſale deinde ſachos ducentos, quod poterunt vendi facere, & de denariis extrahendis de dicto ſale exigent Reliquias, & calices prædictos.

Utrum Catharenſes hæc recuperaverint, incompertum eſt: cum vero in hoc S. C. *Proviſor* Cathari nominetur, petitio iſta poſt annum 1480. rejicienda videtur, quo Veneti Senatus decreto ſtatutum eſt, ut Præſides Catharo deinceps *Rectoris*, & *Proviſoris* titulo inſignirentur, ut notat Cornelius in Catalogo Rectorum, & Proviſorum Catharenſium. Hinc ipſe ſibi non conſtat, quippe in Dominio Catharenſi Antiſtite monet, hujuſmodi petitionem eodem tempore factam fuiſſe a Catharenſibus, quo ablatum S. Tryphonis crus ſibi reddi a Veneto Senatu vehementer exorarunt, anno ſcilicet 1400.

Antonii Epiſcopi obitus.

Interim Antonius Epiſcopus ne integrum quidem annum deditioni Catharenſium ſuperſtes fuit; & quod Eccleſiam ſuam, atque urbem ſub valida, fidaque Imperii Veneti tutela relinqueret, mirifice lætus ex hac vita migravit.

RAYMUNDUS II. EPISCOPUS CATHARENSIS XXXII.

Raymundus Epiſc. Catharenſis.

Natus eſt Viterbii, & in ſodalitatem Patrum Minorum rigidioris diſciplinæ nomen cum dediſſet, poſtquam in ea variis magiſtratibus, & muneribus egregie functus eſſet, Franciſcanam Dalmatiæ provinciam gubernavit; cujus præcipue opera Tragurienſe Minorum Cœnobium commodiorem, tutioremque in locum translatum fuit. Anno 1418. *Cuſtos* datus Catharenſi Cœnobio S. Franciſci, eo in munere ad Catharenſem Epiſcopatum evectus fuit a Martino V. ut ſcriptum eſt in Actis Conſiſtorialibus: 1421. 13. *Auguſti proviſum eſt Eccleſiæ Catharenſi vacanti per obitum Antonii de Bitonto, de perſona F. Raymundi de Viterbio Ord. Min. Miniſtri Provin. Dalmatiæ.* Vix annuum Pontificatum geſſit. Civitas & Eccleſia Catharenſis cum ſe Venetis dedidit, hoc ipſo deditionis actu ſe in fidem & clientelam S. Marci Evangeliſtæ & Patroni primarii Reipublicæ Venetæ contulit. Itaque ad venerationem Sanctiſſimi hujus Evangeliſtæ in urbe excitandam augendamque Veneti pariter & Catharenſes una mente & voluntate conſenſerunt. Erat Cathari vetuſta quædam ædes S. Marci, ſed inops, deſerta, & neglecta. Hanc Dux & Senatus idoneis proventibus dotavit, & Presbyterum Rectorem eidem præponi juſſit, qui Sacrum quotidie faceret. Catharenſes vero iiſdem honoribus & oblationibus, quibus S. Tryphonis, S. Marci quoque feſtum diem colendum ac celebrandum eſſe decreverunt. Utrumque exemplar & Litterarum Ducalium, & Decreti Catharenſis hic ſubjiciendum cenſui.

Culus S. Marci Evangeliſtæ auctus in urbe

Thomas Mocenigo Dei gr. Dux Venet. Nobilibus, & ſapientibus viris Antonio a Bocculis de ſuo mandato Comiti Cathari, & ſucceſſoribus ſuis, fidelibus dilectis ſalutem, & dilectionis affectum. Significamus vobis, quod in noſtris Rogatorum . . . . . in MCCCCXXI. Indict. XIV. die VII. men. Februarii capta fuit pars tenoris infraſcripti, videlicet: Cum in noſtra Civitate Cathari ſit quædam Eccleſia, alias ædificata ſub vocabulo, & ad honorem Beatiſſimi Marci Evangeliſtæ Protectoris noſtri, in qua tam propter negligentiam, quam propter tenues proventus ſuos divina officia non celebrantur, quia, ſicut fertur, non habet de reditibus annual. ultra ducatos quinque; quæ Eccleſia tenebatur per quemdam, qui modo mortuus eſt; & ſicut informati ſumus, ſi Dominatio noſtra dotaret ipſam Eccleſiam de tot territoriis, quæ eſſent per ſeminationem X, vel XII. ſtariorum ad menſuram Venetam, quod fieri poteſt abſque expenſa noſtri Dominii, quia multa ſunt in illis partibus territoria, de quibus nulla habetur utilitas, dicta Eccleſia coleretur dictis officiis ad honorem Beatiſſimi Marci, noſtrique Dominii; vadit pars quod dicta Eccleſia dotari debeat tot vineis & territoriis ſuper inſula S. Michaelis, qua per N. V. per Petrum Lauredano Capitaneum noſtrum Generalem Gulphi fuit acquiſita in dictis partibus, quia in dicta inſula ſunt territoria inculta, & in ſpecie, ſicut informati ſumus, eſt quædam terra vel vinea, quæ eſt dictæ quantitatis vel circa, quæ olim tenebatur per quemdam Rade Giurevich Monachum Sclavum pro quadam Eccleſia, quæ deſtructa eſt; quæ vinea & terra ſufficiet ad hoc factum, ad hoc ut unus Sacerdos pro tali dotationem ad dictam Ec-

ex Diplomate Ducis Venetiarum.

Digitized by Google

cleſiam S. Marci ſtare, attendere, & celebrare poſſit ad honorem Dei, & Beatiſſimi Marci Evangeliſtæ, & orare pro bono ſtatu noſtro; qui Sacerdos per Comitem noſtrum Cathari, qui pro tempore erit, nunc & quando in futurum vacabit, ad dictum beneficium deligatur, & deputetur, conſiderato quod dicta Eccleſia per noſtrum Dominium eſt dotata; & ſic mandetur Comiti noſtro Cathari, & ſucceſſoribus ſuis, quod debeant obſervare & facere futuris temporibus obſervari. Quare cum dictis noſtris Conſiliariis vobis mandamus, quatenus partem prædictam, & contenta in ea, prout jacent, obſervare, & facere inviolabiliter obſervari debeatis, facientes has litteras in Cancellaria noſtri regiminis ad futuram memoriam regiſtrari. Dat. in noſtro Palatio Ducali die x. Febr. Indict. XIV. MCCCCXXI.

De cerimonia fienda in ſolemnitate Beatiſſimi S. Marci Protectoris Almæ Civitatis Venetiarum. Cap. I.

& ex Decreto Civitatis Catharenſis.

MCCCCXXI. Indictione decima quarta, die ſecundo Februarii, in minori Conſilio Civitatis Cathari, cum Nobilibus de additione, ad ſonum campanæ, ut moris eſt, congregato in ſala magna ipſius Civitatis; facta propoſitione, & miſſo partito ad buſſulos & balottas per magnificum, & generoſum virum D. Antonium a Bocculis, de mandato Illuſtriſſimi Ducalis Dominii Venetiarum honorabilis Comitis & Capitanei Cathari. Ad honorem & laudem Beatiſſimi Evangeliſtæ Sancti Marci, ſub cujus umbra hæc Civitas regitur, & gubernatur, fuit victum & obtentum per omnes nemine diſcrepante, quod omni die S. Marci in perpetuum quolibet anno Dominus Comes, qui nunc eſt, & pro tempore erit, ſub pœna præſtiti Sacramenti teneatur, & debeat obſervare, & obſervari facere illum modum & ordinem datum pro Capite S. Tryphonis, ad honorem & reverentiam Sancti Marci cum cerimoniis & oblationibus ordinatis, ut de dicto ordine apparet pars capta in Majori, & Generali Conſilio Civitatis Cathari in MCCCCXVII. Indictione decima die XVII. menſis Januarii, & ſerioſe notata in præſenti libro partium cap. 34. Quæ pars reducta in Majori Conſilio per omnes dicti Majoris Conſilii, qui fuerunt 52., fuit capta, & confirmata.

FRANCISCUS EPISC. CATHAR. XXXIII.

Cognominatus *de Pavonibus*, quem itidem Martinus V. huic Eccleſiæ præfecit: 1422. VII. Non. *Octobris promovit Franciſcum de Pavonibus ad Eccleſiam Catharenſem vacantem per obitum F. Raymundi de Viterbio.* Anno proximo ineunte Catharum venit; & Nonis Martii Balthaſſarem de Ripa Venetum Eccleſiæ S. Jacobi de Porticu Rectorem conſtituit. De illius actis nihil præterea ſuppetit. Georgius Brancovitzius Lazari ſive Eleazari, primi poſt Regnum & Imperium Raſcianum extinctum Deſpotæ Serbliæ & Raſciæ, ex Mara ſeu Maria Lazari filia nepos, Stephano avunculo ſuo in eum principatum ſucceſſit, ac tertius Deſpota fuit. Hic pacem cum Venetis fecerat, & ſocietatem junxerat, certis quibuſdam conditionibus interpoſitis, & utrinque approbatis. Ac gravis erat & moleſtus Epiſcopo Catharenſi; quippe in locis, quæ Deſpotali quidem dominationi ſuberant, ſed ad diœceſim Catharenſem pertinebant, illi obſtabat, ne quæ ſunt eccleſiaſticæ juriſdictionis, munia uſurparet ac perageret. Quamobrem Catharenſes ab Duce & Senatu per ſuos oratores poſtularunt, ut vel per litteras, vel per eos Legatos, quos Georgius Venetias propediem miſſurus eſſe dicebatur, Deſpotam etiam atque etiam admoneret, ut in locis ſibi ſubjectis plenam Epiſcopo permitteret, liberamque poteſtatem agendi omnia, & vetandi, & jubendi, quæ jus & officium epiſcopale requirebat. Franciſcus Foſcarus Dux Venetiarum ad poſtulata Catharenſium hoc reſponſum reddendum dedit Stephano Quirino Comiti, ſeu Prætori civitatis. *Franciſcus Foſcari Dei gratia Dux Venet. Nobilibus, & ſapientibus viris Stephano Quirino de ſuo mandato Comiti Cathari, & ſucceſſoribus ſuis fidelibus dilectis ſalutem & dilectionis affectum. Per Oratores fidelis noſtræ Communitatis Cathari fuerunt Domino noſtro porrecta infraſcripta Capitula, quibus cum noſtris Conſilii Rogatorum & Additionis fecimus reſponſiones, prout inferius videbitur &c.* (Omiſſis reſponſis ad alia Capitula, quæ ad rem eccleſiaſticam non pertinent.) *Ad XIII. reſpondeatur, quod in complacentiam ipſius fidelis Civitatis, ſi Dominus Deſpota mittet ambaſciatores ad noſtram præſentiam, eis dicemus & inſtabimus, quod ipſe Dominus Deſpotus in obſervationem pacis inter nos, & ipſum celebratæ, permittat ipſum Dominum Epiſcopum habere ſuas juriſdictiones, & jura in territoriis ſuis, & illis pacifice gaudere; & ſimiliter mandabimus Capitaneo noſtro ituro ad partes Albaniæ, ut procurare & ſollicitare debeat &c.*

Dat, in Ducali Palatio die IV. *menſ. Maji Ind.* II. 1424.

Georgius Deſpota Raſciæ Epiſcopo Catharenſi gravis & moleſtus.

Jus antiquum cudendæ & ſignandæ monetæ Catharenſibus confirmatum.

Anno ſuperiori cum alia Civitati perutilia, & honorifica, tum illud poſtulaverant, atque impetraverant, jus antiquum cudendæ monetæ ſibi confirmaretur: *Anno 1423. Venetiis. Vadit pars, quod reſpondeatur ad ſecundum poſtulatum, quod pro commodo & utilitate illius Civitatis, & omnium civium illius ſumus contenti, & placet nobis, quod in Catharo cudatur moneta juxta ſuas conſuetudines, in qua moneta ſit figura S. Tryphonis ab una parte, & alia, ubi erat effigies Imperatoris, ſit effigies S. Marci Evangeliſtæ in ſolio; ſed ut pro honeſtate noſtri Dominii falſificatio monetæ non fiat, volumus quod Comes, qui ibi eſt, & alii, qui erunt pro tempore, cum Conſilio illorum Nobilium Catharinorum, eligere debeant aliquos notabiles Nobiles, & bonos viros, qui ſuper hujuſmodi moneta cudenda debeant providere, ſuper ſtampa, ſuper liga, & ſuper pondere ejus; ſuper moneta autem raminis, vocata Follari, dictus Rector cum prædictis provideat ſuper ſtampa, liga & pondere, ſicut dicto Rectori cum Conſilio Nobilium videbitur.* Flaminius Cornelius decem nummos Catharenſes in ſuis Commentariis *de eccleſiaſtico, & civili ſtatu* Cathari exhibuit, alios æreos, alios argenteos, quibus inſculpta eſt effigies vel inſigne S. Marci, & imago S. Tryphonis.

Franciſcus Epiſcopatum Catharenſem, anno fere tertio quam ſuſceperat, cum Argolicenſi commutavit.

SECUNDUS EPISC. CATHAREN. XXXIV.

Secundus Nanius ex Argolicenſi Ep. Catharen.

Patritius Venetus ex antiqua & perilluſtri gente Nania, qui Eccleſiam Argolicenſem in Peloponneſo regebat. Inter hunc & Franciſcum ita convenit, ut quam uterque obtinebat Eccleſiam, alter alteri traderet, Conſtitutam ex pa-

Digitized by Google

pacto & conventu Ecclesiarum commutationem Martinus V. approbavit; & Franciscus quidem in Peloponnesum, Secundus vero in Dalmatiam ad eam, quam uterque ab altero acceperat, Ecclesiam gubernandam migravit. *Anno* 1425. ut est in Actis Consistorialibus, 2. *Idus Maji Franciscus Episcopus Catharensis ad Ecclesiam Argolicensem, & Secundus Episcopus Argolicensis translatus ad Catharensem, utroque consentiente.* Eodem anno Catharum venit ingenti omnium ordinum gratulatione & lætitia exceptus. Canonici Catharenses præclara quædam constituta fecerunt; primum suam certam cuique tum e Capitulo, tum ex inferiori Clero, ubi Sacerdotio initiatus esset, pensionem assignarunt, ea tamen lege & conditione fruendam, ut choro interesset, suisque in æde cathedrali officiis fungeretur; deinde decreverunt, ut si quis post Kalendas Martii decederet, ad eum omnes illius anni fructus, usque ad exitum mensis Septembris, percipiendi pertinerent; tum vetuerunt numerum duodecim Canonicorum augeri; præterea declararunt jus eligendi Archidiaconum, atque Archipresbyterum, cæterosque Canonicos penes Capitulum, confirmandi vero penes Episcopum esse; postremo si quis Canonicatum sine auctoritate Episcopi & consensu Capituli dimitteret, vel cum alio Sacerdotio commutaret, dimissionem, & commutationem irritam esse voluerunt. Tum quæ ab ipsis constituta actaque fuerant ut confirmaret, Episcopum suppliciter rogarunt, quod ille perlibenter fecit, cum hæc omnia post diligentem considerationem rationi & æquitati consentanea esse judicasset.

Constitutiones Capituli Catharensis

Secundus Episcopus confirmavit

Secundus Nanius Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Catharen. Universis & singulis præsentes institutiones, constitutionem, & consuetudinem antiquam inspecturis salutem in Domino sempiternam. Ad vestram omnium notitiam deduci volumus, qualiter coram nobis venerabiles Domini Canonici, & Capitulum Ecclesiæ Cathed. S. Tryphonis Catharen. diœc. personaliter constituti humiliter supplicarint, ac devote petierint, ut antiquam consuetudinem præfatæ Ecclesiæ Cathed. infrascriptam, conservatam usque in hodiernam diem, ac ipsarum Canonicorum institutionem per prædictos Canonicos ordinatam, numerumque 12. Canonicorum, nec non & electionem Canonicorum per Capitulum fiendam, prout juris ordo præcipit, confirmare, ac inviolabiliter observari facere in perpetuum, pro bono pacis, ac ipsorum Canonicorum, & Capituli conservatione dignaremur, quarum tenor talis est.

In Christi nomine Amen. Anno ejusdem Nativitatis 1427. *Indict.* 5. *die* 25. *mensis Aprilis, tempore Sanctissimi Domini nostri Domini Martini divina providentia Papæ V. ad futuram rei memoriam. Nos Nicolaus Mexe Archidiaconus, Michael Vuladivesche Archipresbyter, Presbyter Joannes Palme, Presb. Nicolaus quondam Tryphonis Marci Dragonii, Presb. Nicolaus Bucchia, Presb. Dominicus Clissani, Diaconus ..., quondam Domini Tryphonis Bucchia, Presb. Marinus de Pasqualibus, Presb. Michael Vrachien, Presb. Tryphon Pautini, Diaconus Hieronymus de Pasqualibus, Acolythus Joannes de Draconibus, & Clericus Petrus Bucchia, Canonici S. Tryphonis, & Cathed. Ecclesiæ Catharen. ad sonum campanæ congregati in prædicta Ecclesia, ut moris est, unanimiter & concorditer, & nemine inter nos discrepante, pro salubri statu, honore, & commodo præfatæ Ecclesiæ nostræ; considerantes ut cultus pacis & justitiæ vigeat inter nos, et ut curam solitam gerere teneamur, ad ipsam Ecclesiam libenter dirigimus aciem mentis nostræ, desideriis intensis optantes, ut status ipsius sic salubriter, & utiliter dirigatur, & conservetur pacifice, quod Canonici, & clerici ipsius Ecclesiæ in fide & devotione persistentes, in tabernaculo fiduciæ sedeant, & in requie opulenta quiescant, considerare volentes hactenus inter nos, de novo pervenientibus ad sacros Ordines, tam in Ordine Subdiaconatus, quam Diaconatus, quam etiam Presbyteratus, quia nulla erat eis certa portio in suis Ordinibus affirmata, ob hoc multoties varias ac diversas & illicitas contentiones faciebant, nos vero volentes obviare scandalo, et variis dissensionibus, & ut pace & concordia perpetua perfruantur, antiquam consuetudinem prælibatæ Ecclesiæ confirmantes, has constitutiones & institutiones irrefragabiles inter nos duximus statuendas, perpetuis temporibus duraturas, sub certis pœnis inferius annotatis; videlicet ex nunc quicumque fuerit canonice assumptus in Canonicum inter nos, & in numero* 12. *congregatus, & de cætero de tempore futuro nullam partem habeat, nisi prius promoveatur ad Ordinem Sacrum; & promotus ad dictum Ordinem habeat pro parte & in parte, pro præbenda sui Canonicatus, perperos duodecim, assignatos per Canonicos, & exinde si aliquid eveniet, in parte volumus participare, sicut & cæteri Canonici, & aliter non, pro qua parte, seu præbenda assignata eidem, ex tunc ipse Canonicus incipiat residere in Ecclesia antedicta, videlicet celebrare debeat, & servire in omnibus, sicut cæteri Canonici residentes in divinis officiis. Et quia rationabile est, & æquitati consonum, ut ecclesiasticis stipendiis substententur clerici, & Capellani, maxime qui laborant in verbo & doctrina, idcirco non immerito etiam duximus statuendum, ut quicumque fuerit de Capellanis, sive clericis nostræ Ecclesiæ præsentatus per nos, aut successores nostros, qui pro tempore erunt, ad supradictos Ordines, volumus quod quilibet Capellanus, dum erit in Ordine sacerdotali, habeat perperos* 25. *& non ultra, & ipsi in Divinis teneantur devote & reverenter in prædicta Ecclesia suum officium exercere; ut qui consolationum consortium appetunt, & passionum participium non recusent; de prædictis vero Capellanis volumus, quod sint in numero nunc, & in futuro quatuor, qui eligi semper debeant a Canonicis prædictis; si debitum suum in divinis officiis non fecerint in prædicta Ecclesia, præsentes & futuri Canonici ejusdem Ecclesiæ supradictæ eos cassare possint; eligere autem & cassare supradictos sit semper in voluntate & libertate Canonicorum præfatæ Ecclesiæ. Item volumus etiam, ut quicumque ex nunc de nostris Canonicis diem clauderet extremam, partem suam, idest introitus & reditus, proventus & fructus ipsius anni sit in potestate & voluntate sua per totum mensem Septembrem, si ipse decederit post Kalendas Martii; & si ante supradictum terminum diem clauderet, habeat illud, quod contingit sibi usque ad supradictum terminum, si qua debita forent, & ultra nihil percipiat; & quia multoties ex hoc scandala inter Canonicos evenerunt, hoc idem volumus servari in Capellanis. Item volumus & ordinamus ac affirmamus numerum* 12. *Canonicorum, quod in Ecclesia prædicta non eligantur plusquam duo-*

decim, nec assumantur; & cum bis retroactis temporibus duo ultra numerum duodenarium antedictum creati fuerint in Canonicos, idcirco volumus quod si aliquis de prædictis Canonicis decederet, nullus eligatur, nec assumatur in Canonicum; sed numerus 12. remaneat & conservetur secundum antiquam consuetudinem conservatam in Ecclesia antedicta; in quo quidem numero dicimus esse Canonicorum Archidiaconum, & Archipresbyterum, qui duo cum aliis decem faciunt numerum duodenarium. Item volumus & ordinamus, quod omnes electi per Capitulum Canonicorum in Archidiaconum, in Archipresbyterum, as in Canonicum nostræ Ecclesiæ Cathedralis, & per confirmationem Domini Episcopi Catharen. sortiantur effectum; aliter vero electus vel creatus in Canonicum, non per viam electionis Canonicorum, locum inter Canonicos non habeat, nec pro Canonico reputetur, & incurrat pœnam inferius annotatam. Item volumus & ordinamus, quod si aliquis de nostris Canonicis vellet facere permutationem cum aliquo, vel renunciationem, non possit absque licentia Domini Episcopi Catharen. & consensu Canonicorum; & si vellet permutare vel renunciare, quod non possit nisi in manibus supradictorum; alioquin incurrat in pœnam, quæ inferius continetur; & cum in omnibus Ordinibus seu statutis ordinatis pro tempore, si transgressoribus imposita non fuisset certa pœna, quod multa maturitate digestum fuerat & tractatum, uno solo verbo destrui potuisset; ideo volumus quod quicumque fuerit supradictorum transgressor, incurrat in pœnam privationis omnium suorum beneficiorum, ac excommunicationis; & nihilominus non sortiatur effectum suum.

Unde nos Secundus Episcopus antedictus gratiose suscipientes præscriptam supplicationem, eamque nobis humiliter ac devote porrectam, nec non ipsam institutionem, constitutionem, & antiquam consuetudinem, tamquam justam, honestam, rationabilem duximus ratificandam, confirmandam, & inviolabiliter in perpetuum observandam esse, prout superius ad litteram notatur. Si quis autem contra ipsam institutionem, constitutionem, & antiquam consuetudinem quidquam attentare præsumpserit, tamquam a via veritatis, & justitiæ transgressor, ultra supra notatam pœnam, Omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli indignationem, ac nostram maledictionem se noverit incursurum; & hæc omnia celebrata fuerunt de consensu & voluntate omnium supradictorum Dominorum Canonicorum. In quorum omnium & singulorum fidem, certitudinem, & evidentiam clariorem præsens privilegium prædictæ institutionis, constitutionis, & consuetudinis per Secretarium, & publicum Cancellarium nostrum in hanc formam publicam redigi fecimus, & nostri majoris Pontificalis, solitique sigilli jussimus appensione muniri. Datum in Aula nostra Episcopalis palatii, præsentibus Nobilibus viris Domino Paulo de Bucchia, Domino Nicolao de Passera, & Domino Dracone qu. Marci de Draconibus, & compluribus aliis; ac etiam ad omnium & singulorum subscriptorum ampliorem fidem, consueti totius Capituli Cathed. Ecclesiæ S. Tryphonis, solitique sigilli supra nominati Canonici duxerunt appensione muniri.

Secundus Ecclesiam Catharensem annos fere quatuor sapienter pieque administravit; extinctus est anno 1429. vel superiori.

MARINUS EPISC. CATHAREN. XXXV.

Marinus Contarenus Ep. Catharen. quo suasore plura decreta fecerunt Catharenses.

Venetiis natus e gente Contarena, inter patritias Venetas familias æque vetustissima ac nobilissima, quæ plures Duces, & viros innumerabiles omnium virtutum ac laudum genere clarissimos patriæ dedit. Hunc Martinus V. Episcopum creavit, & Ecclesiæ Catharensi præfecit: 11. *Id. Junii anno 1429. provisum est Ecclesiæ Catharensi vacanti per obitum D. Secundi ultimi Episcopi, de persona Marini Contareno.* Vicarium generalem sibi constituit Joannem Baltasichium, qui pro potestate sibi ab Episcopo tradita, Michaelem Vrachien Canonicum ædis Cathedralis ædi suburbanæ Sanctæ Trinitatis Rectorem præposuit, ut constat ex Tabulis confectis anno 1431. 3. Kal. Julii. Ecclesiæ hujus administrationi susceptæ, ad cultum divinum augendum, & patrimonia Ecclesiarum sarta tecta ab omni detrimento conservanda omni studio curaque incubuit; eoque suasore & auctore plura decreta, quæ huc pertinent, Catharenses fecerunt. In his cum religio & pietas Catharensium maxime eluceat, digna esse censui, quæ huic loco intexerem.

Quod Procuratores Ecclesiarum teneantur sub certa pœna suo tempore expedire illas fabricas Ecclesiarum, quæ fuerint per Regimen ordinata construi, & reparari. Cap. II.

De sartis tectis ædium sacrarum tuendis.

MCCCCXXXI. Indict. nona, die ultimo Februarii, in minori & secreto Consilio civitatis Cathari ad bussulos, & balottas capta fuit pars infrascripti tenoris, videlicet: Cum multoties propter inertiam Procuratorum Ecclesiarum & Monasteriorum, jura Ecclesiæ pereant, & Ecclesiæ non fabricentur, ut decent, nec fulciantur calicibus, libris, paramentis, & aliis necessariis secundum conditionem, & valorem introitunm Ecclesiarum, in damnum & præjudicium animarum, partem habentium in ipsis Ecclesiis ex officiis divinis, quæ celebrantur in eis, vel debent continuo celebrari, & dedecus civitatis Cathari, & omnibus Nobilibus, & civibus ipsius, & in damnum non modicum ipsarum Ecclesiarum, quæ carentia fabricæ in ruinam procedunt; vadit pars, quod de cætero omnes Procuratores Ecclesiarum & Monasteriorum civitatis Cathari, & sui districtus, præsentes, & qui de cætero per Consilia Cathari creabuntur, teneantur & debeant sub pœna yperperorum viginti quinque pro quolibet, & qualibet vice, qua fuerit contrafactum, solvendorum Camera Dominationis, ponere, & facere poni in fabrica, reparatione & fulcimento illarum Ecclesiarum, quarum erunt Procuratores, omne & totum id, quod per Regimen Cathari, & ejus Consilium de tempore in tempore fuerit statutum, & ordinatum, antequam exeant suum officium procurationis. De qua pœna contrafacientibus non possit fieri donum, gratia, remissio, recompensatio, commutatio, nec termini elongatio, nisi per tres partes minoris secreti, ac majoris Consilii civitatis Cathari.

Quod conficiantur inventaria bonorum omnium, & possessionum omnium Ecclesiarum & Monasteriorum civitatis Cathari, & sui districtus. Cap. III.

De catalogo conficiendo bonorum Ecclesiarum.

MCCCCXXXI. Indict. nona, die quinto Martii in minori & secreto Consilio civitatis Cathari, per magnificum & generosum virum D. Nicolaum Pisani honorandum Comitem & Capitaneum Cathari, posita fuit pars infrascripti tenoris, vi-

videlicet: Cum jura Ecclesiarum civitatis & districtus Cathari per ignorantiam & negligentiam Rectorum, & Procuratorum ipsarum pereant, & dietim ad nihilum revertantur, propter inordinationem, & defectum scripturarum non reperiri valentium, possessionum, domorum, & aliorum bonorum mobilium, & immobilium ipsarum, ob quam causam possessiones Ecclesiarum alienantur, & disperduntur dietim; vadit pars, quod omnes Procuratores Ecclesiarum, & Monasteriorum Cathari, & districtus ejus, una cum Plebanis, Abbatibus, Rectoribus Ecclesiarum & Monasteriorum, quorum, & quarum sunt Procuratores, Abbates, Plebani, & Rectores, incipiendo ab Episcopatu Cathari, & Ecclesia S. Tryphonis, & sic successive ab Ecclesia ad Ecclesiam, usque ad complementum omnium Ecclesiarum, & Monasteriorum civitatis Cathari, & sui districtus, teneantur, & debeant sub pœna yperperorum viginti quinque pro quolibet Procuratore, Abbate, Plebano, vel Rectore Ecclesiæ, applicanda pro medietate Cameræ Dominat. & pro alia medietate pro reparatione illius Monasterii, vel Ecclesiæ, cujus erunt Procuratores &c. contra facientes in suis propriis bonis, dedisse in scriptis Cancellario civitatis Cathari omnes possessiones, vineas, campos, ac domos ipsarum Ecclesiarum, vel Monasteriorum ipsis commissarum, & commissorum, cum suis juribus, confinibus, & pertinentiis, & reditibus earum, & omnia, & singula bona ipsarum Ecclesiarum, vel Monasteriorum, ut sunt calices, libri, paramenta, thuribula, & omnia alia ad Ecclesias sibi commissas spectantia, & pertinentia, ac debitores, & legata ipsarum Ecclesiarum, vel Monasteriorum, usque ad festum S. Georgii proxime venturi MCCCCXXXI. ad hoc ut de ipsis bonis mobilibus, & immobilibus ipsarum Ecclesiarum, seu Monasteriorum possit, imo debeat, & teneatur fieri catasticum & inventarium generale per Cancel. Communitatis; quod Catasticum cum completum fuerit, stare debeat in locum aliorum Catasticorum civitatis Cathari, ut ne jura Ecclesiarum pereant, & suæ possessiones, & bona indebite non alienentur; capta fuit pars per novem Consiliarios existentes in dicto Consilio; reducta fuit dicta pars ad majus Consilium Cathari, die 6. Martii 1431. & capta cum balottis 47. non obstantibus balottis quinque in contrarium positis.

Pro Missis perpetuis celebrandis super capsam Reliquiarum S. Tryphonis, & aliorum Sanctorum Dei.

De colendis Reliquiis S. Tryphonis, & aliorum Divorum tribus unaquaque hebdomada Sacrificiis.

MCCCCXXXI. Indict. nona, die Veneris, sexto Aprilis, in minori & secreto Consilio civitatis Cathari per eos, nemine discrepante, captæ fuerunt infrascriptæ partes tenoris infrascripti, videlicet: Cum omnes Nobiles, & cives Cathari ex debito teneantur honorare Reliquias Beatiss. Martyris S. Tryphonis, & aliorum Sanctorum existentium in capsa Reliquiarum sacristiæ S. Tryphonis; ut ipse Beatissimus Martyr, & alii Sancti, quorum Reliquiæ requiescunt ibidem, pro hac civitate, & statu pacifico ipsius dignentur Altissimo supplicare, ac pro conservatione felicissimi status Serenis. Duc. Dominii nostri Veneti, ut Nobiles & cives Cathari sub ejus umbra multiplicentur, & concrescant; vadit ideo pars, quod omnes Canonici Cathedralis Ecclesiæ Catharen. in qua dictæ Reliquiæ requiescunt, qui beneficiis ipsius Ecclesiæ funguntur, & gaudent, teneantur & debeant de cætero tenere unum Ca-

pellanum ad salarium eorum, qui celebret tres Missas singula hebdomada supra dictam capsam Reliquiarum, eligendum per minus & secretum Consilium civitatis Cathari. Qui Capellanus habere debeat pro suo salario yperperos quindecim in anno pro celebratione dictarum Missarum a dictis Canonicis, qui dictam provisionem, seu salarium solvant de suis introitibus, quos habent in dicta Ecclesia S. Tryphonis, secundum valorem introituum suorum pro rata, Reducta fuit hæc pars in majori Consilio die lunæ, 23. mensis Aprilis in 1431. & capta cum balottis 58. non obstantibus balottis quatuor in contrarium positis.

De provisione facta Ecclesiæ & Monasterio S. Georgii de Gulpho.

De procuratoribus duobus Monasterii & Templi S. Georgii.

MCCCCXXXI. Indict. nona, die ultimo Octobris in minori & secreto Consilio; in quo quidem Consilio fuerunt prafatus Magnificus Dominus Comes & Capitaneus Cathari, & sui ac civitatis Cathari egregii juriati Judices, videlicet D. Paulus Bucchia, D. Joannes quondam Domini Marini de Biste, & Dominus Basilius quondam Domini Marini de Besantiis, ac infrascripti Consiliarii dicti minoris & secreti Consilii, videlicet Dominus Georgius de Gimo, Dominus Tripicus de Jaco, de Pasqualibus, D. Dragoe de Bolizza, D. Natalinus de Chiasta, D. Petrus de Glavatis, & D. Matthæus quondam D. Michaelis de Bucchia, per eos ipsorum nemine discrepante capta fuit pars infrascripti tenoris, videlicet: Cum in 1423. Indict. prima die 13. Junii, tempore magnifici, & generosi viri D. Marci Barbadici olim hon. Provisoris, Comitis & Capitanei Cathari, capta fuerit in minori & secreto Consilio, & Consilio Rogatorum Cathari, quod quia bona & possessiones Monasterii S. Georgii de Gulpho Cathari alienabantur dietim, & Ecclesia & Monasterium ipsum horatim ad ruinam tendebant, eligerentur duo Procuratores ipsius Monasterii, qui procurarent recuperationem bonorum, & possessionum ipsius Monasterii alienatorum, & seq. Tarent omnia bona ipsius Monasterii, pro ipsius Monasterii, & Ecclesiæ reparatione, & fulcimento, reservando victum, & vestitum Abbati ipsius Monasterii, & duobus Presbyteris in eodem mansuris; & cum a dicto tempore citra non fuerit secundum dictam partem ipsi Monasterio, nec Ecclesiæ provisum, & pertendant totaliter ad ruinam, in maximum damnum ipsius Monasterii, & vituperium non modicum ipsius civitatis, & utile, imo necessarium sit dicto Monasterio providere, ideo in nomine altissimi Creatoris nostri, ejusque gloriosæ Matris Mariæ, & Beatiss. Evangelistæ S. Marci Protectoris illius almæ, & inclytæ civitatis Venet. sub umbra cujus regimur & gubernamur, ac Beatiss. Martyris S. Tryphonis protectoris, & vexilliferi hujus civitatis, nec non Beatiss. Martyris S. Georgii, cujus nomine dictum Monasterium est titulatum, ac omnium Sanctorum, & Sanctarum Dei, pro bonoque, & salute animarum requiescentium in dicto Monasterio, ac habentium partem in eo, & ut adimpleantur mandata Ducalia, quæ volunt omnino quod Ecclesiæ reparentur, ac ad honorem, & proficuum omnium Nobilium, & civium Cathari, qui pietate divina, & suffragiis dictorum Sanctorum, & Sanctarum omnium, cum felici statu hujus civit. possint regi & gubernari feliciter sub umbra prælibati nostri Serenis. Ducalis Dominii Venet. Va-

dit pars, quod Procuratores ipsius Monasterii præsentes de introitibus ipsius Monasterii recipiendis in festo Nativitatis Domini proximo venturo, intromittantur, & recipiantur yperperi centum grossorum de Catharo, quos tempore sui officii procurare debeant dispensari facere in fabrica, & reparatione dicti Monasterii S. Georgii, scilicet ipsius Ecclesiæ, quæ pluit in solario, & choro ipsius Ecclesiæ, devastatis in ripa maris gradibus lapideis, per quos in Monasterium intratur: quæ res nisi cito reparentur, cito ad ruinam festinabunt; sub pœna yperperorum 25. cuilibet Procuratorum, secundum partem de Procuratoribus captam, & sic successive de anno in annum per Procuratores ipsius Monasterii intromittantur, & accipiantur de introitibus ipsius Monasterii anno singulo yperperi 100. scilicet 50. in festo S. Joannis Baptistæ, & yperperi 50. in festo Nativitatis Domini, incipiendo hoc festo S. Joannis proximo venturo 1432. sub dicta pœna yperperorum 25. cuilibet dictorum Procuratorum contrafacientium de suis propriis bonis auferenda, quæ veniat in Commune. Qui Procuratores teneantur, & debeant tempore suæ Procurationis dispensare dictos yperperos 100. in fabrica, reparatione & fulcimento ipsius Monasterii Ecclesiæ S. Georgii necessariis, prout ipsis videbitur necessarium & opportunum, tenendo computum ordinatum de recepta pecunia, & ipsius dispensatione, & consignando rationes regimini Cathari tam de exactis, quam de dispensatis, sub dicta pœna yperperorum 25. pro quolibet; & quod ultra dictam pœnam yperperorum 25. si dicti Procuratores præsentes & futuri non exegerint dictos yperperos 100. in terminis suprascriptis, & tempore suæ procurationis, sint privati omnibus Consiliis Cathari uno anno, scilicet ille, vel illi, qui fuerint in defectu; & quod D. Abbas ipsius Monasterii infra spatium unius mensis teneatur, & debeat suis salario & expensis providere dicto Monasterio de uno Presbytero sufficienti ad baptizandum, celebrandas Missas, confitendum, communicandum & alia divina officia celebrandum, custodiendum, & bene tenendum dictam Ecclesiam & Monasterium; alioquin per regimen Cathari provideatur de dicto Presbytero ad expensas & salarium Monasterii supradicti; & sic successive Abbates ipsius Monasterii sui successores ad salarium & expensas introituum ipsius Monasterii teneantur, & debeant tenere in dicto Monasterio unum Presbyterum sufficientem, ut supra; alioquin per regimen Cathari, quod pro tempore fuerit, provideatur; quæ quidem pars duret in perpetuum; & si quis ex Consiliariis Cathari præsumet in aliquo Consiliorum Cathari dicere, arrengare, ponere partem, vel balottam contra hanc partem, quod in aliquo revocetur, vel annulletur, illico solvat Cameræ Serenis. Ducalis Dom. Ven. in Catharo ducatos centum auri; de qua pœna ipsis contrafacientibus non possit fieri gratia, donum, remissio, recompensatio, termini elongatio, nec aliqua declaratio, nisi per Dominum Comitem Cathari, tres Judices, sex Consiliarios minoris & secreti Consilii civitatis Cathari, totum Consilium Rogatorum, totum majus & generale Consilium civitatis supradictæ, qui, & quæ pro tempore erunt. Reducta fuit dicta pars ad majus Consilium Cathari die primo Novembris 1431. & capta cum balottis 60. non obstantibus balottis duabus positis contra partem.

Onus alendi presbyteri, qui divinis officiis fungatur, Cœnobiarchæ S. Georgii impositum.

Anno 1434. diploma Eugenii IV. Marinus accepit dat. Bononiæ IV. Non. Julii, ut Thomæ Palquali Presbytero Ragusino quoddam S. Tryphonis sacerdotium traderet; at ille rem Archiepiscopo Ragusino commendavit: cum vero Archiepiscopus anno 1438. aliud Eugenii diploma accepisset dat. 7. Id. Julii, quo Tryphonem de Lampsio Bolizzam in locum Thomæ surrogaret, is Marino negotium conficiendum permisit. Eugenii IV. diplomata.

Interea nihilo segnior cura ab illo impensa est ad cultum dierum festorum sanciendum; & ex Laurentii Victurii Provisoris Catharensis, ac publici Consilii auctoritate confectus est catalogus illorum dierum, quas singulis mensibus ab omnibus celebrari colique, & a quibusque operibus tam forensibus, quam servilibus feriatos esse oporteret: *MCCCCXXXV. Indictione XIII. die primo mensis Januarii solemnitates fiendæ in civitate Cathari secundum consuetudinem dictæ civitatis &c.* Præter communes universæ Ecclesiæ, sunt hæ Catharensium propriæ: 17. Jan. *Sanctus Antonius*. 3. Februarii *Sanctus Tryphon, & Sanctus Blasius*. 12. Martii *Sanctus Gregorius Papa & Doctor Ecclesiæ*. 11. Junii *Sanctus Barnabas Apostolus*. 28. Augusti *Sanctus Augustinus Episcopus, & Doctor Ecclesiæ*. 30. Septembris *Sanctus Hieronymus Doctor Ecclesiæ*. 18. Octobr. *Sanctus Lucas Evangelista*. 11. Novembris *Sanctus Martinus Episcopus*. 6. Decembris *Sanctus Nicolaus Episcopus*. 7. Decemb. *S. Ambrosius Episcopus & Doctor Ecclesiæ*. Huic Decreto suam auctoritatem tum Marinus Contarenus Episcopus, tum Paullus Contarenus Prætor idem & Præfectus Cathari adjunxit, & dierum illorum sanctitatem qui violarent, iis alter pœnam anathematis, alter multam pecuniariam inflixit: *Die XII. Decemb. 1436. R. D. Episcopus D. Marinus Contareno indixit pœnam excommunicationis omnibus civibus, & habitatoribus Cathari laborantibus, ementibus, & vendentibus in dictis festivitatibus; & Magnificus vir D. Paulus Contareno pro Serenis. Ducali Dom. Venet. honorabilis Comes & Capit. Cathari imposuit pœnam unius yperperi, & perdendi totum quod emeretur, & venderetur in dictis solemnitatibus per cives, & habitatores dictæ civitatis, dividenda pro medietate Cameræ Dominationis, & pro alia medietate accusatori, excepto pane, vino, carnibus, piscibus, oleribus, & aliis necessariis ad victum quotidianum; & de hoc poni fecerunt Tabulam harum festivitatum super portas Ecclesiæ S. Trypbonis, & mandaverunt in vigiliis ipsarum festivitatum pulsari campanas duplas in Ecclesia S. Trypbonis ad notitiam singulorum.* Cum an. 1437. Marinus mandatum ab Eugenio IV. accepisset, ut possessionem sacerdotii Monasterii Peklinensis in insula Jupana traderet commendatario titulo filio Priscojes Radichievichii civis Ragusini, ægre & vix Pontificiæ jussioni parere potuit, contra nitentibus Ragusinis, & Tudisia familia, quæ juspatronatus sibi in Monasterium illud vindicabat; qui tamen XIV. Kal. Decemb. ejusdem anni Episcopo liberam mandati exsequendi facultatem tribuerunt, dummodo ne quidquam id obesset patronorum juri, & forensi judicio, quo de jure familiæ Tudisiæ in Peklinense Cœnobium Romæ decerni volebant. Dies festi Cathari colendi.

Vincentius Maria Dabichius auctor est Marinum anno 1439. interfuisse Concilio Florentino, & vix alium fuisse, qui contra Basileenses schismaticos ab Eugenio IV. fidentius steterit Marinus interfuit Concilio Florentino.

Digitized by Google

sit ac generosius. Abest quidem ejus nomen a subscriptionibus Episcoporum Decreto Eugeniano *Unionis: Lætentur Cœli &c.* sed animadvertenda est nota post ipsas subscriptiones apposita: *Nemo autem mirari debet, cur plures Patrum subscriptiones non sint; nam ultima sessione celebrata, multi, priusquam hujusmodi subscriptio fieret, discessserunt.* Antequam ad Concilium proficisceretur, Vicarium, quem vocant Foraneum, majori, quam hisce Vicariis concedi solet, potestate auctum præfecit Ecclesiis diœcesis Catharensis, quæ sub dominatu erant Georgii Despotæ seu Domini Rasciæ. Simulque ad ipsum Despotam suum internuncium misit, qui ab eo peteret, ut Catholici ritus latini Ecclesias ab Rascianis ereptas restitui juberet; atque Episcopo ejusque Vicariis jurisdictionis ecclesiasticæ usurpandæ exercendæque, in locis ejus imperio subjectis, plenam liberamque potestatem permitteret; & anno 1436. ad Suaciensem Cathedram electus a Pontifice, Episcopatum illum adire recusavit.

Tryphonius Abbas S. Georgii ab Duce Venetorum litteras ad Prætorem Cathari impetravit pro recuperandis bonis Monasterii.

Tryphonius Cœnobiarcha S. Georgii auctoritatem opemque Ducis ac Senatus imploravit ad recuperanda prædia & bona Monasterii ac Templi Georgiani, aut per incuriam amissa, aut per fraudem & malitiam interversa. Dux Albano Sagredo Comiti, seu Prætori Catharensi decretum Senatus misit, suis litteris inclusum, quo bonis Ecclesiarum cavetur; eique imperavit, ut favorem & auxilium Tryphonio præberet.

Franciscus Foscari Dux Venet. &c. Nobilibus & sapientibus viris Albano Sagredo de suo mandato Comiti Cathari, & successoribus suis fidelibus, dilectis salutem & dilectionis affectum. Ven. Dominus Abbas Tryphonius, Abbas S. Georgii de extra Catharum, nobis fecit supplicari, ut cum per prædecessorem suum, vel alios suos attinentes alienata fuerint multa territoria & bona stabilia Abbatiæ suæ, dignaremur ei dare favorem ad recuperationem dictorum bonorum; quare cum bona Ecclesiæ per leges nostras vendi, vel alienari nequeant, deliberavimus quamdam Partem super hac materia captam in nostro Consilio Rogatorum & Additionis MCCCCXII. die XXVII. Octobris, vobis mittere præsentibus introclusam, mandantes vobis, ut ipsam partem exequi, & observare faciatis, faciendo eam registrari in Actis Cancellariæ nostræ ad futurorum memoriam, & ipsum D. Tryphonium pro his, quæ justitia suadet, suscipiatis recommissum.

Dat. in nostro Ducali Palatio die XI. men. Jan. Indict. III. MCCCCXXXIX.

Idem Dux Foscarus ab injuriis Catharensium prohibuit domos 155. & agros oppidi, & territorii Perastini, qui ad Templum & Monasterium S. Georgii pertinebant, suis ad eumdem Albanum Sagredum litteris datis an. eodem 1439. IV. Non. Januarii: *Pro parte fidelium nostrorum hominum villæ de Perasto districtus Catharen. nobis expositum est, quod in ipsa villa sunt domus 155. suppositæ Ecclesiæ S. Georgii, & de introitibus suis solvant datia debita nostro Dominio, & in aliis servitiis, & opportunitatibus occurrentibus se exercuerunt pro honore & statu nostro; quodque illi nostri Cives Catharenses incidere, seu incidi facere volunt vineas suas, ac prohibeant, ne de cætero alias vineas plantare possint, quod si fieret &c.* Celebre fuit apud Catharenses hoc S. Georgii Monasterium, pro quo plures latæ fuerunt leges in Catharensi Consilio; sed cum hujus bona, & redditus alienarentur *dietim, & Monasterium ipsum horatim ad ruinam tenderet*, multo antea Consilium Cathari decreverat *die ultimo Octobris anni MCCCCXXXI. ut de introitibus Monasterii Procuratores ipsius pecunias insumerent in fabrica & reparatione Ecclesiæ, & chori, & fulcimento Monasterii, prout ipsis videretur opportunum.*

Marinus Episcopus Venetias missus ad pacem & amicitiam jungendam inter Venetos, & Ducem Montis nigri.

Zentam superiorem, quæ ab Zenta inferiori, Labeatide palude intermedia, disjungitur, Georgio Despotæ Rasciæ adempta obtinebat Stephanus Cernovichius Dux Montis nigri, & Voivodæ titulo insignitus. Hic pacis cum Venetis faciendæ, jungendæque amicitiæ cupidus, conciliatores adhibuit Prætorem & Commune Catharensium, qui pacis & societatis petendæ oratores miserunt Venetias, Marinum Contarenum Episcopum, & Lucam de Pasqualibus. Dux & Senatus pacem Stephano dedit, & cum eo amicitiam instituit in eas ipsas leges, quas Legati attulerunt, & Senatus approbavit. In his autem diserte additum est, ut Stephanus injuriam, molestiamque omnem a Catharensibus abstineret, neve de illorum territorio quidquam decerperet. *Franciscus Foscari &c. Universis & singulis denotamus, quod venientes ad nostram præsentiam Rever. in Christo Pater Marinus Episcopus Catharen. & prudens vir Lucas qu. Jacobi de Pasqualibus, Oratores ipsius fidelis. Communitatis nostræ, ut patet per credentiales litteras Comitis nostri, & illius Com., nobis portaverunt nonnulla Capitula, cum quibus Magnificus D. Stephanus Zernovich Voivoda contentatur nobiscum ad pacem, & amicitiam devenire &c.*

His temporibus, cum F. Nicolaus ex familia Franciscana severioris disciplinæ, vir eximiæ sanctitatis, & doctrinæ, Cathari conciones ferventissimas haberet, spiritus Apostolici plenas, ac præsertim vehementi oratione in eos inveheretur, qui dies festos, ac præsertim sacrosanctam diem Dominicam laboriosis operibus, divinoque cultui repugnantibus profanarent, ingens motus extitit totius civitatis, divinæ ultionis violatoribus sacrorum dierum impendentis metu ac terrore magno perculsæ. Concionibus Patris Nicolai, plenis objurgationum ac minarum, pondus vel maximum adjecit auctoritas & cohortatio Marini Episcopi, qui ab omni dierum festorum violatione verbis editisque gravissimis populum deterruit. Itaque de communi utriusque minoris, & majoris Consilii sententia decretum est, ut nundinæ, quæ singulis diebus Dominicis celebrari solebant, in diem proximum antecedentem transferantur; & nisi siqua necessitas urgeat, tum Dominico, tum aliis festis diebus omni commercio, omnique actione tam servili, quam forensi interdictum est.

Pars pro Die Dominico, & aliis solemnitatibus observandis. Cap. III.

Decretum Catharense de die Dominico, & aliis festis diebus colendis.

Millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio, Indictione sexta, die Jovis, vigesimo primo mensis Martii, in minori & secreto Consilio civitatis congregato in palatio magnifici D. Comitis, in quo Consilio fuerunt magnificus & generosus D. Leonardus Bembo pro Serenis. Duc. Dominio Venet. honorandus Comes & Capitaneus Cathari, D. Lucas de Jaco Judex, & infrascripti Consiliarii dicti min. & sec. Consilii, videlicet D. Zonchus de Mexa, D. Bucchins de Bucchis,

chia, D. Nixa quondam D. Ludovici de Bolizza, & D. Marinus quondam D. Nalis de Grubogna, absentibus D. Joanne quondam D. Marini de Biste, & D. Laurentio de Bucchia, ambobus Judicibus propter infirmitatem, & D. Georgio de Gimo, & D. Ludovico de Drago ambobus Consiliariis propter suas occupationes; per eos, nemine discrepante, capta fuit pars infrascripti tenoris, videlicet: Cum coram prædicto Magnifico D. Comite & Capitaneo Cathari pluries comparuerunt plures Nobiles, & alii boni Cives Cathari exponentes, quod cum in Catharo consuetum fuerit die Dominico fieri mercatum, & reddi jus Comitativis, in quo die Dominico mercatores, & stationarii tenent stationes apertas, & emunt, & vendunt, & mensurant pannos, & telas, & alias merces, & ponderant omnes mercationes in modum, quod dies Dominicus, & solemnitates Sanctorum convertuntur in dies laboratores, pro eo quod omnes expectant diem Dominicum, ut ipsa die emant, vendant, ponderent, & mensurent; & audito Vener. & religioso viro F. Nicolao de Jadra Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, solemni Prædicatore ad præsens in Catharo, hac Quadragesima præsenti instantissimè prædicante, quam magnum est peccatum in die Dominico laborare, qui solemniter celebrari debet ad honorem Majestatis Divinæ, & Domini nostri Jesu Christi; & auditis infinitis miraculis, & judiciis divinis, quæ supervenerunt illis, qui diem Dominicum, ut decet, in reverentia non habuerunt; & auditis prædicationibus super hoc factis per dictum Ven. Fratrem prædicantem, & docentem quanta bona sequuntur bonorantes Deum, & suas solemnitates, & quantum damnum & dedecus superveniat contravenientibus mandatis Domini, & maxime non custodiendo diem Dominicum, & solemnitates Sanctorum, prout faciunt cives Cathari in præsenti; quapropter dicti Nobiles, & cives Cathari cognoscentes culpas eorum, & ad contritionem deducti, ut boni Christiani, supplicaverunt prædicto Magnifico D. Comiti, & Capitaneo Cathari, ut dignaretur jura non reddere die Dominico civibus comitativis, nec forensibus, & jus ordinarium, quod die Dominico reddebatur in Catharo, transmutare in alium diem, & transmutare tale mercatum, quod consuetum est fieri die Dominico, ut aliquis non laboret, & non negotietur in Dominico die; nam si aliæ solemnitates Sanctorum celebrantur, a fortiori dies Dominica est celebranda, quæ est festivitas Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, ut quicumque bonus Christianus possit vacare Missis, & aliis officiis divinis; rogabant tamen instanter præfatum Magnificum Dominum Comitem & Capitaneum Cathari, quod in hoc respectum haberet, quod cum hactenus fuerit consuetum operari in die Dominico, ut est superius, dignaretur habere respectum in hoc principio, & non vetare res necessarias victui quotidiano, ad hoc, ut personæ ad hanc observationem solemnitatis Dominicæ melius reducantur, ut sunt ligna ab igne, quæ dietim conducuntur de locis non subditis huic Civitati, & cum barchis, & zopolis parvis. Item carnes ad macellum pro eo, quod non sunt beccarii firmi, sed unus occidit unum animal, alter aliud. Item quod possint emi pulli, ova, capreti, agni, vinum, & oleum ad minutum, fructus, olera, & alia victualia, quæ conducuntur in plateam ad vendendum de foris, quæ emi possint pro victu quotidiano, & non causa incapandi, vel revendendi. Item tempore vindemiarum, ne uvæ perdantur, si necessitas contigerit, laborare non sit vetitum; sed quod omnia alia ad mercimonia spectantia vetentur, ita quod die Dominico emi, nec vendi possint. Quibus omnibus auditis & intellectis, & primo expositione Reverendi in Christo Patris D. Marini Contareno Dei & Ap. Sed. gratia Episcopi dignissimi Catharensis, & prædicatione prædicti Venerab. Fratris Nicolai de Jadra, salutiferi Prædicatoris, qui super hac observatione diei Dominicæ multa notabilia exposuerunt, & requisitione Nobilium, & civium Cathari, petentium cum instantia, quod in hoc casu tales pœnæ ponantur, quod terrore pœnæ nullus audeat contrafacere prædictis. Ipse Magnificus Dominus Comes & Capitaneus Cathari valde consolatus remansit, & ipse licet cognosceret, quod id, quod fiebat in die Dominico, erat contra timorem Dei, & honorem mundi; tamen quia talem observantiam reperit in introitu sui regiminis per suos prædecessores servatam, sed cognoscens ad præsens huic consuetudini bene posse præsentialiter obviare, determinavit pro majore firmitudine, quod talis promissio in Consiliis Cathari confirmaretur, respectu bonæ voluntatis Nobilium, & Civium Cathari, se bona intentione moventium, ut præsenti bono negotio detur tale principium, quod hæc observantia servetur, & non revocetur, ut alias factum fuit; ideo vadit pars, quod de cætero, publicata præsenti parte prima die Dominica proxima secutura, super plateam S. Tryphonis secundum consuetudinem Civit. aliquis Nobilis, Civis, Comitativus, aut forensis in die Domin. non audeat tenere, nec teneri facere aliquam stationem, seu apothecam apertam, excepta apotheca Speciariæ pro medicinis necessariis solummodo vendendis, nec aliquis possit in tali die emere, vel vendere, nec onerare, & exonerare barchas, zopolos, aut navigia, excepto quod quilibet possit emere vinum & oleum ad minutum, panem, & ligna ab igne, carnes ad macellum, pullos, capretos, agnos, ova, fructus, olera, & alias res necessarias victui quotidiano, quæ ducentur per terram ad vendendum de foris in platea, & non pro incapando, conservando, aut revendendo; & si aliquis contrafaciet suprædictis, vel alicui prædictorum, cadat venditor pro qualibet vice ad pœnam yperperorum trium, & emptor ad pœnam yperperorum duorum, & plus ad arbitrium Comitis & Capitanei Cathari præsentis, & qui pro tempore erunt, & secundum inobedientiam commissam, vel committendam. Pro facto autem laboreriorum vindemiarum, hoc remaneat in conscientia & discretione civium, faciendi secundum necessitates temporis, & fortunæ, super se & animas suas. Item quod mercatum, quod fiebat in die Dominico, transferatur, & fiat in die Sabbathi, & dicto die reddatur jus ordinarium Comitativis; & quia Magnif. D. Comes et Capitaneus Cathari cum suo regimine erat solitus secundum statuta Cathari reddere rationem in die Sabbathi civibus et habitatoribus Cathari, transferatur dictum jus ad reddendum in die Veneris de mane; exequutio autem dictarum pœnarum et accusationum contrafacientium prædictis committatur militi D. Comitis et Capitanei Cathari et omnibus officialibus suis, et ejus regimini, et aliis quibuscumque personis ad inquirendum contrafacientes et eos accusandum, habendo medietatem pœnarum exactarum a contrafacientibus, et alia medietas sit Communis scilicet Cameræ nostræ

ſtræ Sereniſs. Dominationis. Reducta dicta parte ad majus & generale Conſilium civitatis Cathari, dicta die capta fuit cum balottis 55. non obſtantibus balotta nulla poſita in buſſulo de non, & tribus poſitis in buſſulo non ſincero.

MCCCCXLIII. Indict. ſexta die 22. Martii in minori Conſilio Cathari per omnes, nemine diſcrepante, captum fuit, quod pars de celebratione diei Dominicæ obſervetur, ut jacet, ſalvo quod illud verbum, quod dicit; & plus ad arbitrium D. Comitis & Capitanei Cathari præſentis, & qui pro tempore fuerit; *intelligatur & captum ſit, quod contrafacientes contenti in præſenti parte cadant ad pœnas in parte contentas, & perdant mercimonia in diebus Dominicis empta & vendita; quæ mercimonia empta & vendita ſint in libertate Domini Comitis præſentis & futurorum faciendi in dictis mercimoniis ut ſibi videbitur & placebit. Reducta dicta correctione partis ad Conſilium majus Cathari die 25. menſis Aprilis 1443. confirmata fuit cum balottis 73. de sì, non obſtante balotta una de non, & nulla poſita in buſſulo non ſincero.*

Marini Epiſc. judicium.

Eugenius IV. extremo ſui Pontificatus anno quinque cœnobia Cuſtodiæ Ragufienſis Franciſcanæ, ex quibus illud S. Nicolai extra muros Cathari, Vicario Fratrum Boſſinenſium ſubjecerat. Renuebant ſubeſſe Ragufini, quod dicerent, ſe inauditis, illud pontificium decretum fraude & dolo a Boſnenſibus ſurreptum fuiſſe. Res delata eſt ad Nicolaum V. qui Marino Epiſcopo Catharenſi per litteras imperavit, judicium utriſque reddat, cauſſam rite cognoſcat, ferat que ex æquo & bono ſententiam. Ille ſecundum Ragufinos judicavit. Itaque Pontifex Præfecturam ſupremam Ragufinæ Cuſtodiæ juriſdictione Vicarii Boſnenſis exemptam Vicario Generali Ciſmontano Ordinis Franciſcani, cui antea ſuberat, reſtituit.

Cum Presbyteri quidam labe ſchiſmatica infecti Catharenſem agrum circumirent magno cum detrimento Catholicæ Religionis, iidemque præterea in pago Vlaſtazio ſacris quibuſdam ædibus præeſſent, lucrum ſolummodo ex illarum redditibus ſibi procurantes, dum ſacrum miniſterium, & animarum ſalutem prorſus negligebant, a Veneto Senatu petierunt Catharenſes, ut malo utrique remedium vellet afferre: qua de re litteræ Franciſci Foſcari Venetiarum Ducis iiſdem redditæ ſunt hujuſmodi.

Litteræ Franciſci Foſcari de presbyteris Slavis & Eccleſiis pagi Vlaſtazii.

Franciſcus Foſcari Dei gratia Dux Venetiarum Nobilibus, & ſapientibus viris Joanni Nani de ſuo mandato Comiti Catharen., & ſucceſſoribus ſuis fidelibus ſalutem, & dilectionis affectum. Coram nobis comparentes ..... fidelis Communitatis noſtræ Catharen. præſentaverunt infraſcripta Capitula, ad quæ cum noſtro Collegio habente a Conſilio noſtro Rogatorum pleniſſimam libertatem circa hoc fecimus infraſcriptas reſponſiones, volentes, & mandantes vobis auctoritate ſupraſcripta, quatenus eas, in quantum ad nos attinet, obſervare, & obſervari facere inviolabiliter faciatis: facientes has noſtras literas in Cancellaria veſtra ad ſucceſſorum veſtrorum memoriam regiſtrare, & regiſtratas inde Communitati reſtitui faciatis. Tenor Capitulorum talis eſt.

Omiſſis aliis.

Item ſignificamus, in agro noſtro Presbyteros Slavos degere, & ſchiſmaticos. Petimus autem, ut Epiſcopum, & Comitem jubere velitis, quo, illis rejectis, Latinos Presbyteros in eorum locum ſufficiant: inde ſpes erit, fore, ut cum Divinæ gloriæ, & honoris veſtri incremento in communionem fidei noſtræ conveniant.

Reſpondeatur, quod circa rem iſtam ſcribimus Reverend. D. Epiſcopo, & etiam Rectori noſtro, ut per illos meliores modos, qui eis videantur, provideant mutare illos ſchiſmaticos, non tamen omnes una vice, ſed paulatim dextro modo, ne forte ob magnitudinem illorum ſchiſmaticorum aliquod inconveniens naſcatur.

Item ſignificamus in pago noſtro Vlaſtazio Eccleſias exiſtere a majoribus noſtris edificatas, modo tamen dirutas, quibus iidem Presbyteri præſunt, ſed illarum ſibi redditus procurantes, ſacra miniſteria negligunt, eorumque culpa incolæ abſque ſacramentorum ope miſerrime intereunt. Petimus igitur, ut Epiſcopum, & Comitem jubeatis, quo Eccleſiarum illarum domini Presbyteros duos eligant, & in bonorum poſſeſſionem conſtituant, qui Eccleſias illas adminiſtrent, ſacras functiones obeant, & incolas Sacramentis impertiant.

Reſpondeatur, quod ſcribemus Reverendiſſimo D. Epiſcopo & Comiti noſtro Catharenſi expoſitionem nobis factam de Eccleſiis prædictis, & mandabimus, ut quia intentionis noſtræ .... quod ... cultui diligens opera habeatur, provideant quod Eccleſiæ prædictæ non vadant ad deſolationem, ſed de entratis earum provideant Presbyteris, qui in ipſis cultui divino vacent, & faciant reſidentiam per modum, quod incolæ illi de Vlaſtaziis in miniſtris ſacris miniſterium non patiantur.

Dat. in noſtro Duc. Palatio die XI. Julii Indict. IX. 1446.

Anno 1447. die ſecunda Septembris Marinus *ad preces Capituli, necnon Abbatis & Monachorum ad gloriam Dei & honorem beatiſſimæ Deiparæ Mariæ & S. Georgii dedicavit Eccleſiam nunc vernacule dictam* lo Scoglio di S. Zorzi (Scopulus S. Georgii) *prope Peraſtum, ubi Sanctorum Abdon & Sennen, & Sanctorum Innocentium reliquiæ aſſervantur*; ut legitur in tabulis Eccleſiæ Catharenſis. Acta quædam Marini Epiſc.

Anno autem 1450. idem Epiſcopus Sacerdotium ſuburbanum Sanctiſſimæ Trinitatis per Commune Catharenſe collatum Matthæo Curulizze presbytero, ipſi Matthæo conceptis verbis jure traditum comprobavit.

Marinus Contareno Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Ep. Catharen. Univerſis & ſingulis hoc præſens noſtrum privilegium inſpecturis facimus manifeſtum, quod cum die Jovis 27. m. Auguſti præſentis comparuiſſet coram nobis ſedentibus in noſtro palatio Catharen. prudens vir Com. Catharenſis Cancellarius Joannes de Luxia &c. Nos itaque intellecta expoſitione &c. inveſtivimus de Capellania noſtra prædicta SS. Trinitatis ipſum Matthæum &c. Dat. die Jovis XXVII. Auguſti Indict. 13. MCCCCL.

Vetus erat conſuetudo arceſſendi Catharum Cœnobiarchæ S. Georgii, ut idibus Januariis ſollemni hujus diei feſto adeſſet in æde Cathedrali, quod unum ex anniverſariis præcipua S. Tryphonis veneratione colitur, ibique ſacra peragens pontificali ritu debitum ex antiqua conſuetudine certæ pecuniæ munus Epiſcopo offerret. Itaque an. 1453. Archipresbyter Capituli Catharenſis, & Vicarius generalis Epiſcopi Tryphonem Abbatem ad ſollemnia ſacra invitarunt hiſce litteris.

Mat-

Digitized by Google

Matthæus de Urachien Archipresbyter Catharensis & Presbyter Tryphon de Pron Canonicus in spiritualibus & temporalibus Vicarius Gener. Reverend. D. Episcopi Catharensis volentes observare consuetudinem Episcopalis Curiæ Catharensis vos Ven. Fratrem Tryphonem Ab. Monasterii S. Georgii de Gulpho Cathari tenore præsentium invitamus ad celebrandam Missam in Cathedrali Ecclesia S. Tryphonis dictæ civitatis die 13. men. Januarii præsentis, quo die sit prima festivitas ejusdem S. Tryphonis; monemusque reverentiam vestram, ut Episc. sedi Catharen. mittere vel portare debeatis denaria consueta. Ex Cataro die VIII. m. Januarii an. 1453.

Marinus, dum Catharensem Ecclesiam regebat, ad alios Venetæ ditionis Episcopatus expetitus fuerat pluries totius Senatus suffragiis, qui vel propiorem adesse virum optabat consilio & sapientia præditum, quam qui maxime, vel ampliorem dignitate eidem pro ipsius meritis eidem decerni. Hinc an. 1443. die 28. Septembris ad Tarvisinam Ecclesiam nominatus fuit; eodem mense anni insequentis ad Archiepiscopatum Cretensem honore & munere illustrem; tum ad Cenetensem Idibus Martiis anni 1445. mox ad Feltrensem anno 1447. die Aprilis 14. & ad Vicetinum die 10. Junii anni 1451. Anno tamen insequenti Vicetiæ degebat vicariam operam gerens pro Petro Barbo Cardinali & Episcopo Vicetino, ut ferunt tabulæ Cœnobii Mariani in monte Summano, & diœcesi Vicetina exstructi, quarum exemplum exhibet Sajanellus in Tomo II. Monum. histor. Congreg. B. Petri de Pisis. Illarum hoc est initium: *In Christi nomine, Amen. Anno ab ipsius Nativitate Millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo. Indictione quintadecima, die Mercurii vigesimoseptimo mensis Septembris. In Episcopali palatio super sala magna; præsentibus spectabili & clarissimo Legum Doctore Domino Matthæo de Bissariis cive Vicentino, Venerabili & eximio Decretorum Doctore Domino Nicola de Columbis Canonico Vicentino, Domino Presbytero de Pilla Mansionario Cathedralis Vincentiæ, & egregio viro Gaspare qu. Petri de Tomasino Notario & Cive Vincentino testibus ad hoc specialiter vocatis & rogatis; & coram Reverendissimo in Christo Patre & Domino Dom. Marino Contareno Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopo Catharensi, Reverendissimi in Christo Patris & Dom. Dom. Petri Barbo miseratione Divina sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ tit. S. Marci Presbyteri Card. Venetiarum Episcopi Vincentini &c.* Demum cum annos quatuor supra viginti suæ Ecclesiæ vigilantissime præfuisset, an. 1453. a Nicolao V. ad Ecclesiam Tarvisinam migrare, jussus fuit.

Marinus Episc. ad Ecclesiam Tarvis. transfertur.

BERNARDUS II. EPISCOPUS CATHARENSIS XXXVI.

Ex oppido Plebis Saccensis, quod nobile & frequens est in agro ac diœcesi Patavina, ut accepimus ex tabulis Cancell. Episcopatus Patavini, in quibus ad an. 1429. legitur ipsum ab Antistite Patavino creatum fuisse pridie Kal. Decembres Archipresbyterum principis Ecclesiæ oppidi ejusdem, quæ a D. Martino titulum habet; ipse vero nominatur Bernardus qu. Secundi e Plebe Saccensi. Lombardus in Chronologia Archiepisc. Barensium part. 2. ubi de Latino Archiepisc. XLIV. ipsum appellat *Berardum Venetum Canosinum patria Patavinum;* quo nil corruptius. Ob insignes ejus virtutes Nicolaus V. eidem Ecclesiam Catharensem decrevit an. 1453. VII. Id. Januarias, quacum Saccense sacerdotium ut retineret, ultro ipsi concessit, & an. insequenti potestatem fecit peragendi in eo oppido munia quædam episcopalia, ut subjectæ Pontificis litteræ testantur.

Nicolaus Papa V.

Litteræ Nicolai V. ad Bernardum.

Dilecte Fili, salutem, & Apostolicam benedictionem. Nuper Ecclesia Catharensi vacante, de Fratrum nostrorum consilio te illi præfecimus in Episcopum, & Pastorem, ac etiam ut secundum dignitatem Episcopalem statum tuum decentius tenere posses, Archipresbyteratum Ecclesiæ S. Martini de Plebe Sacci Paduanæ diœcesis tibi quoque adjunximus, auctoritate Apostolica commendatum, prout in nostris inde confectis literis plenius constat. Nunc vero volentes personam tuam nobis, & Apostolicæ Sedi devotam taliter honorare, quod aliis te possis reddere gratiosum, Fraternitati tuæ auctoritate Apostolica concedimus, ut in dicto Archipresbyteratu possis missam in pontificalibus celebrare, benedictionem Episcopalem dare, militiæ clericali adscribi volentes in dicta Ecclesia dumtaxat ad Minores ordinare, ac paramenta divino cultui dedicata benedicere, & altaria consecrare, & cimiteria polluta reconciliare, licentia Ordinarii minime requisita, libere possis & valeas tenore præsentium auctoritatem perfectam, plenam licentiam, & facultatem impertimur. Non intendimus tamen per hanc nostram concessionem juri ordinario derogare, scilicet quod Episcopus, qui pro tempore erit, omnia prædicta in dicta Ecclesia Ordinarii auctoritate exercere possit: Constitutionibus, Ordinationibus Apostolicis, ac aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXV. Martii MCCCCLIV. Pontificatus nostri anno VIII.

Maphæus Valaressus Archiep. Jadertinus epistola plena humanitatis, atque officii Bernardo Episcopatum Catharensem pro veteri amicitia gratulatus est. Statim autem atque ad urbem venit, omnes suas cogitationes, curasque in Ecclesiam, & commissum sibi Dominicum gregem convertit; utrique ut plurimum prodesset, nullis laboribus, incommodis, difficultatibus pepercit. Ab rebus divinis orsus nihil diligentiæ prætermisit, ut quæ ad religionem, & supremi Numinis cultum pertinent, in pristinum splendorem, ac dignitatem restitueret. Presbyteris & clericis rite psallendi, sacrificandi, & cæteras ecclesiasticas functiones obeundi rationem præscripsit, quam ab omnibus accurate servari voluit. Virgines Deo dicatas tueri in primis studuit, & quidquid molestiæ, aut in sacram earum disciplinam detrimenti ab iis propulsare: cumque pernicies aliqua esset illata a Parochis in religiosas fœminas, quæ tertiæ S. Francisci regulæ addictæ sunt, vetuit publico decreto anno 1455. lato 22. die Martii, nequis Ecclesiarum Parochus ulla eas molestia ausit afficere; suorumque bonorum liberam illis inesse potestatem definivit. Plebis Christianæ vitia correxit, pietatem auxit, pravas, quæ irrepserant, consuetudines evulsit. Usum sacrarum concionum, qui propemodum exsoleverat, revocavit; nec solum ad populum erudiendum, permovendumque Præcones Evangelicos adhibuit, sed ipse quoque salutaribus monitis, & piis cohortationibus assidue incubuit. Maximæ illi curæ fuit amplificatio Christianæ, & Catho-

Bernardi studium pro Divini cultus, & Christianæ pietatis, ac Catholicæ religionis amplificatione.

Digitized by Google

catholicæ fidei, Turcarum, & schismaticorum conversio; ex his ad sinum Romanæ Ecclesiæ, ex illis ad Christi cultum quamplurimos traduxit. Cum diœcesim lustraret apud Bogdasicchios, qui pagus est diœcesis Catharensis, invenit quemdam Calogerum obstinatum, ac protervum, qui non modo schismatica contagione infectus erat ipse, verum etiam mire cupidus ejusdem longe, lateque vulgandæ; tantæ vero temeritatis, atque impudentiæ, ut non solum Parocho ejus loci, sed ipsi quoque Episcopo obsistere, ac repugnare auderet. Neque ab hujus vesana insolentia tantum, sed ab aliis præterea ejusdem schismaticæ sectæ Presbyteris, seu Monachis, quos illi Calogeros vocant, infesta erat diœcesis Catharensis. Hi siquidem Parochis Latinis Ecclesias, & suas Ecclesiis possessiones eripuerant; quod Episcopo, & clero cæteri pendebant, tributum ipsi solvere abnuebant, perniciosa dogmata in vulgus disseminabant, & subdolis artibus a recta in Deum fide, atque ab auctoritate Pontificis Romani populos illos abducere conabantur. Quare vix annum in urbe, ac diœcesi Catharensi exegerat, cum ad coercendam illorum audaciam, & impietatem Bernardus Venetias profectus auxilium Senatus imploravit; & cum schismaticorum inique, & scelerate facta, quid, & quantum sibi negotii facesserent, exposuisset, litteras Ducales ad Prætorem Cathari impetravit, quarum hæc sententia: Calogerum illum, qui & Parochi jurisdictionem læserat, & Episcopi dignitatem gravissime offenderat, e territorio Catharensi, totaque Veneta ditione expellat; suas Latinis Presbyteris Ecclesias, & sua bona Ecclesiis restitui jubeat; ad compescendos continendosque in officio Presbyteros Græcanici ritus favorem omnem atque auxilium Episcopo præbeat. Epistola digna est, quæ hic describatur; in ea siquidem non solum res a Bernardo laudabiliter gestæ commendantur, sed etiam Senatus Veneti religio, pietas & studium conservandæ augendæque Catholicæ Fidei potissimum elucet.

Epistola Ducis Venet. Bernardo nonnulla.

Franciscus Foscari Dei gratia Dux Venetiarum Nobilibus & sapientibus viris Joanni Barbo de suo mandato Comiti Cathari, & successoribus suis fidelibus dilectis salutem & dilectionis affectum.

Non solum ex relatione R. P. D. Bernardi Episcopi Catharensis, qui nunc venit ad præsentiam nostram, sed etiam ex litteris vestris illiusque fidelissimæ Communitatis & cleri, & multorum relatione libenter audivimus laudabilia opera sua tam in corrigendo, quam in conservando & restaurando illam Ecclesiam & Episcopatum non solum in divinis officiis & juribus temporalibus, sed etiam in prædicationibus & salutiferis monitis, in amplificatione Fidei nostræ Catholicæ, nominis Christiani, reducendo multa centena personarum infidelium & schismaticarum ad Fidem Catholicam, qui conversi & baptizati sunt, & manibus propriis sacro chrismate confirmati, & præsertim in loco S. Petri de Gradaz subtus de Marcevaz diœcesis Catharensis. In ejus Ecclesia idem D. Episcopus instituit unum Presbyterum Catholicum, cui commisit curam animarum ejusdem loci & villarum Bogdasicchiorum & Cavazo & pertinentiarum ..... Quæ res tanquam optima & summe commendanda, sicut Paternitati suæ diximus, nobis permaxime placet & gratissima est. At quoniam nobis dixit, quod quidam Calogerus schismaticus inimicus Crucis & Fidei Catholicæ, qui cum ejus concubina & filiis tanquam secularis habitat apud illos Bogdasicchios, qui in schismate remanserunt, contaminare & seducere non desit illos qui effecti sunt Catholici Christiani, imo actualiter & personaliter ausus fuit irruere contra dictum Presbyterum Catholicum, & subinde contra ipsum D. Episcopum, dum die octavæ Paschæ personaliter iviſſet ad visitandam illam Ecclesiam, & confirmandos dictos populos sacro Chrismate, præsentibus pluribus civibus Catharensibus; nos cupientes quod hoc tam sanctum opus ipsius D. Episcopi sortiatur effectum, & quod Fides Catholica conservetur & amplietur, & quod omnis materia, quæ huic sancto operi obesse, vel turbationem aliquam afferre possit, penitus recidatur, vobis scribimus & mandamus, quod si vobis constiterit, ipsum Calogerum schismaticum presbyterum dicta scandala, & inhonestos actus fecisse, & tentaverit vel tentet illos seducere qui ad Fidem conversi sunt, & facere illos apostatari, ipsum Calogerum schismaticum de locis illis, & de toto territorio Catharensi omnino licentiare & expellere debeatis; ut hoc ejus pestiferum semen Fidem Jesu Christi & eos qui conversi sunt, inficere vel maculare non possit. Et insuper contra omnes schismaticos, qui remanserunt in locis prædictis, & aliis locis diœc. Catharensis, dicto D. Episcopo & Episcopatui suo expeditum jus & justitiam ministretis secundum Deum & justitiam compellendo eos ad relaxandum terrena, vineas & possessiones pertinentes Ecclesiis, quas de facto sibi appropiaverunt, & ad solvendum cleticis sicut Christiani alii, & etiam iidem ii, qui laborant possessiones & terras Ecclesiarum, solvere obligentur, sicut videtur per nos declaratum & terminatum esse in executione litterarum nostrarum alias vobis scriptarum, quemadmodum constat per declarationem & sententiam per vos latam sigillo vestro munitam, quam nobis præsentavit; quod nobis placet & gratum habemus. In facto Ecclesiarum S. Michaelis, & S. Mariæ de Preulacha ac S. Gabrielis, S. Petri de Bogdasicchiis, S. Alexandri de Lieſcovichiis, S. Lucæ, & S. Nicolai de Lustizza, omniumque aliarum Ecclesiarum & Capellarum fundatarum in diœcesi Catharen. & in terrenis, decimis, introitibus & redditibus ipsarum Ecclesiarum, qui & quæ per Metropolitam schismaticum, sive Sclavum, de facto occupabantur, in villis & locis prædictis, & aliis diœcesis Catharen. dando prædicto Episcopo & Episcopatui suo omnes .... & opportunos favores pro augmento Fidei Catholicæ, & ad conservationem & commoda jurium Episcopatus & Ecclesiæ suæ.

Datum in nostro Duc. Palatio die 22. mens. Maji, Indict. III. 1455.

Nec vero Bernardus ad suam Ecclesiam reversus est; sed apud Plebem Saccensem sese recepit, ubi in sacrario principis Ecclesiæ extat ejus effigies, cui hæc inscriptio subjecta est.

Bernardus Saccensis Archipresbyter hujus Ecclesiæ, & Episcopus Catharensis, qui tamen hic sedem habuit, pontificalia exercuit, clericosque Saccenses sacris initiavit ex speciali privilegio Nicolai V. Summi Pontificis.

Joannis Pistoriensis gesta Cathari.

Per hæc tempora ingenti Catharensium bono, & Christianæ pietatis incremento hanc urbem adiit eximius sanctitate ac doctrina vir Joannes e Pistorio Dominicanæ familiæ alumnus, qui divino instinctus spiritu, Vincentii Ferrerii virtutes & apostolicum ardorem æmulatus est, atque Evangelicis missionibus plurimos

mos ab erroribus retrisque ad Catholicæ religionis veræque virtutis cultum traduxit. Tam ingens fieri solebat populi concursus ad ejus conciones audiendas, ut nullum capiendæ multitudini templum satis esset; supremum divini judicii diem prope jam adventare nuntiabat tanta ardoris vi, ut incredibiles animorum motus & conversiones fierent; D. vero Vincentii gesta ac miracula ab eo patrata tam singulari studio qua publice qua privatim prædicavit, ut Catharenses in illius cultum mirifice incensi ipsum sibi patronum elegerint, eidemque prænobilem aram in ecclesia S. Nicolai dicaverint. Quin paullo post communi voto illum inter Catharenses cives adscribi jusserunt, cum ipsius ope letalis lues depulsa fuit, quæ finitimos circum agros depopulata urbem ipsam aggredi pertentabat; nam triduano indicto jejunio, & Vincentii auxilio imploraro, Joannes innumera civium turba stipatus divinam iis benedictionem palam elargitus est, statimque serpens contagionis vis prorsus extincta fuit.

Bernardi Episc. obitus.

Anno 1457. ineunte, vel ad exitum superioris anni Bernardus Episcopatum Catharensem dimisit aut morte præreptus, aut voluntaria abdicatione; quippe anno 1457. XIV. Cal. Martias Callistus III. alium Catharensibus Episcopum dedit. Cæterum quamdiu sacerdotium Saccense obtinuerit, quo in loco, quove anno diem supremum obierit, non satis constat. Flaminius Cornelius tradit eum Romæ e vivis excessisse an. 1457. & in tabulis Episcopalis Cancell. Patavinæ ad an. 1470. & diem undecimum Julii dicitur *Saccensis Archipresbyter Alexander Bonus*. Franciscus Lombardus in laudato libro de Archiepisc. Barens. scribit Bernardo suffectum fuisse Episcopum Catharensem *Antonium Fusculum Patritium Venetum*; sed vel mendose *Antonium Fusculum* pro Angelo Faseolo Bernardi successore nominavit, vel Antonius hic aut electus solum Episcopus fuit, aut vix Episcopatum adeptus illum dimisit; nam *an.* 1455. *die* 22. *mensis Maji* Bernardus Catharensi certe præerat Ecclesiæ, ut docent litteræ Ducis Foscari mox allatæ; & XIV. *Kal. Martias anni* 1457. eidem successit

ANGELUS EPISC. CATHAREN. XXXVII.

Angelus ex nobilissima Faseolorum familia Ep. Catharensis.

Ex antiquissima Faseolorum familia, quæ olim apud Pessam Clodiam maritimam urbem Venetæ ditionis nobilitate & opibus floruit; inde Venetias delata inter secundi ordinis cives adscita fuit. Hujusce gentis laudes fuse persequutus Joannes Baptista Rhamnusius, & præclara illius gesta, atque summos honores, quibus perfuncta fuit, celebravit in oratione funebri coram Veneto Senatu habita pro Francisco Faseolo Magno Reipublicæ Cancellario, & Angeli Episcopi ex Andrea fratre nepote, ut ipse Rhamnusius testatur; cujus verba lubet hic exscribere: *Ego, si de eo* (Francisco) *verba facerem, qui non tam multis & majorum suorum & suis ipsius laudibus ita abundaret, ut mihi & his multa potius amputanda sint, quam novum quippiam assumendum, profecto id mihi proponerem, in quo nulli oratio deesse possit; patriam ipsius laudarem, originem nostræ hujus Reipublicæ repeterem, veram veterum Italorum sobolem a sævientium barbarorum impetu se subtraxisse, atque in hæc loca delatam, ad hoc usque tempus incorruptam perseveravisse ostenderem .... De ejus etiam genere pauca tantum quædam perstringam; nam nihil omnino dicere de tot egregiis ac tam illustribus viris nullo pacto possum .... Matthæus bello illo, quod acerrimum cum Genuensibus majores vestri gesserunt, ea gessit, eam operam reipublicæ navavit, ut nihil quod aut a fortissimo viro, aut ab optimo cive desiderari posset, prætermiserit .... Neque minor Antonius ejus filius haberi debet, qui ea auctoritate fuit, ut cum inter vos & Patavinos de finibus esset controversia, arbiter constitutus pacatissime rem omnem composuerit .... Age vero duo Franciſci ipsius patrui Aloysius & Angelus præteriri debent? At Aloysius Constantinopoli pro patria mortem obiit; Angelus, qui Feltrensis Episcopus fuit, hac fuit eloquentia, ut a Paulo II. Pont. Max. ad Daciæ ac Poloniæ regem missus, quos ad bellum in Turcas suscipiendum hortaretur, ita eos ad id agendum, quod optabat, impulerit, ut Romam postea reversus amplissima sit a Pontifice ipso præmia consecutus .... Jam ipse Andreas pater qualis fuit? is ad majorum virtutes ornamenta etiam litterarum addidit, in quibus ita floruit, ut eo tempore, quo litteræ prope evanuerant, primus in illas tenebras lumen quoddam intulisse visus sit. Neque id Christophorum Maurum sapientissimum Principem fugit, qui eum in classe secum habuit, neque vero patres vestros, qui inter primos hos, qui a secretis Senatus sunt, asciverunt; quo ille munere & egregie semper functus est, & multum reipublicæ profuit; sed nulla in re magis quam quod Franciscum filium genuit.* Angelus itaque his ortus majoribus, & haud minus propria, quam fratrum suorum Aloysii & Andreæ laude illustris cum clericali militiæ se addixisset, & juris utriusque scientia polleret quam qui maxime, ad collegium Canonicorum ædis Cathedralis Patavinæ aggregatus fuit. Hunc Callistus III. Episcopum Ecclesiæ Catharensi præfecit anno 1457. XIV. Kal. Martias. De jure Episcopali controversias habuit cum Tryphone Cœnobiarcha S. Georgii & quodam Marco Presbytero Catharensi. Delecti ad eas dirimendas arbitri secundum Episcopum judicarunt. Vix annum integrum ad gubernacula hujus Ecclesiæ sederat, cum eum idem Pontifex Romam vocavit, ut ejus doctrina, prudentia operaque ad gravissima quæque Romanæ Curiæ & Ecclesiæ negotia expedienda uteretur. Vicarium sui muneris, curæque Episcopalis reliquit Michaelem de Urachien Archipresbyterum. Venetiis cum esset an. 1458. inde Romam profecturus, absens procuratorem cum amplissima rerum omnium gerendarum potestate constituit Joannem Paltasichium Archidiaconum, virum egregie doctum, consilii plenum, & industriæ ac sollertiæ singularis, eique præterea facultatem dedit amovendi, si ita expediret, atque exauctorandi Vicarii generalis, quem ipse discedens sibi in administrationem Ecclesiæ Catharensis substituerat. Extant ejus litteræ ad Joannem datæ, quæ sunt ejusmodi.

Romam vocatus Joannem Paltasichium sibi procuratorem

Angelus Faseolus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episc. Catharensis. Vener. & Circumspecto viro D. Joanni de Paltasichiis Archidiacono ejusdem Ecclesiæ nostræ salutem & in commissis diligentiam debitam adhibere. Notum facimus, quod nos cupientes dictæ Ecclesiæ nostræ de persona idonea, per quam in spiritualibus & temporalibus in absentia nostra feliciora suscipiat incrementa, prout tenemur, providere omnibus melio-

per litteras constituit.

lio-

lioribus modo, via, & jure, cauſſa & forma & ordine, quibus melius & efficacius poſſumus & debemus, vos Archidiaconum prædictum, licet abſentem, de cujus probitate induſtria & circumſpectione experti ſumus, facimus, conſtituimus, creamus, nominamus & tenore præſentium ordinamus noſtrum verum, certum & indubitatum procuratorem, actorem, factorem, & negotiorum noſtrorum & Eccleſiæ noſtræ geſtorem, ac Nuncium generalem & ſpecialem, ita tamen quod ſpecialitas generalitati non deroget, nec e contra; ſpecialiter & expreſſe ad exigendum omnes & ſingulos reditus mihi & Eccleſiæ meæ ſpectantes & pertinentes, & de exactis fidem faciendi; ad locandum, affittandum & alia neceſſaria. Et quia in receſſu noſtro ab Eccleſia Catharen. Vicarium in ſpiritualibus inſtituimus & ordinavimus D. Michaelem de Urachien Archipresbyterum Eccleſiæ noſtræ Catharen. volentes futuris temporibus occurrere, & ſalubriter providere, vobis præfato D. Archidiacono plenam & liberam poteſtatem damus atque concedimus per præſentes revocandi præfatum D. Vicarium per nos conſtitutum, cum vobis viſum fuerit, & neceſſarium, & alium inſtituendi loco ſui, unum vel plures, prout vobis viſum fuerit, cum auctoritate & poteſtate regendi & gubernandi in ſpiritualibus dictam noſtram Eccleſiam Catharen. cum auctoritate etiam exercendi omnia alia, & ſingula per nos dicto D. Archipresbytero in mandato Vicariatus conceſſa &c. Circa vero collationes beneficiorum, & clericorum Ordinationes volumus & mandamus ſervandum & ſervari faciendum, quod per ſpecialem cedulam manu propria ſcriptam vobis mandaverimus, & in futurum mandabimus; & quidquid per vos geſtum fuerit, ratum, gratum atque firmum habebimus. In quorum fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentes noſtras litteras fieri mandavimus per Notarium publicum, ſcribam & Secretarium noſtrum infraſcriptum, noſtrique ſigilli Pontificalis juſſimus appenſione communiri. Dat. Venetiis in Domo noſtræ Reſidentiæ Anno Nativit. Dom. 1458. Indict. 6. die vero prima Junii. Pontif. D. N. Calliſti div. Provid. PP. III. an. 4.

Et ego Petrus Baffo q. Antonii pub. Imper. auctor. Notarius, prælibati D. Epiſcopi ſcriba & Secret. de mandato præfati D. Epiſcopi in hanc publicam formam redegi, una cum ipſius D. Epiſc. pontificalis appenſione ſigilli in fidem & teſtimonium præmiſſorum ſub meis ſigno & nomine conſuetis.

Romam cum veniſſet, Pium II. Calliſto III. ſublectum an. 1458. menſe Auguſto, ut Angelum in urbe retineret, eædem, quæ deceſſorem ut accerſeret, cauſſæ impulerunt. Cum ei ſpes & facultas ad ſuam Eccleſiam regrediendi magis magisque protraheretur, illam maluit dimittere, quam Paſtoris præſentia & ſolatio deſtitutam diutius relinquere. Anno igitur poſt ſuum in urbem adventum proximo Eccleſiæ Catharenſi nuncium remiſit. Exinde titulo Mothonenſis Eccleſiæ Peloponneſiacæ decoratus legatione a Pio Pontifice impoſitam in Epiro & Myſia, ideſt Serblia & Raſcia, æque ſapienter ac feliciter geſſit. Paullus II. Angelum Feltrenſibus Epiſcopum dedit an. 1465. Mortuus eſt Romæ an. 1488. & apud S. Marcum ſepulto monumentum humi poſuit Marcus Card. Barbus, quod poſt annos quinque abſolvendum curarunt, ejus imagine lineis in operculo expreſſa, & titulum ſepulcralem fecerunt Oliverius Card. Carafa, & Franciſcus Card. Piccolomineus:

Suam Eccleſ. dimittit, & obit Romæ.

*Angelo Epiſ. Feltren. Veneto ex nobili Gente Faſtolor. * Foſſa Clod. Tur. ** Civil. Et Pont. Conſulto Pii II. Pont. Max. in Epyro & Myſia pro Fid. Cathol. Legato Pauli II. a Secretis Referend. Fiſci Apoſtol. Præf.*
*Marcus Barbus Card. S. Marci Epiſ. Preneſt. Ob ſimilitudini * Mor. Benevolentia ſingul. Monimen. ſuo Conjunctum vivus B. M. P.*
Vix. An. LXIII. M. X. D. III.
*Oliverius Carafa Card. Neap. & Franciſcus Piccolomineus Card. Senen. Executores abſolvend. coeraverunt *.*

Ejus ſepulcri inſcriptio.
* leg. Faſulor.
** pro Jur.
* pro ſimilitudinem.
* pro curaverunt.

Dum Angelus Romæ degebat, Antonio Duodo, qui Catharenſem Præfecturam gerebat, delata quæſtio fuit de poſſeſſionibus quibuſdam, quarum jus ad Cœnobiarchas S. Mariæ Rotacienſis pertinebat, eaſque Paſtrovichii contra fas occupaverant. Georgii Pellini tum commendatarii titulo Abbatis Rotacienſis cauſſam egit Jacus quidam adverſus Jacobum de Triepo, cui Paſtrovichii negotium hocce commendaverant procuratorio nomine; & re perpenſa, atque ad rationis legumque normam probe judicata, Antonius Præfectus hanc ſententiam ſecundum Rotacienſe Monaſterium tulit, quam hic exhibeo ex vernaculo in latinum ſermonem converſam:

Antonii Duodi ſententia pro Monaſterio Rotacienſi.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Amen. Anno ab ejus ortu 1458. Indict. VI. XI. Kal. Aug.

Magnificus Dominus Antonius Duodus Reip. Venetorum nomine & auctoritate Comes ac Præfectus Catbari, iis auditis, riteque cognitis, quæ Jacobus de Triepo & Jacus Procurator Reverendiſſimi Domini Georgii Pellini Protonotarii S. Mariæ Rotacienſis apud eum detulit, de quibuſdam apud Paſtrovichios appellatis Michovichiis, Nicolichiis, Tomichiis, Poldochanis, aliiſque iniquis poſſeſſoribus agrorum ad Monaſterium Rotacienſe pertinentium, qui villas vulgo dictas Viliepoglie, Brathos, Borino & Cola Laſtuæ, qui eſt lacus Paſtrovichiorum, circumpoſitas contra jus faſque occuparunt, retinentque eodem Protonotario invito; itemque iis bene perceptis, ac ponderatis, quæ contra attulit D. Triepo de Zagariis eorumdem Paſtrovichiorum procurator, ſic ſtatuit, & judicavit, Paſtrovichios eorum agrorum poſſeſſione decedere, & ſiqua præterea abſtulerint, Eccleſiæ Rotacienſi reſtituere debere; neque illis fas eſſe, eos colere, aut quoquo modo in eoſdem operam manumque immittere injuſſu ejuſdem Protonotarii. Decernit præterea jus plenum, integrum ac liberum eſſe ipſi Protonotario repetendi agros illos a Paſtrovichiis, boſque inde expellendi; cui vero ac legitimo Domino liceat ſuos agros, cuicumque voluerit, locare, omni contentione ac controverſia ſublata.

Joannes de Palinifiis publicus J. A. Notarius . . . . Cetera vetuſtas abraſit.

MARCUS II. EPISC. CATHAR. XXXVIII.

Huic patria urbs Veneta fuit, genus & cognomen illuſtre ex familia de Nigris, quæ inter cives ſecundi ordinis clara erat & conſpicua. Pius II. exſoluto vinculo, quo Angelus Faſeolus tenebatur obſtrictus Eccleſiæ Catharenſi, Marcum eidem in hanc ſedem ſubrogavit an. 1459. menſe Novembri, ut conſtat ex ejus lit-

Pius II. P. de Marco electo ſcribit Capitulo Catharenſi.

Digitized by Google

litteris Capitulo Catharensi inscriptis.

Pius Episc. Servus Servorum Dei. Dilect. Filiis Capitulo Ecclesiæ Catharen. sal. & Apost. benedict. Hodie Ecclesiæ vestræ Catharen. ex eo quod nos Ven. Fratrem nostrum Angelum Mothonen. tunc Catharen. Episc. a vinculo, quo Ecclesiæ Catharen. tenebatur, absolventes duximus ad Ecclesiam Mothonen. tunc vacantem auctoritate Apostolica transferendum, Pastoris solatio destitutæ de persona dilecti Filii Marci electi Catharen. de Fratrum nostrorum consensu eadem auctoritate providimus, ipsumque eidem Catharen. Eccles. præfecimus in Episcopum & Pastorem &c. Dat. Mantuæ Anno Incarn. Domin. 1459. VII. id. Novembr. Pontif. nost. an. II.

Post Episcopalem consecrationem susceptam Venetias se contulit, & ab Duce & Senatu litteras impetravit ad Prætorem & Præfectum Cathari, quibus hic jubebatur favorem & auxilium Episcopo præbere ad suam jurisdictionem exercendam, ad proventus mensæ Episcopalis ac decimas exigendas, ad bona Ecclesiarum recuperanda,

Ducis Veneti litteræ pro Marco Ep. ad Prætorem Cathari.

Paschalis Maripetro Dei gratia Dux Venetiarum, Nobilibus & sapientibus viris Antonio Donato de suo mandato Comiti Cathari, & successoribus suis fidelibus dilectis salutem & dilectionis affectum.

Credimus vobis esse notissimum, quod in concessione, quod alias cum deliberatione nostri Consilii Rogatorum fecimus illi dilectissimæ Communitati Cathari tam Nobilibus, quam popularibus de terrenis & possessionibus villarum Lustizæ & pertinentium suarum, in specie reservavimus jura & jurisdictiones Rev. P. D. Episcopi & Episcopatus Catharen. sicut in litteris & responsionibus vestris tunc superinde confectis clare constat. Pro cujus nostræ intentionis executione per litteras nostras datas die 1. Aug. 1454. ac successive die XVI. ejusdem millesimi scripsimus Nobili viro Joanni Barbo tunc Comiti nostro Catharen. ejusque successoribus, ut præfato D. Episcopo omnibus convenientibus favoribus & auxiliis assisterent, quibus mediantibus jura & jurisdictiones sua & Episcopatus ipsius atque Ecclesiæ tantum in portione dictorum terrenorum, & aliter dicto Episcopatui & Ecclesiæ Catharen. pertinentium, quantum jus & justitia suaderent, integre conservarentur, sibique seu nunciis & procuratoribus suis de ipsis decimis & proventibus cum integritate responderetur, non obstantibus differentiis, quæ fortasse inter Nobiles & populares & alios subditos nostros pro dictis terrenis & possessionibus verterentur; quoniam nostra intentio erat, quod præfato D. Episcopo aut Episcopatui & Ecclesiæ Catharen. tam circa prædicta, quam circa jurisdictionem spiritualem quam habet in ecclesiis & capellis, & eorum beneficiatis, in locis prædictis, & tota diœcesi sua non derogaretur. Et quoniam tunc intelleximus quod aliquæ possessiones & bona ipsius Episcopatus per tempora præterita alienata & dilapidata fuerint, in damnum & detrimentum Episcopatus & Ecclesiæ contra ordines nostros, jussimus ut sibi jus & justitia ministraretur pro honore Dei & divini cultus, sicuti in illis litteris nostris serioſius continetur. Nunc autem ad requisitionem Rev. P. D. Marci Nigro civis nostri moderni Episcopi Catharen. vobis rursum scribimus & reiterando mandamus, illud idem, quod præfato præcessori vestro & successoribus suis scripsimus per dictas litteras nostras datas 1. Augusti, & XVI. Septembris 1454. quarum effectum superius declaravimus, observare & exequi debeatis. Et siquid ex bonis dicti Episcopatus & Ecclesiæ Catharensis indebite alienatum vel venditum esset in præjudicium & detrimentum Ecclesiæ & Episcopatus contra formam legum & ordinum nostrorum, volumus, quod in his, quæ ad regimen vestrum pertinent, vocatis vocandis, & auditis audiendis, jus & justitiam ministretis, pro honore Dei, & augmento divini cultus, ne dilapidentur, vel dispergantur.

Dat. in nostro Duc. Palatio die XV. Februarii Indict. VIII. anno MCCCCLX.

Valuit apud Prætorem, ut debuit, auctoritas Senatus; ac proinde studium atque operam suam Episcopo prolixe detulit tum ad jus Episcopale vindicandum & obtinendum, tum vero ad bona Ecclesiarum ab illis repetenda, ad quos seu bona fide, seu dolo malo devenerant. Marcus huic Ecclesiæ annos quatuordecim præfuit; sed plerumque abfuit, & Patavii habitare consueverat; qua in urbe consecravit ædem S. Mariæ in Bethlehem, quæ ad Virgines Ordinis S. Augustini pertinet. Paulus II. anno 1464. eum delegavit ad controversiam dirimendam, quæ de Præfectura Cœnobii Tarvisini S. Parisii erat inter Ursam & Blasiam; utraque enim se Antistitam illarum Virginum electam esse contendebat. Extat in Monumentis vitæ S. Parisii, & Cœnobii Tarvisini SS. Christinæ & Parisii editis an. 1748. diploma Pontificium, quo Marcus hujus controversiæ judex & arbiter constituitur una cum Antonio de Capitibusliſtæ Canonico Patavino; illudque hic exscriptum subjicio, utpote ipsi Marco valde honorificum ob ipsam negotii, de quo agebatur, gravitatem.

Delegatur cujusdam controversiæ arbiter inter Virgines Cœnobii Tarvisini S. Parisii.

Paulus Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili fratri Marco Episcopo Catharensi in civitate Paduana residenti, ac Antonio de Capitibusliſtæ Canonico Paduano salutem & Apostolicam benedictionem. Humilibus supplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectæ in Christo filiæ Ursæ de Cadaboro Monialis Monasterii S. Christinæ Tervisin. Camaldulensis Ordinis petitio continebat, quod olim felicis recordationis Pio Papæ II. prædecessori nostro pro parte ipsius Ursæ & dilectarum in Christo filiarum Felicitæ & Bartholomeæ Monialium ejusdem Monasterii exposito, quod alias Monasterio prædicto per obitum quondam Luciæ illius, dum viveret, Abbatissæ, quæ extra Romanam Curiam diem clausit extremum, Abbatissa regimine destituto; quæ duntaxat ipsius Monasterii Moniales dilectam in Christo filiam Blasiam illius Monialem earum consanguineam majoris excommunicationis sententia innodatam, aliasque ad regimen ejusdem Monasterii inhabilem de facto, aliæ vero Moniales dicti Monasterii præfatam Ursam in earum, & ipsius Monasterii Abbatissam elegerant, & quod ipsa Blasia electionem hujusmodi auctoritate ordinaria confirmari obtinuerat similiter de facto, quodque pro parte ejusdem Ursæ, Felicitæ & Bartholomeæ ab electione & confirmatione prædictis ad Sedem Apostolicam fuerit appellatum, præfatus Pius prædecessor per suas literas Venerabili Fratri nostro Moysi Polensi tunc Episcopo dedit in mandatis, quatenus vocatis, qui essent evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod justum foret, appellatione remota decerneret, quarum vigore ipsæ Ursa, Felicita, & Bartholomæa eamdem Blasiam super hoc petendo electionem de ea, ut præmittitur, factam, & con-

Diploma Pontificium delegationis.

firmationem

firmationem hujuſmodi caſſari & annullari, ſibique ſuper regimine & aaminiſtratione Monaſterii hujuſmodi perpetuum ſilentium imponi, coram eodem Epiſcopo fecerunt ad judicium evocari, ipſeque Moyſes Epiſcopus in hujuſmodi cauſa rite procedens definitivam per quam electionem de ipſa Blaſia factam & illius confirmationem tamquam de perſona excommunicata & minus habili cum omnibus inde ſtatutis nullas fuiſſe & eſſe, nulliuſque roboris vel momenti, electionem vero de ipſa Urſa factam hujuſmodi confirmandam fore decrevit, & declaravit, ac illam auctoritate Apoſtolica, prout ſibi ex beneficio literarum earumdem competebat, confirmavit; a qua quidem ſententia pro parte dicta Blaſiæ illam iniquam fore falſo aſſerentis, fuit ad Sedem prædictam appellatum, ipſaque Blaſia ſuper hujuſmodi ſua appellatione in curiam Apoſtolicam ad dilectos filios Marcum Venerio Archidiaconum Conſtantinopolitanæ, & Antonium Duracbienſis Eccleſiarum Canonicos in civitate Tarviſina commorantes literas impetravit, quarum prætextu eamdem Urſam coram præfatis Archidiacono & Canonico traxit in cauſam, & illa ſic pendente dicta Blaſia de hujuſmodi lite & de reſcripto impetrato nulla facta mentione certas alias litteras ab eadem Sede in forma Brevis ad dilectum filium Symonem de Vvianis Canonicum Concordienſem tunc Vicarium dictæ Eccleſiæ Terviſinæ in ſpiritualibus & temporalibus per Sedem prædictam deputatum impetravit; Archidiaconus vero & Canonicus in cauſa eis commiſſa hujuſmodi perperam etiam procedentes præfati Epiſcopi ſententiam per eorum definitivam ſententiam revocarunt iniquam, ipſeque Vicarius ſimiliter perperam procedens in vim dictarum ſibi directarum literarum hujuſmodi quamdam Monialem dicti Monaſterii extra illud expulit, ac ſententiam per Epiſcopum latam hujuſmodi per ſuam ſententiam caſſavit & annullavit, ipſorumque Archidiaconi & Canonici ſententiam confirmavit, licet nulliter & de facto; a quibus quidem ſententiis dicta Urſa iterum ad Sedem prædictam appellavit, & ſuper hujuſmodi ſua poſteriore appellatione literas in ſimili forma Brevis ad dilectos filios Petrum Abbatem Monaſterii Carcerum Paduanæ diœceſis, & Alexandrum del Nino Canonicum Vicentinum cum clauſula, quod unica ſententia, a qua neutri partium appellare liceret, dictam cauſam terminarent, ab eadem ſede impetravit, feciſque in cauſa appellationis hujuſmodi dictam Blaſiam coram dilectis filiis Petro Abbate dicti Monaſterii Carcerum, & Alexandro Canonico prædictis ad judicium evocari, qui legitime & juris ordine obſervato in hujuſmodi cauſa procedentes, definitivam, per quam præmiſſas contra eamdem Urſam latas ſententias revocarunt, dictique Epiſcopi ſententiam confirmarunt, ſententiam promulgarunt, a qua pro parte dicta Blaſiæ illam iniquam fore falſo aſſerentis fuit quovis de facto ad Sedem appellatum antedictam, ipſaque Blaſia ſuper hujuſmodi ſua poſteriori appellatione literas in ſimili forma Brevis ad Venerabilem fratrem noſtrum Andream Epiſcopum Equilinum in Civitate Venetiarum etiam tunc reſidentem ab eadem Sede impetravit, illarumque prætextu dictam Urſam coram ipſo Epiſcopo Equilino traxit in cauſam, qui ſimiliter perperam procedens definitivam pro dicta Blaſia & contra eamdem Urſam ſententiam promulgavit iniquam, a qua pro parte ejuſdem Urſæ fuit ad eamdem Sedem denuo appellatum. Quare pro parte dictæ Urſæ nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut appellationis hujuſmodi, & etiam illam, quam ipſa Urſa contra dictum Epiſcopum Equilinum ſuper damnis, quæ occaſione præfatæ ſuæ iniquæ ſententiæ pertulit, & de quibus loco & tempore congruis coram eo fuit legitime proteſtata monere intendit, necnon nullitatis prædictarum contra eam latarum ſententiarum & proceſſuum deſuper habitorum cauſas aliquibus probis viris in partibus illis audiendas & fine debito terminandas committere, aliaſque ſibi in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis Epiſcopo Equilino, & Blaſia prædictis ac aliis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propoſitis, quod juſtum fuerit, appellatione remota decernatis, facientes quod decreveritis ab Epiſcopo auctoritate noſtra, ab aliis vero per cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili appellatione ceſſante compellatis veritati teſtimonium perhibere. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii PP. VIII. prædeceſſoris noſtri, quibus cavetur, nequis extra ſuam civitatem & diœceſim niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine ſuæ diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne Judices a ſede prædicta deputati extram civitatem & diœceſim, in quibus deputati fuerint contra quoſcumque procedere, aut alii vel aliis vices ſuas committere præſumant, dummodo ultra duas dietas aliquis auctoritate præſentium non trahatur, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus contrariis quibuſcumque. Aut ſi Epiſcopo Equilino, & Blaſiæ prædictis, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari aut extra vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Quodſi non ambo in his exequendis potueritis intereſſe, alter veſtrum ea nihilominus exequatur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo quarto, Nonis Januarii, Pontificatus noſtri Anno primo.

Lecta in audientia L. de Narnia.

Jo. de Buccabellis.

Negotium ſibi commendatum Marcus pro ſua æquitate ac prudentia ita geſſit, ut Blaſia Antiſtita in poſſeſſione ſuæ dignitatis retineretur, ceteris Marci ſententiam probantibus; nam Blaſia integro triennio poſtea præfuit ſuo Cœnobio, & an. 1467. vita deceſſit, cui Urſa ſuffecta fuit 7. Kalendas Januarias ejuſdem anni.

Dum Catharo abeſſet, ad Eccleſiam ſuam regendam uſus eſt opera vicaria Petri de Brutis Epiſcopi Crojenſis in Epiro civis ſui, viri eximiæ doctrinæ & prudentiæ ſingularis. Extat decretum Capituli Catharenſis anno 1465. conditum, quo Canonici omnes una mente ac voluntate ad jura & privilegia Capituli conſervanda conſentiunt; & præclaro quodam fœdere inter ſe facto ſuam omnes & ſinguli fidem obligant, collatis ſtudiis ac ſumptibus communem cauſſam defenſuros contra quoſcumque adverſarios, qui privilegia ab Sede Apoſtolica conceſſa, ac præſertim liberam ſuffragii ferendi, &, quos vellent, ad ſuum Collegium aggregandi

gendi potestatem impugnare, & vel generatim Capitulo universo, vel speciatim uicuique Canonicorum litem inferre, aut molestiam exhibere auderent.

Decretum Capituli Catharensis.

MCCCCLXV. die vero Januarii ultimo Dominus Michael Vrachien Archipresbyter, Dominus Tryphon de Scitis Vicarius, D. Joannes de Ardro, D. Nicolaus de Gino, D. Drago de Dragonibus, D. Joannes de Bolizza, D. Michael de Basca, & D. Typhon Vrachien, omnes Canonici Ecclesiæ Catharen, fecerunt & constituerunt quamdam Constitutionem, sive Ordinationem perpetualiter inter eos observandam; cujus Constitutionis tenor talis est,

In Christi nomine Amen, Quamquam divino cultui plurima conveniunt, quibus integre, & immaculate ipsi Deo serviri assolet; tamen cuilibet virtuti anteponendam pacem plurimi testantur; qua quidem pulchrius est, atque jucundius nihil, cum ipsa sola remissionem corporum & animarum afferat. Etenim Dominus ad discipulos inquit: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Sed cum Ecclesiæ Cathedralis in nostro Canonicatu, quorundam impurissimorum continuis agimur stimulis, nec ullo modo in ætate jam senescenti quiescere nos permittant, sed perturbant admodum, ut vivere nos tædeat perfecta pace carentes, qua sine Redemptori nostro placere nequaquam possumus. Quamobrem nos cupientes omnibus molestiam nobis inferentibus obstare pro viribus nostris conantes cum Dei adjutorio, statuimus & ordinamus Constitutionem perpetuam inter nos observandam in hac forma. Nos Canonici Catharenses superius nominati, omnes concordes, unanimes, firmi, stabiles atque omnes concorditer dicimus, & faciemus firmiter observari, quod si quis insanus, aut præsumptuosus in nos audeat tendere in Canonicatu obtinendo, contra opinionem seu electionem nostram, a Sede Apostolica concessam & confirmatam, ut plene in indulto nostro patet: aut quovis alio modo nos præsumpserit attemptare, & molestare, sive cum Bulla, sive sine Bulla, sive verbo, seu opere, aut quovis alio modo, quod contra nostrum communem spectet honorem; omnes nominati unanimiter & concorditer obligamur, & teneamur obstare, & obviare cuilibet personæ, absque ullo respectu, verbo, & opere, & sumptibus, & expensis, quæ hac in causa in dies occurrent; ex nobis quod quilibet suam ponat portionem æqualiter, dummodo tales præsumptuosos funditus evertamus. Præterea volumus, & ordinamus, quod si nostrum aliquis de suo Canonicatu molestaretur, omnes illum defendere teneamur, & tueri tam verbis & opere, quam etiam & sumptibus & expensis, quousque nostra mens effectum sortiatur. Item omnino volumus, & ordinamus, quod gratiam, sive indultum a Sede Apostolica nobis concessum teneamur defendere sic verbis, quemadmodum & expensis, a qualibet persona ipsum frangere, vel derogare conante; ut sit semper firmum & stabile, ne in Canonicatum aliquis contra electionem nostram, ut in ipso patet indulto, possit ingredi. Quam quidem Constitutionem sive Ordinationem volumus omnino inter nos perpetuo fore observandam, sub pœna cuilibet nostrum, pro qualibet vice, ducatorum 25. applicandorum parti hanc præsentem Constitutionem, seu Ordinationem observanti; obligantes &c.

Marcus a Catharensi ad Ecclesiam Absorensem regendam migravit.

Marcus anno decimo quarto post Episcopatum susceptum, idest 1474. Catharensem cum Absorensi Ecclesia commutavit. Mortuus est Patavii anno 1485. de quo plura in Episcopis Absorensibus.

PETRUS EPISC. CATHAREN. XXXIX.

Petrus de Brutis Venetus ex Episcopo Crojensi Episcopus Catharensis an. 1474.

Natus est Venetiis ex illustri familia de Brutis. Cum juris utriusque scientia excellentem rerum humanarum ac divinarum doctrinam conjunxit. Sacerdotio initiatus Ecclesiam S. Agathæ, nunc S. Ubaldi administravit, & præfuit regendis scholis clericorum in ædibus Capitularibus Basilicæ Marcianæ. Paullus II. ob insignem viri sapientiam, Crojensem in Epiro Episcopatum Provinciæ Dyrrhachiensis ei contulit, Prohibitus accessu ad urbem Crojæ, quæ post mortem Scandebergi sub tyrannidem Turcarum ceciderat, ne titulum illius Ecclesiæ ab omni functione Episcopali vacuum gereret, Marco de Nigris Episcopo ad regendam Ecclesiam Catharensem per aliquot annos operam vicariam navavit. Huic ad sedem Absorensem translato Petrum successorem dedit Sixtus IV. anno 1474. Petrus anno 1476. vel nondum Catharum venerat, vel certe ab urbe aberat; ejus vice fungebatur, & locum tenebat Hieronymus de Pavaris, ad quem Judices, sive Magistratus Civitatis adducere jussi sunt Joannem de Bolizza Canonicum ædis Cathedralis, & recenter electum Rectorem Ecclesiæ Sanctissimæ Trinitatis, ut absente Episcopo, Sacerdotium ab Communi Catharensium illi collatum confirmaret: *Dominus Presbyter Joannes de Bolizza Canonicus Catharensis electus est in Rectorem & Abbatem Ecclesiæ S. Trinitatis vacantis per mortem D. Presbyteri Matthæi Carilizza; deinde commissum Judicibus, qui ire debeant ad Reverendum Dominum Hieronymum de Pavaris Locumtenentem Reverendissimi D. Episcopi Catharensis, & eidem præsentare nomine Communitatis Cathar. prædictum Joannem de Bolizza in Rectorem Ecclesiæ S. Trinitatis. Anno* 1476. *die 6. men. Septembris.* Joannes Baptista Zenus Presbyter Cardinalis S. Mariæ in Porticu, idemque Episcopus Vicetiæ, cum in urbe gravissimis Curiæ Romanæ negotiis distineretur, Petro de Brutis Episcopo Catharensi administrationem Ecclesiæ Vicetinæ commisit; hic vero Joannem Paltasichium Canonicum Vicarium generalem constituit amplissima potestate præditum, qui in Civitate ac diœcesi Catharensi rem Christianam atque ecclesiasticam administraret. Hæc est Epistola Petri ad Joannem Vicetiæ data anno 1478. VII. Kalendas Septembris.

Epistola Petri ad Joannem Paltasichium Canon. Catharen.

Petrus de Brutis Artium & Decretorum Doctor, Dei & Apost. Sedis gratia Episcopus Catharensis, Reverendissimi in Christo Patris, & D. D. Baptistæ Zeni miseratione divina S. Mariæ in Porticu Presb. Cardinalis, & Episcopi Vicentini, Comitis & Marchionis, Locumtenens generalis, Ven. viro D. Joanni Paltasich Canonico Catharensi, Vicario & Locumtenenti nostro generali salutem in Domino æternam. Nos qui in remotis agimus, non valentes circa ea, quæ nobis in temporalibus, atque spiritualibus officium nostrum concernunt, commode attendere, confidentes in tua integritate, & diligentia, quod supplere poteris, quæ præsentiam nostram corporalem expetunt, eapropter te D. Presbyterum Canon. Catharen. omnibus meliori modo, via, jure, & forma, quibus melius fieri potest & debet, fecimus, constituimus, & ordinavimus, & per præ-

Digitized by Google

præsentes facimus, constituimus, & ordinamus nostrum, & Ecclesiæ nostræ Catharen. Vicarium, & Locumtenentem generalem in spiritualibus & temporalibus, ac actorem, factorem negotiorum nostrorum infrascriptorum, gestorem & nuncium speciel em, & generalem, cum revocatione quorumcumque aliorum Vicariorum nostrorum hactenus constitutorum, dantes & concedentes eidem D. Joanni Vicario, & Locumtenenti nostro potestaten. auctoritatem, & facultatem omnes & singulas causas, lites & controversias beneficiales, matrimoniales, profanas, civiles, & mixtas, ac injuriarum, spirituales & temporales, & alias quascumque, inter quascumque personas Ecclesiasticas, & Episcopales, Capitula, Conventus, Collegia, Civitates, Oppida, & Universites, quacumque ratione & causa, audiendi, cognoscendi, fine debito terminandi; nec non omnibus negotiis, & solemnitatibus, in quibus nostra auctoritas, & consensus, vel dissensus exigitur, præstandi, & consentiendi vel dissentiendi; Officiales quoque, Advocatos, Procuratores, Notarios, qui acta judicialia & extrajudicialia fideliter conscribant, Præcones, Satellites, Ministros Ecclesiasticos, & seculares nuncios ponendi, accipiendi, creandi, instituendi, deputandi, destituendi, & privandi, & alium, seu alios subrogandi; nostramque Ecclesiam Catharen. & quascumque alias Ecclesias, & Monasteria, & alia loca ecclesiastica & pia Civitatis & diœcesis nostræ Catharensis, in quibus nobis ratione dictæ nostræ Ecclesiæ, visitatio de jure, vel de consuetudine spectat & pertinet, & illarum personas tam in capite, quam in membris visitandi, & eorum defectus supplendi, & corrigendi, & puniendi, & reformanda in melius, quæ reformanda videbuntur; criminaque & excessus, & delicta cognoscendi, & puniendi, & contra omnes excedentes, & delinquentes inquirendi & procedendi, condemnandi, puniendi, suspendendi, incarcerandi perpetuo, vel ad tempus, ac condemnationes exigendi, mitigandi, & moderandi; electiones, provocationes, postulationes personarum idonearum ad quæcumque beneficia & dignitates admittendi & recipiendi, confirmandi & approbandi; resignationes quorumlibet beneficiorum ecclesiasticorum, sæcularium, & regularium, curatorum & non curatorum nostrarum Civitatis & diœcesis simpliciter, vel ex causa permutationis, aut alias qualitercumque, recipiendi & admittendi; nec non quæcumque beneficia ecclesiastica, personatus, administrationes, & officia tam sæcularia, quam regularia in dictis nostra Civitate & diœcesi, quomodocumque vacantia aut vacatura, ad collationem & dispositionem nostram spectantia, personis idoneis & habilibus conferendi; & si necesse fuerit, pro præmissis omnibus & singulis, coram quibuscumque judicibus ordinariis, & extraordinariis ad agendum, defendendum, petendum & respondendum, petitiones, libellos, & quælibet alia jura nostra, & dictæ nostræ diœcesis producendum, productis respondendum, lites contestandum, sententias audiendum, ab eis appellandum, appellationesque prosequendum, de calumnia jurandum, & generaliter omnia alia & singula faciendi & exercendi, quæ ad lites & merita causarum necessaria fuerint, & opportuna, & quæ nosmetipsi facere possemus, si personaliter interessemus; promittentes ratum & firmum perpetuo habituros omne id, & quidquid per te in omnibus, & singulis præmissis, & circa ea actum, factum, gestum, collatum, provisum, præsentatumve fuerit quomodolibet. In quorum fidem & testimonium præsentes litteras fieri per Cancellarium nostrum infrascriptum, nostrique sigilli Pontificalis, quo utebamur, cum essemus Pontifex Crojatensis, jussimus appensione muniri. Datum Vincentiæ in Episcopali palat. Anno Domini 1478. die 26. men. Augusti.

Dum Ecclesiam Vicetinam regebat, ex mandato Sixti IV. Pontificis profectus est Tridentum, ut simul cum Angelo Faseolo Episcopo Feltrensi quæstiones haberet de martyrio S. Simeonis pueri, quem Judæi, ex odio Christianæ religionis, per summam crudelitatem interfecerant. Catharum aliquando digressum fuisse ad gregem suum visendum solandumque videtur colligi posse ex tabulis Catharensibus anno 1484. VII. Idus Martias confectis, quæ indicio sunt illis conficiendis Petrum adfuisse. Cæterum vel absens, tum crebris ad suum Vicarium litteris, tum alia quacumque poterat ratione, Ecclesiæ Catharensi prodesse studuit; nam conjunctione Monasterii Georgiani cum Episcopatu ab Innocentio VIII. impetrata, proventus mensæ Episcopalis amplificavit, & moriens supellectilem pontificalem adi Cathedrali testamento legavit. Extant in Monum. historic. Congreg. B. Petri de Pisis litteræ Petri de Brutis Episcopi Catharensis, & Cardinalis Zeni Episcopi Vicetini Suffraganei, quibus dies quadraginta debitæ pœnitentiæ condonat iis omnibus, qui Cœnobitis montis Summani in agro & diœcesi Vicetina piam stipem erogaverint; datæ sunt *ex Episcopali palatio Vicentino die vigesima sexta Julii Millesimo quadringentesimo octogesimo secundo*; quarum hoc initium est; *Petrus de Brutis Artium Doctor, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Catharensis Reverendissimi in Christo Patris & Dom. Dom. Baptistæ Zeni miseratione Divina Episcopi Tusculani Cardinalis S. Mariæ in Porticu ac Præsulis Vicentini, Ducis, Comitis & Marchionis Locumtenens &c.* Vicetiæ diem supremum obiit anno 1493. & magnifico funere elatus, in ejus urbis templo Cathedrali honorificum sepulchrum obtinuit. Jacobus Albericus in catalogo virorum illustrium Venetorum scribit, Petrum Cathari decessisse, & in principe templo tumulatum fuisse. Haud pauca ingenii & doctrinæ suæ reliquit monumenta; illud longe præstantissimum, quod anno 1489. Vicetiæ ex typographia Simonis Papiensis in lucem emisit, & inscribitur; *Petri Bruti Veneti Episcopi Catharensis ad viros nobiles Vicentinos de omni genere virtutis benemeritos Victoria contra Judæos*. Joannes Mabillonius in Itinere Burgundico scribit, se in Codice Raphaelis de Mercatellis Episcopi Rossensis anni 1492. hæc verba legisse; *Petri Bruti Veneti Episcopi Catharensis ad viros nobiles Vicentinos de victoria contra Judæos, quem librum condidit rogatu Jobannis Petri Bonaviti Mantuani Artium Doctoris*. Habeo ego præ manibus, dum hæc scribo, Petri opus Vicetiæ impressum anno 1489. & ex ejus epistola ad Mantuanum deprehendi, librum hunc Mantuani quidem consilio editum typis fuisse, non vero conscriptum; ita enim de se testatur ipsemet Petrus initio epistolæ: *Me sæpius adhortatus es, Joannes doctissime . . . . . ut quod perfeci opusculum mei animi causa pro infringendis Judæorum erroribus in lucem proferam*. Hinc & Maittairii error, & Orlandi, & Reugheinii dignosci potest, qui libri titulum ali-

vel absens Ecclesiæ Catharensi prosuit.

Ejus liber adversus Judæos laudatur.

ter deſcribunt, atque a me fuit exſcriptus; ille enim in Tomo I. Annal. Typogr. pag. 512. hæc addit titulo *pro Chriſtiana Fide*, hi vero præferunt totum opus *Vicentino Senatui* inſcriptum eſſe. Sed ut propius ad librum ipſum accedamus, præfixa ſunt operi aliquot Mantuani carmina ad Brutum, quibus illum ſummopere commendat; conſequitur Bruti epiſtola ad Mantuanum; dein alia Mantuani carmina, queis Bruti epiſtolæ reſpondet, & epigramma ad eos, qui librum perlegerint; tum ejuſdem Bruti præfatio ad Vicetinos. Opus eſt in duas partes diſtributum: argumentum, in quo pars prima verſatur, auctor ipſe his verbis ſummatim expoſuit,

Primum itaque videbimus quod ſummus omnium conditor Deus omnipotens ſuum Meſſiach, quem Chriſtum Chriſtiani appellant, miſſurus erat de virgine natum.

Secundum quod Chriſtus ipſe eſſe debeat Deus & homo,

Tertium quod idem Chriſtus, quem Meſſiach Judæi nuncupant, legem novam hominibus laturus erat,

Quartum quod tempus Chriſti Meſſiach adventus jamdiu præteriit,

Quintum quod Jeſus Mariæ Filius fuit ille verus Chriſtus atque Meſſiach, quem Propbetæ Sancto Spiritu illuſtrati omnes futurum prædixerant.

Pars altera complectitur quidquid contra hæc ab Judæis afferri ſolet, & Bruti reſponſa. Addita ſunt ad calcem operis plura quorumdam poetarum carmina, quibus eximium Petri opus maxime laudant; & in primis typographus ipſe hoc epigramma ſubjecit,

Eſt opus impreſſum papienſi ſimone clarum:
Compoſitum petri præſulis ingenio.
En ego ſum ſimon papienſis nomine civis:
Bivelaquam nuper fata dedere mihi.
Hunc virtute mea librum magnoque labore
Impreſſi: noſtræ virginis ob meritum,
Impreſſum vicentiæ Anno domini. M. CCCC. LXXXVIIII. die tertio menſis octobris.

Victoriam Petri Epiſcopi Catharenſis contra Judæos plerique ſcriptores ſummis laudibus celebrarunt, tum qui de re typographica ſcripſerunt, Orlandus, Beughemius, Maittairius, tum qui catalogos ſcriptorum confecerunt, Poſſevinus, Simlerus, Joannes Albertus Fabricius, Paullus Colomeſius, Joannes Mabillonius in ſuo Itinere Burgundico. Adrianus Finus in Præfatione ejus libri, cui titulum præpoſuit *Flagellum contra Judæos*, illuſtri elogio opus Petri Bruti exornavit: *Liber quidam a venerabili & eloquente Patre Domino Petro Bruto, Nobili Veneto, & digniſſimo Catbarenſi Epiſcopo, contra Hebræos editus, cui nomen indidit Victoria Petri Bruti contra Judæos, meas ſtatim venit in manus. Hunc aperui, & ejus elegantia, & eloquii ſuavitate captus, totum legi, & pluries perlegi. Ibi enim multa contra Hebræos, in Fidei Chriſtianæ favorem, non minus diligenter, quam eleganter poſita ſunt.*

Anno 1480. ex Senatuſconſulto Prætores Cathari *Comites* appellari deſierunt, & *Rectorum* ac *Proviſorum* titulum deinde ſumpſerunt.

B. Marinus martyrio coronatur.

Petro Epiſcopo Catharenſi, floruit pietate ac doctrina inſignis Marinus de Catharo familiæ Franciſcanæ alumnus, & ad regem Perſarum Pii II. Pontificis legatus anno 1472. ut Chriſtianæ religionis negotia tractaret, & regem ipſum adverſus Imperatorem Turcarum impelleret, quo immaniſſimi hujus Chriſtianorum hoſtis furor ſocialibus etiam Perſarum armis celerius, faciliuſque retundi, & comprimi poſſet. Et Marinus ſane rem proſpere geſſiſſe videtur, ut civilis & eccleſiaſtica illius temporis hiſtoria teſtatur; de quo vide Raynaldum ad hunc annum. Multo tamen felicior Marino ipſi legationis exitus ceſſit; nam a barbaris pro Chriſti fide interemptus egregia laborum merita martyrii laude cumulavit: quare *Beati* etiam titulo apud ſuos decoratur.

JOANNES II. EPISC. CATHAR. XL.

Joannes Cheregatus ex Ottocienſi Epiſcopus Catharenſis.

Patria Vicetinus ex illuſtri familia Cheregata. E ſodalitate Cruciferorum, cujus Præfecturam ſupremam geſſerat, aſſumptus fuit anno 1492. ad Epiſcopatum Ottocienſem in veteri Japydia, ſive Corbavia, de quo Tomo IV. Illyr. Sacri in Appendice ad Epiſcopos Senienſes; ſed anno proximo illum dimiſit. Quod vero ſcribit Tomaſinus in Hiſtoria genealogica familiæ Clericatæ, Joannem ſcilicet anno 1490. Epiſcopum Tudertinum renunciatum ante fuiſſe, quam Ottocienſi Eccleſiæ præficeretur, nulli innititur ſatis firmo argumento; neque ejus nomen legitur apud Ughellium inter Tudertinos Antiſtites Tomo VII. Ital. Sacr. Itaque Alexander VI. Eccleſiam Catharenſem Joanni regendam tradidit, ut eſt in Tabulis Conſiſtorialibus: *Anno 1493. 10. Auguſti admiſit reſignationem Eccleſiæ Ottocien. in manibus ſuæ Sanctitatis per R. D. Joannem Cheregato illius ultimum Epiſcopum factam, eumque ad Eccleſiam Catharenſem tranſtulit.* Quo vero tempore ſuam Eccleſiam adierit, difficile eſt ſtatuere; dum enim Cardinalis Zenus Epiſcopus Vicetinus vitam egit, cum eo plures annos amiciſſime verſatus eſt, quin ab ejus quotidiano fere convictu ſeſe disjungeret. Anno certe 1498. erat Patavii, & xv. Kal. Februarias interfuit funeri Nicolai Triviſani Epiſcopi Cenetenſis, qui triduo ante obierat. Rurſum III. Non. Maji anni 1501. aſtitit in eadem urbe Cardinali Zeno jam morituro; atque biennio poſt, anno nimirum 1503. tertio Idus Octobris facultatem abeundi Romam petiit a Senatu, ut Cardinali Cornelio adeſſet, ejuſque conſuetudine ac familiaritate mœrorem de Zeni interitu levaret; utrique enim, & Zeno & Cornelio carus inprimis & jucundiſſimus fuit. Hæc a Marino Sanuto accepimus in ſuis annalibus mſs. Joannes Catharenſe Cœnobium & Sacerdotium S. Georgii de Scopulo ſibi commendatum habuit, & Abbatis Commendatarii titulum geſſit; qui quidem titulus poſt ejus obitum, deinceps ex aliis ad alios viros eccleſiaſticos pervenit; ex quo intelligi poteſt conjunctionem Monaſterii Georgiani cum Epiſcopatu Catharenſi, quam Innocentius VIII. decreverat, poſtea diſſolutam fuiſſe. Ab Julio II. impetravit, ut poſſeſſionem Templi S. Michaelis, itemque S. Lucæ traditam Cœnobio Virginum Catharenſium S. Mariæ de Angelis, diplomate Pontificio confirmaret. In partibus Raſciæ, quæ ad diœceſim Catharenſem pertinebant, Martinum Rodovicchium Vicarium generalem conſtituit, qui populis illis ritus Raſciani præeſſet, eoſque in fide Catholica, debitaque Romano Pontifici obedientia contineret. Ad eum anno 1514. pridie Idus Octobris Pontificium diploma ſuis litteris incluſum miſit, in locis illis promulgandum: quo quidem diplomate Pontifex omnibus

In partibus Raſciæ Vicarium generalem conſtituit.

&

& singulis sacra confessione expiatis, & divina Eucharistia impertitis plenissimam cunctorum delictorum veniam largiebatur. Sub idem tempus duos præcones evangelicos illuc legavit, alterum e Dominicana, alterum e Franciscana familia, qui gentes illas ad labes animi contractas salutari pœnitentia eluendas excitarent; eisque rationem Indulgentiæ Pontificiæ rite percipiendæ traderent & præscriberent. De Joanne Clericato præter hæc nihil in tabulis Catharensibus invenio. In Musæo tamen lapidario Vicetino typis edito a P. Facciolio an. 1776. duo extant in priori parte monumenta; unum e domo exscriptum piarum Virginum, ac matronarum, quas *Demissas* vulgo appellamus, unde discimus, locum illum, qui xenodochium erat Cruciferorum curæ subjectum, a Joanne restitutum fuisse.

Alia ejus acta & elogium.

Joannes Cheregatus Episc. Catharensis restituit. Alterum indicat, Joannem Vicetiæ fuisse anno 1504. ut Ecclesiam Spineæ Jesu Christi Coronæ titulo dicatam solemni ritu consecraret.

Templum hoc a B. Bartholomæo Bregantia Episc. Vicent. Ord. Præd. sub titulo S. Coronæ erectum, ac una ejusdem Coronæ Spina dono S. Lodovici IX. Galliarum Regis decoratum Anno Domini MCCLXII. Joannes Clericatus Episcopus Catharensis dedicavit A. D. MDIV. XX. Octobris,

Eum Marzarius in lib. 2. Hist. Vic. virum *doctrina, religione, vitaque sanctissima exemplo clarissimum* vocat; eique Franciscus Vitalis Bodianus epistolam inscripsit, præpositam operibus Martiani Capellæ ab se editis *Vincentiæ anno sal. MCCCCXCIX. XVII. Kal. Januarias*; data est *ad Reveren. in Christo Patrem, & Dom. Johannem Cheregatum divina providentia Episcopum Catharensem. Vincentiæ*, v. *nonas Octobris*. Matthæus etiam Rossus Veronensis vir æque pius ac doctus Joannis merita commendat in litteris, quibus sese apud illum excusat, cur pallium candidum, nescio quod vestis genus, non obtinuerit; eas vero brevissimas hic subjicio ex prima parte epistolarum Matthæi num. 120.

Pallium candidum nostrum Hispano Episcopo agenti in Curia pro Serenissimo Rege nobis ex vicinia proximo ante triduum quam tu peteres, reperi a proposito Patre fuisse promissum. Et ne falleretur, secundam iterum hodie fidem patris petiisse atque accepisse. Quod sane ego dolentissime tuli, qui (forte *quia*) *es mihi unus, quem meritis & necessitudine cæteris Coepiscopis Reverendissimis præfero. Sed pro viribus, quæ nobis defuerunt, unde tibi obsequeremur, compensa mentem & animum* (sic), *nosque charos, ut facis, habe. Vale Romæ.*

Anno 1512. Joannes rursum Venetiis versabatur, ibique, Sanuto auctore, cum aliis Episcopis, & frequenti patritiorum numero ab insula S. Spiritus ad Georgianam usque comitatus est die Martii vicesima sexta Cardinalem Sedunensem & Oratores Helvetios, qui de fœdere cum Republica sanciendo Legati Venetias adveniebant, eos iterum ab insula Georgiana ad Patrum Collegium & Ducis conspectum prosecutus die vicesima octava mensis ejusdem; ac die Paschatis III. Id. Aprilis cum Duce & Patribus templum D. Zachariæ, ut moris est, invisit.

B. Gratia Catharensis ex Ordine Eremitarum S. Augustini, Venetiis pie sanctequeobiit.

Dum Joannes Cheregatus huic Ecclesiæ præsidebat, Venetiis in insula, & Cœnobio Augustiniano S. Christophori migravit ad superos anno 1508. Frater Gratia Catharensis, cujus vitam omnibus sanctimoniæ notis insignem, summatim descriptam, & Latinis atque Italicis litteris commendatam, quoniam hæc pertinet ad decus & laudem Civitatis & Ecclesiæ Catharensis, unde oriundus erat, huic tempori & loco innectendam putavi. Duplex igitur hujus vitæ exemplar sum nactus, alterum Latinum e tabulis Catharensibus desumptum, alterum Italicum, quod a religiosissimis Patribus Augustinianis S. Christophori mihi perhumaniter traditum accepi. De summa rerum inter se mirifice congruunt; Italico tamen Latinum præferendum censeo; in hoc si quid prætermissum est, ab illo sumendum erit, atque animadversionibus inserendum, quas hujus vitæ historiæque illustrandæ caussa subjiciam.

Ejus vita breviter scripta.

Anno 1438. (1) *Frater Gratia, Benedicto patre in* (2) *quadam villa Catharensis diœcesis in superiori Dalmatia, hoc anno natus. Juvenis profes-* 1
sione (3) *nauta, in Ordine* (4) *D. Augustini* 2
anno 1468. se totum Deo consecravit; Dæmonis 3
eum a sancto proposito avocare satagentis magnas 4
tentationes sustinuit, cujus infernales insultus, Deo propitio, pœnitentis vitæ assiduitate superavit. Indusium ex (5) *cilicio, ac sub ipsos re-* 5
nes ferrea catena cinctos gestans, semper nudis pedibus incedens, etiam tempore maximi frigoris numquam ad ignem, ut se calefaceret, accessit. Duobus mediis asseribus, duro lapidi capite innixo, fesso corpori levamentum concedebat. Ter in hebdomada usque ad mortem, pane & aqua contentus jejunavit, carnes, aut laticinia neque dum infirma valetudine gravaretur, gustavit. Exacta obedientia superiores libenti ac hilari animo semper coluit, quod & inferioribus præstans minorem omnibus se reputabat. Nunquam ob ejus humilitatem cum aliquo sermocinatus est, quin prius ad terram prostratus reverentiam ei non exhibuisset. Numquam sine opere visus; nullæ vicissitudines, maximæque tribulationes conturbare eum potuerunt, glorificans Deum (6) *in omni tempore, mansuetudinem animæ suæ* 6
notam faciebat, & pacem Domini in se. Ob has præclaras virtutes tenebrarum Principi intolerabiles, adeo immani crudelitate Padnæ (7) *ab eo* 7
verberibus conquassatus extitit, ut a sociis semivivus repertus fuerit, membris omnibus præmortuis, in ultimum vitæ discrimen adductus. Tali fervore in oratione permanebat, ut in ipsa videretur, non ut homo mortalis, sed ut cœlestis Seraphim, amoris Dei flamma coruscus. Inter alia dona, ejusdem orationis beneficio, in sacra Communione frui & recreari meruit aperta facie glorioſi Redemptoris. Ut proximorum (8) 8
siti succurreret, mare in dulcem aquam convertit, quæ & hodierna die emanat, infirmisque in Cœnobio S. Christophori dispensatur. Spiritu prophetico multa revelavit; cuidam Venetæ matronæ præcipue filium illo vespere a longo & diuturno itinere reversurum. Ægroto dum Superior præcepisset sub virtute S. Obedientiæ, ut carnibus vesceretur juxta medici præscriptum; caro ei allata ita apparuit omnibus (9) *fœtida, ut idem* 9
Superior judicaverit eum alterius cibi non indigere, quam illius, quem summopere expetebat, sacratissimæ (10) *Communionis; in fortitudine* 10
cujus, fratres exhortando, ad æternam requiem servus Dei pervenit septimo Id. Octob. anno Domini 1508. *ætatis suæ septuagesimo, Religionis quadragesimo. Facies defuncti tali splendore coruscans apparuit, ut omnes in admirationem rapc-*

peret. Sepultus Venetiis in præfato Cœnobio S. Chriſtophori, ubi obiit, in communi ſepulchro Fratrum, Superiorem loci, ut ejus Corpus inde
11 *tolleret per viſum monuit, (11) a quo ſeorſum tumulatum fuit; ac tandem inventum eſt incorruptum, uti & modo conſervatur ſuper altare poſitum in arca marmorea, (12) ornata votorum*
12 *tabellis (13) teſtibus gratiarum, quæ Deus largitur ſingulis ad interceſſionem Gratiæ ſervi ſui confugientibus. De ipſo inter alios Lazarinus (14)*
13
14 *ſcribit: qui dum ait eum Bona matre natum, ac tale nomen nec in dicta Catharenſi diœceſi, nec in locis conterminis ſit, vel fuerit in uſu, præterquam in quadam villa, quæ Illyrice Dobrota, ideſt Bona nuncupatur, exiſtimamus eumdem Auctorem patriæ nomine matrem Gratiæ appellaſſe.*

Notæ.

1 Idem eſt natalis annus duodequadrageſimus ſæculi decimi quinti in utroque exemplari Italico & Latino.

2 Hic auctor, poſt vitam & mortem ſanctiſſimi hujus viri deſcriptam, illum in ea villa diœceſis Catharenſis, cui Dobrotæ nomen eſt, ortum eſſe ex eo conjecit, quod cum ejus mater Bona appellaretur, ut eſt in exemplari Italico, id vocabuli fortaſſe deſumptum fuerit, eique inditum ex nomine ipſius villæ, quæ matris ac filii patria eſſet; nam *Dobra* ſeu *Dobrota* apud Slavos idem ſignificat, quod *Bona* apud Latinos. In quibuſdam tamen notis vitæ B. Gratiæ ſubjectis ſcripſit Co. Tryphon Biſantius, indubitata pene fide apud Catharenſes memoriæ traditum eſſe, B. Gratiam ex pago quodam priundum fuiſſe, cui *Mulla* cognomen, & parum Catharo diſtat, & e Crillonia familia natum, cujus ſuperſtes unus nomine Nicus adhuc per hoſce annos vivebat. His igitur parentibus natus eſt Gratia, Benedicto & Bona, obſcuri quidem generis, ac tenuis fortunæ, ſed honeſtis ac piis, ut tradit Scriptor Italicus, e quorum præceptis & exemplis Deum colere ac timere didicit, ſuamque vitæ rationem ad omne Chriſtiani officii munus inſtituit.

3 Navicularium faciebat, & vecturis maritimis victum ſibi parabat.

4 Scriptor Italicus Gratiam impulſum fuiſſe ait concionibus apoſtolicis, & ferventiſſimis P. Simonis Camertini ex Ordine S. Auguſtini, ut relicta navicula, rebuſque mortalibus nuncio remiſſo, ſe Deo vitæque monaſticæ addiceret. Erat P. Simon celeberrimus ea tempeſtate Concionator, & ſpiritus apoſtolici plenus; nec ſolum perditos ac flagitioſos homines ad rectum ſalutis iter reducendi, ſed etiam Fratres ſuos ad primævam & ſeveriorem diſciplinam revocandi miro ſtudio flagrabat. Hic igitur Congregationem Auguſtinianam a cæteris ejuſdem Ordinis Sodalitatibus diſtinctam inſtituit; in qua perfectio & ſanctitas vitæ monaſticæ, ad normam ab ipſo Sanctiſſimo Patre Auguſtino traditam, maxime vigeret. Ejus fundamenta jecit in agro Patavino ad radices Montis Ortoni, ubi recenter & Templum Deiparæ Virgini, & Cœnobium exſtructum fuerat, Monachiſque Eremitis S. Auguſtini traditum. De utroque Bernardinus Scardeonius lib. 2. *De Antiquitate Patavii &c.* hæc litteris mandavit: *Exſtructum eſt ſuperioribus annis a fundamentis ſpecioſum Templum, & inſigne Monaſterium ad radices Montis Ortoni, juxta fontem aquarum ferventium, ædificiis, donariis, & maxima adventantium quotidie populorum frequentia glorioſum, & admirabili auſpicio, & miro quoddam initio, Deiparæ Virgini conſecratum. Etenim a partu Virginis an.* 1428. *Petrus Falzonius homo ruſticus ei loco vicinus, cum graviſſimis cruciaretur ulceribus, & nulla medicorum remedia ſibi proficerent, contulit ſe eo ad balneum juxta radicem montis, in quo quotidie plagas ſuas ſalutari aqua certis horis diei fovebat: adienſque interdum fontem alterum paulo inferius e ſubterraneo montis ſpecu ſcaturientem, illic aqua gelida ſeſe abluere, & potu reficere ſolebat. Huic ibi oranti ex improviſo viſa eſt offerre ſe Virgo Maria ſupra omnem humanæ pulchritudinis formam ſpecioſiſſima, a qua viſus eſt moneri, ut ſibi eodem loco Templum exſtrueret, ubi tabellam ſua inſignitam effigie inveniret; & quod ſtatim priſtinam erat incolumitatem corporis accepturus. Quod ei in ipſo temporis momento contigit. Is autem confeſtim & oraculum, & miraculum iſtum confidenter prædicare cœpit, & inventam Virginis imaginem cunctis oſtendere, & incolumitatem ſibi ab ulceribus repente redditam palam facere, Unde brevi, approbato per Petrum Donatum Venetum tunc noſtræ urbis Epiſcopum miraculo, concurſu populorum undique facto, magniſque atque innumeris in dies frequentatis miraculis, Templum conſtrui cœptum eſt; & locus, qui prius incultus, & ſilveſtris prorſus fuerat, amæniſſimus factus. Subinde & ſacra ædes erecta, & Monachis Eremitanis inſigne Cœnobium fabricatum; & in hunc diem tanta populi frequentia diebus ſingulis, & præſertim feſtivis, ſalutantium ac vota exſolventium celebratur, ut nullus in urbe, quantumvis ſacer locus adeuntium populorum frequentia, aut devotione ſit huic merito conferendus. Et iccirco hic a nobis locus iſte una cum auctore tanti operis merito celebratur.*

Hoc Cœnobium primarium & caput eſt Congregationis Auguſtinianæ, quæ a S. Maria de Monte Ortono cognomen accepit, quocum alia pauca minora Cœnobia ejuſdem Ordinis, veluti membra, conjuncta ſunt. P. Simon ejuſdem Congregationis parens ac Præſes Gratiæ ſuppliciter petenti habitum monachalem induit, receptumque in hoc Marianum Cœnobium, inter curatores rei familiaris, quos vocant Converſos, adſcripſit. Tunc autem ætatis annum triceſimum agebat, ut in utroque Codice Italico, & Latino traditur.

5 Hoc cilicium hirſutum in primis atque horridum, memoriæ ac venerationis cauſſa apud Patres inſulares S. Chriſtophori aſſervatur.

6 In rebus adverſis atque aſperis has voces, *Benedicam Domini in omni tempore*, uſurpare, atque identidem iterare ſolitum fuiſſe tradit Scriptor Italicus.

7 Id accidit in hoſpitio S. Marci, ut eſt in Codice Italico. Habent ſiquidem Patres Montis Ortoni parvum domicilium in Campo Martio, quod *Pratum vallis* vulgo appellant, cum ædicula S. Marci titulo inſcripta, ubi cum ad urbem veniunt, diverſari ſolent. In hoc hoſpitio habitare juſſus fuerat F. Gratia ad res urbanas curandas, quæ ad Monaſterium S. Mariæ pertinebant. Tum hic apud cives Patavinos, tum illic apud accolas Montis Ortoni magna erat de illius ſanctitate opinio, quæ ob eximias illius virtutes, reſque admirabiles ab eo divinitus patratas, quotidie magis augebatur; nec ſolum ab omnibus haberi, ſed etiam voce con-

Digitized by Google

concordi ſanctus appellari cœperat. Quocirca ut oculis hominum ſe, laudibuſque ſurriperet egregius contemptor ſui, & humanæ gloriæ fugitans, permiſſu vel juſſu Præſidum ſuorum in inſulam S. Chriſtophori ſeceſſit, ubi vitam in vulgus ignotam, & abſconditam cum Chriſto, ac ſolitariam perageret. Sed ne ibi quidem ejus ſanctitas celari, & virtus quædam divina eidem indita, ab ſublevandis hominum calamitatibus coerceri, & occulta eſſe potuit.

8 Id Venetiis evenit, cum civitas maxima ſiccitate, & aquarum inopia laborabat. Ad inſulam S. Chriſtophori ingentes hominum concurſus aquationis cauſſa fiebant. F. Gratia, quantum cujuſque amphora capere poterat, omnibus & ſingulis de ciſterna Monaſterii large copioſeque diſpertiebat. Ciſternam demum exhauſtam aqua marina impleri juſſit, quam pia precatione, & Crucis ſigno non dulcem modo, ſed etiam ægrotis mirifice ſalubrem, atque adeo perennem reddidit, ut Scriptor Italicus docet.

9 Id prodigii uterque Scriptor narravit.

10 Sacroſanctum Viaticum flexis genibus, ac funem e collo pendente ſuſcepit; & cum in extremo agone verſaretur, ante oculos objecta eſt ei jucundiſſima ſpecies S. Auguſtini, & S. Chriſtophori, blando vultu, & voce ſuaviſſima eumdem ad cœleſtem patriam invitantium. Ex Codice Italico.

11 Non ſolum Cœnobiarchæ, ſed etiam Antonio Trono Senatori ampliſſimo, Ædiſque Marcianæ Procuratori, qui hunc ſanctiſſimum Monachum ſingulari ſtudio, dum viveret, dilexit, & coluit, auguſtiſſima ſpecie, ac beatiſſimo fulgens lumine poſt obitum ſeſe palam oſtendit; & de ſuo corpore in locum honoratiorem transferendo utrumque admonuit. Ex Codice Italico.

12 Idem Senator Antonius Tronus hoc monumentum marmoreum ære ſuo faciendum curavit, ubi nunc ejus Corpus ab omni labe intactum, aræque impoſitum ſervatur. Ex Cod. Ital.

13 Hæ tabellæ votivæ multos vel e morbis letalibus ſanitati reſtitutos, vel naufragii certiſſimis periculis exemptos, vel aliis beneficiis divinitus impertitos repræſentant. Ex Cod. Ital.

14 Hæc vitam B. Gratiæ deſcripſit Italica lingua, & typis edidit Venetiis anno 1643. cum ejus ope, hauſta vix ſalubri aqua, e letali morbo convaluiſſet, uti teſtatur F. Eliſæus a Jeſu Maria Polonus, & ejuſdem Ordinis alumnus in vita ipſius B. Gratiæ ab ſe deſcripta, & Venetiis edita anno 1677. Scriptor autem vitæ Latinæ exiſtimat conjici poſſe ex teſtimonio Lizarini, B. Gratiam natum eſſe Dobrotæ, quæ villa eſt diœceſis Catharenſis, ejuſque matrem *Bonam* appellatam fuiſſe.

Ejuſdem B. Gratiæ miracula.

Et quoniam de Eliſæo incidit mentio, lubet mihi ex ejus libello nonnulla hic adnexere, quæ mira prorſus, & præter vires naturæ, narrat iis accidiſſe, qui præſentem B. Gratiæ opem, atque tutelam ſunt experti; ea autem ſelecta ex pluribus ſuiſmet verbis exſcribo.

Venetiis vir nobilis Auguſtinus Donatus, cum crederet, ſe non poſſe ſatis eloqui verbo receptam gratiam, illuſtre votum nempe argenteam obtulit lampadem, ut in hac loquatur fundatum oleum, idque ab anno 1657. uſque in hanc diem ardens continuo, nec deficiens oleo.

Vir illuſtris Cornelius Contarenus ope B. Gratiæ, cui tunc ſe vel maxime commendaverat, quondam ſubtractus miraculo de grandine bombardarum, idem ille iterum cum ſua conſorte in urbem de villa redux, incidit in horribilem inquieti æquoris turbulentiam, & ſic in gravi periculo ſitus, cum aliud non ſuppeteret medium, invocans Beatum evaſit liber, & utriuſque gratus auxilii altaris tabulam, ſupra quam requieſcit Gratia, ære proprio & ex voto dedicavit.

Vir ſpectabilis nomine Sanctes, agnomine Juſtus, interna febri per plures oppreſſus menſes tandem ad experimentum conſequendum valetudinis ex aqua calefcente balneum ſibi exhiberi juſſit, ubi pro tepida ſervorum incuria profuſus calida, totoque corpore graviter uſtulatus, & pro ſemimortuo relatus in cubile, cum ex induſtria medicorum in melius non proficeret, tunc in ultimum vitæ reductus articulum recurrit ad B. Gratiam, qui uti eſt ſalubrium inventor aquarum, patienti ſuo annuens eadem illi nocte apparuit candidiſſimum florem in ſignum integritatis ore ſuo præferens, dicenſque; Sancte, ne timeas; hac infirmitate non morieris: & completum eſt; namque ægrotus etiam nunc ſuperest, qui juramento firmans votum confeſſus eſt ſe bonam valetudinem recepiſſe.

Benedicti vitriarii & Helenæ Beltramiæ Petrus filiolus menſium ſexdecim fatali morbo affectus, jamque a medicis dimiſſus, & extremum exhalans ſpiritum, dum ſepulturæ aptaretur, ſuperveniente ædituo templi S. Chriſtophori, & mœſtis parentibus viva fide recurſum ad B. Gratiam perſuadente, id facientibus, (1) Muriano 1
ſtupente, puer ad vitam rediit, qui etiam cum ſuis genitoribus vivit nunc addiſcens literas.

Agnoverat intolerabiles unius viduæ cordis anguſtias, quæ poſt amiſſum ſuæ ſenectutis baculum nempe unicum filium inconſolabiliter ejulabat. Caſu ſubito illum Venetiis perdidit, ſumma ſollicitudine quæſivit per anfractus urbis, omnem movit lapidem, inquirens ex obviis, etiam in remotiora ſe extendens & incaſſum. Jam ſeptennium afflictionis fluxerat evolutum, ubi etiam illa deſtituitur, quæ eſt ultima miſerorum anchora, nempe ſpe. Tandem divinitus monita recurrit ad inſulam D. Chriſtophori. Ibi tunc opere ſanctus degebat Gratia; cum more Sunamitidis D. Eliſæi hoſpitæ in ſimili caſu ad genua procumbentis vocum gemitu complexatur pedes, ad intimam ſui conſolationem ore prophetico hæc innaudiit: Plus noli vexari, bona mater; hac, inquit, veſpera illum videbis. Et mox uti prædixerat B. Gratia, recepto pignore, facta eſt illius gloriæ divulgatrix.

Nota.

1 Murianum inſula eſt in æſtuariis Venetis arte vitriaria celebris, haud procul ſita ab ea inſula, ubi colitur B. Gratia.

Duplex corporis B. Gratiæ translatio.

Hæc Eliſæus, qui cap. 14. duplicem præterea ſacri corporis translationem diſtinguit, alteram cum nocte inſequenti beati viri obitum Cœnobiarchæ per viſum apparuit, *edocuitque hanc eſſe voluntatem Dei, ut in ſelectiorem decentius locum transferretur: quod & factum eſt;* apertoque tumulo ſuaviſſimus e corpore odor exhalavit; alteram vero, poſteaquam in dies crebreſcens ad ejus ſepulcrum populi frequentia Cœnobitarum animos movit, ut nobiliori ſanctiorique in loco ſacras illius corporis exuvias col-

Digitized by Google

collocarent: & rem ita narrat accidiſſe.

Itaque poſt primam ſacri pignoris elevationem ſignis ad ſepulchrum iterato accreſcentibus, ut majorem virtutum odorem adſpiraverat, tunc ex diſpoſitione Altiſſimi, &, quorum interfuit, prudentium conſilio, placuit iterum B. Gratiæ renovare gloriam, & commode quidem; namque Deus illi præparaverat verum amicum Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum D. Antonium Tronum celebrem Senatorem, & meritiſſimum Procuratorem D. Marci.

Sumptu proprio novum, in quo iterum repoſitum eſt, ſarcophagum quatuor columnis inſiſtentem, apſide quoque in quadrum deſuper eminentem exſtruxit, in qua Salvatoris effigies viſitur dextera manu ſuſtentans orbem, adſtantibus ad latera B. P. Auguſtino, & S. Chriſtophoro Martyre, & in medio B. V. Sanctiſſima geſtante puerum; erga quos in vita ſua devotiſſimus extitit B. Gratia. Quæ omnia ex albo marmore, auro graphice ornata ſunt, cum hac inſcriptione: Beatus Gratia.

Poſt aliquot ab ejus obitu annos titulum & cultum Beati, ſeu Venerabilis obtinuit; ejuſque ſepulcro, ubi in cipreſſina arca conditus jacet, hæc inſcriptio appoſita eſt.

VBLI. GRATIA. VIXIT. ANNIS. LXX.
OBIIT. IN. REL. MIRA. ABSTINENTIA.
DIE. IX. NOVB.
M. D. VIII.

B. Gratia præcipua veneratione colitur Mullæ, qui pagus eſt mille fere paſſus Catharo diſtans, ejuſque cultui dies octava Novembris decreta eſt: ara quoque ipſius nomine inſignita viſitur in Eccleſia parochiali, in qua quædam ejus corporis reliquiæ ſervantur argentea theca in brachii formam elaborata incluſæ, & quovis anni die feſto ſolemni piis populi obſequiis colendæ exhibentur.

Joannes Epiſcopus, quem anno 1512. Venetiis conſtitiſſe diximus, anno demum inſequenti & menſe Septembri diem ſupremum obiit; quod Sanuti annales referunt; & in eadem urbe, uti videtur, licet Sanutus locum non indicet,

TRYPHON EPISC. CATHAREN. XLI.

Tryphon Biſantius Epiſcopus Catharenſis.

Familia Biſantia inter Catharenſes æque antiqua & illuſtris tres Epiſcopos alium ex alio ſucceſſione fere continuata huic Eccleſiæ præbuit. Horum primus fuit Tryphon Archipreſbyter ædis cathedralis, quem Leo X. Joanni Chergato vel adjutorem dedit, vel ſucceſſorem deſignavit an. 1513. quo quidem anno cum eſſet Romæ poſt ſuſceptam conſecrationem Epiſcopalem ſeſſioni nonæ Cancilii Lateranenſis III. Non. Maji, & duodecimæ habitæ an. 1517. interfuit; *Reverendus Pater Tryphon Catharenſis*; at reliquis tribus intermediis conventibus ejus nomen abeſt. Nam eodem anno 1513. vel inſequente Catharum certe advenerat ſumma omnium e civitate ordinum lætitia exceptus, ut conſtat ex ejus literis *Dat. Aſcrivii ſive Catbari anno Dominici ortus MDXIIII. pridie Calendas Decembres*, & inſcriptis *Dominico Grimano Card. S. Marci Ep. Portuenſi & Patriarchæ Aquilejen.* quas autographas nobis impertiit æque nobiliſſimus ac eruditiſſimus vir Julius Tomitanus Nobilis Opiterginus. In his fatetur Tryphon, ſe Dominico debere, quidquid honoris erat conſecutus, ipſamque epiſcopalem dignitatem, poſteaquam in ejus clientelam atque patrocinium ſeſe contulerat. *Quod eſt enim*, inquit, *dignitatis autoritatiſque in Catharenſi Epiſcopo, quod ab ampliſſimo Grimanæ benignitatis promptuario uberrime & copioſiſſime non ſit præfectum? vix ego, ſero enim iſthuc conceſſi, in Grimano ſacrario limen attigeram, quum id evenit tua benignitate, ut in Epiſcopatu Catharenſi aſſequendo vel illis præferrer, qui diutinam ſervitu temſideliter ſerviverant.* Deinde Pellegrinam quemdam conſobrinum ſuum Romam ſe mittere ſcribit, qui a Pontifice impetret Dominici favore adjutus, ut ne in urbem ad Concilium redeat, utque debita pro expenſis decreti ſibi Epiſcopatus ſolutio in aliud tempus magis rebus ſuis opportunum prorogetur: *Tua vero ſanctitas id curabit, ut Pelegrina conſobrinus meus, qui nomine meo iſthuc venit, negotium noſtrum ex ſententia conficiat, ita ut ad proximum Concilium adventu levet, & exigendarum aſſumptionis noſtræ ad Catharenſem Epiſcopatum tabularum dies in commodius ſolutionis tempus mibi differatur.* Subjungit præterea ingentem pernicicm, quam Patres Franciſcanos, vulgo *Conventuales* dictos, in Cœnobium S. Claræ intuliſſe comperiit, eoque graviorem, quod eæ Virgines ſacræ ipſorum gubernationi ſuberant, & ortæ inde offenſiones totam fere urbem pervaſerant. Qua de re, uti eodem tempore *Catharenſis Senatus*, & ipſe Grimanum certiorem facit, *unde* per ipſum *Sedes Apoſtolica merito conſulenda ſit, & ad expiationem imploranda.* Epiſtolam finit deſcribens ea, quæ de Aſiana clade Selimi Turcarum Imperatoris Catharum perlata fuerant, & de populari Pharienſium in nobilitatem conjuratione extincta, de qua pauca quædam attigimus in Epiſcopis Pharienſibus Tomo IV. Operis noſtri. *Selimus*, nempe, *Turcarum Imperator, amiſſo cum decem & ſeptem legatis & octoginta armatorum millibus utroque Aſiæ & Europæ Præfecto in prælio, quod cum nepotibus commiſit, Trapezuntem aufugiſſe fertur, inibique hiematurus, edicto impoſito, ut ad reſarciendam cladem pueri militiæ apti vetuſto gentis ritu comparentur. Quod ſiquis Chriſtianus Princeps Crucis vexillum in hac rerum occaſione explicaret, id procul dubio ſequeretur, ut omnes Europei Turcis ſubjecti arma omnium primi in Othomanum inducrent ſtringerentque, victoriamque adeo neceſſariam tam facilem redderent de hoſte truculentiſſimo, quam quæ eſt facillima. Capellus Venetæ claſſis Præfectus proximis diebus in Capita conjurationis in Pharienſem nobilitatem conflata non minus juſte, quam ſevere laqueo, ferro & clavigatione animadvertit; in eos quidem, quos capere potuit, fuerunt autem ii numero nongenti, prioribus ſuppliciis, in eos vero, qui ſibi fuga conſuluerunt, poſtremo; nunc, ut accipio, eſt Corcyræ brevi magiſtratu inſigniter defunctus, cum ingenti gloria Venetias repetiturus.*

Ejus literæ ad Card. Grimanum.

In ſinu Catharenſi inferiori prope ab inſula, quam Stradiotarum vocant, extat inſula quædam exigua, ubi viſitur Templum pervetus *S. Mariæ Gratiarum*, alias de Scopulo, alias *de inſula parva*, alias *de Gulpho* cognominatum, miraculis inclytum, tabellis votivis ornatum, quod ab iis, qui ſinum circumcolunt, & a longinquis etiam populis, peregre illuc religionis & voti cauſſa venientibus, eximia veneratione frequentatur. Hoc Templum, ædeſque eidem adjunctas Romanus Pontifex, ſive Pius II. ſive Paulus II. ad Congregationem Venetam Cano-

Templum S. Mariæ de Gratiis in parva inſula ſinus Catharenſis Canonicis S. Georgii in Alga traditum.

Digitized by Google

nonicorum Cælestinorum *S. Georgii in Alega* aggregaverat, & P. D. Florio viro egregio, ejusque sociis ex eadem Congregatione traditum, in clientelam Sedis Apostolicæ receperat. Narrat autem Jacobus Philippus Thomasinus Æmonensis Episcopus in Annalibus Canonicorum S. Georgii in Alga, ab anno jam 1487. quosdam *in diœcesi Catharensi communi norma viventes uti cœpisse* Georgiano Canonicorum habitu; quod ubi a Venetis Canonicis compertum est, illico decreverunt, ut illi homines ad eamdem vitæ, ac disciplinæ formam amplectendam, qua Canonici Georgiani utebantur, primum literis hortarentur; tum bini Patres Catharum legati, qui viros eosdem ad omnia Georgiani instituti munera instruerent, & in communionem Venetæ Congregationis admitterent. Idem vero Florius ædes laxiores atque ad usus sociorum accommodatas construxit; habitusque est ejus Cœnobii ædificator & conditor. De hoc Templo iis Canonicis cum Fratribus Franciscanis *de Observantia* multæ & magnæ contentiones fuerunt, quarum origo & causa paullo altius, & a superiori sæculo repetenda est. Cum debitus huic Sanctuario cultus honosque magis ac magis obsoleiscere, negligique ab illis Canonicis videretur, & locus ipse a plerisque illorum desertus fuisset; Commune Catharensium Templum illud & domicilium, cujus dominium, *jusque patronatus* ad se pertinere censebat, Patribus Min. Ordinis S. Francisci tradere, & commendare decrevit in hæc verba: *Anno* 1479. *Communitas Cath. more solito congregata; cum sit quod locus S. Mariæ de Gratiis insulæ parvæ Culphi Cath. qui locus est juspatronatus istius Communitatis, fuerit datus Ordini Fratrum de Observantia S. Petri Cælestini, quem locum ipsi religiosi deberent regere, & gubernare, & officiare debito modo; & cum sit quod ad præsens dictum Monasterium videtur derelictum esse a dicto Ordine &c. vadit igitur pars, quod juxta jurisdictionem, quam habemus in dicto loco insula nostræ, detur immediate religioni FF. Minorum de Observantia hac conditione, ut ipsi Fratres dictum locum teneantur regere, ac gubernare, in eodem loco celebrare divina officia, prout moris est dictæ Religionis; nec eum amplius deserere valeant &c.*

Illud P. Florius Canonicus Cælestinus Patribus Franciscanis donavit.

Huic decreto interfuisse P. Florius ejus Cœnobii ac Templi Præses, ac tres ipsos annos repugnasse videtur; sed cum neutrum, Catharensibus invitis atque obtinentibus, retineri posse intelligeret, ipsemet ultro utrumque Fratribus Minoribus tradidit ac donavit, interpositis quibusdam conditionibus, ultro citroque acceptis & approbatis, ut est in tabulis donationis, quæ sunt hujusmodi: *In Christi nomine. Amen. Anno Nativitatis ejusdem* 1482. *Indict.* 15. *die* 4. *mensis Junii. Actum Cath. in sala palatii habitationis Magnifici Domini Provisoris Comitis & Capitanei Cathari, præsentibus S. Zoro de Besantiis jurato Judice, & S. Nicolao de Bucchia jurato Auditore, testibus, ad hæc vocatis, habitis, & rogatis, & aliis; ibique D. Florius Ordinis Cælestinorum S. Georgii de Allega, tamquam Gubernator Ecclesiæ, seu Monasterii S. Mariæ de gratia insulæ parvæ Culphi Cathari, sua mera, & libera voluntate, sponte & voluntarie, non coacte, omni meliori validoque modo, via, jure, & forma, quibus melius & efficacius fieri potest, atque potuit, dedit, cessit, atque libere renunciavit omne jus, rationes reales, & personales, quod, & quas habet in dicta Ecclesia, seu Monasterio S. Mariæ de gratia, Reverendo Patri Domino F. Bernardino de Arbo Vicario provinciæ Dalmatiæ, Ordinis FF. Min. de Observantia, præsenti & solemniter stipulanti, & acceptanti nomine dicti Ordinis, & provinciæ, dictam Ecclesiam, seu Monasterium, cum omnibus suis juribus, & pertinentiis, fructibus, reditibus, introitibus, exitibus, & obventionibus universis, spectantibus, & pertinentibus dictæ Ecclesiæ, seu Monasterio S. Mariæ de gratia, quomodocumque, & qualitercumque; cum his pactis, & conditionibus infrascriptis; videlicet quod Reverendus Dominus F. Bernardinus nomine suo, & suorum voluit, & sic sponte promisit, & se contentavit, quod dictus P. Florius stet & habitet in vita sua, in dicta Ecclesia seu Monasterio cum Fratribus dicti Ordinis, in habitu, quo ad præsens stat, vel quo sibi placuerit, seu placebit; & habeat administrare, & exigere omnes introitus, & eleemosynas dictæ Ecclesiæ, seu Monasterii S. Mariæ de gratia, tamquam fundator, & fabricator, & Procurator dicti loci; & quod non possit de dicto loco expelli per dictos FF. vel alias quascumque personas eorum nomine; hac etiam conditione inter dictas partes solemni stipulatione firmata, quod suprascripta acta debeant confirmari per Summum Pontificem; & casu quo non poterint sortiri effectum de prædictis, tunc dictæ partes, & qualibet earum, remanant in earum libertate pristina, qua primitus erat ante hunc actum; promittentes ambæ partes denuo attendere, & observare omnia præscripta, & in nullo contravenire sub obligatione pœnæ & hypotheca ejus bonorum, tum etiam prædictæ provinciæ, & Monasterii &c.*

Donationem Sixtus IV. rogatu Communis Catharensis approbavit eodem anno, suisque litteris confirmavit: *Sixtus &c. Dilectis Filiis Vicario & FF. provinciæ Dalm. sub obedientia Vicarii Cismontani Ord. Min. de Observantia degentibus. Dilecti Filii, salutem & Apost. bened. Annuentes paterno affectu, pio & laudabili desiderio dilectorum filiorum populi Catharensis, ac Florii Rectoris Ecclesiæ S. Mariæ de Gratia, sitæ in parva insula sinus Catharen. qui Ordini vestro, pro ea, quam ad illam gerunt, devotione, Ecclesiam ipsam dare, & assignare intendunt, prout etiam ad id consensum Ordinarii loci accedere asserunt; vobis tenore præsentium, si ita sit, licentiam & facultatem concedimus Ecclesiam prædictam cum omnibus suis juribus, & pertinentiis recipiendi, & Ordini vestro præfato applicandi; eamque cum necessariis ædificiis ædificandi, seu ampliandi; & per vestros Fratres habitare faciendi, sine tamen cujusque præjudicio; indulgentes pariter, ut illa omnibus, & singulis gratiis, privilegiis, & immunitatibus gaudeat, quibus gaudent, seu gaudebunt cæteræ Ecclesiæ & domus Ordinis præfati. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatorio die* 21. *Octobris* 1480. *Pontificatus nostri anno duodecimo.*

Donationem Sixtus IV. approbavit suis litteris.

Vix Fratres Minores adierant possessionem Templi ac Monasterii sibi traditi, cum Canonici Cælestini Congregationis Venetæ Georgianæ, ut eos expellerent, litem eisdem intulerunt, id causæ, opinor, afferentes, quod P. Florius, injussu Præsidum ejusdem Congregationis, ipse suo arbitratu totum illud negotium cum Fratri-

Canonici Cælestini de Templo ac Cœnobio Mariano litem intendunt Fratribus Franciscanis.

Digitized by Google

tribus Franciscanis transegisset. P. D. Nicolaus de Pellegrina patritius Catharensis ex eadem Congreg. Cœlestina constitutus est procurator, qui communem causam ageret, remque lite atque judicio persequeretur. Hic ab Innocentio VIII. judices ad eam controversiam dirimendam postulavit atque impetravit. Verum Senatus Venetus vetuit judices extraneos ad ejus causæ cognitionem adhiberi; simulque decrevit secundum Fratres Minores litteris regiis ad Rectorem Cathari datis in hanc sententiam: *Joannes Mocenigo Dux Ven. Nobb. & Sapp. viris Marino Zeno Rectori & Provisori Cathari, & successoribus &c. Quidam Presbyter Nicolaus Nob. Cath. de Pellegrina Ord. S. Georgii in Alga impetravit Judices Apostolicos in Romana Curia, circa beneficium insulæ, sive scopuli B. Mariæ de Gratia de Catharo, contra FF. Minores de Observantia, tunc existentes in possessione dicti scopuli, & Ecclesiæ de consensu Dampni Florii olim gubernatoris Ecclesiæ illius, alias per ipsum Ducem constituti, nec non de consensu Communitatis Catharensis, & confirmatione Pontificia. Id actum esse Nicolaus ægre ferens &c. Jubemus FF. Minores conservari in corporali possessione dicti scopuli, nec permitti pacto aliquo, quod Judices electi prosequantur hanc causam &c. Dat. XV. April. Indict. II. an. 1484.*

Ita per aliquot annos Fratres S. Francisci Templum illud & Cœnobium Marianum tenuerunt; nec tamen utriusque recuperandi voluntatem spemque abjecit Congregatio Veneta S. Georgii *in Alga*. Forte evenit, ut Nicolaus Francus Episcopus Tarvisinus ab Innocentio VIII. in Dalmatiam mitteretur, titulo ac potestate Visitatoris Apostolici præditus, ad res illarum Ecclesiarum inspiciundas, & si quid detrimenti cepissent, in integrum restituendas. Ad hunc suos oratores eadem Congregatio delegavit, qui ab eo suppliciter peterent litteras ad Vicarium Generalem Petri de Brutis Episcopi Catharensis; easque impetrarunt. Caput autem litterarum erat, ut judicium illis redderet, ac de controversia, quæ ipsis erat cum Fratribus Franciscanis, rite cognosceret, ferretque pro veritate sententiam. Ille secundum Canonicos Georgianos judicavit; jussitque ut intra decem a prolata sententia dies, in possessionem Templi ac Cœnobii Mariani redirent. Verum plures dies, alii ex aliis intercesserunt, antequam Canonici Cœlestini in ædes sibi restitutas remigrarent; nescio quid impedimenti causæque intervenerit oportet, quo minus statim, ac tempore præfinito id efficere potuerint. Demum pristinas sedes, Fratrum discessu vacuas, ex Vicarii sententia recuperarunt atque adierunt: illisque Præses & Rector præpositus fuit Nicolaus de Pellegrina, quem hujus causæ procuratorem constitutum fuisse diximus. Sententiæ Vicarii Catharensis neque intercesserunt, neque ad Sedem Apostolicam, vel alio appellarunt Patres Franciscani; sed sententiam illam prodesse & suffragari Canonicis non posse ajebant, quod, cum intra legitimum tempus ab ea præstitutum traditam sibi possessionem non adiissent, omnis ejus auctoritas conciderat; & quidquid Vicarius secundum illos decreverat, ratum esse non posse; ipsorum quippe mora, & procrastinatio irritum fecerat. Exinde neque Fratres Franciscani, neque horum fautores molesti esse Canonicis Cœlestinis, & negotium facessere desinebant. Hi ergo, ut objecta, conatusque adversariorum eliderent, Alexandrum VI. Pontificem per suos oratores rogarunt, ut viros dignitate conspicuos, jurisperitos, probatæ fidei atque integritatis, constitueret arbitros, qui tum sententiam Vicarii Catharensis, tum quæ ad eam infirmandam objiciebantur, in disquisitionem vocarent; & si hæc inania esse, illam legitimam fuisse compererint, tum ipsam sententiam, tum possessionem illius loci, de quo controversia erat, traditam Canonicis Congregationis Georgianæ approbarent, & confirmarent; ac ne ullus in posterum contradictioni locus esse posset, adversantes repugnantesque, metu pœnarum Ecclesiasticarum injecto, compescerent. Formula libelli supplicis, quem ad Pontificem detulerunt, hæc est.

Idem pristinas sedes recuperarunt, Franciscanis expulsis.

& ad sententiam confirmandam Judices petunt ab Alexandro VI.

Supplex eorum libellus.

Beatissime Pater. Olim cum devoti Oratores Vener. Canonicæ Congregationis S. Georgii in Allega Venetiarum, certa domo & Ecclesia in Civitate Catharensi eis canonice & rite concessa, & donata, per Fratres Ord. Min. de facto spoliati fuissent, ac præfati Canonici quasdam litteras super spolio hujusmodi a devota creatura vestra Nicolao Episcopo Tarvisino, in partibus illis Sedis Apostolicæ Nuncio, ad Vicarium Episcopi Catharensis in spiritualibus generalem obtinuissent, tandem præfatus Vicarius in causa hujusmodi rite procedens, definitivam, per quam dictos Canonicos restituendos fore, & restituit, sententiam promulgavit, quæ nulla provocatione suspensa, in rem transivit judicatam, & cujus vigore præfati Canonici possessionem suam recuperarunt. Cum autem, Pater Sancte, pro eo quod dictus Judex ante decem dies sententiam hujusmodi executioni demandari mandavit, licet præfati Canonici longe post decem dies dictos possessionem hujusmodi fuerint assecuti, dubitetur de jutibus dictæ possessionis; supplicant humiliter Sanctitatem vestram præfati Oratores, quatenus super hoc opportune providere, & aliquibus probis viris in partibus illis committere, & mandare dignemini, ut constito eis de sententia hujusmodi, & quod rite lata fuerit, ac in rem transierit judicatam, ipsique Canonici possessionem hujusmodi post dictos decem dies fuerint assecuti, sententiam & possessionem hujusmodi approbent & confirment, faciantque sententiam istam firmiter observari, & dictos Canonicos in sua possessione hujusmodi confirmari; contradictores per censuras ecclesiasticas, & alia juris remedia, appellatione postposita compescendo; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus præmissis &c.

Annuit Pontifex, & causæ illius cognitionem delegavit Petro Baroccio Episcopo, & Nicolao de Castro Canonico Ecclesiæ Patavinæ; hic vero ex potestate sibi a Pontifice facta, ad exsequendum mandatum Pontificium sibi substituit, sive subdelegavit Hieronymum Brixiensem e Congregatione Humiliatorum, Rectorem Domus Patavinæ ejusdem Ordinis, SS. Simeonis, & Judæ. Sed cum ad hujus controversiæ disquisitionem quædam cognitu necessaria, & propter locorum distantiam investigatu difficilia requiri videbantur, quæ sciri ac dijudicari non poterant, nisi ex incolis vel accolis ipsius loci, de quo disceptandum erat, testes & testificationes peterentur, causam integram ad Sedem remittendam esse censuerunt, his litteris ad Pontificem rescriptis.

Judices rescriptis ad Pontifi-

Sanctissimo in Christo Patri, ac Beatissimo Domino Domino Alexandro divina providentia Papa

eem litteris, rem injudicatam ad eamdem remiserat.

pa VI. Petrus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Patavinus, & Comes Saccenſis; & Hieronymus Brixienſis Præpoſitus SS. Simonis & Judæ de Padua Ordinis Humiliatorum, Delegatus, & Subdelegatus, commendationem humillimam, & pedum oſcula beatorum. Cauſam mihi Epiſcopo, & Vener. D. Nicolao de Caſtro Canonico Paduano, a Sanctitate veſtra per litteras in forma Brevis diei 25. Januarii 1493. cum ſupplicatione introcluſa data 19. Kalendas Februarii, delegatam inter Vicarium & Fratres Ord. Minorum de Obſervantia provinciæ Dalmatiæ, & Rectorem atque Canonicos S. Georgii in Alga Venetiarum, ſuper domo S. Mariæ Gratiarum, inſulæ parvæ Catharen. diœceſis, per dictos Rectorem atque Canonicos de præſenti poſſeſſa: quia pro parte Rectoris & Canonicorum ſupradictorum negabatur ipſos dediſſe aliquod mandatum, ſuper conſenſu ſequeſtrationis primo & ante omnia penes tertiam perſonam faciendæ; & probatio iſtius articuli propter locorum diſtantiam difficillima, & quæ nonniſi multo interjecto temporis fieret, videbatur; petentibus ita Fratribus Minoribus antedictis, & Procuratore Rectoris, & Canonicorum non contradicente, ad ſapientiſſimum, atque juſtiſſimum Beatitudinis veſtræ tribunal, in eo ſtatu, in quo ante nos erat, hoc eſt ante litis conteſtationem, & ſuper competentia pronunciationem, heſterna die, communi conſenſu remiſimus, & hodie litteras remittimus. Dat. Paduæ die quinta Junii 1493.

Canonicis Rector præpoſitus Nicolaus de Pellegrinis.

Interea dum lis ſub judice pendebat, Canonici Cæleſtini Congregationis Venetæ S. Georgii Templum ac Cœnobium illud Marianum retinebant, atque incolebant, ſed non ſine moleſtiis & contradictionibus, Præfecturam gerebat P. D. Nicolaus de Pellegrina patritius Catharenſis, vir ſingularis prudentiæ ac religionis. Hunc & ſocios, ut diſcedere cogerent, & locum illud vacuum relinquere Patribus Franciſcanis, quidam homines male erga illos animati, fautoreſque Ordinis Franciſcani aſſiduis & multimodis inſectationibus agitare ac divexare non deſinebant. Has injurias & vexationes Nicolaus ſumma animi æquitate, & invicta conſtantia ſatis diu pertulit, neque his perpelli potuit, ut loco cederet: quin ex literis Catharenſis Capituli, & cleri, de quibus dicendum inferius, certum eſt, eo iſtorum hominum audaciam proceſſiſſe, ut Canonicos e loco pellerent, & ædibus, ac templo ſpoliarent; ſed de injuria, ac vi illata apud Pontificem appellati per Apoſtolicos Legatos coacti ſunt in officio contineri; horumque ſententia Georgianis Canonicis locorum reſtitutio facta eſt, & tranquillitas reddita. Sed ab importuna, & moleſta exagitatione adverſarii minime deſtiterunt, & ab Vicario Dalmaticæ provinciæ F. Bernardino de Arbo negotii hujuſce procuratio demandata eſt cuidam ex Ordine F. Franciſco de Draconibus Catharenſi, ut quovis coram judice jura Franciſcanæ familiæ perſequeretur, & actionem litis ſtudioſiſſime urgeret; ut ex hujuſmodi literis procuratoriis liquet.

qui novis injuriis vexatus, quid ſibi agendum, conſulit Præfidem Generalem.

Anno 1493. Ind. undecima, die 27. menſis Novemb. Jadræ. F. Bernardinus de Arbo Ord. Minorum de Obſervant. Vicarius provinciæ Dalmatiæ, ejuſdem provinciæ nomine, & ſuo inſtituit procuratorem, actorem, factorem, & nuncium ſpecialem coram Pontifice ſummo, aut quocumque alio Judice Eccleſiaſtico, vel temporali, F. Franciſcum de Draconibus de Catharo Ordinis præfati . . . . & acceptantem in cauſa, lite, & controverſia vertente inter ipſum Vicarium, & FF. præfata provinciæ ex una parte, & Ven. Religioſos Congregationis S. Georgii in Alga diſtrictus Venetiarum ex altera, in occaſione cujuſdam domus, & loci S. Mariæ Gratiarum in Scopulo diœceſis Catharenſis &c.

Reſponſum Præſidis Generalis.

Quapropter Nicolaus Rector admonendum tandem cenſuit Franciſcum Paradiſum Rectorem Generalem Congregationis S. Georgii in Alga; & quid ſibi faciendum eſſet, per literas conſuluit. Ille ad eum reſcripſit in hanc fere ſententiam: ſummopere commendat ejus patientiam in vexationibus perferendis, & conſtantiam in ſtatione illa retinenda, quam Sedes Apoſtolica Congregationi Georgianæ conceſſerat. Diploma Pontificium ſive Pii II. ſive Pauli II. literis incluſum mittit, cujus auctoritate nixus ſuam, & communem Congregationis cauſſam modeſte quidem, ſed fortiter tueatur; ſe litigia cum Fratribus Franciſcanis ſuſcipere nolle; neque vero alios Fratres ſui Ordinis illuc miſſurum, antequam adverſarii quieſcerent, & loci poſſeſſionem pacatam relinquerent: cæterum poteſtatem ei permittere, ut pro ſua prudentia, & de conſilio ſapientum virorum id faceret, quod utilius eſſet, quodque magis expediret: ſi tamen loco cedendum eſſe judicaret, templum ac cœnobium nullis aliis traderet, niſi Patribus Dominicanis Catharenſibus S. Nicolai, quorum multa erant & illuſtria erga Congregationem S. Georgii merita, & beneſacta. Hæc ſummæ hujus Epiſtolæ, cujus inſcriptio eſt: *Servo Dei in Chriſto D. Nicolao Catharenſi Rectori Eccleſiæ S. Mariæ Gratiarum inſulæ parvæ in Gulpho Catharenſi cum ſociis amentiſſimis mihi in Domino:* ſubſcriptio autem: *Ex Monaſterio S. Georgii in Alga die 5. Junii 1495. Venetiis. Ego Dominus Franciſcus Paradiſus Rector immeritus Congregationis S. Georgii in Alga.*

His litteris confirmatus, & Pontificii Diplomatis auctoritate fretus Nicolaus per annos viginti adverſariorum conatibus conſtantiſſime reſtitit. Sed cum illi de contentione nihil remitterent, quin immo magis magiſque in dies importuni ac moleſti eſſent; & præterea reliqui Fratres fere omnes tam diuturnæ vexationis impatientes, alii alio abiiſſent; cumque ob eam cauſſam, neque ſacratiſſimum illud Templum ſacrificiis, quotidiana pſalmodia, cæteriſque publicæ religionis officiis coli, neque diſciplina monaſtica vigere, ac ſervari poſſet; P. Nicolaus poteſtate ſibi tributa utendum eſſe, & locum dimittendum cenſuit. Obſtitere tamen Catharenſes Cathedralis Eccleſiæ Canonici, queis ſumma inerat de Georgianis Patribus exiſtimatio, nec minor cura illos in poſſeſſione Marianæ ædis retinendi: quare hoc anno 1516. Ludovicus ejuſdem Eccleſiæ Canonicus Venetias ire juſſus, &, rerum ſtatu expoſito, vehementer Canonicos S. Georgii orare Capituli & cleri Catharenſis nomine, ne ab urbe, ac ſtatione illa decederent; eodemque tempore Andreas Catharenſis civis, & Canonicus Georgianus ab ipſomet Capitulo & Clero Eccleſiæ Catharenſis Romam miſſus eſt, qui cum Canonicis S. Salvatoris in Lauro ejuſdem Georgianæ Congregationis, negotium hoc ſollicite ageret, multoque impenſius cum Tryphone Epiſcopo, qui tum Romæ Lateranenſi Concilio intererat, ut a Leone Pontifice opem expoſcerent, cujus au-

Catharenſes Capitulum retinere nititur Cæleſtinos.

Digitized by Google

ctoritate, atque decreto adversariorum vis, & injusti conatus penitus infringerentur. Hæc ex literis comperi Capituli & Cleri Catharensis ad Bernardinum Ganassonum supremo Georgianæ Congregationis regimini præfectum, & primores Canonicos, datis IV. Cal. Decembres anni 1516. quas ex Tabulario S. Georgii in Alga edidit idem Thomasinus in suis Annal. Literarum vero, quibus hæc inscriptio præponitur, *Reverendis in Christo Patribus Dominis Bernardino Ganassono Generali, & Deputatis Congregationis S. Georgii in Alga Venetiarum tanquam Patribus Observandis*, summa præterea est; velle se, Georgianos Canonicos in Catharensi urbe, & Mariana æde omnino consistere, cujus antiquam possessionem tum Romani Pontificis, tum Catharensis Communis publico diplomate obtinuerunt; indignum Georgiani Canonicorum nominis esse, si cedant, iniquam plane Franciscanorum Patrum vexationem a Pontificiis legatis declaratam fuisse; rogare autem, atque obtestari, ne sinant, Catharensem Ecclesiam hoc Georgiani Monasterii ornamento, Marianam ædem suo cultu exui, atque injuria viduari: tum addita subscriptionis formula; *Cathari die XXVIII. Novembris MDXVI. Capitulum Canonicorum Catharen. & Clerus PP.* Sed irritum cessisse Catharensis Capituli studium, irritam Andreæ legationem Romanam, ipso constat eventu. Nicolaus enim ex præscripto Rectoris ac Præsidis totius Congregationis Catharum profectus, in Cœnobio S. Nicolai Patribus Dominicanis & Templum & Cœnobium illud, & quidquid bonorum ac rerum ad utrumque pertinebat, solemni ritu & formula tradidit, duplici adjecta conditione, ut iidem Patres Dominicani singulis annis, pro Patribus & Fratribus Congregationis Georgianæ iisdem vita functis & sepultis, sacrum anniversarium facerent; altera vero, ut P. Nicolao, & ejus socio laico, itemque eorum famulo, quoad vixerint, domicilium in eodem loco, & victum, & vestitum præberent; interea, dum hujus traditionis & cessionis approbatio, ab Romano Pontifice petenda, ex urbe afferretur, P. Nicolaus nomine Patrum Cœnobii Dominicani Catharensis locum illum custodiret ac teneret. Illa omnia coram testibus legitime acta sunt, & publici scribæ manu in tabulis descripta ad hunc modum.

Nicolaus Templum & Cœnobium dimisit, & Patribus Dominicanis possidendum tradidit.

Tabulæ traditionis.

In nomine Christi Amen. Anno ipsius Nativitatis 1516. Indict. IV. die 6. m. Junii. Actum Cathari in Conventu S. Nicolai Ven. Fratrum Ord. Prædic. de Observantia; ibique Reverendus D. F. Nicolaus Ord. Cælestinorum, & Rector S. Mariæ Gratiarum de insula parva Gulphi Catharen. comparuit coram me Notario, & FF. infrascriptis, atque præsentavit litteras missivas, integras, sanas, non abrasas, non vitiatas, nec in aliqua earum parte suspectas, sed omni prorsus vitio, & suspicione carentes, sigillo S. Georgii, cum cera rubea, impressione munitas, quibus lectis per me Notarium de verbo ad verbum, idem R. D. F. Nicolaus rogavit, & requisivit illas in præsenti cessionis, sive renunciationis Instrumento registrari. Quarum litterarum tenor talis sequitur &c. Hic apposita est Epistola P. Francisci Paradisi Præsidis totius Congregationis Georgianæ, cujus initium est hujusmodi: *In Domino Jesu Christo humanissime Frater. Quia juxta propheticum dictum Dominus Jesus a dextris est omnibus providentibus bona in conspectu ejus, ut non commoveantur &c.*

In quarum quidem litterarum plenitudine, satisfactione, executione, præfatus namque R. D. F. Nicolaus Rector memoratæ Ecclesiæ S. Mariæ insulæ parvæ Gulphi Catharen. non intendens Ecclesiam ipsam, sive Monasterium amplius tenere, & custodire multis respectibus, & maxime quia Ecclesia ipsa patitur in divinis officiis; sed memor multorum beneficiorum per ipsum & socios consecutorum ab infrascriptis Ven. FF. S. Dominici de Observantia, faciens auctoritate præmissa, & qua fungitur, per se, & vice, & nomine socii sui D. Joannis Catharen. qui similiter laudavit & approbavit præsentem cessionem, & omnibus aliis melioribus modis, via, jure, & forma, quibus melius & validius facere potuit; & post hac, tamen si, ut in quantum sanctissimus Summus Pontifex D. noster in terris assenserit, cessit, & jure cessionis irrevocabilis, renunciavit Reverendo Domino Fratri Vincentio Catharen. Ord. Prædicatorum benemerito Provinciali in partibus Dalmatiæ, licet absenti, sed præsente Venerando D. F. Luca de Spaleto Subpriori in præfato Conventu S. Nicolai de Catharo, vice ac nomine præfati Domini Provincialis, & totius Religionis S. Dominici de Observantia acceptante, & stipulante, omnes & singulas actiones, jurisdictiones cum suis juribus, terris, introitibus, & proventibus, quovis titulo, jure, & nomine quomodocumque, & qualitercumque spectantibus, & pertinentibus, præfatæ Ecclesiæ, seu loco S. Mariæ insulæ parvæ, præsens idem Reverendus D. Fr. Nicolaus in omnibus juribus, & actionibus præmissis, præfatum D. Lucam præsentem, & ut supra acceptantem, & stipulantem mittit in omne suum jus & locum de dicta Ecclesia, loco, & bonis suis, hac tamen lege, & conditionibus infrascriptis, quod præfati Venerabiles Fratres annuatim singulo anno in posterum post octavam Paschæ teneantur celebrare unum Anniversarium pro animabus Venerabilium Fratrum præfatæ Ecclesiæ; ipsum quoque Dominum Fratrem Nicolaum, & Dominum Petrum Bolizzam conversum, ac Radicium famulum, donec vixerint, teneantur in dicto Conventu, sive loco S. Mariæ ipsos quoque induere, nutrire, & tractare, quemadmodum fient cæteri de familia. Quam quidem Ecclesiam sive locum S. Mariæ præmissæ cum singulis juribus, & actionibus suis idem Reverendus D. Frater Nicolaus se precario nomine prædictorum Ven. FF. Prædicatorum constituit possidere, donec ipsi, consensu Pontificis præmisso, acceperint tenutam & corporalem possessionem de dicta Ecclesia, & loco ipsius, quem in dicto casu accipiendi, & in se retinendi dedit omne suum jus eis, sive præfato Venerando Domino Fr. Lucæ pro aliis stipulanti, & intervenienti, promittens insuper præfatus Reverendus D. Frater Nicolaus omnia & singula suprascripta, & contenta in præsenti Instrumento semper habere firma, rata, & grata, & non contravenire per se, vel per interpositam personam aliquo modo, ingenio, ingratitudine, vel offensa, magna vel parva, sub obligatione omnium, & singulorum damnorum, & interesse litis &c. Actum ut supra præsentibus Domino Michaele quondam D. Bucchia, & D. Ludovico Bucchia q. D. Joannis Nobilibus Catharensibus tt. vocatis, nominatis, & rogatis.

Supradicto millesimo & Indict. die 7. Junii in Monasterio S. Mariæ de Catharo constitutus Ve-

ner.

Digitized by Google

ver. D. Joannes de Catharo Ordinis Cœleſtinorum, & ſocius in Monaſterio, ſive loco S. Mariæ inſulæ parvæ, & intellecto tenore præmiſſæ ceſſionis, & lectæ de verbo ad verbum per me Notarium, laudavit, & approbavit ceſſionem ipſam, ſive Inſtrumentum ipſius ceſſionis in omnibus, & per omnia .... præſentibus ad hæc teſtibus ſuperius nominatis, & rogatis.

Ego Pompejus Luſius Vicentinus Imper. auctor. Notarius publicus ſupraſcriptis omnibus præſens fui, rogatus ſcripſi, & exemplavi &c.

Pontifex Romanus & Tryphon Epiſcopus Templum ac Cœnobium Marianum, Fratribus Franciſcanis adjudicarunt.

Hanc abalienationem & traditionem Pontifex Romanus adeo non confirmavit, ut contra quam inter Nicolaum ejuſdem Templi ac Cœnobii Rectorem, & Patres Dominicanos convenerat, ſecundum Fratres Ord. Minorum S. Franciſci decreverit. Dum hæc Cathari agebantur, Tryphon Epiſcopus, qui tunc Romæ verſabatur, inſtante per litteras ac nuncios, & urgente Communi Catharenſium, Templum illud & cœnobium Fratribus Franciſcanis adjudicavit, & dominium duobus Fratribus ejuſdem Ordinis præſentibus, Bonaventuræ, & Bernardino, nomine Vicarii generalis provinciæ Dalmatiæ recipientibus, ex juris formula tradidit; ſuo autem Vicario generali per litteras imperavit, ut expulſis qui locum illum tenebant, Fratres S. Franciſci in legitimam ejuſdem loci poſſeſſionem immitteret, immiſſoſque tueretur ac defenderet; id conſtat ex ejus litteris Vicario, & Fratribus provinciæ Dalmatiæ inſcriptis, quæ ſunt hujuſmodi,

Epiſtola Tryphonis Epiſcopi, & ſententia.

Tryphon de Biſantiis, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Catharenſis, Dilectis nobis in Chriſto, Vicario & Fratribus provinciæ Dalmatiæ, ſalutem in Domino ſempiternum. Grata obſequia, & exemplaris vitæ, necnon morum gravitas, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, quibus perſonas veſtras novimus inſignitas, nos inducunt, ut vobis reddamur ad gratiam liberales. Cum . . . . . itaque Eccleſia Sanctæ Mariæ de Gratia in Scopulo, noſtræ diœceſis Catharenſis, quam quidam quondam Florius laicus, qui ſe gerebat pro uno ex Congregatione Sancti Georgii de Alga, eamdem Eccleſiam poſſidebat, eamque tranſtulit in dominio & regimine præfatorum Fratrum Minorum, qui illam exemplariter rexerunt; poſtea nonnulli iniquitatis filii, vigore aſſerti cujuſdam reſcripti, præfatos Fratres expulerunt, ibique aliqui apoſtatæ nullum titulum gerentes, ſed tantummodo ordinariæ juriſdictioni ſe ſubmittentes, eamque Eccleſiam eadem auctoritate regentes; modo civitas Cathari ob nonnulla ſcandala per eos perpetrata, & non gerentes vitam religioſam, nec adminiſtrantes Sacrificia, & alia officia divina, prout tenentur boni & religioſi, nec aliquod bonum exemplum vicinis ſuis præbuerunt, ac ſemper vixerunt cum maxima diſcordia & malo exemplo, pro quo Communitas Catharenſis reclamavit ad pedes Summi Pontificis, & ad nos tamquam Epiſcopum, & ad quem pertinet cujuſcumque indemnitatis proviſio. Quapropter nos præfatus Epiſcopus, volentes hujuſmodi indemnitati & ſcandalo providere; & ne præfata Eccleſia in futurum patiatur detrimentum in divinis; ideo meliori via, modo, & forma, quibus melius poſſumus, ad inſtantiam præfatæ Communitatis, prædictos Fratres, præſertim Fratres Dominum Bonaventuram Sibenicenſem, & Bernardinum Catharenſem, recipientes vice, & nomine R. Vicarii, & Fratrum provinciæ Dalmatiæ, in hujuſmodi Eccleſia inveſtimus, & de ea providemus auctoritate ordinaria in hac parte, qua fungimur; committentes de hujuſmodi proviſione, & inveſtitione Venerabili Vicario noſtro, & quibuſcumque aliis, ad quos præſentes noſtræ pervenerint, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna latæ ſententiæ, quam ipſo facto non parentes incurrere debeant, cum & quando requiſiti fuerint ſimul & in ſolidum, vel ſi in ſpecie requiſitus fuerit a præfatis Fratribus, vel ab eorumdem procuratore, ut eos, vel eum in poſſeſſione pacifica, vel quaſi intromittere, vel introducere debeat, ſeu debeant, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, & omnibus & ſingulis ceremoniis; & de tali introductione & inveſtitione per veſtras notificabitis, defendentes prædictos Fratres in hujuſmodi poſſeſſione, amoventes exinde quos, & quemlibet, illicitos detentores, quos, ſeu quem per præſentes amovemus. In quorum fidem has noſtras fieri, & per Notarium ſubſcribi juſſimus, ſigilloque noſtro oblongo communiri. Dat. Romæ in Palatio S. Marci, in Camera noſtra cubiculari die 17. Julii 1516. Indict. 4. Pontif. SS. D. N. Leonis Papæ X. anno quarto; præſentibus ibidem Ven. viris Presbytero Alberto Aſtenſi, & Hieronymo de Captaneis Clerico Novarienſi, teſtibus ad præmiſſa vocatis atque rogatis.

Ita eſt: Tryphon Epiſc. Catharen.

Ego Cæſar de Bellinis Romanus, & Rector Eccleſiæ S. Blaſii &c. pub. Imper. auct. Notarius de mandato præf. Reverendi D. Epiſcopi ſubſcripſi.

Sententiam Epiſcopi Leo X. binis litteris confirmavit, alteris ad Vicarium & Fratres Ordinis Franciſcanis Prov. Dalmatiæ IX. Kal. Auguſti, alteris ad Natalem de Draconibus Canonicum, atque ad Vicarium generalem Epiſcopi V. Id. Novembris eodem anno 1516. datis. Sunt autem hæ.

Quam Leo X. confirmavit binis epiſtolis.

Prima Leonis Epiſtola.

Leo Ep. Ser. Servorum Dei dilectis filiis Vicario Provinciali, & Fratribus Ord. Fratrum Min. provinciæ Dalm. ſecundum morem dicti Ord. ſalutem & Apoſtolicam benedict. Cum a nobis petitur quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Sane pro parte veſtra nuper nobis exhibita petitio continebat, quod poſtquam alias felic. record. Sixtus Papa IV. prædeceſſor noſter in Eccleſia S. Mariæ de Gratia in Scopulo Catharen. diœceſ. ad ſupplicationem Communis hominum ſeu populi Catharen. ac Florii tunc ipſius Eccleſiæ Rectoris, ſibi deſuper factam, Fratribus Ord. FF. Min. provin. Dalmatiæ juxta morem ejuſdem Ordinis inhabitandi, ibique domum ejuſdem Ordinis, pro eorum uſu, & habitatione propria ædificandi licentiam & facultatem indulſerat; & dicta domus per ejuſdem Ordinis Fratres dictæ provinciæ aliquamdiu inhabitata, & per vos filii certis ex cauſis deſerta fuerat; Venerabilis Frater noſter Tryphon Cathar. Epiſcopus, ad ſupplicationem humilem dictorum Communis, ſeu populi, præfatam domum vobis juxta litteras licentiæ & facultatis ejuſdem Sixti prædeceſſoris, inhabitandam denuo aſſignavit; veſque filii, in perſonam Bonaventuræ Sibenicenſis, & Bernardini Catharenſis dicti Ordinis Fratrum, veſtro nomine per impoſitionem Bireti capitibus eorumdem Fratrum, introduxit, & introduci, ac illam vobis cum omnibus juribus, ac pertinentiis ſuis libere inhabitandam re-

laxari mandavit, prout in quibusdam ejusdem Episcopi litteris, suo sigillo munitis, plenius dicitis contineri; quam quidem assignationem, & introductionem ipsius Episcopi pro illarum subsistentia firmiori a nobis Apostolico petistis munimine roborari. Nos itaque vestris in ea parte precibus annuentes, Episcopi assignationem, & introductionem hujusmodi, quæ rite & pie facta sunt, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarn. Dom. 1516. nono Cal. Augusti, Pontif. vestri anno IV.

Secunda Leonis Epistola.

Leo Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Natali de Draconibus Canonico Ecclesiæ Catharen. & Vicario Ven. Fratris nostri Episcopi Catharen. in spir. general. sal. & Apost. benedict. Querelam dilectorum filiorum Guardiani, ac Fratrum domus S. Bernardini Cathar. Ord. Fratrum Minorum accepimus, continentem, quod .... postquam felic. record. Sixtus Papa IV. prædecessor noster Ecclesiam S. Mariæ de Gratia in Scopulo Catharen. diœces. ad supplicationem Communitatis Catharen. universis Fratribus Ord. Fratrum Min. provinciæ Dalmatiæ, ubi querelantes ipsi consistunt, inhabitandi, inibique domum ejusdem Ordinis, pro eorum usu & habitatione perpetua, ædificandi licentiam, & facultatem indulserat, & dicta domus per ejusdem Ordinis Fratres aliquandiu inhabitata fuerat, Ven. Frater noster Tryphon Episcopus Catharen. ad supplicationem humilem dictorum Communis & populi, præfatam domum juxta litteras licentiæ, & facultatis ejusdem Sixti prædecessoris nostri, dictis Fratribus inhabitandam denuo assignaverit, illosque in ipsam possessionem vel quasi introduxerat, ac introduci mandaverat; & deinde præmissa per alias litteras nostras confirmata, & approbata fuerat, ac Fratres prædicti ejusdem Ecclesiæ possessionem legitime assecuti fuerint; tamen Vincentius, & quidam alii pro Fratribus Congregationis S. Georgii in Alga Venetiarum se gerentes, pretextu quarumdam litterarum per ipsos subreptitie, & obreptitie impetratarum, dictos querelantes, a possessione dictæ Ecclesiæ, propria auctoritate expellere, ipsosque illa spoliare nituntur, & forsan spoliaverunt in animarum suarum periculum, & ipsorum querelantium non modicum præjudicium, & gravamen. Quare pro parte ipsorum querelantium nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsos in possessione dictæ Ecclesiæ manuteneri, & defendi, & in eventum, in quem illi de facto spoliati fuerint, in ipsius possessione restitui, & redintegrari mandare, aliaque super his opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, & dictis querelantibus in eventum, in quem dicta Ecclesia fuerint spoliati, sicut justum fuerit, restitutis, & auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes quod decreveritis per censuras ecclesiasticas firmiter observari. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incar. Dominicæ 1516. VI. Id. Novembris, Pontific. nostri anno IV.

Franciscani aut neque Templum, nec Cœnobium receperunt; aut receptum paullo post amiserunt.

Sententia Tryphonis Episcopi, & confirmatio pontificia absterruit quidem Patres Dominicanos ab adeunda possessione illius Templi & Cœnobii Mariani; sed Patribus Franciscanis nihil profuit, nisi forte tunc quidem possessionem utriusque adepti fuerint, ut videtur colligi posse ex secunda Leonis Epistola; sed eam paullo post iterum depulsi amiserunt, ut infra dicemus. Ex secunda Leonis Papæ & superiore Tryphonis Epistola satis apparet, utrique malam opinionem de Canonicis Cælestinis ab eorum adversariis injectam fuisse; illos siquidem Tryphon *apostatas, filios iniquitatis*, satores discordiæ, & scandalorum appellat; Pontifex vero ait eosdem in possessionem ejus Templi ac Cœnobii per litteras surreptitias invasisse, aut invadere conari. Extat tertia in eamdem rem Epistola Leonis, qui falsa delatione, ut videtur, deceptus ait eadem illam & domum Marianam a Nicolao de Peregrina, ejusque sociis traditam fuisse Patribus Franciscanis, sive traditionem antea per Florium iisdem factam, ab eo confirmatam esse; cum eamdem ædem ac domum idem Nicolaus non Franciscanis, sed Dominicanis Cœnobitis tradiderit; ut tabulæ supra descriptæ declarant; nisi vero existimemus, Nicolaum post sententiam Episcopi, & Pontificiam confirmationem, quod dederat Dominicanis revocasse, atque in Franciscanos transtulisse; id quod conjici posse videtur ex tertia modo laudata Leonis Epistola; qui non modo Nicolaum Franciscanis ejus loci possessionem cessisse scribit; sed etiam possessionem ab illis captam confirmat, & supplet, si quid ei defuerit, aut requiri videretur, ut rata esset ac legitima. Hanc quoque tertiam Leonis Epistolam hic subjiciendam censeo, quæ tamen post primam ante secundam data fuit, & inter utramque interjecta.

Tertia Leonis Epistola.

Leo Ep. Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Vicario & Fratribus Ord. Min. S. Francisci de Observantia nuncup. prov. Dalmatiæ sal. & Apostolicam benedict. Exponi nobis nuper fecistis, quod postquam quondam Florius Canonicus Congregationis S. Georgii in Alga Venetiarum, & Ecclesiam, & Domum S. Mariæ de Gratia in Scopulo Catharen. diœces. tum obtinens Ecclesiam, & Domum hujusmodi, vobis de consensu tunc Ordinarii loci, & Communitatis Catharensis concesserat, ac felic. recordationis Sixtus Papa IV. prædecessor noster vobis Ecclesiam prædictam, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis recipiendi, & vestro Ordini applicandi facultatem, & in illa omnibus & singulis gratiis, quibus cæteræ Ecclesiæ, & Domus vestri Ordinis gaudebant, gaudendi concesserat; vestrique Ordinis Fratres Domum & Ecclesiam prædictam per duodecim annos pacifice rexerant; dictus Florius, & nonnulli alii ejus in hac parte consortes dictos Fratres a domo & Ecclesia expulerunt; ac deinde modernus Episcopus Catharen. ad instantiam dictæ Communitatis, domum & Ecclesiam prædictas vobis concessit; & dilectus filius Nicolaus Peregrina, qui dicto Florio interim vita functo in domum & Ecclesiam prædicta successit, & ejusdem Nicolai socii in iisdem Ecclesia & domo, concessionis vobis factæ hujusmodi concessionem, seu domum & Ecclesiam easdem vobis concesserunt, prout Sixti prædecessoris in forma Brevis, ac Episcoporum prædictorum litteris, & aliis scripturis, seu instrumentis desuper confectis plenius dicitis contineri; & sic vos domus & Ecclesia prædictarum cessionem forte minus solemniter assecuti fuistis. Quare supplicari nobis fecistis humiliter, & concessioni, & assecutioni hujusmodi, pro illarum subsistentia firmiori, robur Apostolicæ confirmationis adjicere, aliisque in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

rum. Nos igitur litterarum ac scripturarum tenores præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, concessionem, & assecutionem prædictas approbamus, & confirmamus, supplemusque omnes & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui intervenerint in eisdem; ac domum & Ecclesiam prædictas vobis de novo concedimus. Non obstantibus &c. Datum Civitatis vetulæ, Viterbien. diœc. sub annulo Piscatoris die 20. Octobris 1516. Pontific. nostri anno quarto.

Fratribus Franciscanis expulsis, priores domini & possessoret ædem ac domum Marianam retinuerunt.

Si Nicolaus cum sociis post sententiam Tryphonis Episcopi, & Pontificiam confirmationem, loco cessit; & tum ædem Marianam, tum domum eidem annexam Fratribus Franciscanis tradidit, ut in Epistola modo descripta Pontifex asserit; certe paullo post, Fratribus indidem expulsis, utramque repetierunt, auctore potissimum Vincentio cum aliis ejusdem Congregationis Georgianæ alumnis, ut idem Pontifex in altera Epistola secundo loco descripta se suspicari ostendit: *Tamen Vincentius*, inquit, *& quidam alii pro Fratribus Congregationis S. Georgii in Alga Venetiarum se gerentes, prætextu quarumdam litterarum per ipsos subreptitie, & obreptitie impetratarum, dictos querelantes a possessione dictæ Ecclesiæ propria auctoritate expellere, ipsosque illa spoliare nituntur; & forsan spoliaverunt in animarum suarum periculum &c.* Cæterum utcumque res fuerit, nequit tamen dubitari, quin utramque, Ecclesiam & domum, priores domini & possessores retinerent anno 1524. sed segregati ab Congregatione Veneta S. Georgii; qui, ut mihi videtur, institutum habitumque instituti Canonicorum Cælestinorum cum alterius Religiosi Ordinis professione commutarunt; nam qui antea *Canonici* appellabantur, postea *Cœnobitæ* dicti sunt, iidem scilicet in superioribus monumentis nominati, videlicet *Nicolaus Pellegrina, Vincentius cui de Draconibus* cognomen fuit, & *Petrus de Bolizza conversus*, quibus adde *Joannem de Bucchia*, & *Benedictum Mustum*, quem sibi *Priorem*, seu Præsidem constituerunt.

Post annos non ita multos, dissensio & alienatio Fratrum, tum ab suo Præside, tum inter se, rem perniciosissimam in Cœnobium illud invexit, seditionem atque discordiam. Tryphon Episcopus, rogatu ipsius Præsidis cum quatuor Canonicis ad visendum reformandumque Cœnobium accessit. Convocatis Fratribus sui adventus causam exposuit, illosque blanda simul, & gravi oratione ad concordiam cohortatus, ita omnium animos permovit, ut procumbentes ad pedes Præsidis pacem ab eo ac veniam peterent; ac præterea ut mutuas offensas, quas quisque acceperat, alter alteri condonaret, alii ab aliis deprecati sunt. Tryphon deinde leges quasdam, & præcepta, fere omnia ex antiquo Codice statutorum Congregationis Georgianæ, Cœnobitis imposuit, quibus præcipua capita cultus divini, & disciplinæ monachalis continentur.

Exortam inter eos discordiam sedavit Tryphon Episcopus,

Die 14. Decembris 1524.

qui Cœnobium visitavit,

Reverendissimus D. Episcopus prædictus Tryphon Bisantius ad instantiam & requisitionem R. D. Benedicti Musti Prioris Monasterii Deiparæ Virg. de Scopulo parvo, diœc. Catharen. extra muros, nuncupati de Gratia vulgariter, visitavit solemni ritu publice dictum Monasterium, sive Cœnobium, quod, prout ipse Prior edocuit, non est in præsenti de membro Congregationis S. Georgii in Alga Venetiarum, secus alias, prout supra, & suam Ecclesiam intra muros; præsentibus DD. Bernardo de Draconibus, Francisco Bolizza, Matthæo de Sanctis, & Natali de Draconibus, Canonicis Catharensibus. In quo Cœnobio sunt infrascripti Cœnobitæ R. Prior Dom. Benedictus Mustus, D. Nicolaus Pellegrina, D. Joannes de Bucchia, D. Vincentius de Draconibus Sacerdotes, & D. Petrus Bolizza conversus: qui quidem omnes ex persuasione prædicti Reverendissimi D. Episcopi, ante omnia alia petentes veniam, primum ab ipso Priore, & postea alter ab altero pro sua reconciliatione promiserunt stare sub obedientia Prioris, & hoc ad exhortationem, & institutionem prædicti Reverendissimi D. Episcopi ipsos exhortantis, & instituentis ad bene beateque vivendum, vitia fugienda, virtutes sectandas.

Qui quidem Reverendissimus D. Episcopus ex inquisitione facta, tam super vitam ipsorum Cœnobitarum, quam super divinis officiis, prout Sacri disponunt Canones, pro concordia, pace, bono, ac religioso statu eorumdem Cœnobitarum &c. & pro fidelium devotione magis amplianda decrevit, ac decernendo terminavit:

Primum ut omnes & singuli Cœnobitæ tam præsentes, quam futuri pareant in omnibus suo Priori, & ipsum tamquam animarum suarum Patrem, & Pastorem colant, ac venerentur.

Item ut inobedientes, & transgressores ac rixantes inter se, valeat Prior ac possit sub pœnis & censuris ecclesiasticis, prout in memoriali Constitutionum dictæ Congreg. S. Georgii in Alga continetur, reprehendere & ad obedientiam & concordiam reducere: repugnantibus vero & nolentibus, nobis significare, ut super hoc debite provideatur.

Item ut omnes celebrantes teneantur semper, priusquam ad Altare accedant sacrificaturi, omnesque alii, prout in eodem memoriali, sua peccata Priori, vel alteri Sacerdoti non incongruenti, humiliter confiteri, sub pœna suspensionis a divinis, & ab ingressu Ecclesiæ qualibet vice.

Item ut omnes teneantur in chorum venire, & devote ac studiose simul dicere horas canonicas statutis temporum momentis, tam nocturnis, quam diurnis, salvo justo impedimento, prout in prædicto memoriali.

Item perfectis horis matutinalibus, teneantur in eodem choro una dicere septem Psalmos Pœnitentiales pro salute Reipub. Christianæ, cum collectis semper de pace, & contra Paganos, & hoc ex institutione Sacri Concilii Lateranensis, ad consequendum x. annorum pro qualibet vice Indulgentiam.

Item ut singulis diebus Sabbatho teneantur omnes celebrare Missam in honorem Deiparæ Virginis, eaque perfecta, dicere Coronam ejusdem Sacratissimæ Virginis.

Item ut quolibet die Lunæ teneantur celebrare Missam pro defunctis benefactoribus; & Cœnobitis ibi quiescentibus, & facere processionem circa cœmeterium canendo De profundis cum collecta mortuorum.

Item ut quolibet anno teneantur cantare tres vigilias cum suis missis, pro quiescentibus ibi Confratribus, & Benefactoribus, unam scilicet ante Natalem Dominicum, alteram ante Resurrectionem, tertiam vero ante Pentecostem.

Item ut omnis rumor malus, murmuratioque cedat, resque mobiles ejusdem Templi perpetua

temporum ſerie conſerventur, terminavit, ut eadem res cuſtodiantur in capſa tribus clavibus clauſa, quarum unam teneat Prior, alteram Procurator, tertiam vero, cui ipſe Reverendiſſimus D. Epiſcopus dederit.

Item terminavit ut capſa eleemoſyna ſingulis menſibus, in Capitulo publico coram omnibus Cœnobitis aperiatur, & quidquid in ea fuerit, palam proponatur, prout in dicto memoriali.

Item ut nemo præſumat appropriare, vel penes ſe per unam horam retinere aliquam eleemoſynam, ſed ſtatim eam deferat ad Priorem.

Item ut nemo audeat, nec præſumat in dormitorium, aut in refectorium, vel in coquinam, prout in prælibato memoriali, fœminas cujuſcumque generis ullo tempore introducere.

Item ut nemo eorumdem Cœnobitarum ſpeciales proventus e ſuis ſtabilibus bonis tenere poſſit abſque licentia Prioris; & niſi aliquid ex dictis ipſi Cœnobio impendat, ut in dicto memoriali,

Item ut omnes teneantur perfecte ac diligenter obſervare omnes & ſingulas conſtitutiones prælibatæ Congregationis.

Quæ omnia & ſingula præmiſſa, & diſtincte poſita, prædictus Reverendiſſimus D. Epiſcopus præcepit, & mandavit in virtute S. Obedientiæ, & ſub pœna peccati mortalis, cum effectu, & inviolabiliter ab omnibus Cœnobitis cuſtodienda, & obſervanda; dando tamen & concedendo facultatem Reverendis Prioribus præſenti, & pro tempore exiſtentibus, moderandi, & diſpenſandi prædictam pœnam, ad hoc eorum conſcientiam onerando.

In dicta Eccleſia Monaſterii prædicti ſemper divinum officium decantatur, tam diurnum, quam nocturnum quotidie. In antedicta Eccleſia Deiparæ Virginis dicti Cœnobii celebratur Miſſa quotidie Conventualis ſuper altari majori. Habet tria altaria; ſupellectilem argenteam ſufficientem; tum etiam ſericam.

Imago Deiparæ, ſcilicet ſtatua, habet ſuper caput unam coronam regiam, cum duobus friſſetiis de ſubtus, & unam picciolam margaritam. Habet unam catenam longam argenteam duplicem; circa collum unum monile ex perlis; unum Agnum Dei, & unam Crucem cum duabus catenulis argenteis, argenteam; unam peciam de panno aureo; candelabra ſex aurea. Super campanile unam campanam, & aliam fractam, & alia hujuſmodi pretio æſtimabilia.

Reverendiſſimus D. Epiſcopus prædictus terminavit pro utilitate, & conſervatione Cœnobitarum prædictorum, ut fieret inventarium de bonis mobilibus, & ſtabilibus dicti Cœnobii; quod ibi coram ſua Reverendiſſima Dominatione fuit declaratum per Dominum Nicolaum Pellegrinam, uti majorem natu omnium.

Poſt Congregationem Cæleſtinorum S. Georgii in Alga extinctam, vel forteſſe antea, Fratres Franciſcani de Obſervantia in poſſeſſionem hujus templi, ac Cœnobii migrarunt, & ſæculo proximo ab illis cultum, & inhabitatum fuiſſe declarat Epiſtola Urbani VIII. ſuo tempori, & loco inſerenda.

Paulinum ſacrarum Virginum Cœnobium inſtituitur.

Sub Tryphone Epiſcopo anno 1520. Patres Dominicani Catharenſes in ædibus S. Paulli, unde eos in ſuburbanum S. Nicolai Monaſterium diximus commigraſſe anno 1344., inſtituerunt collegium ſacrarum Virginum, quæ vitam religioſam e præſcripto S. Dominici profiterentur; & complures ex ea civitate adoleſcentulæ eximiæ indolis, ac probitatis in illud certatim, & ſummo cum ſtudio nomen dederunt.

Tryphoni Epiſcopo Lucas fratris filius adjutor datus, & ſucceſſor.

Anno 1524. Tryphon a Clemente VII. impetravit, ut Lucam fratris filium annos unum & viginti natum ſpeciali conceſſione ad ſuſtinendum, gerendumque munus epiſcopale, adjutorem jure ſucceſſionis ſibi daret. Cum vero Lucas in tabulis Catharenſibus an. 1532. menſe Februario confectis, adhuc *Electus* nominetur; eodem autem anno menſe Julio *Epiſcopus* ſine appoſito *electi* vocabulo appelletur; id argumento eſt, Tryphonem uſque ad annum 1532. retinuiſſe titulum, ac ſedem Epiſcopalem. Hoc igitur anno poſt menſem Februarium depoſito Pontificatu in vitam privatam ſeceſſit, & poſt annos octenos placide, pieque tranſactos, migravit ad ſuperos anno 1540. Diploma Pontificium hoc eſt.

Clementis VII. P. diploma.

Clemens Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis univerſis vaſſallis Eccleſiæ Catharen. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Hodie dilectum filium Lucam Biſantium Canonicum Catharen. in vigeſimo primo, vel circa ſuæ ætatis anno, conſtituimus Ven. F. noſtro Tryphoni Epiſcopo Catharen. Coadjutorem in regimine, & adminiſtratione Eccleſiæ Catharen. quamdiu ipſe Tryphon Epiſcopus illi præeſſet, ejuſdem Tryphonis Epiſcopi ad id expreſſo accedente conſenſu; & ipſo Tryphone Epiſcopo cedente, vel decedente, ſeu præfatæ Eccleſiæ alias quomodolibet præeſſe deſinente, & illa quovis modo vacante, etiam apud Sedem Apoſtolicam, ex tunc, prout ex ea die; & e contra, ſi contigerit, ipſum Tryphonem Epiſcopum cedere, vel decedere, aut eamdem Eccleſiam vacare, antequam idem Lucas vigeſimum ſeptimum dictæ ætatis annum attingeret, Adminiſtratorem in ſpiritualibus, & temporalibus ipſius Eccleſiæ, donec 27. annum ætatis hujuſmodi attingeret, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolica auctoritate conſtituimus, & deputavimus; & deinde cum dictum 27. annum attigerit, ſimiliter ex tunc, prout ex ea die, & e contra in perſona ejuſdem Lucæ, nobis, & Fratribus noſtris ob ſuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de ſimili conſilio, auctoritate prædicta providimus, ipſumque illi in Epiſcopum, & Paſtorem præfectum fore decrevimus; curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ, dicta adminiſtratione durante, ſibi in ſpiritualibus, ac temporalibus plenarie committendo, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Quocirca univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eumdem Lucam Coadjutorem, & futurum electum Catharenſem devote ſuſcipientes, & debita honorificentia proſequentes, & etiam in iis, quæ ad hujuſmodi Coadjutoris officium pertinent, fidelitatem ſolitam, necnon conſueta ſervitia, & jura ſibi a vobis debita, exhibere integre ſtudeatis: alioquin ſententiam, ſive pœnam, quam idem Lucas Coadjutor, & futurus electus vite tulerit, ſive ſtatuerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarn. Domin. 1524. VIII. Idus Julii, Anno Pontificatus noſtri primo.

LUCAS EPISC. CATHAREN. XLII.

Lucas Epiſc. in Peraſtinos ſacrilegos

Ex eadem familia Biſantia patrui primum adjutor, deinde ſucceſſor, vir ſummi conſilii, & maximi animi, qui per annos amplius qua-

dra-

Digitized by Google

sententiam excommunicationis profert,

draginta partim cum Tryphone patruo, partim per se ipse rem Christianam atque ecclesiasticam sapienter administravit. Immane, exsecrandum, dictuque horrendum facinus a Perastinis perpetratum, qua dignum erat animadversione, vindicavit, Pompejus Pasqualis erat Abbas Commendatarius S. Georgii, idemque rector & curator animarum oppido Perasti præpositus, quem quidam oppidani insana rabie ac furore diabolico perciti sacra mysteria peragentem post consecrationem divinissimi Corporis & Sanguinis frustra obsecrantem obtestantemque per illa ipsa sacrosancta mysteria, ut tantisper iræ parcerent, dum sacrificium absolveret, multis vulneribus confossum per inauditam & sacrilegam crudelitatem interfecerunt an. 1534. v. Non. Maji; corpus vero pedibus tractum & laceratum projectum in altam foveam lapidibus obruerunt. De facto tam atroci & exsecrando, ad cujus nuntium aures omnium animique exhorruerunt, quæstione rite habita & peracta, triduo post Lucas Episcopus in ede cathedrali, ad quam ingens hominum multitudo confluxerat, sacerdotali vestitu atque ornatu sedens in throno pontificio, sollemni formula, & ceremonia pronuntiavit, sacrilegos interfectores ab Ecclesiis segregatos, & sacrorum omnium communione privatos esse, quibus nec urbanitatis jura, nec officiorum vicissitudinem reddi liceret, eorumque congressum & colloquium ab omnibus vitandum esse. Hæc autem est sententia in eos prolata.

Lucas Bisantius Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Catbari. Quoniam præterita die Festo Inventionis S. Crucis de mane homines de Perasto, posthabita hominum verecundia, Dei Altissimi timore, & Sancti hujus nominis reverentia penitus spretis, in maximum totius civitatis hujus nostræ, ac ejus diœcesis scandalum, commotionem, ac detrimentum, in animarum perniciem, necnon totius sacerdotalis ordinis ac dignitatis, ac sacrosanctæ Catholicæ Ecclesiæ dedecus, vilipendium, & ignominiam, nefandissimi & sacrilegi homicidæ, ac parricidæ potius, nulla injuria, verbo, aut opere provocati, sed spiritu procul dubio ac ductu diabolico concitati, variis armorum generibus muniti, ingressique alii super muros Monasterii, & tectum Ecclesiæ S. Georgii, alii apertis sibi januis per insidias, aggressi fuissent D. Pompejum de Pasqualibus Commendatarium S. Georgii prædicti, ipsorum hominum de Perasto Curatum proprium & Prælatum specialem, celebrantem personaliter Missam in Ecclesia sua prædicta S. Georgii ad altare majus, ac dum inter celebrandum post elevationem esset proximus, ut incipiat Pater noster, ipsum D. Commendatarium, proh dolor! sacratissimum Corpus Domini Nostri Jesu Christi in manibus tenentem & moram aliqualem, ut Missam prædictam perficere liceat, humiliter exposcentem, infidelissimi Christicolæ variis generibus armorum, & prout quisque potuit, nullo ad dignissimum Corpus & Sanguinem Dominicum habito respectu, crudeliter, ac detestabiliter pluribus vulneribus & plagis interfecerunt, ipsum sacratissimum Corpus Dominicum in terram projici ac provolvi, necnon sacrum calicem cum pretiosissimo Sanguine dejici & effundi prorsus, ut & sanguinem ipsius D. Commendatarii, & totum Sacramentum nobilissimum permisceri ac indecentius conculcari ..... savissimi non parcentes; eoque non contenti corpus exanime dicti Commendatarii trahentes pedibus extra Monasterium posuerunt in quadam fovea prope hortum, super id acervum magnum lapidum facientes, ita ut ejus cadaver operiretur totum lapidibus, prout in processu desuper fabricato latius continetur. Quocirca cupientes ex debito pastoralis officii nostri in prædictos nefandissimos sacrilegos juxta sacrorum Canonum dispositiones animadvertere, ne de suo hujusmodi inaudito scelere, ac incredibili gloriari valeant, sed ut eorum pœna aliorum sit exemplum, dictos sacrilegos homines de Perasto omnes & singulos, qui prædictum D. Commendatarium, sicut supra, occiderunt, & eos, qui ipsis ad id scelus perpetrandum dederunt consilium, auxilium, tutelam, defensionem vel favorem, tenore præsentium denuntiamus, declaramus, decernimus excommunicatos, maledictos, & anathematis gladio perculsos, ab omnibus propterea Christifidelibus utriusque sexus, donec hujusmodi infelicissimi homines vinculo innodati perstiterint, tam in oratione, quam in locutione, salutatione, conversatione, & alio quovis hujusmodi commercii genere tamquam maledictos, & ab unitione & unione sacrosanctæ Ecclesiæ Catholicæ recisos, abscissos, a jure diligenti studio evitandos.

Data & lata fuit suprascripta denuntiatio per præfatum Reverendissimum D. Episcopum sedentem in Ecclesia Cathedrali S. Tryphonis, lecta vero & de suo mandato publicata fuit alta & intelligibili voce infra Missarum solemnia publice, astante magna fidelium multitudine, per me Notarium & Cancellarium infrascriptum, in die festo Ascensionis Domini VI. *scilicet die Maji* 1554. *sequente sono campanarum de more, ac apposita cedula valvis prædictæ Ecclesiæ causam denuntiationis supradictæ assignante ad omnium notitiam & intelligentiam.*

Floruit per hæc tempora insignis doctrina ac episcopali dignitate vir Joannes Albertus Duimius civis Catharensis, de quo, cum plura in Episcopis Modrussiensibus, & Veglensibus dicta sunt, tum alia addenda nobis supersunt, quibus superiora corrigantur, & celeberrimi viri memoria debitis laudibus commendetur apud Catharenses, quos sua virtute rebusque a se gestis pro Catholica religione maxime ornavit. Is natus est ex familia *Duimia*, cui aliud cognomen additum *de Gliricis*, ut ex Echardo in Tomo II. Bibl. Dominic. & ex Caraffa Tomo II. de Professoribus Gymnasii Rom. didicimus. Hinc error notandus, quo in Episcopis Modrussiensibus dicitur ex familia *Divinia* ortus auctoritate Vincentii Fontanæ in Theatro Dominic. Porro Echardus de Alberti cognomine hæc subjicit arguens erroris plures auctores, qui illud corruperant: *Apud Pallavicinum* Duinius *dicitur, & in catalogo Patrum concilii Ripæ* 1562. *Italice edito in* 4. Doinio, *a Fontana in Theatro* Divinius, *ab Altamura in Append. ad an.* 1544. Divimius, *& de domo* Divena, *ab his omnibus corrupte, nisi Italici forte figura sit idiomatis, & metalepsis* (quod omnino falsum); Duimius *enim & de familia* Duimia *certo ex probatis legitur & dictus est auctoribus & monumentis*, ex quibus illud certissimum, quod se *Duimium* ipse appellat in opere sua cura edito *de Conceptione B. M. V.* de quo inferius dicendum. Apud Caraffam *Duemius* legitur typographi mendo. Eximiæ vir religionis & eruditionis cum esset, Romæ Theologiam publice docuit in Gymnasio Sapientiæ, & sacras Litteras interpretatus est *stipendio florenorum viginti septem*

Alberti Duimii Catharensis elogium.

ptem supra ducentos, inquit Carafa; anno autem 1545. *a Paullo III. delectus fuerat*, subdit Echardus, *e quinque Theologis unus, qui conceptum a Patribus* Concilii Tridentini *decretum de* Justificatione *ad eum missum antequam ederetur & promulgaretur, auctoritate Sedis Apostolicæ recognoscerent & approbarent, ut ad eum annum Fontana noster in Mon. Dom. annotavit pag.* 482. Atque biennio post ejusdem Pontificis jussu in id sedulo incubuit, ut in lucem prodiret *Tractatus de Conceptione B. M. Virginis a Joanne de Turrecremata Or. Præd. an.* 1437. *in Conc. Basileensi jussu Patrum scriptus atque Romæ editus in* 4. 1547. *apud Ant. Bladum curante F. Alberto Duimio tunc in collegio Romano vulgo* la Sapienza *S. T. & Scripturæ interprete & professore publico jussu Pauli Papæ III.* uti Echardus & Carafa testantur. Petrus de Alva & Astorga in opere inscripto *Sol Veritatis* pag. 272. refert præfationem sive epistolam libro Joannis de Turrecremata præpositam fuisse ab Alberto, cujus initium ibidem exscripsit: *F. Albertus Duimius de Catharo Or. Præd. S. T. P. & in Sapientia urbis Romæ divinæ speculationis interpres sinceræ veritatis amatoribus. Admirandam humanæ rationis altitudinem &c.* Nonnulla præterea addit Albertus eidem operi, de quibus plura differunt Alva, & Ambrosius Catarinus. Cæterum Duimii nostri religio, integritas, doctrina adeo Paullo III. perspectæ probatæque fuerunt, ut postmodum singula Patrum Tridentinorum decreta, quæ Romam Tridento mittebantur, ut Pontificis consilio & auctoritate ante firmarentur, quam solemni ritu a Patribus subscripta in lucem vulgusque prodirent, eidem tradiderit recognoscenda; cumque eximiam hominis virtutem inter privatas Cœnobii latebras diutius nollet delitescere, illum Episcopalem Ecclesiæ Modrassiensis sedem primum conscendere jussit VII. Kal. Augusti anni 1548. & insequenti anno ad Vegliensem transtulit XIV. Kal. Aprilis. Tum sub Julio III. Pontifice præclara Alberti sapientia maxime enituit Tridenti in augusto illo sacrorum Præsulum consessu, cui & ipse interfuit an. 1551. ut illorum pios labores & invictos conatus pro Christiana fide ac religione tuenda suis etiam consiliis studiisque juvaret. Sed quamdiu in ea urbe constiterit, mihi non est compertum; anno certe 1561. Vegliæ erat, quo 6. Kal. Jan. Episcopalem suæ diœcesis lustrationem indixit in initium insequentis anni. Verum eodem tempore Tridentum revocatus adfuit mense Februario an. 1562. XVII. sessioni Concilii, ibique constitit; de quo omnem dubitationem adimit ejus *Oratio in solemnitate S. Dominici Tridenti die* 5. *Aug.* 1562. *dicta*; eamque indicat Echardus hæc subjungens; *Quam etsi cusam cum ceteris in Conc. Trid. habitis nondum viderim, typis tamen tum fuisse datam nihil ambigo*; sed abest revera ab ipsa Conciliorum omnium novissima editione Venetiis curante Nicolao Coleto absoluta. Plurimum autem inter Patres valuit Alberti auctoritas; nam cum de communione sub utraque Eucharistiæ specie, & infantibus tribuenda, Concilium in varias divisum sententias hæreret, ipse in sessione vicesima prima prid. Non. Julii palam intercessit, ne decretum vetandi Calicis Euharistici usus ederetur, *ne scilicet*, addit Echardus, *damnari videretur Christianorum antiquus servatusque ab inde a Græcis insularum Cypri & Cretæ, Romanæ per omnia consentientibus & adhærentibus Ecclesiæ, usus*; quorum causam Albertus tuebatur, uti narrat etiam Pallavicinus lib. 17. cap. 7. num. 13. Hist. Conc. Trid. Quapropter nihil posthac a Patribus sancitum fuit, resque tota Pontificis arbitrio permissa. Hinc animadvertas, Albertum lustratione a se indicta Veglensis Ecclesiæ minime perfungi potuisse, quod falso affirmatum est in Episcopis Veglensibus; quin neque locus neque certus sui obitus annus compertus est; licet enim an. 1564. Petrus II. in Veglensem Episcopatum illi successerit, quis tuto affirmet, ipsum Tridenti ne moram traxerit, an Vegliam redierit, & utrum suam Ecclesiam sponte dimiserit, an vero eadem in urbe ante illum annum 1564. diem supremum obierit? Mihi quidem ob singularem tanti viri doctrinam atque sapientiam valde fit verisimile, Albertum tamdiu Tridenti perstitisse, donec Concilium dimitteretur, quod contigit mense Decembri an. 1563. quo absoluto, *quæ exinde*, recte ait Echardus, *Albertus noster egerit præclare, scripserit ve, nullibi hactenus mihi occurrit, nec ubi vel quando diem obierit*. Petrus de Alva in opere superius laudato eum *Urgellensem* in Aragonia Episcopum perperam vocat; nisi velis fortasse eum Veglensem cum Urgellensi Ecclesia commutasse; qua de re nulla suppetunt monumenta.

Templi & Cœnobii S. Nicolai demolitio, & hujus vicissitudines.

Per hæc tempora Dominicanum Cœnobium S. Nicolai, quod ducentos fere annos steterat regularis disciplinæ observantia vigens, & virorum doctrina, vel sanctitate insignium ferax, uberioresque in dies Christianæ religioni, ac pietati fructus afferebat, publicæ salutis, atque utilitatis causa excindi cum aliis duobus Ordinis Franciscani itidem in suburbio sitis, soloque æquari oportuit: quorum quidem ædificiorum demolitionem Osanna virgo eximiæ sanctitatis, de qua postea, divino afflata spiritu ante aliquot annos prædixerat. Cum enim anno 1538. Chariadenus Ænobarbus præfectus Turcicæ classis, post Castrum novum, seu Neocastrum, Hispanis victis & expulsis, receptum, Catharensi urbi oppugnationem, & exitium minitaretur, ad eam muniendam, tuendamque cogitationes omnes, curæque conversæ sunt. Illud porro S. Nicolai ædificium urbis defensioni officere videbatur; ne forte illo, cæterisque Cœnobiis captis, instructisque bellicis tormentis ad urbem oppugnandam hostes uterentur. Itaque Senatus Venetus, & horum, & præclaræ S. Nicolai Basilicæ Cœnobio adjunctæ demolitionem imperavit, materiamque ad reficienda mœnia civitatis adhiberi jussit. Quare Patres Dominicani, collecta domestica supellectili, cæterisque omnibus, quæ asportari poterant, in urbem remigrarunt. Et ut insignis hujus Monasterii vices uno tandem sub aspectu propositas referam, novo quidem ædificando Cœnobio Patres animum adjecerunt; sed quominus perfici, vel conservari posset, aliud ex alio impedimentum, & multiplex calamitas intervenit. Nam iis ædibus, quas in vico Marini de Michaele Uracchien emerant, cedendum fuit; quod ad munitionem urbis opportunæ, idoneæque viderentur. Monasterium coalescere cœptum ex aliis domunculis ad id coemptis primum anno 1563. ingens terræmotus dejecit; deinde anno 1622. prope ad culmen perductum cum insigni bibliotheca, & tabulario conflagravit; demum anno 1667. restitutum novo iterum terræmotu cum cecidisset, rursus excitari, reficique

Digitized by Google

que non potuit. Itaque Catharensi Cœnobio iterum, ac sæpius everso, amissis, alienatisque vectigalibus, Dominicana Catharensis familia ex optimo, florentissimoque rerum suarum statu in eas domicilii, & rei familiaris angustias devenit, ut nunc tres tantummodo, quatuorve Fratres Cathari commorentur in domo ruinosa, & male materiata, & necesse habeant e piorum hominum liberalitate victum precarium sibi comparare. Illud vero singulari Dei providentiæ, tutelæque tribuendum est, quod templum jam inde ab anno 1545. in urbe exstructum, quo nullum Cathari visitur neque pulchrius, nec magnificentius, inter tot Cœnobii vicissitudines, cladesque integrum, atque incolume perstiterit. Huc e veteri suburbana Basilica una cum sacris reliquiis, imaginibus, cæteraque supellectili titulus S. Nicolai translatus est, itemque vexillum, quod Labarum vocant, egregie pictum, & plurimis miraculis insigne S. Vincentii Ferrerii, quem Catharenses concivem suum sibi adsciverunt, & veluti urbis patronum eximia veneratione prosequuntur.

Ænobarbus Præfectus Turcicæ classis Catharum obsidet, & irrito conatu discedit.

Interea Chariadenus Neocastro potitus, Catharum quoque obsidione cinxit: sed B. Oianna, ad cujus preces trepidi cives confugerant, bono animo eos esse jussit; brevi hostem non sine ignominia, & dedecore discessurum. Nec vana fuit prædictio; nam Ænobarbus, post plurimos suorum amissos, situm oppidi, munitionesque contemplatus, impavida propugnatorum audacia, & Joannis Matthæi Bembi, qui civitati præerat, egregia virtute & constantia perterritus, spem potiundæ urbis abjecit; suasque copias cum omnibus bellicis instrumentis in triremes impositas Neocastrum revexit. Depulsi periculi, urbisque liberatæ laudem non exiguam cepit Lucas Episcopus, qui sua præsentia, suisque cohortationibus tum Præfecto civitatis, tum militibus pugnandi alacritatem, & ardorem injecit: erat quippe in periculis, rebusque asperis magno, & excelso animo, nec minori ad aliorum animos excitandos, & inflammandos eloquentia. Fuit præterea diligentissimus custos, & vindex acerrimus disciplinæ, & sanctitatis ecclesiasticæ; neque ulla clericorum delicta impunita esse patiebatur, ac ne suis quidem propinquis, siquid gravius peccassent, parcebat. Natalem Bisantium Canonicum, & consanguineum suum, quod quædam commisisset eo gradu, atque ordine indigna, omni carnis & sanguinis ratione posthabita, judiciali sententia confixum loco movit, atque ejecit e Collegio Canonicorum, Collegium Virginum Catharensium S. Claræ jampridem ab antiqua institutione desciverat, & magis, magisque in dies ad pravam quamdam libere, dissoluteque vivendi licentiam vergebat. Eas optimus Antistes ut ad veterem sobrietatem, & sanctimoniam revocaret, nihil studii, operæque prætermisit. Cum ille neque admonitionibus, neque objurgationibus, neque metu pœnarum injecta proficeret, Catharenses Ducem, ac Senatum rogarunt, ut huic malo, & tam pestilenti exemplo, quo civitas ipsa infici posse videbatur, remedium ab Sede Apostolica quæreret peteretque. Res Paullo III. per Oratorem Venetum exposita, Pontificis animum vehementer commovit, & litteris datis ad duos illarum partium Episcopos, Mercanensem, & Dulcinensem, & duos itidem viros in dignitate ecclesiastica constitutos, iisdem mandavit, ut quando Virgines illas, post multas admonitiones, & correctiones adhibitas, inemendabiles esse, & nullum jam remedium pati posse apparebat; anathematis & aliarum pœnarum comminatione interposita, eisdem edicerent, atque interdicerent, ne ullas puellas, aut adolescentulas, sive educationis suscipiendæ, sive monachalis vitæ capessendæ causa, ad suum cœtum convictumque admitterent.

Lucas Episcopus consanguineum suum Canonicum delinquentem collegio movet.

Paullus III. vetat ad Collegium S. Claræ alias Virgines recipi.

Diploma Pontificium.

Ven, Fratres, & dilecti filii, sal. & Apost. benedict. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Basadonna Eques Venetus, utriusque Juris Doctor, dilectorum filiorum Ducis & Dominii Veneti apud nos & Sedem Apost. Orator, in personis dilectorum filiorum Communit. Catbar. eidem dominio subjectorum, nomine ipsius Dominii, quod, cum Abbatissa, & moniales Monasterii S. Claræ Catbaren. Ord. ejusdem S. Claræ, a certo tempore citra minus probe se gesserint; & licet pluries, ut resipiscerent, monitæ fuerint, tamen indurato corde in pejus delapsæ sunt, adeo quod vere incorrigibiles dici possint, cupiunt dicti Dux, & Dominium, & ita nobis supplicari fecerunt, ut in præmissis, ne deteriora parturiant, opportune providere de auctoritate Apostolica dignaremur; nos igitur, quorum est super his nostræ vigilantiæ curas adhibere, præfatum Monasterium ad debitam regularem observantiam reduci intendentes, discretioni vestræ per præsentes committimus & mandamus, quatenus, constituto vobis etiam extra judicialiter de præmissis, Abbatissa & monialibus præfatis, sub excommunicationis, & aliis, de quibus vobis videbitur, sententiis, censuris & pœnis ecclesiasticis, ne de cætero aliquam in monialem, seu novizzam ejusdem Monasterii, recipere, aut in eorum consortio aggregare quovis prætextu, seu quæsito colore, quoquo modo præsumant; ut illis penitus extinctis, in ipso Monasterio aliæ moniales regularis observantiæ, quæ salutares fructus afferant ad Divini Nominis laudem & gloriam, introduci possint, districtius inhibere, & quidquid secus attentari contigerit, irritum & inane decernere auctoritate nostra curetis; contradictores quoslibet & rebelles per censuras, & pœnas ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus &c.

Dat. Romæ apud S. Marcum sub an. Piscat. die xv. *Julii* 1540.

Vita S. Tryphonis Venetiis edita.

Anno 1561. ad Concilium Tridentinum iturus, Venetias appulit; qua in urbe cum diversaretur, ejus auctoritate & permissu, Petrus Grubogna Archidiaconus, & Hieronymus Bucchia Canonicus ædis cathedralis, ære suo edendam curarunt Vitam S. Tryphonis distributam in plures lectiones, divinæ psalmodiæ inserendas, quas die festo ejusdem Martyris clerus Catharensis recitaret; opus, ut titulus eidem præfixus docet, *impressum Venetiis in ædibus Hieronymi Calepini Risciani cum auctoritate, & concessione Reverendiss. Domini Episcopi Catharini Lucæ Bisantis, cura & impensis Dom. Petri Grubugnæ Archidiaconi, & Hieronymi Bucchia Canonici dictæ Ecclesiæ: Anno* 1561. *die vero mensis Decembris* 30. Anno insequenti Tridentum se contulit, & postremis sub Pio IV. Concilii Tridentini conventibus interfuit, & subscripsit; ejusque fuit sententia, sacerdotia Ecclesiarum non esse imminuenda, ut horum redditus in Ecclesiarum subsidium distribuerentur, quæ egentiores forent, sed Canonicos earumdem obstringendos potius pœnarum vi, ut e suis proventibus

Lucas Concilio Tridentino interfuit.

bus portionem certam in egestatis levamen illis conferrent; cui tamen Patres Concilii non assensere. Atque inter Antistites, quos Clemens VII. creavit, Patresque Tridentinos nominatur *Lucas Byzantius de Catharo Episcopus Catharensis*. Dum ille aberat, horribilis terræmotus, & post hominum memoriam maximus extitit anno 1563. ejusque vehementissimo succussu plurima tum publica, tum privata ædificia corruerunt. Terræmotum clademque Catharensem Petrus Justinianus lib. XIV. Hist. Venet. his verbis exposuit: *In Illyrico per id tempus Catharum urbs ingentem terræmotum passa est; qui circa meridiem subito exortus horribilem edium hominumque stragem edidit; nam centum sexaginta octo privatorum civium domus repentino motu quassatæ corruere, & reliquæ formidabilem in modum apertæ inclinataque pendebant: collapsum quoque violentissimo tremore Prætorium Franciscum Priolum urbis Præsidem, uxorem, natos, totamque familiam miserabili internecione oppressit; erutaque est (visu profecto miserabile) e sinu spirantis matris semiviva puella; & ex civibus, ac ex plebe centum quinquaginta, ædificiorum complurium mole collapsa, obtriti perierunt, atque in his plurima agrestium turba, qui ex vicinis pagis ad urbem accesserant, ubi ea forte die solemnes nundinæ de more habebantur. Procidere etiam late urbis mœnia, oppidique facies in portentosum excidium conversa fuit; ad cujus custodiam, cum Turcæ præda avidi in proximo sederent, statim Philippus Bragadenus classis Præfectus cum toto navali apparatu advolavit; e Venetiis postea ad sublevandum afflictæ civitatis casum missa sunt cujuscumque generis præsidia: & novus inde Prætor Andreas Duodus creatus, vir impiger, eo accessit, cujus adventus perterrefactum populum plurimum recreavit, ejusdemque virtute brevi oppidum instauratum.* Terræmotus Catharensis.

Catharenses veriti, ne tota civitas ob commune aliquod flagitium, quamvis ignotum, in odium offensionemque Supremi Numinis imprudens atque ignara incurrisset, & occultis quibusdam anathematum vinculis illigata esset, quæ talem civibus ac tantam calamitatem ab irato Deo immissam conscivisset, Hieronymum Bucchiam civem suum, & Pio IV. perfamiliarem rogarunt, ut civitati ac civibus plenissimam absolutionem a Pontifice Max. impetraret, qua ab omni culpa & pœna liberarentur; & Pontificia precatione interposita, ab largitore omnium bonorum veniam, atque cælestia dona obtinerent. Extat Epistola Pii IV. ad Catharenses plena paternæ commiserationis, & charitatis.

Diploma Pontificium, quo Catharenses a culpa & pœna liberantur.

Pius Papa IV. Dilectis filiis salut. & benedict. Gravi sane mœrore nos affecit id quod nuper dilect. fil. Hieronymus Bucchia Doctor, concivis vester, quem inter familiares, & domesticos nostros apprime carum gratumque habemus, nobis exposuit, vos horrendam admodum ac lachrymabilem calamitatem ex ingenti incredibilique terræmotu, quo proxime civitas pene tota concussa est, & magna ex parte subversa, passos fuisse, credereque vos hoc evenisse, quod per peccata vestra ira Domini ad duriora contra vos fuerit provocata; verumtamen non ignorantes miserationes ipsius esse super omnia opera ejus, & cum iratus fuerit, misericordiæ tamen suæ recordari; ad nos, qui ejus Vicarium in terris agimus, ut opportunum aliquod & salutare remedium subministremus, ne talia deinceps, aut deteriora vobis contingant, confugiendum esse censuistis. Quare idem Doctor Bucchia, quem pro boni viri officio, eximia erga patriam suam charitate flagrare facile semper cognovimus, nobis nomine vestro humiliter supplicavit, ut vos erratorum vestrorum veniam a nobis suppliciter petentes, ab illis absolvere, & absolutos benedicere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur illius vestigiis inhærentes, cujus proprium est misereri semper & parcere, vobis, quantum cum Deo possumus, paterna pietate opitulari cupientes, hujusmodi supplicationibus inclinati, vos ab omnibus, & singulis excommunicationis etiam majoris, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, & quovis modo incursis, si quibus quomodolibet innodati estis, nec non quibuscumque peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, quantumcumque gravibus, & enormibus, atque nobis, & Apostolicæ Sedi quomodolibet reservatis, & in Bulla, quæ in Cœna Domini legi consuevit, contentis, per vos hactenus commissis, & perpetratis, dummodo illa, quæ vos commisisse memineritis, Confessori idoneo per vos eligendo confiteamini, & pœnitentiam ab eo vobis propterea injungendam adimpleatis, hac vice duntaxat, auctoritate Apostolica tenore præsentium de speciali dono gratiæ penitus & omnino absolvimus, ac totaliter liberamus, absolutosque & liberatos fore & esse nunciamus; vobisque ac civitati & territorio ipsi vestro nostram & ejusdem Sedis Apostolicæ benedictionem benigne impertimur, sperantes omnipotentem & misericordem Deum, qui culpa offenditur, & pœnitentia placatur, vobis pariter ad eum cum humilitate & cordis contritione recurrentibus, pro sua infinita clementia, & ineffabili bonitate non modo suæ misericordiæ gremium non clausurum, sed uberem suæ propitiationis gratiam placide concessurum; non obstantibus Constit. & Ordinat. Apostol. cæterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ ap. S. Marcum sub an. Pisc. die 28. Julii 1563. Pontif. an. IV.

Hæc epistola pontificia Catharenses ingenti gaudio affecit; & cum sibi viderentur & Deo & Ecclesiæ reconciliati esse, erigere animum recenti calamitate oppressum, dolorem e præteritis ærumnis damnisque conceptum lenire, atque a metu malorum, quæ sibi graviora ominabantur, respirare cœperunt. Auxit lætitiam adventus Episcopi anno insequenti Catharum reversi, & siquid supererat tristitiæ & luctus absterserit. Alacres deinde & spe rerum meliorum erecti cogitationes curasque ad domos reædificandas, & quæ terræmotus everterat, reficienda converterunt.

Rector seu Provisor civitatis Presbyterum quemdam nomine Brajanum, qui curam animarum gerebat in villa Cartoli, conjecerat in carcerem, quod multa & nefaria tum contra Deum, tum contra Rempublicam & Ecclesiam commiserat; & præterea indigenas a disciplina rituque Catholicorum malis artibus & fraudibus abducere conabatur. Lucas Episcopus, cum & persona ipsa Presbyteri, & pars illius delictorum ad forum ecclesiasticum pertineret, veritus ne quid detrimenti aut præjudicii caperet auctoritas & jurisdictio Episcopalis, a Rectore petiit, ut se quoque ad cognitionem ejus causæ & sententiam ferendam admitteret, & pro suo uterque jure huic quæstioni ac judicio præesset; alter, quæ in Deum & Ecclesiam, alter, quæ in Principem & Rempublicam pec-

Lucæ Episcopi de sua jure controversia cum Rectore Catharensi.

ca-

caverat, justis meritisque pœnis in eo vindicarent.

Die 17. Junii 1565.

Cum non absque mœrore, atque cordis dolore auribus Reverendissimi D. Lucæ Bisantii dignissimi Episcopi Catharensis ex relatione non malevolorum, sed fide dignorum nuper esset insinuatum, quod Presbyter Brajanus de villa Cartoli Catharensis diœcesis in cura animarum, quam pro ritu Serviano in eadem villa exercet, male versatur, prob! dolor, plura flagitia perpetrando, Catholicos utriusque sexus a ritu Catholico suis falsis suggestionibus deviari faciendo, & quod pessimum est, mammoni inserviens monetam falsam cudit, vel cudere facit, eam in auctoritatis præjudicium Serenissimi DD. Venetorum pro bona expendendo cum universali scandalo, atque jactura evidentissima totius diœcesis; cumque Clarissimus D. Provisor more vigilantissimi Rectoris civit. Cathari utilitati publicæ prospiciens dictum Presbyterum, tamquam monetarium detineri, ac in carceribus includi jussisset, propterea antelatus Reverendissimus D. Episcopus cupiens hujusmodi scandalo obviare, ipsumque Presbyterum, si culpabilis fuerit, pro culpa punire, prælibatum Clarissimum D. rogatum esse voluit, quatenus ejus clarissima Dominatio intuitu justitiæ ac securitatis conscientiæ suæ non dedignetur, ut in hujusmodi horrendo casu insimul procedatur ad finem & effectum, ut, ambobus una procedentibus ad invicem sibi auxilia conferentibus, facilius veritas eluceseat; & tandem discussis omnibus, quæ de jure discutienda erant, justitiæ super malo complementum fiat, ut delinquentis pœna aliis transeat in exemplum.

Episcopatum abdicat.

Hoc postremum ejus actorum Episcopalium fuit, & cum jam ætate affecta, & viribus infirmis minus idoneum esse se pontificio muneri videret, eodem an. 1565. v. Id. Oct. Ecclesiam Catharensem dimisit.

B. Osanna Virgo Catharensis eximiæ sanctitatis.

Hic interfuit solemnibus exequiis B. Osannæ Catharensis, ex Ordine tertio S. Dominici, Virginis admirabili sanctitate, & cœlestium donorum copia insignis, quæ post annos quinquaginta in angusta cellula, quotidianis jejuniis, assiduis vigiliis, aliisque corporis afflictationibus, & fere perpetua rerum divinarum contemplatione transactos, eodem quidem, quo Lucas Episcopus, anno, sed sexto ante hujus obitum mense ad supernam patriam migravit. Hujus vitam Italice fuseque descripsit civis Catharensis anonymus, sed vel æqualis, vel suppar illius ætati. Hanc ego latine & brevius lectori exponendam censui; quippe ad decus & ornamentum Ecclesiæ & urbis Catharensis pertinet.

Ejus vita.

Osanna virgo egregiæ sanctitatis, cui Catharinæ nomen fuit, priusquam ad tertium Ordinem S. Patris Dominici aggregaretur, ignobilibus quidem, sed piis parentibus nata est Comani, qui vicus est Montis Nigri intra fines diœcesis Catharensis, iter dimidiæ diei ab urbe distans, anno reparatæ salutis millesimo, quadringentesimo, nonagesimo tertio. In sinu optimorum parentum educata pueritiam egit ex eorumdem optimis præceptis & exemplis, pietatemque singularem cum illibata vitæ innocentia conjunxit. Nondum perfectæ rationis usum adepta erat, cum non tam magisterio matris edocta, quam lumine cœlesti perfusa, in rebus creatis summam Creatoris potentiam, sapientiam, bonitatem agnoscere, ac venerari cœpit. Dum paternis ovibus pascendis operam dabat, identidem in abdita, & devia loca grege compulso, sublatis in cœlum oculis, ex ejus aspectu confestim in Dei cogitationem amoremque suavissime rapiebatur; tum provoluta in genua totius hujusce universitatis Conditorem supplici ter adorabat; & mente animoque in ejus contemplationem defixo, divini luminis radios excipiebat immota, & mira quadam spiritus dulcedine cum Deo jungebatur. Christum vero humanæ salutis auctorem ac vindicem unice diligebat; in ejusque vitæ ac mortis meditatione maxime acquiescebat. Aliquando evenit, ut ipsemet Christus se illi sub specie figuraque alias jucundissimi pueri, alias in cruce suffixi spectandum præbuerit, quem cum apprehendere, & complecti vellet, ille statim evanuit. Sed magistro vitæ spiritualis indigebat, cujus præceptis ad omne Christianæ perfectionis officium instrueretur; eoque duce ad sublimem illum sanctitatis gradum sine ullo errore contenderet, quo se a Deo vocari sentiebat; nihil enim difficilius, nihil periculosius, quam in curriculo exercitationum spiritualium sine rectore ac magistro versari. Illi, ne deesset hujusmodi magistrorum copia, mirum desiderium urbis, cœlesti quodam instinctu, Deus injecit, Catharum ut se adduceret, ibique domicilium sibi quæreret, matrem precibus & lacrymis iterum ac sæpius rogavit: quæ demum non tam importunis filiolæ obsecrationibus, quam numine divino impulsa ei morem gessit; sed cum esset pauperrima, neque illi de suo aut domum in urbe conducere, aut alimenta præbere posset, Catharinam commendavit lectissimæ cuidam matronæ, ut eam domi suæ custodiret atque aleret, ejusque ministerio ad opera servilia & domestica uteretur. Dominæ suæ benevolentiam simplici minimeque fucato animi candore, virginali modestia, humilitate ac demissione, assiduitate laboriosa; prompta alacrique obedientia, sibi adeo conciliavit, ut eam non ancillæ, sed filiæ loco haberet ac diligeret. Miro precandi, contemplandique studio tenebatur, & quamvis mentem in Dei rerumque divinarum cogitatione defixam perpetuo habebat, si quid tamen temporis a domesticis occupationibus vacuum nanciscì poterat, id omne precationi, & rerum cœlestium meditationi tribuebat. Sed maxime capiebatur aspectu sacrarum imaginum, ex quarum intuitu ita commoveri, atque ad Christi Domini, ac Divorum exempla imitanda accendi, tantaque voluptate perfundi solebat, vix ut oculos ab illis dimovere posse videretur. Cum semel in templo Præconem evangelicum de acerbissimis Christi cruciatibus concionantem audiret, tam vehementi in eum amore, eique unice serviendi desiderio incensa est, ut se ab omni humano commercio segregare, atque in solitudinem abdere, unique Deo vacare decreverit. In ejusmodi cogitatione cum dies noctesque versaretur, & quomodo id assequi ac perficere posset, non inveniret; interiori cœlestique voce admonita est, ut piam quamdam mulierem, nomine Slavasiam, consuleret, eique quid sui consilii & voluntatis esset, aperiret. Quod cum ita fecisset, illa sibi suæque prudentiæ diffidens, Catharinæ suasit, ut Fratrem Thomam virum eximiæ doctrinæ & virtutis ex Ordine Franciscano adiret, ab eoque peteret, ut sibi ad divinam voluntatem intelligendam & exsequendam opportuna & præcepta suggereret, & auxilia præberet. Is cum variis percunctationi-

Digitized by Google

nibus, quales haberi solent, ut bonus a malo spiritu internosci possit, ejus sensus atque animum exploraffet; ne quid temere statueret, tum quidem se sustinuit ab omni judicio; sed eam dimisit admonitam, ut intentius lucem opemque cœlestem imploraret. Exinde frequens ad eum itare cœpit; ac de intimis animi sui sensibus motibusque rationem reddere; ex quibus demum ille, ut erat singulari in spiritibus discernendis solertia & peritia præditus, clare perspexit non aliunde huic Virgini cogitationem illam, & cupiditatem spiritualis & solitariæ vitæ, nisi a Deo injectam fuisse. Verum quo cautius rectiusque in re tanta procederet, in hanc consultationem ac deliberationem adhibere voluit P. Vincentium Bucchiam ex familia Dominicana, de cujus singulari virtute, & rerum divinarum scientia excellens vulgo erat opinio. Hic quoque post diligentem investigationem, & accuratam considerationem judicavit Catharinam divino impulsu moveri, vocarique ad eam vivendi rationem, quæ abscondita esset cum Christo in Deo. Igitur uterque ad Tryphonem Bisantium urbis Episcopum adeunt, quæ sint pia Virginis desiderta exponunt, locum assignet rogant, in quem se abdere queat, & secluso omnium mortalium consortio soli Deo vivere. De communi sententia visus est locus opportunus, delectusque in extrema urbis regione, remota ab hominum frequentia: ibi penes ædiculam S. Bartholomæi cella exstructa est, humilis & angusta, quæ vix cellam, & lectulum caperet, undique clausa, modica tamen fenestella, seu potius foramine ad lucem excipiendam aperto; ostiolum vero habebat, quo festis diebus egredi posset ad sacrum audiendum in proxima ædicula, & divina mysteria percipienda. Antequam includeretur, habitum S. Patris Dominici, quem Sorores tertii Ordinis gestant, impetravit, & natali deposito, nomen Osannæ assumpsit. Cum inclusa est, annum ætatis alterum & vicesimum agebat. Hic annos fere septem in summa vitæ asperitate, & assidua rerum cœlestium contemplatione exegerat; cum Præsidum suorum jussu, seu potius divino consilio migravit in alteram cellulam consimilis formæ & structuræ, conjunctam cum æde S. Paulli, in quam e fenestella introspicere poterat; quippe ante aliquot annos Deo monstrante cognoverat hic sibi ad S. Paulli moriendum esse. Utrobique hanc ferme normam vivendi & rationem perpetuo tenuit. Media nocte surgebat ad psallendum, orandum, & cœlestia contemplanda. Erat autem ejus oratio & contemplatio ardens semper & accensa, superniſque tum gaudiis affluens, tum illustrationibus perfusa; nam inter orandum a Patre luminum tanta divinæ lucis copia in ejus mente infundi solebat, ut nullo alio magistro quamplurima clare perciperet, non solum de mysteriis fidei Christianæ, sed etiam de aliis vel subtilissimis Theologorum quæstionibus atque decretis, quæ homines post multam accuratamque lectionem, maximosque labores & vigilias intelligentia assequi vix possunt; itaque fiebat, ut Virginem omnium litterarum ignaram de rebus divinis loquentem, & sacrorum codicum, quos numquam legerat, locos & sententias proferentem, cuncti obstupescerent, vel ipsi illi, qui diu multumque in studiis Theologicis versati fuerant. Nec vero solum ex media nocte ad lucem usque in oratione pernoctare solita erat; sed interdiu quoque numquam mentem animumque ab rerum cœlestium cogitatione abstrahebat; ut nullam fere diei particulam ab oratione vacuam elabi sineret. Pro lectulo quadam veluti scala utebatur, humi strata, & quinque lignis transversis compacta, ad memoriam vulnerum Christi recolendam, quæ potius arceret quietem, quam accerseret: pro cervicali saxum, vel frustum ligneum capiti supponebat, Corpusculum ferreo cinctu, hirsuto cilicio, cruentis verberationibus quotidie afflictabat. Carne, caseo, lacte semper abstinuit, oleribus & paucis piscículis contenta, Quaternis diebus unaquaque hebdomada jejunare, & quo die divina percipiebat mysteria, cibi & potionis ne tantillum quidem sumere solebat. Ab die decima quarta Septembris, cultu sacrosanctæ Crucis consecrata, usque ad solemnia Paschalia, hanc sibi jejunandi legem imposuerat, ut nihil singulis diebus, nisi dimidium cibarii panis sub meridiem ad vitam sustentandam adhiberet. Septem ipsos annos ne guttulam quidem vini gustavit; nec porro umquam gustasset, nisi jussu Præsidum coacta fuisset propter stomachi imbecillitatem uti modico vino, sed adeo dilute, vix ut colorem vini retineret. Aut genibus flexis, aut humi sedens cibum capiebat, ita parcum ac tenuem, ut gustatum funditus perdidisse videretur. Paupertatem ad extremum usque diem constantissime coluit; nuda inopsque ab rebus omnibus, præter tunicam & calceos, nihil habebat: unde viveret in diem, eleemosynæ nomine collatum a piis hominibus accipiebat; de victu quotidiano quidquid superarat, sub vesperam pauperibus erogabat, cavebatque sedulo, ne quid reliquiarum apud se maneret. Nec vero manus ab operibus fœmineis feriatas esse patiebatur; & memor illius Apostolicæ sententiæ, *Qui non laborat, non manducet*, quotidie aliquot horas orationi, & contemplationi ereptas, in conficienda, vel resarcienda supellectili sacra tum linea, tum serica, & ornamentis altarium concinnandis insumebat. De se ita demisse, & humiliter sentiebat, ut se mortalium omnium nequissimam judicaret; nihil acerbius ferebat, quam honorari laudarique; nec minus laudem & honorem, quam cæteri vituperationem ac dedecus, horrebat; neque alio, quam inutilis Dei servulæ, vilissimæque fœminæ titulo gloriabatur. Ex immenso, quo flagrabat in Deum, amore eximia in homines charitas redundabat; quos quoniam ad similitudinem Dei factos, & pretioso ejusdem Sanguine redemptos, ac proinde illi charissimos esse sciebat, quidquid in Deum non poterat nullius egentem rei, ipsius gratia in proximos conferebat. Cum de illius sanctimonia magna esset vulgo opinio, multi ex utroque sexu, & omni civium ordine, ad eam vel consilii, vel auxilii petendi causa confugiebant; nemo accessit, quin voti compos, salutaribus monitis ad pie vivendum instructus, & concepto ex ejus ferventissimis verbis amore Dei succensus abierit. Nihil a Deo sive pro se, sive pro aliis postulabat, quin obtineret. Sæpe in rebus gravissimis, ac difficillimis temporibus perspectum est, ejus preces plurimum valuisse vel ad impetranda auxilia, & beneficia divina, vel ad calamitates tum publicas, tum privatas avertendas depellendasque. Quod non semel civitas nunc oppugnationis Turcicæ, nunc pestilentiæ, præsertim Ragusiensis, nunc aliorum impendentium malorum metu liberata esset; id Catharenses Osannæ precibus acceptum ferebant. Ingenuæ quædam adolescentulæ ex primaria

De Episcopi sententia inclusa est in cellam apud eadem S. Bartholomæi, & S. Dominici habitu induta.

Ejus paupertas, humilitas, charitas erga proximos.

maria nobilitate, divino plane impulsu, & nimirum suavissimo illo, quem Osannæ sanctitas exspirabat, Christi odore captæ illectæque, cum proximum ejus cellulæ domicilium sibi statuissent, se in ejusdem disciplinam tradiderunt. Has illa suis præceptionibus diligentissime excoluit, atque ad omne religiosæ perfectionis officium sic instituit, ut cælestem in terris vitam agere viderentur, & civitati universæ tum admirationi essent, tum maximo ad virtutem & pietatem colendam incitamento. Incredibile est quantopere invideret Osannæ sanctitati hostes humani generis, quam acerbe ferrent studium ab ea in aliorum salutem collatum, quibus præstigiis, dolis, terriculis eamdem ab instituto avertere conarentur; alias ut eam deluderent, atque in pravas opiniones erroresque inducerent, falsam Deiparæ Virginis, & pueruli Jesu speciem oculis objiciunt, & vocem utriusque ab ea solitudine, & vitæ asperitate dehortantis mentiuntur; alias ira odioque furentes, Deum oranti, ac cælestia meditanti, quasi ex composito supervenient, truci fremitu, clamoribus variis, horrendoque sono cuncta complentes, eique acerbissima quæque minantes; & semel saxum ingentis magnitudinis ac ponderis e proximo monte divulsum in ejus cellam dejecerunt, quod, perfosso tecto, ante illius pedes innoxium cecidit. Adversus hæc omnia fortis & constans Virgo divinæ gratiæ præsidio nixa, & Patris sui spiritualis monitis instructa, invictam se præbuit, ut nihil prorsus de studio & contentione obsequendi Deo, placendique remitteret; ac tantum aberat, ut hujusmodi diabolicis spectris & terroribus moveretur, ut larvas illas vel sputo in eas per contemptum conjecto, vel signo Crucis eidem objecto, & nomine Jesu implorato, facillime abigeret; quin aliquando cum ipso Dæmone cominus pugnavit; ac debellatum flagellis cecidit, & occultis quibusdam vinculis constrictum terræque allisum, suis pedibus superbissimum illum Spiritum substravit, indignantem, ejulantemque se mulierculæ ludibrio esse, ab eaque per ignominiam ac dedecus calcari, & vinctum atque oppressum teneri. Sicut vero clementissimus Deus Osannam diabolicis vexationibus, & morbis præterea gravissimis conflictari voluit, sic etiam cælestibus illam visis recreare, & divinis voluptatibus perfundere solebat. Sæpius enim Christus Dominus oblata ejus oculis specie sui ipsius vel nascentis in præsepio, vel crucem bajulantis, & crudelissimis supplicis affecti, vel immensa cum gloria resurgentis atque ad cælum redeuntis, se illi ostendebat, e cujus aspectu mirifice alias dolore, alias gaudio afficiebatur; seque ad quoslibet cruciatus pro Christo perferendos confirmari & corroborari sentiebat. Inter cætera divina charismata, quæ in eam Deus plena, ut ajunt, manu contulit, multiplici prophetiæ dono claruit; & cælesti spiritu afflata tum futura prædixit, tum absentia enunciavit; neque umquam ejus vaticinationes fefellit eventus. Annos amplius quinquaginta suo incluſa tuguriolo in assidua rerum divinarum contemplatione, summa vivendi austeritate, perpetua virtutum omnium exercitatione, transegerat; cum ætate jam provecta, meritis tamen, quam annis plenior Virgo hæc prudentissima ad Sponsum migravit. Duobus fere, antequam decederet, mensibus gravi letalique morbo afflictari cœpit; & quo magis magisque in dies ingravescebat, eo illustrior Osannæ patientia & sanctitas eminebat; ad extremum spiritum eum devenisset, defixo in cælum oculorum obtutu, læta fronte, hilari vultu, Jesum intermortuis vocibus identidem appellans, placidissime efflavit animam v. Kal. Maji, ante ortum solis, anno ætatis 72. æræ vulgaris 1565. Defunctæ corpus curarunt ejus discipulæ, ac lotum de more, indutumque tunica Dominicana deposuerunt in solo ejusdem cellæ; fenestellam vero illam, quæ in ædem *Divi* Pauli aspectum præbebat, reserarunt, omnibus potestas ut esset ejus inspiciendi, ac per otium contemplandi. Vulgata morte ingens hominum concursus, non visendi solum, sed etiam venerandi causa factus est. Corpus in eodem loco, ubi exspiraverat, triduo servatum est, & omnium oculis expositum. Die postremo Aprilis sub primam horam noctis ligneo loculo inclusum, post exequias mira populi frequentia celebratas, in templo S. Pauli humatum est. Cum in vita, tum post mortem multis claruit miraculis. Itaque de vita illius, virtutibus, & miraculis ex mandato Sedis Apostolicæ quæstiones rite ac legitime habitæ sunt. Cum autem multa comperta fuerint haud dubiis auctoribus ac testibus juratis per Osannam, dum viveret, & post ejus ad superos transitum, vel sanctissime gesta, vel divinitus patrata, merito attributus est ei titulus, & cultus *Beatæ*. In templo S. Pauli, quod nunc pertinet ad Collegium Virginum Instituti Dominicani, quocum conjunctum est, Corpus B. Osannæ servatur, subter mensam altaris maximi, arca marmorea inclusum, quam superne claudit operculum æreum inauratum hoc titulo inscriptum: *Divæ Osannæ exuviis hic conditis;* Bractea vero crystallina pellucida, infra operculum, Venerabile illud Corpus, cum tabula crystallo obducta removetur, supplicum oculis pervium præbet. Votivæ tabellæ appositæ argenteæ ligneæque perennem Osannæ erga cives suos beneficentiam declarant. Honos cultusque anniversarius B. Osannæ tribui solet illo ipso die, quo commemoratur & colitur Conversio S. Pauli Apostoli; ab hac siquidem templum & summum altare, honorario titulo indidem accepto, cognominatur. Hoc vero die, qui octavus est ante Calendas Februarii, maximi fiunt non solum ex urbe & agro, sed etiam ex aliis finitimis locis, præsertim Montis Nigri, tum Catholicorum, tum schismaticorum concursus ad sepulcrum sanctissimæ hujus Virginis venerandum, ejusque opem implorandam.

Ejus mortis extremus & sancta mors.

Ejus sepulcrum & cultus.

Ad vitam B. Osannæ Comes Marcus Antonius Gregorina, Canonicus Ecclesiæ Catharensis, vir doctrinæ atque eruditionis eximiæ, cujus egregium extat Opusculum pro Dogmate Catholico adversus errores Græcorum, Comiti Natali Eugenio parenti charissimo Inscriptum, hanc notam apposuit: *Vincentius Bucchia Dominicani Instituti, cum quo contulit Serva Dei, germanus erat F. Dominici Bucchia Provincialis ejusdem Instituti, & Theologi bonæ notæ, de quo extant Expositiones Epistolarum Dominicalium totius anni, & Psalmorum de Pœnitentia, editæ Venetiis eodem sæculo; quæ opera apud me existunt; & piæ admodum & doctæ mihi videntur. Inter Ecclesiasticos Scriptores Catharenses hujus sæculi, quorum mentio certe pertinet ad Historiam nostram, extitit F. Albertus Duymus de Gliricis, qui intervenit etiam Concilio Tridentino Episcopus Veglienſis; scripsit, si bene recolo, Opusculum de Gratia, quod viri docti illius tem-*

poris magnopere æstimaverunt,

In tabulis Consistorialibus invenio jus accedendi ad sedem Catharensem a Pio IV. collatum fuisse Jacobo Cardinali Sabello Episcopo Beneventano, Nam an. 1570. cum Pius V. de Catharensi Ecclesia referre decrevisset in augustissimo Cardinalium Senatu, ipsemet Cardinalis Sabellus, sive alius quispiam ejus nomine intercessit, *Accessum* quippe ad eam Ecclesiam, si quando vacaret, eidem Cardinali jampridem a Pio IV. concessum fuisse ait; nam quamvis hujusmodi *accessus* a Paullo IV. abrogati fuissent, eos tamen Pius IV. in integrum restituerat, sive in usum pristinum revocaverat, Quare Pius V. iterum omnes quidem ejus generis *accessus* irritos in posterum esse jussit; sed Cardinali Sabello jus potiundi Episcopatus Catharensis concessu Pii IV. acquisitum non ademit, *Anno 1570. x. Februarii in Consistorio secreto*, ut est in tabulis supra laudatis, *SS. D. N. constituerat proponere Ecclesiam Catharensem: sed cum intellexisset, Reverendissimum D. Card. Sabellum ad illam accessum prætendere, respondit hujusmodi accessus jam omnes esse sublatos, & abrogatos fuisse. Cum responsum esset, abrogatos quidem fuisse illos a felic. record. Paullo IV. sed Pium IV. eosdem restituisse, Sanctitas sua his auditis noluit præjudicium facere juri quæsito Reverendissimi D. Card. sed revocavit omnes alios accessus, decrevitque ne deinceps locum ullum haberent.* Caterum ipsemet Cardin. Episcopatu Beneventano contentus, jus sibi datum adeundi ad sedem Catharensem sponte dimisisse arbitramur,

PAULLUS EPISC. CATHAREN. XLIII.

Paullus Episc. accusatur & absolvitur.

Frater Lucæ Bisantii, juris utriusque Doctor. Ut ejus proximus decessor, sic & ipse Episcopus fuit, & Abbas S. Mariæ de Flumine, Catalogi omnes ejus initium episcopale referunt ad an. 1565. Idem confirmat Franciscus Serdonatus rhetor clarissimus in oratione funebri, quam de laudibus Chrysostomi Calvini Archiepiscopi Ragusiensis habuit Ragusii in æde cathedrali, Ait siquidem anno 1565. cum idem Chrysostomus designatus fuisset Archiepiscopus, a Pio IV. mandatum habuisse, ut Catharum profectus in vitam ac mores Paulli Bisantii expetiti a Catharensibus Episcopi ex juris formula inquireret, quem ejus adversarii confictis quam maxime ad similitudinem veri criminibus apud Pontificem magnam in suspicionem adduxerunt, Archiepiscopus, diligenti inquisitione adhibita post caussam rite cognitam, Paullum omni non modo culpa, sed etiam culpæ suspicione verbis amplissimis liberavit. Rem narrat orator supra laudatus, ex cujus oratione hanc libet particulam decerpere, quoniam ad laudem Paulli Bisantii pertinet: *Cum eodem tempore, ideſt* an. 1565. *Catharensibus etiam Episcopum mittere opus esset, cumque Paullus Bizantius, quem ego pro eximia sua virtute & probitate honoris caussa nomino, a pleriſque deposceretur, & expeteretur, malevoli quidam insurrexerunt, & non paucis criminationes vel calumnias potius in eum contulerunt, ut ipsum ab eo honore repellerent, Itaque quamvis ea provincia ad diœcesim hanc Rbacusinam non pertineat, Chrysostomo tamen Archiepiscopo jam designato, sed nondum inaugurato atque inuncto mandatum est, ut diligenter omnia perscrutaretur, & investigaret, & ad Summum Pontificem maxime aperta & manifesta referret, Is vero Catharum profectus, & iniquorum calumniis cognitis, Paullum omni crimine liberavit; & Pius Pontifex sanctissimi hujus senis tabulis & litteris adductus, statim Paullum Bizantinum Episcopum Catharensem renunciavit. Atque is eo munere susceptо ita semper se gessit, ut tandem illi, qui honori invidерunt suo, tamen eos universos, qui ipsum delegerunt, plurimum vidisse confessi sint, & nunc ejus diœcesis populi ea de causa sibi beatissimi esse videantur; & gratias maximas Chrysostomo agunt, quod ejus opera Pastorem nacti sint, quem non sicut Roma missum, sed quasi de cœlo lapsum intuentur.* Paullo cum Episcopatu & sacerdotio S. Mariæ de Flumine demandata fuit administratio Ecclesiæ Buduensis, ut colligitur ex ejus sententia secundum Stephanum Marcovichium Presbyterum Buduensem, cui nescio quid controversiæ erat cum altero ejusdem Buduensis Ecclesiæ Presbytero, quem triennio ante Joannes Bruno Archiepiscopus Antibarensis eamdem fortasse ob caussam damnaverat: *Paullus Bisantius Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Catharensis, & Ecclesiæ Buduensis Administrator dilecto nobis in Christo Presbytero Stephano Marcovich salutem &c. Dat. Catbari in ædibus nostris die 11. Julii &c.* Flaminius Cornelius administrationem Coronensis quoque Episcopatus illi attribuit,

Cum ex interdicto Paulli III. puellæ ac mulieres cujusque generis in cœnobium S. Claræ recipi admittique ad convictum vel ad professionem vitæ religiosæ prohiberentur, intra annos triginta virgines illæ seniores aliæ post alias interierant, Itaque cœnobium illud vacuum ac desertum Judices & primores Consilii Catharensis Patribus Franciscanis rigidioris disciplinæ esse decreverunt, cum hi domicilio angusto, & parum commodo uterentur, quo translati fuerunt e veteri suburbano cœnobio S. Nicolai, quod sub initium hujus sæculi, bello Turcico ingruente, dirui oportuerat, Duas addi conditiones voluere, alteram ut ex eorum cœtu duos sacerdotes ætatis maturæ idonea doctrina, & singulari prudentia præditos, perpetuo assignarent, qui confessiones virginum S. Mariæ de Angelis, itemque S. Crucis, sive S. Joseph exciperent, eisque ad perfectionem religiosam Ordinis Seraphici assequendam duces se, ac magistros præberent; alteram ut hortos, quos in antiquo cœnobio S. Bernardini possidebant, Communi Catharensi traderent, Hæc omnia rite ac legitime acta sunt in palatio Episcopali, Paullo Episcopo præsente, atque approbante.

Cœnobium S. Clarz PP. Franciscanis traditum.

Die Veneris 18. mens. Decembris 1573.

Actum in Episcopali palatio, ibique personaliter constituti spectabiles Domini Matthæus de Pasqualibus, Nicolaus Jacogna, & Joannes Grubagna honorandi judices, & Tryphon Bisantius, Franciscus Drago, & Nicolaus Bucchia omnes consiliarii Consilii secreti magnificæ Communitatis Catharensis, nomine suo, & nomine D. Joannis Bolizza, D. Hieronymi Bucchia q. D. Ludovici, & D. Basilii Mexa suorum collegarum prædicti Consilii secreti absentium, habentes auctoritatem a Consilio majori Nobilium Catbari, omni meliori modo &c. spondentes, agentes nomine ejusdem magnificæ Communitatis, ut illius, quæ est fundatrix infrascripti Monasterii & Ecclesiæ S. Clarz, dant & assignant, dederunt & assignarunt cum præsentia Reverendissimi D. Paul-

Publicæ hac de re tabulæ;

li

li Biſantii Doctoris digniſſimi Epiſcopi Catharenſis, Vener. D. Fratri Auguſtino Biſantio Ordinis S. Franciſci Obſervantiæ præſenti Monaſterium S. Claræ, ut in ipſo pro nunc tantum habitet, & inquilinus ſit cum aliis Vener. Fratribus ejuſdem Ordinis modo in hac civitate exiſtentibus, nomine religionis prædicti Ordinis, cum multum ſit incommodi habitando in præſenti Monaſterio, ubi nunc habitant. Et hanc aſſignationem faciunt in præſentiarum, donec huc adveniat Rev. Miniſter prædicti Ordinis, & cum ipſo magnifica Communitas celebret inſtrumentum conſignationis dicti Monaſterii. Quia inſtrumentum celebrandum eſt non aliter, nec alio modo, niſi cum conditione, quod prædicta Religio teneatur, & ſit obligata dare ad præſens & perpetuo in futurum duos ejuſdem Ordinis Fratres in Confeſſores duorum Monaſteriorum monialium Eccleſiæ S. Mariæ de Angelis, & Eccleſiæ S. Crucis, qui ſint ſacerdotes integræ vitæ, idonei ad officium & onus Confeſſoris, ætatis ad minimum annorum quinquaginta; & pro recognitione ejuſdem conſignationis dare & conſignare ſupraſcriptæ magnificæ Communitati hortum eorumdem Rev. Fratrum, qui fuerat penes Eccleſiam S. Bernardini in contrata Eccleſiæ S. Georgii de Puteo ſub obligatione &c.

& Pontificis litteræ ad Paullum Epiſc.

Paullus Epiſcopus ex mandato Gregorii XIII. Fratres Franciſcanos in poſſeſſionem ejus Monaſterii miſit, & poſſeſſionem illis traditam idem Pontifex confirmavit, hiſce litteris ad Epiſcopum datis.

Venerabili Fratri Epiſcopo Catharenſi. Gregorius Servus Servorum Dei ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum alias tibi tunc apud nos exiſtenti, ut Monaſterium monialium S. Claræ Conventualium intra ſeu extra muros Catharenſes, cum per earumdem monialium obitum vacaret, dilectis filiis Fratribus S. Bernardini Ordinis S. Franciſci de Obſervantia etiam Catharenſibus, quorum monaſterium propter ingruentia bella fuit dirutum, & ſolo æquatum, pro ipſorum Fratrum monaſterio, & habitatione dare & aſſignare poſſes, vivæ vocis oraculo conceſſerimus, tuque, ſicut nobis nuper per tuas litteras ſignificaſti, quod conceſſionis hujuſmodi vigore aſſignationem prædictam feceris, nos ut ea quæ de voluntate noſtra geſta ſunt, firma & illibata perſiſtant, dationem & aſſignationem Monaſterii monialium prædictis Fratribus S. Bernardini hujuſmodi per te, ut præfatur, factam, & inde ſecuta quæcumque licita, & honeſta, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, & ab omnibus, ad quos ſpectat, inviolabiliter obſervari debere decernimus. Non obſtantibus &c. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 22. Januarii Anno 1575. Pontificatus noſtri anno III.

Tabulæ locationis cujuſdam a Paullo Epiſc. factæ.

Cum veteres conductores cujuſdam vineæ S. Mariæ de Flumine diem obiiſſent, horum hæredes a Paullo Epiſcopo itemque Abbate S. Mariæ poſtularunt, ut eamdem vineam ſibimet locarent, penſione ſex yperperorum impoſita. Annuit Epiſcopus, & confectæ ſunt tabulæ locationis in hæc verba.

In Chriſti nomine Amen. Anno Nativitatis ejuſdem 1577. Indict. quinta die vero 11. Januarii, Pontificatus SS. D. D. Gregorii Papæ anno quinto. Cum ſit quod terrenum quoddam vineatum poſitum in contrata S. Stephani remanſerit vacuum a conductore per obitum q. Dabi Nicolai Roſgovaz, & ejus filii Thomaſi; quod quidem terrenum antiquitus erat conſignatum ore tenus a q. D. Nicolao Drago Reverendiſſimo Epiſcopo Catharenſi, tanquam Abbate S. Mariæ Fluminis, pro recognitione cujus tenebatur dictus conductor ſolvere dicto locatori vel R. D. Abbati prædicto, tanquam ſibi conſignanti, yperperos ſex de livello perpetuo; nunc vero hæredes dicti quondam Nicolai cupientes Reverendiſſimum D. Epiſcopum .... conſervatum, indemnem reddere pro affictu prædicto ut ſupra vacante, requiſierunt ſuam Reverendiſſimam Dominationem, ut terrenum nominatum & detentum per quondam Dabum & ejus filium ſupradictos locare debeat Matthæo quondam Lucæ Roſgovaz pro affictu yperperorum ſex de livello perpetuo; & ideo Reverendiſſimus qui ſupra, dedit, ceſſit & locavit ſine præjudicio jurium ſuorum & hæredum dicti Nicolai Matthæo ſupradicto præſenti, ſtipulanti & conducenti pro ſe, hæredibus & ſucceſſoribus ſuis dictum terrenum, quod confinat deſuper cum juribus ſcholæ S. Lazari, de ſubtus cum terreno quondam ſer Marini Bucchia, & ab uno latere cum terreno Chriſtophori q. Vincentii de Peraſto, & ab altero cum dicto conductore, ſalvis ſemper verioribus confinibus, pro recognitione cujus debeat ſolvere dictus conductor yperperos ſex annuatim Reverendiſſimo Epiſcopo, qui ſupra, locanti dictum terrenum. Qui quidem locator contentatur & renunciat dictum terrenum ſupraſcripto conductori, pacto & conditionibus prædictis, ponens ſupraſcriptum Matthæum conductorem in ejus poſſeſſione, & in omnibus actionibus & juribus, quas & quæ ſupraſcriptus q. Dabus, & ejus filius habebat, ſeu prætendebat habere, promittentes ſupraſcriptæ partes præſens Inſtrumentum, & in eo contenta habere rata, grata & firma, non contravenire, nec contrafacere in aliquo ſub obligatione omnium bonorum præſentium & futurorum, præſentibus R. D. Presb. Thomaſo Raggio Jeſuita, & D. Marino Bucchia teſtibus notis, vocatis & rogatis.

Actum Catbari in ædibus Reverendiſſimi D. Epiſcopi coram ejus Reverendiſſima Dominatione &c.

Nicolaus Dragus quando Epiſcopus Cathar. fuerit.

De Nicolao Drago Epiſcopo Catharenſi diximus ſuo loco, quem ad initium ſæculi decimi quinti rejecimus, quippe nullus aptior locus videbatur, ut in catalogo Antiſtitum Catharenſium illum inſereremus. Ex tabulis vero deſcriptis, quæ hujus Epiſcopi nomen nobis prodiderunt, colligi poſſe video, vineam, de qua hic agitur, fiduciaria ſponſione *antiquitus* a Nicolao conceſſam fuiſſe proavis Nicolai Roſgovazii, cujus familia illius poſſeſſionem ad hæc uſque tempora retinuerat ita, ut penſionem ſex yperperorum Abbati S. Mariæ, tamquam ei, qui vineæ dominus erat, quotannis perſolveret. Si enim Nicolaus Epiſcopus hocce prædiolum ipſimet Nicolao Roſgovazio locaviſſet, ejus Epiſcopatum ad ſæculum decimum ſextum referre oporteret; continuata autem eo ſæculo Epiſcoporum Catharenſium ſeries nullum eidem locum relinquit, ubi ne brevi quidem temporis ſpatio conſiſtere queat.

Dum bellum Cyprium fervebat, Turcæ in omnem urbis Catharenſis occupandæ occaſionem intenti alias occultis, alias apertis machinationibus rem ſæpe tentarunt. Semel atque iterum ad fauces ſinus Rhizonici propugnaculum excitarunt, aggere valloque firmatum, & muſtis tormentis inſtructum, cujus objectu triremes Venetæ aditu prohiberentur ad ſubſidia feren-

Digitized by Google

da & commeatus importandos, ut Catharenſes omni auxiliorum ſpe deſtitutos & fame coactos ad deditionem compellerent. Utrumque Veneti diruerunt, ac ne obſidendæ quidem urbis copia & opportunitas hoſtibus data eſt. Anno 1575. Paullus Epiſcopus Eccleſiam S. Franciſci de Catharo ſollemni conſecrationis ritu dedicavit; cumque huic Eccleſiæ annos fere undecim præfuiſſet, an. 1576. vel ſequenti Epiſcopatum ſponte depoſuit; ſed nullum ſibi ſucceſſorem deſignavit, hujuſque eligendi arbitrium ad Pontificem Maximum rejecit: attamen Epiſcopalem ejuſdem Eccleſiæ titulum retinuit ad an. uſque 1578. quo tempore Eccleſiam Aquilejenſem Joannis Patriarchæ vice adminiſtravit, eoque munere perfunctus eſt uſque ad annum 1587. Ejus geſta uberrime laudat Bernardus de Rubeis in Monum. Eccl. Aquilejenſ. e quibus hæc deſcribere libet, ne quidquam omiſiſſe videar, quod in laudem ſummi hujus viri cedere queat, etſi ad Catharenſem hiſtoriam omnino non ſpectent. Dum enim vicariam operam præbuit Joanni, *compreſſa ab eo morum licentia, quæ latius fundebatur; Virgines Deo ſacræ in gynæceis concluſæ, earumque nomen & decus conſtitutum & adſervatum; Eccleſiaſticorum vitia eliminata, canonicæ preces reſtitutæ, diſciplina a Synodo Tridentina præſcripta erecto infractoque animo invecta, refractarii clerici ad obſequium Patriarchæ redacti, Hæreſim inſecutus eſt, quæ diœceſeos partem infecerat, fugavitque hæreticos homines, qui Lutherana dogmata nitebantur invehere. Diœceſim longe lateque patentem nulli parcens labori viſitavit luſtravitque, Hocce munere in parte Veneta anno 1589. defunctus eſt. Anno inſequente Carinthiam perluſtravit, Stiriam & Carnioliam; inviſitque anno 1583. Comitatum Goritianum, Carſum, Vipacum, Gradiſcam.* Ope Caroli Archiducis Auſtriæ adjutus quid egerit, ipſe patefacit pluribus literis, quæ mſs. ſervantur a familia Biſantia. *Sacramenta diu neglecta adminiſtravit, ignorantes improboſque rejecit clericos, qui altiores gradus petebant, eoſque ſacra initiavit ordinatione, auxitque beneficiis, quos literis moribuſque præſtantes noverat. Illibata fidei dogmata coram palamque docuit, duoque millia voluminum, quæ Lutherus confecerat, maximo religionis detrimento ſparſa in vulgus, maximoque labore collecta diſcerpſit, flammiſque devovit.* Synodum præterea celebravit an. 1584. ac tot laboribus pæne confectus diem ſupremum obiit an. 1587. quem funebri oratione laudavit Hieronymus Bigarella, eaque typis eodem anno evulgata fuit.

Paullus Epiſcopatum dimittit, & Eccleſiam Aquilejenſem adminiſtrat.

FRANCISCUS II. EPISC. CATHAR. XLIV.

Ab Zupa regione inter Catharum & Buduam, unde oriundus erat, cognominatus eſt *Zupanus*. Zupa, vox Slavonica, Joanne Lucio interprete, *populum* vel *regionem aliquam populatam* ſignificat; *Zupania vero*, inquit, *a Zupa deducitur*. Jam vero Zupa Catharenſis eſt regio inter Catharum, ut dixi, & Buduam interjecta, incolis ac vicis referta; bipartito dividitur; quæ pars ad ſeptemtrionem ſpectat, & Catharo propinquior eſt, *Superior*, quæ vero Buduam verſus in meridiem vergit, Zupa *inferior* appellatur: maxima ex parte ad territorium & juriſdictionem Catharenſem pertinebat. Regio partim extenditur in planitiem, partim aſſurgit in colles; opima eſt & fertilis ubertate agrorum, varietate fructuum, & magnitudine paſtionis. Cives Catharenſes plurima ibi ac frugifera prædia poſſidebant, & maximos indidem proventus Eccleſia, Epiſcopus, Capitulum percipiebant. Nunc fere totam obtinent Epirotæ, ſive Albanenſes ritus Raſciani, qui a Turcis patria expulſi ſedem omnium rerum ac fortunarum ſuarum ibidem collocarunt, & alias Dynaſtis Serbliæ, alias Zarnovichiis dominis Zernagoræ, ſeu Montis nigri, alias Turcis, alias Venetis paruerunt. Hos ut expellerent, Catharenſes omni ope operaque nequicquam conati ſunt. Hæc Zupa in partes omnino quatuor diviſa eſt; & quatuor Rectores ex natione Albanenſi, quos *Comites* vocant, ſuus cuique præfici ſolent. Unus eſt totius Zupæ ex eadem gente moderator, cui præſides illi minores ſubſunt.

Zupæ deſcriptio

In hac igitur regione ortus eſſe dicitur Franciſcus, qui ad ſodalitatem Patrum Conventualium Ordinis Franciſcani cum aggregatus eſſet, avito cognomine poſthabito a patria cognominari voluit. Sunt tamen, qui Franciſcum nobili genere natum Antibari tradunt, ejuſque cognomen *de Zupanis* ab illuſtri familia, unde erat oriundus, repetendum cenſent. Singulari probitate atque inſigni doctrina præditus inter ſuos floruit, atque in cœnobio Ariminenſi ſupremam ſtudiorum præfecturam geſſit. Huic ſedem Catharenſem Paulli Epiſcopi deceſſu vacuam decrevit Gregorius XIII. ut eſt in tabulis Conſiſtorialibus: 1578. 21. *Novembris providit Eccleſiæ Catharenſi in dominio Veneto per reſignationem moderni Epiſcopi in manibus Suæ Sanctitatis ſponte & libere factam vacanti de perſona Fratris Franciſci Zupani Ordinis S. Franciſci Conventualium.*

Franciſcus Epiſc. Catharenſis.

Anno 1579. menſe Martio Auguſtinus Valerius Epiſcopus Veronenſis, cui Gregorius XIII. viſitationem Apoſtolicam Eccleſiarum Dalmatiæ Venetæ demandaverat, Catharum acceſſit. Ex hujus actis decretiſque nihil mihi nanciſci licuit, niſi hoc fragmentum viſitationis Peraſtinæ. *Die 12. Martii 1579 Peraſtum in Catharenſi ſinu conſpicitur, quinque circiter paſſuum millibus a Catharo diſtans. Eſt in hoc loco Eccleſia quædam, in qua D. Philippus de Catharo Monachus S. Benedicti de Raguſio tribus abhinc annis de ſuorum Superiorum licentia loco Reverendiſs. Abbatis Abbatiæ S. Georgii de Gulpho, hic non longe a mari ſuper ſcopulo poſitæ, animarum curam exercet. Vocatur de jure patronatus magnificæ Communitatis Catbari. Combuſta hæc Abbatia præterito bello a Turcis. Illius Rector, Abbas nuncupatus, Rev. D. Vincentius Paſqualis nob. Catbarenſis, qui diuturna agritudine correptus, lecto jacens hujus Eccleſiæ, & ejus parochianorum regimini minime potuit intendere. Illius reditus ad 30. aureos in annum aſcendunt. Eſt autem D. Philippus quadragenarius Peraſtinis ipſis apprime gratus; unde ipſi communi omnium voce ſupplicarunt, quod quoniam D. Abbas adverſa valetudine interceptus nequit ſuam Eccleſiam reædificare, & in ea curam ibi debitam exercere, dignetur Reverendiſſimus D. Viſitator prædictum D. Philippum deputare &c.* Idem poſtularunt Judices, Conſilium, & Commune Catharenſium, ad quos jus eligendi Abbatis pertinebat. Nec vero diſſenſit Vincentius, qui cum Abbatis & Parochi officia & munera per valetudinem male affectam exſequi non poſſet, illi ſe ſponte abdicavit, titulo Abbatis re-

Viſitatio Apoſtolica oppidi Peraſti.

ten-

Digitized by Google

tento. Itaque Visitator Apostolicus vicarium eidem, quem omnes expetebant, Philippum Duplovichium Monachum Benedictinum substituit, & huic rerum omnium temporalium ac spiritualium administrationem cum animarum procuratione tradidit, ac simul eum admonuit, ut templum Georgianum quam maxima posset celeritate reficiendum curaret.

Francisci Epi copi mors.

Franciscus nondum tertium a suscepto Pontificatu annum exegerat, cum e vita migravit. Vaddingus in Annal. auctor est Franciscum veneno necatum, quod liberius & constantius Ecclesiæ jura defenderet, ac bona repeteret, quam ferre possent, qui hæc retinebant, & illa violabant: *Cathari sub Gregorio XIII. Franciscus Episcopus Catharensis, qui populo gratus & civibus, dum jura suæ Ecclesiæ defendere, & ablata repetere tentat, veneno extinctus est.* Obiit itaque anno 1581.

HIERONYMUS EPISC. CATHAR. XLV.

Illustri genere natus est Sibenici ex familia Bucchiorum, eratque Abbas S. Nicolai, quod nobile olim fuit templum, & cœnobium Benedictinum ad fauces portus Sibenicensis. Gregorius XIII. Hieronymo Ecclesiam Catharensem regendam tradidit, nullo ex illis, quæ obtinebat, sacerdotiis adempto, quod cum Episcopatu componi conjungique posset: 1581. 20. *Octobris providit Ecclesiæ Catharensi in Dalmatia per obitum F. Francisci vacanti, de persona Hieronymi Buccia nobilis Sibenicensis, in Presbyteratus ordine constituti, cum retentione Monasterii S. Nicolai in faucibus portus Sibenicensis & aliorum compatibilium &c.* Annos præfuit tres & viginti; sed in Pontificatu sane diuturno quid rerum gesserit, quibus institutis & decretis rem Christianam & Ecclesiasticam auxerit, munierit, illustrarit, mihi non est compertum. At tum disciplinæ clericalis tuendæ studio, tum sollicita Christianæ religionis propagandæ cura plurimum & apud suos, & apud finitimos populos aut Græcanico schismati, aut Mahumetanæ sectæ addictos, Hieronymum valuisse, indicio mihi sunt litteræ Clementis VIII. qui Ragusini & Ascrivensis Cleri virtute ac religione probata, incensum ipsorum studium in animarum salutem, & apostolicos excursus commendat in proximas Turcarum regiones; eosque pluribus juvat ornatque privilegiis. Datæ sunt hæ litteræ an. 1592. in hanc sententiam.

Laus Cleri Catharensis ex litteris Clementis VIII.

Clemens PP. VIII. Universis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis salutem & Apostolicam benedictionem. Cum nonnulli Christi fideles presbyteri & clerici tam sæculares quam regulares Ragusin. Ascrivien. & aliorum locorum lingua Illyrica Christianæ fidei & pietatis juvandæ, & conservandæ studio permoti, & animarum salutis zelo accensi ad partes infidelium accedere voluntarie intendant, nos pium & laudabile opus hujusmodi plurimum in Domino commendantes ac promovere cupientes, Ven. Fratres nostros Archiepiscopos & Episcopos, necnon dilectos filios quarumvis Ecclesiarum tam sæcularium, quam regularium Prælatos, & quorumvis Ordinum etiam Mendicantium, & Congregationum Superiores omni quo possumus affectu hortamur in Domino, quatenus eos omnes ad eas partes accedere volentes, viros tamen probatos, & qui Presbyteri fuerint, ad exercendam curam animarum, & ad Ecclesiastica Sacramenta ministranda ideoneos, curæ animarum & personali residentiæ non adstrictos libere, & absque ulla prorsus contradictione proficisci permittant, literasque dimissoriales, & commendatitias seu testimoniales concedant. Ut autem ipsi Presbyteri vel clerici eo libentius & promptius præmissa efficere studeant, illis & omnibus ac singulis aliis utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui ipsos Presbyteros & clericos ad partes infidelium hujusmodi accedentes seu proficiscentes adjuverint, seu eis consilium, auxilium vel favorem præstiterint, de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi eam peccatorum indulgentiam & remissionem quæ proficiscentibus in Terram sanctam, aut subsidium ad id præstantibus concedi consuevit, Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus & elargimur. Non obstantibus nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus &c. Volumus autem &c. Datum Romæ in Monte Quirinali sub annulo Piscatoris die 12. Maji 1592. Pontificatus nostri anno primo.

Hieronymus veteres præterea S. Tryphonis lectiones liturgicas, cum essent nimium prolixæ, in epitomen redactas ab Sede Apostolica approbandas curavit. Extat de hac re diploma Clementis VIII. qui universo clero Catharensi facultatem concessit illas recitandi inter preces matutinas ejus diei, quem sanctissimi Martyris nomine consecratum Catharenses anniversaria & solemni religione concelebrant tertio Nonas Februarii. Has Pontifex suo diplomati inseruit, quæ a nobis, cum de illius Catharensi translatione actum est, descriptæ sunt, nostrisque animadversionibus illustratæ.

Diploma Clem. PP. VIII. pro lectionibus in festo S. Tryphonis recitandis.

Clemens PP. VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Gloriosa Christi Martyrum veneratio apud Christianos populos vere celebris est & frequens; ut illis debitus exhibeatur honor, & nobis virtutum exempla monstrentur, quibus cognoscamus, quanta ipsi gloria perfruantur in cœlis, quorum natalitia celebramus in terris. Sane cum, sicut Venerab. Fratris Episcopi, & dilectorum filiorum Capituli Ecclesiæ Catharensis nomine nobis nuper expositum fuit, ipsi ob maximum, quem erga S. Tryphonem Martyrem, cujus corpus in dicta Ecclesia requiescit, gerant devotionis affectum, cupiunt Lectiones infrascriptas in Officio, quod de dicto Sancto in prædicta Ecclesia ac civitate & diœcesi Catharensi celebratur, recitare posse, easque propterea a nobis & Apostolica Sede approbari; & ideo nobis humiliter supplicari fecerint, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur; nos igitur piis eorumdem Episcopi & Capituli supplicationibus benigne annuentes, de Vener. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationi sacrorum rituum præpositorum, qui Lectiones hujusmodi de historia ipsius S. Tryphonis desumptas examinarunt & approbarunt, sententia, eisdem Episcopo, Capitulo, & Canonicis ac clero universo civitatis & diœcesis Catharensis, ut Lectiones hujusmodi, quas inferius adscribi volumus, in secundo nocturno Officii, quod de dicto Sancto in illius festo celebrare solent, recitare libere & licite auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus & indulgemus; non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque &c. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annu-

lo Piſcatoris die XVII. *Septembris MDXCIIII. Pontificatus noſtri anno tertio,*

Viſitatio Apoſtolica urbis Catharenſis.

Sub initium ſæculi decimi ſeptimi Michael Priolus Epiſcopus Vicetinus juſſu miſſuque Clementis VIII. Eccleſias Dalmatiæ auctoritate & peragratione Apoſtolica luſtravit. Dum Spalati eſſet, fama & auditione accepit multa tum in urbe, tum in diœceſi Catharenſi ſive per ignorantiam, ſive per malitiam fieri, & facta eſſe, contra quam liceat per leges eccleſiaſticas & divinas. Ad ea mala ſane graviſſima ſananda, corrigenda, expianda extraordinaria & majore poteſtate opus erat, quam quanta Epiſcopis ineſt & concedi ſolet. Itaque per litteras Hieronymum Epiſcopum Catharenſem admonuit, ut qui ejuſmodi labes & noxas contraxerant, eos jubeat remedium & abſolutionem ſuppliciter petere a Viſitatore Apoſtolico propediem affuturo; ſibi enim facultatem inditam eſſe rata ex irritis faciendi matrimonia intra tertium & quartum gradum conſanguinitatis inita, condonandi clericis fructus eccleſiaſticos quoſcumque & quantoſcumque male partos, remittendi culpam & pœnam Canonicis & Parochis, qui profeſſionem Fidei præſcriptam a Concilio Tridentino neglexerant, eamque ab illis excipiendi, commutandi pœnas quaslibet canonicas cum miniſteriis fabrilibus, quæ templorum vel ædificationi, vel ſartis tectis tuendis præſtari deberent. Præterea ad ſe delatum fuiſſe non paucos propter quædam capitalia delicta in exſecrationes incurriſſe, cenſuraſque pontificias, e quibus illos eximendi ampliſſimam ſibi factam eſſe poteſtatem; ea vero delicta nominatim perſequitur, quorum conſcios qui ſibi eſſe cognoſcerent, ad hujuſmodi vulnera tam gravia & mortifera ſananda remedium quærerent, peterentque ab ipſomet Apoſtolico Legato. Hi vero ſunt, inquit, qui anathematum pontificiorum gladio ſeipſos confodiunt: videlicet 1. *Si quis piratis quocumque modo auxilium præſtiterint.* 2. *Si quis bona naufragantium rapuerit & retinuerit.* 3. *Si quis arma ad infideles quomodolibet attulerit.* 4. *Si quis a cauſſis eccleſiaſticis ad forum ſæculare recurſum habuerit.* 5. *Si quis judex ſæcularis ſe in cauſſis criminalibus contra perſonas eccleſiaſticas interpoſuerit.* 6. *Si quis duellum inierit, aut præliantibus adſtiterit, aut ipſos in campum, ut dicitur, introduxerit, vel quomodocumque contra Concilii decretum, & Bullas Pontificias in hac parte deliquerit.* 7. *Si quis clericum publice percuſſerit.* Has litteras ſui adventus prænuncias ad Hieronymum Epiſcopum Spalati dedit an. 1603. Deinde Spalatenſis & aliarum civitatum ac diœceſeon luſtratione perfunctus Catharum venit, & cum multa ſapienter & ſanctiſſime decrevit, quæ ad morum corruptelas extirpandas, divinum cultum augendum, diſciplinam reſtituendam ac ſtabiliendam pertinebant, tum vero iis, quæ in ſua epiſtola percenſuerat, malis & incommodis opportunum remedium adhibuit; quos autem ob illa, quæ tum commemorata ſunt, flagitia vinculis anathematum illigatos reperit, eos conceptis verbis, rituque præſcriptis abſolvit, atque in ſacrorum communionem, ac priſtinam cum Eccleſia gratiam & ſocietatem reſtituit.

Hieronymus intra eumdem ſæculi decimi ſeptimi annum vivere deſiit.

ANGELUS II. EPISC. CATHAREN. XLVI.

Angelus Baronius ex Ordine Prædicatorum Epiſc. Catharenſis.

Cognomento *Ranuccius* apud Ughellum in *Ital. Sacr.* & Lombardum in *Vitis Archiepiſcop. Barenſium*, ſed apud cæteros Scriptores omnes *Baronius*, Venetiis natus eſt, & a prima adoleſcentia ad Ordinem Prædicatorum, & Cœnobium Venetum S. Dominici aggregatus a Petro Paſſamonte ejuſdem Cœnobii præſide *an.* 1556. *die* 14. *Septemb.* uti affirmat Joannes Dominicus Armanus in libro, cui titulus, *Monumenta ſelecta Conventus S. Dominici Venetiarum*, pag. 105. ibique *vota poſt annum emiſit*, idem ſubdit auctor. Vir fuit tum virtute & doctrina, tum magiſterii laude, & illuſtribus muneribus clariſſimus; *Sacris namque Theologiæ ſtudiis optime exercitus primariam moderatus eſt in Conventu Bononienſi cathedram*; & anno 1590. Cœnobio S. Secundi in inſula cognomine prope Venetias, quo Prædicatorum Ordo ante annos fere quinquaginta quinque auctus fuerat honorificentiſſimo Senatus Veneti decreto, ſapientiſſime præfuit; ut perhibet catalogus *Præſidentium Monaſterio S. Secundi ex Ordine Prædicatorum* apud Cornelium Decad. 9. Monum. Eccl. Venet. pag. 25. Poſtea *Romam vocatus*, uti auctor eſt Fontana in Theat. Dominic. *Socii Magiſtri ſacri palatii officio perfunctus eſt apud Joannem Mariam Briſighellenſem*. Huic Epiſcopatum Catharenſem contulit Clemens VIII. *Anno* 1604. 11. *Februarii providit Eccleſiæ Catharenſi vacanti per obitum Hieronymi de perſona* F. *Angeli Baronii Ord. Præd. cum condonatione jurium ſtante tenuitate fructuum &c.* nam ob varios communium temporum caſus ac præſertim quia Turcæ partem non exiguam diœceſeos Catharenſis obtinebant, proventus menſæ epiſcopalis nimium quantum decreverant. His temporibus tum Vincentius Paſqualis Abbas S. Georgii, tum ejus Vicarius ab Auguſtino Valerio Viſitatore Apoſtolico conſtitutus, idemque Vincentii ſucceſſor electus Philippus Duplovichius Monachus Benedictinus mortem obierant. Quare Angelus nihil prius ſibi faciendum putavit, quam ut Peraſtum ſe conferret, & juberet ſibi reddi rationem, quantum pecuniæ Philippus vel impenderit in ædificia, vel in capſa reliquerit. *Se contulit*, ut eſt in Tabulis, *ad Eccleſiam S. Georgii de Scopulo, ut perquireret quot nummos & perperos Dominus Philippus quondam Abbas electus præfati loci, Ord. S. Benedicti, expenderit in fabricis per eum factis in præfato loco &c.* Comperit autem ad cœmeterium reficiendum, tectumque Cœnobii male materiatum ac ruinoſum reſtituendum impendiſſe nummos argenteos centenos, & quinquagenos. Poſtea pecuniæ, & annuorum proventuum quod reliquum erat, domeſticam & eccleſiaſticam ſupellectilem, itemque codices accepti & expenſi percenſuit, & recognovit; atque omnia novo Abbati tradenda diligenter cuſtodiri juſſit: *Nos*, inquit, *Angelus Baronius &c. attendentes quod his proximis diebus admod. Rev. D. Philippus Duplovich Ord. S. Benedicti Congreg. Meliten. & Abbas elect. S. Georgii de Gulpho vitam obierit, & nonnulla bona, nummos, reditus, variaſque ſcripturas ad ſe pertinentia reliquerit &c. Dat. 19. Septemb.* 1604. Catharum reverſus, ſtatim edictum valvis ædis cathedralis affixit, quo jubebantur ii, ad quos juſpatronatus Templi & Cœnobii Georgiani pertinebat, intra certos & præfinitos dies adeſſe

Peraſtum profectus rationes adminiſtrationis proventuum S. Georgii recognovit,

Catharenſibus nominationem novi Abbatis indixit.

Digitized by Google

adesse coram Episcopo ad novum Abbatem nominandum. Anno igitur 1604. VIII. Id. Octobris adfuerunt Judices civitatis, & primores Consilii Minoris, personam sustinentes, ac vice fungentes Consilii Majoris, totiusque Communis Catharensis; & voce concordi Abbatem nominarunt Michaelem Cisillam, Presbyterum honesto loco natum, optimæ vitæ, famæque integerrimæ; qui mense proximo coram Episcopo, cum periculum scientiæ suæ in re theologica & morali feciſſet, inventus est idoneus ad munus Parochi rite fungendum. Totius rei gestæ seriem Episcopus Clementi VIII. & Præfecto Romanæ *Datariæ* per litteras sua testificatione roboratas, suoque signo obsignatas exposuit, & Abbati electo præclarum virtutis atque doctrinæ testimonium tribuit; ut scilicet diploma pontificium impetraret, quo Michaeli potestas fieret Sacerdotii sibi collati possessionem adeundi. Hæc omnia ex Actis Curiæ Episcopalis, quæ sunt hujusmodi.

Die octava Octobris MDCIIII.

Acta electionis & nominationis.

Coram Admod. Illustrissimo, & Reverendissimo D. Angelo Baronio Episcopo Catharen. in Camera sui Episcopalis Palatii, sedente pro tribunali, in præsentia mei Nicolai Duplovich Episcopalis Curiæ Cancellarii, comparuerunt magnifici Domini Michael Boliza, Ludovicus Bucchia, Jacobus Pasqualis Judices Communis civitatis Cathari; necnon D. Hieronymus Grubogna, Marianus Bucchia, & Marianus Boliza, Consiliarii Minoris Consilii, vice & nomine totius Communitatis ejusdem civitatis, pro debita executione Monitorii citorialis edicti ejusdem Reverendissimi Domini Episcopi, ad valvas Ecclesiæ cathedralis affixi, infra tempus debitum, asserentes se habere juspatronatus, ac esse in possessione, vel quasi ejusdem præsentandi, quotiescumque pro tempore opus fuerit; Abbatem & Commendatarium Monasterii Ord. S. Benedicti, quod Conventu caret, ad Ecclesiam parochialem S. Georgii de Scopulo in hac diœcesi existentem, cui hactenus in aliquo non est derogatum, sicut legitur in publicis documentis; quæ omnia & singula pro favore jurium suorum producunt, & producta esse voluerunt omni meliori modo. Quapropter prædicto nomine præsentarunt, & præsentant ejus admod. Illustrissimæ, & Reverendissimæ Dominationi R. Presbyterum Michaelem Cisilla, Sacerdotem idoneum & sufficientem, bonæ conditionis & famæ, ibi præsentem & acceptantem, in Abbatem, seu Commendatarium Monasterii, & Ecclesiæ S. Georgii de Scopulo prædicto, cum honore & onere solitis & consuetis, humiliter petentes ab ejus Reverendissima Dominatione, quod constito ei de jure, & de facto, & de prædicto jurepatronatus dictæ Communitatis, & possessione ejusdem, fidem faciat per suas credentiales litteras Sanctissimo Domino nostro Papæ, seu Reverendissimis, ac Illustrissimis, cui, vel quibus competit Bullas de prædicta Abbatia seu Commenda in personam Presbyteri prædicti Michaelis Cisilla, ut supra, præsentati, expediri pro adipiscenda reali & corporali possessione prædictæ Abbatiæ, seu Commendæ &c.

Die Mercurii 3. Novembris 1604.

Angelus Baronius Venetus Artium, & Sac. Theol. Doctor, Episcopus Catharen. hodie post vesperas in Episcopali palatio examinavit D. Michaelem Cisilla cum examinatoribus deputatis; & hoc in virtute præsentationis factæ a Minori Consilio hujus magnificæ Communitatis sub die 8. Octobris proxime præteriti, in Abbatem seu Commendatarium Monasterii & Ecclesiæ S. Georgii de Scopulo; & insimul fecit professionem fidei juxta sacrosanc. Conc. Trident. decreta; eumque invenerunt habilem, & idoneum, præsente adm. Reverendo D. Jacobo Bisantio Vicario supradicti Reverendissimi, Domino Laurentio Falcetta, & Tryphone Boliza; mihique Cancellario asseruerunt, & affirmarunt hæc rite & legitime esse facta &c.

Testificatio Angeli Baronii Ep. in urbem missa.

Nos Angelus Baronius &c. fidem indubiam facimus, & attestamur tam Sanctissimo D. D. nostro Papæ, quam Illustrissimo, & Reverendissimo ejus Datario, vel quibuscumque aliis Illustrissimis, & Reverendissimis, cui vel quibus pertinet Bullas ad infrascriptam Ecclesiam expedire; quod vacante in hac nostra diœcesi Ecclesia parochiali Abbatia S. Georgii de Scopulo Gulfi nuncupata, per ob. Admod. R. D. Philippi Duplovich Mon. Ord. S. Benedicti, ab Illustrissimo & Reverendissimo Domino Augustino Valerio, tunc Visitatore Apostolico, nunc Cardinali amplissimo, Vicarii, Æconomi, Administratoris Reverendi D. Vincentii Pasqualis Abbatis, qui tunc curæ, & omnibus fructibus, & proventibus dictæ Ecclesiæ renunciavit, cum consensu infrascriptorum Patronorum constituti, ut legitur in sententia prædicti Domini Visitatoris; qui quidem D. Philippus præteritis mensibus diem suum extra Romanam curiam clausit extremum. Quapropter affixo per nos, (ut in similibus fieri solet) monitorio edicto ad valvas hujus Ecclesiæ cathedralis, infra debitum tempus comparuerunt coram nobis magnifici Domini Judices, & Consiliarii Minoris Consilii hujus civitatis, repræsentantes, & personam tenentes Majoris Consilii Nobilium ejusdem civitatis, asserentes se esse patronos præsentandi Abbatem dictæ Ecclesiæ, producentes pro favore jurium suorum, tam dictam sententiam Illustrissimi & Reverendissimi Visitatoris, quam alia publica documenta, quibus plane dignoscitur in possessione, vel quasi, eos existere dicti juriſpatronatus, seu præsentandi Abbatem dictæ Ecclesiæ; cui eorum juri hactenus in aliquo non fuit derogatum; præsentaverunt-que nobis in Abbatem dictæ Ecclesiæ Presbyterum Michaelem Cisilla, Alumnum Collegii Clementini, morum ac virtutum meritis decoratum, a nobis prævio examine idoneum repertum, & approbatum. In quorum omnium, & singulorum robur, ac fidem has manu nostra subscriptas, solitoque nostro sigillo munitas fieri fecimus.

Dat. Cath. ex ædibus Episcopalibus die Lunæ 10. men. Januarii 1605.

Rascianus quidam matrimonium initurus cum muliere Catholica jubetur dogma Romanum amplecti.

Cum quidam nomine Marcus ritus Rasciani mulierem ritus Latini ducere in matrimonium vellet; Episcopus veritus ne ille cum ritu errores etiam Rascianorum conjungeret, atque ad eos ab sincera in Deum fide uxorem abduceret; potestatem ineundi matrimonii cum muliere Catholica ei se facturum negavit, nisi non modo se Catholicum profiteretur, sed etiam jusjurandum dediſſet se ad Latinum ab Rasciano ritu transiturum.

Die Dominico XXI. Novemb. 1604.

Contrahendum cum esset matrimonium inter Marcum quondam Nicolai de Orahovaz, & Stanam filiam Petchi de Cosiez, Reverendissimus Dominus Episcopus, quia supradictus Marcus est de ritu Græcorum Rascianorum, Stana vero Romani ritus, noluit assentire prædictum matrimonium fieri, nisi prius supradictus Marcus jura-

re-

Digitized by Google

verit velle renunciare præfato ritui Græco ſchiſmatico, abſolvique in quantum opus eſt; & in futurum vivere cum ſua uxore in ritu Romano, & Catholico. Qui ſupradictus Marcus juravit ſe velle renunciare præfato ritui, & vivere ſemper in ritu Romano Catholico cum præfata ejus uxore Stana; quod juramentum fecit in manibus mei Nicolai Duplovich Canonici cathed. & Cancellarii præfati admod. Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. Epiſcopi, in præſentia Radeglie ... & Allegreti de Allegretis, & Raicci fratris ſupradictæ Stanæ &c. qui Radaglia, & Allegretus ſe ſubſcribunt; cæteri vero apposuerunt ſignum Crucis in margine, cum neſcirent ſcribere.

Controverſiam de juriſdictione parochiali inter Stephanum Boſcum, & Stephanum Alexin dirimit.

Stephanus Boſcus Presbyter Græcanici ritus ab Epiſcopo Cetinenſi ejuſdem ritus ad vicum Cartoli diœceſis Catharenſis miſſus fuerat, ut rem Chriſtianam ibi curaret, vicanis illis divinæ legis præcepta traderet, & ſacra myſteria impertiret. Hunc in ejuſdem Eccleſiæ, & vici poſſeſſione Hieronymus Bucchia proximus ante Angelum Epiſcopus confirmaverat; ſiquidem ſe Catholicum eſſe, ut par erat, idem Presbyter profeſſus fuerat. Sed alter Presbyter ritus itidem Græci Stephanus Alexin in ejus parochialem ditionem impudenter invaſerat; & quinque ipſas domos ſeu familias ab ejuſdem juriſdictione divulſerat, in eiſque jus Parochi uſurpare per ſummam temeritatem audebat. De injuria ſibi facta Stephanus Boſcus queſtus eſt apud Angelum Epiſcopum, qui utrique diem edixit ad conveniendum in curiam epiſcopalem, ut pro ſe quiſque cauſſam diceret. Audita utraque parte, ſecundum Stephanum Boſcum judicavit,

Die 4. Februarii 1605.

Coram Adm. Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Angelo Baronio Epiſcopo Catharen. comparuit Reverendus D. Stephanus Boſco Curatus Cartoli de ritu Græcorum aſſerens &c.

Audita ſupraſcripta querela per Reverendiſſimum D. Epiſcopum ſupradictum, ſedentem in camera ſuæ ſolitæ reſidentiæ pro tribunali, citari fecit ſupraſcriptum Reverendum D. Stephanum Alexin, ut die Veneris proxima futura, quæ erit undecima ſupraſcripti menſis, comparere debeat coram ſua Reverendiſſima Dominatione ad reſpondendum &c.

Die competenti comparuerunt ſupraſcripti Presbyteri Græci coram, ut ſupra, & expoſuerunt eorum gravamina. Prædictuſque Stephanus Alexin faſſus eſt ſe uſurpaviſſe ſupradictas domos, & familias, non ut eas uſurparet ſibi, ſed quia præfatæ perſonæ recuſarunt ſe velle recipere Sacramenta a præfato Reverendo Stephano Boſco &c.

Qui Reverendiſſimus juſſit præfato Reverendo Stephano Alexin, ne amplius ſe intromittat in adminiſtratione Sacramentorum perſonis antedictarum familiarum, cum non ſint de ejus Parochia; & ſi capita præfatarum familiarum recuſent ſe velle recipere Sacramenta a præfato eorum Parocho Domino Stephano Boſco, accedant ad Reverendiſſimam Dominationem ſuam ad allegandas cauſas, quare id facere recuſent, & ſua Reverendiſſima Dominatio auditis cauſis providebit, prout de jure; aliter promiſit in ejus futura viſitatione, ſi ipſi ante non ſe præſentaverint, remedia adhibere. Inſuper mandavit præfatis Presbyteris ſub pœna ducatorum quinquaginta, ne alter alterum offendat verbo, vel facto, & ſub aliis pœnis arbitrariis &c.

Eodem anno 1605. Eccleſias ſuæ diœceſis, Latinas & Græcas luſtravit. Sed ex Actis Epiſcopalibus hujus luſtrationis nihil habeo, niſi viſitationem quatuor eccleſiarum, Deiparæ Virginis ab Angelo ſalutatæ, S. Venerandæ, S. Nicolai, quæ ad Græcos, & S. Michaelis Archangeli, quæ ad Latinos pertinent, his litteris conſignatam. Diœceſim luſtravit.

Die 14. Novemb. 1605.

Admodum Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus viſitavit Eccleſiam Annunciationis B. V. de ritu Græcorum in Cartoli, quæ gubernatur a Presbytero Stephano Boſco de Zuppa, cui præcepit, ut ſe præpararet ad faciendam profeſſionem fidei in manus ejus Dominat. Reverendiſſimæ juxta decretum Clementis Papæ VIII. qui promiſit convenire, & profiteri &c.

Die 3. Feb. 1606. Comparuit D. Stephanus de Cartoli Presbyter Græci ritus, & Parochus præfati loci de Cartoli, in camera ejus ſolitæ reſidentiæ, & ad ejus pedes genuflexus emiſit profeſſionem fidei Catholicæ juxta formam Clementis VIII. ab eo propoſitam, & typis mandatam; præſentibus Domino Vincentio Nob. Catharen. Vaivoda, Alexio ..... Catharen., Clerico Nicolao Palma, & me Laurentio de Dogninis Secretario & Cancellario.

Die 16. Novemb. 1605.

Admodum Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus acceſſit ad viſitandam Eccleſiam S. Venerandæ de villa Luſtizzæ, cum ſociis, quæ eſt Græcorum, abſolutoque cœmeterio, ſolemniterque populo benedicto, in ea celebravit, erecto altari, ratione ut ſupra, in villa Cartoli, quam invenit fabricatam de recenti ab annis quinque circa, in villa quæ dicitur Mareni, quæ eſt ſatis parva, & more Græcorum depicta, & tota lapidea; & quia pavimentum eſt inæquale, juſſit Reverendiſſimus æquare. Parochus præfatæ Eccleſiæ eſt Reverendus Marcus Marcovaz ejuſdem loci, qui ſibi præſentatis litteris commendatitiis Epiſcopi Cetinenſis, humiliter petiit confirmari in Parochum, & inveſtiri a Reverendiſſimo Epiſcopo Catharenſi; qui illi juſſit, ut prius ſe præſentet coram ejus Reverendiſſima Dominatione pro facienda profeſſione fidei more Græcorum, qui Eccleſiæ Romanæ, ac Romano Pontifici obediunt; qui promiſit ſe pariturum mandatis: habet omnia neceſſaria præfatus Presbyter ad celebrandum, quæ quidem ſunt ipſius. Eccleſia nullum habet reditum; ſed qui ſunt illius ritus, præbent illi pro quacumque familia annualiter octo libras frumenti, & dolium, ſeu unicam vini urnam; pro Miſſis vero celebrandis ſolvunt duos ſolidos Venetos. Familiæ autem ex ritu Græco nonaginta computantur, quæ modo ædificant aliam Eccleſiam ante ſupradictam, quæ tantummodo indiget tecto & pavimento. Non habet Eccleſia baptiſterium, ſed more Græcorum ante fores baptizare ſolent; habet campanile unica cum campana, & eſt bene clauſa; nec habet vas pro aqua benedicta, aſſerens Parochus, quod Græci ſemel in anno eam benedicunt, & ipſe eam conſervat domi in vaſculo vitreo. Caret Procuratoribus, at Communitas illius curam gerit. Fere omnes Parochiani ſciunt Pater, Ave, & Credo, & invicem docent, ac docentur; & ſi qua familia docentem non habeat, docet ipſe Presbyter ignaros.

Die 27. dicti acceſſit Reverendiſſimus Dominus ad viſitandam Eccleſiam S. Michaelis Archangeli loci prædicti, & abſoluto cœmeterio, benedictoque

Digitized by Google

que ſolemniter populo, celebravit in eadem Eccleſia, quæ eſt Latinorum, & eſt ædificata abhinc trigiuta & quinque annis incirca a duobus Fratribus ritus Latini loci Viræ de Barguli, videlicet Stephano, & Jure Tripcou, quam tamen non dotarunt, nec ſcit, an ſit conſecrata; eſt tota lapidea involtata, verumtamen parva, ſeu potius oratorium, ſeu ſacellum, & partim picta, habetque altare parvum lapideum, ſuper quod ſolet celebrari a Latinis, & Græcis; quam tamen Reverendiſſimus ampliare juſſit, & pavimentum eſt ſatis accommodatum, Caret campanis, nec habet aliquod requiſitum ad celebrandum, ſed eorum Parochus Latinus, tunc Guardianus S. Mariæ de Scopulo, defert ſecum omnia requiſita, qui tamen præſenti anno non eſt debite functus officio ſuo; eapropter inſtarunt, ut ſibi provideatur de Parocho; qui Reverendiſſimus promiſit illis providere, hac tamen ratione, ut ipſi quoque provideant quibus ſtipendiis vivere valeat; male ſentiunt de præfato Parocho Franciſcano, cum ſit proprii capitis. Eccleſia habet januam, ſine tamen ſera, & clave, & juſſit Reverendiſſimus prædicta quam primum fieri. Magna pars Parochianorum ſcit Pater, Ave, & Credo, quibus Reverendiſſimus juſſit, ut qui illa ſciunt, cæteros docere non dedignentur tam viri, quam mulieres. Nullum habent Procuratorem Eccleſiæ, ſed omnes indifferenter illius curam gerunt.

Die eodem in eodem loco viſitavit Eccleſiam S. Nicolai ritus Græci, quæ eſt antiquiſſima, & pluribus locis depicta, ac parum conſtans minatur ruinam; eſt parva, lapidea, habetque campanile cum campana, & aliam Eccleſiam prope ipſam recto tramite pro laicis, & ſatis incompacta; & juſſit Reverendiſſimus eam accommodari. Habet unicum altare lapideum parvum Græcorum more; & nullos habet redditus, ſed piorum eleemoſynis ſuſtentatur. Populi pro majore parte ſciunt Pater, Ave, & Credo, & ſe invicem docent, ac docentur; non habet neceſſaria ad celebrandum; ſed ſolent Græci Sacerdotes ea penes ſe tenere, qui ſuſtentantur a parochianis, ut expoſitum eſt in Eccleſia S. Venerandæ. Non habet Procuratorem, ſicut nec cæteræ Græcorum Eccleſiæ; curam tamen illius gerunt ad præſens tres laici. Caret baptiſterio, & Græcorum more baptizantur infantes ad Eccleſiæ januam. Ejus Parochus ad præſens eſt idem D. Marcovaz, cui Reverendiſſimus præcepit, ut ſupra &c.

Die 27. menſis Decembris comparuit coram admodum Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Epiſcopo Catharen. Marcus de Marcovaz loci de Luſtizza, & in ejus palatio, & camera ſolitæ reſidentiæ ad ejus pedes genuflexus emiſit profeſſionem fidei &c. præſentibus infraſcriptis videlicet magnifico D. Vincentio Pelegrino Vaivoda Nob. Catharen. Andrea Vucori Vuliosa de Luſtizza &c.

Angelus conſecrat Eccleſiam S. Secundi Venetiarum;

Anno 1608. Venetias profectus Angelus Eccleſiam S. Secundi, quæ incendio conflagraverat, reſtitutam ſolemni ritu conſecravit; ejuſque rei legitur in marmorea tabula monumentum, quod ex Dec. 9. Monument. Ven. Eccl. pag. 21. huc deſcribimus.

Vetus hoc Dei templum a labe incendii, atque ruinæ reſtitutum, cum prius ad honorem S. Eraſmi Epiſcopi ſub die 25. Septemb. Feſtum dedicationis coleret, in craſtino demum Chriſti Transfiguratione a Fr. Angelo Baronio Catareno Antiſtite ad gloriam S. athletæ Secundi F. Dominico Codalio de Urceis Monaſterii Præfecto, ac D. Petro Boni rogantibus, conſecratum eſt, atque Indulgentiis exornatum. Anno D. 1608.

Cum autem annos amplius ſeptem hanc Eccleſiam ſapientiſſime adminiſtraſſet, anno 1611. ex decreto Pauli V. ad Eccleſiam Clodienſem regendam migravit, de quo Vincentius Maria Fontana in ſacro Theatro Dominicano: *Catharenſi Eccleſiæ in Sclavonia ſub metropoli Raguſina* (Barienſi) *P. F. Angelus Baronius Venetus, Conventus S. Dominici alumnus, præfuit, vir doctus, & cordatus, poſtquam magiſtri ſtudentium munus cum laude in Conventu noſtro Bononienſi exercuiſſet; qui Romam vocatus, ut ſocii Magiſtri ſacri palatii officio fungeretur apud Joannem Mariam Briſighellenſem, ex eo miniſterio ad Catharenſem Eccleſiam promotus eſt a Clemente VIII. circa annum* 1602. (biennio poſt ex tab. Conſ.) *In qua Eccleſia laudabiliter ſedit uſque ad annum* 1511. *quo die* 3. *Octob. a Paulo V. ad Clodienſem Eccleſiam translatus eſt.* Ferdinandus Ughellus 13. Auguſti in Epiſcopis Catharenſibus, 13. Octobris in Clugienſibus translatum fuiſſe ſcribit: auctor vero notæ ad marginem appoſitæ translationem Clodienſem ad diem alteram, & triceſimam Auguſti affixit; ſed aliam epocham ſignavit Armanus *ex literis translationis datis anno Incarnat. Dominicæ* 1611. *pridie Idus, nempe die* XII. *Septemb., quæ in archivo Conventus* S. Dominici aſſervantur. Ejus mors incidit in annum proximum 1612. menſe Septembri.

et ad Epiſcopatum Clodienſem migrat.

HIERONYMUS II. EPISC. CATH. XLVII.

Hieronymus Ruſca Ep. Cath.

Hunc itidem civitas Venetiarum, & ſanctiſſima B. P. Dominici familia Epiſcopum Catharenſibus dedit, Sebaſtiano Ruſca viro prænobili e Comitibus de Lugano, & Helena Gritti Veneta matrona genitum. Patria fuiſſe Patavinum alii tradunt, Venetum alii; recte tamen notavit Joannes Baptiſta Maria Contarenus in diſſertat. de Epiſc. Juſtinopolitanis ex Ordine Prædicatorum aſſumptis; *Patavinum Hieronymum noſtrum forte dixere eo, quia domicilium Patavii tenebat tunc temporis Ruſca gens, ut ſatis innuit laudatus Robertus Ruſca (in hiſtoria familiæ ſuæ) qui & refert. Sebaſtianum patrem Hieronymi in ea civitate fatis ceſſiſſe die* 27. *Septem.* 1576. *& in permagnifico S. Juſtinæ templo terræ fuiſſe mandatum. Venetum potius alii ſcripſere Hieronymum Venetiis, poſt ſaltem patris obitum, commorantem, ac matre natum, ut diximus, nobili Veneta, & patre Sebaſtiano Ruſca ob præclara merita Veneta civitate donato, ut ex bino conſtabat diplomate Prioli Ducis Veneti, in quorum uno die dato* 18. *Martii* 1560. *vir dicebatur de republica noſtra optime meritus; altero vero eodem anno die* 26. *Martii Eques aureatus inſtituebatur.* Poſt fratris obitum, qui eodem Hieronymi nomine Dominicanum inſtitutum profeſſus vita exceſſerat Ferrariæ anno 1582., humanæ vitæ pericula veritus ſacræ D. Dominici militiæ nomen dedit IV. Idus Decembris ejuſdem anni in Veneto Cœnobio, cui ab eodem S. Dominico cognomen eſt. Inde Bononiam miſſus, ut Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudiis vacaret, his abſolutis, Sacræ Theologiæ Lector fuit, inquit Contarenus: *Quibus vero ſubſequenti ſtatim tempore fuerit addictus muneribus, cum ſiluerint coævi, non novimus. Hoc ſolummodo ex memora-*

ta

Digitized by Google

ta ſæpe Roberti Ruſcæ Ciſtercienſis hiſtoria, & ex epiſtola Petri Petraccii hiſtoriæ ejuſdem nuncupatoria deprehendimus F. Hieronymum anno 1609. Conventus noſtri S. Secundi in inſulâ prope Venetias præfecturam geſſiſſe, ac munere ſimul Commiſſarii Sanctæ Generalis Inquiſitionis pro toto Venetorum dominio laudabiliter fuiſſe perfunctum. Triennem præfecturam F. Hieronymi meminit quoque Flaminius Cornelius Tome VI. Decade IX. de Venetis Eccleſiis. Interim translato ad Clodienſem Eccleſiam Angelo Baronio Antiſtite Catharenſi, Paulus V. ob eximiam Hieronymi doctrinam, & ſingulares virtutes illum Epiſcopatu dignum judicavit; & *anno* 1611. 5. *Decemb. providit Eccleſiæ Catharenſi de perſona F. Hieronymi Ruſchæ Ord. Præd. Veneti, Sac. Theol. Mag. Virum autem fuiſſe humaniſſimis præditum moribus, fucum cuiquam faciendi neſcium, ſed jucundi, ingenuique omnino animi,* teſtatur Thomaſinus Æmonienſis Epiſcopus, additque, auctore Contareno ſuperius laudato, *Marcum Cornelium Patavinum Antiſtitem earum in primis, ac familiarem eum habuiſſe, ejuſque ſæpe opem in Epiſcopalibus curis ſuſtinendis, ac peragendis Pontificalibus, veluti ſibi deſignati Coadjutoris, uſum fuiſſe:* quod verum eſſe fatemur, cum nimirum Hieronymus inſulas Juſtinopolitanas ſuſcepit. Anno 1613. ædem cathedralem S. Tryphonis ſolemni ritu conſecravit, ut Cornelius, & Contarenus docent. De his vero, quæ geſſit pro retinenda tuendaque in Caſtrum novum juriſdictione Epiſcopali adverſus Epiſcopum Tribunienſem, vide quæ dicta ſunt ſuperius in Epiſcopis Rhizinienſibus. Nonum autem a ſuſcepto Epiſcopatu annum agebat, cum huic Eccleſiæ nuncium remiſit; quem idem Pontifex Paulus V. non Gregorius XV. quod Morerius, Naldinus, Cavalerius, Armanus & Bremondus tradunt, ne titulum epiſcopalem ab omni curatione vacuum gereret, Eccleſiæ Juſtinopolitanæ præfecit. *P. F. Hieronymus Ruſca Patavinus ejuſdem provinciæ, & Conventus* (S. Dominici) *nobilis alumnus, Catharenſis Epiſcopus evaſit die* 5. *Decemb. an.* 1611. *Paulo V. promovente; a quo ad Eccleſiam Juſtinopolitanam translatus fuit an.* 1620. *relicto ſucceſſore Jacobo Pamphilio Clodienſi.* Hæc Vincentius Maria Fontana in Theat. Sacr. Domin. cui, & Contareno conſentit F. Joannes Dominicus Armanus in Monumentis ſelectis Conventus S. Dominici Venetiarum: *F. Hieronymus Ruſca, quem alii Venetum, alii Patavinum ſcribunt, Dominicanam veſtem induit in cœnobio noſtro anno* 1582. *die* XII. *Decemb. Bononiam miſſus eſt, ut tyrocinium religionis ageret: quo expleto, profeſſionem emiſit pro eodem Conventu, ſuffragantibus Dominico Bollano Priore, aliiſque Patribus, & alumnis. Diſtingui debet ab alio Hieronymo Ruſca fratre ejus, itemque cœnobii alumno, ad Ordinem adlecto anno* 1580. *vitæ integro viro, ac probatiſſimo. Angelo Baronio ad Eccleſiam Clodienſem translato, Catharum Epiſcopus mittitur Hieronymus a Paulo V. anno* 1611. *Eccleſiam deinde Juſtinopolitanam aſſumit regendam a Gregorio XV.* (a Paulo V.) *an.* 1620. *die* 29. *Aprilis.* Hic translationis annus, quem præter hunc Armanum Morerius, aliique ſuperius citati fuiſſe notant 1621., ex actis Conſiſtorialibus confirmabitur in inſequenti Epiſcopo Jacobo.

transfertur ad Eccleſiam Juſtinopolitanam.

JACOBUS EPISC. CATHAREN. XLVIII.

Civis, & Presbyter diœceſis Clodienſis, ſive Clugienſis, cognomento Pamphilus, ſive Pamphilius, ex oppido Caſtri Aggeris; cui Paulus V. Eccleſiam Catharenſem decrevit: *Anno* 1620. 15. *Junii providit Eccleſiæ Catharenſi in provincia Macedoniæ* (ideſt Albaniæ) *ſub dominio Reipubl. Venetorum vacanti per reſignationem factam a Hieronymo Ruſca, de perſona D. Jacobi Pamphilii Presbyteri Clodienſis diœceſis.* Ne biennium quidem integrum præfuit, morte ſublatus Venetiis XVII. Kalendas Maji, anno 1623. Ferdinandus Ughellus ex uno duos fecit Epiſcopos Joſephum Pamphilum, & Jacobum Pamphilum; ſed utrique eoſdem annos attribuit; Lombardus in Archiep. Barenſ. part. 2. hunc *Joſephum* appellat.

VINCENTIUS EPISC. CATHAR. XLIX.

Vincentius Bucchius Epiſc. Catharenſis Templi S. Mariæ de Scalpello Rectorem confirmat.

Familia Bucchia inter Catharenſes generis nobilitate, & majorum gloria illuſtris eſt. Hinc originem traxit Vincentius, quem ex Canonico ædis cathedralis Epiſcopum fecit Gregorius Papa XV. *Anno* 1622. 5. *Decemb. providit Eccleſiæ Catharen. vacanti per obitum Jacobi de perſona Vincentii Bucchii Canonici dictæ Eccleſiæ,* Vitam & Pontificatum perduxit uſque ad annum 1656. Hunc Lombardus paullo ſuperius laudatus *Jacobum Vincentium* nominat. In receſſu ſinus Rhizonici, haud ita longe a Peraſto, imminet quidam ſcopulus, ſive inſula exigua paucis focis habitata, ubi templum eſt Virginis Deiparæ, tum ob crebra, & inſignia miracula, tum propter concurſus populorum illuc vel ſupplicandi, vel gratias pro beneficiis acceptis agendi cauſa adventantium, longe celeberrimum, quod Peraſtini ex ærario communi ædificaverant, & dotaverant; cumque totum ex marmore conſtet, artificum ſcalpro eleganter elaborato, cognominari ſolet *S. Maria de Scalpello.* Jus Presbyteri nominandi, qui ejus Templi cuſtodiæ præſit, & ſacrum quotidie faciat, eſt penes Commune Peraſtinum, quod eidem attributum, vel confirmatum fuit, ut ajunt, anno 1603. a Michaele Priolo Epiſcopo Vicetino, Viſitatore Apoſtolico, cum Eccleſias Dalmatiæ inviſeret atque luſtraret. Itaque Peraſtini anno 1626. Vincentium Epiſcopum adeuntes, coram illo conſtituerunt F. Seraphinum ex Ordine S. Franciſci, quem Præfectum, & Rectorem ejuſdem Templi elegerant, ut eum approbaret. *Comparuerunt magnifici Chriſtophorus Tueglich, Dominicus Dentuli, & Lucas Marcovich nomine Nicolai Siloppi Capitanei totius magnificæ Communitatis Peraſti coram Reverendiſſimo Domino Vincentio Bucchia Epiſcopo Catharenſi; & nomine dicto elegerunt Capellanum Eccleſiæ S. Mariæ de Scarpello fundatæ, ædificatæ, & dotatæ a prædicta Communitate, R. P. F. Seraphinum de Leſina Ord. Min. Obſerv. per decem annos proxime futuros, qui ibi ſerviat pro Capellano, vigore facultatis attributæ ſupra nominatæ Communitati per Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Dom. Dom. Michaelem Priolum Epiſcopum Vicetinum, & Viſitatorem Apoſtolicum in tota Dalmatia; quem ſic electum præſentatum, & non alium Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus prædictus confirmavit, & approbavit. Dat. Cath. die* 27. *Aprilis*

Digitized by Google

lis 1626. Erat tamen inter Peraſtinos, & Catharenſes controverſia de hujus electionis jure, quæ non ita facile componi poſſe videretur; nec levior inter utrolque lis, atque diſceptatio dudum vigebat de jure itidem nominandi Abbatis Peraſtini S. Georgii, quod jus, ex quo Cœnobium & Sacerdotium Georgianum Monachis ademptum viris eccleſiaſticis commendari cœpit, Catharenſes majori auctoritate, & potentia freti ſemper uſurpaverant, ac retinuerant. His itaque temporibus Abbatis dignitate, ac munere præerat Templo Georgiano Michael Ciſilla vir eximiæ doctrinæ, & pietatis, idemque Concionator egregius, quem Hieronymus Ruſca Epiſcopus plurimi faciebat, & nullum eſſe ajebat gradum eccleſiaſticæ Hierarchiæ tam ſublimem, quo Michael dignus non eſſet: at, cum is diem ſupremum obiiſſet anno 1646. contentio illa acrius exarſit; & exarcebatis utrinque animis, jam ad arma, & cædes ſpectabatur utrinque. Verum juris quæſtione ad Venetum Senatum delata, hic de conſenſu partis utriuſque illud jus patronatus ad ſe revocavit, ſedatoque diſſidio, anno 1647. Damianum Siloppum civem, ac presbyterum Peraſtinum elegit, ac nominavit, Abbatem S. Georgii. Ut vero utriſque & Catharenſibus & Peraſtinis gratiam Senatus referret, his quidem poſſeſſionem S. Mariæ de Scalpello adjudicavit, juſque nominandi Presbyteri, præficiendique huic ædi Marianæ confirmavit; illis vero decreto Senatus XV. Kal. Decembris anno 1654. conceſſum fuit, ut in poſterum nobiles adoleſcentes binos Patavium mitterent, ubi per quinquennium literis operam darent, attributis ex publico ejus civitatis vectigali, argenteis annuis in ſingulos ſeptuagenis. Nunc vero ex Notis Canonici Gregorinæ Peraſtini quidem eligunt, Senatus vero electum Abbatem confirmat.

Controverſia de jure patronatus S. Mariæ de Scalpello, & Abbatiæ S. Georgii inter Catharenſes, & Peraſtinos.

Aliud præterea diſſidium hoc tempore interceſſit Clero Catharenſi cum Patribus Franciſcanis *de Obſervantia*, qui jamdudum pacata poſſeſſione obtinebant Templum, & Cœnobium S. Mariæ de Scopulo, in inſula parva ſinus inferioris Catharenſis, Canonicis Cæleſtinis S. Georgii de Alga inde abire coactis, quibuſcum diuturnas olim & magnas contentiones habuerunt, ut diximus in Tryphone Epiſcopo Catharenſi. Sed ante annos circiter decem Turcæ, ſive piratæ locum illum ex nec opinato adorti incenderant, ac diruerant: quare F. Hieronymus de Bergomo, qui tunc præerat ei loco, vir eximiæ virtutis, & obſervantiſſimus diſciplinæ Franciſcanæ, Templum, & Monaſterium ex collatis piorum hominum ſubſidiis reædificare cœpit. Obſtitit tamen Epiſcopus, ſive illius Vicarius, & Clerus Catharenſis; ajebant enim hujuſmodi ædificationem non religionis, ſed cujuſdam æmulationis cauſa inſtitutam eſſe, ex eaque non parum detrimenti capere tum agros vicinos quorumdam civium, tum vero pomarium, & ſylvam quamdam menſæ epiſcopalis. At moram, & impedimentum huic operi ſanctiſſimo injectum ægre ferebant incolæ trium pagorum, non ita lato interjecto mari ab ea inſula, ſive ſcopulo disjuncti, qui ædem illam Marianam inſigni pietate, ac frequentia colere, & ibidem ſacris intereſſe, ac divina myſteria percipere ſolebant. Cauſam tamen ſuam, & jus ſuum perſequi apud Epiſcopum non audebant, a quo nihil æqui, bonive impetrari poſſe ſperabant: quippe qui ædificium illud non reſtitui ſua putabat intereſſe. Itaque ad Sedem Apoſtolicam confugere decreverunt orantes, obteſtanteſque, ut aliquem ex Epiſcopis, aut viris eccleſiaſticis illarum partium ſibi arbitrum eligeret, & judicem daret, qui de toto illius controverſiæ ſtatu cognoſceret, & pro eo, ac juſtitia, & æquitas poſtulabat, ſententiam ferret. Urbanus VIII. benigne ſupplicum preces excepit, & ejus cauſæ cognitionem Vicario generali Epiſcopi Buduenſis delegavit, his ad eum litteris datis.

Cleri Catharenſis diſſidium cum Patribus Franciſcanis;

Urbanus Epiſcopus Servus Servorum Dei dilecto Filio Vicario Ven. F. noſtri Epiſcopi Buduenſis in ſpiritualibus Generali ſal. & Apoſt. bened. Sua nobis dilecti Filii Univerſitates, & homines Luſciæ, Bugdiſich, & Bardæ terrarum diæc. Catharen. petitione monſtrarunt, quod cum alias domus a Sclavis B. Mariæ Scopuli nuncupatæ, Ord. FF. Min. S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum dictæ diæc. in provincia Dalmatiæ ſita cum omnibus ſuis mœnibus per barbaros, & Turcas a decennio & ultra devaſtata, combuſta, & diruta fuerit & noviſſime cum maxima pietate inſtauraretur, ac in priſtinum uſum omnibus neceſſariis redigeretur per dilectum Hieronymum de Pergamo Præſidentem, & Guardianum dictæ domus; nihilominus Ven. Fr. noſter Epiſcopus Catharenſis, ſeu dilectus filius, ejus Vicarius in ſpiritualibus Generalis, una cum dilectis filiis Clero Catharen. ſub prætextu, quod ædificatio ſit ad æmulationem, & reſtauratio, & in priſtinum reductio ſit in damnum aliquorum bonorum civium vicinorum, cum quodam pomario, & ſylva menſæ epiſcopalis Catharenſis, prætendunt, inſtaurationem hujuſmodi non eſſe licitam; illudque coram Ordinario intereſſe habente fieri non poſſit; pro parte earumdem Univerſitatum, & hominum nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus cauſa, & cauſæ, quam & quas ipſi Univerſitates, & homines contra prædictos adverſarios, omneſque alios cum intereſſe prætendentes, ſuper præmiſſis habent, & movent, habereque, & movere volunt, & intendunt cum omnibus & ſingulis ſuis .... dependentibus, & emergentibus, annexis, & connexis, totoque negotio populi, aliquibus Ordinariis illarum partium, audiendi, cognoſcendi, decidendi, fineque debito terminandi, cum facultate prædictos adverſarios, & quos opus fuerit, citandi, eiſque ſub ſententiis, cenſuris, & pœnis inhibendi, omniaque, & ſingula, in præmiſſis, & neceſſaria, & opportuna faciendi, decernendi .... & .... di .... præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque non obſtantibus committere ..... demandare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur unicuique juſtitiam, ut decet, miniſtrare cupientes, ac Univerſitatum, & hominum prædictorum .... perſonas a quibuſcumque excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quomodolibet latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant, ad effectum prædictum dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ, cum, ut Univerſitates, & homines prædicti aſſerunt, Ven. F. noſtri Epiſcopi Buduani Vicarius ordinarius illarum partium exiſtis, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, vocatis ad id, qui fuerint

de quo componendo epiſtola Urbani VIII. ad Vicarium Epiſcopi Buduenſis.

Digitized by Google

rint evocandi, dummodo in contrarium alibi certum non ſit, in præmiſſis omnibus, & ſingulis auctoritate noſtra facias, prout demum fuerit faciendum .... Datum Romæ apud S. Mariam Majorem. Anno Incarn. Domin. 1630. ..... Maji. Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Haud equidem dubito, quin Vicarius Epiſcopi Buduenſis mandata pontificia exequutus fuerit, ſed quid ſententiæ tulerit, mihi non eſt compertum. Illud ſatis conſtat & Templum, & Cœnobium illud S. Mariæ in Scopulo reſtitutum fuiſſe, & nunc utrumque a Patribus Franciſcanis ſeverioris diſciplinæ alterum pie coli, alterum religioſe inhabitari.

Portentum Cathari viſum.

Anno 1631. 16. Kal. Januarias tota civitas horribili viſu, atque portento commota fuit; ferunt enim in aere igneum globum urbi impendentem viſum, mox ex ingenti & obſcuriſſima nube cinerem pluiſſe, quo urbs, eique proximus mons late oppletus: & inſoliti quidem caſus novitate territi primum civium animi hærebant metu triſtis ominis, quod ſpecies illæ portenderent; ſed allato deinde nuncio teterrimæ conflagrationis, qua Veluvius in Italia cœpit exardeſcere 17. Kal. Januarias ejuſdem anni, & ſupremum Neapoli, unde parum diſtat, excidium minitatus eſt, certo compertum, flammarum ac cinerum ex illo monte erumpentium vim tantam & copiam exſtitiſſe, ut in Dalmatiam uſque, eoque longius projicerentur; quo Catharentium perturbatio, ac metus omnis evanuit. Rem viſu ſane triſtiſſimam ita narrat accidiſſe Gregorius Carafa in *Epiſtola iſagogica de noviſſima Veſuvii conflagratione*, edita Neapoli an. 1632. cap. 13. *Formidabile etiam fuit oſtentum* Aſcruvii, *vulgo* Cattaro, *Dalmatiæ urbe viſum, de quo nos per litteras Venetiis* 10. *Januarii ſcriptas certiores fecit P. D. Nicolaus Fuſcarus religionis noſtræ* (Cleric. Regul.). *Vagatus eſt, viſuſque in proximo ſinu, vulgo* canale, *diu in aere igneus quidam globus, mox conſecuta eſt cinerea & lurida nubes, ex eaque excuſſus cinis, qui non ſolum civitatem, ſed propinquum etiam montem implevit: nam a decima hora noctis, quæ diem martis conſecuta eſt,* (ideſt diem decimam ſeptimam Decembris; quippe die lunæ, ſub noctem, quæ diem martis præceſſit, Veſuvii conflagratio jam præſentiri, & erumpere cœperat,) *& poſtridie per denſam obſcuritatem decidere nunquam deſtitit. Hoc viſum alii confirmarunt affirmantes, ignitam illam maſſam a meridie, qua Neapolim reſpicit Dalmatia, advectam.* Id teſtatur etiam Joannes Baptiſta Maſculus in ſuo opere de incendio Veſuvii anni 1631. lib. 1. pag. 12.

Zuppani a Cath olicam Fidem converſi.

Interea Vincentius Epiſcopalis curæ lætos ubereſque fructus collegit; quippe, dum bello Creticō ardebat Dalmatia, qui Zuppam Catharenſem incolebant, Turcarum jugo depulſo non ſolum in poteſtatem Venetorum ultro venerunt, ſed etiam ab ſchiſmate Græcorum in Fidem ſe contulerunt & communionem Catholicam, quos Vincentius peramanter amplexus Eccleſiæ reconciliavit; id quod ipſe ſuis ad ſacram Congregationem literis datis anno 1649. IX. Kal. Octobris expoſuit, ſimulque illorum egregiam tum erga Venetos veteres dominos, tum erga Pontificem Romanum voluntatem collaudavit. Eodem anno ad templum S. Paulli, & monaſterium Virginum inſtituti Dominicani acceſſit, exuvias SS. Sergii & Bacchi capſula eductas inſpexit, recognovit, approbavit, ſuoque ſigno iterum obſignavit, ut eſt in ſchedula illis appoſita.

Corpora Sanctorum Martyrum Sergii & Bacchi clauſa & ſigillata, facta recognitione a Reverendiſs. D. Vincentio Buccbia die 24. Januarii 1649.

Vincentius Bucchia Epiſc. Catharenſis recognovit, publicæ venerationi exponenda permiſit, & ſigillavit.

Epiſcopalis Peraſti viſitatio.

Anno 1654. Peraſtum profectus oppidi luſtrandi cauſſa, cum ædem Georgianam ejus loci primariam, quam ante annos triginta Afri piratæ in ſinum Catharenſem lembis piraticis invecti, & nocte intempeſta Peraſtum adorti una cum oppido, aliiſque ſacris ædibus diripuerant, ruinoſam, inornatam, ſqualore & illuvie obſitam reperiſſet, ob eamque cauſſam Peraſtinos graviſſimis verbis reprehenderet, hoc reſponſum ab illis retulit: *Situs iſte & ſqualor, quo nobis Eccleſiam hanc D. Georgii ita obſitam refers, Reverendiſſime Antiſtes, gravi ſane mœrore nos affecit, ut quos etiam circa modica hæc pia ſollicitudo indefeſſe premat; nitor enim altaris, fuligo a ſacris parietibus ſublata, pavimenta terſa, ſacraria munda, vaſa luculenta, denique & cætera omnia ad ceremoniarum uſum, licet ſuo ordine diſpoſita, præ aliis quidem minima ſunt; mens tamen Deo dedita in parvis etiam eumdem animum oſtendere debet, quem & in maximis. Sed quo nos more gravatos reddere voluiſti, hoc totum tuum eſt. Ab Epiſcopo Eccleſiæ ſuæ deſolatio ſuppetias petit; Epiſcopi partes ſunt Eccleſiæ labanti ſuccurrere, tum & omnia illi ſarta tecta, ut ajunt, reddere. Id quod & nos abs te mirum in modum petimus, ut ſcilicet cultus Dei, quo maximo poſſit ſtudio, apud nos propagetur, in gloriam ſui ſanctiſſimi nominis perennem, & uberem gregis a Deo tibi traditi profectum, & noſtrum omnium, quorum gentilitii juris eſt hæc Eccleſia, maximum ſolatium.*

Vincentii Epiſc. obitus.

Anno 1656. Vincentius diuturno morbo ac ſenio confectus deceſſit. Hoc itidem anno e vita migravit Damianus Siloppus Abbas S. Georgii. Commodum per eos dies Peraſtum advenerat Andreas Zmajevichius civis Peraſtinus, qui Romæ in Collegio de Propaganda Fide ſtudiorum ſuorum curriculum non ſine ſingulari tum ingenii, tum induſtriæ commendatione confecerat. A ſacra Congregatione Cardinalium ejuſdem Collegii duo mandata habebat, alterum ut in oppidis villiſque præſertim diœceſis Rhizinienſis, cujus adminiſtratio Epiſcopis Catharenſibus committi ſolebat, operarii Apoſtolici ſimul & Parochi munere fungeretur; alterum ut de ſtatu rei Chriſtianæ in illis locis Patres Eminentiſſimos eidem Congregationi præpoſitos per litteras doceret. Statim atque in patriam rediit, quæ de illius ſapientia & virtute præcucurrerat, fama omnium civium oculos animoſque in eum convertit. Peraſtini ergo, cum ob mortem Damiani Abbate & Parocho carerent, de communi ſententia Andream rei Chriſtianæ & animarum curatorem eſſe interea voluerunt, dum novus Abbas & Parochus oppido præficeretur; ſimulque ab Senatu per ſuos nuncios & litteras ſuppliciter poſtularunt, ut illud ſacerdotium, illamque procurationem Andreæ demandaret. Annuit Senatus, & literas ad Franciſcum Battaleam Prætorem Cathari datis an. 1656. V. Id. April. Andream in templi Georgiani poſſeſſionem ex juris formula mitti juſſit. Ille vero, ut, quæ ſibi mandata fuerant, aſſe-

Digitized by Google

assequeretur, has litteras ad Præsides sacræ Congregationis dedit.

Andreæ Zmajevichii epistola ad sacr. Congr. de Propag. Fide.

Eminentissimi Patres.

Mensis est, ex quo, Deo adjuvante, patriam appuli, ubi jurisjurandi, benevolentiæque singularis, qua toto studiorum meorum cursu a sacra Congregatione fui prosecutus, memor, ut Eminentiis vestris gratitudinis meæ, ut par est, signa darem notissima, de re in discessu meo mihi impositæ, meliori cura diligentiaque, qua potui, certiorem me feci. Et primo Perasti, quæ mea patria est, & modo laboriosa cura animarum, incredibile dictu nullum sacerdotem ex tot, qui antea fuerunt, neque domesticum neque externum, nisi Patrem quemdam Ordinis S. Francisci, qui a meis parentibus sustentabatur, inveni. Hunc mecum detinere volui, ut in tanta messe animarum mihi auxilio foret; & ipse propter imminentia pericula belli manere recusavit. Solus ergo sacramenta ministrare cœpi, quæ licet multoties pro eodem tempore omnibus ministrare non possim, quæ possum facio tum Perasti, tum in proximis villis, quas in tanta sacerdotum penuria curæ meæ commendatas habeo; & sunt Morigna, Costagnizza, Crusovize, Joscisa, Glogovaz, Crovilla, Velihinichi, Grabovaz, & quædam aliæ simul cum civitate Turcarum Castrum Novum dicta, ad quam durante præsenti bello libere accedere non possum. In quibusdam ex dictis villis habitant soli schismatici, in quibusdam vero Catholici permixti schismaticis; numerus vero Catholicorum schismaticis valde inferior est. Gens est docilis, & Religionis amans, sed cum multos ab hinc annos nullum sacerdotem Catholicum doctum, & raro indoctum habuerit, superstitiosa est, multorumque nostræ Fidei mysteriorum ignorantia laborat. Modo Religiosos habent, sed omnes ad unum sunt schismatici Græci ritus, qui non minus, ac ipse populus in ignorantiæ caligine versantur. Omnes illorum errores utcumque tolerari possent, præter eum, quo detestantur, & anathematizant sanctam Sedem Romanam, Primatum ejus in terris prorsus negantes. Ecclesias visitavi, quarum quasdam pæne dirutas inveni; in quibusdam vero, cum imaginem Christi vel Sanctorum non reperissem, Cruces ligneas erigere curavi, sed neque hæ diu manere possunt propter continuas Turcarum incursiones. In mea parochiali erant paramenta diversorum colorum, pulchra, & pretiosa, ab Urbano VIII. P. R. missa: cum autem Turcæ annis elapsis Perastum invasissent, paramenta dicta, omniaque supellectilia nostrarum Ecclesiarum abstulerunt, adeo ut modo coactus sim in unico violacei coloris, quem prædicta parochialis tantum habet, celebrare: et in diebus Ascensionis Domini, Pentecostes, & solemnitate Corporis Christi in ipso celebrassem, nisi mutuo albi, & rubri coloris data fuissent. Et quoniam Ecclesia dicta nullum proprium beneficium habet, sed fidelium eleemosynis utcumque sustentatur, durante bello hæc damna per me, & per meos Parochianos resarciri haud possunt. Perasti inveni juvenem, qui vocatur Christophorus Cuiercbic: hic mortua prima uxore, duxit aliam, quæ pariter vocatur Maria Raschovich, consobrina mortuæ conjugis in secundo gradu consanguinitatis dictæ mortuæ conjuncta. Rogatus, ut eos in matrimonio copularem, non habens talem auctoritatem, cum renuissem hoc facere, præfatus juvenis coram toto populo publicam protestationem fecit se velle ad schismaticos transire (qui libenti animo eos conjungerent,) nisi me mediatore requisitam dispensationem brevi obtineret, quod dubito, & faciet ad scandalum multorum, quibus erit occasio talia perpetrandi, & deinde schismatice vivendi. Hunc casum scribo Eminentiis vestris, ut si possibile esset, facultatem mihi, vel alteri a S. Sede Apostolica impetrarent, qua hos pauperes de copula suspectos juxta S. Romanæ Ecclesiæ ritum in matrimonio copulare possem. Sicut &, ut ante ætatem a Sacris Canonibus requisitam initiari posset sacro Presbyteratus Ordine Paulus Rischovich Clericus, quem mecum habeo in sacro Subdiaconatus ordine constitutum, agentem annum ætatis 23. ad sufficientiam in rebus ecclesiasticis instructum, qui mihi maximo auxilio foret in animarum cura, cui, & melius incumbere possem, & præstare, quod in meo jurejurando promisi, & S. Congregationi me devinxi. Idcirco ab eadem S. Congregatione vestra peto, ut solitas Missionariorum facultates pro villa Moringni, Glogovaz, territorio Rifani, & Castri novi mihi concedere dignetur. Et quo possim juxta rubricas Ecclesiasticas ad majorem eorum Christianorum ædificationem divinam rem facere, insuper enixe rogo, ut sicut aliis Missionariis, ita & mihi pro dictis villis aliquas casulas diversarum colorum dare pariter dignetur. Ego ipsarum curam habebo, & domi meæ custodiam, ne a Turcis eripiantur, sicut & bis elapsis diebus supellectilia cujusdam Ecclesiæ B. Virginis, cum ipsa Dei Matris devotissima imagine, Venerabili Sacramento (prob! dolor) in terram effuso. Has necessitates Eminentiis vestris exponere volui, et si quæ aliæ erunt cogentes in posterum, exponam, confidens pietatem vestram, cui propagatio fidei Catholicæ cordi est, mihi & hisce populis profuturam, ad majorem Dei gloriam, & Christianæ fidei propagationem. Valete.

Perasti 4. Idus Maji A. D. MDCLVI.

Eminentiarum Vestrarum

Humillimus & Obsequentissimus per omnia Servus Andreas Zmajevich Abbas Perastinus.

JOANNES ANTONIUS EPISCOPUS CATHARENSIS L.

Joannes Antonius Sborovacius Episcopus Catharen.

Tragurii honesto loco natus, cui cognomen Sborovacio fuit. Romam profectus, in Collegio de Propaganda Fide Juri Pontificio & Theologiæ studuit. In utraque scientia lauream adeptus, & Sacerdotio initiatus in patriam se recepit. Scardonæ, Clissæ, aliisque in regionibus imperio Turcico subjectis, Christianos illarum regionum, concionibus habendis, catechesi tradenda, divinisque mysteriis impertiendis diligenter excoluit; & Turcas sane plurimos a Mahumetica superstitione ad Christi cultum traductos baptismo expiavit. In hujusmodi opus evangelicum quindecim ipsos annos insumpsit. Illum Alexander VII. pro remunerandis maximis plurimisque laboribus, rei Christianæ caussa susceptis, ex Canonico, & Archipresbytero Tragurienſi Episcopum fecit, & Vincentio Bucchio in sedem Catharensem subrogavit: *Anno 1656. 24. Julii providit Ecclesiæ Catharensi vacanti per obitum Vincentii Bucchii, de persona Joannis Antonii Sborovacii, cum decreto, quod domus Episcopalis reparationi pro viribus incumbat, & sacrarium sacra supellectili sufficienter instruat.* Vix Pontificatum inierat, cum ob Turcicam urbis oppugnationem plurimum sollicitudinis curarumque sustinere coactus est.

Digitized by Google

Turcæ Catharum obsident, oppugnantque.

Anno siquidem 1657. Bassa Chulmiæ, & Bassa Bosinæ, exercitu celeriter comparato, illuc contendunt, & captis collibus, qui ex propinquo imminent civitati, inde tormentis compluribus quatere urbem aggrediuntur arcemque, Jam aliquot dies oppugnatio sane acerrima tenuerat, cum Antonius Bernardus præfectus classis Illyricæ, armatis navigiis aliquot in sinum Rhizonicum invectus, tum auxilia, tum commeatus in urbem intromisit. Hinc vires obsessis, animique adeo crevere, ut aucta indidem audacia interdum etiam erumperent ad opera hostium disturbanda. Perstitere tamen in incepto Turcæ; sed premente in dies magis penuria cibariorum, quando neque in præsens spes admodum fiebat urbis potiundæ, & si trahere oppugnationem vellent, metuebant ne ad ultimum inopiæ adducerentur, haud ita multo post relicta obsidione abscesserunt. Hoc metu curaque Joannes Antonius liberatus, in sollicitudinem curamque Episcopalem toto pectore incubuit; quam magis magisque augebat administratio diœcesis Rhizinensis eidem commissa, Cum proventus mensæ Capitularis tum ob alias calamitates, tum propter incursiones Turcarum, & loca diœcesis Catharensis ab iisdem occupata, plurimum detrimenti cepissent, Alexander VII. rogatu Episcopi & Canonicorum anno 1662. pensionem annuam ducentorum nummum argenteorum Episcopatui Feltrensi impositam, Capitulo Catharensi ad decem annos decrevit. Dum adhuc bellum Creticum fervebat, clades extitit in Dalmatia, qua nulla fœdior & horribilior, aut ex bello, aut ex quavis ira hominum accidere potuisset; anno siquidem 1667. VII. Idus Aprilis die quarta hebdomadæ, qua memoria recurrit humanæ salutis morte Christi Domini reparatæ, hora tertia ejus diei, terra ingenti concussa est motu, qui urbes aliquot, arcesque prostravit, & Ragusium præsertim urbem nobilissimam funditus evertit. Cathari minus quidem damni attulit; cæterum saxa ingentia e vicinis collibus divulsa stragem tectorum late ediderunt, publicorum maxime, ubi oppressi homines ad trecentos, aut sauciati; plures vero domus, ex quarum locatione aliquot reditus annuos Canonici percipiebant, eo terræ motu corruerunt.

Capituli Catharensis inopiæ Alexander VII. subvenit.

Joannes Antonius Episcopus duo potissimum invenerat, correctione, & animadversione digna, quæ in detrimentum Catholicæ religionis & perniciem vergebant. Alterum erat inscitia plane incredibilis Calogerorum seu Monachorum, & Presbyterorum ritus Rasciani, qui variis in locis apud gentes ejusdem ritus munere Parochorum fungebantur; alterum vero illud erat, quod injussu Episcopi, nullaque fidei Catholicæ professione coram, & palam prolata, contra quam decreta Veneta jubebant, homines Rasciani passim mulieres ritus Latini in matrimonium ducebant; ex quo periculum erat, ne has illi, ut sæpe acciderat, ad ritus, errores, & schisma Græcorum abducerent. Neutrum Episcopus per se ipse, nulla fultus auctoritate publica, emendare poterat; nam si quos e suo clero vel collegio Canonicorum viros in primis doctos parochis Rascianis magistros rerum divinarum, & curandarum animarum dare voluisset, hos illorum arrogantia, superbia, atque inveteratum Latini nominis odium respuisset. Ad illa vero matrimonia impedienda potestas ecclesiastica satis virium non habebat; neque ipse Episcopus suis edictis atque interdictis quidquam profecerat. Anno 1667. erat Cathari Jacobus Lauretanus Provisor extraordinarius ab Senatu missus. Ad hunc igitur, itemque ad Aloysium Foscarenum urbis Rectorem ac Provisorem Joannes Antonius Episcopus confugit; qui ejus rogatu edictum communiter fecerunt, & exsilii, carceris, triremis pœna proposita vetuerunt Calogeros, & Presbyteros Serblianos, Episcopo inscio vel invito, fœminas ritus Latini matrimonio jungere cum viris alterius ritus; atque hoc edictum ad omnes nominatim Calogeros & Presbyteros Rascianos jurisdictionis Catharensis perferri jusserunt.

Inscitia Parochorum ritus Rasciani, & schismaticorum connubia cum fœminis Catholicis.

Alteri etiam malo consulere ac providere voluit, quod ex ignorantia Parochorum ritus Rasciani, gentium illarum saluti & Christianæ institutioni imminebat, Itaque anno 1679. Petrum Valerium Provisorem Dalmatiæ atque Albaniæ rogavit, ut Lucam Bolizzam Canonicum parochis Rascianis magistrum præficeret, suaque auctoritate constitueret, qui eos de mysteriis ac præceptis Christianæ religionis erudiret, atque ad omne parochialis officii munus instrueret. Præterea cum in villas ejus regionis, quam incolunt Bogdusichii, quidam Presbyteri schismatici irrepsissent, & pravis opinionibus plebem Catholicam inficerent, eos per edictum Prætoris expellendos curavit. In his tribus edictis, quæ modo commemoravi, potissimum elucet eximia Venetorum Magistratuum religio, ejusque tuendæ studium singulare, quod quidem semper viguit apud Venetos, vigetque, ut plurima in eam rem Senatusconsulta declarant, ex quibus apparet maximæ his curæ fuisse subjectos sibi populos ab omni hæretica, vel schismatica labe intactos servare; & cum multi ex natione Serbliana sive Rasciana e patrio solo vel a Turcis expulsi, vel sponte abeuntes, ne Turcica servitute premerentur, identidem ad Venetos confugerent, illos quidem benigne receperunt, illisque sedes & agros in Dalmatia atque Istria assignarunt, sub ea tamen conditione, ut patrio ritu retento, fidem Catholicam colerent, & Romanum Pontificem tamquam Caput, & Summum Hierarcham Ecclesiæ universalis agnoscerent, eique subjectos se atque obedientes præberent; jure igitur meritoque Pontifices Venetorum Rempublicam titulo Christianissimæ condecorarunt. Illa ergo, quæ dixi Magistratuum Venetorum edicta, digna censeo, quæ hic describantur, ex Italico in Latinum conversa.

Venetorum eximia pietas, & singulare studium Catholicæ Religionis tuendæ.

Decretum Aloysii Foscareni Rectoris & Provisoris, & Jacobi Lauretani Provisoris extraordinarii urbis & ditionis Catharensis. Presbyteris & Calogeris Serblianis interdicitur ne injussu Episcopi Catharensis mulieres Latinas cum militibus præsidiariis Serviani ritus matrimonio jungant.

Aloysius Foscarenus Rector ac Provisor, & Jacobus Lauretanus Provisor Extraordinarius urbis & agri Catharensis.

Edicta publica, ne injussu Episcopi Presbyteri Serblani mulieres latinas matrimonio jungant cum Præsidiariis Serblianis;

De Presbyteris & Calogeris Serblianis, qui militum præsidiariorum, Perasti, Perzagnæ, Stolivi, aliisque in locis nostræ jurisdictioni subjectis commorantium, spirituali regimini præsunt, illud apud nos detulit Catharensis Episcopus graviterque expostulavit, quod mulieres Latini ritus cum iisdem præsidiariis militibus matrimonio jampridem junctas ab institutis Catholicorum ad ritus & consuetudines Græcorum abduxerint, contra

tra quam & Principis noſtri auctoritas, & jura omnia vetant divina atque humana; & nunc porro pergant idem facere, inſignique temeritate atque audacia conantur alias item Latinas mulieres iiſdem nuptiis ritibuſque illicitis implicare, contemptis admonitionibus atque interdictis Epiſcopi, qui ut huic malo ſane graviſſimo, reique Catholicæ pernicioſo remedium afferret, noſtram auctoritatem opemque imploravit. Nos itaque propenſi ad obſequendum ejus juſtiſſimis poſtulatis, & officio præterea, ſtudioque adducti immunis ab omni detrimento ſervandi Catholici ritus, hoc noſtro decreto edicimus atque interdicimus Calogeris & Presbyteris Serblianis, quos infra nominatim recenſebimus, aliiſque intra noſtræ juriſdictionis fines verſantibus, ne impoſterum audeant ſeu intereſſe, ſeu conſilium operamve hujuſmodi matrimoniis præbere; neve ullam Latini ritus fœminam ſeu virginem, cum viris Serbliani ritus copulare conentur, ſine permiſſu & facultate Catharenſis Epiſcopi, ad cujus arbitrium rem omnem rejicere, cujuſque judicio ſtare debent. Si qui vero huic edicto non obtemperaverint, intelligant ſe tamquam perturbatores publicæ quietis perpetuo exilio multandos; & ſi forte in ſatellitum manus inciderint, carceri, aut triremi mancipandos, aliiſve pro arbitratu noſtro pœnis afficiendos eſſe. Is vero, ad quem ſumma & præcipua eorumdem militum procuratio pertinet, ſciat ſuarum partium eſſe eorum, qui in hac re deliquerint, nomina ad magiſtratus deferre. Hoc igitur decretum exſequendum ſedulo diligenterque curabunt Calogerus Daniel Lazarichleius, Calogerus Sophronius ejus collega, Calogerus Hieraſimus Igumenus, ſive Abbas Cœnobii de Piva, Calogerus Cyrillus de Tribinia, Presbyter Stephanus de Anſolovaz, & Presbyter Comien ejus filius, itemque alii omnes, qui noſtræ juriſdictionis finibus continentur. Cathari tertio Kal. Novemb. 1667.

Decretum Leonardi Venerii Rectoris, & Proviſoris urbis, & ditionis Catharenſis. Jubet Presbyteros Serblianos ſchiſmaticos e villis Bogdaſichiorum, & Cavacii expelli, arcerique in perpetuum.

Nos Leonardus Venerius pro Sereniſſima Rep. Veneta Rector, & Proviſor urbis, & agri Catharenſis.

ne iidem Presbyteri in villis Bogdaſichiorum, & Cavaciorum degant:

Haud ſine acerbiſſimo animi ſenſu, ac dolore accepimus, Presbyteris Serblianis, iiſdemque ſchiſmaticis, apud Bogdaſichios, & Cavacios domicilii habendi, & conſuetudinis, ac familiaritatis cum incolis jungendæ liberam, impunitamque licentiam paulatim permitti, unde grave periculum, & magna pernicies reipublicæ, Catholicæque religioni impendet; id quod plane, aperieque vetuit S. C. jam inde ſub anno 1451. prid. Nonas Junias latum, obſervatumque in hunc uſque diem religioſiſſime, quo ſchiſmatici omnes ex duobus illis pagis expelli jubentur. Mandamus igitur Decurionibus utriuſque villæ infra nominandis, ut ſtatim ab hujus decreti promulgatione Comien Presbyterum de Horahoovazio, cæteroſque omnes, ſiqui præterea ſunt, Serblianos ſchiſmaticos e ſuis finibus expellant, exterminent, ejiciant; neminem vero illorum in poſterum ullam ob cauſam in iiſdem villis, intraque earum terminos conſiſtere ſinant: itemque denunciamus tum Decurionibus, qui mandata noſtra neglexerint, tum reliquis, qui ad ea exequenda operam, auxiliumque conferre abnuerint, quinquaginta ducatorum multam, exilium, carcerem, triremem, aliaſque arbitratu noſtro pœnas illis irrogandas eſſe. Hujus decreti executio mandatur Decurionibus Bogdaſichiorum, itemque Decurionibus Cavaciorum, videlicet Stephano Valioſo, Marco Nicoo Valioſo, Nico Andria &c.

Dat. Cathari pridie Kal. Oct. 1672.

Edictum Petri Valerii Proviſ. Gen. Dalmat. & Albaniæ. Presbyterum Latinum Græcis Presbyteris, & Monachis inſtituendis, erudiendiſque præficit.

Nos Petrus Valerius pro Sereniſſima Rep. Veneta Proviſor Generalis in Dalmatia, & Albania.

& ut Presbyter Latinus Græcis Presbyteris, & Monachis inſtituendis præficiatur.

Pro ea cura, & vigilantia, qua nos decet divini cultus ſanctitati, reique publicæ, & Chriſtianæ utilitatibus proſpicere, haud ſine ingenti mœrore animadvertimus, in ritum Græcum quanta jam derivata ſit labes, atque pernicies ex inſcitia Sacerdotum, & Monachorum ejuſdem ritus, qui rerum divinarum imperiti, & diſciplinæ eccleſiaſticæ rudes, ignarique omnia perturbant, & pariter ſeipſos, atque illos, quorum regimen ſuſcipiunt, in æternæ ſalutis diſcrimen adducunt. Quare huic malo ſane graviſſimo conſulendi, & providendi ſtudio incenſi, & præterea Excellentiſſimi Senatus literis, juſſiſque excitati, poſt alia remedia incaſſum adhibita, conſtituimus, ac decrevimus tibi, Reverende Domine Luca Bolizza Canonice hujus ædis cathedralis, cujus integritas, & doctrina, & in rebus gerendis prudentia nobis ſatis, ſuperque cognita eſt, id muneris dare, atque oneris imponere, ut Sacerdotes, ac Monachos Græcos, qui in hac urbe commorantur, ad majorum inſtituta, diſciplinamque eccleſiaſticam, & ad omne parochialis officii munus diligenter erudias; & piam hanc operam cæteris quoque impendas velim, qui in agro, ac diœceſi Catharenſi verſantur, ſi quando urbem adierint, vel cum illis colloquendi occaſionem nactus fueris, illud tecum ipſe reputans hoc munere rite obeundo id tibi commodi, utilitatiſque obventurum, ut & magnam a Deo gratiam ineas, & ad majorum tuorum in rempublicam merita maximus hoc tuo facto cumulus accedat. Neque omittas, ſi quando neceſſitas poſtulaverit, ad Comitem, & Præfectum civitatis opis, auxiliique cauſa confugere, ut nemini omnino Sacerdotum, vel Monachorum ritus Græci ad hanc urbem in poſterum aditus pateat, e cujus inſcitia, & pravitate aliquid detrimenti capere poſſit Catholica religio.

Dat. Cathari Idibus Sept. 1679.

Anno 1672. tempus penſioni Feltrenſi Canonicis Catharenſibus ſolvendæ præfinitum exierat. Itaque Clementi X. ſupplicatum eſt, ut penſionem ab Alexandro VII. decretam in alios annos prorogaret; an vero, quod poſtulaverant, impetraverint, literis conſignatum non invenio. Superiori anno Andreas Zmajavichius Abbas Peraſtinus renuntiatus fuit Archiepiſcopus Antibarenſis, & Dioclenſis, quem Peraſti in templo totius oppidi primario Gerardus Galata Archiepiſcopus Dyrrhachienſis ſolemni conſecratione pontificia initiavit: cujus conſecrationis, & talis, ac tanti Præſulis monumentum perpetuum Peraſtini extare voluerunt in ſacello maximo ejuſdem templi ab latere Evangelii ſuper ſubſellia Canonicorum, ubi hoc elogium marmori inciſum legitur,

Andreas Zmajavichius Abbas Peraſtinus, & Archiepiſc. Antibaren.

D. O. M.

Andreas Zmajavich moribus, & bonoribus ornatus, mirandum ubique ſpecimen exhibuit; pri-

Digitized by Google

mis annis Romæ in Collegio Urbano de Propaganda Fide ſcientiarum ſectator & alumnus, Philoſophiæ & ſacræ Theologiæ doctor evaſit, & inſignis Profeſſor. Peraſtum redux Abbas S. Georgii acclamatus, mox Buduæ Vicarius Apoſtolicus, ſanctæque Sedis electus Commiſſarius expectationem communem copioſo fœnore ſuperavit. Unde Clementis X. motu proprio Antibarenſis Dioclienſis Archiepiſcopus renuntiatus in hoc templo per Gerardum Galatam Dyrrhachienſem Archiepiſcopum v. Idus Auguſti MDCLXXI. ſacra mitra coronatus fuit, & regni Serviæ Primas declaratus. Viro tantarum laudum Vincentius Mazarovich Præfectus, & Judices Peraſti ex communi conſenſu monumentum ad æternam famam erexerunt.

Peraſtinis poſtulantibus, Petrum Tagliapetram Senatus Venetus Georgiano Templo Abbatem præfecit, qui, cum Templum, ac Cœnobium ob eum, quem dixi, terræmotum magna ex parte collapſum, & redditus illius valde imminutos reperiſſet, collatum ſibi Sacerdotium recipere noluit, & Leonardo Venerio urbis Prætori auctor fuit, ut Senatui commendaret Carolum Francum Raguſinum, & Monachum Congregationis Benedictinæ Melitenſis, virum perſpectæ probitatis, & ſapientiæ; quem Senatus Abbatem S. Georgii renunciavit anno 1675. prid. Kalen. Novembris, facto tamen decreto, ne cui in poſterum Sacerdotium illud traderetur, quin ortu ſubjectus eſſet imperio Venetorum. Ante aliquot annos pax cum Turcis compoſita bello Cretico finem attulerat. Pacatis, quietiſque temporibus impigre uſus Joannes Antonius Epiſcopus ad mores Chriſtianorum, quos bellica, & militaris licentia infecerat, purgandos, & corrigendos totum ſe contulit. Civitatem, ac diœceſim luſtravit, & multa præclare conſtituit, quæ ad incrementum divini cultus, atque ad ſalutem, & utilitatem commiſſi ſibi gregis pertinebant. Idem ab Aloyſio Foſcareno iterum Rectore civitatis decretum impetravit, quo jubebantur Serbliani ſive Raſciani, qui in urbe, ac territorio habitabant, dies illos colere, ac celebrare, qui apud Latinos feſti, ac religioſi habentur, pœna pecuniaria propoſita, ſiquis diebus illis culturæ agrorum, aut aliis ſervilibus miniſteriis operam daret.

Carolus Francus Abbas S. Georgii Peraſti.

Mandatum Aloyſii Foſcareni Rectoris, & Proviſoris urbis, & ditionis Catharenſis. Dies feſtos ab Eccleſia Latina inſtitutos, ac præſcriptos non ſolum a Latinis, ſed etiam a Serblianis celebrari, colique jubet.

Mandatum publicum, ut Serbliani æque, ac Latini dies feſtos colant Latinæ Eccleſiæ.

Aloyſius Foſcarenus Rector, & Proviſor urbis, & agri Catharenſis.

Feſtorum dierum cultus, & celebritas, quæ nobis a Deo præcipitur ad recolendam divinæ in nos beneficentiæ memoriam, & juſtas, ac debitas eidem gratias agendas, quemadmodum Epiſcopus hujus civitatis pro ſuo ſingulari, perpetuoque ſtudio in rem divinam apud nos detulit, a pleriſque in hoc Catharenſi territorio, cujus procuratio Sereniſſimi, Maximique Conſilii auctoritate, ac munificentia nobis commiſſa eſt, non ſolum paſſim negligi, ſed etiam palam, aperteque violari ſolet: quippe Dei cultu, debitaque adverſus Eccleſiam obedientia poſthabita, pariter cum Serblianis ſacratiſſimos quoſque dies laborioſis actionibus, colendis, arandiſque agris, aliiſque ſervilibus operibus ab Eccleſia interdictis impie prophanant; quod, cum res peſſimi exempli ſit, publicique ſcandali, tum vero divinam indignationem jure, ac merito provocat ad facinus tam deteſtabile ulciſcendum. Hæc flagitia minime ferenda ut animum noſtrum vehementer commovent, ac perturbant, ſic nos urgent extimulantque, ut ad comprimendam hanc ſacrilegam audaciam omni ſtudio, ac contentione incumbamus, ne iniquitas latius ſerpat, & quotidie magis invaleſcat. Itaque edicimus & denunciamus Decanis, ac Præpoſitis omnium villarum, quæ noſtræ juriſdictioni ſubſunt, ut ſtatim atque hoc noſtrum mandatum acceperint, incolas omnes utriuſque ritus Latini, atque Serbliani in unum locum convocent, & noſtro nomine, ac auctoritate notificent, ac denuncient Serblianis æque, atque Latinis, ab omni ſervili, ruſticaque actione abſtinendum eſſe omnibus illis feſtis diebus, quos Eccleſia Latina inſtituit, jubetque ab omnibus religioſe coli; & qui eos violaverit, huic quinque ducatorum multam irrogandam eſſe, & multatitiæ pecuniæ partem quidem illi contribuendam eſſe, qui reorum nomina detulerit, reliquam vero partem Sodalitati ſanctiſſimi Sacramenti in hac æde cathedrali inſtitutæ addictum iri. Decani porro omni abjecta cunctatione, quidquid a nobis illis mandatum eſt, ſedulo, accurateque exequantur; deinde vero ad nos accedant officii ſui cum fide, ac diligentia peracti rationem apud curiam noſtram edituri, ne a quopiam ſuo delicto ignorantia prætendi queat. His mandatis niſi Decani obtemperaverint, intelligant, ſe carcere, triremi, aliiſque gravioribus pœnis plectendos eſſe.

Dat. Cathari VI. Idus Maji 1679.

Pacem ante annos fere tredecim cum Turcis redintegratam excepit bellum Peloponneſium, quo proſperæ res multæ aliæ ex aliis conſecutæ ſunt, & præter oppida multa in Dalmatia, Peloponneſus univerſa Turcis adempta in Venetorum poteſtatem conceſſit. Quarto hujus belli anno, qui fuit æræ vulgaris 1688. Joannes Antonius Epiſcopus, ætate ad ſenectutem propemodum extremam vergente, onus Epiſcopale, cui diutius ferendo non erat, ſponte depoſuit.

Joannes Antonius Epiſcopatum dimittit.

MARINUS II. EPISC. CATHAR. LI.

Ex illuſtri, & patricia Catharenſi familia *Drago*, Juris utriuſque laurea inſignitus, Canonicus idem, & Archidiaconus ædis cathedralis; quem Innocentius XI. Epiſcopum dedit: 1688. 31. *Maji providit Eccleſiæ Catharenſi vacanti ob liberam ceſſionem Antonii Sborovacii de perſona Marini Drago Presbyteri Catharenſis cum Decreto, quod Archidiaconatus, & Canonicatus, quos in eadem Eccleſia obtinet, vacent eo ipſo.* Præfuit annos viginti, & aliquot præterea menſes. Initium ſuſcepti Epiſcopatus ab iis, quæ ad religionem, & cultum divinum pertinent, faciendum cenſuit. Itaque viſitationem ædis cathedralis indixit, quam magna cum cura, & diligentia peregit. Divorum Reliquias inſpexit, & recognovit, de quarum antiquitate percunctatus, earumque cultu, ab antiquioribus ſacrarii Præfectis hæc reſponſa retulit.

Marinus Draco Epiſcopus Catharen. eadem Cathedralem viſitat.

Interrogavit, quomodo colantur a Fidelibus, & ſi de ipſis ſit officium in hac Eccleſia.

Reſp. Prædictæ Reliquiæ habentur in maxima veneratione a populo, præſertim Caput S. Tryphonis, quod frequenter ad infirmos ex eorum de-

devotione ſolet deferri pro recipiendo ſpirituali ſubſidio a Divina clementia per ejus interceſſionem, & inſuper ipſum Caput cum omnibus aliis Reliquiis publice exponitur ad primas veſperas ſolemnitatis S. Tryphonis die 2. Februarii, & ipſa die ſolemnitatis, ſcilicet tertia ejuſdem menſis, ſolemniter cantata Miſſa a Reverendiſſimo Præſule, vel in ejus abſentia a Dignitate Capituli, cum interventu omnium Regularium, & maximo concurſu populi totius diœceſis, & aliis ab extra ad ſolemnitatem venientibus ſolemniter deferuntur circum totam civitatem proceſſionaliter; & ipſa die poſt ſecundas veſperas reſtituuntur ſuis locis.

Circa officia vero fit officium in dicta die ſolemnitatis S. Tryphonis de Communi unius Martyris, & celebratur cum octava. Itidem in die natalis ejuſdem 10. *Novembris pariter celebratur officium ejuſdem natalis ſub ritu Duplicis Majoris. Die* 20. *ejuſdem fit de translatione Capitis, quando, poſtquam ablatum antiquitus fuit, & inde denuo Aſcrivium reportatum a Byzantio, ſive Conſtantinopoli a quodam cive Catharenſi anno Domini* 1227. *benemerito felicis recordationis, nomine Matthæo de Bovali. Et in perpetuum hujus rei monumentum extructum fuit quoddam capitellum inhærens campanili veteri dictæ Eccleſiæ, a parte dextera Eccleſiæ, ubi erecta fuerat ara cum Crucifixo, ſuper quam celebrabatur dicta die; & poſt mortem ejuſdem Matthæi, oſſa ejus in muro penes portam majorem Eccleſiæ cathedralis a latere dextro collocata fuerunt. Et majores noſtri volentes remunerari Matthæum dictum, eidem agrum inſignem de ratione Eccleſiæ donaverunt, & ipſum immunitate omnis generis munierunt. Poſt autem deſtructionem terræmotus factam, deſtructa fuit ipſa ara; oſſa vero ejuſdem Matthæi repoſita fuerunt in reparatione Eccleſiæ, ubi antea locata fuerant. Denique* 13. *Januarii, quando ejuſdem S. Martyris Corpus huc pervenit, poſt celebrationem officii die octava Epiphaniæ, quæ fit a Reverendiſſimo Capitulo ejuſdem Eccleſiæ, cantabatur Miſſa ſolemnis cum primis veſperis ab Reverendiſſimo Abbate S. Georgii in Gulpho cum interventu duorum beneficiatorum Eccleſiæ S. Mariæ de Flumine; & ſupradictus Abbas tenetur ſolvere libras triginta; eaque die exponitur capſula argentea cum oſſibus ejuſdem S. Martyris, ſicut die ſupradicta decima Novembris ejus Caput ex antiqua conſuetudine. Fit etiam officium S. Maximi M. ſub ritu duplici die* 30. *Aprilis; nec aliorum SS. Martyrum fit aliud officium, vel commemoratio, præter deſcriptos in Kalendario Romano.*

Conſervantur in capſa, ubi olim Reliquiæ, privilegia finium civitatis olim conceſſa a Stephano Rege & Imp. Serviæ in duabus pergamenis ſcripta charactere Serviano cum duabus bullis argenteis inauratis, & duo candelabra parva ex chryſtallo, & quædam alia, quæ ejuſdem Stephani dona eſſe creduntur.

in Caſtrum Novum jus Epiſcopi Catharenſis.

Anno 1689. Marcum Paſtrovichium Caſtro Novo *Vicarium Foraneum* præfecit, hiſce hac de re literis datis viceſima prima Februarii die: *Cum ſacroſancti Canones vigilantiæ, auctoritatique noſtræ paſtoralem Caſtri novi curam commiſerint, ceu Epiſcopo propiori, cumque Vicarii eligendi neceſſitas inſtet, ad quem opportuna præditum auctoritate fideles iſti perfugiant, ne quotidiano huc ad nos conveniendi incommodo graventur, per haſce literas te Marcum Paſtrovichium Canonicum, virtutis tuæ, [morumque tuorum meritis probe perſpectis, eligimus, atque conſtituimus* Vicarium Foraneum *Caſtri novi, quo debita inſtructus auctoritate, quam tibi pro conſuetudine impertimur, Fidelibus iſtis & levamen afferas, & ſolatium. Dat. Catbari* 21. *Februarii* 1689.

Marinus Epiſcopus Catharenſis.

Et anno 1696. cum Parochus ejuſdem Caſtri juſſa Epiſcopi Catharenſis abnueret, Marinus auctoritate magiſtratus interpoſita, illum accipere imperium coegit, noviſque literis jus ſuum perſequi, fortiterque tueri in hæc verba perſtitit.

Parochus Caſtri Novi me Præſulem ſuum agnoſcere debet, ac revereri, donec aliter publico Principis conſilio decernatur: ita enim ſanciunt leges Sacri Concilii Tridentini, quibus & obſequium, & obedientiam exhiberi jubet Sereniſſimæ Reipublicæ auctoritas: idque perſpicue declarant Principis decreta, quæ poſt Caſtri Novi poſſeſſionem inviolata obſervari hoc ſuper negotio voluere Proviſores Generales provinciæ, jure tamen loci inviſendi excepto; tum Majoris Conſilii ſapientes viri id quoque cognitum habent, a quibus poſtremo hoc tempore interrogatus, ad quemnam paſtoralis Caſtri Novi cura ſpectaret, libere reſpondi, ad me pertinere, donec aliter conſulatur; neque ex illis quiſquam obſtitit, quin vehementer commendatum eſt, ut in hanc curam accuratius incumberem; deque re tota, & paſtorali Caſtri Novi regimine, cui ego ſemper præfui, integrum jam volumen deſcripſi. Dat. Catbari Prid. Kal. Sextiles 1696.

Marinus Epiſc. Catharenſis.

Solemnium acclamationum conſuetudo.

Antiquam quoque conſuetudinem ſolemnium precum, & acclamationum jamdudum intermiſſam longo intervallo Marinus revocavit; & formulas precandi, acclamandique ad veterum exemplar ipſe compoſuit, ac ſingulis annis die ſacratiſſimo Epiphaniæ Domini noſtri Jeſu Chriſti inter laudes divinas decantari juſſit in hunc modum.

Formula acclamationum in die Epiphaniæ.

Beatiſſimo Domino noſtro Innocentio Papæ Duodecimo, inter minaces diſcordiarum nimbos, Chriſtiano orbi ſalutari nuper exorto ſideri, ab eo, qui cuncta ſuaviter, fortiterque diſponit, in regendo ſibi grege commiſſo conſilium, & fortitudo, in conciliandis Catholicorum Principum animis vera prudentia, ac omnia vincens charitas, in expellendis hæreticorum nebulis illius lucis radius, qua illuminat omnem hominem, ac tandem in omnes mundi partes, ac nationes, depulſa barbarie, ſacroſanctæ Orthodoxæ Fidei propagatio.

Auguſtiſſimum Romanorum electum Imperatorem Leopoldum, Cæleſtis Imperator Domine, virtutum omnium incrementis munire dignare.

Sereniſſimo inclytæ Venetorum Reipublicæ Duci, ac Principi noſtro Franciſco Mauroceno Catholicæ Religionis zelatori vigilantiſſimo, juſtitiæ, & pacis fœcunditas, & contra Chriſtianæ fidei hoſtes triumphus, & victoria.

Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Marino Draco Præſuli noſtro digniſſimo ſalutaris vigilantia, in laboribus conſtantia, diuturna ſalus, & gaudium ſempiternum.

Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum D. Federicum Papafavam Rectorem, & Proviſorem benigniſſimum, æquitatis, & concordiæ conſervatorem, rerum affluentia in provideuda civitate

Digitized by Google

ſtudioſiſſimum, Omnipotens Deus, ſub tua ſancta protectione cuſtodire dignare.

Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo D. Nicolao Ericio Secundo Aſcrivii, Caſtri Novi, & Epiri Proviſori digniſſimo, a victoria contra Turcas regimen auſpicanti, Sereniſſimæ ſtirpis generoſæ ſoboli, morum gravitate, & prudentia in ipſo juventutis flore venerando, juſtitia incomparabili, rei militaris ſcientia, & civilis doctrinæ ſapientia ornatiſſimo, in bellicis expeditionibus heroi fortiſſimo, Venetorum Reipublicæ zelantiſſimo filio, auguſtiſſimæ patriæ optimo patri, contra hoſtes victoria ſemper, & triumphus, a ſubditis fides, obedientia, & obſequium, a bonis omnibus laus, benedictio, & plauſus, a Deo Optimo Maximo perfecta ſalus, cæleſtium & terreſtrium bonorum affluentia, & per continuos pacis, bellique honorum gradus, avitæ dignitatis Ducale faſtigium,

Religioſis in Chriſto Fratribus Canonicis, toti clero, cunctis Nobilibus, ac univerſo populo hujus civitatis tranquillitas, ſalus, divinarum gratiarum abundantia, & benedictio a Deo Patre Omnipotente per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Calogerorum injusti conatus compreſſi.

Dum vero cætera quiete accidebant, multæ illi, & graves contentiones fuerunt cum Calogeris, & Presbyteris Raſcianis, quibus tamen in officio continendis præſto fuit auctoritas, & præſidium Senatus Veneti, Magiſtratuſque Dalmatiæ. Ac primum quidem in poſſeſſionem ædiculæ S. Lucæ, quam ad collegium Virginum S. Mariæ de Angelis pertinere conſtabat, temere invaſerunt; &, nequidquam adverſante, ac deterrente Epiſcopo, ſumma cum pertinacia retinebant. Virginum querimonia delata eſt ad Ducem, & Senatum, qui Danieli Delphino Proviſori Generali per literas imperavit, ut, re diligenter cognita, quod jus, & æquitas poſtulabat, Proviſori extraordinario Cathari exequendum mandaret, graviter, ſevereque admonito, nequid novari ſineret, ſed jura, poſſeſſiones, cæteraque omnia in antiquum ſtatum reſtitueret, ac retineret; ipſe vero etiam atque etiam caveret, nequid detrimenti vel gentes ritus Græcanici, vel Patriarcha Pechienſis Religioni Catholicæ inferret. Epiſtolam Danielis Delphini Proviſoris Generalis Dalmatiæ ad Proviſorem extraordinarium Cathari Italice deſcriptam hic Latinam ſubjicio; æque enim in hac, ut aliis paulo poſt deſcribendis, & in ſuperioribus jam deſcriptis Veneta religio, & pietas luculenter apparet.

Litteræ Proviſ. Gen. Dalmatiæ.

Epiſtola Danielis IV. Delphini Proviſ. Gener. ad Aloyſium Marcellum Proviſ. Extraordin. Catharenſem. Senatuſconſultum exequendum curet, quo cavetur, nequid incommodi afferat cœnobio Angelorum conſtructio, ſive amplificatio templi S. Lucæ a Serblianis inchoata. Patriarchæ Pechienſis conatus cohibeat, nequid ad perniciem Religionis Catholicæ moliatur.

Daniel IV. Delphinus Eques, & Proviſor Generalis Aloyſio Marcello Proviſori Extraordinario Caſtharenſi,

Virgines cœnobii Catharenſis ab Angelis denominatæ per ſuum Procuratorem ſupplices ad Sereniſſimum Ducem confugerunt, expoſtulantes de injuria, ac temeritate Monachorum Serbliani ritus, atque inſtituti, qui res novas in conſtructione Serbliani templi S. Lucæ molientes ejuſdem cœnobii jus violant, & commodis officiunt, atque ad hujuſmodi injuriam propulſandam Sereniſſimi Ducis, & auctoritatis publicæ patrocinium, opemque imploraverunt. Cum igitur Excellentiſſimus Senatus negotium dediſſet Rectori urbis Catharenſis, qui nuper magiſtratu abiit, ut ea de re diligenter, riteque cognoſceret, & ad Senatum referret, poſt accuratam deliberationem, conſultationemque habitam de iis, quæ ab illo comperta, & relata ſunt, regium diploma datum III. Nonas Maji præterlapſi ad nos tranſmiſit, quo jubemur cavere, ac providere, ne quid novi moliantur, utque res omnis in eodem, quo hactenus ſtetit, ſtatu permaneat, vel in eum, unde dimota eſt, priſtinum locum, & ſtatum reſtituatur. Id veſtræ providentiæ, ac ſapientiæ ſignificandum cenſuimus, ut, cum rem præſentem, oculiſque ſubjectam habeatis, omni cautione, & dexteritate adhibita amovendum curetis quidquid novæ molitionis contra jus, faſque extructum eſt, & ne ultra progrediatur, obſiſtatis. Obſervetis etiam perpetuo velim, & quam diligentiſſime motus omnes, conatuſque Serblianorum, & Patriarchæ Pechienſis, nequid agant, vel moliantur, ex quo aliquid detrimenti Catholica Religio capere poſſit. Hoc itaque prudentiæ veſtræ, veſtroque ſingulari Catholicæ rei tuendæ ſtudio, etiam atque etiam commendo, ut Principis pia voluntas, atque intentio nulla ex parte fruſtretur. Manus vobis perofficioſe exoſculor. Dat. Spalati VII. Kal. Julii 1696.

Nec dubitandum eſt, quin Ducis, ac Senatus mandatis diligentiſſime obtemperatum fuerit, & Calogerorum audacia repreſſa, injuſtique conatus repulſi.

De Parochis Græcis erudiendis, & de Græcorum matrimoniis publica edicta.

Cum poſt mortem Lucæ Bolizzæ, quem Petrus Valerius Proviſor Generalis Dalmatiæ, ut dictum eſt, Parochis Raſcianis indoctis, ignariſque muneris parochialis exequendi magiſtrum præfecerat, illi ab Latinis doceri dedignarentur, eorumque magiſterium prorſus abnuerent, Juſtinus a Ripa itidem Proviſor Generalis, rogatu Marini Epiſcopi, Valerianum edictum valere juſſit, & Joſephum Geromettam Archidiaconum, itemque Bernardum Litam Presbyterum ædis cathedralis deſignavit, qui Parochos illos ſacra doctrina, Sacramenta conficiendi & conferendi ſcientia, animarumque curandarum artibus erudiret. Idem Juſtinus edixit, ut omnia, quæ a ſacroſancto Concilio Tridentino præſcripta ſunt ad matrimonium legitime, & rite celebrandum, æque a Raſcianis, atque a Latinis ſervarentur; vetuit præterea, ſive mulieres Latinas cum viris ritus Græcanici, ſive homines Latinos cum fœminis Græcis matrimonio jungi, niſi antea Epiſcopus de hac re certior factus, hujuſmodi matrimonii ineundi poteſtatem permiſerit. Utrumque edictum Italico ſermone compoſitum Latine reddidimus.

Edictum primum Juſtini de Ripa Proviſ. Gen.

Decretum Petri Valerii ſui deceſſoris Juſtinus a Ripa Proviſor Gen. Dalm. & Albaniæ confirmat, & renovat: e Latinis Presbyteris duos eximiæ probitatis, & doctrinæ conſtituit, qui Sacerdotes, & Monachos Græcos ad curam animarum electos de rebus ad fidem, & parochiale munus pertinentibus diligenter erudiant.

Nos Juſtinus a Ripa pro Sereniſſima Republica Veneta Generalis Proviſor in Dalmatia, & Albania.

Cum Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus Eques Petrus Valerius deceſſor noſter ſecum ipſe reputaret, quam gravia detrimenta divino cultui, reique Chriſtianæ ſæpe afferat inſcitia Sacerdotum,

Digitized by Google

tum, & Monachorum Græcanici ritus, qui neceſſariis doctrinæ præſidiis deſtituti, & regularum eccleſiaſticarum plane rudes, ſeipſos pariter, & eos, quibus præſunt, in æternæ ſalutis diſcrimen conjiciunt, divinæ gloriæ ſtudio, & piis ab Excellentiſſimo Senatu incitationibus impulſus provide, ac ſapienter Latinum Sacerdotem perſpectæ doctrinæ, & probitatis delegit, qui operam daret erudiendis, inſtituendiſque Græcis Monachis, ac Presbyteris, quibus rei divinæ, & Chriſtianorum Græcorum in hac urbe commorantium procuratio demandatur. Is porro cum jampridem obierit, res ſacra, & Chriſtiana iterum apud Græcos iiſdem, quibus antea, incommodis, difficultatibuſque affici, & laborare cœpit. Itaque tam ſalubre inſtitutum, haud ita longo intervallo intermiſſum, revocandum, & a nobis quoque uſurpandum eſſe cenſuimus.

Quocirca huic muneri ſane graviſſimo præficere decrevimus Admodum Reverendos Dominos Joſephum Geromettam Archidiaconum, & Bernardum Litam Presbyterum hujus edis cathedralis, de quorum fide, doctrina, & prudentia ex idoneis auctoribus ſatis nobis eſt compertum, quos hortamur etiam atque etiam, ut operi tam ſancto, ac ſalubri omnem ſuam induſtriam, ac diligentiam impendant.

Intelligant igitur, id ſibi negotii datum eſſe, ut in doctrinam, moreſque Sacerdotum Græcorum inquirant, &, an muneri, quod illis committitur, idonei ſint, cognoſcant, ac dijudicent; neminem vero injuſſu noſtro, nobiſque inconſultis paræciæ adminiſtrationem ſuſcipere ſinant; curentque præterea, ut, dum illos de rebus ad parochiale officium rite exequendum neceſſariis ſtudioſe, ac peramanter erudiunt, errores pariter, pravaſque opiniones, ſi quas forte in eos irrepſiſſe comperiant, ex illorum animis penitus evellant. Neque ſolius civitatis mœnibus ſuam in ea re operam circumſcribant, velim, ſed ampliori quadam charitate, & induſtria oppida, pagoſque diœceſis complectantur, neceſſe eſt; & ſicubi opus fuerit, ne amittant a magiſtratibus, atque adeo a nobis, & ſucceſſoribus noſtris auxilium ſibi, opemque accerſere, ut nemo in poſterum, quin idoneus ſit, ulli Græcorum paræciæ ad ſuam, aliorumque perniciem præficiant. Illud porro ſibi certo perſuadeant, hoc munere rite, & recte obeundo magnam ſe inituros gratiam tum apud Deum, tum apud publicam Religionem, ac pietatem, quæ nihil habet antiquius, quam ut & Dei gloria augeatur, & Fidei Catholicæ integritas ſarta tecta ſervetur. Dat. Cathari Nonis Septemb. 1701.

Alterum ejuſdem edictum.

Decretum Juſtini a Ripa Proviſoris Dalm. & Alban. quo, graviſſimarum pœnarum comminatione interpoſita, omnibus utriuſque ritus Latini, & Græci interdicit, ne aliam matrimonii ineundi rationem ſequantur, niſi quæ a Conciliis, & ſacroſancta Tridentina Synodo præſcribitur.

Nos Juſtinus a Ripa pro Sereniſſima Republica Veneta Proviſor in Dalmatia, & Albania.

Sacroſancta Concilia, & præſertim Tridentina Synodus certas cautiones, ſolemnes ritus, propriaſque formulas præſcripſerunt, quibus matrimonia celebrari oportet, eo conſilio ſane laudabili, ut omnem hujus Sacramenti, conjunctionibus illicitis, violandi occaſionem hominum fraudi, ac malitiæ adimerent, omneſque abuſus averterent, qui oriri ſolent e matrimoniis clandeſtinis, & contra leges initis, quique nodo indiſſolubili, & ſanctitati ejuſdem Sacramenti officere poſſunt. Huc ſpectant graviſſimæ leges Senatus Veneti, quibus ejuſdem Concilii Canones accurate obſervari jubentur, diligenterque cavetur, ne quis regulas, & formulas a Concilio præſcriptas ulla ex parte negligat, vi, & auctoritate ſæcularium magiſtratuum adhibita ad conſuetudines illicitas in re tam gravi, praveſque abuſus extirpandos. Nos itaque pro eo, ac debuimus, libenter, ſtudioſeque excepimus hac de re querimonias, & graviſſimas obſecrationes Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi D. Archiepiſcopi, qui omni cogitatione, curaque in adminiſtrationem provinciæ ſibi concreditæ incumbit, & nihil vehementius cupit, quam perniciosam quorumdam licentiam, & audaciam ſeveriſſimis legibus frenari, qui, deceptis Parochis, contemptis Eccleſiæ, & Antiſtitum decretis, ſine teſtificationibus neceſſariis, ſine præviis promulgationibus, ſine Præſidum ſuorum permiſſu matrimonia contrahere ſolent, quod fieri omnino non poteſt. Quapropter & ſacris Canonibus, & Senatus voluntati, quæ nupero diplomate XIII. Kal. Apr. ad nos dato ſatis aperte declaratur, ut par eſt, obtemperantes decernimus, ac jubemus haſce noſtras literas una cum Decretis Concilii, & Veneti Senatus ubique promulgari, idque omnibus, & ſingulis denunciari volumus; quicumque, fallaciis, ac deceptionibus adhibitis, ritibus, & formulis a Tridentina Synodo conſtitutis prætermiſſis, clanculum, & injuſſu eccleſiaſticorum Præſidum matrimonia celebrare in poſterum audeant, quod omnes leges pleniſſime vetant, in eos animadverſum iri carcere, exilio, triremi, bonorum multatione, aliiſque pœnis pro arbitratu noſtro, ratione habita perſonarum, & delictorum: quibus quidem pœnis obnoxios eſſe volumus, non ſolum qui hujuſmodi connubia ineunt, ſed etiam eorum fautores, complices, teſtes falſos, cæteroſque omnes, qui aliquid operæ, vel conſilii, vel patrocinii ad haſce ſpurias, clandeſtinas, damnataſque conjunctiones contulerint. Hiſce autem legibus, ac pœnis obſtrictos eſſe decernimus omnes omnino utriuſque ritus Latini pariter, Græcique. Quin immo edicimus, atque interdicimus, nequis Parochus, vel alius Sacerdos de ipſius Parochi licentia aut Græcas cum Latinis, aut Latinas mulieres cum Græcis viris matrimonio jungat, Epiſcopis inſcientibus, aut non permittentibus: qui ſecus fecerint, eaſdem, quas cæteri ſupra nominati, pœnas ſubeant. Et cum a multis in hac re tam gravi graviſſime peccatum ſit, quotidieque peccetur, idcirco nobis, ac ſucceſſoribus noſtris in hujus decreti violatores ſeverius etiam animadvertendi integram poteſtatem reſervamus; ut pœnæ illis inflictæ cæteris terrori ſint, atque exemplo, & hujuſmodi nimia, perniciosa, ac ſane intoleranda licentia omnino cohibeatur. Hoc vero decretum ex Italico in Illyricum ſermonem converti jubemus, nec ſolum in hac urbe, & ejus agri præcipuis pagis, villiſque promulgari, ſed etiam ad omnes hujus provinciæ magiſtratus tranſmitti, ut divulgatum ubique ab omnibus accurate, ſancteque obſervetur.

Dat. Jaderæ v. Kal. Octob. 1706.

Cum vero id plurimi Marino intereſſet, cujus diœceſim hujuſmodi abuſus licentius peragrabant, Proviſor Juſtinus ſuis literis ſane offi-

officiosis & Veneti Senatus voluntatem, & decretum hocce eidem communicavit.

Ejusdem ejusdem epistola ad Marinum Episcopum.

Epistola Justini a Ripa Provis. Dalm. & Albaniæ ad Episcopum Catharensem.

Pagina in hasce literas inclusa, quam signo nostro impressam tibi transmitto, Illustrissime ac Reverendissime Domine, decretum continet auctoritate nostra conditum juxta illas sanctiones veteres, ac recentes Excellentissimi Senatus, quibus ratio, ac formula matrimonii ineundi præscribitur, quam ab omnibus diligenter servari oportet. Negotium item a me datum est Illustrissimo istius civitatis Provisori, ut hujusmodi decretum evulgandum, & exequendum curet non solum in urbe, sed etiam in pagis, villisque omnibus, quæ ad illius administrationem pertinent: jubeat præterea illud a Parochis die festo in frequenti concione notum omnibus fieri ad sacram ædem confluentibus, & plane, aperteque declarari, nequis unquam, siquid deinceps in hac re peccaverint, ut pœnam subterfugiat, hujus decreti ignorationem allegare possit. Meam erga te observantiam profiteor, ac confirmo.

Dat. Jaderæ Nonis Januariis 1706.

Justinus a Ripa.

De Presbyteris extraneis ab parœciarum cura,

Erat præterea ingens Marini cura, atque sollicitudo, ne Sacerdotes extranei, præsertim Græcanici ritus, parœciis regendis præficerentur, a quibus compertum satis habebat gravia detrimenta Catholicæ Religioni plerumque allata fuisse; tum illud valde exoptabat, Græcis Episcopis Græcas suæ diœcesis Ecclesias invisendi jus omne, absque primarii in Veneta Dalmatia Magistratus licentia, omnino abnui, adimique, cum illorum adventu dissidia, turbæque religionis causa sæpe exorirentur, quæ publicam diœcesis, provinciæque tranquillitatem interturbabant. Quare Justini Provisoris pietate, ac sapientia fretus utrumque obtinere enixe contendit; cujus gravissimis obtestationibus Provisor annuit, & publica auctoritate hoc edictum promulgavit, quo vetitum est, ne extraneis, & alienigenis parœcias atque sacerdotia mandentur.

Ut omnia incommoda, & scandala evitentur, quæ ob causas Illustrissimo & Excellentissimo Domino Justino a Ripa pro Serenissima Veneta Republica Provisori Generali in Dalmatia, & Albania satis cognitas, & perspectas oriri possent, si extraneis, & alienigenis parœciarum procuratio, & Sacerdotia Latini pariter, Græcique ritus deferantur, hoc edicto cavet, & sancit, ut nequis in hac provincia vel parœciam, vel Sacerdotium ullum seu Latini, seu Græci ritus suscipiat, administretque, nisi Venetorum imperio subjectus sit, & ex eodem ortus loco, in quo hujusmodi parœciæ, sive Sacerdotia sunt constituta. Procuratoribus vero, cæterisque omnibus, qui jus habent eligendi, conferendique ecclesiasticas præfecturas, siquid contra moliantur, edicit, atque denunciat centum nummum argenteorum, quos Regales vocant, mulctam subeundam esse, aliasque pœnas, quas pro sua potestate, & voluntate infligendas esse judicabit. Vetat præterea, interposita earumdem pœnarum comminatione, ex alienigenis, extraneisque hominibus præpositos piarum sodalitatum assumi, vel in easdem quempiam adscribi, quin saltem domicilium habeat in urbe, sive oppido, in quo hujusmodi sodalitia vigent. Hoc decretum jubet ad magistratus transmitti, qui illud & promulgandum, & accurate exequendum curabunt.

Justinus a Ripa.

Datum est hoc Decretum die nona Octobris anni 1707. & paulo post publico S. C. probatum, confirmatumque fuit Venetiis III. Nonas Novembres ejusdem anni, addito interdicto, ne Episcopis Græcis injussu Magistratuum Græcas Venetæ ditionis Ecclesias jure, rituque episcopali lustrare liceat.

& Græcis Episcopis ab invisendis Venetæ ditionis parœciis propulsandis.

Cum in territorio Castri Novi, & Rhizinii, aliisque a te commemoratis, Religio Catholica plurimum detrimenti ab Episcopis, & Calogeris schismaticis accipiat, curam & cogitationem dignissimam tuæ pietatis, tuique singularis in rem Catholicam studii suscepisti, ut huic malo consuleres, & provideres. Cum enim multa facta sint in eamdem fere formulam, ac sententiam Senatusconsulta, quibuscum omnino coharet interdictum illud, quo vetuisti Græcas Venetæ ditionis Ecclesias ab Episcopis Græcis sine auctoritate, ac licentia Magistratus primarii istius provinciæ lustrari, æquum plane fuerat, ac necessarium vetera decreta renovari, & eorumdem executionem urgeri; illudque præterea edicto cavere, & sanciri, ut nequis extraneus, nostræque dominationi exemptus seu Latinis, seu Græcis parœciis præficiatur, Tuum itaque erit, in re tam gravi nihil vigilantiæ, curæque prætermittere, ut, amotis omnibus periculis, atque incommodis, sanctissima nostra Religio ab omni detrimento sarta tecta tueatur.

Alterum Justini a Ripa interdictum de Græcis Episcopis, cujus meminit S. C., desideramus; extat tamen ejus epistola data XIII. Kal. Januarii ad Provisorem Extraordinarium Cathari, qua Veneti Senatus voluntatem eidem significat, & ad ea servanda, quæ publicis Decretis præscripta fuerant, atque sancita, illum studiose in hæc verba adhortatur.

Senatusconsulti eodem die facti alterum caput erat, auctoritate publica approbari, ratumque haberi, quidquid a me cautum, præscriptumque fuerat ad comprimendos schismaticorum conatus, avertendosque a pernicie religionis Catholicæ: videlicet ne Græcis Episcopis Græcas Venetæ ditionis Ecclesias invisendi, lustrandique potestas fieret; neve aliunde Græcarum Ecclesiarum Præpositi, nisi e Venetorum regione, ac provinciis adsciscantur. Ex ipsis S. C. verbis sane gravissimis, quæ infra subjicimus, pro vestra sapientia intelligere poteritis, Excellentissimo Senatui vel maxime cordi esse hanc nostram cautionem, præscriptionemque servari, ut nihil præterea necesse sit addere ad vestram industriam, & providentiam excitandam &c.

Dalmatia Italiæ, & insularum adjacentium vocabulo comprehensa stylo Curiæ Romanæ.

Sub initium hujus sæculi, cum in aliis Italiæ regionibus, tum Romæ præsertim ingentes, & horrendi terræmotus extiterunt, Clemens XI. ad placandam divinam indignationem universis populis Italiæ & insularum adjacentium preces, jejunia, aliaque pia opera & piacularia indixit, quibus qui rite perfuncti essent, iis plenam ab omni pœna divinæ justitiæ pro delictis debita liberationem ex ærario Ecclesiæ concessit. Ut ad alios Dalmatiæ Episcopos, sic etiam ad Marinum Antistitem Catharensem diploma pontificium misit Archiepiscopus Amaseæ apud Venetos Legatus Sedis Apostolicæ. Fuerunt qui negabant hoc diploma & privilegium extendi posse ad civitatem ac diœcesim Catharensem, ac ne ad ipsam quidem Dalmatiam; quippe quæ neque intra fines Italiæ, neque intra numerum insularum adjacentium continebatur. Hanc falsam opinionem

Digitized by Google

nem ut dilueret, & ſi quibus inſederat, civium animis eximeret, Marinus Epiſcopus luculento ſcripto oſtendit vocabulis Italiæ & inſularum, quæ Italiæ adjacent, ex ſtylo Curiæ Romanæ Catharum etiam Dalmatiamque comprehendi; idque plurimis exemplis e ſuperiorum & recentiorum temporum memoria repetitis non ſolum confirmavit, ſed etiam ad veritatem plane perſuaſit. Itaque Catharenſes depoſita omni dubitatione, ut maximo illo beneficio ex theſauris Eccleſiæ deprompto potirentur, quæ Pontifex præſcripſerat, caſte pieque obierunt. Marcus Radonitus Archipresbyter itemque Vicarius generalis, cum teſtamentum feciſſet, quadringentos argenteos Venetos legavit, & ex eorum perpetuo fructu vicenos ſingulis annis contribui juſſit uni de Presbyteris, qui feſtis diebus in æde cathedrali ſub primum ſacrificium de myſteriis ac præceptis Chriſtianæ Religionis rudem ignarumque populum doceret. Hujus autem Presbyteri eligendi jus penes Epiſcopum eſſe voluit. Anno 1708. Marinus, jubente Pontifice Maximo, Catharenſem cum Epiſcopatu Corcyræ Melænæ commutavit,

Marinus Epiſc. ad Ecclesiam Corcyrenſ. transfertur.

FRANCISCUS III. EPISC. CATHAR. LII.

Civis & patritius Sibenicenſis ex illuſtri domo Parcichia, diſciplinæ Dominicanæ alumnus egregius, magiſter ſacræ Theologiæ, & Inquiſitor generalis Dalmatiæ adverſus hæreticam pravitatem; cui Clemens XI. Eccleſiam Catharenſem decrevit an. 1709. prid. non. Majas. Sex ipſos annos ſumma cum laude præfuit; utque debitum grati animi obſequium rependamus bene de nobis merito Antiſtiti, non eſt ſilentio prætereundum, quantum Franciſcus egregiam operam juverit, & ſtrenuos labores P. Philippi Riceputi, cum Catharenſem diœceſim ſacris miſſionibus obiret; qui jam tum opus illud moliebatur Illyrici Sacri deſcribendi, quod nos adhuc perſequuti ſumus, cujuſque is vere conditor & parens extitit, ut in præfatione primi Tomi fuſe dictum eſt. Eximiæ autem Franciſci in Philippum voluntatis teſtes ſunt perhonorificæ literæ, quibus ſuam eidem opem, & auctoritatem contulit, ut uberiores ex hoc Apoſtolico excurſu in animorum adjumentum fructus conſequerentur; eas hic ſubjicimus ex ipſo Franciſci Epiſcopi exemplari deſcriptas.

Franciſci Epiſc. pro P. Riceputo Soc. J. litteræ.

F. Franciſcus Parcych Ord. Præd. Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſc. Catharen.

Exultavit ſpiritus noſter in adventu A. R. P. Philippi Riceputi præconis Verbi Dei venerabilis Societatis Jeſu hodierna die, quo promiſſum Spiritum Sanctum Salvator noſter in filios adoptionis effudit: quapropter profuſis gaudiis provinciæ Dalmatiæ ob uberes fructus in ſalutem animarum ex Apoſtolicis prædicti P. laboribus productos tota hæc diœceſis exultat; hinc nos quoque, qui ſeminamus in lacrymis ovibus noſtris paſcuam ſpiritualem, ut prædicatione Evangelica præfati P. adjuti in exultatione metamus manipulos pacis, quæ ſuperat omnem ſenſum, eidem concedimus, (ut majus ſolatium, & beneficium animarum contingat) facultates omnes &c. . . . . exercitia ſpiritualia docere, aliaque ſui ſancti miniſterii opera, prout in Domino judicaverit expediens, peragere. Quem virum Apoſtolicum &c. In quorum fidem &c. Datum Cathari in palatio noſtro Epiſc. die 15. Maji 1712.

F. Franciſcus Epiſc. Catharen.

Qui menſe Majo annni 1715. vita deceſſit.

SIMON EPISC. CATHAREN. LIII.

Parentibus Turcis ortus cum eſſet, a puero Chriſtianis ſacris initiatus eſt; ab Grittis patriciis, in quorum fidem ac clientelam receptus fuerat, cognomen accepit. Romæ in Collegio Neophytorum humanis divinisque litteris operam dedit, & Philoſophiæ ſacræque Theologiæ laurcam promeruit. Presbyter factus ad Eccleſiam ac diœceſim Macarſchenſem adſcriptus fuit, deinde aggregatus ad Collegium Canonicorum ædis urbanæ S. Hieronymi, quæ ad Nationem Illyricam pertinet. Huic Clemens XI. Epiſcopatum Catharenſem contulit: 1716. 3. *Martii providit Eccleſiæ Catharenſi vacanti per obitum Franciſci Parcich de perſona Simonis Gritti Presbyteri diœceſis de Macarſcha Canonici Collegiatæ S. Hieronymi Illyricorum de urbe.* In urbe ſibi commorandum cenſuit, dum bellum Turcicum deferveſceret, quo Dalmatia quoque ardebat; & anno proximo exeunte, in templo S. Mariæ in Coſmedin altare Chriſti naſcentis titulo inſcriptum ſolemni ritu conſecravit, ut epigraphe ad aræ cryptam appoſita declarat.

Simon Gritti Epiſc. Catharen.

Clemente XI. P. O. M. Benef. An. MDCCXVII. die XXIII. Decemb. Feria V. Conſecratum eſt hoc altare in honorem Nativitatis D. N. Jeſu Chriſti per manus Reverendiſſimi in Chriſto P. D. Simonis Gritti Epiſc. Catharen. qui ſingulis Fidelibus in die anniverſario conſecrationis hujuſmodi ipſum viſitantibus XL. dies de vera Indulgentia conceſſit.

Idem Clemens Simonem Catharenſi ademptum tranſtulit ad Eccleſiam Ferentinam VI. Idus Junii anno 1718.

ad Eccl. Ferentinam translatus.

HYACINTHUS EPISC. CATHAR. LIV.

Natus eſt Jaderæ patre Florentino, cui *Zenobetto* cognomen fuit, & matre Jadertina. A prima adoleſcentia nomen dedit in Dominicanam familiam, & provinciæ Jadrenſi adſcriptus fuit. Philoſophiæ ac Theologiæ magiſterium obtinuit, quod magna ingenii, doctrinæ, eruditionis laude geſſit. Multis & illuſtribus ſui Ordinis præfecturis egregie functus ad ſedem Catharenſem aſcendit an. 1718. v. Kal. Julii ex decreto Clementis XI. ut in ſua ad eum epiſtola: *Cum Eccleſia Catharenſis ex eo quod nos nuper Ven. Fr noſtrum Simonem Gritti Epiſcopum nuper Catharenſem, nunc vero Ferentinum a vinculo, quo dictæ Eccleſiæ Catharenſi, cui tunc præerat, tenebatur, de Vener. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes, eum ad Eccleſiam Ferentinam certo tunc expreſſo modo Paſtoris ſolatio deſtitutam, de ſimili conſilio, auctoritate Apoſtolica tranſtulimus, præficiendo ipſum ibi in Epiſcopum, & Paſtorem, per translationem hujuſmodi ſit Paſtoris ſolatio deſtituta, nos ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ Catharenſis celerem, & felicem, in qua nullus prater nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne illa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ Catharenſi perſonam utilem, ac etiam fructuoſam cum eiſdem Fratribus noſtris habuimus*

Hyacinthus Zenobettus Epiſc. Catharenſis ex diplomate Clementis XI.

di-

Digitized by Google

diligentem, demum ad te Ord. Fr. Prad. de legitimo matrimonio, & Catholicis, honestisque parentibus in civitate Jadrensi ortum, ætatis tuæ anno 39. circiter, a pluribus annis in sacro Prædicatorum Ordine constitutum &c.

Anno Incarn. Domin. 1718. v. *Kal. Julii Pontif. nostri anno* 18.

Hiacynthi egregiæ virtutes.

Anno proximo, mense Junio Catharum venit, quem clerus, populusque obviam progressus ingenti lætitia, & gratulatione excepit, faustisque acclamationibus ad ædem cathedralem deduxit. Cum exquisita rerum divinarum scientia singularem prudentiam, agendique industriam conjunxit. Tanta erat ejus constantia, & firmitas animi, ut siquid, re bene perspecta, sapienter decrevisset, nulla ratione se ab eo deduci pateretur; quin immo suscepta negotia, quæ ad Dei gloriam, & salutem animarum pertinebant, in finem usque perseveranter urgebat, nullisque difficultatibus, vel incommodis deterrebatur, quominus præclare cogitata perficeret. Paterna charitate omnes complexus, omnibus benefacere studuit; sed illi maxime dolebat, quod propter exiguos proventus mensæ episcopalis neque egentium, & miserorum inopiæ subvenire, neque ædis cathedralis indigentiæ consulere posset. Ad utramque sublevandam duobus illud Sacerdotiis donaverat Clemens XI. altero in Brixiensi, altero in Cenetensi diœcesi; verum utriusque redditus tenuiores erant, quam necessitas pauperum, & Ecclesiæ postulabat. Itaque summa illi in omni victu, cultuque parsimonia adhibenda fuit, ut ex iis, quæ sibi, suisque commodis detrahebat, alienæ egestati succurreret. Vehementissime autem animo commoveri optimus Pastor, suique gregis amantissimus, & in communibus calamitatibus præcipuo quodam dolore angi solebat; veluti anno 1729. cum æstivos calores maximos, & siccitatem diuturnam excepit horribilis tempestas, fœta turbinibus, fulminibusque, & cælo tonante, ac fulgurante, locus ille, in quo inclusus asservabatur tormentarius pulvis, de cælo tactus cum esset, accensa vis illa sulphurea tanto fragore, atque impetu erupit, ut tota urbs contremiscceret, ædesque complures eo motu concussæ corruerent, vel apertis rimis fœdum in modum hiarent. Homines ad triginta tectorum ruinis oppressos, amplius trecentos male sauciatos ferunt; ad hæc imbres maximi nubibus effusi vias, plateas, domosque humiliores inundarunt, & aqua, limoque oppletis apothecis, ac mercibus corruptis, ingens negotiatoribus detrimentum intulerunt. Gravi, & miserabili casu deformata civitas, strages hominum, tectorumque incredibili mœrore optimum Præsulem affecit, qui statim ad numen iratum placandum supplicationes, precesque publicas indixit, & civium animos ea calamitate perculsos & afflictos tum blanda oratione, tum omni, quacumque potuit, ope recreavit.

Terræmotus Catharensis.

De Presbyteris extraneis ab parœciis Dalmatiæ, & Græcis Episcopis ab lustrandis Græcis in Dalmatia Ecclesiis arcendis

Dum huic Ecclesiæ præfuit, lata pridem Justini a Ripa Provisoris Generalis Dalmatiæ, & Albaniæ decreta, quibus cautum fuerat, vetitumque, ne Presbyteris extraneis parœciæ, aut sacerdotia Venetæ ditionis administranda committerentur, neve Græci Episcopi absque Provisoris Generalis consensu Græcas Ecclesias lustrare auderent in Venetorum provinciis sitas, novis Veneti Senatus literis renovata, atque confirmata fuere; additumque præterea, Græcos Episcopos ab invisendis Græcanici ritus Ecclesiis per suos quoque Vicarios omnino interdictos esse, nisi expressa ejusdem Senatus licentia id illis fuerit permissum.

Litteræ datæ sunt ab Aloysio Mocenico Venetorum Duce ad Vincentium Vendraminum Provisorem Dalmatiæ, & Albaniæ, quarum partem hic describo, omissis cæteris, quæ ad rem nostram non spectant.

Fragmentum epistolæ ducalis Aloysii Mocenici Venetorum Ducis ad Vincentium Vendraminum Provisorem Dalmatiæ, & Albaniæ: ne Presbyteri alienigenæ parœciarum curam habeant in Veneta ditione, neve Græci Episcopi per se, suosve Vicarios Græcas Ecclesias in Venetis provinciis invisant.

nova Veneti Senatus decreta.

Aloysius Mocenicus Dei gratia Dux Venetiarum Nobili & sapienti viro Vincentio Vendramino Provisori Generali in Dalmatia, & Albania, Fideli dilecto salutem, & dilectionis affectum.

Hinc pro tua sapientia animadvertas velim, quantum studii, operæque adhibuerit decessor tuus Justinus a Ripa, ut perfidiam, ac malitiam Calogerorum externorum, qui religionis corruptelam assidue moliuntur, a Catholicorum pernicie, & oppressione averteret; nec vero dubitare possumus, quin tua religio, ac pietas eadem vigilantia, curaque incumbere velit ad publica mandata exequenda, quæ diligenter cavent, ac sanciunt, ne cui parœciarum procuratio mandetur, quin indigena sit, subjectusque Venetorum imperio, qui iis contributionibus sit contentus, quas ratio, & leges definiunt; neque animarum curam ad turpe lucrum, prædamque revocet, & munere suo recte, accurateque fungatur. Illud igitur inprimis cavendum, & providendum, ne per speciem eleemosynæ colligendæ violentis exactionibus quæstus fiant; ut Sacramenta ritè administrentur; ut quidquid reipublicæ Christianæ detrimento, ac dedecori esse potest, omnino amoveatur. Extranei vero Episcopi, eorumque Vicarii in Venetam ditionem ne admittantur, nisi antea Senatu admonito, & permittente. Id ad extremum sedulo curabis, ut Turcicos finitimarum regionum Præfectos, quoad ejus fieri possit, amicos, pacatosque habeas, quo facilius, te auctore, patrocinium suscipiant Catholicorum, qui eas regiones incolunt, ut soluti ab omni metu fidentius in avita religione perseverent, & erga nos, ac nostram Rempublicam bene sint affecti, atque animati.

Hyacintho adhuc Episcopo, mira res accidit, ac prodigio similis, quæ testium fide probata, & publica auctoritate, tum divinæ vindictæ terrorem omnibus incussit, tum erga sanctissimum Catharensis urbis patronum Tryphonem & cultum auxit, & obsequium. Anno 1722. Veneta navis Catharo discedens, cum Epidaurum vetus brevi itineris tractu prætergressa jam esset, repente, sereno quidem cœlo, ventisque secundis, medio hæsit in mari, fluctusque circum fremere, & horribilem in modum extremum nautis exitium minari cœperunt. Rei novitate attoniti tremere omnes, ac pallere visi sunt, eoque anxius, quo nec mare illic unquam periculosum experti erant, nec vis ulla nauticæ artis quidquam proderat, ut e summo discrimine navis erepta progredi ulterius posset. Tum prodigium, quod erat, id esse rati, atque hac cogitatione suspensi, ne quis forte gravi crimine obstrictus tantæ sibi, suisque calamitatis causa foret, num sacrilego sce-

Insigne S. Tryphonis miraculum.

Digitized by Google

scelere aliquid sacræ supellectilis ablatum a quopiam fuerit, inquirunt, precibus, ministque interpositis, ut sincera patrati facinoris confessione Dei vindicem iram, & impendens cunctis exitium averteret. Hæc autem dum agitabantur, miles quidam lineam telam quatuor in frusta dilaceratam prodidit cereis hinc inde guttis, & vini maculis insperſam, quæ indicio erant, alicujus altaris mensæ usui fuisse; tum illam a quodam nauta Cathari se minimi emisse fatetur. Et nauta quidem aderat, qui comprehensus, & rite in quæstionem adductus tergiversari primum, negare interdum, excusationes etiam prætendere cœpit; demum, ut fateretur, coactus, furtum se revera perpetrasse testatur, & Cathari quidem, sed locum, unde telam abstulerit, silet, & ambiguis responsis abscondit. Quo facto tantus nautarum, ac militum furor exarsit, ut parum abfuerit, quin in mare subito projiceretur justas sacrilegii pœnas daturus. Sed navis præfectus obstitit, & nauta in compedes conjecto, supremam facinoris quæstionem ad tribunal Provisoris Generalis deferendam esse jussit. Mira res interea, vix hisce peractis, quievit maris æstus, silent fluctus, & ultro navis inceptum iter prosequitur prospero cursu, donec Spalatum appulit. Quare ad Marcum Antonium Diedo Dalmatiæ, atque Albaniæ Provisorem Generalem re delata, & nauta iterum in judicium producto, tandem rite convictus, confessus est, se telam illam Cathari furto sustulisse ex æde cathedrali S. Tryphonis; unde divini Numinis ultio patuit, qua beatissimi Martyris honorem, cultumque sueri promptum jam erat, nisi scelus detegeretur, quod justo nautæ supplicio ex publica Principis auctoritate punitum fuit. Hæc ex ipsis judicii, sententiæque tabulis retulimus, quas Provisoris Generalis sigillo, ac manu obsignatas Provisor ipse ad Judices Catharenses misit cum hisce litteris Jadera datis 13. Kalend. Novembris anni 1722. & a nobis in latinum sermonem conversis,

Illustrissimi Domini,

Ut religiosæ hujusce urbis veneratio augeatur erga sacra lipsana D. Tryphonis celeberrimi ejusdem Patroni, mihi contigit singulari animi mei voluptate, ut sacrilegium ulciscerer certo miraculo manifestatum, Impium etenim facinus a Joanne Baptista de Benedictis Brixiensi commissum, qui nauta erat parvæ navis cognomento Gamma, *cum lineam mappam e sacro altari furtim abripuit, quæ diligenti Judicum opera recuperata est, digna tanto scelere pœna mulctatum est.*

Itaque Marino Uracchien Doctori, atque Thesaurario, *qui id enixe postulavit, ablatam supellectilem tradi jussi, tum exemplar judicii, latæque sententiæ, in quo mira facti totius narratio continetur. Hanc ab reliquis Thesauri Præfectis inter insigniora magni Martyris monumenta reponi velim, & nostræ religionis testem, & ad cultus, ac communis vestræ venerationis incrementum. Omnia vobis bene, ac feliciter vertant.*

Dat. Jaderæ 13. Kalend. Novemb. 1722.

Marcus Antonius Diedo Provisor Generalis.

Hyacinthi obitus, sepulchrum, & testamentum.

Hyacinthus annos tres, & viginti Ecclesiam Catharensem gubernavit, omnibus charus, nulli non acceptus. Decessit anno 1742. VI. Id. Augusti; & proximo die lugubri pompa, solemnique funere elatus cum esset, ad exequias cohonestandas universa civitas convenit. Humatus fuit in communi Episcoporum sepulchro, quod erat in æde cathedrali ad sinistram aræ maximæ, clausum operculo marmoreo, cui insculpta est effigies Episcopalis. Cœnobio Dominicano Jadertino, cujus fuerat alumnus, grati animi causa bibliothecam, & centum aureos legavit. Ex reliqua ejus pecunia itemque ex domestica, & sacra supellectili divendita, octingentorum aureorum summa conflata est, quæ omnis ex ejus testamento ad Ecclesiam pervenit. Tantum valuit frugalitas & parsimonia, ut ex tenuissimis proventibus, quamvis magna ex parte in pauperes aliaque pietatis opera erogatis, non exiguam hæreditatem conficere, & Ecclesiæ relinquere potuerit. Hanc pecuniam Procuratores ædis cathedralis collocarunt, ut ex ea fructus annui ad sarta tecta tuenda & sacram supellectilem comparandam augendamque supperterent.

VINCENTIUS II. EPISC. CATHAREN. LV.

Ex eadem nobilissima Draga familia Cathari ortus, ex qua Marinus Dragus Episcopus Catharensis Vincentii patruus vel certe consanguineus. In patria iis artibus ingenium excoluit, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari solet. Romam profectus in Collegio de Propaganda Fide gravioribus disciplinis, humanis divinisque operam dedit. Patavium regressus, Juris utriusque scientiam adeptus Doctoris nomen & insignia sumpsit. Cum de illius doctrina, integritate, prudentia excellens opinio esset, eum Canonici Catharenses ad suum Collegium aggregarunt. Benedictus XIV. ad sedem patriam Episcopalem evexit anno 1743. Sed valetudine erat, & natura imbecillior. Post susceptam in urbe consecrationem, cum Catharum petere contenderet, jamque progressus esset multorum dierum viam, simul atque Jaderam pervenit, in morbum gravem & periculosum incidit, ad quem depellendum cum nihil remedia valuissent, ibidem extinctus est IV. Non. Augusti, sepultusque in æde Virginis Deiparæ. Ita & patriæ & Ecclesiæ suæ summam exspectationem morte immatura præreptus fefellit.

JOANNES ANTONIUS II. EPISCOPUS CATHARENSIS LVI.

Jo. Antonii Castelli Episc. Catharens. gesta episcopalia.

Oriundus quidem e Chio, insula maris Ægæi, sed Methone natus in Peloponneso anno 1706. ubi ejus parens degebat ductor militarium copiarum, eique Castello cognomen fuit. Benedictus XIV. gravem nec opinatum casum, & viduitatem Ecclesiæ Catharensis solari cupiens novum ei sponsum decrevit Joannem Antonium, cujus egregia virtus prioris sponsi ante amissi quam adepti desiderium leniret, & acerbam jacturam abunde compensaret. Anno igitur 1744. VII. Id. Septemb. augustissimo Patrum purpuratorum Senatu approbante, illum Episcopum Catharensem renunciavit. Episcopali consecratione inauguratus cum esset, ex urbe discessit; & anno proximo, mense Martio ineunte Catharum advenit, ingenti civium omnium lætitia & gratulatione, ipsoque die sacro Deiparæ Virgini ab Angelo salutatæ, cum in æde cathedrali pontificale sacrificium ritu solemni fecisset, faustis ominibus regimen Ecclesiæ sibi commissæ suscepit. Romæ tamen erat rursus an. 1746.

Digitized by Google

1746. ut præferunt Acta Canonizationis S. Fidelis a Sigmaringa, aliorumque Divorum quatuor edita Romanis typis an. 1749. Interfuit enim Joannes Antonius Conſiſtoriis hac ſuper re habitis a Benedicto XIV. Pontifice, ſuamque ſententiam dixit, quæ in iiſdem actis exſcripta eſt. Catharum inde reverſus ita in Epiſcopatu ſe geſſit, ut nullum in eo vigilantiſſimi Paſtoris officium deſiderari poſſet. Non ſemel diœceſim luſtravit, & ubique ſapientiſſimis inſtitutis, & ſanctiſſimis exemplis clerum populumque ad eccleſiaſticam & Chriſtianam diſciplinam conformari ſtuduit. Nihil induſtriæ operæque prætermiſit, ut pravas conſuetudines exſtirparet, inter quas illa erat plane irreligioſa, uſuque diuturno corroborata, quod adoleſcentulæ innuptæ feſtis diebus, niſi eſſent e primariis maximeque ſolemnibus, templo & ſacrificio abſtinebant, modeſtiam neſcio quam male affectatam prætexentes; neque enim decere ajebant virgines ingenuas, niſi raro & graviſſimis de cauſſis in publicum prodire. Id ſatis cauſſæ non eſſe oſtendit, cur ſe communi Eccleſiæ præcepto eximerent; poſſe illas capite velato, ut præcipit Apoſtolus, ac demiſſis oculis per vias incedere, templum adire, ſacrificio intereſſe, ſalvo virgineo pudore; neque antea monere, hortari, ſuadere deſtitit, quam ex animis parentum & filiarum falſam illam opinionem evelleret, & conſuetudinem illam divinæ & eccleſiaſticæ legi contrariam prorſus aboleret; quam tamen erudita animadverſione a cenſura vindicare ſtuduit Marcus Antonius Gregorina, vir inter cæteros ſane doctus & eruditus, cujus judicio & correctioni hos noſtros de Catharenſi Eccleſia commentarios ſubjecimus. *Diſputatum fuit*, inquit, *de more puellarum Catharenſium, quæ adeo ſe domi continebant, ut perraro ſacrum audirent, utrum bene ſe geſſerint Epiſcopi hujuſmodi morem tolerando. Et ſane videtur dubitandum, utrum SS. Apoſtoli, qui hanc ſine dubio tulerunt legem de ſacro feſtis diebus audiendo, voluerint hac quoque obſtrictas Virgines Chriſtianas. Sicuti probatur hujuſmodi lex eſſe Apoſtolicæ, quia uti docet B. Auguſtinus, ubique terrarum ſervatur, neque a Conciliis inſtituta fuerit; ita quoad Virgines, cum ubique æque non ſit recepta, ſcientibus & non contradicentibus Epiſcopis, fundamentum exiſtit dubitandi, num Virgines præcepto Apoſtolico obſtrictæ fuerint. Præterquamquod de more hujuſmodi apud Hiſpanos teſtantur pius Ludovicus Granatenſis, & Alphonſus Oroſco Eremita Auguſtinianus. Videndus quoque eſt S. P. noſter Hieronymus in epiſtola, ni fallor, ad Demetriadem, ubi ait puellas religioſiores in ſervanda modeſtia, ne quidem diebus ſolemnioribus ad Eccleſiam egredi. Cæterum deficiente domeſtica inſtructione, neceſſario ubique ad Eccleſiam convenire debent, & ut ſacro intereſſint, & ut audiant verbum Dei, ſine notitia cujus ſalvæ fieri nequeunt, & cujus neceſſitatem inculcat S. P. Joannes Chryſoſtomus Hom. 9. de Pœnit. quæ extat in edit. P. de Montfaucon Tomo II. Hæc dicta ſint, ſalvo meliori judicio, potius ad depellendam notam deſidiæ a noſtris Epiſcopis, quam ad vindicandum hujuſmodi morem, ſi alicubi hodiedum extat; qui potius in corrupto rerum ſtatu, in quo vivimus, potius, inquam, corruptela dicendus eſſet: adſint Virgines ſacris templis, ſervatis ſervandis, quæ utinam ubique ſerventur.*

Duos Presbyteros Soc. Jeſu ter Spalato evocavit, ut diœceſim univerſam apoſtolicis excurſionibus peragrarent, & populos illos divinis præceptis & myſteriis imbuerent. Multiplices & copioſos fructus inde perceptos ipſemet præſens interdum aſpexit, & ſummopere gaviſus eſt. Anno poſt ſuſceptum Epiſcopatum decimo ſeptimo, ætate ad ſenium jam vergente, receptui canere, & reliquam vitam ab alienis curis & negotiis vacuam ſibi ac Deo vivere ſtatuit. Itaque miſſionem efflagitavit, obtinuitque a Clemente XIII. a quo paucis ante menſibus annuam centum aureorum penſionem e redditibus menſæ Epiſcopalis Pharienſis impetraverat. Anno 1761. menſe Junio Pontificatum Catharenſem depoſuit, & Jaderam ſeceſſit; qua in urbe quieto & otioſo ei eſſe non licuit; ſed nihilo ſegnius quam antea, Archiepiſcopo ægrotante, omnia pontificalia munera & officia exſequutus eſt. Epiſcopatum abdicat.

STEPHANUS EPISC. CATHAREN. LVII.

Natus eſt Cathari anno 1699. filius poſthumus Jacobi de Oleo viri clariſſimi ac ſtrenui ducis, qui moriens Franceſchinam conjugem ſuam, lectiſſimam feminam, e ſe gravidam reliquit. In ſinu optimæ parentis educatus puritiam egit ex ejus ſollerti piaque diſciplina; & poſt puerilem ætatem in patria primis literarum latinarum elementis excultam in Italiam profectus, primum Firmi in eo gymnaſio humanitatis ac rethoricæ ſtudiis diligentem & aſſiduam operam navavit; tum Romam ſe contulit, receptuſque in Collegium urbanum de Propaganda Fide ad Philoſophiam primum, inde ad Theologiam ſcholaſticam, dogmaticam, moralem animum applicuit. Studiorum curſu ut conſtanter, ſic feliciter confecto, non doctrinam ſibi ſolum, ſed etiam doctrinæ decus peperit; nam cum in iis quas didicerat diſciplinis periculum feciſſet, & quam aſſecutus fuerat humanarum ac divinarum rerum ſcientiam acerrimo certamini expoſitam ſuis magiſtris & ſapientiſſimis viris probaſſet, horum perhonorifico judicio ac teſtimonio dignus habitus fuit, qui ritu ſolemni laurea, cæteriſque Doctorum inſignibus decoraretur. His ornatus, ſimulque ſacerdotio initiatus in patriam rediit, ſeque totum eccleſiaſticis miniſteriis addixit. Nullum fuit genus muneris apoſtolici, in quo ſe per annos quinque ac triginta indefeſſo ſtudio, ſumma & aſſidua contentione non exercuerit. Hyacinthus Zenobettus Epiſcopus, qui Stephanum jam inde ab anno triceſimo hujus ſæculi Collegio Canonicorum Catharenſium adſcriptum Vicarium generalem ſibi delegit an. 1742. multiplicis laborioſæ operæ, & nunquam intermiſſæ, in ſalutem animarum, & Dominici gregis utilitatem collatæ, præclarum ei teſtimonium tribuit, quod hic ſubjicio. Stephanus de Oleo ſtudiis, apoſtolicis miniſteriis,

Frater Jo. Hyacinthus Zenobetti Miſeratione Divina, & Sanctæ Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Catharen. ex ſacro Prædicatorum Ordine aſſumptus &c. Hyacinthi Epiſcopi teſtimonio,

Univerſis, & ſingulis, ad quos præſentes noſtræ pervenerint, plenam fidem facimus, atque teſtamur Reverendiſſimum Dominum Doctorem D. Stephanum de Oleo Canonicum Decanum, & ſeniorem cathedralis noſtræ Catharen. nec non in ſpiritualibus, & temporalibus Vicarium, & Locumtenentem noſtrum Generalem, ætatis annorum circiter quadraginta duorum de legitimo thoro na-

Digitized by Google

natum, civilibus, honestisque parentibus ortum, ab ineunte ætate in Ven. Firmano Collegio Sacræ Congregationis de Propaganda Fide spatio septem circiter annorum fuisse alumnum, ibique adeo in studiis humanarum litterarum profeciſſe, ut meruerit transferri ad almam urbem in Ven. Urbano Collegio ejusdem sacræ Congregationis, ibique per septennium adeo fervide incubuisse ad majora studia Philosophica, Theologica, Moralia, Dogmatica, & Scholastica, ut strenue propugnatis in eodem Ven. Urbano Collegio ejusdem sacræ Congregationis Theologico-Dogmaticis Thesibus coram aliquibus Eminentissimis, ac Reverendissimis S. R. E. Cardinalibus, communi universorum adstantium plausu tandem dignus fuerit die 24. Junii 1724. insigniri prævio rigoroso, ac diligenti examine laurea doctorali. Expleto igitur tam laudabiliter cursu litterario huc redux advenit, statimque præfectus fuit a nobis curæ parochiali villæ nuncupatæ de Mulla nostræ diœcesis, ubi nulli parcens labori totum se dedit instruendis pueris, populoque sibi commisso in rudimentis Catholicæ doctrinæ, segregando a vepribus, spinis, & labruscis plantas, & arbores, ita ut vineæ Domini Sabaoth sibi concredita produxerit optimas fruges salutis animarum, & tamquam optimus Pastor semper super gregem suum vigilans, in omnibus laborans quamplurimos periclitantes in statu perditionis reduxerit ad viam salutaris pœnitentiæ, tenuissimo contentus lucro vix ascendente ad quatuor annua Scuta Romana, adjecto tamen onere viginti duarum Missarum quodlibet anno celebrandarum; & hoc onus suis impositum humeris quamvis in semetipso grave, ipsum tamen tamquam leve, ac suave usque ad præsens libenter substinet. Hoc tamen non fuit satis ejusdem religioso zelo, quem effudit quoque ad redimendas hujus civitatis, ac reliquæ nostræ diœcesis animas prædicando sedulo Verbum Dei, instando opportune, importune arguendo, increpando, obsecrando in omni patientia, & Ecclesiastica doctrina, sicque faciendo opus Evangelistæ, omni ex parte ministerium suum perfecte implevit in eruditis, doctis, facundis, & utilibus concionibus ab ipsomet nedum in nostra cathedrali, verum etiam in collegiata Sanctæ Mariæ Fluminis, alibique fructuose, & eleganter habitis, in quibus Ecclesiis, & in sua parochiali, nec non in illis Regularium nostræ diœcesis incessanti labore audiens assidue Christifidelium utriusque sexus Confessiones, eosque sacra Synaxi reficiens nullam prætermisit partem diligentis operarii: extendensque fervorem suæ religiosæ charitatis ultramontanos milites Theutonicos, Ungaros, aliosque septemtrionales hæretica Calviniana, & Lutherana labe, cæterisque hæresibus infectos adeo perfecte edocuit dogmata Catholicæ veritatis, ut ipsi sponte abjurantes in ejusdem manibus falsa dogmata erroresque hæreticales in gremium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ media salutari pœnitentia ab eodem perducti fuerint; neque omisit adjuvare homines perditos damnatos ad remigandum in publicis Venetis triremibus audiendo eorum Confessiones Sacramentales, eosdemque instruendo Fidei Articulis, cæterisque mysteriis, & documentis Catholicæ Religionis, assistendo quoque benigna charitate ultimo supplicio damnatis die, noctuque associando eos, & confortando usque ad locum patibuli. Nec supra recensitæ exercitationes, quibus ipse optime perfunctus est, obstiterunt, quin ulterius propagaret cordis sui studium juvandæ juventutis, docendo clericos, aliosque juniores sacerdotes nulla spe mercedis, nec retributionis, sed ultro Theologiam moralem, & in praxi specialiter casus conscientiæ, nullo ex enunciatis laboribus obstante, quin adfuerit personali suæ residentia Canonicis horis persolvendis in choro hujus nostræ cathedralis, cujus undecim ab hinc annis jam expletis a venerabili Capitulo unanimi voto electus fuit Canonicus; in cujus gradus munere clare demonstravit summam ejus peritiam in praxi rubricarum, sacrorumque rituum, nec non cantus Gregoriani, quem adeo funditus possidet, ut ipse aliquando, raro tamen a choro absente vix Missa conventualis, aut vespera queant decantari. Quamvis onustus tot supra narratis arduis officiis, ipsum præ aliis elegimus in Examinatorem tam clericorum ad Ecclesiasticos Ordines promovendorum, quam Sacerdotum ad audiendas Christifidelium Confessiones semetipsos exponentium, quo in munere tali dexteritate, prudentia, ac sapientia se gessit, ut semper eluxerit claritas suæ scientiæ, profunditas suæ doctrinæ, & docilis facilitas suæ instructionis. Hunc religiosum virum optime meritum de continua & indefessa ecclesiastica servitute, morum probitate, vitæ honestate, prudentia, modestia, pietate, sana doctrina, charitate, ecclesiastico zelo, constantia, fidelitate, cæterisque religiosis virtutibus ornatum, nunquam inquisitum, nec denunciatum, seu accusatum, neque processatum, aut condemnatum, nulla ecclesiastica censura, aut canonico impedimento innodatum, quinimmo uti decet sacerdotem in sortem Domini vocatum, & mysteriorum Dei dispensatorem, in omnibus se ipsum exemplum bonorum operum præbentem, habentemque omnia a sacris Canonibus, præcipue a Sacro Concilio Tridentino requisita elegimus, creavimus, & fecimus nostrum in spiritualibus, ac temporalibus Vicarium, & Locumtenentem Generalem habendo ipsum tamquam senectutis nostræ baculum fulcientem imbecillitatem longævæ nostræ ætatis, in quo arduo, ac laborioso officio nihil relinquit de se ipso desiderari. Quare secundum Deum, & pro nostra conscientia præ omnibus ipsum censemus meliorem, prudentiorem, ac digniorem ut ascendat ad altiores Ecclesiasticos gradus, dignitates, etiam Episcopatus regendos; ideoque uti talem hisce nostris testimonialibus omnibus, & singulis, quibus Dei honor, & gloria, populorumque sanctificatio maximopere cordi est, quamplurimum in Domino commendatum facimus. In quorum fidem &c.

Datum Cathari ex Offitio curiæ nostræ Episcopalis die 22. Martii 1742.

Fr. Ja. Hyacinthus Episcopus Catharen. &c.
Nicolaus Lorenzini Cancellarius.

Ecclesiasticis dignitatibus clarus,

Quam Hyacintho Zenobetto Episcopo paucis post mensibus extincto, eamdem vicariam operam Antonio Castello proximo post Zenobettum Episcopo navavit. Bis Vicarius Capitularis fuit, primum post obitum Zenobetti, deinde post voluntariam Castelli abdicationem. Ita per annos fere viginti Ecclesiæ ac diœcesis Catharensis administratio vel tota, vel magna ex parte in eum incubuit. Anno 1755. IV. Id. Novembris Archipresbyter electus proximum a primo locum dignitatis inter Canonicos Catharenses obtinuit; & post quinquennium una omnium voce & acclamatione Archidiaconus declaratus supremum honoris in Capitulo & au-

Digitized by Google

ſtoritatis ſubſellium conſcendit; ſiquidem ex privilegio ſingulari Leonis Papæ X. penes Capitulum jus eſt non ſolum reliquos inferioris ordinis Canonicos, ſed etiam duos illos primarios eligendi, qui ceteris dignitate & poteſtate antecedunt, videlicet Archidiaconum & Archipresbyterum. Virum ampliſſimis magiſtratibus & muneribus eccleſiaſticis egregie functum, magnis & illuſtribus in rem Chriſtianam Catharenſem meritis inſignem Clemens XIII. Epiſcopum Eccleſiæ Catharenſis anno 1761. XV. Kal. Octobris deſignavit, & anno proximo tertio Kalendas Majas in auguſtiſſimo Cardinalium conſeſſu non ſine præclara ejus virtutum ac meritorum commendatione declaravit. Eum vero Joannes Franciſcus Cardinalis Albanus in Baſilica urbana S. Marci ſolemni conſecratione Epiſcopali inauguravit anno eodem 1762. XVII. Kal. Junias. Antequam ex urbe diſcederet, Pontifex ut ſuam erga Stephanum beneficam voluntatem oſtenderet, ſimulque egeſtati menſæ epiſcopalis ſubſidium aliquod contribueret, penſionem centum argenteorum ei decrevit a Moſacenſi Abbate ſingulis annis perſolvendam. Intra finem anni 1762. Catharum venit, ejuſque adventum civitas univerſa inſolita omnium Ordinum lætitia & acclamatione celebravit. Anno proximo VIII. Idus Januarii, ipſo die ſanctiſſimo & celeberrimo Epiphaniæ Domini Jeſu Chriſti, magno cleri populique comitatu præeunte ac proſequente ad Baſilicam Cathedralem proceſſit, rituque pontificali ſacris operatus cum eſſet, confertiſſimam multitudinem fauſta & Epiſcopali precatione impertitam dimiſit. Quam curam, ſollicitudinem, vigilantiam per annos circiter viginti, generalis Vicarii officio fungens in utilitatem Eccleſiæ Catharenſis contulit, non eamdem ſolum, ſed tanto majorem eidem impendit, quanto pleniorem poteſtatem adeptus eſt; & qui jamdudum animos omnium ſibi caritate & obſequio devinctos tenuit, communem omnium erga ſe benevolentiam, & obedientiam magis in dies magiſque auxit, in id maxime intentus, ut omnes Chriſto lucrifaceret, omnium utilitati commodiſque inſerviret. Hanc vitæ rationem, hanc Epiſcopalis officii curam conſtantiſſime tenuit ad annum uſque 1788. quo laboribus ac ſenio confectus diem ſupremum obiit VIII. Kal. Julii, & in cathedrali Eccleſia honorifice tumulatus fuit.

Et Epiſcopus Catharenſis an. 1761.

JOANNES MARTINUS EPISCOPUS CATHARENSIS LVIII.

Joannes Ep. quadriennio poſt Epiſcopatui ſe abdicat.

Cognomento Bernardonus, vulgo Baculus dictus, patria Venetus, quem Pius VI. Pontifex huic Eccleſiæ præpoſuit IV. Non. Octobris anni 1788. Inſequenti anno Epiſcopalem conſecrationem accepit XIII. Kal. Majas; ipſiſque Kal. Majis anni 1790. Catharum pervenit. Vix biennium ſuam Eccleſiam tenuerat, cum ob turbas ſchiſmaticorum præſertim cauſſa excitatas in magnam Veneti Senatus offenſionem cadens, & Romam ſeſe recipere compulſus, XVII. Kal. Majas & anno 1793. Epiſcopatum Catharenſem dimiſit; eumque idem Pontifex titulo Antiſtitis Famauguſtani in inſula Cypro poſtea donavit.

MICHAEL MATTHÆUS EPISCOPUS CATHARENSIS LIX.

Michael Ep. Cath. ad Eccleſiam Sibenicenſem anno poſt translatus.

Qui die Februarii 26. anni 1736. natus Arbi e nobiliſſima Spalatina familia, optimi patrui, & Epiſcopi primum Corcyrenſis, dein Abſorenſis Simonis Spalatini exempla ſecutus eſt ac veſtigia. Quare ob præclaras ejus animi ingeniique dotes Pius Pontifex illum Catharenſem Antiſtitem renuntiavit VI. Idus Junias anni 1793. Cum anno poſt conſecrationis munere donatus fuiſſet XI. Kal. Octobris, ſuam tamen Eccleſiam adire diſtulit in annum proximum 1795. quo Catharum pervenit ipſis Kalendis Majis. Verum paullo poſt, annuit Pontifex XIII. Kal. Junias anni 1796. ut ſedem hanc cum Sibenicenſi commutaret.

FRANCISCUS PETRUS EPISCOPUS CATHARENSIS LX.

Franciſcus Ep. Cath. vivit.

E nobili familia Raccamarichia in Pagenſi inſula. Is a prima ætate eccleſiaſticæ militiæ nomen dedit; &, abſolutis humaniorum litterarum ſtudiis, in Collegio Lauretano ſeveriores diſciplinas adeo impenſe excoluit, ut brevi Doctoris inſignia ſumma cum ingenii laude promeritus ſit. In patriam reverſus ſacris concionibus, & animarum procurandæ ſaluti ſe totum impendit; nec multo poſt inter Canonicos Pagenſes cooptatus eſt, quin collata in ejus virtutes dignitas quidquam pium viri fervorem immineret. Romam poſtea cum advenisſet, ob perſpectam probitatem ac prudentiam Illyrico in urbe Collegio regendo illum Pontifex præfecit; quo munere dum optime fungeretur, ad Catharenſem Epiſcopatum evectus eſt die Maji viceſima ſeptima anni 1796. & anno proximo XI. Kal. Aprilis ſuam Eccleſiam adivit. Alter jam annus eſt, quo egregius Antiſtes vigilantiſſimam crediti ſibi gregis curam exercet; idque jure optandum, quod boni omnes optant, ac precantur, ut Deus Optimus Maximus illum quam diutiſſime huic Eccleſiæ ſervet incolumem.

FINIS.

Digitized by Google

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Pag. 1. *col.* 2. *lin.* 39. *lege*. Sunt tamen, qui Arionem Scylacis, non Omblam, ſed Gliutam fluvium non ita magnum, eſſe affirmant. Hunc aquæ inter duos pagos Platum & Obodum ſcaturientes confluenteſque per vallem Brennenſem in unum alveum efficiunt &c.

Pag. 3. *col.* 2. *lin.* 14. *adde*, Ajunt recentiores critici, & in primis Stephanus Antonius Morcellus, de ſtudio veterum latinarum inſcriptionum optime meritus, aut ſtatuæ Dolabellæ, aut columnæ cuipiam in ejus honorem erectæ ſubjectam fuiſſe hanc inſcriptionem; ſepulchrum vero Dolabellæ, ſeu locum ſepulchri apud Epidaurum oſtendi nonnulli perhibuerunt.

Ib. lin. 57. *corrige*, in veſtibulo ædium Savini de Georgiis &c.

Pag. 4. *col.* 1. *lin.* 4. *corrige*, Seipun.

Ib. lin. 35. *poſt verbum* concelebrant, *adde*. Exeat in altari principe ejuſdem templi vetuſtiſſima tabula, patrati miraculi teſtis, quæ Hilarionem exhibet ingenua pronum, & converſis in Virginem Deiparam oculis, inſidentem nubibus, & puerum Jeſum ulnis complexum. Pone Divum viſitur draco in ſtruem lignorum injectus, furiiſque ardens, ac pueri circum, qui ignem accendunt incenduntque vehementer; longe vero in conſpectu fugitantes villici depicti ſunt.

Ib. lin. 38. *corrige*, Kravoſciaz.

Pag. 7. *col.* 1. *lin.* 22. *corrige*, ad annum.

Pag. 10. *col.* 2. *lin.* 6. *corrige*, antennis.

Ib. lin. ult. lege. Penes quos leges ferendi & magiſtratus creandi poteſtas, tum belli & pacis jura ſunt.

Pag. 11. *col.* 1. *lin.* 4. *pro iis verbis*, legatos ad reges mittere, *corrige*, Legatos Reipublicæ ſuo jam munere functos, & in patriam reduces coram admittere, & quæ geſſerint, cognoſcere.

Ib. lin. 14. *pro iis verbis*, penes illos belli ac pacis arbitria ſunt, *corrige*, Penes illos mittendi ad reges legatos arbitrium eſt &c.

Ib. lin. 17. *corrige*, quinque & quadraginta.

Ib. lin. 38. *corrige & adde*. Ad eum pertinet ordinaria & ſtatuta a lege convocatio Conſilii majoris; nam extraordinaria aut a Senatu, aut a minori Conſilio indicitur &c.

Ib. lin. ult. adde. Hujus publicæ adminiſtrationis ex Luccaro deſcriptæ falſa eſſe nonnulla, quæ hic correximus, nos monuit vir amiciſſimus, & ingenio, ſcientia, eruditione, atque incredibili humanitate maxime præſtans Joannes Lucas Volantius civis Raguſinus, qui hujus [illegible] publicæ a ſecretis eſt, cuique plurimum debemus in hoc Operis noſtri Tomo typis edendo.

Pag. 12. *col.* 2. *lin.* 47. *corrige*, Meletium, ut probatiores Codd. ferunt.

Pag. 96. *col.* 1. *lin.* 43. *adde*, Quo in loco non eſt ſilentio prætereundum inſigne prodigium, quod ope D. Franciſci patratum narrat idem Bonaventura in ejus vita pag. 213. Rom. edit. anni 1686. Accidit illud in inſula Jupana paſſuum millia xx. Raguſio procul; & teſtis eſt tum piiſſimi cultus, quo Raguſienſes Franciſcum proſecuti ſunt, tum cæleſtis benevolentiæ, qua Franciſcus erga illos propitius movetur; nec aliis, quam ipſius Bonaventuræ verbis totam rei narrationem hic licet exſcribere. *Juvenis quidam Gerlandinus nomine de Raguſia oriundus vindemiarum tempore ad vineas exiens, cum in vaſe vinario ut utres impleret, ſub torculari ſe mitteret, repente prægrandes lapides, motis in ſe lignorum ſtruibus, caput ipſius letali percuſſione quaſſarunt. Feſtinavit continuo pater ad filium, & deſperans obrutum non adjuvit, ſed eum ſub onere, ſicut corruit, ſic reliquit. Accurrerunt expeditius vinitores magni clamoris vocem lugubrem audientes, multoque cum patre pueri dolore completi extraxerunt juvenem jam mortuum a ruina; pater vero ipſius Jeſu pedibus provolutus humiliter precabatur, ut filium ſuum unicum per merita S. Franciſci, cujus tunc imminebat ſolemnitas, ſibi reddere dignaretur. Ingeminabat preces, vovebat officia pietatis, & ſancti viri corpus ſe viſitaturum cum filio, ſi ſuſcitaretur a mortuis, repromiſit. Mirum certe. Continuo puer, qui toto fuerat corpore conquaſſatus, reſtitutus vitæ & integræ ſoſpitati, gaudens coram omnibus exſurrexit plangentes objurgans, & S. Franciſci ſuffragiis vitæ ſe redditum aſſeverans.* Locus miraculo illuſtris e pueri nomine adhuc *Giraldinus* dicitur, & facti memoriam ſervat.

Pag. 124. *col.* 1. *lin.* 31. *adde*, De B. Jacobo, & hujus imaginis prodigio hæc præterea habeo comperta, ſcilicet virum ſanctum bis ſtato ſolemnis jejunii tempore Raguſii conciones habuiſſe, quæ maximos religionis pietatiſque fructus pepererunt; eumdemque bis in Raguſina ditione Stagnenſi, Slanenſi, Omblenſi & Canalium Cœnobiis præfuiſſe; unde conſtat, diu illum ibi verſari ſolitum, & præcipua apud omnes reverentia exceptum atque excultum. Quod vero ad piam Chriſti imaginem attinet, P. Sebaſtianus Dolci in Monum. Prov. Rag. ſui Ordinis §. 12. pag. 26. hæc ſubjicit: *Se vidiſſe ſuper his acta authentica Rhacuſii auctoritate Apoſtolica confecta, teſtatur laudatus Vadingus; hos Angelos moviſſe thuribula, cum Fratres parentarent in Eccleſia B. Evangeliſtæ a Peruſio, recitabimus inferius ex Menologio P. Hueber; demum proſtat adhuc in noſtro Sacrario hujus miraculi imago graphice Bononiæ expreſſa a Simone Barlaſchio anno* 1614. *ad inſtantiam cujuſdam Concionatoris FF. Capuccinorum, qui, cum eo anno ſacras conciones habuiſſet, die Sabbati Sancti miram adeo rem ſuiſmet oculis inſpexit, typiſque in Italiam rediens evulgavit. Ego ipſe vicos allocutus ſum hujus miraculi teſtes &c.*

Pag. 130. *col.* 2. *lin.* 37. *adde*. Anno ſeptimo hujus ſæculi ſupra quadrageſimum in inſula Jupana in pago *Luka* Eccleſia S. Stephani Protomartyris ſolemni conſecratione dedicata fuit, fortaſſe ab ipſo Elia Archiepiſcopo, Rei geſtæ monumentum an. 1790. repertum eſt ſub lapide ſacro, vulgo *ſepulchreto*, aræ majoris; idemque verum, nullaque adulterina nota fucatum publica fide & auctoritate comprobavit Gregorius Lazzari Archiepiſcopus Raguſinus. Utraque hæc acta nuper ad nos Ragulio miſſa hic ſubjicimus.

Die 7. Auguſti 1790.

Comperta conſecrationis memoria Eccleſiæ parochialis de Luka in inſula Jupanæ in menſa majoris altaris, ad inſtantiam R. D. Dominici Natali V. Parochi dictæ Eccleſiæ, hic infra, factis prius debitis recognitionibus, de mandato Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini D. Gregorii Lazzari Archiepiſcopi Rhacuſini ſchedula dictæ memoriæ ad perpetuam rei memoriam regiſtrata fuit tenoris ſequentis, videlicet.

In Chriſti nomine Amen.

Currente anno Domini 1347. Indictione ſecunda die ſeptima intrante menſe Octobris iſta Eccleſia fuit conſecrata tempore Venerabilis Patris Summi Pontificis Clementis Papæ atque Reverendiſſimi in Chriſto Patris Eliæ Archiepiſcopi Rhacuſini ſub tempore Fratris Matthæi Beviſtiæ Abbatis Monaſterii S. Mariæ Lacromenſis diœceſis civitatis Rhacuſii.

Anno autem ejuſdem ſæculi octavo &c.

Pag. 187. *col.* 2. *lin.* 12. *adde*. Hoc tempore, eodemque anno fortaſſe illud accidit ſane mirum, & Eccleſiæ Raguſinæ faſtis inſerendum, quod narrat P. Antonius Teolius in Vita S. Vincentii Ferrerii lib. 3. tract. 1. cap. 8. Quippe cum Joannes eſſet Raguſii, & civitas graviſſima peſtilentia dudum laboraret, tantum dicendi virtute civium animos incendit in fidem cultumque erga Vincentium, ut brevi ejus opem fuerint experti. Dum enim Nicolai Bracovichii civis Raguſienſis pietate & impenſis altare exſtrueretur ad ornandam Divi memoriam, & illius ſtatua ab ipſo Joanne deſuper aram fuiſſet erecta in Eccleſia ſui Ordinis, vis morbi penitus abiit, & cives Vincentii favore in priſtinam incolumitatem ſunt reſtituti. Quare S. C. illico latum, ne pridie diei Vincentio ſacræ cujuſque generis carnes publice venderentur, quo populus abſtinentiam ſervandam eſſe intelligeret, tum ut dies ipſe feſtus ac ſolemnis per urbem totam ageretur. Hinc Vincentii cultus mirifice augeri cœpit, & miraculis ab eo patratis adeo ad hanc uſque diem fervet apud Raguſienſes, ut votivis circa ſtatuam tabellis ex argento pretioſi operis altare perpetuo nitcat; & e Cœnobii Dominicani monumentis conſtat, parietes ſurſum deorſum, ipſum altaris fornicem hujuſmodi muneribus magnificam ſane in ſpeciem opertos fuiſſe, quæ in ſacra deinde Eccleſiaſtici miniſterii inſtrumenta converti ſatius utiliuſque iis Patribus viſum.

Pag. 203. *col.* 2. *lin.* 30. *adde*, Idem erat hoc anno Venetiis die viceſima quarta Septembris, teſte Marino Sanuto coævo Scriptore in Annal. mſs. eoque advenerat cum Card. Borgia Pontificis Legato; die vero eadem coram Duce, Legato, Oratoribus Galliæ, Neapolis, Ferrariæ, Montisferrati, tum Venetiarum Patriarcha pluribuſque viris patritiis ſacra myſteria ſolemni pompa peregit in templo Marciano; inde Romam reverſus eſt; nam in Cod. Brochardiano pag. 166. dicitur ipſe anno 1499. interfuiſſe *Conſiſtorio &c.*

Pag. 205. *col.* 2. *lin.* 32. *corrige*, anno 1503.

Ib. lin. 38. *adde*. Cum vero eodem anno Julius II. ad Romanam Sedem evectus fuiſſet, & animo in Rempublicam Venetam infenſo de recuperanda Pontificia ditione, quam Veneti in Æmilia poſſidebant, ſerio cogitaret, ſtatim ab inito Pontificatu Joannem Archiepiſcopum Præfectum Æmiliæ creavit, juſſitque, ut expeditis militum cohortibus Venetorum hac illac præſidia ac turmas militares laceſſeret, & ad reddendas urbes, quæ illorum ſuberant imperio, compelleret. Roma digreſſus v. Kal. Decembris illius anni 1503. celeri itinere Faventiam acceſſit, unde vi repulſus Forum Cornelii aggreſſus eſt, & urbe pauços poſt dies potitus IV. Kal. Januarias. Inde ad Coſerculanum Comitem literas dedit, quibus cum hortabatur, ne ſe Venetorum ſubderet poteſtati; quæ per ſatellites interceptæ Venetias miſſæ ſunt ad Ducem a Prætore Faventino; in iis *Archiepiſcopi Raguſini Bononiæ & Romandiolæ Gubernatoris* titulo ſe ſubſcripſit. Mox XVI. Kal. Februarias anni 1504. Faventiam iterum præteriens peditibus fere centum ſtipatus Cæſenam ad arcem expugnandam contendit; eoque pervenit XII. Kal. menſis ejuſdem. Verum de hac arcis Cæſenatis obſidione nihil præterea memoriæ prodidit laudatus Sanutus, e cujus mſs. Annalibus hæc deſcripſimus. Julius hoc anno 1504. ut Saracenus narrat in Hiſt. Anton. Tomo II. vel etiam poſteriore 1505. &c.

Pag. 210. *col.* 1. *lin.* 10. *corrige*. Paullo tamen ante abdicationem Sacerdotii Cotineolenſis menſe Majo illius anni, uti Sanutus refert ex literis Hieronymi Porciæ datis Romæ ad virum nobilem Venetum nonis Junii, & ab eo in ſuos Annales relatis, ad ſedem Archiepiſcopalem &c.

Pag. 285. *col.* 2. *in fine*. Typis jam abſoluta Antiſtitum Raguſienſium hiſtoria, de immatura Aloyſii Archiepiſcopi morte nobis nunciatum eſt; is VIII. Kalendas Quintiles anni 1799. podagræ doloribus exſtinctus mœſtiſſimam ejus deſiderio reliquit Raguſinam Eccleſiam, quam ſeptem omnino annos pie ſapienterque gubernaverat.

Pag. 323. *col.* 1. *lin.* 33. *adde*. Ex hiſce, quæ de initiis Epiſcopatus Stagnenſis dicta ſunt, ſatis liquet, quam falſo quidam e Serblianis Scriptoribus affirment, hujus Eccleſiæ primordia tribuenda eſſe Sabbæ Simeonis Serblorum regis filio, qui Epiſcopali dignitate, & vitæ ſanctimonia illuſtris vita exceſſit anno 1250. & Divorum cultum apud illas gentes promeritus eſt; unde Dyoaſtiæ ſeu Ducatui S. Sabbæ nomen, qui Herzegovina dicitur, ibique inſigne olim monaſterium S. Sabbæ, & templum in Miloſcevo, a quo cum Turcæ Viennenſi bello pretioſum vivificæ Crucis fruſtum abſtuliſſent, illud magno pretio redemit pius vir Nicolaus Boſcovich civis Raguſinus, idemque Natalis ejus filius Patribus Societatis Jeſu dono dedit, in quorum templo Viennæ ſervatum fuit, & debita veneratione cultum.

Pag. 324. *col.* 1. *lin.* 6. *corrige & adde*, An. 1681.

XLI. Joannes Baptiſta II. Ep. Stag. an. 1683.
XLII. Carolus II. Epiſc. Stag. an. 1688.
XLIII. *uſque ad Epiſcopum extremum I.*

Digitized by Google

INDEX RERUM

ET VERBORUM MEMORABILIUM.

Prior Numerus paginam, alter columnam notat.

A

Achilles de Craſſis Cardinalis juſſu Adriani VI. P. poteſtatem facit Philippo Archiepiſcopo Raguſino abſolvendi eos qui ad Turcas armas detulerant. 220. 1.

Acontius Legatus in Dalmatia Honorii III. P. 92. Synodum Raguſii convocat. 92. 2. ejus ſententia ſecundum Abbatem Lacromenſem. 95. 1.

Adamus Epiſcopus Catharenſis ex Albienſi in Gallia. 448. 1.

Adrianus IV. P. poſſeſſionem Eccleſiarum Dalmatiæ ſuperioris Tribunio II. Archiep. Raguſino confirmat. 79. 2.

Adrianus VI. P. Philippum Archiepiſcopum Raguſinum commendat illius Suffraganeis 220. 1. Raguſinis poteſtatem facit exercendæ cum Turcis mercaturæ, armaque ipſis deferendi. 220. 2.

Adrianus Arnoldi Epiſcopus Roſſenſis ſeu Rhizinienſis ex Ordine Carmelitarum. 416. 2. Epiſcopatum dimiſit. 417. 1.

Ægidius Epiſcopus Roſſenſis ſeu Rhizinienſis ex Ordine Carmelitarum. 416. 2. Suffraganeus Epiſcopi Argentoratenſis. *ibid.*

Æſculapius medicinæ inventor an Epidauro Dalmatiæ adſcribendus. 2. 1.

Alberti Duimii Epiſcopi Modruſſenſis & Veglienſis, patria Catharenſis, elogium. 487. 2. 488. 1.

Albertus an inter Epiſcopos Tribunienſes recenſendus. 306. 1.

Aleardus Archiep. Raguſinus. 107. 2. Joannem Præſidem Cœnobii Rabiatenſis ſubjicit anathemati. 108. ad Arborenſem Eccleſiam transfertur. 110.

Alexander III. P. jus in Eccleſias Dalmatiæ ſuperioris Tribunio II. Archiepiſcopo Raguſino confirmat, datis ad eum epiſtolis. 80. 2. & ad Clericos Dulchinenſes & Antibarenſes. 81. 1. & ad tres Epiſcopos Dalmatiæ ſuperioris, & ad Clerum Dyrrhachienſem. 81. 1. 2.

Alexander VI. P. de novo Cœnobio S. Claræ Raguſii inſtituendo litteras dedit ad Vicarium Archiepiſcopi Raguſini. 193. 1. 2. aliaſque ad Abbatem S. Mariæ de Lacroma & Franciſco de Gradis Canonico Raguſino, ut ſupellectilem Epiſcopi Tribunienſis reſtituendam curent Fratribus S. Dominici. 194. 2. Indulgentiam Eccleſiam Cathedralem Raguſii viſentibus, & eleemoſynas contra Turcas erogantibus concedit. 195. 1. redditus Canonicorum Raguſienſium æquales eſſe decrevit. 198. 1. 2. nec non & Capellanorum. 199. 1. 2. quæ Joanni Archiepiſcopo Raguſino aliiſque Oratoribus ad Regem Galliæ mandaverit. 200. & ſeq. Canonicos Raguſinos inſignibus Capitularibus uti jubet. 203. 2. teſtamentum faciendi facultatem concedit Georgio II. Epiſcopo Tribunienſi & Mercanenſi. 302. 1.

Alexander Antonius Thomaſeus Locumtenens Archiepiſcopi Spalatenſis ſententiam quadam Michaelis Epiſcopi Corcyrenſis irritam eſſe edixit. 406. 2.

Aloyſius Spagnolettus Archiepiſcopus Raguſinus ex ordine S. Franciſci. 285. obiit. 520. 2.

Aloyſius Mocenicus Dux Venetiarum jubet, ne Presbyteri extranei parœcias habeant, neve Græci Epiſcopi Græcas Eccleſias inviſant in provinciis Venetis. 514. 2.

Aloyſius Foſcarenus Rector Cathari, & Jacobus Lauretanus Proviſor extraordinarius edicunt, ne injuſſu Epiſcopi Presbyteri Serbliani matrimonio jungant mulieres Catholicas cum ſchiſmaticis. 506. 1. 2 & ut Serbliani & Latini dies feſtos colant Latinæ Eccleſiæ. 508. 1.

Alphonſus Baſilius de Ghetaldis Epiſcopus Stagnenſis ex ordine S. Benedicti. 360. 2.

Alviſius Cervinus, Vicarius Rainaldi Archiepiſcopi Raguſini, litteras Leonis X. ſecundum Virgines Raguſinas S. Claræ exequendas curat. 215. 2. 216.

Ambroſius Gozzeus Epiſcopus Tribunienſis & Mercanenſis ex ordine S. Dominici. 309. 1. de ſtatu ſuæ Eccleſiæ certiorem facit ſacram Congregationem. *ibid.* transfertur ad Eccleſiam Stagnenſem. 309. 2. 356. 2. ædificationem cœnobii Brotiani ſuo diplomate confirmat. 356. 2. obiit. 357. 1.

Ambroſius Epiſcopus Roſſionenſis ſeu Rhizinienſis ex ordine S. Auguſtini. 417. 1.

Anaſtaſius IV. P. litteras mittit Raguſinis. 65. 1.

Anconitani fœdus ineunt cum Raguſinis. 161. 1. 2.

S. Andreæ in Pelago Monaſterium. 73. 1. Abbati Melitenſi attributum. 221. 2.

Andreas Epiſcopus Raguſinus. 36. 1. an litteras acceperit ab Zacharia Papa. *ibid.*

Andreas II. Epiſcopus Raguſinus. 63. 1. Romam pergit. *ibid.* ab Innocentio II. P. litteras recipit, quibus jus metropoliticum Eccleſiæ ſuæ confirmatur. 63. 2. Epiſcopos ſuæ provinciæ, qui ejus imperium abnuerant, in ordinem redigit. *ibid.* inſignia Epiſcopalia tradit Abbati Lacromenſi. 64. 1. primum Phariæ & Bractiæ Antiſtitem conſecrat. *ibid.* litteras ab Eugenio III. P. & ab Anaſtaſio IV. P. recipit. 64. 2. 65. 1. Synodos duas celebrat. *ibid.* obiit. 65. 2.

Andreas III. ex familia Gauſſona, Archiepiſcopus electus Raguſinus. 111. 1. a Philippo Legato apoſtolico eidem Eccleſiæ præficitur adminiſtrator. *ibid.* Canonicus Caſtellanus eligitur. 111. 2. adminiſtrationem dimittit. 112. 1.

Andreas IV. Archiepiſcopus Raguſinus ex Ordine Prædicatorum. 140. 2. quo anno electus fuerit. 141. 1. Sodalitatem Presbyterorum ſub nomine S. Petri in Cathedra inſtituit.

Digitized by Google

tuit. 141. 2. & *seq.* ejus obitus, sepulcrum & elogium. 144. 2.
Andreas V. de Robertis Archiepiscopus Ragusinus. 268. 1. civitatem ac diœcesim lustrat ritu Episcopali. 268. 2. Actas lustrationis. *ibid.* & *seq.* cum Fratribus Dominicanis litem habuit. 270. 1. Ad Ecclesiam Policastrensem transfertur. 270. 2.
Andreas subscriptus diplomatis Sigismundi Regis Hungariæ, an vere Archiepiscopus Ragusinus? 147. 1. 2.
Andreas Episcopus Rhizinienſis, adjutor Eberardi Episcopi Zagrabiensis. 415. 2.
Andreas Episcopus Stagnensis & Corcyrensis. 336. 2. 375. 1. ejus obitus. 337. 2. 376. 1.
Andreas II. Michaelius Episcopus Stagnensis & Corcyrensis ex Archidiacono. 345. 2. 377. 2. idem ac Episcopus Stanensis, ad quem extat epistola Eugenii IV. P. *ibid.*
Andreas III. Canavellus Episcopus Stagnensis & Corcyrensis ex ordine S. Augustini. 346. 2. 378. 1. ejus acta adversus Canonicos cœnobii S. Spiritus Venetiarum. 378. 2. 379. 1. adversarium habet Franciscum Barbarum, qui Canonicos S. Spiritus commendat Francisco Condulmerio Cardinali. 379. 1. 2. ejus obitus & sepulcrum. 380. 1.
Andreas Zmajevichius, Abbas S. Georgii Peraſti, de statu rei Christianæ illius loci certiorem facit per litteras Congregationem de Propaganda Fide. 504. 2. 505. 1. fit Archiepiscopus Antibarensis. 507. 2. ejus elogium. *ibid.*
Andreas de Seregna Presbyter a Lagustanis in carcerem conjectus. 128. 1. ad Sedem Apostolicam appellat. 129. 1. 130.
Angelus Francus Archiepiscopus Ragusinus ex ordine S. Francisci. 277. 1. Synodum convocavit, & typis edidit. 277. 2. leges a Benedicto XIV. P. præscriptas servari jubet Sodalibus S. Petri in Cathedra. 277. 2. 278. de schismaticis quid agere debeat, binas accipit epistolas a Benedicto XIV. P. 279. 1. 2.
Angelus de Volantis Episcopus Stagnensis ex ordine S. Dominici. 361. 2.
Angelus Faseolus Episcopus Catharensis. 468. 1. Romam vocatus Joannem Paltasichium sibi procuratorem per litteras constituit. 468. 2. suam Ecclesiam dimittit. 469. 1. Fit Episcopus Feltrensis, & obiit Romæ. *ibid.* ejus inscriptio sepulcralis. 469. 2.
Angelus II. Baronius Episcopus Catharensis ex Ordine Prædicatorum. 498. 2. rationes administrationis proventuum monasterii S. Georgii de Scopulo recognovit. *ibid.* Catharensibus nominationem Abbatis ejusdem monasterii indixit. *ibid.* electionem significat Clementi VIII. P. ejusque acta ad eum mittit. 499. 1. 2. Rascianum quemdam matrimonium initurum cum muliere Catholica jubet dogma Romanum amplecti. 499. 2. controversiam de jurisdictione parochiali inter Stephanum Boscum & Stephanum Alexin diremit. 500. 1. 2. diœcesim lustravit. 500. 2. consecrat Ecclesiam S. Secundi Venetiarum. 501. 1. ad Episcopatum Clodiensem transfertur. 501. 2.
Angelus de Spalato an Episcopus Corcyrensis, & quis fuerit? 395. 2.
Anna Regis Poloni soror Vincentium Porticum commendat Pio V. P. 247. 1.
Anſelmus Cassichius Episcopus Tribunienſis & Mercanensis ex ordine S. Francisci. 317. 2. ejus obitus. 318. 1.
Antibarenſis Ecclesia cum Ragusina ad tempus conjuncta. 64. 1. a Metropolita Ragusino disjungitur. 88. 1. 101. 2. & *seq.* in metropolim erigitur. 432. 1.
Antonius de Reate Archiepiscopus Ragusinus ex ordine Minorum. 156. 2. interest Concilio Constantiensi & plures legationes obit. *ibid.* 157. 1. quid præclare Ragusii præstiterit. 157. 2. ejus elogium. 160. 1. & obitus. 160. 2.
Antonius II. de Alliis Archiepiscopus Ragusinus. 177. 1. ejus gesta ante Archiepiscopatum. 177. 2. ad Ecclesiam Fæsulanam, inde ad Volaterranensem transfertur. 178. 1. ejus sepulcrum. 178. 2.
Antonius III. Severolus Archiepiscopus Ragusinus. 261. 2. ad Ecclesiam Nazarenam transfertur. 262. 1.
Antonius de Primis Episcopus Tribunienſis & Mercanensis ex ordine S. Francisci. 315. 2. ejus gesta & obitus. 316. 1.
Antonius II. Righius Episcopus Tribunienſis & Mercanensis. 316. 1. Episcopatum dimittit. *ibid.* exsequitur sententiam Benedicti XIII. P. in lite inter Fratres Dominicanos & Canonicos Ragusinos. 275. 2. 276. 1. 316. 1. ejus obitus. 316. 2.
Antonius Belglavus Episcopus Corcyrensis, postquam Zacynthi Ecclesiam recusavit. 408. 2. ad Ecclesiam Tragurienſem trasfertur. *ibid.*
Antonius de Bitonto Episcopus Catharensis ex Abbate S. Georgii de Gulpho. 454. 1. obiit. 457. 1.
Antonius Paschalis Episcopus Rosensis seu Rhizinienſis. 417. 1. ad Ecclesiam Motulanam translatus. 417. 2.
Antonius Rosaneus Archidiaconus Corcyrensis, dux contra Turcas, patriam oppugnatam strenue defendit. 393. 1. eamdem oppugnationem describit. 393. 2.
Antonius Duodo præfectus Cathari sententiam tulit pro monasterio Rotacienſi contra Pastrovichios. 469. 2.
Archangelus de Lupis Ordinis S. Dominici Archiepiscopus Ragusinus. 280. 2. ejus obitus & inscriptio sepulcralis. 281. 1.
Archangelus Gozze electus tantum Episcopus Tribunienſis & Mercanensis. 307. 2.
Arrengerius Archiep. Ragusinus. 91. 2. quando electus. 92. sua jura metropolitica curat confirmanda a Gregorio IX. P. 96. 1. luxum in nuptiis coercet. 96. 2. an is fuerit, qui Episcopum hæreticum Ecclesiæ Bosnensi præfecerit? 97. 98. 99. jus in Ecclesiam Bosnensem amittit. *ibid.* an Abbas Divionensis Cœnobii obierit in Gallia? 100.
Aſcrivienſes Catharum condunt. 421. 2.
Aſcrivienſes sive Catharenses Episcopi. 421.
Aſcrivienſes Inscriptiones. 422. 1. 1.
Aſcrivium ubi positum. 421. 1. a Saracenis captum & a Bosnensibus combustum. *ibid.* nunc Catharum. 421. 2. vetus oppidum civium Romanorum. 422. 1. paruit Imperatoribus Constantinopolitanis. 422. 2.
Augustinus de Nale Episcopus Tribunienſis & Mercanensis ex ordine Prædicatorum. 303. 1. electus a Leone X. P. 303. 2. interest Concilio Lateranensi. 304. 1. ejus elogium, opera, & obitus. *ibid.* Ecclesiam Tribunienſem

Digitized by Google

ſem dimiſerat, Mercanenſem reſtituerat. *ibid.*
Auguſtinus Macedonich Epiſcopus Stagnenſis ex ordine S. Franciſci. 359. 2.
Auguſtinus Quinctius Epiſcopus Corcyrenſis ex ordine S. Dominici, 395. 2. geſta ejus ante Epiſcopatum. 396. 1. ejus de templorum reverentia ſollicitudo. *ibid.* ut Eccleſia Stagneſis cum Corcyrenſi iterum conjungatur, fruſtra nititur. 396. 2. 397. 1. Reliqua ejus acta. 397. 2. Ad Eccleſiam Maſſa-Lubrenſem transfertur. 398. 1.
Auguſtinus Valerius Epiſcopus Veronenſis, Viſitator in Dalmatia Veneta, litem componit inter Epiſcopum & Canonicos Corcyrenſes. 396. 1. 2. viſitat oppidum Peraſtum. 496. 2.
Aurelius Novarinus ex ordine Minorum Conventualium Archiepiſcopus Raguſinus. 256. 2. ad Eccleſiam Epiſcopalem S. Marci in Calabria transfertur, 257. 1.

B

Bartholomæus Archiepiſcopus Raguſinus ex ordine Minorum. 121. 2.
Bartholomæus II. Archiepiſcopus Raguſinus ex Canonico Tranenſi. 122. 2. ad Eccleſiam Tranenſem, inde ad Sipontinam translatus. 123. 1.
Bartholomæus III. Clarus, Archiepiſcopus Raguſinus, 183. 1.
Bartholomæus Epiſcopus Catharenſis. 448. 1. ad Eccleſiam Tragurienſem transfertur. *ibid.*
Bartholomæus II. Epiſcopus Catharenſis. 454. 1.
Baſiliani Monachi ſchiſmatici Stagno, abire jubentur. 131. 2. quibus pactis diſcederint. 131. 2. 132. 1.
Baſilius Archiepiſcopus Hertzegovinæ redit e ſchiſmate ad Catholicam communionem cum Cœnobiarcha Monaſterii Tribunienſis S. Mariæ. 315. 1.
Baſilius Epiſcopus Tribunienſis & Mercanenſis ex Monacho Benedictino. 298. 2. legatus Raguſinorum ad Nicolaum V. P. *ibid.*
Baſilius Gradius Epiſcopus Stagnenſis ex ordine S. Benedicti. 354. 2. ejus obitus & elogium. 355. 1. ejus opera. *ibid.*
Benedictus VIII. P. pallium & epiſtolam mittit Vitali Archiepiſcopo Raguſino. 42. 2.
Benedictus XI. P. ædificationem Baſilicæ Dominicanæ Raguſii ſuis litteris adjuvat. 122. 1. 2.
Benedictus XII. P. Eliam eligit Archiep. Raguſinum, reſciſſa electione Capituli Raguſienſis. 126. 2.
Benedictus XIII. P. Raymundo Arch. Raguſino, qui ei Pontificatum gratulatus fuerat, reſpondet. 273. 1. eidemque, qui Turcam ad fidem converſum ad ſe miſerat, gratias agit. 274. 2. litem inter FF. Dominicanos & Canonicos Raguſinos de bonis Raymundi Archiepiſcopi compoſuit. 275. 1. 2. ut augeantur proventus Epiſcopatus Tribunienſis & Mercanenſis, ſcribit ad Senatum Raguſinum. 316. 2.
Benedictus XIV. P. privilegia Congregationi Caſinenſi conceſſa, Congregationi Melitenſi concedit. 75. 2. leges Sodalibus S. Petri in Cathedra Raguſinis præſcribit. 277. 2. 278. quid agere debeat cum ſchiſmaticis, ſcribit bis ad Angelum Archiepiſcopum Raguſinum. 279. 1. 2.
Benedictus Archiepiſcopus Raguſinus ex Epiſcopo Suacienſi. 124. 1. obiit Avenione. *ibid.*
Benedictus Lauretanus ex ordine Eremitarum Camaldulenſium Epiſcopus Corcyrenſis a Carolo Card. Borromæo nominatus. 392. 1. a Pio IV. P. electus. 392. 2. ejus præclara geſta. *ibid.* præſertim in peſtilentia Corcyrenſi. 395. 1. menſæ epiſcopalis & capitularis inopiam fruſtra curat ſublevandam. *ibid.* Ejus obitus. 395. 2.
Benedictus Stay terræmotum Raguſinum deſcribit. 263. 2.
Bernardinus Larizza Archiepiſcopus Raguſinus. 262. 1. obit. *ibid.*
Bernardus Archiep. Raguſinus litteras commendatitias ad Raguſinos impetrat a Clemente III. P. 83. 1.
Bernardus II. Archiep. Raguſinus Romam miſſus a Bano Boſinæ. 84. 1. 2. Archiepiſcopatum dimittit. 88. 2. fit Epiſcopus Karledenſis in Anglia. 29. 1.
Bernardus Epiſcopus Catharenſis ex Drivaſtenſi. 453. 1.
Bernardus II. Epiſcopus Catharenſis ex Archipresbytero S. Martini Plebis Saccenſis. 466. 1. facultatem retinendi Archipresbyteratus obtinet a Nicolao V. P. 466. 2. pietatem Chriſtianam ac Catholicam religionem amplificandam curat. *ibid.* ad compeſcendos ſchiſmaticos litteras impetrat a Duce Venetorum. 467. 1. ad Plebem Saccenſem ſe recipit, in cujus eccleſia principe extat ejus effigies cum inſcriptione, 467. 2. ubi & quando obierit. 468. 1.
Bernardus Gundula Abbas Melitenſis, ut ſe Julius II. P. confirmet, obtinet poſt annos ſex & viginti. 208. 1. 2.
S. Blaſius eligitur patronus a Raguſienſibus. 47. 2. ejus verum Caput Raguſium delatum. 47. 2. 48. ejus Reliquiæ Raguſii. 48. 2. an Sebaſte in Epiro martyrium conſummaverit? *ibid.* Hymni, Lectiones, & Oratio in ejus honorem. 49. 50. quæ ſacra Rituum Congregatio approbavit. 50. Formulæ precationum ad morbos depellendos, S. Blaſio intercedente. 50. 2. ejus ope, peſtis Raguſio depulſa, ob idque nova Baſilica in ejus honorem exſtruitur. 131. 1. ejus ſtatua mire ſervata in Baſilicæ incendio. 268. 1.
Blaſius Archiepiſcopus Jadertinus jubetur a Martino V. P. cognoſcere quæſtionem de decimis Stagnenſibus inter Raguſinos & Nicolaum Epiſcopum Corcyrenſem. 341. 2. Senatum Raguſinum ad ſuam curiam citat. 342. 2. ne progrediatur, ab eodem Pontifice juſſus. 345. 1.
Blaſius Conſtantinus Epiſcopus Tribunienſis & Mercanenſis ex ordine S. Dominici. 298. 2. jubetur a Sixto IV. annuere petitioni Monialium Raguſienſium S. Mariæ de Angelis. 186. 2. 299. 1. ejus elogium. 299. 1.
Blaſius II. Epiſcopus Tribunienſis & Mercanenſis, non Methonenſis, ex ordine S. Dominici. 299. 2.
Blaſius Epiſcopus Catharenſis. 436. 1. ædem S. Mariæ in Funario conſecrat. 436. 2. penſionem a navarchis ſibi debitam eſſe evincit. *ibid.* teſtis intereſt actis Joannis Gundulæ pro monaſterio S. Jacobi de Viſcgniza. 437. 1. intereſt translationi Capitis S. Tryphonis. 437. 1. 2. 438. 1. 2. donatio ab ipſo facta Matthæo de Boyali, qui Caput illud invenit. 439. 1. ejus decretum adverſus Monachos S. Georgii. 439. 2.
Bizochæ Catharenſes alendæ a ſuis parentibus.

bus, 443. 1.
Bodinus Rex Serbliæ Raguſium obſidet. 58. 1. villam S. Martini in Zuncheto Monaſterio Lacromenſi donavit, 58. 2.
Boleslavus Judex reſtituendam curat villam & eccleſiam S. Martini Monachis Lacromenſibus, 59. 1.
F. Bonaventura de Parma ord. Minorum eligitur Archiepiſcopus Raguſinus a Martino IV. P. 115. 1. 2. ſuam Eccleſiam adit, 116. 1. auctoritatem Pontificis implorat ad bona Eccleſiæ recuperanda, *ibid.* in cauſſa Joannis Prodanelli Subdiaconi quid egerit, 116. 2. Stagnenſem & Tribunienſem Epiſcopos eligit, 117. 2. 293. 327. 2. 328. 1. ejus acta Raguſii foriſque, 118. jubetur a Nicolao IV. P. ut Patavinos cogat reſcindere leges quaſdam libertatem eccleſiaſticam lædentes. 118. 2. in Patavinos anathematis ſententiam inſtigit. 119. 2. obiit, 121. 1.
Bonifacius Epiſcopus Tribunienſis. 294. 2. ad Epiſcopatum Sibenicenſem translatus, *ibid.*
Bonifacius de Stephanis Epiſcopus Stagnenſis ex ordine S. Franciſci, 353. 2. monumenta quæ de illo exſtant, *ibid.* ejus expeditio in Turcicas regiones, *ibid.* ejus obitus & elogium. 354. 1. 2. alia ejus geſta ante & poſt Epiſcopatum. *ibid.*
Bonius de Tolentis electus a Canonicis Corcyrenſibus Epiſcopus Corcyrenſis & Stagnenſis. 380. 1. 2. rejicitur a Nicolao V. P. 381. 1. 2.
Borichius Banus Boſinæ a Raguſinis profligatus. 79. 2. Eccleſiam Melitenſem S. Pancratii Monachis Lacromenſibus confirmat. *ibid.*
Boſnenſis Eccleſia a Metropolita Raguſino tranſit ad Spalatenſem. 79. 82. 2. dein ad Colocenſem. 97. 98. 99.
Brenenſe Cœnobium Dominicanum erigitur. 259. 1.
Bucchius Epiſc. Catharenſis donationem ædiculæ S. Michaelis confirmat Eccleſiæ cathedrali, & ſententiam tulit ſecundum Abbatem S. Laurentii. 434. 2.

C

Calliſtus II. P. conſecrat & pallio donat Geraldum Archiep. Raguſinum. 60. quod Epiſcopis Dalmatiæ per litteras ſignificat. 62.
Calliſtus III. P. commendat Raguſinis bellum ſacrum in Turcas. 167. 1.
Carolus de Freddis, vel Julianus, Epiſcopus Stagnenſis ex ordine S. Dominici. 358. 1. 2.
Carolus II. Olantes Epiſcopus Stagnenſis ex ordine S. Dominici. 360. 1.
Carolus Borromæus Cardinalis ex mandato Pii IV. P. Epiſcopatum Tribunienſem & Mercanenſem confert Jacobo Luccaro. 306. 2. Benedictum Eremitam Camaldulenſem eligendum proponit Epiſcopum Corcyrenſem. 392. 1.
Carolus Francus Abbas S. Georgii Peraſti. 508. 1.
Caſtrum novum in Sinu Rhizonico adjudicatum diœceſi Catharenſi contra Epiſcopum Mercanenſem. 418. 1. 2. Parochum accipit ab Epiſcopo Catharenſi. *ibid.* Venetis ceſſit bello Peloponneſiaco. 419. 1. ædes ibidem S. Venerandæ celebris. 419. 2. nunc oppidum primarium diœceſis Rhizinienſis. 420. 2.
Catharenſe Statutum. 429. 1.
Catharenſe Capitulum. 428. 2. ejus decretum. 441. 2. Sodalitatem Beatiſs. Virginis & S. Tryphonis inſtituit. 454. 1. 2. quædam ſua conſtituta a Secundo Epiſcopo Catharenſi confirmanda curavit. 459. 1. 2. 460. 1. invitat Abbatem S. Georgii ad ſolemnia ſacra S. Tryphonis Cathari peragenda. 465. 2. 466. 1. decretum condit de ſuis privilegiis tuendis. 471. 2. 472. 1. de cœnobio S. Mariæ de Scopulo diſſidet cum Patribus S. Franciſci. 503. 1. 2.
Catharenſes veteri & inſigni religione S. Tryphonem colunt & venerantur. 427. 1. fœdus ineunt cum Almiſſanis. 434. 1. ſub poteſtate Regum Raſciæ. 435. 2. tributum gravius quam æquum erat, ſolvere renuunt Legato Apoſtolico. 435. 2. quid de Bizochis decreverint. 443. 1. cenſuris eccleſiaſticis, quas ob Sergium Epiſcopum expulſum incurrerant, abſoluti. 445. 2. eorum decreta de rebus eccleſiaſticis. 446. 1. diploma obtinent a Stephano Duſciano Rege Serbliæ in controverſia, quæ illis erat cum Daniele Patriarcha Serblorum. 449. 2. cœnobium Virginibus Franciſcanis fundandum curant. 451. 1. 2. a ſchiſmaticis in anguſtias acti, Romani Pontificis opem flagitant & impetrant. 452. 1. 2. a Ludovico Rege Hungariæ privilegiorum impetrant confirmationem. 453. 2. Boſinæ Regi ſubduntur. *ibid.* in libertatem ſe vindicant. *ibid.* quomodo colendus ſit dies feſtus S. Tryphonis, decernunt. 455. 1. de tributo ex teſtamentis perſolvendo eſſe eccleſiæ S. Tryphonis, & de recta adminiſtratione ejus bonorum, Catharenſium decreta. 455. 2. 456. 1. aliud decretum pro Cœnobio S. Claræ. 456. 2. Venetis ſe ſubjiciunt. 457. 1. Reliquias S. Tryphonis fruſtra petunt ab iiſdem. *ibid.* cultum S. Marci Evangeliſtæ augent in urbe. 458. 1. juris cudendæ monetæ confirmationem a Venetis obtinent. 458. 2. plura decreta condunt ad Eccleſiam pertinentia. 460. 2. 461. 1. 2. & ad cultum dierum feſtorum. 462. 2. 463. 2. de ſchiſmaticis agri Catharenſis litteras accipiunt a Duce Venetiarum. 465. 1. terræmotu exterriti a Pio IV. P. abſolutionem peccatorum petunt & impetrant. 490. 1. Cœnobium S. Claræ dant Patribus Franciſcanis. 494. 2. Abbatem S. Georgii de Scopulo nominant. 499. 1. 2. litigant cum Peraſtinis de jure patronatus S. Mariæ de Scalpello & Abbatiæ S. Georgii. 503. 1.
Catharenſes tres Martyres, iidemque fratres, Raguſium translati. 430. 2. 431. 1. 2.
Catharenſes Ediſcopi, olim Aſcrivienſes. 421. a Ferdinando Ughello in catalogum redacti. 427. 2. a Flaminio Cornelio illuſtrati. *ibid.* recenſentur. 429. 2.
Catharenſes Presbyteri ob eorum zelum laudati a Clemente VIII. P. 497. 1.
Catharenſia Cœnobia virorum & mulierum. 429. 1.
Catharenſis Epiſcopatus initia ſunt ignota. 427. 2.
Catharenſis Eccleſia a Metropolita Raguſino tranſit ad Barienſem. 82. 1. commendata iterum Raguſino. 127. 1. ex aliis ad alios Metropolias migravit, nunc Barienſi ſubeſt. 427. 2. 430. 1. 432. 2. 434. 2.
Catharenſis Ædes cathedralis, & Divorum Reliquiæ ibi aſſervatæ. 428. 1. 2.
Catharenſis ædes S. Crucis, & Divorum Reliquiæ ibi aſſervatæ. 428. 2.

Ca-

Digitized by Google

Cathar nſis ſive Aſcrivienſis Epiſcopus primus anonymus. 430. 1. item ſecundus, qui naufragio periit, 432. 1.
Catharenſis Sinus, olim Rhizonicus, deſcribitur. 421. 1.
Catharum ubi poſitum. 421. 1. ab Aſcrivienſibus & Boſinenſibus conditum. 421. 2. cur Catharum dicta ſit urbs? 422. 1. 430. 1. primum Imperatoribus Conſtantinopolitanis, deinde Regibus Serblorum, poſtea Hungaris & Boſinenſibus, demum Venetis ſubjectum, 422. 2. 435. 1. 453. 1. 457. 1. ab Ænobarbo obſeſſum. 489. 1. a terræmotu pœne dirutum. 490. 1. a Turcis iterum obſeſſum, 506. 1. iterum & tertio terræmotu concuſſum, *ibid.* 514. 1.
Celleſiæ familiæ Piſtorienſis nobilitas. 261. 2.
Centiberius Epiſcopus Catharenſis. 441. 1. ad eum litteræ proferuntur Innocentii P. IV. contra Epiſcopum Arbanenſem, *ibid.*
Cercuri, genus navium Corcyrenſium, 366. 1.
Chelmenſes Dynaſtæ fere omnes vel hæretici vel ſchiſmatici, 327. 2.
Chriſtophorus Archiepiſcopus Raguſinus, incertum quo anno, 121. 1.
Chryſoſtomus Calvinus Archiepiſcopus Raguſinus ex Abbate Benedictino Melitenſi. 242. 1. antequam eſſet Archiepiſcopus, Concilio Tridentino interfuit. 242. 2. eligitur Archiepiſcopus. 243. 1. ejus virtutes & præclare facta. 243. 2. nimiæ lenitatis & indulgentiæ falſo accuſatus. 244. 1. de abdicando pontificatu cogitat, 244. 2. pie moritur. *ibid.* cum viris ſummis amicitia junctus. 245. 1. ejus laudes oratione funebri expoſuit Franciſcus Serdonatus, *ibid.*
Chryſoſtomus Antichius Epiſcopus Tribunienſis & Mercanenſis ex Monacho S. Benedicti, 309. 2. ſeriem rerum & Epiſcoporum Eccleſiæ ſuæ ſcriptis mandavit. 310. 1. 2. quæ ipſe fecit, deſcripſit. 310. 2. diœceſim luſtravit. *ibid.* de ſtatu Eccleſiæ ſuæ Sacram Congregationem certiorem facit. 311. 1. diploma obtinet pro ſua Eccleſia ab Oſmano Imperatore Turcarum. 311. 2. cum Raguſino & Stagnenſi Antiſtitibus de poſſeſſione quarumdam Eccleſiarum contendit. 312. 1. & de Eccleſia Stephanenſi cum Dominico Andreaſio Epiſcopo Scodrenſi. 313. 1. cauſam obtinet adverſus eumdem. *ibid.* quod Thomas II. Epiſcopus de Collegio Clericorum inſtituendo mandaverat, ut perficeretur, contendit, 313. 2. 314. 1. iterum notitiam Eccleſiæ ſuæ exhibet Sacræ Congregationi. 314. 2. obiit. *ibid.*
Chryſoſtomus Ragnina Epiſcopus Stagnenſis ex ordine S. Benedicti. 355. 2. ad quem litteras mittit Gregorius XIII. P. *ibid.* obiit. *ibid.*
Claudius Ptolemæus Epiſcopus Corcyrenſis. 389. 1. ejus munera atque itinera. *ibid.* legatus in Galliam pro Republica Senenſi. 389. 2. ejus obitus. *ibid.* & ejus ſcripta. 390. 1.
Clemens III. P. reſtituit Eccleſias a Metropolita Raguſino avulſas, datis ad eum litteris. 82. commendat per litteras Raguſinis Bernardum Archiep. Raguſinum. 83. 1.
Clemens IV. P. Patribus Dominicanis aſſenſus eſt, ut domum quamdam ſibi legatam vendant. 110. 1. Aleardum Archiepiſcopum Raguſinum ad Eccleſiam Arborenſem transfert. 110. 2.
Clemens VI. P. Joannem III. eligit Epiſcopum Tribunienſem, datis ad eum litteris. 294. 2. facultatem facit Fratribus S. Franciſci duo cœnobia erigendi, unum Stagni, alterum in dioceſi Quinqueccleſienſi. 332. 2. eligit Duinum Epiſcopum Rhizinienſem, eique & Archiepiſcopo Raguſino de electione dat litteras. 414. 1. 2. donationem Cœnobii Catharenſis S. Nicolai confirmat Fratribus S. Dominici. 447. 1. Adamum & Domnium II. præficit Eccleſiæ Catharenſi, 448. 1. 2.
Clemens VII. P. Congregationem Melitenſem ordinis S. Benedicti ſuis litteris approbat. 74. 2. 221. 2. Raguſinis poteſtatem confirmat exercendæ cum Turcis mercaturæ armaque ipſis deferendi, 221. 1. Philippo Archiepiſcopo Raguſino injuria a quodam Presbytero affecto ſatisfaciendum curat. 222. 2. Franciſcum III. Epiſcopum Tribunienſem & Mercanenſem eligit. 304. 2. tres dedit eidem epiſtolas de ejus electione & conſecratione. 304. 2. 305. 1. 2. Lucam Biſantium adjutorem & ſucceſſorem Tryphoni Epiſcopo Catharenſi deſignat. 486. 2. Capituli Catharenſis inopiæ ſubvenit. 506. 1.
Clemens VIII. P. ſodalitatem Presbyterorum confirmat ſub nomine S. Petri in Cathedra Raguſii inſtitutam. 142. precibus annuit Miſſionariorum Illyricorum. 257. 1. zelum laudat Cleri Catharenſis & Raguſienſis. 497. 1. Lectiones officii S. Tryphonis recitandas Catharenſibus concedit. 497. 2.
Clemens IX. P. aurum & argentum eccleſiarum Raguſienſium alienandum concedit pro iiſdem reædificandis. 264. 2.
Clemens XI. P. ædem S. Venerandæ Caſtri novi in Sinu Rhizonico indulgentiis locupletat. 419. 2. Hyacinthum Zenobettum eligit Epiſcopum Catharenſem, datis ad eum litteris. 513. 2.
Cœleſtini Canonici S. Georgii in Alga obtinent templum & cœnobium S. Mariæ de Gratiis in inſula Sinus Catharenſis. 478. 2. litem intendunt FF. Franciſcanis, qui illud occupaverant. 479. 2. 480. 1. recuperant e ſententia Vicarii Petri Epiſcopi Catharenſis, quam confirmandam curant ab Alexandro VI. P. 480. 1. 2. injuriis vexantur a Franciſcanis. 481. 1. ideoque coacti cœnobium tradunt Patribus Dominicanis. 482. 1. recuperant. 485. 1. eorum diſcordiam ſedat Tryphon Epiſc. Catharenſis & cœnobium viſitat. 485. 1. 2.
Cœnobia utriſque ſexus in Raguſii ditione. 28. 2. 29. 30. 1. monialium ad duo redacta poſt terræmotum. 265. 1. 2.
Conceptus Deiparæ dies feſtus a Raguſienſibus decretus. 157. 2.
Concilium Baſileenſe generale concedit Raguſinis privilegium navigantibus in Terram ſanctam. 159. 1. 2.
Concilium provinciale Diocleenſe. 435. 2.
Conjuratio in Rempublicam Raguſinam. 109. & altera detecta. 148. 1.
Conſtantinus Epiſcopus Tribunienſis. 290. 1. pacem compoſuit inter Raguſinos & Borichium Banum Boſinæ. *ibid.*
Conſtantinus Epiſcopus Rhizinienſis, adjutor Joannis IV. Epiſcopi Zagrabienſis. 415. 2.
Corcyræ inſulæ dimenſio & poſitio. 363. 1. Melæna ſeu Nigra cognominata. *ibid.* *Karkar* Phœnicio vocabulo forte appellata. 363. 2. ab Antenore urbs ejuſdem nominis condita.

Digitized by Google

ta. 363. 1. 2. ejus coloni. 364. 1. veteres Corcyræ domini. *ibid.* Romanis ſubjecta. *ibid.* ſub Venetorum imperium tranſit. 364. 2. inde ſub Comitibus Chelmenſibus, 365. 1. iterum ſub Venetis, qui eam Georgiorum familiæ jure fiduciario tradunt. *ibid.* poſt varios dominos, demum rediit ad Venetos. 365. 2. 371. 2. 374. 376. 2. ab Hungaris occupata. 371. 2. 372. 1. proventus ejus copioſi e vino & ſylvis. 365. 2. fodinæ marmoreæ & portus. 366. 1. habitatoribus frequentata. 366. 1. 2. a Turcis fruſtra oppugnata. 393. 1.

Corcyræ urbis poſitio & deſcriptio. 366. 1. cur Corcula appellata? *ibid.* e tribus incolarum ordinibus conſtat. *ibid.* ei præeſt Venetus magiſtratus. 366. 2.

Corcyrenſes quibus dominis ſubjecti. 364. 1. a Romanis debellati. *ibid.* a Gothis ſubacti. 364. 2. & a Venetis. *ibid.* imperium ſubeunt Comitum Chelmenſium. 365. 1. ſe Venetis dedunt, qui Georgiorum familiæ inſulam jure fiduciario tradunt. *ibid.* poſt varios dominos, demum redeunt ad Venetos. 365. 2. 374. 1. 2. 376. 1. 2. eorum ingenium. 366. 2. Chriſtianæ Religionis exordia apud Corcyrenſes. *ibid.* primum ad Salonitanam, deinde ad Macarenſem & Pharienſem diœceſim pertinuerunt. 367. 1. 2. Epiſcopum proprium obtinent. 367. 2. 369. 370. 1. ut ſibi Epiſcopus non detur Raguſienſis, orant Senatum Venetum. 376. 2. inſignem de Neapolitanis referunt victoriam. 386. 2. & de Turcis. 393. 1. 2. diem decimam quintam Auguſti, illius de Turcis victoriæ anniverſariam, concelebrant. 394. 1. ſpolia hoſtium in æde Cathedrali affigunt. 394. 1. ab Aloyſio Mocenico Duce Venetiarum collaudati. 394. 2.

Corcyrenſes Epiſcopi recenſentur cum Stagnenſibus. 324. 1. 363. 368. 2.

Corcyrenſes Canonici eligunt Epiſcopum Corcyrenſem Boninum de Tolentis, deque electione certiorem faciunt Nicolaum V. P. 380. 2. iterum eligunt Lucam de Tolentis 382. 1. jus eligendi Canonicos amittunt. 386. 1.

Corcyrenſes Ædes ſacræ urbanæ & extra urbem. 368. 1. 2. ædes Cathedralis titulo S. Marci conſecrata. 368. 1.

Corcyrenſes Inſcriptiones. 364. 1. 2. Carceres, ubi Chriſtiani includi ſolebant. 366. 2. 367. 1.

Corcyrenſis Epiſcopatus initia. 328. 2. 367. 2. 369. 370. 1. ejus diœceſis, & Capitulum. 367. 2. disjungitur a Stagnenſi. 388. 2.

Corcyrenſis peſtilentia. 395. 1.

Corcyrenſis cœli temperies & ſoli natura. 365. 2.

Coſmas Leſſius Vicarius Joannis Epiſcopi Corcyrenſis queritur cum Locumtenente Archiepiſcopi Spalatenſis de violata ſui Epiſcopi juriſdictione. 407. 2.

D

Dalmatia in Italia comprehenſa ſtylo Curiæ Romanæ. 512. 2.

Damianus Juda conjurat in Rempublicam Raguſinam. 109.

Daniel Delphinus Proviſor generalis Dalmatiæ ſcribit ad Aloyſium Marcellum Proviſorem Cathari, ut Calogerorum & Patriarchæ Pechienſis conatus reprimat. 510. 1.

Deodatus Epiſcopus Catharenſis ædem S. Georgii conſecrat. 439. 2.

Deſſa, ſive Ulias Epiſcopus Mercanenſis ex ordine S. Franciſci. 295. 1. ejus obitus & de ejuſdem bonis controverſia. 295. 1. 2.

Dioclea quando exciſa. 24. 2. 25. 1. 38. 2.

Dionyſius Stephani Epiſcopus Roſſenſis ſeu Rhizinienſis ex ordine Carmelitarum. 416. 1. adjutor Joannis Epiſcopi Leodienſis. *ibid.* ejus epitaphium. *ibid.*

Dominicanæ inſtitutæ Raguſii ineunte ſæculo XVIII. 265. 2.

Dominicanæ obtinent Cathari cœnobium S. Pauli. 486. 1.

Dominicanæ tertii Ordinis Raguſii obtinent ſacellum S. Jacobi. 125. 2. excedere coactæ cauſam obtinent. 258. 1. 2. Stagni domicilium impetrant a Thoma II. Epiſcopo Stagnenſi. 352. 1. 2.

Dominicani Patres Raguſium excepti. 95. 2. domo donati a Jacobiza Raguſienſi, eam ut vendere poſſint, impetrant a Pontifice Clemente IV. 110. 1. & ædibus Priſcovienſibus ab Henzio de Bibanis donantur. 117. 2. 442. 2. 443. 1. Baſilicam ædificant Raguſii. 122. 1. 2. Provinciam Dalmatiæ ſui Ordinis inſtituunt. 139. 2. Gravoſæ cœnobium extruunt. 157. 2. ab Italis ſejuncti. 187. 2. 188. 1. opem Sixti IV. P. implorant contra quoſdam nobiles ſibi injurios. 188. 2. cœnobium in inſula Media ſibi ædificant. 189. 1. ab Alexandro VI. P. petunt, ut ſibi reſtitui jubeat ſupellectilem Epiſcopi Tribunienſis. 194. 2. auxilium Pauli III. P. implorant in controverſia cum Laurentio de Lucaris. 223. 2. diploma obtinent a Sixto V. P. pro ſua Bibliotheca. 256. 1. 2. Brenenſe cœnobium ædificant. 259. 1. ab Urbano VIII. P. Philippo Hiſpaniarum Regi commendantur. 260. 2. templum & domicilium in Valle Nucis recipiunt. 267. 1. cum Andrea V. Archiepiſcopo Raguſino litem habent. 270. 1. Catharum excepti & cœnobio Paullino donati. 441. 2. aliud amplius cœnobium S. Nicolai obtinent. 446. 2. 447. 1. 2. & templum ac cœnobium S. Mariæ de Gratiis in inſula parva Sinus Catharenſis dono obtinent a Canonicis Cæleſtinis. 482. 1. 2. ſed a Tryphone Epiſcopo Catharenſi & Leone X. P. ſpoliantur. 483. 484. 1. 2. cœnobium ſuburbanum S. Nicolai dimittere bello coguntur. 488. eorum viciſſitudines & præſens ſtatus in urbe Cathari. *ibid.*

Dominicus Venetus Archiepiſc. Raguſinus pallio donatus a Paſchali II. P. 60. 1.

Dominicus de Grancove Epiſcopus Tribunienſis & Mercanenſis ex ordine S. Dominici. 277. 1. obiit. 297. 2.

Dominicus Andreaſius fide ſua Scodrenſi expulſus, titulum ſumit Stephanenſis Epiſcopi. 312. 1. 2. in controverſia de eodem Stephanenſi Epiſcopatu cum Epiſcopis Macarenſi & Tribunienſi, cauſa cecidit, & damnatus fuit. 313. 1.

Dominicus Tobia, Epiſcopus Stagnenſis & Corcyrenſis. 332. 2. 371. 2. ambit Archiepiſcopatum Raguſinum. 135. 1. 2. 332. 2.

Dominicus Abbas S. Georgii Catharenſis ſuam fidem atque obedientiam obſtringit Epiſcopo Catharenſi. 444. 1.

Domnius vel Duimus Epiſcopus Rhizinienſis ex ordine S. Franciſci. 414. 1. epiſtolam ſuæ electionis accipit a Clemente VI. P. *ibid.*

Digitized by Google

translatus ad Catharenſem Eccleſiam adminiſtrationem Rhizinienſis retinuiſſe videtur. 415. 1. 443. 2. Romam adiit. 451. 1. juſſus ab Urbano V. P. Virginibus Franciſcanis cœnobium ac templum attribuit Cathari. 451. 1. 2. altare S. Tryphonis conſecrat in æde cathedrali. 451. 2. & templum S. Lucæ. 452. 1. obiit. 452. 2.

Domnius Epiſcopus Catharenſis donationem ſacelli Mariani factam Dominicanis Raguſinis confirmat. 442. 2. 443. 1. ejus paupertas. 443. 2.

Donatus Georgius Epiſcopus Tribunienſis & Mercanenſis ex ordine S. Dominici. 300. 1. ejus elogium & obitus. 300. 1. 2.

Donatus Epiſcopus Zachlumienſis ſive Stagnenſis in exilium ejicitur. 326. 2. ejus obitus & ſepulcrum. 327. 1.

E

Effigies Jeſu Chriſti thaumaturgica in æde PP. Franciſcanorum Raguſii aſſervata. 123. 2. 520. 2.

Elias Saracus, Archiep. Raguſinus electus a Benedicto XII. P. reſciſſa electione Capituli Raguſienſis. 126. 1. 2. ejus laus & acta. 127. 1. Eccleſiam S. Stephani Lukæ in inſula Jupana conſecrat. 520. 1. quæ dederit præclara monita Raguſinis. 133. 1. diplomatibus Regis Hungariæ ſubſcribit. 133. 2. Archiepiſcopatum abdicat. 134. 1.

Epidaurenſes Epiſcopi. 1. recenſentur. 6. 1.

Epidaurenſes, exciſa patria, hac illac fugiunt. 6. Raguſium ædificant. 7.

Epidaurus triplex. 1. 1.

Epidaurus Dalmatica. 1. ejus antiquitas & monumenta Romana. 1. 2. 3. ſeptimo ſæculo exciſa. 3. 1. 6. 1. civitas Epiſcopalis provinciæ Salonitanæ. *ibid.*

Epiſcopi Suffraganei Metropolis Raguſinæ. 286.

Eugenius III. litteras dat Andreæ II. Archiep. Raguſino. 64. 2.

Eugenius IV. P. novum exſtruendum Raguſii cœnobium PP. Dominicanis concedit. 158. 1. bona quædam Fratribus Minoribus inſulæ Daxæ legata, adminiſtranda præcipit a Præfectis ærarii Raguſinis. 162. 1. ut adminiſtrationem poſſeſſionum monachalium in Raguſina ditione laicis committendam curet, jubet Abbati Lacromenſi. 162. 2. 163. 1. mandat Epiſcopo Stanenſi, ſive Stagnenſi, ut duo Virginum collegia uniat in Urbinate diœceſi. 345. 2.

F

Fabius Tempeſtivus Archiepiſcopus Raguſinus. 257. 2. Synodum convocat & typis edit. *ibid.* Presbyteros Societatis Jeſu Raguſium accivit. 258. 1. obiit. 259. 2.

Fabricianus Epiſcopus Epidauri Synodum provincialem approbavit anno 530. 4. 1.

Ferdinandus Ughellus ſeriem Epiſcoporum Catharenſium contexuit. 427. 2.

Flaminius Cornelius ſeriem Epiſcoporum Catharenſium erudite contexuit. 427. 2.

Florentini per Bajazethem Imperatorem Turcarum petunt a Raguſinis Brachium S. Joannis Baptiſtæ. 191 2.

Florentius Epiſcopus Epidauri a Natali Metropolita Salonitano exilio multatus. 4. 1. ejus cauſa ut rite judicetur, jubet Gregorius Magnus P. 4. 2. 5.

Florius, Canonicus Cæleſtinus, templum S. Mariæ de Gratia in inſula Sinus Catharenſis donat Fratribus S. Franciſci. 479. 1. 2.

Franciſca fœmina Raguſina illuſtris ſepulcrum poſuit Romæ Nicolao Epiſcopo Modruſſenſi conſobrino. 173. 1. 2.

Franciſcani Inſtituti laus. 154. 2.

Franciſcani Patres Raguſium excepti. 96. 1. intra mœnia recipiuntur. 123. 2. in inſulam Stagni monachis Baſilianis ſubſtituuntur. 131. 2. 332. 2. novum cœnobium Daxæ ædificant. 140. 1. & alterum in territorio Omblæ, alterum in valle Slani. 146. 2. unum & alterum in valle Canalii. 157. 2. Raguſini a Dalmatis diviſi. 188. 2. duo cœnobia ſibi ædificant, alterum in inſula Media, alterum in veteri Epidauro. 188. 2. 189. 1. de parœciis Stagnenſibus ſibi traditis evulgant apologiam. 335. 1. 2. Eccleſiam ſuburbanam Catharenſem S. Nicolai dono accipiunt. 449. 1. accipiunt a Commune Catharenſium templum S. Mariæ de Gratiis in inſula Sinus Catharenſis, expulſis Canonicis Cæleſtinis. 479. 1. & a P. Florio Canonico Cæleſtino donationis nomine. *ibid.* donationem approbandam curant a Sixto IV. P. 479. 2. in poſſeſſione conſervantur a Joanne Mocenigo Duce Venetorum. 480. 1. ejecti e ſententia Vicarii Petri Epiſcopi Catharenſis. *ibid.* injuriis vexant Cæleſtinos. 481. 1. ſententiam obtinent a Tryphone Epiſcopo Catharenſi contra Dominicanos, qui illud dono acceperant a Cæleſtinis. 483. 1. quam ſententiam confirmat Leo X. P. 483. 2. 484. 1. 2. ſed fruſtra, redeuntibus in cœnobium Cæleſtinis. 485. 1. Cœnobium S. Claræ obtinent a Catharenſibus. 494. 2. id quod Gregorius XIII. P. confirmat. 495. 1. Cœnobium S. Mariæ de Gratiis retinent, fruſtra adverſante Clero Catharenſi. 503. 1. 2.

S. Franciſcus Raguſium venit. 96. 1. ejus miraculum in inſula Jupana. 519. 2.

Franciſcus Capius, ſive Lapius, Archiepiſcopus Raguſinus ex ordine Servorum B. Mariæ Virginis. 168. 2. Monaſterium Lacromenſe reformat juſſu Pii II. P. 169. 1. 2. quando obierit. 172. 2. ejus elogium. 173. 1.

Franciſcus II. Capiteus, ſive de Capitibus, Archiepiſcopus Raguſinus. 173. 2.

Franciſcus III. Perottus, Archiepiſcopus Raguſinus. 262. 2. jus viſitandi Eccleſias Juncheti male ſibi arrogat. 263. 1. Romæ obiit. *ibid.*

Franciſcus Epiſcopus Tribunienſis ordinis S. Franciſci. 295. 1.

Franciſcus II. de Orello Epiſcopus Tribunienſis ex ordine Conventualium S. Franciſci. 304. 2. dictus etiam Dominicus de Ocello. *ibid.*

Franciſcus III. de Puteo Epiſcopus Tribunienſis & Mercanenſis ex ord. S. Dominici, a Clemente VII. P. electus. 304. 2. tres ab eodem recepit epiſtolas. 304. 2. 305. 1. 2.

Franciſcus Epiſcopus Mercanenſis idem ac Jacobus II. 306. 1. 307. 1.

Franciſcus Hieronymus Bona Epiſcopus Mercanenſis & Tribunienſis ex Canonico Raguſino. 316. 2. ut proventus Epiſcopatus augeantur, fruſtra curat. *ibid.* ad Patriarchatum Conſtantinop[illegible]n transfertur. 317. 1. obiit.

Digitized by Google

obiit, *ibid.*
Franciſcus Epiſcopus Stagnenſis & Corcyrenſis, 336. 1. 373. 2, ad Scardonitanam Eccleſiam translatus, *ibid.*
Franciſcus II. de Volantis Epiſcopus Stagnenſis. 361. 2. Synodum coegit, & obiit. *ibid.*
Franciſcus III. Sorgo Epiſcopus Stagnenſis ex ordine S. Franciſci. 362, 2. adhuc vivit, *ibid.*
Franciſcus II. Manola Epiſcopus Corcyrenſis ex Archidiacono Spalatenſi. 402. 1. cultor eccleſiaſticæ diſciplinæ diligentiſſimus. *ibid.* palatium epiſcopale auxit & ornavit. 402. 2.
Franciſcus de Pavonibus Epiſcopus Catharenſis. 458. 1, ad Eccleſiam Argolicenſem translatus. 458. 2.
Franciſcus II. Zapanus Epiſcopus Catharenſis ex ordine Conventualium. 496. 1, ejus obitus, 497. 1.
Franciſcus III. Parcichius Epiſcopus Catharenſis ex ordine S. Dominici. 513. 1. ejus litteræ pro P. Philippo Riceputo Societatis Jeſu Presbytero, *ibid.*
Franciſcus Petrus Raccamarichius Epiſcopus Catharenſis. 518. 2. vivit. *ibid.*
Franciſcus Foſcari Dux Venetiarum jubet reddi bona Eccleſiæ S. Joannis in villa Lombardæ inſulæ Corcyræ. 377. 1. Tryphonio Abbati S. Georgii Catharenſis litteras concedit pro recuperandis bonis monaſterii. 463. 1. pacem init cum Duce Montis nigri. 463. 2. de ſchiſmaticis Catharenſis agri quid ſit agendum ſcribit Catharenſibus. 465. 1. ſchiſmaticos Catharenſes coercendos jubet per litteras ad Comitem Cathari, 467. 1.
Franciſcus Barbarus Canonicos cœnobii S. Spiritus Venetiarum commendat Franciſco Condulmerio Cardinali. 379. 1.
Franciſcus Serdonatus Raguſienſes bene de Catholica Religione meritos laudat. 22. 23. 1.

G

Gabriel Epiſcopus Zachlumienſis ſive Stagnenſis, primus, cujus nomen ſit cognitum, 326. 1.
Gaddus ex ordine S. Dominici Epiſcopus Stagnenſis & Corcyrenſis. 330. 1. 371. 1. translatus ad Eccleſiam Corcyræ in Jonio mari inſulæ. *ibid.*
Gauſſonus Archiepiſcopus Raguſinus. 83. 2.
Georgiorum familia Veneta patritia Corcyram poſſidet jure fiduciario. 365. 1. 2. Corcyra decedere juſſi, caſtellum *Zumelle* in agro Tarviſino pro illa obtinent. 376. 2.
Georgius Epiſcopus Tribunienſis & Mercanenſis ex ordine S. Franciſci electus ab Alexandro VI. P. 300. 2, Epiſcopus tantum Tribunienſis fuit. *ibid.*
Georgius II. a Cruce Epiſcopus Tribunienſis & Mercanenſis ex Cœnobiarcha Piliſrenſi. 301. 1. ejus teſtamentum. *ibid.* primum Epiſcopus ſolum Mercanenſis, dein & Tribunienſis. 301. 2. ab Alexandro VI. P. facultatem obtinet faciendi teſtamenti, 302. 1. obiit. *ibid.*
Georgius Epiſcopus Rhizinienſis, adjutor Joannis IV. Epiſcopi Zagrabienſis. 415. 2.
Georgius Rex Serbliæ villam & eccleſiam S. Martini Monachis Lacromenſibus adjudicat, 59. 2. 60. 1.
Georgius Straſcimeri de Balſis, Corcyræ dominus. 374. 1. 2.
Georgius Deſpota Raſciæ ne moleſtus ſit Epiſcopo Catharenſi, a Franciſco Foſcari Duce Venetiarum admonetur. 458. 1. 2.
Georgius Dragefich ex ordine S. Franciſci Raguſium defert Brachium S. Joannis Baptiſtæ, 191. 2.
Geraldus Archiep. Raguſinus conſecratur & pallio donatur a Calliſto II. P. 60. & ab eodem commendatur Epiſcopis Dalmatiæ. 62, falſo ſede depulſus dicitur a Seraphino Razzio. 63. 1.
Gerdo Judex villam & eccleſiam S. Martini judicat pertinere Monachis Lacromenſibus. 59. 2.
B. Gratia Catharenſis ex ordine S. Auguſtini, 475. 1. ejus Vita notis illuſtrata. 475. 2, 476. 1. 2. ejus miracula. 477. 1. duplex ejus corporis translatio. 477. 2. 478. 1.
Gratia Epiſcopus Olchinienſis eligitur a Capitulo Archiepiſcopus Raguſinus, ſed rejicitur a Benedicto XII. P. 126. 1.
S. Gregorius Magnus P. ſcribit ad Natalem Archiep. Salonitanum, ut cauſa Florentii Epiſc. Epidauri rite cognoſcatur. 4. 2. & de eodem ad Antoninum Apocriſiarium, & ad Sabinianum Epiſc. Jadrenſem. 4. 2, & 5. 1. binas mittit epiſtolas ad Sebaſtianum Epiſcopum Rhizinienſem. 411. 2. 412. 1. Epiſcopos Dalmatiæ ſuperioris commendat Epiſcopis Illyrici Orientalis. 412. 2. 413. 1.
Gregorius VII. P. ſcribit ad Raguſienſes de Vitali II. eorum Epiſcopo rite judicando. 55, & ad Michaelem Regem Serblorum de vexillo eidem, & de pallio Petro Archiep. Raguſino mittendo. 57.
Gregorius IX. P. confirmat jura metropolitica Arrengerii Archiep. Raguſini. 96. 1.
Gregorius X. P. rejicit translationem Salvii Epiſcopi Tribunienſis ad Eccleſiam Juvenacienſem. 291. 2.
Gregorius XI. P. duo privilegia Raguſinis conceſſit, 138. 1.
Gregorius XII. P. Abbatem S. Georgii de Gulpho eligit Auguſtinum de Eſculo. 454. 1.
Gregorius XIII. P. Chryſoſtomo Epiſcopo Stagnenſi ſcribit. 355. 2. poſſeſſionem cœnobii Catharenſis S. Claræ Patribus Franciſcanis confirmat. 495. 1.
Gregorius XV. P. Raguſienſes meritis laudibus afficit, 260. 1.
Gregorius Lazari Archiepiſcopus Raguſinus ex Præſide Congregationis Melitenſis Benedictinæ. 281. 2. confirmatus Præſes Melitenſis a Pio VI. P. per litteras. 282. 1. fit Archiepiſcopus. 282. 2. jubetur ab eodem Pontifice retinere præfecturam Melitenſem. 283. 1. ut eſſet novitiorum ejuſdem Congregationis moderator, ab eodem impetrat. 283. 2. Jupanam inſulam luſtrat, & auctoritate apoſtolica abſolvit. 284. 1. obit, 284. 2.
Gregorius Abbas Lacromenſis, ut adminiſtratio poſſeſſionum monachalium in Raguſina ditione laicis committatur, jubetur ab Eugenio IV. P. 163. 1. 2.
Grimaldus Epiſcopus Catharenſis, 433. 1.

H

Helena Stephani Uroſcii Serbliæ regis uxor fundat cœnobium Catharenſe S. Franciſci. 440. 2.
Henzius de Bibanis ædes Priſcovienſes donat PP. Do-

Dominicanis Raguſienſibus. 117. 2.
Henricus de Tolvis aut Tolnis Epiſcopus Rhizinienſis ex ordine Carmelitarum, 415. 2.
Hieronymus Barnitius Archiepiſcopus Raguſinus. 183. 1.
Hieronymus II. Matthæuccius Archiepiſcopus Raguſinus. 252. 2. dimiſſus a Senatu Raguſienſi Romam rediit. 253. 1. translatus ad ſedem Sarnenſem, deinde ad Viterbienſem. *ibid.* ejus mors & ſepulcrum Viterbii, *ibid.*
Hieronymus de Andreis Epiſcopus Corcyrenſis, 402. 2. de Sacramento Pœnitentiæ rite adminiſtrando ejus præcepta & decreta. *ibid.* ritus eccleſiaſticos ipſe ſervavit & ſervari voluit. 403. 1. Tragurii obiit. *ibid.*
Hieronymus Buccia Epiſcopus Catharenſis ex Abbate S. Nicolai in portu Sibenicenſi. 497. 1. ut Lectiones in Officio S. Tryphonis recitentur, a Clemente VIII. P. obtinet. 497. 2. a Michaele Priolo Viſitatore Apoſtolico in Dalmatia litteras accipit, 498. 1. obiit. *ibid.*
Hieronymus II. Ruſca Epiſcopus Catharenſis ex ordine S. Dominici. 501. 2. ad Eccleſiam Juſtinopolitanam transfertur. 502. 1.
S. Hilarionis adventus ad urbem Epidauri, & miracula, 3. 2. 4. 1.
Honorius III. P. jubet Capitulo Raguſino, ut Archiepiſcopum eligat. 92. 1.
Honorius IV. P. ſcribit ad Bonaventuram Archiepiſcopum Raguſinum, ut Epiſcopos Stagnenſem & Tribunienſem eligat. 293. 1. 327. 2.
Hugo Cigala e Monacho Caſſinenſi Archiepiſcopus Raguſinus. 135. 1. ejus geſta, 136. 1. & ab Archiepiſcopatu abdicatio. 136. 2. objurgatur ab Urbano V. P. ob hæreticorum tolerantiam. 137. 1.
Hyacinthus Milcovichius ordinis S. Dominici Archiepiſcopus Raguſinus ex Epiſcopo Stagnenſi. 280. 1. 361. 2. ejus geſta & virtutes. *ibid.* obitus & elogium. 280. 2.
Hyacinthus de Paſſatis Epiſcopus Stagnenſis ex ordine S. Dominici. 359. 1. ejus elogium, *ibid.*
Hyacinthus II. Tuartkovichius Epiſcopus Stagnenſis ex ordine S. Franciſci. 360. 1.
Hyacinthus Zenobettus Epiſcopus Catharenſis ex ordine S. Dominici, a Clemente XI. P. electus per litteras eidem datas. 513. 2. ejus egregiæ virtutes. 514. 1. ne Presbyteri extranei parœcias habeant, & ne Græci Epiſcopi Græcas Eccleſias inviſant in Venetis provinciis, ab Senatu Veneto obtinet. 514. 1. 2. ejus obitus, ſepulcrum, & teſtamentum. 515. 1. 2. teſtimonium præbet honorificum Stephano de Oleo, qui eidem in Epiſcopatu ſucceſſit. 516. 2. 517. 1. 2.

I

Jacobus Archiep. Raguſinus ex ordine S. Franciſci. 105. 1.
Jacobus II. Venereus Archiepiſcopus Raguſinus. 160. 2. Perufiæ Gubernator & Rector Patrimonii S. Petri. 164. 1. ob Peklinenſem Abbatiam ſibi denegatam iratus Raguſio diſceſſit. 166. 1. Legatus pontificiæ claſſi præficitur, & jubetur a Nicolao V. P. Conſtantinopoli obſeſſæ a Turcis opem ferre. *ibid.* iterum a Calliſto III. P. 167. 1. obiit Romæ. 167. 2.
Jacobus de Amalphi ordinis Capuccinorum Archiepiſcopatum Raguſinum adminiſtrat. 242. 1.
Jacobus Norvegius Epiſc. Tribunienſis & Mercanenſis. 296. 1. ejus opera manu ſcripta. 296. 2.
Jacobus II. Luccarus Epiſcopus Tribunienſis & Mercanenſis ex ordine S. Franciſci. 306. 2. a Maphæo Epiſcopo Theatino conſecratus. *ibid.* obiit. 307. 1. perperam dictus Franciſcus. *ibid.*
Jacobus Faganeus Epiſcopus Corcyrenſis ex ordine S. Hieronymi. 400. 2. ad conciones quadrageſimales habendas expetitur fruſtra a Corcyrenſibus. 401. 1. fit Epiſcopus ab Urbano VIII. P. *ibid.* præclara ejus acta, decreta & inſtituta. *ibid.* pauperrimus obiit. 401. 2.
Jacobus Pamphilius Epiſcopus Catharenſis. 502. 2.
Jacobus Sabellus Cardinalis Epiſcopatum Tribunienſem & Mercanenſem conferendum curat Simeoni Menti. 307. 2. jus adeundi ad ſedem Catharenſem dimittit. 494. 1.
Jacobus Luccarus Hiſtoriam Raguſienſem ſcripſit. 33. 2.
Ignatii Georgii opinio de origine monaſterii Lacromenſis rejicitur. 45. 1. Commentarium de Congregatione Melitenſi Benedictina. 66. *& ſeq.* deſcriptio inſulæ Melitenſis. 76. 2. *& ſeq.*
Innocentius II. P. jus metropoliticum Andreæ II. Archiep. Raguſino confirmat. 63. 2.
Innocentius III. P. Archiepiſcopum, Epiſcopos, & Clerum provinciæ Raguſinæ hortatur, ut ſubſidia conferant ad defendendam Terram ſanctam. 84. 2. & omnes Chriſtianos ejuſdem provinciæ. 86. 2. Bernardum Archiepiſcopum Raguſinum transfert ad Epiſcopatum Karleolenſem. 89. 1.
Innocentius IV. P. Eccleſiam Boſnenſem ademptam Raguſino attribuit Archiepiſcopo Colocenſi. 98. Legatum ſuum commendat Joanni Archiep. Raguſino. 101. 2. monet Raguſinos, ut pacem ineant cum Antibarenſibus, *ibid.* Dalmatiæ ſuperioris Epiſcopos citat ad cauſſam inter Archiepiſcopos Raguſinum & Antibarenſem dijudicandam. 102. 291. 1. Sabinenſem & Anconitanum Epiſcopos eidem cauſæ præfecit. 103. 2. 104. 1. ut Epiſcopum Albanenſem redire faciat ſub poteſtatem Archiepiſcopi Antibarenſis, ſcribit ad Epiſcopum Catharenſem. 104. 1. in clientelam Sedis Apoſtolicæ Monaſterium S. Jacobi de Viſniza recipit. 105.
Innocentius VI. P. jubet per litteras duobus Canonicis & Cœnobiarchæ S. Joannis Baptiſtæ Tragurii, ut Laguſtanos, qui Andream Presbyterum in carcerem detruſerant, anathemate percellant. 128. 2. iiſdem jubet, ut Andreæ cauſam cognoſcant. 129. 1. 2. tribus Canonicis Tragurienſibus itidem jubet, ut ſententiam ſecundum prædictum Andream confirmandam curent. 130. 1.
Innocentius VIII. P. donationem confirmat a Canonicis Raguſinis factam PP. Dominicanis. 191. 1. admonet Raguſinos ut Brachium S. Joannis Baptiſtæ Florentinis reſtituant. 192. 1. Raguſinis commercii exercendi cum Turcis facultatem confirmat. 192. 2. tempus ædificandi cœnobii S. Claræ Raguſii prorogat Curatoribus Teſtamenti Marini de Bona. 192. 2.
Innocentius X. P. arma mittit cum litteris ad Raguſinos contra Turcas. 262. 1.

Digitized by Google

Inſcriptiones Epidaurenſes. 2. 3.
Joannes XXI. P. litteras dat Salvio II. Archiep. Raguſino de ejus electione, itemque ad Capitulum, Clerum, & Comitem, & ad Epiſcopos provinciæ Raguſinæ. 113. 292, 1.
Joannes Epiſcopus Epidauri poſtremus, & primus Raguſii. 6. 1. 10. 1. 23. 2. 36. 1.
Joannes Archiepiſcopus Diocleenſis Raguſium fugit. 38, 2. ſedem archiepiſcopalem Dioclearam Raguſium transfert, 25. 1. 39. 1. primus Archiepiſcopus Raguſinus. 40, 1. 2. ejus obitus, 41, 1.
Joannes III. Archiepiſcopus Raguſinus Venetiis arceſſitus, 100. 2. Salvium conſecrat Epiſcopum Tribunienſem, 101, 2. Concilio I. Lugdunenſi interfuit. *ibid.* litteras recipit ab Innocentio IV. P. *ibid.* de juriſdictione cum Archiepiſcopo Antibarenſi contendit, *ibid.* Lugduni impetrat ab Innocentio IV. ut Epiſcopi Dalmatiæ ſuperioris ad Pontificem citentur, 102. 1. Peruſii cum degeret, Legatos Raguſinos certiores facit per litteras de ſtatu cauſæ cum Archiepiſcopo Antibarenſi. 103. 1. per Stunecham procuratorem profitetur ſe Antibarim iturum ad audiendos teſtes, ſi ſecurus fuerit, 104. 2. obiit, 105. 1.
Joannes IV. Archiepiſcopus Raguſinus, 106. 2. ex mandato Philippi Electi Ravennatis hortatur Gotifredum Torcellanum Epiſcopum, ut conſecret Virgines S. Matthæi de Conſtantiaco, *ibid.* Archiepiſcopatum dimittit, retento titulo. 107. 1. Indulgentias contulit Eccleſiæ S. Felicis Venetiarum, 107. 2.
B. Joannes V. Archiepiſcopus Raguſinus. 149, 2. Joannes Dominicus dictus, & Joannes Dominici, *ibid.* In Ordinem S. Dominici admittitur, 150, 1. ejus virtutes & doctrina. *ibid.* libri ab eo editi, 150. 2. ejus conciones ferventiſſimæ. 151. 1. & pro ſuo Ordine eximie geſta, 151, 1. 2. legationes ab eo ſuſceptæ, 152. 1. renunciatur Archiepiſcopus Raguſinus. 152. 2. & Cardinalis, 153. 1. Archiepiſcopatum dimittit. 153. 2. novas legationes obit. *ibid.* intereſt Concilio Conſtantienſi. 154. 1. ab eodem Concilio coactus retinere Cardinalatum. 154. 2. in Bohemiam & Hungariam legatus mittitur a Martino V. P. *ibid.* Budæ obiit. 155, 1. ejus elogium & cultus, 155. 2. Cardinalis Raguſinus appellatus. 156. 1.
Joannes VI. Venerius Archiepiſcopus Raguſinus, 183, 2. jubetur a Sixto IV. P. ut FF. Dominicanis ex quibuſdam illorum redditibus Bibliothecam erigendam curet, 187, 2. a ſuis Rhecinetenſibus honorifice exceptus, 188. 2. Sacerdotium S. Stephani inſulæ Jupanæ Franciſco de Zamagnis collatum confirmat, 189, 2. ejus geſta poſtrema & obitus. 190. 2.
Joannes VII. de Sacchis Archiepiſcopus Raguſinus. 191. 1. Raguſio abſens, Romæ præturam geſſit, 195. 2. Stephanum Vicarium ſuum generalem exauctorat, 196, 197. reditus Canonicorum æquales ut ſint, implorat a Sixto IV. P. 198. 1. reliqua ejus acta & legatio ad Regem Francorum, 200. 1. 202, 203, 520. 2. Præfectus urbis, 205 2. transfertur ad Eccleſiam Anconitanam, retenta Raguſina, *ibid.* ejus obitus, ſepulcrum & elogium, 205. 2. 206. 1.
Joannes ex ordine Fratrum Prædicatorum expungitur e catalogo Archiepiſcoporum Raguſienſium, 135. 1.
Joannes Archiep. Antibarenſis de juriſdictione cum Archiep. Raguſino contendit. 101. 2. 102, in carcerem truditur, 103. 1.
Joannes Epiſcopus primus Tribunienſis. 289. 1. Paullimirum regnum Serblianum adeuntem excepit, *ibid.*
Joannes II. de Mobilibus Epiſcopus Tribunienſis. 294. 2.
Joannes III. de Rupella, Carmelita, Epiſcopus Tribunienſis. 294. 2. eligitur a Clemente VI. P. receptis ab eo litteris. *ibid.* ad Eccleſiam Potentiæ transfertur, 295. 1.
Joannes IV. Epiſc. Tribunienſis & Mercanenſis, 296, 1.
Joannes V. Muzarechius Epiſc. Tribunienſis & Mercanenſis ex ordine S. Dominici. 296. 2.
Joannes VI. Epiſcopus Tribunienſis & Mercanenſis. 297. 2.
Joannes Epiſcopus, qui Concilio Lateranenſi interfuit anno 1573. an recenſendus ſit, inter Epiſcopos Tribunienſes? 302. 2.
Joannes de Croſſio ex ordine S. Dominici Epiſcopus Stagnenſis, & Corcyrenſis primus, 328. 2. 369, 1. conſilium cepit ſedis epiſcopalis Stagno Corcyram transferendi. *ibid.* rem cum Corcyrenſibus tranſigit. 329. 1. 369. 2. Corcyræ domicilium collocat, 329. 2. 370. 1. Sodalitatem piorum hominum Corcyræ inſtituit. 370. 1. obiit, 370. 2.
Joannes II. de Kerſo ex ordine S. Franciſci Epiſcopus Stagnenſis & Corcyrenſis. 329. 2. 370, 2. quoddam Bonifacii VIII. P. diploma recognoſcit, *ibid.*
Joannes III. ex ordine S. Franciſci Epiſcopus Stagnenſis & Corcyrenſis. 333. 1. 371. 2. a tributo, quod Curiæ Romanæ debebat, eximitur, 333. 2.
Joannes IV. ex ordine S. Franciſci Epiſcopus Stagnenſis & Corcyrenſis. 333. 2. 371. 2. de decimis Stagnenſibus tranſigendi cum Raguſinis & componendi facultatem a Sede apoſtolica poſtulavit. 334. 1. iterum de iiſdem præteritis & non ſolutis paciſcendi cum Raguſinis facultatem impetrat ab Urbano VI. P. 334. 2. Laguſtam inſulam adjungendam curavit diœceſi Corcyrenſi. 372, 1. 2. idque impetrat ab eodem Urbano. 373. 1. ſed eam cedere cogitur Metropolitæ Raguſino. *ibid.* Eccleſiam S. Joannis in villa Lombarda reficiendam curavit. 373. 2. obiit. *ibid.*
Joannes V. Epiſcopus Stagnenſis & Corcyrenſis, 346. 1. 377. 2.
Joannes VI. de Paullis Epiſcopus Stagnenſis & Corcyrenſis ex Buduenſi. 346. 1. 378, 1. cui cognomen Rubini. *ibid.*
Joannes VII. Carſana Epiſcopus Corcyrenſis ex Archidiacono Jadertino. 406. 1. a Matthæo Archiepiſcopo Jadrenſi ſumme laudatus. *ibid.* ſui Metropolitæ jura adverſus Archiepiſcopum Spalatenſem per ſui Vicarii litteras tuetur. 406. 2, 407. 1. 2. ad Eccleſiam Jadrenſem transfertur, 408. 1.
Joannes Epiſcopus Buſanenſis ſeu Rhizinienſis, ex ordine S. Franciſci, 416. 1. idem ac Joannes Epiſcopus Buſenſis. *ibid.*
Joannes Epiſcopus Catharenſis ex ordine S. Dominici. 453. 1. Epiſcopatu ſe abdicat, obiitque Venetiis. *ibid.*
Joannes II. Cheregatus Epiſcopus Catharenſis ex Epiſcopo Ottocienſi. 474. 2. in partibus Raſciæ Vicarium generalem conſtituit. *ibid.* ejus acta & elogium. 474. 2. 475. 1. ejus obitus.

Digitized by Google

tus. 478. 1.
Joannes de Ragusio ordinis S. Dominici Archiepiscopatum Ragusinum administrat. 242. 1.
Joannes Stoico Cardinalis Ragusinus appellatus, alius a B. Joanne V. Archiepiscopo. 156. 1. Concilii Basileensis præses. 158. 2. quædam ejus acta. 159. 1.
Joannes Euriensis, non Epidauriensis Episcopus. 5. 2.
Joannes Legatus Cælestini III. P. sententiam dicit de æde S. Mariæ de Rabiata secundum Monachos Lacromenses. 84. 1.
Joannes de Bolizza Canonicus Catharensis obtinet præfecturam S. Laurentii de Gulpho. 243. 2.
Joannes Præses cœnobii Rabiatensis anathemate perculsus. 108. 1. an idem Abbas Lacromensis. 108. 2.
Joannes Gundula fundat cœnobium S. Jacobi de Visnizza. 92. 2. 93. ejus testamentum. 93 2. 94.
Joannes Pistoriensis ex ordine S. Dominici, religioni Catharensium perutilis. 467. 2.
Joannes Olaricus ex ordine Prædicatorum mittitur in Bosnam a Nicolao V. P. ad fidem Catholicam tuendam. 168. 1.
Joannes de Pistorio ordinis S. Dominici Ragusium venit. 187. 1.
Joannes Rex Angliæ Bernardum Archiepiscopum Ragusinum & electum Karleolensem ad Archiepiscopum Eboracensem commendat, 89. 1.
Joannes Angelus Mediceus Archiepiscopus Ragusinus. 228. 1. absens per vicarios Ecclesiam suam administrat, *ibid.* in collegium Cardinalium cooptatur. *ibid.* Pallium suscipit. 228. 2. quos vicarios habuerit. 229. 1. Sebastiano Portico ecclesiam tradidit, invitis Ragusinis. 229. 2. ad Ecclesiam Fulginatem transfertur. 230. 1. ad summum Pontificatum evectus sub nomine Pii IV. *ibid.* benevolentiæ plenas litteras reddidit Ragusinis. *ibid.* obiit. 230. 2.
Joannes Antonius Sborovacius Episcopus Catharensis ex Archipresbytero Tragurienſi. 505. 2. matrimonia cum schismaticis coercenda, Presbyteros schismaticos ex villis Bogduschiorum expellendos, eosdemque Presbyteros & Calogeros instituendos a Catholicis curat, obtentis tribus decretis a Venetorum magistratibus. 506. 1. 2. 507. 1. 2. & ab Aloysio Foscareno Rectore Cathari decretum impetrat, ut Serbliani & Latini dies festos colant Latinæ Ecclesiæ. 508. 1. Episcopatum deposuit. 508. 2.
Joannes Antonius II. Castellus Episcopus Catharensis. 515. 2. quæ gesserit in Episcopatu. 516. 1. Episcopatum abdicat. 516. 2.
Joannes Baptista Conventatus Archiepiscopus Ragusinus. 70. 2. ad Ecclesiam Terracinensem translatus. *ibid.*
Joannes Baptista Georgius Episcopus Stagnensis ex ordine S. Benedicti. 356. 1. ejus obitus & inscriptio sepulcralis. *ibid.*
Joannes Baptista II. Natalius Episcopus Stagnensis ex ordine S. Dominici. 359. 2. Templum Vigagnense consecravit. *ibid.* improvisa morte sublatus. 360. 1.
Joannes Baptista Amaltheus, ut Ragusii sit magister publicus, invitat Nascimbenem Nascimbenium. 235. 1.
Joannes Franciscus Commendonus Cardinalis quid scripserit de matrimonio dissolvendo Regis Poloniæ ad Vincentium Portium apud Regem Sedis Apostolicæ internuntium. 247. 2. 248. 1. & ad Cardinalem Rusticuccium. 248. 1. 2. ab eodem Portico dissentit in electione novi Poloniæ Regis. 248. 2. 249. 1. 2.
Joannes Maria Matthæus de Historia Antistitum Ragusiensium bene meritus. 33. 2.
Joannes Marinus Gundula res Ragusienses descripsit. 33. 2.
Joannes Martinus Bernardonus, vulgo Baculus, Episcopus Catharensis. 518. 1. Episcopatui se abdicat, & Episcopus Famagustanus renuntiatur. 518. 2.
Joannis de Prodanello Subdiaconi causa apud Archiepiscopum Ragusinum. 116. 2. Ejusdem causæ acta publica. 116. 2. 117. 1.
S. Joannis Baptistæ Brachium Ragusium delatum. 191. 2. de quo magna controversia fuit inter Ragusinos & Florentinos. 191. 2. 192. 1. 2.
Joseph Cossivichius Episcopus Corcyrensis ex Archidiacono Sibenicensi. 409. 1. adhuc vivit. 409. 2.
Joseph Garampus de Historia Antistitum Ragusiensium bene meritus. 33. 2.
Julianus de Maphæis ex ordine S. Francisci Archiepiscopus Ragusinus. 206. 1. per suum Vicarium Episcopum Mercanensem Ecclesiam administrat. *ibid.* ejus obitus & sepulcrum. 209. 1.
Julius II. P. in luxum nuptiarum quæ decreverat Senatus Ragusinus confirmat. 204. 2. 205. Sacerdotium S. Michaelis in insula Jupana Stephano de Tudisio contulit. 206. 2. Monialibus Ragusinis SS. Apostolorum vescendi carnibus & caligas pedibus induendi concessit. 207. 2. Bernardum Gundulam Abbatem Melitensem confirmat. 208. 1. 2. decimas Stagnenses contra Episcopum Stagnensem & Corcyrensem Ragusinis adjudicat. 348. 2.
Junius Archidiaconus Corcyrensis Canonicos ad Comitia convocat Episcopalia. 380. 1. cum Canonicis certiorem facit Nicolaum V. P. de electione Bonini de Tolentis in Episcopum Corcyrensem. 380. 2.
Junius Gradius ossa Nobilium quorumdam in ædem Ragusiensem S. Stephani transferenda curat. 256. 1.
Jupana insula describitur. 71. 1. lustratur a Gregorio Archiepiscopo Ragusino, & absolvitur. 284. 1.
Justinus a Ripa Provisor generalis Dalmatiæ Parochos Græcos a Latinis erudiendos jubet, & ne matrimonia contrahantur inter Græcos & Latinos sine assensu Episcopi Catharensis. 510. 2. 511. 1. 2. idque notum facit Marino Episcopo Catharensi. 512. 1. Presbyteros extraneos ab parœciarum cura, & Græcos Episcopos ab invisendis Venetæ ditionis parœciis propulsandos esse jubet ex Senatus Consulto. 512. 1. 2. quod per litteras significat Provisori Cathari. 512. 2.

L

Lacromensis Monasterii initia. 44. 45. Benedictini fuisse Instituti probatur. 45. prædium quoddam recuperat ex sententia Prioris Ragusii. 52. 2. 53. & aliud S. Martini ex sententia Boleslai judicis. 58. 2. 59. 1. & Gerdonis itidem judicis. 59. 2. & Georgii

Digitized by Google

Regis Serbliæ diplomate. 59. 2. 60. 1. ejus Abbati insignia Episcopalia traduntur. 64. 1. 88. 2. Ecclesiam Melitensem S. Pancratii retinet ex diplomate Borichii Bani Bosinæ. 79. 2. & ecclesiam S. Mariæ de Rabiata. 84. 1. jus obtinet sacri faciendi IV. Non. Feb. in æde cathedrali Ragusina. 90. vineas duas retinet ex sententia Acontii Legati apostolici, 95. ad quid convenerit cum Communi Ragusino? 132. 2. reformatur & Congregationi Patavinæ S. Justinæ aggregatur, 169. 170. 171. 172.

Laguſta insula describitur. 372. 1. 2. adjuncta diœcesi Corcyrensi. *ibid.* deinde attributa Metropolitæ Ragusino. 373. 2.

Laguſtani deficere tentant ab Ragusinis ad Venetos. 256. 2.

Laonicus Chalcondyla Ragusienses laudat. 23. 2.

Laurentius Archiep. Ragusinus Ord. Minorum. 125. 1.

Laurus Episcopus Albanensis altare in æde S. Georgii consecrat apud Peraštum. 448. 1.

Leo X. P. abrogat quod decreverat Julius II. de luxu nuptiarum Ragusiensium. 205. 2. numerum præfinit Virginum Ragusiensium S. Claræ. 211. 1. Hilarium Gozzeum Abbatem S. Andreæ de Pelago confirmat. 211. 2. Cœnobii Melitensis conjunctionem cum Congregatione Cassinensi confirmat. 212. 2. 213. dotem præfinit virginibus in monasteria Ordinis Benedictini recipiendis. 214. 2. Fratrum Minorum regimini subjicit Virgines Ragusinas S. Claræ. 214. 2. Ragusinis gratias agit, quod se certiorem fecerint de morte Selimi Regis Turcarum. 218. 1. quædam, quæ iidem postulaverant, concedit. 218. 2. Augustinum Nalium præficit Episcopum Tribunienſibus & Mercanensibus, datis tribus Epistolis, 303. 2. sententiam Tryphonis, Episcopi Catharensis in causa inter Franciscanos & Dominicanos de cœnobio S. Mariæ de Gratiis confirmat tribus litteris. 483. 2. 484. 1. 2.

Leonardus Archiep. Ragusinus. 91. 1. ejus gesta & obitus. 91. 1. 2. & inscriptio sepulcralis. 91. 2.

Leonardus procurator Joannis III. Archiep. Ragusini in causa ejusdem cum Archiepiscopo Antibarensi. 102. 2.

Leonardus Venerius Rector Cathari jubet Presbyteros Serblianos schismaticos expelli ex villis Bogdasichiorum. 507. 1.

Liturgia Ecclesiæ Ragusinæ. 29. 2.

Lucas Archiepiscopus Ragusinus an tantum electus? 112.

Lucas de Padua Ordinis Minorum electus Archiepiscopus Ragusinus a Nicolao III. P. rejicit Archiepiscopatum. 114. 2.

Lucas Leonius Episcopus Stagnensis & Corcyrensis, 346. 2. 381. 2. Ragusinis a Nicolao V. P. commendatur, *ibid.* Sodalitatem Verberatorum confirmat, & Sacerdotium aræ Cathedralis Ecclesiæ S. Jacobi affixum, 381. 2. obiit. 382. 1.

Lucas de Tolentis Archidiaconus Corcyrensis eligitur Episcopus a suis Canonicis. 382. 1. ejus virtutes, illustria facta & munera perhonorifica. *ibid* rejectus a Pio II. P. 382. 2. fit Episcopus Sibenicensis. *ibid.* ut in collegium Cardinalium cooptaretur, Maximilianus Imp. Pontificem orat. *ibid.* obiit. *ibid.* mandata quæ Sixtus IV. P. eidem dedit in legatione ad Burgundiæ Ducem. 383. *& seq.*

Lucas Bisantius Episcopus Catharensis, adjutor & successor datus Tryphoni patruo a Clemente VII. P. 486. 2. in Peraštinos sacrilegos sententiam excommunicationis pronunciat. 487. 1. Natalem Bisantium consanguineum suum delinquentem e collegio Canonicorum ejicit. 489. 1. Vitam S. Tryphonis edendam permittit. 489. 2. interest Concilio Tridentino. *ibid.* de suo jure controversiam habet cum Rectore Catharensi. 490. 2. Episcopatum abdicat. 491. 1.

Ludovicus Beccatellus Archiepiscopus Ragusinus. 230. 2. ejus ortus & educatio. *ibid.* quæ gesserit ante Archiepiscopatum. 231. 232. fit Episcopus Ravellensis. 232. 2. ex qua Ecclesia ad Ragusinam transfertur, 233. 1. Ragusium venit. *ibid.* 238. 2. 239. 1. urbem in parœcias dividendi auctor est, 233. 2. 234. 1. 2. ejus præclara facta, & de eo testimonium Joannis Baptistæ Amalthei, 235. 1. Romam discedens, Vicarium relinquit Simonem Mencium. 240. 1. a Pio IV. P. missus ad Concilium Tridentinum, 235. 2. administrat Archiepiscopatum Pisanum. 236. 2. Archiepiscopatu Ragusino se abdicat, & successorem sibi nominat. *ibid.* 240. 1. retento titulo Archiepiscopi Ragusini, transfertur ad Præposituram Ecclesiæ Pratensis. 237. 1. obiit. 237. 2. ejus habitudo corporis & animi. *ibid.* ejus cultus litterarum & hominum litteratorum, *ibid.* religio & pietas. 238. 1. bibliotheca & opera scripta. 238. 2. ejus virtutes. 239. 1. 2. laudatus a Card. Reginaldo Polo. 239. 2. Gabrielem Palæotum cupit sibi eligi successorem. 240. 2. cogitat de domicilio Ragusii stabiliendo Presbyteris Societatis Jesu. 240. 2. 241. 1. ejus obitus & epitaphium. 241. 2. 242. 1.

Ludovicus Zamagna Episcopus Stagnensis ex ordine S. Dominici. 357. 1.

Ludovicus Rex Hungariæ privilegia Catharensibus confirmat. 453. 2.

M

Macarius Melissenus Ragusini Archiepiscopi titulum gessit. 254. 1. 2.

Majus Episc. Catharensis interest Concilio Lateranensi III. 434. 2.

Malon, sive Magion, Episcopus Catharensis consecrat Ecclesiam cathedralem. 433. 2.

Malumbræ familiæ viri illustres. 386. 1.

Manuel Rhalla expungitur ex albo Archiepiscoporum Ragusii. 219. 2.

Maphiolus, seu Maphæus Lampugnanus Archiepiscopus Ragusinus. 140. 1. transfertur ad Ecclesiam Messanensem. 140. 2.

F. Marcus de Venetiis Ord. Minorum electus tantum Archiepiscopus Ragusinus. 114. 1.

Marcus Musurus expunctus ex albo Archiepiscoporum Ragusii. 219. 2.

Marcus Maripetrus Episcopus Corcyrensis. 388. 2. Corcyram nunquam adiit. 389. 1. Concilio Tridentino interfuit. *ibid.* Ad Ecclesiam Phariensem transfertur, *ibid.*

Marcus, sive Marius, Episcopus Catharensis, fundationem cœnobii Faullini pro PP. Dominicanis confirmat. 441. 2. ejus acta. 442. 2.

Marcus II. de Nigris Episcopus Catharensis, 469. 2. litteras a Duce Venetorum impetrat de bonis ecclesiasticis restituendis, 470. 1. con-

conſecrat ædem S. Mariæ Bethlehem Patavii. 470. 2. arbiter deligitur a Paullo II. P. cujuſdam controverſiæ inter Virgines cœnobii Tarviſini S. Pariſii. *ibid.* 471. 2. ad Eccleſiam Abſorenſem transfertur. 472. 1.

Marcus Antonius Maffæus Epiſcopus Theatinus Jacobum Luccarum conſecrat Epiſcopum Tribunienſem & Mercanenſem. 306. 2.

Marcus Antonius Diedo Proviſor generalis Dalmatiæ furtum punit ſacrilegum miraculo S. Tryphonis detectum. 515. 1.

Margarita vidua Stephani Bani Chrobatiæ Ragufium confugit. 41. 2. templum S. Stephani Reliquiis Sanctorum ditavit, & ſacellum D. Margaritæ extruxit. *ibid.*

Maria Regina Hungariæ diploma edidit pro Raguſinis. 134. 2.

Marianus de Magrue an inter Epiſcopus Tribunienſes recenſendus? 306. 1.

B. Marinus de Catharo ex ordine S. Franciſci martyrio coronatur. 474. 1.

Marinus de Martinuſſo Canonicus Raguſinus electus Archiepiſcopus a Raguſienſibus, rejicitur a Joanne P. XXII. 125. 1. 2.

Marinus de Spaleto Epiſcopus Stagnenſis & Corcyrenſis ex ordine S. Franciſci, 330. 2. 371. 1. de decimis Stagnenſibus litem Raguſinis intendit. *ibid.* 331. 1. 2. 332. 1. ejus obitus. 332. 1. 371. 2.

Marinus II. Drago Epiſcopus Corcyrenſis ex Epiſcopo Catharenſi. 404. 2. ejus geſta in Epiſcopatu Corcyrenſi. 405. 1. ejus obitus & ſepulcrum. *ibid.*

Marinus Contarenus Epiſcopus Catharenſis. 460. 2. eo ſuaſore plura decreta ad Eccleſiam pertinentia Catharenſes fecerunt. 460. 2. 461. 1. 2. quædam accipit mandata ab Eugenio IV. P. 462. 2. auctor eſt Catharenſibus cultus dierum feſtorum. *ibid.* intereſt Concilio Florentino. *ibid.* Venetias miſſus ad pacem faciendam inter Venetos & Ducem Montis nigri. 463. 2. judex delegatur in controverſia inter PP. Franciſcanos Boſinenſes & Raguſinos. 465. 1. Eccleſiam dedicat S. Georgii prope Peraſtum. 465. 2. ſacerdotium SS. Trinitatis collatum Matthæo Curulizze confirmat. *ibid.* ad varios Epiſcopatus nominatus, tandem ad Eccleſiam Tarviſinam transfertur. 466. 1.

Marinus II. Dragus Epiſcopus Catharenſis ædem cathedralem viſitat. 508. 2. jus epiſcopale exercet in Caſtro Novo. 509. 1. 2. ſolemnes acclamationes in die Epiphaniæ intermiſſas revocavit. 509. 2. Calogeros reprimit. 510. 1. de parochis Græcis erudiendis & de matrimoniis Latinorum cum Græcis edicta publica impetrat. 510. 2. 511. 1. 2. de eoque certior fit a Juſtino a Ripa Proviſore Dalmatiæ. 512. 1. de parochis & Epiſcopis Græcis aliud decretum impetrat. 512. 1. 2. Dalmatiam comprehendi in Italia ex ſtylo Curiæ Romanæ demonſtrat. 512. 2. ad Eccleſiam Corcyrenſem transfertur. 513. 1.

Marinus Ragnina Sacerdotium S. Petri majoris de Raguſio ſibi collatum, confirmandum curat a Paullo II. P. 174. 175.

Marinus de Bona jubet teſtamento, ut Cœnobium Virginum S. Claræ ædificetur ſuis bonis. 192. 2.

Martinus IV. P. eligit Archiepiſcopum Raguſinum F. Bonaventuram de Parma, datis ad eum litteris. 115. 1. ſcribit ad eumdem, ut Epiſcopos Stagnenſem & Tribunienſem eligat. 293. 1. 327. 2. 328. 1. ſcribit ad Abbatem Lacromenſem, ut bona ablata Eccleſiæ Raguſinæ curet reſtituenda. 116. 1.

Martinus V. P. ſcribit ad Peregrinum Abbatem Lacromenſem, ut litem de decimis Staguenſibus componat inter Raguſinos & Epiſcopos Corcyrenſes. 338. 2. 339. mandatum Peregrino traditum revocat. 341. 2. idem mandatum dedit Blaſio Archiepiſcopo Jadertino. *ibid.* inſtantibus Raguſinis ſententiam Peregrini ſecundum illos confirmat. 344. 1. ad Peregrinum ſcribit, ut ſententiam exſequatur. 344. 2. & litteras Archiep. Jadertino datas revocat. 345. 1.

Matthæus Georgius electus a Capitulo Archiepiſcopus Raguſinus, a Senatu Raguſino rejicitur. 156. 2.

Matthæus Abbas S. Jacobi de Viſnizza confirmat auctoritate apoſtolica Sacerdotium S. Petri majoris Raguſii Marino Ragninæ collatum. 175. 2.

Matthias de Altamura Epiſcopus Tribunienſis ex monacho Ciſtercienſi. 295. 1.

Meliciacca Epiſcopus Catharenſis quid de patrinis decreverit? 444. 1. Notitiæ cujuſdam eccleſiaſticæ auctor creditur. *ibid.*

Melita inſula prope Raguſium deſcribitur. 65. 2. 76. 2. quomodo Raguſinis ceſſerit. 134. 2.

Melitenſis Cœnobii & Congregationis Benedictinæ initia. 65. 2. de illa Commentarium Ignatii Georgii. 66. *& ſeq.* Tabulæ controverſiæ & conventionis inter Monachos & Inſulanos Melitenſes. 145. 1. 2. annectitur Congregationi Caſſinenſi. 212. 2. duos Viſitatores mittit Paullus V. P. 258. 2.

Mercanenſes & Tribunienſes Epiſcopi. 286.

Mercanenſis Epiſcopatus initia. 292. 1. & Tribunienſi unio. 292. 2. 302. 2.

Mercanenſium monaſteriorum S. Mariæ & S. Petri hiſtoria. 294. 1.

Metropolis eccleſiaſtica quando erigi poſſit. 39. 2.

Micha, ſive Michael, Epiſc. Catharenſis. 434. 2.

Michael Reſtius Epiſcopus Stagnenſis ex Canonico Raguſino. 356. 1. Ad Eccleſiam Nuſcanenſem, dein ad Aſculanam translatus. *ibid.*

Michael Natalis Epiſcopus Tribunienſis & Mercanenſis. 297. 2. Raguſium ſe recipit, ibique obiit. 298. 1.

Michael Trialius Epiſcopus Corcyrenſis ex Archidiacono Jadertino. 405. 1. Synodum diœceſanam coegit. 405. 2. ejus ſcripta. 406. 1. transfertur ad Eccleſiam Jadertinam. *ibid.*

Michael Epiſcopus Rhizinienſis ex ordine S. Auguſtini. 414. 1. Vicarius Egnonis Epiſcopi Tridentini. *ibid.*

Michael Priolus Epiſc. Vicetinus, Viſitator apoſtolicus in Dalmatia, Catharum luſtrat. 498. 1.

Michael de Reſtis Vicarius Philippi Archiepiſcopi Raguſini attribuit monaſterium Viſegnizenſe & S. Andreæ de Pelago Mauro Abbati Melitenſi. 221. 2.

Michael Rex Serblorum vexillum ſibi, & pallium petit Petro Archiep. Raguſino a Gregorio VII. P. 56. 2. 57.

Michael Michaelius Comes Corcyræ Lucam eremitam S. Joannis de Gradina ab ſolvendo vectigali immunem declarat. 377. 2. 378. 1.

Michael Matthæus Spalatinus Epiſcopus Catharenſis. 518. 2. ad Eccleſiam Sibenicenſem translatus. *ibid.*

Micovanus Epiſcopus Boſnenſium detrectat im-pe-

Digitized by Google

perium Metropolitæ Raguſini. 79. 1.
Miletius res Raguſienſes carmine deſcripſit. 12. 1. ejus verſus notis illuſtrati. 13. *& ſeq.*

N

Neemanes Rex Serbliæ novam metropolim eccleſiaſticam inſtituere nititur adverſus Raguſinam. 80. 1. 2. Catharenſes ſuo regno adjungit. 435. 1.
Nicephorus Archiepiſcopus Raguſinus. 41. 1. Petro Urſeolo II. Venetorum Duci ad Corcyram Melænam obviam procedit. 42. 1. Corpora SS. Zenobii & Zenobiæ Raguſii recepit. *ibid.*
Nicephorus Epiſc. Catharenſis. 433. 2. juriſdictioni Metropolitæ Raguſini ſe ſubtrahere conatur. 80. 1, 433. 2. Metropolitæ Barienſi ſubjicitur. 82. 1.
Nicephorus II. Epiſc. Catharenſis ad Neemanum confugit adverſus ſuum Metropolitam. 434. 1.
Nicolaus III. P. Philippum de Bonacorſo eligit Archiepiſcopum Raguſinum, datis ad eum litteris. 114. 1. deinde Lucam de Padua. 114. 2.
Nicolaus IV. P. jubet Bonaventuræ Archiep. Raguſino, ut Patavinos cogat reſcindere leges libertati eccleſiaſticæ contrarias. 118. 2.
Nicolaus V. P. jubet reſtitui PP. Franciſcanis Raguſinis quæ iiſdem Archiepiſcopi Raguſii donaverant. 165. 1. 2. claſſi pontificiæ præficit Jacobum II. Archiepiſcopum Raguſinum ad opem Conſtantinopoli ferendam. 166. 1. F. Joanni Olearico poteſtatem facit miſſionem apoſtolicam in Boſnam ſuſcipiendi. 168. 1. Lucam Leonium Epiſcopum Stagnenſem & Corcyrenſem Raguſinis commendat. 346, 2. facultatem retinendi Archipresbyteratum Saccenſe concedit Bernardo II. Epiſ. Catharenſi. 466. 2.
Nicolaus de Ovis Archiepiſcopus Raguſinus ex ordine S. Dominici. 146. 1. transfertur ad Eccleſiam Sipontinam, 146, 2. obiit Raguſii. 147. 1.
Nicolaus II. de Sacchis Archiepiſcopus Raguſinus ex ordine S. Dominici. 148. 1. 2. primum fuit Archiepiſcopus Sipontinus. 149. 1. Senas pergit, & Gregorio XII. P. favet in ſchiſmate. *ibid.* Senis obiit. 149. 2.
Nicolaus III. Pugliefius Archiepiſcopus Raguſinus ex Archiepiſcopo Nicopolitano. 281. 1. Archiepiſcopatum abdicavit. 281. 2.
Nicolaus Epiſcopus Mercanenſis ex ordine S. Franciſci. 293. 2. ejus obitus, 294. 1.
Nicolaus II. Ferrichius Epiſcopus Tribunienſis & Mercanenſis. 318. 1. vivit, 318. 2.
Nicolaus Epiſcopus Stagnenſis & Corcyrenſis ex Epiſcopo Lavellenſi. 336. 2. 373. 2. titulum Stagnenſis Eccleſiæ ſibi adjunxit. 375. 1.
Nicolaus II. Mentius Epiſcopus Stagnenſis & Corcyrenſis ex ordine S. Auguſtini. 339. 2. 376. 1. litem de Stagnenſibus decimis cum Raguſinis redintegrat. 337. 2. 376. 2. cauſa cadit ex ſententia Cœnobiarchæ Lacromenſis delegati Apoſtolici. 339. 2. 340. 1, 2, 376. 2. Martinum V. P. appellat. 341. 2. iterum cauſa cadit. 344. 345. 1. ejus acta & decreta in Epiſcopatu Corcyrenſi. 377. 1. obiit. 345. 2. 377. 2.
Nicolaus III. Niconiſius, ſive Nigrevichius, adjutor Thomæ Malombræ Epiſcopi Stagnenſis & Corcyrenſis cum jure ſucceſſionis. 348. 1. 387. 2. decimas Stagnenſes ſolvendas curat a Raguſinis. 348. 1. Thomæ ſuccedit. 349. 1. 388. 1. 2. genere, doctrina & muneribus illuſtris. 388. 1. intereſt Concilio Lateranenſi. 388, 2. ejus obitus, *ibid.*
Nicolaus IV. Spanichius Epiſcopus Corcyrenſis ex Archidiacono. 403. 1. ejus ratio eccleſiæ gubernandæ prudens & æqua. 403. 2. Chriſtianos e Turcica ditione Corcyram profectos benigne accepit. 404. 1. ejus erga Divos religio & animas pie defunctorum. *ibid.* ejus obitus & inſcriptio ſepulcralis. 404. 2.
Nicolaus Epiſcopus Rhizinienſis, de quo nihil memoriæ traditum eſt, 414. 1.
Nicolaus Dragus Epiſcopus Catharenſis, 453. 2, 454. 1, 495. 2.
Nicolaus de Pellegrina, Rector cœnobii Cæleſtini S. Mariæ Gratiarum de Gulpho Catharenſi, vexatus injuriis conſilium petit a Præſide Generali Cæleſtinorum, 481. 1. 2. ab eo juſſus cœnobium tradit Patribus Dominicanis. 482. 1. 2.
Nicolaus Cœnobiarcha Lacromenſis apud Pontificem falſo conqueritur de Raguſienſibus, 138. 2. ipſis crimen confitetur, ab iiſque veniam impetrat. *ibid.*
Nuptiarum luxus Raguſii coercitus. 96, 1.

O

B. Oſanna ex ordine S. Dominici aſſervatur Cathari in æde S. Paulli. 428. 2. ejus vita. 491. 1. 2, 492. 1, 2, 493. 1. ejus ſepulcrum & cultus. 493. 2.
Oſmanus Turcarum Imperator facultatem tribuit Chryſoſtomo Epiſcopo Tribunienſi & Mercanenſi munera epiſcopalia exercendi, petentibus Raguſinis, 311. 2.

P

Palladius Fuſcus Raguſienſes laudat. 23.
Pamphilus Straſoldus Archiepiſcopus Raguſinus. 225. 1. quæ geſſerit ante Archiepiſcopatum. *ibid.* Legatus Paulli III. P. ad Regem & Epiſcopos Poloniæ pro cogendo Concilio œcumenico. 225. 2. quæ legationis mandata ab eodem acceperit. *ibid. & ſeq.* eligitur Archiepiſcopus. 227. 2. Legatus a Pontifice in Germaniam. *ibid.* obiit. 228. 1.
Panniculi ſacroſancti, quo puer Jeſus involutus fuit, inventio Raguſii, 51. defertur in ædem cathedralem. 52.
Paſchalis Maripetro Dux Venetorum jubet bona eccleſiaſtica reſtitui Epiſcopo Catharenſi, 470. 1.
Patavini anathemate percuſſi. 119. 2.
Paullimirus Rex Serblorum ædem S. Stephani condit Raguſii. 37. 2.
Paullus II. P. Lacromenſe Monaſterium reformat, & cum Congregatione Patavina S. Juſtinæ conjungit. 170. 2. jubet Abbati S. Jacobi de Viſnizza, ut Sacerdotium S. Petri Majoris Raguſii Marino Ragninæ collatum, ſi idoneum illum repererit, confirmet. 174. 2, privilegium mercaturam exercendi cum Turcis confirmat Raguſienſibus. 180. 2, facultatem quoſdam redditus convertendi in Domum reſtaurandam & Bibliothecam erigendam PP. Dominicanis Raguſii concedit. 181, 2, arbitros eligit in controverſia Virginum cœ-

Digitized by Google

cœnobii S. Parisii Tarvisini Marcum Episcopum Catharensem & Antonium de Capitibusliſtæ. 470. 2.
Paullus III. P. de ſummo Pontificatu ſibi collato certiores facit Raguſinos. 222. 2. plures litteras dedit Philippo Archiepiſcopo Raguſino. *ibid.* facultatem Raguſinis concedit diruendi ædes ſacras pro urbe munienda. 223. 1. & Hoſpitale Domus Chriſti conſtruendi. *ibid.* ut litem dirimant inter Laurentium de Luccaris & Patres Dominicanos, jubet Epiſcopo Stagnenſi & Marco Palmóttæ Canonico Raguſino. 223. 2. Pamphilum Straſoldum, poſtea Archiepiſcopum Raguſinum, mittit ad Regem Poloniæ pro cogendo Concilio œcumenico. 225. 1. quæ mandata illi dederit. *ibid. & ſeq.* jubet Epiſcopo Stagnenſi & Abbati Lacromenſi, ut litem dirimant inter Margaritam de Bona & PP. Dominicanos Raguſii. 228. 2. Eccleſiam Stagnenſem a Corcyrenſi disjungit. 350. 2. 388. 2. nominandi Epiſcopi Stagnenſis facultatem Raguſinis concedit. 351. 1. vetat alias virgines recipi ad Collegium Catharenſe S. Claræ. 489. 1. 2.
Paullus V. P. Presbyteros Societatis Jeſu Senatui Raguſino commendat. 258. 1. Viſitatores duos Congregationis Melitenſis Raguſii conſtituit. 258. 2. impedimentum matrimonii ex quarto gradu conſanguinitatis & affinitatis amovet Raguſienſibus. 259. 1.
Paullus Epiſcopus Epidauri. 4. 1.
Paullus Alberus Archiepiſcopus Raguſinus. 255. 2. Archiepiſcopatum dimiſit, lite compoſita de clavibus ſacrarum Reliquiarum. 256. 1.
Paullus de Gratiis Epiſcopus Stagnenſis. 357. 1. de quo litteræ perhonorificæ Urbani VIII. P. ad Senatum Raguſinum. 357. 2. Dominicanis Brotienſibus templi ædificandi facultatem concedit. *ibid.* ejus obitus & inſcriptio ſepulcralis. 358. 1.
Paullus Biſantius Epiſc. Catharenſis ex Abbate S. Mariæ de Flumine. 494. 1. accuſatus abſolvitur ab Archiepiſcopo Raguſino. *ibid.* Adminiſtrator Eccleſiæ Buduenſis & Coronenſis. 494. 2. cœnobium S. Claræ tradit Patribus Franciſcanis, acceptis litteris a Gregorio XIII. P. 495. 1. quamdam vineam S. Mariæ de Flumine tradidit Matthæo Roſgovaz. *ibid.* Epiſcopatum dimittit, & Eccleſiam Aquilejenſem adminiſtrat. 496. 1. obiit. *ibid.*
Pekclinenſis monaſterii hiſtoria. 71. 72.
Peraſtini ob cædem Abbatis S. Georgii excommunicantur. 487. 1. litigant cum Catharenſibus de jure patronatus S. Mariæ de Scalpello & Abbatiæ S. Georgii. 503. 2.
Peraſtum, oppidum nobile diœceſis Catharenſis. 429. 1. viſitatum ab Auguſtino Valerio Viſitatore Apoſtolico. 496. 2.
Peregrinus Abbas Lacromenſis ex mandato Martini V. P. quæſtionem de decimis Stagnenſibus habuit inter Raguſinos & Epiſcopos Corcyrenſes. 339. 2. & ſecundum Raguſinos judicavit. 340. 1. 2.
Peſtilentia Raguſii ſævit. 130. 2. ope D. Blaſii depulſa. 131. 1. item altera, ope B. Virginis. 167. 1. 174. 1.
SS. Petri, Laurentii & Andreæ Martyrum Aſcrivienſium Corpora Raguſium translata. 47.
Petrus Archiep. Raguſinus, alius ab Antibarenſi, 54. 2. pallium petit, obverſante Laurentio Archiep. Spalatenſi. 56. 57. de jure metropolitico contendit cum Petro Archiep. Antibarenſi. 57. 2. 58. 1.
Petrus II., cognomento de Martinis, Archiepiſcopus Raguſinus ex ordine Prædicatorum, & fortaſſe ex Epiſcopo Caſtrenſi. 124. 2.
Petrus III. Calicius Archiepiſcopus Raguſinus ex Epiſcopo Oſtunenſi. 138. 1. ejus obitus & elogium. 138. 1.
Petrus IV. de Torres, Archiepiſcopus Raguſinus. 263. 1. eo Archiepiſcopo, Raguſium corruit terræmotu. 263. 2. mononiales diſperſas Anconam traducendas curat. 264. 2. Raguſium revocat, & duo tantum monaſteria illis dedit habitanda. 265. 1. 2. ad Epiſcopatum Potentiæ primum, dein ad Tranenſem translatus, obiit. 266. 2.
Petrus Epiſcopus Stagnenſis. 328. 1. Indulgentias cum aliis Epiſcopis concedit Eccleſiæ cathedrali Narnienſi. *ibid.*
Petrus II. Gozzeus Epiſcopus Stagnenſis ex ordine S. Dominici. 353. 1. ejus elogium, obitus, & epitaphium. *ibid.*
Petrus III. Luccarus Epiſcopus Stagnenſis ex Canonico Raguſino. 358. 2. Cœnobium Dominicanum condendi in pago Vigagn facultatem concedit. *ibid.* ejus obitus. 359. 1.
Petrus IV. Budmanus Epiſcopus Stagnenſis. 362. 1. ejus geſta & obitus. 362. 2.
Petrus Barbadicus Epiſcopus Corcyrenſis e Canonico Patavino. 390. 1. quid de patrinis baptiſmatis decreverit & de Canonicis choro abſentibus? 390. 2. contra quos obtinet diploma a Pio IV. P. 391. 1. 2. intereſt Concilio Tridentino. 392. 1. Venetiis Epiſcopatum dimittit. *ibid.*
Petrus de Brutis Epiſcopus Catharenſis ex Epiſcopo Crojenſi. 472. 2. Eccleſiam ſuam primum Hieronymo de Pavaris, dein adminiſtrationem Eccleſiæ Vicetinæ ſuſcepturus, Joanni Paltaſichio committit regendam. *ibid.* vel abſens Eccleſiæ ſuæ profuit. 473. 2. obiit, *ibid.* ejus liber adverſus Judæos laudatur. 473. 2. 474. 1.
Petrus Baroccius Epiſcopus Patavinus, & Hieronymus Brixienſis ex Ordine Humiliatorum, judices in controverſia inter FF. Franciſcanos & Canonicos Cæleſtinos de inſula Catharenſi S. Mariæ de Gratia, rem injudicatam ad Alexandrum VI. P. remittunt. 480. 2.
Petrus Valerius, Proviſor generalis in Dalmatia, Presbyterum Latinum Presbyteris & Monachis Græcis inſtituendis præficit. 507. 2.
Petrus Rector Raguſii prædium monachis Lacromenſibus ablatum jubet illis reſtitui. 53.
F. Philippus de Bonacorſo Ordinis Minorum electus Archiepiſcopus Raguſinus a Nicolao III. P. Archiepiſcopatum non accepit. 114.
Philippus Trivultius Archiepiſcopus Raguſinus. 219. 2. poteſtatem habet ab Adriano VI. P. abſolvendi eos, qui arma ad Turcas detulerant. 220. 1. adeſt Romæ, dum capitur a Cæſarianis. 221. 1. quædam ejus acta. 221. 1. 2. a neſcio quodam Presbytero injuria affectus. 222. 2. quatuor litteras accipit de variis rebus a Paullo III. P. 223. 2. ob amicitiam cum Gallis graviter offendit apud Senatum & populum Raguſinum. 224. 1. quid reſponderit duobus Canonicis Corcyrenſibus? 224. 2.
Philippus II. Yturbides, Archiepiſcopus Raguſinus, primum Epiſcopus Venuſinus & Sidenſis. 277. 1. Eccleſiam dimittit. *ibid.*

Phi-

Digitized by Google

Philippus Archiepiſcopus Ravennæ, Legatus Apoſtolicus, Andream Gauſonum eligit Adminiſtratorem Eccleſiæ Raguſinæ. 111. 1.
Philippus de Quartigianis ædem cathedralem Raguſinam deſcribit. 26. 2. de Archiepiſcopo, Capitulo, clero differit. 27. 1. & de publicis ſupplicationibus? 27. 28. de templis, eccleſiis, & monaſteriis Raguſii & in ditione Raguſina. 28. 2. 29.
Pius II. P. datis litteris ad Franciſcum Archiepiſcopum Raguſinum jubet, ut Monaſterium Lacromenſe reformet. 169. 2. ſcribit ad Capitulum Catharenſe de Marci II. Epiſcopi electione, 469. 2.
Pius IV. P. antea Archiepiſcopus Raguſinus. 230. 1. litteras dedit benevolentiæ plenas Raguſinis. *ibid.* contra Canonicos Corcyrenſes morem gerit Petro Epiſcopo. 391. 1. 2. abſolutionem peccatorum Catharenſibus petentibus concedit. 490. 1.
S. Pius V. P. inſignis Indulgentiæ munere donat Eccleſiam cathedralem Raguſinam. 243. 1. commendat Nuntium ſuum Vincentium Porticum Sigiſmundo Regi Poloniæ. 246. 2.
Pius VI. P. prorogat ad quinquennium adminiſtrationem Congregationis Melitenſis Gregorio Lazari Abbati Benedictino. 282. 1. eidemque confirmat, etſi electo Archiepiſcopo Raguſino, 283. 1. & ut eſſet novitiorum ejuſdem Congregationis moderator, concedit. 283. 2. inſulam Jupanam abſolvendam jubet Gregorio Archiepiſcopo Raguſino. 284. 1.
Placidus Scoppa Archiepiſcopus Raguſinus ex Clerico Regulari Theatino. 367. 2. transfertur ad Eccleſiam Venuſinam. *ibid.*
Pompejus, ſive Pomponius Minucius, Archiepiſcopus Raguſinus, 262. 2. ad Eccleſiam oppidi Aquæpendentis transfertur. *ibid.*
Pomponius Epiſcopus Catharenſis. 444. 2.
Porphyrogeniti error chronologicus de Raguſii ædificatione emendatur. 9.
Portentum Cathari viſum. 504. 1.
Presbyteri Diocleatis opinio de Raguſii ædificatione rejicitur. 9. 2.
Presbyteri Societatis Jeſu Raguſium acciti. 240. 2. 241. 1. 2, 250. 2. 251. 1. 258. 1. pecunia pro eorumdem Collegio Raguſii fundando fœnori collocata. 261. 1. tres Raguſium revocati. 263. 1. Collegium ſtabile obtinent, 266, 1.

R

Raguſina Ariſtocratia. 10, 2. 11,
Raguſina Eccleſia. 1. quando jus metropoliticum adepta fuerit. 37. 2. 38. 1. 58. 1. conjuncta cum Catharenſi. 38. 2. & cum Antibarenſi. 64. 1. an ſubjecta fuerit Patriarchæ Gradenſi. 79. 1,
Raguſina templa & cœnobia utriuſque ſexus. 29. 2. 30. 1.
Raguſina Ædes Cathedralis deſcribitur, 26, 2, ædificatur a Richardo Rege Angliæ. 90. 1,
Raguſinæ Hiſtoriæ Scriptores. 32. 2, 33. 1.
Raguſinæ Eccleſiæ Liturgia. 29. 2,
Raguſini Epiſcopatus & Archiepiſcopatus initia. 23. 2. *& ſeq.* 37. 2. 38. 1. 40, 1, Raguſinus Archiepiſcopatus uſque ad ſæculum duodecimum contentioſus. 26. 1. qui Epiſcopi eidem ſubjecti ſint. *ibid.* 40. 1. 61. 2. 62. 1. 286. ejus diœceſis. *ibid.* 260. 2.
Raguſini Epiſcopi & Archiepiſcopi, 1. recenſentur. 35.
Raguſini cum Spalatenſibus de Archiepiſcopatu contendunt. 8. 2. 38. 2. 39. 56. eorum imperii fines. 11. 2. eorum copiæ terreſtres & maritimæ, *ibid.* eorum indoles & mores. 12, 1. & negotiatio atque agri fertilitas. *ibid,* eorum ingenium, 12. 2. Fidei Catholicæ tenaciſſimi. 21. 2. *& ſeq.* a Franciſco Serdonato laudantur, 22. 23. 1. & a Palladio Fuſco, & a Laonico Chalcondyla. 23. auxilia conferunt Græcis ad Barii expugnationem, 37. 2. patronum ſibi eligunt S. Blaſium, 47, 2. 48. eique vovent & ædificant novam Baſilicam, ejus ope peſtilentia depulſa. 130. 2. 131. 1. Melitam inſulam obtinent. 134. 2, decernunt diem feſtum Conceptus Deiparæ celebrandum, 157. 2. a Concilio Baſileenſi impetrant privilegium mercaturam exercendi cum infidelibus. 159. 1, 2. fœdus ineunt cum Anconitanis. 161. 1. 2, hoſpitales & liberales in Græcos profugos, Conſtantinopoli amiſſa, 166. 2. approbant conjunctionem Monaſterii Lacromenſis Congregationi Patavinæ S. Juſtinæ. 172. 2. A Turcarum metu & a peſte liberati. 173. 2. 174. 1. privilegium mercaturam exercendi cum infidelibus confirmandum curant a Paullo II. P. & Innocentio VIII. 180. 2. 192. 2. quædam petunt quæ illis concedit Sixtus IV. P. 184. 185. 186, a Turcis oppreſſi adjuvantur ab eodem Sixto IV. 187. 1, reſtituere negant Florentinis Brachium S. Joannis Baptiſtæ. 19. 2. decretum in luxum nuptiarum confirmandum curant a Julio II. P, 204. 2. quod abrogatum deinde fuit a Leone X. 205. 2. poteſtatem obtinent ab Adriano VI. P, & a Clemente VII. arma Turcis ſubminiſtrandi. 220. 2. 221. 1. S. Roccho vovent & ædificant templum, peſte depulſa. 221. 1. Sebaſtianum Porticum, Archiepiſcopum Raguſinum electum, conſtantiſſime reſpuunt. 229. 2. Hieronymum II. itidem Archiepiſcopum dimittunt. 253. 1. Sacellum ſuæ nationis Januæ curant extruendum Patribuſque Dominicanis tradunt. 253. 2. 254. 1. laudibus a Gregorio XV. P. proſequuntur, 260. 1, arma contra Turcas accipiunt cum litteris ab Innocentio X. P. 262, 1. conſtantes in cultu publico heterodoxis negando. 276. 2, jus habent eligendi Epiſcopos Tribunienſes & Mercanenſes. 298. 1, poteſtatem creandi Epiſcopi Stagnenſis reſpuunt. 327, 1. peninſulam Stagni emunt a Stephano Bano Boſinæ. 330. 1. litem intendunt Marino Epiſcopo Stagnenſi & Corcyrenſi de decimis Stagnenſibus. 331, 1. 2. 332. 1. cum Joanne IV. Epiſcopo Stagnenſi de iiſdem conveniunt, 334. 1. 2. eaſdem decimas ut ſibi colligere permittat, rogant Martinum V. 337. 2. 338. 1, 2. cauſam obtinent de iiſdem ex ſententia Abbatis Lacromenſis Delegati Martini V. contra Nicolaum Epiſc, Corcyrenſem. 339. 2. 340, 1, 2. quatuor oratores Romam mittunt contra eumdem Nicolaum, qui litem redintegraverat, 342, 1. a Blaſio Archiepiſcopo Jadertino, a Martino V. P, in hac cauſa delegato, citantur, 342. 2. ab hac citatione ad Martinum V, appellant, 343. 1, 2. & cauſam tandem obtinent, 344. 1. 2. 345. 1. iterum petiti a Thoma Epiſcopo Corcyrenſi & Stagnenſi, iterum illas decimas impetrant a Julio II, P, 348. 2, orant Clementem VII. P,

ut

Digitized by Google

ut Stagnenſis a Corcyrenſi Eccleſia disjungat. 349. 1. 387. 1. atque impetrant a Paullo III. P. 350. 2. obtinent ab eodem Paullo nominationem Epiſcopi Stagnenſis. 351. 1. 352. 1.

Raguſini doctrina præſtantes. 12. 2. *& ſeq.* Raguſinæ. 21. 2. quatuor Raguſini illuſtres ſæculo decimo ſeptimo cadente vita functi, 266. 1. 2.

Raguſini Presbyteri ob eorum zelum laudati a Clemente VIII. P. 497. 1.

Raguſinum Capitulum, 26. 1. 27. 1. Sacerdotium S. Salvatoris confert Blaſio de Gleda, 137. 2. quæ illi Alexander VI. P. jusſerit, 198. 199. 203. 2.

Raguſium ædificatur. 7. metropolis Dalmatiæ ſuperioris. 9. 1. deſcribitur. 10. Regibus & Dynaſtis expulſis perfugium fuit. 11. 2. a Saracenis obſeſſum. 36. 2. incendio pene tota conflagratur. 44. 1. & iterum, 121. 2. obſidetur ab Uroſcio Rege Serbliæ, 123. 1. corruit terræmotu, 263. 2. 264.

Raphael Bonellus Archiepiſcopus Raguſinus, 254. 2. ejus conciones typis editæ. *ibid.* Roma regreſſus commendatur ab Azzolino Cardinali Reipublicæ Pontificis nomine. *ibid.* alia ejus geſta. 255. 1. ejus obitus & elogium. 255. 1. 2. ejus vita typis edita, 255. 2.

Raphael a Ripa Epiſcopus Corcyrenſis ex Ordine S. Dominici. 398. 1. ejus opera doctiſſima. *ibid.* Schiſmaticum Epiſcopum ex inſula fugat. 398. 2. Eccleſiam S. Dominici Venetiarum conſecrat. *ibid.* ad Clodienſem Eccleſiam transfertur, *ibid.* ejus obitus & Inſcriptio ſepulcralis. *ibid.*

Ratkus Epiſcopus Mercanenſis. 296. 1.

Raymundus Gallanus Archiepiſcopus Raguſinus ex Archiepiſcopo Ancyrano & Vicario Apoſtolico Conſtantinopoli. 270. 2. ad Cardinalem Spinulam ſcribit, ut urbis adeundæ lege eximeretur. 270. 2. 271. diœceſim luſtravit, & libros prohibitos proſcribendos curat. 272, 1. Benedicto XIII. Pontificatum gratulatur, 272. 2. ab eoque reſponſum accipit. 273. 1. ſtatum Eccleſiæ ſuæ ſignificat per litteras Sacræ Congregationi. 273. 1. 2. Turcam ad fidem Chriſti convertit, & ad Benedictum XIII. P. mittit, a quo litteras accipit. 274. 2. obiit. 275. 1. de ejus bonis lis inter Dominicanos & Canonicos a Benedicto XIII. P. componitur, 275. 1. 2. ejus elogium, 277. 1.

Raymundus Agontus Epiſcopus Catharenſis ex Ordine Carmelitarum. 445. 1. obiit facile Avenione. 445. 2.

Raymundus II. Epiſc. Catharenſis ex Ordine S. Franciſci, 457. 2.

Raynaldus Gratianus Archiepiſcopus Raguſinus ex Archipresbytero Cotineolenſi. 209. 2. 520. 2. antea Miniſter generalis totius Ordinis Franciſcani, *ibid.* intereſt aliquibus ſeſſionibus Concilii Lateranenſis. 210. 1. ædiculam S. Lucæ Fratribus Dominicanis adjudicat & confirmat. 210. 2. Raguſio diſcedit, & Eccleſiam Raguſinam per Vicarios adminiſtrat, 217. 2. Archiepiſcopatu ſe abdicat, & obit Cotineolæ. 219. 1. Ejus tumulus & pia legata. 219. 1. 2.

Raynutius Cardinalis S. Angeli ex auctoritate Pii IV. P. annuit petitionibus Capituli Raguſini, 235. 2.

Razatenſes Monachi Joannem præſidem eligunt. 108. 2.

Razatenſis Monaſterii hiſtoria. 69. 70. 123. 1. traditur Monachis Caſſinen bus. 101. 1.

Reginaldus Polus Cardinalis mercatorum Raguſienſium cauſam ſuſcipit apud Londinenſes, de eoque ſcribit ad Senatum Raguſinum. 239. 2.

Reliquiæ Sanctorum Raguſii. 30. 31. 32. Turcis præreptæ, & Raguſium delatæ. 167. 2. De clavibus earum lis compoſita inter Senatum & Archiepiſcopum. 256. 1.

Reliquiæ Sanctorum Cathari aſſervatæ. 428. 1. 2.

Rhizinienſes Epiſcopi. 410. eorum ſeries mutila & ſæpe interrupta. 411. 1. jamdudum creari deſierunt. *ibid.* quibus Metropolitis ſubjecti? *ibid.* Roſonenſes & Roſenſes dicti. 411. 2. 415. 1. per annos fere ſeptingentos poſt Sebaſtianum nullus reperitur Epiſcopus Rhizinienſis, 413. 2. tres Epiſcopi a catalogo Epiſcoporum Rhizinienſium arcendi. 415. 2. conſilium ſedis Epiſcopalis Rhizinienſis in Caſtrum novum transferendæ effectu caruit. 417. 2. tres inde Epiſcopi a ſerie expungendi. *ibid.*

Rhizinienſis Eccleſia & diœceſis. 411. 1. nunc commendatur Eccleſiæ Catharenſi. 411. 2. 418. 1. 2. 419. 1. 2.

Rhizinii poſitio & varia appellatio. 410. 1. ſub Regibus Illyriis civitas frequens ac nobilis. *ibid.* ſub Romanis immunis ac libera. 410. 2. a Saracenis capta & direpta. *ibid.* Venetis paruit, qui captam a Turcis demum recuperarunt. *ibid.* 419. 1. nunc exiguum oppidum perpaucis familiis habitatum. 420. 1.

Rhizonicus Sinus, nunc Catharenſis. 421. 1.

Richardus Rex Angliæ Lacromam appulit. 89. 2. Baſilicam Marianam Raguſii ædificat, 90. 1. Cœnobiarchæ Lacromenſi jus ibidem ſacri faciendi IV. Non. Febr. concedit. 90. 1. 2.

Rodoslavus & *Uladislavus*, duo reges Serbliæ, ab Orbino & Dufreſnio prætermiſſi. 436. 1, 2. 438. 2.

S

Sabinus Gundula Cœnobii Umblenſis fundator, 6[illegible]2.

Sabinus Ghetaldus omnia bona ſua legat [illegible]tamento FF. Franciſcanis cœnobii Daxenſis. 119. 2. *& ſeq.*

Salonitani cum Epidaurenſibus Raguſium ædificant. 8.

Salvius Archiepiſcopus Raguſinus. 83. 2.

Salvius Epiſcopus Tribunienſis ex Abbate monaſterii Lacromenſis. 291. 1. ab Innocentio IV. juſſus citat ad eumdem Epiſcopos Dalmatiæ ſuperioris, qui ſe juriſdictioni Archiepiſcopi Raguſini ſubtraxerant, 102. 291. 1. e ſua eccleſia pellitur, 291. 1. illam recuperat. 291. 2. eligitur ad Epiſcopatum Juvenacienſem, ſed a Pontifice non confirmatur. *ibid.* fit Archiepiſcopus Raguſinus. 112. 2. 292. 1. litteras recipit a Joanne XXI. P. 113. ejus obitus & inſcriptio ſepulcralis. 114. 1.

Savinus Florianus Epiſcopus Tribunienſis & Mercanenſis ex Ordine S. Franciſci. 315. 1. ejus obitus. 315. 2.

Stipio de Martinis Epiſcopus Tribunienſis & Mercanenſis. 315. 2. Epiſcopatu ſe abdicat. *ibid.* Epiſcopus Polymnianenſis renunciatur, *ibid.*

Scopulus de Meluuto a Raguſinis donatus Eccleſiæ

Digitized by Google

ſiæ Mercanenſi. 297. 1.
Sebaſte in Epiro alia a Sebaſte Armeniæ. 48. 2.
Sebaſtianus Porticus, Archiepiſcopus Raguſinus electus, reſpuitur a Raguſinis, 229. 2. ad Eccleſiam Fulginatenſem translatus. 230. 1. ejus elogium. 252. 2.
Sebaſtianus Porticus, alius ab Archiepiſcopo Raguſino, Viſitator Apoſtolicus Raguſii, turbas Raguſienſes componit, & Synodum congregat, 251. 2.
Sebaſtianus Epiſcopus Rhizinienſis. 411. 2. binas accipit epiſtolas a S. Gregorio Magno, 411. 2. 412. 1. an ſuam Eccleſiam amiſerit in exſilium pulſus, incertum, 412. 2. 413. 1.
Sebaſtianus Dolci Seriem Antiſtitum Raguſienſium ſcripſit, 33. 2. Vitalem quemdam inter Archiepiſcopos Raguſinos intrudit. 46. 1.
Secundus Nanius Epiſcopus Catharenſis ex Argolicenſi. 458. 2. quædam Capituli Catharenſis conſtituta confirmat, 459. 1, 2, obiit, 460. 1.
Seraphinus Razzius Ord. Prædicatorum in conſtituendis initiis Archiepiſcopatus Raguſini multa peccat. 25. hiſtoriam Raguſinam civilem & eccleſiaſticam ſcripſit. 33. 1. 255. 1. Raguſium venit, 255. 1. Vicarius Capitularis Raguſii. 255. 2.
Seraphinus de Cerva Hiſtoriam ſcripſit Eccleſiæ Raguſinæ. 34.
Sergius Epiſcopus Catharenſis. 434. 2.
Sergius II. ſive Bergius, Epiſcopus Catharenſis a juriſdictione Archiepiſcopi Barenſis eximitur. 444. 2. a ſuis civibus rejectus, 445. 1. ad Eccleſiam Polenſem transfertur, *ibid.*
Sergius III. Epiſcopus Catharenſis. 446. 2.
Sergius Archidiaconus Catharenſis vindex immunitatis eccleſiaſticæ adverſus Comitem Catharí. 436. 1.
Sigiſmundus Tudiſius Epiſcopus Tribunienſis & Mercanenſis e Canonico Raguſino. 317. 1. ejus acta & obitus. 317. 2.
Silveſter Rex Serbliæ tres inſulas vendidit Raguſinis. 41. 2.
Simeon Mens Epiſcopus Tribunienſis & Mercanenſis. 307. 1. ejus obitus. 307. 2.
Simon Epiſcopus Zachlumienſis ſive Stagnenſis, Metropolitæ Raguſino ſubjectus. 326. 2.
Simon Spalatinus Epiſcopus Corcyrenſis ex Primicerio Arbenſi. 408. 1. Ad Auxerenſem Eccleſiam translatus. 408. 2.
Simon Gritti Epiſcopus Catharenſis, natione Turca. 513. 2. ad Eccleſiam Ferentinam transfertur. *ibid.*
Simon Mencius Vicarius Ludovici Archiepiſcopi Raguſini turbas excitat Raguſii. 240. 1.
Sixtus IV. P. Sodalitatem Presbyterorum confirmat ſub nomine S. Petri in Cathedra Raguſii inſtitutam. 141. 2. 142. 190. 1. quædam ſibi a Raguſinis petita concedit. 184. 185. 186. petitioni Monialium S. Mariæ de Angelis Raguſii annuit, datis litteris ad Mercanenſem Epiſcopum. 186. 2. Raguſinos a Turcis oppreſſos adjuvat. 187. 2. Joanni de Piſtorio, ut Raguſium iret concionandi cauta, poteſtatem facit. *ibid.* facultatem quoſdam redditus convertendi in Bibliothecam erigendam PP. Dominicanis Raguſii confirmat. 187. 2. PP. Dominicanos Raguſinos ſejungit ab Italis. 187. 2. 188. 1. eorumdem querelæ contra quoſdam nobiles, ut perpendantur ac judicentur, jubet Archidiacono Catharenſi, Archipresbytero, & Vicario. 188. 2. ejus mandata ad Lucam de Tolentis legatum ad Ducem Burgundiæ. 383. *& ſeq.* donationem monaſterii S. Mariæ de Gratiis in inſula Sinus Catharenſis confirmat FF. Franciſcanis. 479. 2.
Sodalitas Presbyterorum ſub nomine S. Petri in Cathedra inſtituitur Raguſii. 141. *& ſeq.*
Spalatenſes cum Raguſinis de Archiepiſcopatu Salonitano contendunt. 8. 2. 39.
Stagnenſe interregnum Epiſcopale primum. 325 1. ſecundum, 326. 1. tertium, 326. 2. quartum. 327. 1.
Stagnenſes Religionem Chriſtianam inde uſque a temporibus apoſtolicis receperunt. 321. 2. ab hæreſibus liberantur a Raguſinis. 322. 1. quando ſuum habuerint Epiſcopum. 322. 1. 2.
Stagnenſes ſive Zachlumienſes Epiſcopi, 318. Stagni reſident. 323. 1. eorum diœceſis. *ibid.* recenſentur cum Corcyrenſibus. 324. 1. titulo Zachlumienſium poſthabito, appellantur tantum Stagnenſes, 328. 1. quando titulum & adminiſtrationem Eccleſiæ Corcyrenſis depoſuerint. 336. 2.
Stagnenſis ſive Zachlumienſis Epiſcopatus initia incomperta. 322. 1. 2. 520. 2. tribus Metropolitis varietate temporum paruit. 322. 2. 324. 2. 325. 326. 1. 327. 1. nunc ſubeſt Raguſino. 323. 1. 326. 1. 2. per errorem attributa Metropolitæ Spalatenſi a Clemente III. P. 327. 1.
Stagnenſis ſive Zachlumienſis Epiſcopus primus anonymus, ſubjectus Metropolitæ Diocletano. 324. 2. cujus acta periere. 325. 1. ſecundus item anonymus ſubjicitur Metropoli Spalatenſi. 325. 1. 2. tertius item, attributus Metropolitæ Raguſino. 526. 1. & quartus. 526. 2.
Stagnenſis Eccleſiæ cathedralis ædificatio. 332. 1. 2.
Stagni peninſula a Stephano Bano Boſnæ Raguſienſibus vel dono data, vel vendita. 126. 1. 321. 1. 330. 1. deſcribitur. 321. 1. 2. 323. 1. 2. in tres partes diviſa. 323. 1. ejus ædes ſacræ. 323. 1. 2.
Stagnum vetus & Stagnum novum. 321. 1. 2. ſive parvum & magnum. 323. 1. apud Stagnum magnum Sedes epiſcopalis. 323. 1.
Stephani Uroſcii, ſeu Radoslavi Serbliæ regis privilegium Catharenſibus conceſſum. 440. 1. 2.
Stephanus de Nigris Epiſcopus Catharenſis ex Ordine Servorum B. Mariæ Virginis. 452. 2.
Stephanus II. de Oleo Epiſcopus Catharenſis. 516. 2. Hyacinthi ſui prædeceſſoris teſtimonio honorifico celebratus. 516. 2. 517. 1. 2. ejus obitus. 518. 1.
Stephanus Duſcianus Rex Serbliæ, in Catholicos benevolus, tributum quoddam, quod illi Raguſienſes pendebant, attribuit Baſilicæ Barienſi S. Nicolai. 127. 2. erga ſacra Latinorum propenſus. 128. 1. Raguſium venit. *ibid.* duos nummos ſignandos curat effigie S. Tryphonis. 449. 2. controverſiam diremit, quæ erat Catharenſibus cum Daniele Patriarcha Serblorum. *ibid.* ſimulat ſe a Græcorum ſchiſmate ad Eccleſiam Catholicam conferre. 450. 2. miſere perit. *ibid.*
Stephanus Banus Chrobatiæ tria loca Raguſinis donavit in Serblia maritima. 41. 1.
Synodi duæ Raguſinæ. 64. 2. 65. 1. altera ſub Acontio Honorii III. P. legato. 92. 2.

Tem-

Digitized by Google

T

Templa in ditione Ragusina. 26. 2. 28. 2. 29. 30. 1.
Terræmotus Ragusii. 217. 2. 263. 2. Cathari. 490. 1. 514. 1.
Theodorus Dedus Episcopus Corcyrensis ex Ordine Prædicatorum. 398. 2. multa ejus facta præclara. 399. 1. 2. decreta quædam ab se condita, a Visitatore Apostolico confirmanda curavit, 400. 1. duo volumina de possessionibus, privilegiis, rebusque omnibus ecclesiasticis ab se conscripta reliquit. 400. 2.
Thomas Archiepiscopus Ragusinus ex Canonico Asculano. 125. 1. eligitur a Joanne XXII. P. rejecta electione Ragusiensium, 125. 2. obiit, 126. 1.
Thomas II. Celsius Archiepiscopus Ragusinus. 261. 1. obit. *ibid.* ejus merita & sepulcrum. 261. 2. & ejus familiæ nobilitas. *ibid.*
Thomas Cerva, vel Cervinus, Episcopus Tribunensis & Mercanensis ex Ordine Prædicatorum. 305. 2. simul etiam Episcopus Stagnensis. 306. 1. 350. 2. domicilium Stagni mulieribus tertii Ordinis Dominicani concedit, 352. 1. Episcopatum Stagnensem dimittit. 352. 2. ejus obitus, *ibid.* & 352. 2.
Thomas II. Natalius Episcopus Tribunensis & Mercanensis. 308. 1. arte medica celebris, *ibid.* in suam Ecclesiam liberalis. 308. 2. ejus obitus. 309. 1.
Thomas Malombra Episcopus Stagnensis & Corcyrensis ex Ordine S. Dominici. 347. 1. 386. 1. 2. mulieribus tertii Ordinis S. Francisci potestatem fecit commorandi prope Stagnum apud ecclesiam SS. Cosmæ & Damiani. *ibid.* obsistit, ne Stagnensis a Corcyrensi Ecclesia disjungatur. 347. 2. 387. 1. fit Gubernator Tiferni, & in Germaniam mittitur Legatus apostolicus. *ibid.* Episcopum adjutorem cum jure successionis sibi postulat Nicolaum Niconisium. 348. 1. 387. 2. Litem de decimis Stagnensibus cum Ragusinis redintegrat, sed causa cadit Julii II. P. decreto. 348. 2. ejus elogium & obitus. 387. 2.
Thomas II. Episcopus Stagnensis. *Vide* Thomas Cerva.
Thomas Episcopus Catharensis. 445. 2.
Thomas Episcopus Phariensis, Legatus Nicolai V. P. in Provincia Ragusina. 164. 2.
Thomas Mocenigo Dux Venetiarum cultum S. Marci auget Cathari. 457. 2.
Thomas Antonius Scottus Archiepiscopus Ragusinus. 267. 2. ejus mors repentina & epitaphium. *ibid.*
Timotheus Maphæjus Archiepiscopus Ragusinus e Canonico Lateranensi. 178. 2. amicus Cardinalis Papiensis, a quo duas accepit epistolas. 179. 2. 180. 1. item alia a Paullo II. P. 180. 2. cujus jussu decretum facit de Ragusinis mercaturam facientibus cum Turcis. 181. 1. jubetur a Paullo II. P. ut FF. Dominicanis ex quibusdam illorum redditibus Bibliothecam erigendam curet. 181. 2. quasdam leges contra libertatem ecclesiasticam a Ragusinis abrogandas curat. 182. 1. ejus testamentum. 182. 2. & obitus. 183. 1.
Tribunia priscis Geographis ignota. 286. 1. ejus positio & descriptio ex Porphyrogenito. 286. 2. 287. 2. quibus dominis paruit. 287. 1. 290. 1. 2. nunc Turcarum imperio subest. 287. 2. urbis situs ac dignitas antiqua. *ibid.* describitur a Chrysostomo Episcopo. 310. 1. 2.
Tribunense monasterium S. Mariæ e Græco schismate redit ad Catholicam communionem. 315. 1.
Tribunenses & Mercanenses Episcopi. 286. recensentur. 288. 2. 310. 2. eorum series interrupta. 289. 2. 290. 1. 293. 2. Mercanam se se recipiunt. 296. 1. jus illos eligendi ad Ragusinos delatum, 298. 1. modo uniti, modo sejuncti. 302. 2.
Tribunenses Episcopi duo e catalogo Episcoporum Tribunensium expuncti. 297. 1.
Tribunensis Episcopatus & diœcesis. 288. 1. Metropolitæ Ragusino subjectus. 288. 2. sed antea nunc Diocletano, nunc Antibarensi paruit. 289. ab hæreticis vexatus. 290. 2.
Tribunius Archiepiscopus Ragusinus. 54. 2.
Tribunius II. Archiep. Ragusinus. 78. 2. jus retinet in Episcopatum Bosinensem. 79. 1. litteras impetrat ab Adriano IV. P. ad retinendos in sua potestate Episcopos qui desciverant. 79. 2. & ab Alexandro III. P. 80. 2. 81. & a Clemente III. P. 82. ejus obitus & inscriptio sepulcralis. 83. 1.
S. Trypbon urbis & Ecclesiæ Catharensis patronus. 423. 1. ex multis ejusdem nominis, quis hic Martyr fuerit? *ibid.* ejus cultus Cathari, & Lectiones cum notis. 423. 2. 424. 497. 2. ejus Corpus transfertur Ascrivium, inde Catharum. 425. 1. 2. unde Ascrivium translatum sit? 426. 2. quis Tryphon Romæ, quis Cathari asservetur? *ibid.* insigni religione a Catharensibus cultus. 427. 1. Capitis S. Tryphonis inventio & translatio. 437. 1. 2. 438. 1. 2. 439. 1. 2. ejus cultus auctus. 447. 2. duos nummos effigie S. Tryphonis signandos curat Stephanus Rex Serbliæ. 449. 2. Crus S. Tryphonis Venetias Catharo allatus a Victore Pisano, & in ecclesia S. Fantini depositus. 453. 1. Quomodo colendus dies ejus festus, decretum Catharense. 455. 1. & alia de tributo ex testamentis solvendo ejus ecclesiæ. 455. 2. 456. 1. & de recta ejus bonorum administratione. 456. 1. ejus miraculum, quo furtum sacrilegum detegitur. 514. 2. 515. 1.
Trypbon Bisantius Episcopus Catharensis ex Archipresbytero. 478. 1. interest Concilio Lateranensi. *ibid.* quid scripserit Cardinali Dominico Grimano? 478. 1. 2. templum ac cœnobium S. Mariæ de Gratiis in insula parva Sinus Catharensis adjudicat PP. Franciscanis contra Dominicanos. 483. 1. Cœlestinorum discordiam in idem cœnobium regressorum sedat, & cœnobium visitat. 485. 1. 2. Lucam fratris filium adjutorem suum & successorem in Episcopatu dandum curat a Clemente VII. P. 486. 2. Episcopatum deponit & obiit, *ibid.*
Tudisii, Nobiles Ragusini, jus patronatus obtinebant in Monasterium Peklinense. 72.

V

S. Vincentii Ferrerii cultus apud Ragusinos. 520. 1.
Vincentius Porticus Archiepiscopus Ragusinus. 245. 2. quæ gesserit ante Archiepiscopatum. 246. 1. Orator Reipublicæ Lucen s ad Pium IV. *ibid.* a Pio V. P. missus Internuncius ad Sigismundum Poloniæ Regem. 246. 1. 2.

res

Digitized by Google

res ab eo geſtæ in Polonia. 247. 1. commendatur Pio V. ab Anna Regis Poloni ſorore. *ibid.* a Franciſco Card. Commendono admonitus, ne in matrimonio diſſolvendo Regis Poloniæ ſe immiſceat. 247. 2. 248. 1. 2. ob electionem novi Poloniæ Regis ab eodem Commendono diſſentit. 248. 2. 249. 1. 2. ex legatione Polona Romam revocatur. 250. 1. eligitur Archiepiſcopus Raguſinus. 250. 2. Raguſium venit cum duobus Presbyteris Societatis Jeſu, *ibid.* nimis in Clericos ac præſertim Archidiaconum ſeverus. 251. 1. 2. diſcordiarum Raguſinis auctor. 251. 2. 252. 1. Romam profectus Archiepiſcopatum depoſuit. 252. 1. ejus elogium. 252. 2.

Vincentius II. Lanterius Archiepiſcopus Raguſinus. 259. 2. de jure viſitandi ædiculas quaſdam litem habuit cum Cœnobiarcha Lacromenſi. *ibid.* tres Presbyteros Societatis Jeſu Raguſium accivit, 260. 1. ad Sedem Verulanam transfertur. 260. 2.

Vincentius III. Lucheſinus Archiepiſcopus Raguſinus ex Præſide generali Servorum B. Mariæ Virg. 266. 2. templum & domicilium in Valle Nucis recipiendi poteſtatem facit PP. Dominicanis. 267. 1. ad Sedem Aſſiſienſem translatus. *ibid.* ejus elogium. *ibid.*

Vincentius de Lupis Epiſcopus Stagnenſis ex Ordine S. Franciſci. 360. 2. Patribus Franciſcanis poteſtatem facit recipiendi Templi S. Mariæ Lauretanæ, & monaſterii ibidem ædificandi. 361. 1. ejus obitus. *ibid.*

Vincentius Coſſovichius Epiſcopus Corcyrenſis ex Canonico Catharenſi. 405. 1. diuturnitas ejus Epiſcopatus & obitus. *ibid.*

Vincentius Bucchius Epiſcopus Catharenſis. 502. 2. Templi S. Mariæ de Scalpello Rectorem confirmat, *ibid.* Zuppanos ſchiſmaticos ad Eccleſiam Catholicam venientes reconciliavit. 504. 1. Corpora SS. Sergii & Bacchi recognovit. 504. 1. 2. Peraſtum viſitat. 504. 2. obiit. *ibid.*

Vincentius II. Dragus Epiſcopus Catharenſis. 515. 2. dum ad ſuam ſedem iter habet, diem ſuum obiit. *ibid.*

Viſnizianum Cœnobium S. Jacobi a Joanne Gundula fundatum. 92. 2. 93. 1. & bonis ditatum per teſtamentum. 93. 2. 94. in clientelam Sedis Apoſtolicæ receptum ab Innocentio IV. 105. Mauro Abbati Melitenſi attributum a Vicario Archiepiſcopi Raguſini. 221. 2.

Vitalis Archiep. Raguſinus pallium & epiſtolam accipit a Benedicto VIII. P. 42. 2. ejus obitus, ſepulcrum & inſcriptio. 54. 2.

Vitalis II. Archiep. Raguſinus accuſatus & in carcerem conjectus a Raguſinis. 54. 2. an abſolutus fuerit, incertum. 55. 2.

Vitalis ex Archiepiſcoporum Raguſinorum ſerie expunctus. 46.

Uladislavus & *Rodoslavus*, duo reges Serbliæ, ab Orbino & Dufreſnio prætermiſſi. 436. 1.

Urbanus V. P. negligentiæ coarguit Archiepiſcopos Spalatenſem & Raguſinum ob hæreticorum Boſnenſium tolerantiam. 137. 2. ſcribit ad Duymum Epiſcopum Catharenſem, ut Virgines Franciſcanas Catharum excipiat. 451. 1. 2. & ad Marcum Cornarium Ducem Venetiarum, ut Catharenſes a ſchiſmaticis tueatur. 452. 1. & ad Dynaſtas Zentæ ad fidem catholicam reverſos. 452. 2.

Urbanus VI. P. approbat diviſionem Provinciæ Dalmatiæ Fratrum S. Dominici ab Hungarica. 139. 2. jubet Tragurienſibus, ut pecuniam, a Deſſa Epiſcopo Mercanenſi relictam, Cameræ apoſtolicæ reddant. 295. 2. de decimis Stagnenſibus Epiſcopo illi non perſolutis litem componendam curat, datis litteris Deſſæ Epiſcopo Tribunienſi, & Joanni IV. Epiſcopo Stagnenſi. 334. 1. 2. Laguſtam inſulam attribuit Epiſcopo Corcyrenſi. 373. 1.

Urbanus VIII. P. Fratres S. Dominici Raguſinos Philippo Hiſpaniarum Regi commendat 260. 2. & Paullum de Gratiis Epiſcopum Stagnenſem Senatui Raguſino. 357. 2. Diſſidium inter Clerum Catharenſe & PP. Franciſcanos de cœnobio S. Mariæ de Scopulo componendum delegat Vicario Epiſcopi Buduenſis. 503. 2.

Urſacius Epiſcopus Catharenſis ædiculam S. Michaelis donat Eccleſiæ S. Tryphonis. 433. 1.

Z

S. *Zacharias* Papa an litteras ſcripſerit Andreæ Epiſcopo Raguſino? 36. 2. an Archiepiſcopatum Raguſinum inſtituerit? 39. 1.

Zachlumi ab Serblis oriundi. 318. 1. 2. ſub regimine ſuorum Banorum erant Imperatoribus Græcis vectigales. 319. 1. ſuos habuerunt Comites & Duces. 319. 2. 320. 1. 2. nunc ſub imperio Turcarum. 320. 2. Religionem Chriſtianam inde uſque a temporibus apoſtolicis receperunt. 321. 2. quando ſuum habuerint Epiſcopum. 322 1. 2.

Zachlumiæ poſitio & fines. 318. 1. 2. 319. 2. 320. 2.

Zachlumienſe interregnum Epiſcopale primum. 325. 1. ſecundum. 326. 1. tertium. 326. 2. quartum. 327. 1.

Zachlumienſes, ſive Stagnenſes Epiſcopi. 318. recenſentur. 324. 1. quando ſolum Stagnenſes appellati ſint. 328. 1.

Zachlumienſes Bani. 319. 1. Comites. 319. 2. 320. 1. Duces. 320. 2.

Zachlumienſis Epiſcopatus, ſive Stagnenſis, initia incomperta. 322. tribus Metropolitis pro varietate temporum paruit. 322. 2. 324. 2. 325. 326. 1. 2. nunc ſubeſt Raguſino. 323. 1. 326. 1. per errorem attributa Metropolitæ Spalatenſi a Clemente III. P. 327. 1.

Zachlumienſis, ſive Stagnenſis Epiſcopus primus anonymus, ſubjectus Metropolitæ Diocletano. 324. 2. cujus acta periere. 325. 1. ſecundus item anonymus ſubjicitur Metropoli Spalatenſi. 325. 1. 2. tertius item, attributus Metropolitæ Raguſino. 326. 1. & quartus. 326. 2.

SS. Zenobii & Zenobiæ Corpora Raguſium translata. 42. 1.

Zupæ deſcriptio. 496. 1.

FINIS.

Digitized by Google